8 50.3.5


NAZIONALE
8
50 F
5
R. BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
ROMA

Digitized by Google



Digitized by Google

REVERENDISSIMI PATRIS

FRANCISCI BORDONI

OPERA

VARIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Domine.

Ex Conv. S. M.e de Vita FF. Discalceatorum S.ti Aug.ni
1691

PARMENSI conceptus in Solo, poſt alios ejuſdem mentis fœtus, ad lucidiſſimum Parmenſis Cœli Sydus ellevatur, ut inde lumen recipiat. Poſthumus hic partus congeneum exquirens Tutorem, quò ſe ferat, niſi ad Te omnigenæ litteraturæ Polianthicum Mecœnatem? Ad Te, quē hæc Ipſe ſcribens ingenuà indole, & ad omnia Virtutis, tum litterariæ, tum moralis munia pubeſcentem ſæpe fuit admiratus. Prævidebat tunc optimus Senex quanti ponderis futura eſſet in Viro meſſis Virtutum, cui tam ſeria exercebatur in Juvene Studiorum cultura. Inviſurum opinaremur noſtræ fœlicitati morigeratiſſimum Authorem, quòd noſtrū ſit hoc de LEGATIS opus ſplendidà tui Nominis Famà illuſtrare, niſi id ipſum legaſſe crederemus. Jam de Cœlis ubi in unius, & æterni Verbi libro omnia [ut piè credimus] legit ſibi ipſi complacet, & ſuis ſudoribus gratulatur, quòd ex opidò ſibi contigerit per Filios adimplere, quod per ſe meditabatur; iamque non erimus piæ mentis Fœdifragi, ſi uel opinata implemus Patris Legata. Sed præſentiora nos movent ſolvendi tributi hujus argumenta. Inſignis illa nullique ſecunda Stirpis Tuæ Nobilitas, quę literis ſimul, & armis; togis, & ſagis onuſta ſimul, & orna-

ta

Digitized by Google

ta integro Litteratorum Populo præsto esse posset ad defensionem, & gloriam. Neque verò nostro nunc inest Animo integram hìc texere Panegyrim; quippe non latet plus semper fuisse Zandemarianæ Familiæ Heroibus virium ad patrandum insignia, quàm insint diserto cuilibet Oratori ad dicendum ornamenta. Eo Te demùm sanguine ortum veneramur, cujus affinitate gloriantur quæ Urbibus, & Provinciis gloriam influunt Familiæ; Boschetos, Pallavicinos, Rangonios, Pepuleos, Rubeos, de Comitibus, aliosque plures tum sacris Thiaris, tum militaribus Sceptris, tum Litterariis Laureis insignes stipites Auorum Tuorum sanguine derivatos, tum suorum Himenæis vicissim decoratos nemo non novit. Sed ne ab alienis Familiis Tui, Tuorumque gloria emendicatà videatur. Testis sit Parma, cui Municipales Leges Joannes Andreas dictavit, eidemque Ludovicus glossavit, quippe Zandemariano Legislatori nemo melius succedere poterat, quam Zandemarianus Interpres. Testis sit Roma, quæ neminem lœtiùs, neminem admiratiùs pro nostra Patrià Legatum excepit quam Julium Zandemariam Julio II. Pontifici Maximo Parmæ obsequia persolventem. Testis sit Rhodus, quæ tandiù distulit Othomanico jugo regium caput subdere, quandiù Cosmas Zandemaria irruentes per Mœniorum ruinam Turchas sustinuit, ita ut ne pedē quidē movens eò Barbaris cum ingressu Victoriam interdixerit, donec grandis ejus anima jam Gloriis onusta Immortalitatis Capitolium in æternùm triumphatura intraverit. Testis sit iterum Rhodus ipsa, quæ subacta jam, & manus Trhacio Tiranno catenandas extendens, geminum vidit suarum lacrymarum, & jacturæ solamen Joannem Baptistam scilicet, & Antonium germanos, Cosmæ nepotes, qui strenvos Patrui conatus imitantes centena hostium capita, non tantùm in justissimi doloris levamen, quantùm in Avunculi de morte triumphantis coronamentum devoverunt. Defatigata, non imminuta Orbem universum pervolat Fama, insignem Benedicti Virtutem circumquaque denuncians, qui Magnum Alexandrum Farnesium sub auspiciis D. Ioannis Austriaci militantem tamquam fidus Acates sequens, non secundus Beato Pio V. de eversis ad Echinadas Othomanici Tirrani classibus peperit lœtitiam; eumdemque Alexandrum contra rebellantes Belgas accumi-

natis

natis in Lanceas patriorum Liliorum folliis mirè adiuvit, maximà id circo Eratii Præfecturà insignitus. Sed non Sago tantummodò fulsit avitis illis temporibus Domus tuæ Gloria Illustrifs. & Reverendifs. Domine; verùm etiam Togà, qua insignes Majores tui; nunc in Antonio apud Serenissimum, & Eminentissimum Principem Franciscum Mariam Farnesium, primum, & intimum Aulicum expresserunt; nunc in Papiniano apud Odoardum Serenissimum Parmæ Ducem inter Bellonæ armigeros strepitus Palladi litterariæ obsequente in utroque Cæsarem dederunt; nunc in Mario pro Serenissimo Raynutio fæliciter regnante apud Summos Pontifices Innocentium X. & Alexandrum VII. Reffidentis Oratoris exẽplar exhibuerũt; nunc in Francisco Excelsi Placentiæ Consilii Pręsidẽ integerrimũ subministraverũt; nunc in Ioseph apud eundem Raynutium Consiliarium intimum, & postmodum Placentiæ Atistitem amplissimum præbuerunt. Adeò verum est, quòd geminum gentilitii tui Stemmatis Liliatum Sceptrum, & Armis, & Litteris, & Castris, & Curiis pręsidens immortalẽ Gentis gloriam auxerit, propagaverit, illustraverit, & quilibet Tuorum ut cum Iustino loquamur. *Honores ita gessit, ut ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati videretur.* Lib. 6. Hęc autem aviti decoris lumina licet Mundo occidisse videantur, duplicato tamen fœnore de Gloriæ Cœlo, Patriæ nostræ, imo melius dixerimus toti resplendent Orbi, eoque splendidius nitent, quò in Gemino tot titulorum Hærede, quæ dispersa decoros reddebant alios, collecta tenemus. Hic verò in immẽsum cresceret Oratio, si de Francisco Fratre, si de Te dicere auderemus. De Fratre qui perhonorificè serviens in Farnesianà Aulà nemini secundus fulget, imo talis, quem ad gratulandum Galliæ Regi pro Delphini Nuptiis prudentissimus Principum Raynutius Nuncium eligeret. De Te, cui plaudens Romanus Vates caneret

Si titulos annosque tuos numerare velimus Ovid. 7. Metam.
Facta prement annos.

Oh si loqui daretur! sed silentium severè indicit ingens illa Vestrum utriusque, quæ animorum verè nobilium proprius caracter est modœstia. Nõ inde tamen fiet, quin etiam Nobis in obsequium obmutescentibus loquantur integris in futurum seculis quot quot Tuo Illustrissime, & Reverendissime

a Domine

Dominæ paruerunt Gubernio Civitates, quarum vix una non ambivit Te Concivem assiscere, Te Patrem Patriæ, Te Virtutum Altorem conclamare, & ne vanas dissolverentur in auras, quos ex corde excitaverunt plausus extant ultrò ab eis oblata, & aureis caracteribus exarata ad perpetuam rei memoriam testimonia. Obtulit Forum Livii, non tantùm eò quòd proprii æris portionem impendens substructione eleganti Prætorias Ædes temporum iniurià penè collapsas excitaveris, & in pommodiorem formam laxaveris; sed maximè quia ne Res publicæ collaberentur mirà sedulitate insudaveris. Obtulit Septempedana Urbs non tantùm quòd tuà solerti curà laborantem viderit reparatam Annonam, rem frumentariam adauctam, & utile Emporium reluctantibus sed frustrà finitimis institutum; sed maximè quia Jura ei municipalia regesta, & recussa restitueris. Obtulit Camerinum non tantùm quia universam ejus ditionem indefesso pede lustraveris, sed maximè quia æquali labore expiaveris. Obtulit Asculum eo quòd defatigatis Lictoribus, decussisq; nefariis cervicibus perditissimam impunè grassantium Prędonum manum penitus deleveris. Te Patrem optimum conclamās cum se redivivum agnovit; id quod commune fuit omnibus Tibi subjectis Provinciis; Liliorum quippe tuorum saluberrimo odore Regiones teterrimà male viventium peste purgatas, Populisque vindicatam restitutamque noverunt incolumitatem. Obtulit; sed quid singula refero! Obtulerunt simul Frusino, Alatrium, Anania, Ferentinum, Verulum, Terracina, Fulgineum, aliaq; non inferioris, imo majoris notę Municipia propriæ Gloriæ augmentum, & decoris lucrum arbitrata si Zandemariana Familia eis familiaris fieret, & concivis denominari haberique non dedignaretur. Augusta etiam Perusia, cui in præsentiarum afflant tua Lilia, prosperitatem sibi minus augusta videbatur, nisi Civium suorum Albo aureis caracteribus Zandemarianum Nomen fuisset impressum, tantiq; Nominis Gubernatori Gratitudinis Testimoniū plenis votis expressisset. Tanti fit Virtus ingenva, ut omnes eam Concivem habere emulentur; optimè scilicet norunt, Urbium solidiorem, & nitidiorem splendorem non unicè ex Fundatorum Nomine, sed à Civium quem Virtus pariat nitore reverberari, unde quam Concivem nasci non viderint, exteram sibi li-

bentissimè

bentiſſimè adoptent. Quantus verò fueris ſive Bononiæ Prolegatus, ubi ſemper æquabiliſſimum Te animorum Conciliatorem exhibuiſti; ſive Provinciarum Campaneæ, & Maritimę; ſive Umbriæ totius Generalis Gubernator Commiſſarius, & Apoſtolicus Viſitator, uel inde valeat inferri, quòd Sontes ipſi (inauditum antea) unicè adamaverint, nec Te Magis, quam pro Te metuerint nacti in Te uno ſacro fœdere cōjunctos amorem, & rigorem; ita ut in Bivio ſit, plus ne vererentur Judicem integerrimum, an diligerent Concivem optimum, an venerarentur Prælatum numeris omnibus abſolutiſſimum. Ne tamen ſevera Juris dicendi exercitatio Animum tuum à Zandemarianà Humanitate, & Comitate avvertat Mirum dictu quantus ſis in amœnioris litteraturæ cultu.rà, nec tantum obtinet Mentem ad omnia factam Fori ſtrepitus, quin vel Philoſophicis, vel Theologicis diſceptationibus, vel etiam Accademicis totus aſſiſtas conſeſſibus; & taliter læpida ſeriis, ſeria læpidis, utriſq; ſeveriora Gentes regendi ſtudia concordas, & attemperas, ut Accademiis etiam exteris, & loco diſſitis viva proberis Enciclopedya. Te propterea etiam nil tale cogitantem Illuſtriſſima Romæ Infœcundorum inter ſuos ultrò adnumeravit Accademia; ſed Te aſcito fortè non diu ejus ſubſiſtet Nomenclatura. Te concordium Ravennæ adoptavit Congreſſus, in quo DISSONI, licet agnomen aſſumpſeris; non inde fiet, quin totum ad ſingula, & unum ad omnia concordi tenore Te mirentur omnes ejus Alumni. Te exoptant gravioris Nominis Collegia, dum Lilia tua tot per Magiſtratus erudiuntur in Roſas. Sed laudum impatiens animi tui Modœſtia, & tādiu audiviſſe indignans ſilentium repetito Imperio indicit, & quo ſpiritu ſemper celebranda meditatur ad opus, ulterius loqui interdicit. Hoc tamen idem erit laudum tuarum Coronamentum, laudari nolle pro merito, quod fuit tenuitatis noſtræ Argumentum laudare non poſſe pro debito; & Nos nutibus tuis obſequentes implorati erga Poſthumum hunc Librum Patrocinii compotes eſſe ſperabimus ſi patiaris ſubſcribi

Dominationis Tuę Illuſtriſſimæ, & Reverendiſſimæ

Addictiſſimos, & Obſequentiſſimos Famulos
Conventus S. Mariæ de Quarterio Parmæ Alumnos.

Digitized by Google

Ad Lectorem.

Miraris quòd post tot annos Reverendissimi Bordoni reviviscat Memoria! Mirare potius quòd jam tandem, & citius quàm sperabatur compotes fiamus, ut ejusdem optimi Senis Nomen tot aliis operibus gloriosum Literatis auribus ressonet Fama dum eruditis oculis subdit opera rediviva. Non tandiu frustrata fuissent Bonorum desideria, si Fides Typographorum Lugdunensium eruditissimi Authoris funeri supervixisset; Inde Phœnix ista Scriptorum gloriosior resurgere statuerat, nec credimus grave illi fuisse debitum Naturæ per Mortem solvere, nisi quòd orphanos Fœtus infidelibus obstetricibus relinqueret. Tribus ante obitum suum annis illuc transmiserat octo volumina publicæ Luci per typos parturienda, sed vel incuriâ, vel avaritiâ correpti Impressores, & promissis stare nolentes, nos coegerunt ad Lites, ut saltem tanti Thesauri jacturam vitaremus. Nec tamen dolemus, inde enim docebuntur Posteri quàm enixè curanda sit gloria Doctorum, & erubescent, si qui sunt, qui vel Prædecessorum Scripta invidi sepeliunt, vel per eadem proprio nomini spuriam laudem procurant ignari; sed videant illi. Gaudemus nos interim, quòd benemeriti Senis resuscitetur Memoria vivacior ad incrementum ejus Famæ, ad Decus nostri Monasterii, cujus fuit Filius, & Parens amantissimus, & ad Patriæ Gloriam. Tu interim optime Lector præsenti Opere fruere brevi si dabis ansam habiturus aliud, cui titulus.

Manuale Consultorum in Causis Sancti Officii

cui postea succedent grandiori hac eadem formâ digesta, ut Lugdunensi impressioni priorum operum correspondeant.

De Homicidio tam in genere, quàm in specie.

De Miraculis in Ordine ad Canonizationem Sanctorum.

Dubia Regularium, Monialium, & Secularium in tres partes divisa, &c.

Errores verò sic corrige, quasi memor, quàm difficile sit omnibus occurrere; Vive fœlix.

Appro-

Approbationes Operis à Theologis Tertii Ordinis S. Francisci Deputatis.

FRater Benedictus Guidotus à Bononiâ Sacræ Theologiæ Doctor Collegiatus in Patriâ, S. Officii Consultor, in Archiepiscopali Curiâ Bononiæ Examinator Synodalis, nec non Religionis Tertii Ord. S. P. Francisci olim Commissarius Generalis.

Facultate mihi à Reverendissimo Patre Sacræ Theologiæ Magistro Hippolyto Rosini à Parmà nostræ Religionis Ministro Generali commissà, præsens *Opus de Legatis* additis *centum Consiliis variis* à fœlicis recordationis Reverendissimo P. S. T. Magistro Francisco Bordono à Parmà nostræ ejusdem Religionis quondam Generali Ministro post se relictum, non sine magnà Animi mei consolatione diligenter perlegi, nihilq; non sanà doctrinà refertum non firmà authoritate roboratum reperiens, dignum puto ut typis mandetur, & sic Literatorum desiderio satisfiat, nec non Authoris gloria tot aliis impressis operibus insignis augeatur. Datum Bononiæ in nostro Conventu S. Mariæ Charitatis hac die 8. Junii 1686.

Frater Benedictus Guidotus qui supra.

FRater Petrus Paulus Manzanus à Parmà S.T.D. Collegiatus in Patriâ, Religionis Tertii Ordinis S. Francisci Examinator Generalis, & in Patrio Conventu Studiorum Regens.

Jussu Reverendissimi Patris Sacræ Theologiæ Magistri Hippolyti Rosini à Parma nostræ Religionis Ministri Generalis *Opus hoc de Legatis ad formam utriusq; Iuris, &c.* cum additione *centum variorum Consiliorum* à Reverendissimo P. S. T. Magistro, & sacrorum Canonum professore Francisco Bordono compositum attentè lustravi, & cum nihil Orthodoxę Fidei contrarium, Sacris Canonibus repugnans, Summorumvè Pontificum sanctionibus non consonum repererim, publicâ luce dignissimum puto. Datum Parmæ hac die primà Septembris 1686.

Frater Petrus Paulus Manzanus qui supra.

NOs Frater Hippolytus Rosinus à Parmà S.T. Magister S. Officii Consultor in Patriâ, & in Episcopali Curia Examinator Synodalis, nec non totius Tertii Ordinis S. Francisci Minister Generalis, & Servus.

Cum *Opus* præsens *de Legatis ad formam utriusq; Iuris, &c.* additis *centum variis Consiliis* à Reverendissimo P. S. T. Magistro Francisco Bordono à Parmà nostro quondam Prædecessore relictum duo ex nostræ Religionis Theologis de nostro ordine viderint, examinaverint, dignumq; typis judicaverint; ut prælo mandetur, & publici juris fiat quantùm in Nobis est concedimus. Datum Parmæ in nostro Conventu S. Mariæ Quarterii hac die 15. Septembris 1687.

F. HIPPOLYTUS ROSINUS GENERALIS.

Fr. Ioannes Franciscus Bevilaqua à Bononiâ S. T. Magister Secretarius Generalis.

INDEX
CAPITVM, ET QVÆSTIONVM DE LEGATIS.

Prior numerus dat Paginam, posterior dat Columnam.

CAPVT PRIMVM
De Legatis in Genere.

SVMMARIVM. pag. 1.

37 *An*

CAPVT SECVNDVM.
Quinam posśint facere Legata?

CAPVT TERTIVM.
De Capacibus Legatorum.

16 An

CAPVT QVARTVM.

De Legatis pijs.

SVMMARIVM. pag. 41. 2.

✠ 2 CAPVT

CAPVT QVINTVM.

De Legatis ex teſtamento imperfecto.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

De Legatis Missarum.

CAPVT SEPTIMVM.

De Altari Priuilegiato.

9 An

CAPVT OCTAVVM.

De remissione peccatorum per sacrificium Missæ.

SVMMARIVM. pag. 119. 2.

CAPVT NONVM.

De applicatione Sacrificij Missæ.

SVMMARIVM. pag. 137. 1.

12 An

CAPVT DECIMVM.

De Stipendio Missarum.

SVMMARIVM. pag. 156.2.

incre-

CAPVT VNDECIMVM.

An vnicà missà satisfieri possit pluribus stipendijs? Vbi de Priuilegijs reuocatis.

CAPVT DVODECIMVM.

De Capellanijs, & Capellanis.

SVMMARIVM. pag. 177. 2.

CAPVT TERTIVMDECIMVM.

De legatis caducis, & nullis.

SVMMARIVM. pag. 182. 1.

CAPVT QVARTVM DECIMVM.

De Commutatione Legatorum.

SVMMARIVM. pag. 185. 2.

CAPVT QVINTVM DECIMVM.

De Reductione Missarum.

SVMMARIVM. pag. 190. 2.

CAPVT SEXTVM DECIMVM.

De Præscriptione Legatorum.

SVMMARIVM. pag. 205.2.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.
De cessatione Legatorum.

SVMMARIVM. pag.224.2.

1 *Quot modis cesset legatum missarum, vel alterius oneris.* 225. 2.
2 *An destructione rei legatæ intotum, vel in partem cesset legatum.* 225. 2.
3 *An cesset obligatio missarum destructâ domo, vel fundo, remanente tantum areâ.* 226. 1.
4 *An pecuniâ, vel re distractâ cum vtilitate, loci pij cesset obligatio missarum.* 226. 1.
5 *An pecunia distractâ sint loci pij vtilitate, teneantur præsentes, & successores ad onera.* 126. 2.
6 *An re pereunte ex culpâ ministrorũ loci pij, cesset obligatio.* 226. 2.
7 *An cesset obligatio si pecunia implicanda casu pereat furto.* 226. 2.
8 *An euictione fundi, cesset obligatio missarum.* 227. 1.
9 *An spatio centum annorum extinguatur obligatio missarum.* 227. 1
10 *An legatum cum onere fabricandi Monasterium cesset, si sit insufficiens.* 228. 1.
11 *An extinguatur legatum nolentis nubere, si postea pæniteat.* 228. 2.
12 *An destructo loco pro debeatur legatum.* 228. 2.
13 *An legatum relictum, cum fuerit Consul, cesset, si Consul sit ante mortem testatoris.* 228. 2.
14 *An defectu conditionis cesset legatum.* 228. 2.
15 *An cessante modo, deficiat legatum.* 230. 1.
16 *An cessante causâ, cesset legatum.* 230. 2.
17 *An prædicta locum habeant in legatis pijs.* 231. 1.
18 *An casu, vel euictione fundo pereunte cesset obligatio celebrationis.* 231. 1.
19 *An liceat conuentio, vt administrator loci pij recipiat in se onus faciendi celebrare, casu pereunte fundo,* 231. 2.
20 *An pereunte fundo ex negligentiâ, cesset obligatio in successoribus.* 234. 2.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.
De Amissione Legatorum ob nuptias.

SVMMARIVM. pag.231.2.

1 *An non parens conditioni possit recipere legatum.* 233. 1.
2 *An restitutio legati fiat ante sententiam per eum, qui non paruit.*
3 *An legatum relictum à quocunque cum conditione:* Si caste vixerit *perdatur vnicâ fornicatione.* 234. 2.
4 *An quod dicitur de viduâ intelligatur etiam de viduo.* 235. 1.
5 *An lucretur legatum:* Si castè vixerit *patiens oscula &c.* 235. 2.
6 *An qua per decennium castè vixit, si incipiat inhonestè viuere perdat legatum.* 235. 2.
7 *An perdat legatum* Caste viuendi *si nubat.* 235. 2.
8 *An perdat illud exercendo lenocinium.* 236. 2.
9 *An perdat illud:* Si in domo meâ castè vixerit, *nubendo.* 236. 2.
10 *An perdat legatum:* Donec castè vixerit *si primis annis seruat conditionem, & postea eam violat.*

CAPVT DECIMVM NONVM.
De Legatis Dotalibus.

SVMMARIVM. pag. 241.2.

ex

CAPVT VIGESIMVM.

De Cautione in Legatis præstanda.

SVMMARIVM. pag. 248. 2.

CAPVT PRIMVM DE LEGATIS IN GENERE.

SVMMARIVM.

1 *Legatus in genere masculino est persona officialis, in neutro autem est res alicui relicta in testamento.*
2 *Legatum est donatio relicta à testatore, & præstanda ab herede.*
3 *Genus in definitionibus exprimitur sine ulla restrictione.*
4 *Legatum non est pars essentialis, nec integralis testamenti, in eo tamen fit regulariter.*
5 *Legatum multiplex, Purum, Conditionale, Modale, & in diem. Annuum perpetuum, vel ad tempus, profanum, & piũ.*
6 *Purum, quod caret conditione, modo, & die, morte testatoris statim aquiritur legatario.*
7 *Conditionale, quod sub conditione relinquitur, vel de præsenti, vel de præterito,*
8 *vel de futuro, quæ propriè conditio est suspendens legatum usq; ad illius aduentum.*
9 *Conditio de futuro triplex. Potestatiua se tenens ex parte tantum legatarÿ; Casualis prouenięns à casu, seu ab extraneo; & mixta ex legatario, & aliâ personâ.*
10 *Conditio de futuro alia possibilis, quæ legato fauet; alia impossibilis ex natura, vel ex facto, vel ex prohibitione, & hæ*
11 *impossibiles non vitiant legatum, sed habentur pro non scriptis.*
12 *Conditione purificata legatum transit in purum, & statim aquiritur legatario.*
13 *Varia axiomata conditionum legatis adiunctorum, usq; ad 31.*
31 *Modale dicitur, quod modum habet adiunctum, & in dubio præsumitur conditionale.*
32 *In dubio legatum censetur conditionale non modale.*
33 *Modale est, quando onus sequitur acceptum legatum, conditionale, quando onus præcedit legatum.*
34 *Cautio danda est pro exequendo onere antequam habeatur legatum.*
35 *Si non fiat opus præscriptum, legatum acceptum est restituendum, si hoc expressit testator, immo, & si non expressit, modo adimpletio non fuerit facta impossibilis.*
36 *Missarum legata dicuntur modalia ex onere celebrandi.*
37 *Legatum in diem, in quo exprimitur tempus solutionis.*
38 *Legatum perpetuum quod est sine limitatione temporis.*
39 *In dubio censetur perpetuum.*
40 *Annuum, quod initio cuiuslibet anni soluitur.*
41 *Pium, quod fit locis pÿs, aut pauperibus, aut pro anima.*
42 *Legatarius immediatè succedit testatori.*
43 *Ab intestato volens venire adhuc tenetur soluere legata.*
44 *Quis bona testatoris continuò remanent obligata.*
45 Rectâ viâ .i. *nullo medio interposito.*
46 *Legatarius non plus iuris aquisiuit, quam fuerit in testatore, aut herede.*
47 *Testator legata dat legatarÿs, sicut hereditatem heredibus.*
48 *Legatum regulariter capitur de manu heredis, nisi legatarius habeat à testato-*
49 *re potestatem illud capiendi, maxime, quando est de re certa, & quando non est*
50 *soluenda falcidia, decretum Iudicis non requiritur, quando habet potestatem ca-*
51 *piendi à testatore; legatum aquiritur etiam ignoranti.*
52 *Aquiritur verius à morte testatoris, quando est purum, non à die adita hereditatis.*
53 *Purum ergo leagtum aquiritur à morte testatoris.*
54 *Conditionale à conditione purificatâ.*
55 *Axiomata 14. pro adimpletione conditionis in legatis.*

56 Legatum diei certi à quiritur à die mortis
57 testatoris; dies mortis relatus in legatarium facit legatum purum; in haredem conditionale.
58 Conditionale dat dominium purificatà conditione.
59 Dies appositus fauore legatarij facit legatum purum, & sic quasitum à morte testatoris, alias est conditionale.
60 In dubio dies incertus habendus est pro modo, non pro conditione, ac proinde esse legatum purum. In dubio, an dies sit appositus fauore legatarij, an haredis? pro harede, & proinde legatum esse conditionale.
61 Legati modalis dominium acquiritur à morte testatoris.
62 Transmittitur legatum à legatario ad suos haredes, quandocunq; illius habuit dominium antequam moreretur.
63 Purum statim transmittitur.
64 Conditionale purificatà conditione, & non ante.
65 Legatum in diem certum transmittitur antequam cedat dies.
66 Transmittitur legatum incerta diei apposita fauore legatarij, licet legatarius moriatur ante aditam hareditatem.
67 Non vero si dies sit apposita fauore haredis, si moriatur legatarius ante ad ventum diei, cum sit tunc conditionale.
68 Modale est transmissibile.
69 Legatum ad vitam non est transmissibile.
70 Vsusfructus non est transmissibilis, nisi id exprimatur.
71 Dominium legati solo testamenti titulo legali transit in legatarium.
72 Possessionem hareditatis, & legatorum testator facto suo non potest continuare in illos, sed necessarium est proprium factum illorum.
73 Possessio aquiri non potest, nisi animo, & facto proprio.
74 Voluntas non datur in eo, qui caret anima.
75 Falcidia est detractio à legatis facta ab harede, quando ex hareditate non habet 4. partem bonorum.
76 Falcidia detrahitur à legatis profanis,
77 nisi eam expressè prohibuerit testator.
78 Ex re certà legatà.
79 Legitima filiorum non admittit falcidiam.
80 Neque dos mulieris pauperis.
81 Neq; ille, qui omisit inuentarium, potest petere falcidiam.
72 Surripiens, & occultans de bonis hareditatis non potest petere.
83 Si integre soluit legata, non potest petere falcidiam.
84 Non soluens legata infra annum, non potest petere falcidiam.
85 Ex bonis prohibitis alienari non detrahitur.
86 Falcidia non detrahitur à legatis pijs, nisi mandauerit testator, quod non pla-
87 cet, quia ille non potest disponere contra leges.
88 Si legata absorbeant totam hareditatem, tunc detrahitur.
89 Trebellianica detrahitur, ex fideicommissis vniuersalibus per grauatum, falcidia ex solis legatis particularibus.
90 In legatis, & fideicommissis vniuersalibus pijs grauatus non detrahit Trebellianicam.
91 Falcidia detrahi potest ex legatis pijs, quando instituta fuit causa pia.
92 Hares dicitur, adeundo hareditatem quasi contrahere eum legatarijs.
93 Pignus res mobilis obligata creditori, immobilis hypoteca vocatur.
94 Locum habent in legatis pro securitate legatariorum, vnde res libera testatoris
95 hypotecata remanent pro solutione legatorum.
96 Legatarius potest vti Saluiano pro suo legato.
97 Viâ executiuà non exigitur legatum, sed ordinariâ.
98 Legatum non præsumitur duplex in eadem dispositione.
99 Ex circunstantijs comparatiuis discernitur persona legataria, quando non habent easdem omnino qualitates.
100 Ecclesia æquiuocæ debetur legatum vniuocæ, hoc est, pauperiori.
101 Legatum directum Ecclesia, vel monasterio, vbi sunt plura eiusdem nominis, debetur vel pauperiori, vel in qua habet sepulturam, vel parochiali &c.
102 Legatum de rebus incertis, vel exprimitur genere generalissimo, vel subalterno, vel infimo.
103 Legatum relictum sub genere generalissimo, vel subalterno vt lego animal, nullum est, quia dare potest muscam.
104 Legatum generis infimi habens fines à natura determinatas valet, vt arbor, equus.
105 Si habet fines ab homine determinatos vt arte facta valet, si est apud testatorem.
106 Si nullos habet fines, nec fuit demonstratum, valet legatum, vt legatum fundi rustici.
107 Electio legati non determinati spectat ad eum ad quem verba referuntur.
108 Idem dicendum in alternatiuis, aliter electio spectat ad legatarium, nam in alternatiuis electio est debitoris; verificatur in contractibus.
109 Inter legatarios eligit prius nominatus.
110 Minus in dubio soluere in legatis profanis.

111 Ma-

111 Maius verò in legatis pijs.
112 Interpretatio triplex, legalis, iudicialis, & doctrinalis, hac in vsu est apud aduocatos legatariorum.
113 Interpretatio non habet locum, vbi verba testatoris sunt clara.
114 Voluntas, & mens testatoris latè est interpretanda.
115 Ad fauorem haredis maximè in legatis profanis.
116 Ad fauorem legatarij, si apparet valde dilectus à testatore.
117 Quando dubitatur de existentià legati fauendum legatario.
118 Ad fauorem legatarij in legatis pijs, quia fauor est etiam testatoris.
119 Axiomata 18. pro interpretanda mente testatoris. ad 136.
136 Si voluisset, expressisset. Testamentum non cantat, neque ego cantabo.
137 Diligit magis suos, quàm extraneos in le-
138 gatis profanis, in pijs verò magis extraneos, non tamen filij sunt exharedandi
139 pro causà pià.
140 Legatum fit ex bonis non tantùm proprijs, sed etiam ex alienis cognitis, vt talibus,
141 & tunc tenet; non verò tenet profanum
142 si ignorabat rem esse alienam; valet verò factum sibi coniunctis, siue sciebat rem
143 esse suam, siue ignorabat; valet quoq;
144 legatum pium de re alienà, siue sciat testator, rem esse alienam, siue non.
145 Æstimatio autem tradenda est, quando dominus non vult vendere rem suam.
146 Nec contrarium sentit ius Canonicum.
147 Si legat rem super quam aliquod ius habebat, illud tantum ius censetur legatum.
148 Onus probandi scientiam testatoris in profano spectat ad legatarium.
149 Legatum de re debità factum creditori valet, & aliquando importat compensatio-
150 nem, aliquando non, iuxtà coniecturas,
151 quauis autem leuis coniectura non excludit compensationem.
152 Vestium nomine etiam pracisa nondum suta veniunt.
153 Alimentorum nomine venit victus, vestitus, habitatio, & medicina.
154 Valet legatum omnium bonorum, licet instituatur hares post eius mortem.
155 Vxor vsufructuaria omnium bonorum habet tantum alimenta, non omnes fructus, nisi quando extraneus instituitur.
156 Vsufructuarius non potest cadere arbores, nisi caduas.
157 Vsufructuarius omnium bonorum simul cum harede soluit debita testatoris.
158 Hares soluit legatum semel soluendum, vsufructuarius annuum.
159 Legatarius soluit onera etiam extraordinaria collectarum.
160 Actionibus tribus petitur legatum, actione testamentarià, vel vindicatione rei, vel hypotecarià.
161 Fructus rei frugifera debentur simul cum
162 legato, infrugifera verò à die litis con-
163 testata. quando legatum fuit purum; alias à purificatà conditione.
164 Mora vnicuiq; nociua, nec intelligitur, vbi nulla praecessit petitio.
165 Legatum de re certà perit legatario effecto
166 domino; de re indeterminatà, vel in morà perit haredi.
167 Repudiari potest legatum statim post
168 mortem testatoris, siue sit purum, siue non.
169 Repudiatum, censetur ac si nunquam fuisset factum.
170 Ecclesia potest repudiare legatum sibi factum.
171 Repudiare est non aquirere id quod delatum est nondum incorporatum inter bona eius, qui repudiat. Alienare verò est incorporatum extrahere à corpore aliorum bonorum.
172 Repudiatio legati pupillaris est alienatio, sed impropriè.
173 Repudiatio fit à Pralato sine solemnitate.
174 Pralatus in aquirendis Ecclesia solus praiudicare potest, non in aquisitis.
175 Vltra vires hareditatis hares in foro conscientia ad nihil tenetur, cogitur tamen in foro externo, si prasumatur (cum scilicet non confecit inuentarium, vel surripuit aliquid) habuisse aliud.
176 Legatum speciale derogat generali.
177 Legata profana incertis personis facta sunt nulla.
178 Valent verò si sint pia.
179 Quamuis sint incerta etiam quo ad rem.
180 Aquiruntur à puncto electionis persona.
181 Legatarius dicitur quasi hares.
182 Excessus dotis ex errore non venit sub dote.
183 Dos legata debetur post mortem legantis, non, nisi post annum si sit in mobilibus.
184 Referens falsum non attenditur, sed relatum verum.
185 Errantis nulla voluntas, nullus consensus.
186 Error nulli debet nocere, neq; mutare substantiam rei.
187 Calculi error semper emendari potest.
188 Asserta quantitas ex pompà nō attenditur.
189 Instrumentis lux veritatis assistit, & faciunt rem certam.
190 l. Cum scriptum 7. ff. de dote per leg. & instit. de legatis §. sed si vxor explicantur.
191 Causa falsa demonstrans non vitiat legatum.
192 Restituere importat redditionem accepti.

1 NOMEN *Legati* sumitur dupliciter. *Primò* personaliter in genere masculino, secundum quod dicimus Legatum e.g. Cardinalem missum à latere Pontificis ad gubernandam aliquam Prouinciam, & de hoc non loquimur. *Secundò* realiter pro aliqua re à testatore relictâ in suo vltimo testamento; & in hoc sensu, hic agendum est de legatis, in quo sensu veniunt etiam serui, cum sint res, quæ legari possunt. Dixi *pro aliqua re*, quia verbum *Lego* si referatur ad vniuersitatem bonorum, tunc legatum non est, sed restitutio, *Doct. in cap. Raynaldus 18. de testam.*

Quæres 1. Quid sit legatum? & an sit pars testamenti?

2 ℞. ad primum. Triplicem assignari definitionem. Prima ex l. Legatum 119. ff. de legat. 1. sub his verbis: *Legatum est delibatio hæreditatis, qua testator ex eo, quod vniuersum hæredis foret, alicui quid collatum vellit.* Verbum *delibatio* significat diminutionem bonorum hæreditatis, ex qua detrahitur legatum dandum ab hærede legatario. Secunda *ex l. legatum 37. ff. de legat. 2. Legatum est quadam donatio testamento relicta.* Demum tertiam ex illis tradit instit. de legat. sic. *Legatum est donatio quadam à testatore relicta ab hærede præstanda.* Non bene additum fuit illud verbum *quadam*, quia in definitionibus, genus, vt est *donatio* non est restringendum, ex quo facit definitum conuenire cum alijs participantibus idem genus; sicut non licet definire, quod homo sit quoddam animal, sed simpliciter, quod est animal, nam quoddam animal non est genus, sed species, aut indiuiduum sub genere contentum. 3

℞. Ad secundum, legatum non est pars essentialis, nec integralis testamenti, quia satis notum est, testamenta subsistere essentialiter, & integraliter sine legatis, non enim omnes testatores dum instituunt, legant. ita omnes cum *Mar. Socino in Rubr. de legat. 1. num. 19 Grassus q. 2. de legat* qui cum alijs dicit, esse partem accidentalem, & accessoriam testamentis, si in illis exprimatur, *Crotus de testam. num. 6. Craueta ibid. num. 16.* Vide *Pasqual. q. 986. num. 3.* qui ab his parum differt. 4

Quæres 2. Quotuplex sit legatum?

℞. Multis modis diuiditur. *Primò* in ordine ad modū illud faciendi, & quadruplex est, Purum, seu absolutum, Conditionale, Modale, & in diem. *Secundò* in ordine ad tempus, & aliud est annuū, quod diuiditur in perpetuum, & ad tempus, quod singulis annis soluitur, aliud est, quod semel soluitur. *Tertiò* in ordine ad finem, & quibus fit, & aliud est Profanum, alud Pium. De singulis agendū. 5

Quæres 3. Quid sit legatum Purum?

℞. Est illud, quod caret conditione, modo, & die, cuius natura est, vt post mortem testatoris statim aquiratur legatario, cui debetur ab hærede. Idem autem est, quod vocatur Absolutum, quia absoluitur à conditione, modo, & die, cum quibus ex quo non est cōpositum appellatur etiam Simplex. Quandòq; legatum purum fit pœnale, cum scilicet legatario adiungitur aliquod onus, quo non impleto, priuatur legato, *Rota p. 9. decis. 201; num.* 4. quandòq; in re est purum, licet illis expressium iuxta inferius dicenda. 6

Quæres 4. Quid sit legatum Conditionale?

℞. Est illud, quod sub conditione relictum fuit. Triplex autem est conditio in ordine ad tempus. *Prima* dicitur de præterito, vt, *Lego tibi centum, si est mortuus tuus pater*. *Secunda* de præsenti; *Lego tibi hanc domum, si nullam habes*. Si ambæ veræ sunt, legatarius lucratur, si falsæ nihil aquirit, *l. cum in secundo 16. ff. de iniusto rupto. l. conditio 100. ff. de verb. sign.* Demum *Tertia* de futuro, conditio propriè dicta, quæ suspendit subsistentiam legati, 7 8

legati, donec purificetur; vt, *lego tibi centum, si duxeris Bertam*. Tuum non est legatum nisi contracto matrimonio; ita omnes *cum Angela v. legatum* 1. *num*. 51. *Silu. num*. 2. *Tabiena num*. 48. *de Lugo disput*. 24. *de iust. num*. 243. Vide *cap*. 17. *q*. 13. vbi de dictionibus importantibus conditionem.

9 Pro intelligentiâ sciendum est, quod conditio de futuro triplex est. Potestatiua, cuius euentus pendet à legatario; vt, *Lega tibi centum si ibis Venetias*, Casualis est illa, cuius euentus non pendet à legatario; vt, *Lego tibi centum, si Nauis venerit ex Indijs*. Mixta est illa, cuius euentus partim pendet à legatario, partim non; vt, *lego tibi centum, si duxeris Bertam in vxorem*. Ita *de Lugo disp*. 24 *n*. 244. *Layman lib*. 3. *tract*. 5. *cap*. 10. *n*. 10. *Castropal. par*. 7. *de iust. tract* 32 *disp*. 1. *p*. 7. *num*. 6. *Sanch. lib*. 2. *cap*. 14 *num* 13.

10 Conditio pariter de futuro respectu actus est duplex, vna possibilis, vt patet in exemplis allatis, quæ proinde ex sua possibilitate, & honestate magis fauet existentiæ legati, quam quod ei absit ex capite suæ bonitatis. Altera impossibilis, quæ scilicet non potest deduci in actum, saltem moraliter, & huius generis conditiones sunt in triplici differentia. Aliæ sunt natura impossibiles; vt, quod filius sit maior patre. Aliæ sunt tales de facto; vt, si tetigeris cœlum digito; si in triduo refeceris domum. Aliæ dicuntur impossibiles de iure, quia prohibentur, & sunt turpes; vt, si peccaueris, si percuties, si duxeris consanguineam sine dispensatione, &c. *Castropal. cit. num*. 3.

11 Legatum igitur factum sub aliqua ex dictis conditionibus futuris impossibilibus non vitiatur, sed subsistit, & valet, quia similes conditiones habentur pro non adiectis. Ita *l. si quis* 4. *l. si quis* 6. *l quæ sub conditione* 8. *ff. de condit. instit l. Obtinuit* 3. *ff. de cond. & dem.* Et ratio est, quia impertinens non debet vitiare, quod de se natum est esse. Ita docent *Sanch. lib*. 7. *cap*. 17. *num*. 2. *de Lugo disp*. 22. *num*. 370. *Castropal. disp*. 1. *p*. 7 *num*. 4. Dixi *de conditionibus futuris*, quia præterita conditio licet turpis non vitiat legatum, quia non inducit peccatum, sed illud supponit, vnde tenet hoc legatum conditionatum. *Lego centum Petro*, si anno præterito habuit filium illegitimum, *de Luga num*. 373. vbi quod nec vitiat matrimonium secundū *D. Thomam in 4. dist*. 29. *q. Vn. art*. 3. *q*. 3. *Sāch. lib*. 5. *disp*. 15. *n*. 5.

12 Purificatâ conditione, legatum statim transit in absolutum, & purum, quia conditio, quæ euanuit per aduentum effectus expressi in testamento non amplius potest tenere logatum in suspenso, dum illa non est.

Super legatis conditionalibus aliqua obseruo in sequentibus, quæ faciant ad intelligentiam dictorum.

13 Ex conditione impossibili putatâ possibili à testatore adhuc vitiatur legatum, *l. Seruo* 58. *ff. de cond. indeb.* intellige de præterito, quia ille seruus putabatur manumissus, & non erat.

Turpia legata pro non scriptis habentur, *l.* 14
Turpia 57. *ff. de leg*. 1.

Si conditio potestatiua deficit per casum, 15
legatum non perimitur, *l. Turpia* 57. §. *sed, & si ff. de leg*. 1.

Legatum debetur, licet modus per casum 16
deficiat, *l. si Titio* 95. *ff. de legat*. 1.

Conditio adiecta in institutione non vide- 17
tur repetita in legato eidem alio gradu relicto, *l. Ab omnibus* 107. §. *in testamento. ff. de legat*. 1.

Si non stat per legatarium conditio vide- 18
tur adimpleta, *l. Titia* 35. §. *si ea ff de legat*. 2.

Legatum ante aduentum diei, vel condi- 19
tionis non potest repudiari, *l. si ita* 46. §. *Si sub ff. de legat*. 2.

Causa falsa non vitiat legatum, *l. si ita* 12. 20
ff. de cond. & demonst. si de corpore constat. *l. demonstratio* 17. *eod.* nisi conditionaliter sit expressum, *l. ead*. §. *quod autem ff. eod.*

Conditio, quæ tacitè inest, expressa non 21
facit legatum conditionale, nisi testator aliter voluerit, *l. in conditionibus* 19. §. *Hæc scriptura ff. de cond. & demonstr.*

Legatario mortuo pendente conditione, 22
legatum extinguitur, *l. Interdicit* 58. *ff. de cond. & demonstr.*

Morte grauati non extinguitur legatum 23
conditionale, *l. Legata* 64. *ff. de cond. & dem.*

Conditio de futuro, quæ implicat aliquod 24
præteritum, vel præsens, si est impossibilis vitiat, secus si est possibilis, & deficiat, *l. cum tale* 71. §. *Falsum ff. de cond. & demonstr.*

Conditio de præterito, & præsenti falsa 25
non suspendit, sed vitiat legatum, *l. Eas causas* 79. *ff. de cond. & demonstr.*

Conditio de futuro possibilis suspendit do- 26
nec sit impleta, *l. Eas causas* 79. *ff. de cond. & demonstr.*

Si legatum conferatur in mortem hæredis 27
est conditionale, secus si in mortem legatarij, *l. si cum* 4. *ff. Quanda dies legat.*

Conditio adiecta institutioni non videtur 28
adiecta legato præcedenti, *l. Filiusfamilias* 27. *ff. Quando dies*. Vide *supra num*. 17.

Conditio impossibilis de iure non vitiat le- 29
gatum, sed ipsa vitiatur, & reijcitur, *l. Ab administratione* 8. *C. de legat.*

Sufficit pro obtinendo legato, quod con- 30
ditio in momento temporis sit adimpleta, *l. cum vxori* 4. *C. de legat.* intellige, nisi habeat tractum successiuum, vt studium, *Gratian. cap*. 217. *num*. 84.

Quæres 5. Quid sit legatum modale?

℞. Est illud, cui addijcitur modus impor- 31
tans grauamen, & onus exequendum à legatario. *Cod. de donat. quæ sub moda. Glos. V. conditione cap. Verum* 4. *de condit.* vbi Ca-

non.

Digitized by Google

non. Castropal. par. 7. de iust. tract. 32. disp. 1. p. 8. num. 2. de Lugo disp. 24. num. 245.

32 Quoniam autem modus magnam habet affinitatem cum conditione, in dubio, si ex verbis legati non potest discerni modus à conditione, præsumendum est, legatum esse conditionale, non modale, *ex l. ff. testatore 108. ff. de cond. & dem. Molina lib. 2. de primog. cap. 2. num. 62. alter Molin. tract. 2. de iust. disp. 208. Castropal. disp. 1. p. 8. num. 2. Anton. Gomes tom. 2. Var. cap. 12. num. 72. de Lugo disp. 24. num. 246.* Alij dicunt præsumendum esse modale cum *Pasqual. q. 1082. num. 2.*

33 Facilis tamen est discretio inter vtrunq; nam si testator vult, vt onus exequatur antequam habeatur legatum, certe est illud condiri onale; vt *lego tibi mille ea lege, pacto, & conditione si duxeris in vxorem filiam meam.* Nam hic legatum datur post matrimonium contractum, ac proinde est conditionale tale legatum. Si vero vult, vt prius habeatur legatum, & deinde fiat opus impositum, legatum est modale; *vt lego mille tibi, vt mihi ædifices sepulcrum, vt mihi celebres tot. missas &c.* Ex his enim manifestum est, opus esse faciendum ex pecunijs legatis, ergo prius est soluendum legatum, & postea onus exequendum, & ita docent præcitati.

34 Legatum autem modale peti non potest, nisi caueatur de modo adimplendo, promittendo opus iniunctum à testatore. *l. si tibi 19. ff. de legat. 3.* Modus autem non suspendit, nec legati substautiam vitiat, sed differt, donec sit præstita cautio de modo implendo, *l. eas causas 79. ff. de cond. & dem.* Legatarius autem non cogitur subire onus adiectum à testatore, nisi soluto legato cum cautione. *l. Eum cui 8 ff. de fideicom. libertat.* Reuocato autem legato, censetur reuocatum onus adiectum. *l. Pamphilo 37. §. duas ff. de legat. 3.* immo si legatarius non exequatur opus à testatore impositum, priuatur legato sibi soluto, *l. Liberto 21. §. Lucius ff. de annuis leg.* Legato finito, finitur etiam onus adiectum, nisi mens testatoris aliter appareat, *l. Stichus 20 §. Titia ff. de alim. & cibar. letga.*

35 Quando testator, vel donator relinquit legatum cum onere faciendi aliquid ecclesiæ, expressà pænà reuocationis, si non fiat, tunc legatarius non potest tibi retinere legatum, vt expresse colligitur *ex cap. Verum 4 de condit.* Si vero nulla fiat mentio reuocationis, putant remanere posse legatum pium apud ecclesiam, quia censetur factum in honorem Dei, & salutem animæ. *Ita Castropal. p. 8. n. 8. Barb ad citatum cap. num. 2. de lunga disp. 24. num. 249. qui ex Medina de reb. restit. q. 24.* notat, id verum esse, nisi aliud constet de mente testatoris, id tamen mihi durum videtur, quia expressa voluntas testatoris est, vt illud fiat, ergo si non fiat, legatum restituendum est *arg. l. 1. ff. de condict. ob caus. cap. 5. de donat inter vir.*

In casu vero, quo nõ possit impleri onus legato impositum ex aliqua legitima causa, vel quia erat onus in potestate tertij, qui noluit, vel mortuus est, non reuocatur, quià hæc impossibilitas censetur ac si ab initio fuisset, quæ non vitiat, *ex l. 1. C. de donat. sub modo Layman. lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 4. Castropal. p. 8. num. 9.* Legata ergo pia ecclesiæ, vel locis pijs non perduntur, si ex impotentia non potest fieri opus, debet nihilominus conuerti in aliud pium opus, vt dicam suo loco.

Colligitur hinc, legata, quæ constant ex oneribus missarum dici modalia, vnde eis applicanda sunt, quæ diximus in genere de legatis modalibus, excepto eo, quod non satisfacientes suo muneri tenentur restituere elemosinam receptam, vt latius dicam suo loco. Vide citatos à *Pasq. q. 1082. num. 1.* 36

Quæres 6. Quid sit legatum in diem?

℞. Est illud, in cuius dispositione assignatur tempus, & dies, quo soluendum est, *ex leg. ff. quando dies legati cedit*, Vbi *l. 4.* si legatum confertur in mortem hæredis est conditionale, secus si in mortem legatarij. Conditio tacita ex testamento procedens impedit diem legatorum cedere, secus si extrinsecus veniat, *l. quod pure 6. ead.* Tempus certæ ætatis adiectum causa legatarij, diem facit, non conditionem, *l. Firmio 26. §. cum ab hæredibus ff. quando dies legati.* Legatum ante aduentum diei, vel conditionis non potest repudiari, *l. si ita 46. §. si sub ff. de legat. 2.* Legatum in diem incertum non cedit nisi adueniente die incerto, & si interim decedat legatarius, non transmittitur, sed vadit ad substitutum, vel coniunctum, vel manet hæredi testatoris. *l. 1. §. sin autem C. de caducis* tollendis. 37

Quæres 7. Quid sit legatum perpetuum, & ad tempus? Vide infra *q. 55.*

℞. Legatum perpetuum est illud, quod relinquitur sine limitatione temporis. Ad tempus vero est illud, quod tempore præfinitur à testatore illud autem censetur perpetuum, quod conceditur ad vitam hominis, & quousq; vixerit, id enim non tollit rationem perpetui, cum vita hominis dicatur perpetuari vsq; ad mentem, & vitam eius, dum certam temporis, mensurà non habet, intra quam sit victurus, *l. Suffiet 16. ff. de condict. indeb. Glos. V. Perpetuus cap. fin. de rescr. in 6.* recte dicitur perpetuo viuere vsq; dum moritur. A fortiori dicitur perpetuum, si relinquatur hæredibus hæredum, *Couar. lib. 3. Var. cap. 9. num. 10. Vers. quarto, fine, Ciarlin cap. 143. num. 33. Vide Barb. hac dict. 254.* 38

In dubio autem an legatum sit perpetuum, an ad tempus? Censendum est perpetuum, dum non apparet conditio restringens tempus. *Rota par. 4. tom. 3. resol. 563. initio.* 39

tio. Et eius perpetuitas bene colligitur ex annuis solutionibus, quæ important succesſionem interminatam.

Modo agendum eſt de legato annuo, quod eſt genus ad perpetuum, & ad tempus legata.

Quæres 8. Quid ſit legatum annuum?

40 ℞. Eſt illud, quod initio anni ſingulis annis ſoluitur, *l. 1. C. quando dies legat. l. si legatum 5. ff. de annuis legat.* Primo autem anno dicitur purum, in ſequentibus conditionale, ſi ſcilicet vixerit legatarius, *l. si in ſingulis 4. ff. de annuis leg.* Vbi quod legatum differt ab vſufructu, nam ſi legatarius moriatur initio anni relinquit legatum illius anni ſuo hæredi; *l. ff. vobis 5. ff. ead.* vſufructuarius vero nihil relinquit, licet fructus ſint maturi, & nondum collecti, quia ſunt proprietarij. *Seraph.* 1454.

Quæres 9. Quid ſit legatum Pium, & Profanum?

41 ℞. Pium eſt illud, quod relinquitur ad honorem Dei eccleſijs, vel locis pijs, aut pro animæ ſuffragio, vel pauperibus, ſeu religioſis, debet in eo relucere pietas, & amor Dei. Profanum quod his caret. De legatis pijs agam infrà in ſuo capite.

Queres 10. An legatarius immediatè ſuccedat teſtatori, an hæredi? ideſt, an teſtator ſicut immediatè dat hæreditatem inſtituto, ita & immediatè det legatarijs legata?

42 ℞. Legatarius immediatè ſuccedit teſtatori, non hæredi, qui à virtute teſtamenti aquirit ius ad legatum, non ex vi hæreditatis, quæ quandoq; non aditur, & tamen legata debentur, cum ſcilicet eandem adit titulo inteſtati,
43 *ex l. 1. §. fin. & l. Licet 2. ff. si quis omiſſa Cauſ. teſtam.* & licet *in l. si nemo 9. ff. de teſtam. tutela*, dicatur: *Si nemo hæreditatem adierit, nihil valet ex ijs, quæ teſtamento ſcripta ſunt, si vero vnus ex pluribus hæredibus adierit, tutelæ ſtatim valent.* Tamen Bartolus ibidem num. 4. & 5. ait valere hodie relicta in teſtamento, quando heres non adit hæreditatem prohibitus detrahere falcidiam, vel etiam quando vnus eſt inſtitutus in certà parte. Confirmatur, quia bona teſtatoris immediatè remanent obligata, præſertim talis res numero relicta, vnde dicitur rectà
44 vià tranſire ad legatarium, *l. Legatum 28. ff. de legat. 2. l. ff. Titio 66. ff. de furtis.* ergo cum rectà via legatum tranſeat ad legatarium, is immediatè ſuccedit teſtatori, non hæredi, hoc enim important illa verba *re-*
45 *ctà vià* ideſt nullo interpoſito medio. Vlterius legatarius, quando legatum non eſt ſubiectum falcidiæ, poteſt illud capere independenter à manu hæredis, vt mox probabo, ergo ſuccedit immediatè teſtatori defuncto. Hanc communem dicit *Craſſus q. 70. num. 2.* dum dicit, dominium legati tranſire immediatè in legatarium.

Contrariũ docet *Caram. in ſua Theol. fund. num. 1292. Regula 160.* vbi, quod defunctus omnia dat hæredi cum onere ſoluendi legata, ſecundum Vlpianum, nam ſi fundus, qui legatur Petro à Franciſco immediatè tranſiret ad Petrum nunquam illum habuiſſet, aut poſſediſſet heres, & malè Vlpianus diceret legatarium habere tantum ius, quantum heres, ex eo enim retulerat verba eius, quæ ſunt hæc: *Abſurdum eſt plus iuris habere eum, cui* 46
legatus eſt fundus, quam hæredem, aut ipſum teſtatorem, si viueret. Et infra ſub *num. 1308. Reg. 181. ex l. si nemo*, de qua ſupra, probat inquiens ſanè ſi legata immediatè à teſtatore darentur, tenerent, etiam ſi nemo hæreditatem adijſſet, non enim penderent legatarij ab hærede, at quia dantur mediatè, & ab hærede accipienda ſunt, ſublato hærede in aere hærent &c.

℞. Teſtatorem vnicuiq; dare diſpoſitum, 47
nempe bona nulli relicta, hæredi; alijs vero relicta, legatarijs, quod patet ex ſtilo Notariorum, qui premiſſis legatis ſic proferunt inſtitutionem: *In omnibus vero alijs ſuis bonis præter diſpoſita inſtituit &c.* Per hanc enim clauſulam excluduntur alia bona, de quibus ſupra diſpoſitum fuit, *Fulgoſ. conſ. 99. Decius conſ. 653. num. 5. Socin Iun. conſ. 107. num. 47. lib. 3. & conſ. 89. num 9. lib. 4. apud Theodoſ. Rubeum clauſ. 417.* Nec obſtat, quod ait *Paris lib. 3. conſ. 54. num. 48.* & ex eo *Seraphim. dec. 83.* eam clauſulam non operari, quod heres vniuerſalis non ſit etiam inſtitutus in legatis. Quia id verum eſt reſpectu legatorum ad tempus, & conditionalium, & indeterminatarum rerum, non verò reſpectu certorum relictorum, quæ immediatè tranſeunt in legatarium.

Itaque reſpondetur ad primum argumentum Caramuel. per hoc legatarium non habere plus iuris hærede, dum habet ſolum ius ſibi competens dependenter à teſtatore, qui illis diuiſit iura vnicuiq; dando propria, & ſemper verum eſt dicere, quod hæres habet plus iuris, quam legatarius, quia is eſt ſucceſſor particularis, ille verò vniuerſalis. Ad ſecundum patet ſupra legatum non hærere in aere.

Quæres 11. An legatum ſit capiendum de manu hæredis?

℞. Capiendum tunc eſt de manu hæredis 48
cum eſt de re indeterminatà, & quando ſoluenda eſt falcidia, non verò ſi ſimul eſt hæres eiuſdem rei, vel datur ei facultas proprià manu capiendi illud.

Primum, quod ſit capiendum de manu hæredis, colligitur *ex inſtit. de legat. §. 1.* Vbi dicitur, quod præſtandum eſt ab hærede; ergo ab eius manu capiendum, immò eo priuatur, ſi proprià auctoritate id capit, *l. non eſt dubium. 5. Cod. de legat. Gloſ. V. Petendo Cap. Raynaidus 18. de teſtam.* Ac proinde poſt aditam hæreditatem, *l. omnia 32. ff. de legat.*

legat. 2. Alex. lib. 7. conf. 198. num. 7. Roman. conf. 428. Gratian. cap. 922. num. 28. Quia aditione hæreditatis magis confirmatur ius legatarij ad petendum, *Ripa in l. Sciendum ff. de legat. 1. num. 18. Couar. de testam. p. 3. num. 22. Gomez Var. cap. 4. num. 16. Rota p. 9. dec. 41. num. 16.*

Secundum, quando est de re indeterminatâ, probatur, quia tunc hæres dicitur institutus etiam in eo legato confuso cum bonis hæreditatis, ideò ab eo petendum est, qui solus potest discernere alienum à suo.

49 Tertium, quando non est soluenda falcidia, probatur, quia in tantum petitur ab hærede, in quantum in eo habet interesse; sed in hoc casu nullum habet interesse, ergo potest illud capere independenter ab hærede. Ita Legista *in l. 1. C. Quorum legat. Rota par. 9. dec. 335. num. 11. Ciarlin. cap. 28. num. 8. Gratian. cap. 87. num. 10.* & sic ante aditam hæreditatem *Couar. in cap. Raynaldus §. 3. n. 11.* Procedit siuè legatum sit pium, siuè profanum, *ex citatis cum Capra conf. 3. fine, Gomez. lib. 1. conf. 140.* Quia nulla alia ratione petitur ab hærede, nisi vt possit detrahere sibi falcidiam,

Quartum, quando simul est hæres, & legatarius, probatur, quia cum sit hæres licet particularis, non eget alio hærede, cum in tali casu omninò sint dispatati, & vnus non subordinetur alteri, sed ambo immediatè testatori. Ita *Alex. in l. quoties C. de hered. instit. num. 4. Franch. dec. 293. num. 4. Rota par. 9. dec. 152. num. 26.*

50 Quintum, cum testator, dat legatario potestatem capiendi legatum perscriptum, probatur, quia quilibet rei suæ cum sit arbiter, & moderator, apponere potest, quod sibi placet, *l. sed, & si 28. §. consuluit ff. de pet. hered. l. in re mandata 21. C. mandati.* Testator enim liber omninò est ab hærede, à quo nullatenus dependet in constitutione sui testamenti. Ita *Alex. in l. Nemo ff. de legat. 1. Iason in l. Quoties C. de hered. inst. num. 8. Gratian. cap. 47. num. 12. Rota par. 9. dec 335. num 10.* Nonnulli dicunt tunc esse capiendum per decretum Iudicis *cum Iasone lib. 4. conf. 146.* sed id est tantum de consilio, *Gratian. cap. 47. num. 18. Surd. lib. 2. conf. 265. fine, Rota cit. num. 13.*

Demum praxis est ferè omnium, vt petatur ab hærede ex quo præstandum est ab illo tamquam executore, in hoc, voluntatis testatoris, qui illi confidit omnia sua bona.

Quæres 12. Quando nam aquiratur dominium legati? Certum est *primo*, non aquiri ante mortem testatoris, dum enim testamentum non recipit vires, nec stabilitur nisi per mortem, inde fit, vt nec legatum subsistat, nisi post mortem legantis, ac proinde non possit aquiri ante illius existentiam, aquisitio enim supponit existentiam rei aquirendæ, cum non entis nullæ sint qualitates, & effectus. *Secundo*, legatum aquiri non solum habenti illius notitiam, sed etiam ignoranti, *l. cum pater 79. §. Surdo ff. de legat. 2.* His vti certis suppositis circa quæstionem duæ sunt opiniones. Prima, quod legatario aquiratur dominium rei relictæ ab adita hæreditate, & non ante, *l. si tibi homo 88. §. cum seruus ff. de legat. 1.* Secunda, quod aquiratur à die mortis testatoris, sicut enim confirmatur testamentum, ita, & legatum, cum eius sit pars, *l. A Titio 66. ff. de furtis* Prior lex est Iuliani imperatoris ab anno 361. Posterior Martiani regnatoris ab anno 450. ergo hæc præualere debet priori, *l. sed 28. & l. fin. ff. de legib.* 51 52

Quæres 13. Quandonam aquiratur dominium legati puri relicti sine die, modo, & conditione ipsi legatario?

℞ A die mortis testatoris *ex l. A Titio 66. ff. de furt. l. Legatum 82. ff. de legat. 2.* in quibus locis dicitur, quod rectà via transit ad legatarium, tunc autem transit rectâ viâ, cum nullum tempus est expectandum ad eius aquisitionem præter mortem testatoris. Comparantur enim hæres, & legatarius in ea *l. 82. & l. in tempus 62. ff. de hered. instit.* sed hæres est dominus à morte testatoris, ergo, & legatarius. ita *Gofredus in l. Paterfilium §. fundum, de fideicom. 3. ibidem Alciatus, Bartol. lib. 1. conf. 76. Alex. lib. 1. conf. 14. num. 4. cum alijs Gratian. cap. 136. num. 2. Rota par. 5. tom. 2. dec. 602. num. 17.* Vbi dicit, quod legatarius in suo legato post obitum solum testantis plenum ius aquirit. Procedit, licet res relicta sit indeterminata, ex quo enim postmodum sit determinanda ab hærede, non suspendit dominium, sed tantum retardat determinationem, & traditionem rei faciendam per hæredem. 53

Quæres 14. Quandonam aquiratur dominium in legatis conditionalibus?

℞ A purificatione conditionis, & non ante debentur *l. legata 41. ff. de condit. & demonstr. l. 1. §. sin autem C. de caducis tollend.* immo pendente conditione legati hæres potest rem legatam vna cum fructibus reuocare à legatario, cum nondum sit sua, *l. Omnia 32. §. Fundum ff. de legat. 3.* Est communis *Gratian. cap. 250. num. 13. Couar. lib. 1. Var. cap. 9. num. 5. Iason. in l. 1. ff. de legat. 1. num. 115.* ea ratione, quia cum conditio nihil ponat in esse *l. si quis 8. ff. si quis omissa causa l. Cedere 213. ff. de verb. signif.* non ponit legatum, sub qua factum est, neq; proinde dominium tribuit legatario, cum accidens non possit esse sine suo subiecto, dum ergo pendet nihil operatur, sed solum positâ eius adimpletione incipit existere legatum, & dominium in legatario. 54

Pro cuius explicatione pono sequentes regulas de conditione quantum facit ad præsens 55

sens negotium. Prima; conditio de præsenti, vel præterito non suspendit, sicut de futuro, *l. cum, ad præsens 37. ff. de reb. cred. l. conditio 100. ff. de verb. obligat. Instit. de verbor. obligat.* Ideo quæstio præsens procedit de conditione de futuro, ex quo hæc sola suspendit. Secunda; habetur conditio pro impleta, quando is, qui implere debet impeditur facto eius, qui ex implemento tenetur, *l. Dedi tibi 3. §. quamquam ff. de cond. causâ datâ.* Tertia; conditio potestatiua, vel modus habentur pro completis si non stet per eum, qui implere debet, sed per casum, *l. quæ sub conditione 8. §. quoties ff. de condit. instit. l. Titia 35. §. Si ea ff. de legat. 2.* Quarta; si conditio non potest impleri de iure, sufficit, quod impleatur de facto, *l. Mulier 20. §. Si quis ff. de condit. instit.* Quinta; expressio conditionis per eum modum, per quem ex necessitate in est, nihil operatur, *l. Hæc verba 3. ff. de legat. 1.* & sic legatum non facit conditionale, *l. In conditionibus § Hac scriptura 19. ff. de ijs, quib. vt indign.* Sexta; morte grauati non extinguitur legatum conditionale, *l. Legato 64. ff. de ijs, quibus vt indign.* Septima; conditio de futuro possibilis suspendit legatum donec sit adimpleta, *l. Eas causas 79. ff. de cond. & dem.* non verò impossibilis, cum ea habeatur pro non adiectâ ex dictis supra *num.* 11. ergo legatum sub eâ factum dicitur purum. Octaua; conditio adiecta in institutione, non videtur repetita in legato, *l. Ab omnibus 107. §. Cum quidam, de legat. 1. l. Filium familias 27. ff. quando dies legator.* Contrariũ, *l. Pater 17. §. Marito ff. de doli, & metus except.* Nona; conditio, quæ pendet ex potestate legatarij, & alterius, si ex facto alterius impediatur sine legatarij culpâ, habetur pro impleta, *l. Mania 13. ff de annuis legat l. 122. de reg. iur.* Decima; si conditio est possibilis ex parte, sufficit si ei pareatur in eo, quod possibile est, *l. Qui dotem 13. ff. de dote prælegatâ.* Vndecima; conditio impedita per tertium habetur pro impletâ, *l. si Titius 14. ff. de condit. & dem.* Duodecima; conditio potestatiua facilis adimpleri, statim debet impleri, cum potest, *l. Hæc conditio 29 ff. eod.* Decimatertia; conditio denotat nudum ministerium, & debet impleri in forma specificâ, *l. Mauius 54. ff. eod. l. Qui hæredi 44. eod.* Decimaquarta; sufficit, quod conditio sit adimpleta in momento, *l. cum vxori 4. C. quando dies legat.* Ex his quam plures quæstiones resolui possunt.

Quæres 15. Quandonam dominium legati in diem aquiratur legatario?

56 R. Si dies est certus, legatarius statim post mortem testatoris aquirit dominium sui legati; si verò dies est incertus, cum legatum sub eo factum, sit conditionale, non aquiritur dominium à legatario, nisi die adueniente, quod verum est, quando tempus adiectum fuit fauore hæredis, qui legatum soluere debet, non verò fauore legatarij, respectu cuius censetur purum. Siue sit purum, siue conditionale semper dies est expectanda pro eius exactione, cum hæres non teneatur soluere ante diem præfixum.

Prima pars, quòd legatarius aquirat dominium legati in diem certum statim post mortem testatoris, probatur expressè, *l. Post diem 5. l. Si dies ff. quando dies legat l. Sempronius 26. ff de Vsufr leg. Vn § cum igitur C. de caduc. toll. Molin. disp. 205. Laym in. lib. 3. sect 5. tractat. 4. cap. 4. Castropal. disp. 1. de iust. p. 6 num. 2. de Lugo disp. 24. num. 243.*

Secunda pars, quòd dies incertus faciat legatum conditionale cuius dominium non aquiritur nisi purificatâ conditione, probatur *ex l. Dies 74. ff. de cond. & dem. l. Hæres meus 78. ff. ad leg. fal.* vbi dies mortis relatus in legatarium facit eius legatum purum, in hæredem verò facit conditionale, cù differentiâ, quia a cidere potest, quod hæres superuiuat legatario, & sic aquiratur ipsi hæredi; in priori verò casu acquiritur necessariò legatario, qui necessariò mori debet, vt illud transmittat in suos hæredes, ne testator videatur illusisse legatario. Dies autem conditionem facientes exprimuntur similibus verbis. *Lego tibi centum cum eris Sacerdos, cum Petrus morietur. Si nupseris &c.* Legatarius in his non aquirit dominium nisi purificatâ conditione, *ex l. Stipulatio 38. §. inter certam ff. de verb. obligat. l. 1. Quibus diebus 40. ff. de cond. & dem.* Vbi dicitur, quod conditio apposita in quacumq; parte testamenti reddit conditionale legatum. Est communis *cum Gomez tom. 2. Var. cap. 11. num. 21. Molina tom. 1. disp. 205. Gutier. consf. 17. num. 2. Castropal. disp. 1. p. 6 num. 6. Gratian. cap. 136. n. 32. 34. & 39.* Procedunt dicta, quando tempus adiectum fuit fauore hæredis, vt dicunt præcitati, *cum Pasqual. ad Franchum num. 453. Castropal. num. 7. de Lugo disp. 24. num. 243. Layman lib. 3. tract. 5. cap. 4. num. 2.* 57 58

Tertia pars, quando dies apponitur fauore legatarij, tunc dominium ab eo aquiritur statim post mortem testatoris, probatur, *ex l. 3. 4. & 5. C. quando dies legati.* Ratio est, quia tale legatum est purum, & dies incertus tantùm docet modum quo soluendum est admonendo hæredem de tempore, quo illud soluere debet, & non ante, cum ergo supponatur existentia legati, ad quod sequitur ille modus soluendi, sequitur adiectum tempus non esse de substantia legati, dum illud supponit, essentia enim rei rem non sequitur, sed supposita rē constituit. Ità præcitati Doctores. 59

In dubio autem, an adiectus dies incertus sit modus, vel conditio? Ressoluendum, esse modum, ac proindè legatum esse purum, ità *Castr. lib. 1. consf. 125. Gramat. conf. ciui. 46. num. 3. cum alijs Ciarlin. cap. 167. num. 10.* In dubio autem an dies sit appositus in fauorem 60

B

rem hæredis, an legatarij? Censendum in fauorem hæredis, ac proinde legatum esse conditionale, *l. cum tempus 17. de reg. iur.* quia censetur adiectus potius causâ differendæ solutionis, quam limitandæ obligationis, *Bart. in l. Si stipuletur 35. ff. de verb. obligat. Rota par. 2. Diuers. dec. 11.*

Quæres 16 Quandonam legatarius aquirat dominium legati modalis?

61 ℞. A die mortis testatoris, quia modus non suspendit substantiam legati, *l. cum ab ea 41. ff. de contr. empt.* non enim suspendit, vti conditio, *l. In re mandata C. Mandati.* Sed tantum differt illius solutionem, donec præstetur cautio, de modo, seù onere adimplendo, *l. Eas causas 79. ff. de cond. & dem.* Ità *Gomez. tom. 1. cap. 12. de legat. num. 71. Phanut. de Inuent. p. 6 num. 86. Gabriel. lib. 2. consil. 4. num. 11. ex illis Gratian. cap. 136. n. 19.*

Quæres 17. An, & quando legatarius transmittat legatum ad suos hærodes?

62 ℞. Legatarius transmittit legatum ad suos hæredes quandocunq; ante suam mortem illius aquisiuit dominium, licet moriatur ante aditam hæreditatem, ac proinde ante illius captionem. Ratio est, quia ad transmissionem sufficit aquisitio solius dominij, modò legatum non sit ad vitam legatarij, sicut est cum legatur solùm vsus, vel vsusfructus, aut habitatio, in his enim transmissio locum non habet.

63 Quare primò; legatum purum transmittitur ad hæredes, *l. Vn. §. libertatibus, fine C. de caduc. toll. l. Si post diem 5. ff. quandò dies leg. Gratian. cap. 136 num. 56. Castropal. disp. 1. p. 5. num. 14. de Lugo disp. 24. num. 238.*

64 Secundò; legatum conditionale non transmittitur ad hæredes, quandò legatarius moritur ante purificationem conditionis, *l. Intercidit 58. ff. de ijs, quibus vt indig. l. Titio centum 69. § Titio de cond. & dem. l. Vn. §. Sin autem C. de caduc. tollend.* Est communis, *Ciarlin. cap. 167. num. 2. Anton. Gomez. tom. 1. Variar. cap. 11. num. 36. Couar. q. 39. num. 4. Molin. disp. 206. & 285. ex illis Castropal. disp. 1. q. 7. num. 8. de Lugo disp. 24. num. 243.* Quandò autem conditio, quæ ex natura rei inesse exprimitur, non impedit transmissionem, cum non suspendat, *l. cum illud 25. §. Hæres ff. quandò dies legati.*

65 Tertiò; legatum in diem certum transmissibile est ad hæredes legatarij defuncti etiam antequam certus dies cedat; i. veniat, *l. Si post diem 5. ff. quandò dies legati, l. Vn §. cum igitur C. de caduc legat.* Est communis *cum Gomez. tom. 2. Variar. cap. 11. num. 17. Castropal. disp. 1. p. 6. num. 2. de Lugo disp. 24. num. 243.*

66 Quartò; legatum in diem incertum fauore legatarij est transmissibile etiam si moriatur ante aditam hæreditatem legatarius, expressè, *l. 3. 4. & 5. C. Quandò dies legati.* Quia dies non habet rationem conditionis; sed modi soluendi supponens legati puri existentiam, ex dictis sub *num. 59.* Ità *de Lugo disp. 24. num. 243. vbi citat Molinam, & Vasquez.*

Quintò; legatum in diem incertum fauore hæredis non est transmissibile si moriatur legatarius ante euentum diei, quia est conditionale ex dictis præced. quæsit. *sub num. 57.* quia legatum non transit nisi à die purificatæ conditionis, *Couar. lib. 1. Var. cap. 9. num. 5. Iason in l. 1. ff. de legat. 1. num. 115 ex illis Gratian. cap. 250. num. 13.* 67

Sextò; legatum modale est transmissibile ad hæredes, quia conditio, non modus impedit transmissionem, *l. A testatore 108. ff. de cond. & dem. Glos. V. hæredi, l. Si post diem 5. ff. quandò dies legati, Gomez. tom. 2. Var. cap. 12. num. 71. cum alijs, Gratian. cap. 136. num. 19.* 68

Septimò; legatum factum ad vitam legatarij non est transmissibile, sed reuertitur ad hæredem testatoris, vel hæredes hæredis, quamuis mortui ante legatarium, est communis, *apud Gratian. cap. 612. num. 4.* 69

Octauò; vsufructus non transmittitur ad hæredes, nisi de hac transmissione fiat expressa mentio, nominando eos, ad quos testator vult peruenire, *Instit. de vsufructu §. Finitur, l. 3. §. fin. ff. quibus modis vsufr. l. stipulatio ista 38. §. Si quis ità ff. de verb. signif. l. Antiquitas 14. C. de vsufr. & habitat.* 70

Quæres 18. Quomodo dominium rei legatæ transeat in legatarium, facto ne ipsius testatoris, an iure, an traditione facta per hæredem?

℞. Rei relictæ dominium solo testamenti titulo legali transit ad legatarium absq; vllo traditionis actu, *l. A Titio 66. ff. de furt.* & patet suprà *q. 13.* Vndè hæc translatio dominij dicitur facta ministerio legis præfatæ. Ità omnes cum *Couar. in cap. Raynaldus §. 1. num. 1. Gomez. tom. 1. Variar. cap. 12. num. 7. cum alijs, Castropal. disp. Vn. de iust. p. 8. num. 4. vers. Tertius.* Transfertur ergo dominium legati solo testamenti titulo sic disponente lege, adeò quod factum heredis quo ad hoc nihil operatur, qui dum legatum soluit legatario, supponit illum iam habere dominium rei legatæ, & solum illi superesse possessionem, quam accipit de manu hæredis. 71

Quæres 19. An testator facto suo possit continuare possessionem rei relictæ in legatario, & in hærede?

℞. Negatiuè, licet enim solo testamenti titulo, vt mox dixi, sic lege disponente transferatur dominium legati, & hæreditatis in legatarium, & hæredem, non tamen possessio; quæ non transit, nisi appræhendatur, *l. cum hæredes 23. ff. de aquir. possess.* quia ad aquirendam possessionem requiritur præter 72

ani-

Digitized by Google

animum, factum proprium legatarij, & hæredis, *l. quoties 20. ff. de seruit. alijs citatis, Rota par. 1. tom. 1. dec. 35. num. 9.* Ità quòd
73 nec Iudex concedere potest possessionem, nisi accedat factum proprium apprehensionis per se, vel per alium, *Anton. Gomez. l. 45. Tauri n. 54. Molina disp. 13. Lessius cap. 3. n. 46. ex illis Castropal. disp. Vn. p. 24 §. 2. num. 1.* certum autem est, quod testator post mortem, non potest animum suum transferre in successionem, cum vità, & animà careat, in
74 qua est radix voluntatis, *l. 4. ff. Locati, Cephal. lib. 1. cons. 30. num. 8. eadem Rota num. 3.* Non potest ergo testator post mortem continuare suam possessionem in hæredem, neq; in legatarium, sed cum ipso cessat, vnde successoribus necessaria est propria apprehensio, ex allegatis ibidem à Rota, quæ rem fusè tractat.

75 Quæres 20. An ex legatis detrahatur falcidia? Falcidia est lex à Falcidio plebis Tribuno, qui legem fecit diminuentem legata, ne quis in testamento plus extraneis legare posset, quàm vt sit quarta pars hæredibus data, ità quod si in hæreditate non remanet, quarta pars, suppletur ex legatis. Triplex autem est, vna debita iure naturæ competens legitimo hæredi. Secunda est debita iure institutionis, quam institutus petere potest, cum tota hæreditas est exhausta; & has duas habere potest filius institutus, *ex cap. Raynaldus de testam.* Tertia dicitur Trebellianica, competens hæredi instituto, qui rogatus alteri restituere hæreditatem, sibi retinere potest, *ex cap. Raynutius de testam.* Ità *ex cap. quadam 6. dist. 2. ibidem Glos.* Pro qua re vide *de Lugo disp. 24. num. 298.*

76 ℞. Falcidia, detrahitur ex legatis profanis, quando quarta pars hæreditatis non superest hæredi. Non verò detrahitur, quando testator eam diminutionem prohibuit, vel iussit integrè solui. Hæres priuatur iure falcidiæ, quando monitus à Iudice intra annum non est executus voluntatem testatoris; item quando surripuit aliquid de bonis hæreditatis; non priuatur verò, licet non confecerit inuentarium. Demum falcidia non detrahitur à legatis pijs.

Primà pars de detractione falcidiæ à legatis profanis constat, *ex tit. C. Ad legem Falcidiam, Instit. eod. tit. Canon. in cap. Raynaldus 18. de testam. de Lugo disp. 24. num. 298.* Non detrahitur si testator prohibeat, & velit legatum esse integrè soluendum, *Gratian. cap. 821. num. 7. de Lugo disp. 24. num. 299. Ciarlin. cap. 140. num. 25.* vbi, quod id facere potest expressè, & tacitè. In dubio autem censetur non prohibita, *Marta de success. legal. par. 4 q. 28. art. 3. num. 20. Mangil. de impu. & detr. q. 113. num. 21. ex illis, Ciarl. cap. 140. num. 27.*

77 Dubitatur autem primo, an detrahi possit contra expressam prohibitionem testatoris? ℞. Negatiuè, quia non licet contrauenire expressæ voluntati testatoris, qui iure prohibere potest detractionem falcidiæ, dum scit valorem sui patrimonij longè excedere, & remanere portionem suam, legatis integrè solutis. Expressè *Auth sed cum testator, C. ad legem Falcid. Bolognet. hic in Rubr. num. 88. Ferdin. Vasquez de success. creat. §. 8. num. 1. ex his Crassus q. 10. de Falcidiâ.*

Dubitatur 2. An detrahatur ex re certa legata? ℞. sic *ex l. Ex facto 35. vers. Et si forte ff. de hered. instit.* quam communem, & indubitatam dicunt *Socin. iun. vol. 1. cons. 136 num. 6. & 7. Franc. Mant. de coniect. vlt. vol. lib. 9. tit. 13. num. 10. ex illis Crassus q. 5. de Falcidiâ.* Ex eo enim, quod certa res legatur, non amittit rationem legati, ac proinde est capax defalcationis, cum falcidia competat omnibus legatis profanis cuiuscumq; sint rei. 78

Dubitatur 3. An legitima filiorum patiatur falcidiam? ℞. Non *ex l. scimus 36. ff. inof. testam.* quia legitima nulli est subiecta grauamini, & ante omnia exceptis debitis, accipitur, ex quibus falcidia non detrahitur. ità *ex Vasq. dictus Crassus q. 6.* 79

Dubitatur 4. An legatum dotale patiatur falcidiam. ℞. Non, si mulier sit pauper, vtiq; si diues, *Angel. in l. cum is § similiter, ff. de Cond. indeb. glos. l. Tali ff. de iure dot.* communis opinio apud *Boer. dec. 94 num. 2. Crassus q. 7.* 80

Dubitatur 5. An non conficiens inuentarium detrahat falcidiam? ℞. Non, *Auth. sed cum testator. C. de lege Falcid.* communem dicit opinionem *Alex in l. in ratione 11. §. quod vulgo, ff. ad legem Falcid. cum alijs Crassus q. 11. de Lugo disp. 24. num. 300. referendo se ad num. 236.* Rota *part. 9. decis. 241. num. 31. & 32.* multis citatis negat priuari falcidià. 81

Dubitatur 6. An suscipiens de bonis hæreditatis priuetur falcidia? ℞. sic, *ex dicta Auth. sed cum testator C. ad legem Falcid. de Lugo disp. 24. num. 300.* 82

Dubitatur 7. Si hæres integrè soluat legata, à quibus poterat iure detrahere falcidiam, an eam repetere possit? ℞. Non, *ex eadem Auth Gratian. cap. 264. num. 11. de Lugo disp. 24. num. 298. vers.* sextus casus. 83

Dubitatur 8. An monitus infrà annum legata non soluens priuetur beneficio falcidiæ? ℞. sic, *ex eadem Auth. sed cum testator, de Lugo disp. 24. num. 300.* 84

Dubitatur 9. An falcidia detrahatur ex bonis prohibitis alienari? ℞. non, *ex Auth. sed, & in ea C. eod.* 85

Secunda pars, quod falcidia non detrahatur ex legatis pijs, expressa est *in l. si quis 37. C. de episc. & cler* relata in *C. ad legem Falc.* his verbis. *Similiter falcidia cessat* 86

sat in ijs, quæ ad pias causas relicta sunt ita omnes cum *Ciarl. cap. 28. num. 10. & cap. 139. Sperellus dec. 153. num. 25. Ricciuspar. 1. dec. 221. de Lugo disp. 24. num 298. Lezana V. Legatum num. 29. Rota part. 9. dec. 320. num. 9.*

87 Difficultas prima est, quid si testator mandauit detrahi falcidiam ex legatis pijs? R. *gloss. in Auth. sed cum testator l. cad.* quod deducitur, & communem vocat *Vasquius apud Crassum q. 3. num.* 7. Hoc non munio ibi, nec puto verum, id posse fieri à testatore contradictam *Auth. similiter*. Neque enim testator facere potest, quod leges non habeant locum in testamento suo, *l. testandi 31. ff. de testam. cap. Requisisti 15. de testam.*

88 Altera difficultas est an si legata absorbeant totum patrimonium, & hæreditatem, institutus possit falcidiare legata pia? R. sic, *ex Bartolo in dictam Auth. num. 5. Tiraq. priuil. 26. de piâ causâ Ferdin. Vasq. de success. progress. lib. 3. §. 26. num. 44. ex illis Crassus q. 3. num.* 8. *latè Ciarl. cap. 139. num. 19. vers. verum tamen.* quid si adsint etiam profana? si hæc non excedant, videntur eiusdem iuris.

Sed quid dicendum est de Trebellianicâ respectu legatorum, an hæc ex illis detrahenda.

89 Trebellianica differt à Falcidiâ in eo, quòd illa respicit legata, & fideicommissa vniuersalia, refertur ad institutum grauatum restituere post mortem. Falcidia vero solum detrahitur à legatis particularibus. Ita *Alex. in l. 12. C. de testam. milit Paris. vol. 3. cons. 43. Crassus q. 3. de Trebell.* Grauatus ergo restituere habet priuilegium detrahendi Trebellianicam tit. *ad legem Trebell.* Quod illi conceditur, ne dicatur hæres solo nomine.

90 In legatis vniuersalibus, & fideicommissis pijs grauatus non detrahit Trebellianicam. Ita *Dynus in l. 1. §. in filij ff. ad Trebell. Bald. in Auth. Similiter, C. ad legem Falcid. Angel. cons. 41. & 59. Corneus vol. 1. cons. 93. Rom. 239. Calder. cons. 40. de testam. cum multis alijs Crassus q. 6. de Trebell. Rota par. 9. dec. 320. num. 9. Ciarlin. cap. 139. per totum.* Quam vocant communiorem, & veriorem.

Procedit primò etiam si sint instituti primi filij, *Cagnol. in l. Papinianus, §. Meminisse, num. 18 Crassus num. 2.* Procedit 2. siue immediatè, siue mediatè per alium fiat restitutio, *Bald. in l. Auia §. Titio, ff. de cond. & dem. Tiraq. priuil. 26.* Multò minus detrahit, quando non confecit inuentarium. Ita *Iacobus de Aretio in dicta Auth. similiter, cum alijs, contra multos*, quos pro vtrâq; parte citat *Crassus q. 7. qui q. 10.* ait bona consequentia ad falcidiam etiam ad Trebellianicā, quia valet consequentia à falcidiâ ad Trebellianicam. Et negatiua consequentia valet à Trebellianicâ ad falcidiam.

Quæres 20. An falcidia detrahi possit ex legatis pijs quando instituta fuit causa pia?

R. Posse quia priuilegiatus specialiter in aliquâ causâ non vtitur priuilegio contra alium priuilegiatum in genere, *Decius in cap. in præsentiâ, de probat. fol. 23. Ruin. lib. 3. cons. 89. num. 7. cum alijs Ciarlin. cap. 139. num. 27.* sed legatarius est priuilegiatus in specie, & institutus in genere, ergo. Præterea, causa priuilegiata præfertur alteri priuilegiatæ, quando agitur de damno vitando non autem de lucro captando, *ex cap. Auditis, de præscript. Bald. in Auth. Perpetua C. de sacros. Eccl. Ancher. cons. 36. cum alijs idem Ciarlin. num.* 28. Hic autem agitur per vtrumq; de lucro captando, *Couar in Reg. Possessor. §. 2. num. 4. Vers. ex quibus*, consequenter in pari causâ debet esse potior conditio possidentis hæredis, de cuius manibus legatarius debet suum legatum recipere. *Ciarlin.* loco citato vtramq; opinionem appellat communem, & hanc veriorem, à num. 39. videtur concordare, vt præualeat causa quæ est magis pia, e. g. celebratio missarum, vbi num. 36. quod rationes pro falcidiâ extenduntur ad Trebellianicam. 91

Quæres 21. An qui adit hæreditatem dicatur contrahere cum legatarijs?

R. Hæres adeundo hæreditatem eius patrimonium vnum efficitur cum illo defuncti, & quasi contrahit cum legatarijs, & fideicommissarijs, acceptat enim grauamen coniunctum hæreditati. Ita *Thesaur. q. 66. num. 4. lib. 2. ex eo Rota par. 5. tom. 1. dec. 19. num. 9.* Vnde hæres per aditionem hæreditatis remanet obligatus obligatione personali ad præstationem legatorum, *ibidem dec. 4. num. 3.* Et eo magis censetur contrahere cum illis, quando adit hæreditatem non confecto inuentario, *ex l. apud Iulianum 3. §. fin. ff. quibus causis in possess. Rota eadem dec. 338. num. 4.* 92

Quæres 22. An pignus, seu hypoteca locum habeat in legatis?

Pro resolutione præmitto, quod pignus, seu hypoteca est res obligata pro debito creditori, qui sibi per eam satisfacit, quando debitor non soluit, apud quemcumq; res inueniatur. Pignus, & hypoteca confunduntur, licet pignus accipiatur pro re mobili, quæ pugno, & manu apprahensa traditur creditori, vnde pignus est semper res determinata, quæ traditur à debitore suo creditori. Hypoteca verò pro re immobili, quæ non traditur creditori. *Instit. de action. §. item Seruianus, l. plebs. 237. ff. de verb. signif.* Hypoteca alia specialis, alia generalis, quæ diuiditur in expressam consistentem in conuentione partium, vel in decreto iudicis, per quod creditor mittitur in possessionem bono- 93

bonorum debitoris, *l. non est mirum 26. ff. de pignor act.* Et in tacitam, quæ contrahitur legis dispositione in tertis casibus, *de quib. Molina disp. 336. Lessius lib. 2. cap. 28. dub. 6. de Lugo disp 20. sect. 4. §. 1.* Vocatur legalis, alia conuentionalis, & prætoria.

94 ℞. Omnes præfatæ hypotecæ possunt habere locum in legatis, clarum enim est, hæredem, per legatarium conueniri posse, vt legatarius fiat securus de suo legato, & iudex in hoc suum potest interponere decretum, ex dictis. De legali vero pignore, quòd locum habeat in bonis testatoris expresse è *l. 1. C. communia de legat.* Legatarius ergo ex hac lege habet sibi obligata omnia testatoris libera tamen, & non obligata alijs, siue realiter, siue personaliter ab ipso testatore ante mortem suam, vnde legatarius à puncto mor-

95 tis habet pro suo legato obligata sibi bona, quæ remanserit omnino libera, ita vt illa pro suo legato sibi vindicare possit ad quemcumque peruenerint siue gratis, siue cũ onere post mortem testatoris. *De lugo disp. 20. num. 58. Clauasius V. legatum num. 55. Tabiena num. 52. Rota par. 5. tom. 1. dec. 31. num. 18. dec. 179. num. 8. & 10. tom. 2. dec. 438. num. 3.* dicit, quod licet hypotecaria actio an detur ad res ipsas legatas consequendas, quæstio dubia sit, receptior tamen est affirmatiua. Pro legatis igitur competit hypoteca in bonis scilicet testatoris, non autem hæredis, quod potissimum procedit, quando suum confecit inuentarium, *Merlin. dec. 212. num. 1. 2. & 3.*

Quæres 23. An legatarius petere possit Saluianum, vt consequatur suum legatum?

96 ℞. Affirmatiuè, quia ex hypotecâ legali infertur ad Saluianum, cum ex ea fiat transitus ad tenutam bonorum testatoris, donec sibi satisfaciat, Saluianum enim introductum fuit ad exemplum hypotecæ, *l. 1. C. de præcario, & Saluiano, Rota par. 5. dec. 438. num. 2. Merlin. dec. 104 num. 4. Gabriel. conf. 46. num. 19. lib. 1. Surd. dec. 76. num. 4.* iterum *par. 5. dec. 541. num. 4.* Saluianum est vtilius, & pinguius hypoteca, *Aret. §. item Seruiana instit. de act. num. 6. ex alijs Gratian. cap. 63. num. 41.* Etiam contra tertium, *ex decis. Panphilij in Fauentinâ legati 24. Nouembris 1589.* contra Surdum *lib. 2 conf. 191. num. 8.* qui illud non admittit contra tertium, sed tantum contra hæredes. *Ciarlinus cap. 28. num. 29.* etiam contra tertium possessorem, *cum Marchesi. de inter. Salu. par. 1. cap. 9. num. 2. Rota par. 3. diuers. decis. 689. num. 4. Ciriacus par. 1. contr. 18. num. 23.*

Quæres 24. An legatario competat actio executiua pro consequendo suum legatum?

97 ℞. *Rota part. 9. dec. 260. num. 1.* ait, secundum opinionem tribunalis rotalis pro legatis non competit via executiua, & citat ad hoc Addentes ad Buratum *dec. 208. num. 12. Rota par. 5 decis. 229. num. 15. num. 16.* solum esse paratam, re iam iudicatâ, *ex l. 1. & fin. C. de execut. rei iud.* Et non aliter, *Merlin. dec 104.*

Nihilominus multi Doctores tenent oppositum, legatarios non requirendo iudicium ordinarium, posse à Iudice petere, vt faciat præceptum hæredi, vt soluat, & sic procedere viâ executiuâ. Ita *Angel. in Aut. illud quoq; de hæred. & falcid. ibi Gloss. V. Decreto, num. 57. ex eo Marinus lib. 1. cap. 241. Resolut. quotid. & lib. 2. cap. 8. num. 12. Gratian. cap. 62. num. 16 Ciarlin. cap. 140. num 29. qui num. 31. ait*, quod si hæres est paratus de iure suo incontinenti docere, erit executioni supersedendum, *ex Bursato lib. 3. conf. 298. num. 11.* Vnde melius est sequi Rotam

Quæres 25. An præsumi possit legatum duplicatum esse legat r o?

℞. Negatiuè in eodem testamento, in 98 diuersis vtique, vel in testamento, & codicillis, primum, & secundum colligitur *ex l. Plane 34. §. si eadem res ff. de legat. 1.* quia tunc constat plane de mente testatoris, alter non. Ita *Couar. de testam. p. 2. num 21. fine, Rimin. sen. lib 2. conf. 230. num. 3. Laderchia conf. 127. num 12. cum alijs Rota par. 9. dec. 41. num. 1.* Et ad id eludendum sufficit quæuis coniecturalis, *Bald. lib. 5. conf 163. num. 4. Gratian cap. 327. num. 4.* immo sufficit causam coniecturari posse, *Surd. conf. 119. num. 16. Rota cit. num 74. & 75.* Ex eodem textu *l. Plane*, deducitur, esse duplicatum legatum, vnum ex testamento, alterum ex codicillo, cum legatarius habeat suam intentionem fundatam in diuersis dispositionibus, modo legatum expressum in codicillis non referatur al qua ratione ad testamentum in ordine ad executionem legati relicti in testamento, *ex allatis à Pasqual Centur. 4. q. 351.*

Quæres 26. Cuinam dandum sit legatum factum habentibus idem nomen?

℞. Si nullo modo potest discerni legatum fuisse factum vni, & alteri, tunc nullum 99 est legatum, quia incertitudo personarum vitiat legatum, *l. cum ex pluribus 32. ff. de manum. testam. l si ita 11 ff. de reb. dub. l. duo sunt Titij 30 ff de testam. tutel.* Quod tamen videtur rarò accidere posse, vnde positâ discretione vnius ab alio, cui non conueniunt qualitates expressæ à testatore, vel quæ coniecturari possunt de mente testatoris non competentes vni, sed alteri tantum, tunc ex illis certificatur, & determinatur persona, cui dandum est legatum, nimirum illi, cui conueniunt qualitates expressæ in testamento, & coniecturæ de mente testatoris, quia persona non est amplius incerta. Quare si duo sint eiusdem nominis, & cognominis, & alter eorum sit consanguineus, vel affinis, vel amicus, & non alter, ille est legatarius,

cum

Digitized by Google

cum certificetur ex illis qualitatibus, non enim verisimile est, quod legauerit non consanguineo excluso consanguineo, Charitas etiam exercenda est prius in consanguineos, quam in extraneos. Ita *Riccius par. 2. dec. 213. Rota par. 5. decis. 245.*

100 Colligitur ex his legatum Ecclesiæ, seu Monasterio factum loci vbi plures sunt Ecclesiæ, & Monasteria, non determinando, nec indiuiduando loca huiusmodi pia, legatum dandum esse Ecclesiæ, seu Monasterio pauperiori, quia testator id velle præsumitur, cum censeatur voluisse meliori, & perfectiori modo consulere animæ suæ, dando, scilicet pauperiori loco, ex quo maius bonũ Charitatis facit subueniendo pauperiori loco, & magis consulit animæ suæ, cui correspondet maior remissio pœnarum in Purgatorio legando pauperiori loco, quàm alteri minus pauperi; legatarius ergo incertus determinatur per hanc coniecturam magis fauentem animæ testatoris. Legatum ergo debetur pauperiori

101 ecclesiæ. Ita *Genuens. cap. 57. in Addit. num. 14. & 15. Anton. Gomez tom. 2. Var. cap. 11. num. 8. concl. 8. Michael Grassus professor Ordin. in Rostochiensi Academiâ de legatis q. 64. num. 5. ex illis Barbosa ad cap. indicante 4. de testamentis num. 5.* Sed quid dicendum, quando vtraq; Ecclesia est parochialis, in quibus solet recipere Sacramenta, & vna sit pauperior altera, numquid debetur pauperiori? Videtur sic, ob rationem adductam, quia eam sine dubio Ecclesiam determinasset legatarium. *Panorm. in hoc cap. num 4. Couar. in hoc cap. num. 2. cum alijs Barb. hic num. 6.* Dicunt, posse Episcopum gratificari Ecclesię, cui voluerit; nec obstat *cap. 2. de sepult. in 6.* de portionibus canonicis, quæ ex æquo diuiduntur inter parochiales iure communi, non vero legatum, quod indiuisibiliter vni tantum est dandum de mente testatoris. Puto autem hanc Episcopi electionem habere locum, vbi ambæ Ecclesiæ parochiales sunt ex æquo pauperes, nam si vna est altera pauperior, determinatur legatum pauperiori ex præfatâ ratione, quia testator præsumitur voluisse sibi meliori modo consulere. Quod si duæ Ecclesiæ eiusdem nominis vna sit parochialis, alia non, videtur legasse parochiali, si ibi habet sepulturam, aliter alteri, vbi habet sepulturam, ad quam præsumitur habere maiorem affectum, dum vbi eius cadauer sepelitur, anima maiora suffragia percipiet. Quando concurrunt duo monasteria virorum, & mulierum eiusdem nominis eiusdem paupertatis, dandum est monialibus, secundum *Socinum, Iasonem Decium, & alios apud Costam in cap. si pater, §. cum in bello num. 13. apud eundem Barbosam in fine.* Quia vberior videtur eius Charitas apud Deũ attentis eius virginibus sponsis.

Quæres 27. An, & quomodo legatum de rebus incertis possit certificari, & determinari, vt non sit nullum, sed valeat?

Pro resolutione potest cum *Glosa ad l. legato 37. ff. de legat. 1.* assignari triplex genus. 102 Generalissimum quod non habet aliud genus supra se vt res, substantia &c. Subalternum, quod illis subijcitur, vt corpus, animal, quæ prædicantur de pluribus speciebus sibi subiectis. Et genus infimum quod prædicatur de pluribus indiuiduis, vt homo, Equus, Arbor, Domus &c. hoc tertium genus à Logicis appellatur species.

℞. Primo, legatum expressum sub genere 103 generalissimo, vel subalterno, nullum est, & si quis prætensor similem peteret legatum relictum sub his verbis; *lego rem aliquam; lego quoddam animal.* Hæres videtur satisfacere, dando legatario, lapidem, & muscam, seu pediculum. Quod est ridiculum, ergo, & tale legatum. Ita omnes cum *Glos. super dictam legem, Bartol. Alex. Iason, Gomez tom. 2. Var. cap. 11. num. 8. concl. 10 Crassus q. 61. de legat. num. 2.* Dices, videtur subsistere hoc legatum; *lego vnum ex meis animalibus*, licet sit de genere subalterno. Meo iudicio subsistit, quia pronomen illud satis specificat legatum, & illud facit de genere eorum; quæ sunt in patrimonio testatoris, ita quod non est amplius in potestate hæredis dare muscam, & illudere legatarium, cum musca non dicatur esse in patrimonio testatoris.

℞. 2. Legatum in genere inferiori factum, 104 hoc est, de aliqua, re in specie, specari potest tribus modis. Primò, quando res legata in specie habet fines determinatos à natura, vt homo, equus, arbor, tenet legatum, siue res illa sit in patrimonio testatoris siue non. Ita Doctores cum *Glos. in dicta leg. Legato 37. ff de legat. 1. Crassus cit. num. 3.*

Secundò, quando res legata in specie habet, fines determinatos à facto hominis, vt, 105 domus, nauis, & quodlibet aliud artefactum, valet legatum, si res est in patrimonio testatoris, aliter non valet *l. si domus 74. ff. de legat. 1. Bened. Capra Reg. 113. num. 25. Ant. Gomez tom. 2. Var. cap. 11. num. 8. concl. 10. Crassus q. 61. num. 4.*

Tertiò, quando res legata non habet certos 106 terminos nec à naturâ, nec ab arte, & facto hominis, vt si quis fundum rusticum legat nullâ factâ demonstratione, etiam in hoc casu valet legatum, vt colligunt Doctores super dictam *l. si domus*, quia non magis constituitur domus sub certis finibus, quam fundus, vt patet, cum possessio distinguatur in plures agros suis confinibus terminatos. Ita *Gomez num. 8. Fernand. Vasq; de success. progress. lib. 3. §. 27. num. 35. Zasius in dicta l. legato 37. ff. de leg. 1. num. 1. Crassus q. 61. num. 6.* Contra non nullos alios.

Procedunt ergo prædicta non solum quando legatur incertum de certis, vt lego vnam

ex

ex meis domibus, equis, seruis &c. sed etiam incertum de incertis, *ex adductis ab eodem Crasso num. 7.*

Quæres 28. In cuius nam arbitrio sit eligere rem legatam in specie, non determinatam in indiuiduo?

107 ℞. Quando testator non concessit expressè electionem rei legatæ in specie, in dubio, electio competit illi, ad quem verba executiua legati directa fuerunt, & sic habet electionem legatarius, si ad eum directa fuerunt, aliter hæres, si hunc respiciunt, *glos. v. vindicare l. Lucio 23. ff. de legat. 2. Ant. Gomez tom. 2. cap. 11. num. 43. apud Grassum q. 62. num. 2.* Vocat communem.

Quod si ad nullum direxit verba, & res legata fines habet à naturà destinatos existens in patrimonio testatoris, tunc legatarius eligit, quia is habet ius petendi illud quàuis actione sibi bene visà. *Iason in l. legato 37. de legat. 1.* Si non habet in patrimonio electio est hæredis, *Grassus q. 62. num. 3.*

In casu quo res legata habet fines arte destinatos existens in patrimonio, electio est hæredis, siue testator de certo senserit, siue non. *glos. in l. legato 37. ff. de legat. 1. & in l. si domus 73. eod. ibi Alex. & Iason. num. 21. Crassus q. 62. num. 3.* Vbi, quod si plures habet domos in diuersis ciuitatibus, hæres debet dare vnam ex illis, quam habet in ciuitate, vbi habitauit scilicet ipse testator, *ex Bald. l. 3. cons. 72. cum alijs ibi.* Sed quid dicendum, quando legatarius est in aliâ ciuitate, vbi non habitat testator? Puto, dandam esse domum eiusdem loci, in quo legatarius habitat, quia testator præsumitur voluisse illam legare, quæ illi futura erat commodior, dum simpliciter legando voluit illi benefacere eo meliori modo, quo potuit.

108 In legatis alternatiuis, eius est electio, ad quem verba executiua legatorum directa fuerunt, aliter electiò est legatarij, *ex l. Lucio 23. ff. de legat. 2. Couar. in cap. indicante num. 3. Gomez tom. 2. cap. 11. num. 43. Crassus q. 62. num. 6. Marescotus lib. 2. Var. lib. 2. cap. 97. num. 2. Ludouis. decis. 431. num. 3. & 13. Rota par. 1. dec. 203. num. 3.* Respondentes illi regulæ; quod in alternatiuis electio est debitoris, procedit in contractibus non in legatis. Vide Barbosam ad dictam *Reg. 70. num. 14. & 15.* vbi leges, & Doctores citat in sensum supradictum, vbi num. 6. ait quod electio competens legatario non transit ad eius hæredes, pendente conditione, si moriatur, *ex l. cum illud 25. ff. quando dies legati, Rom. sing. 89. Euer. in loco ab alternatiuis limit. 5. Corneus in l. Vn. C. de cad. toll. §. in nouissimo num. 3.*

109 Quando pluribus legauit rem eiusdem speciei v. g. Equos, prior est in electione primò nominatus, quia is censetur magis *dilectus, cap. si quis de elect. in 6. l. si communis seruus 2. ff. de stipul. seruor.* & prior nominatus alios præcedit, *Nauar. cons. 10. de maior.* Ita Dinus *in l. si ita scriptum ff. de legat. 1. Bartol. cum alijs in l. qui duos, eod. Anton. Gomez 2. Var. tom. 1. cap. vlt. num. 18. ex illis Crassus q. 62. num. 7.*

Quæres 29. An hæres habens electionem præstandi legatum, possit eligere rem minimam sub specie legatam? e. g. legauit calicem, an tradam inauratum æreum, an argenteum, an inter equos debiliorem &c. Procedit questio, quando res in genere legata est, non in indiuiduo terminata, & certis finibus, vt aiunt Doctores, quia in indiuiduo legata omninò danda est, electio enim respicit tantùm rem in specie legatam sine vllà determinatione indiuiduali.

℞. Primò, sufficit soluere minus, in lega- 110
tis profanis expressè *l. idem Iulianus 41. §. seio, ff. de legat. 1. l. Titia 35. §. qui inuita ff. de leg. 2. l. si ita relictum 44. §. si ita scriptum ff. de legat. 2. l. qui concubinam 29. §. cum ita ff. de legat. 3. l. Nummis 73. ff. de legat. 3.* in quibus locis decernitur in dubio rei legatæ, an danda sit minor, vel maior, soluendum esse, quod minus est, leges enim fauent hæredibus in præstandis legatis, quia præsumunt testatorum esse voluntates minus grauare voluisse suos hæredes, vt apertè colligitur ex dictis legibus, quæ fauent hæredibus contra legatarios in dubijs, vnde non est verisimile testatorem velle grauare hæredem vltra expressum, *l. Vxorem 39. §. in testamento ff. de legat. 3. l. qui dotem 17. ff. de dote prælegata, l. vnum 69. §. si rem ff. de legat. 2.* Et ita docent *Rota par. 3. dec. 87. par. 4. tom. 2. dec. 87. num. 15. & 16. Gratian. cap. 922. num. 36. et 37. Ciarlin. cap. 47. num. 63. & 64.*

℞. Secundò, in legatis pijs soluendum est 111
in dubio res pretiosior, seu maior; expressè *l. Titia 40. §. Seia, ff. de auro, et argento legat.* Quare si ecclesiæ legatus fuit calix, venit argenteus, non æreus, planeta de serico &c. Ita *Bartol. ibi, ex eo Panor. in cap. indicante 4. de testam. num. 6. Pasqual. q. 105. de sacrif. missæ Gratian. cap. 611. num. 16. Roman. 5.5.* dicens, esse dandum calicem aureum, quod displicet Vercello *tract. 3. quæst. Moralium, et legal. q. 18. num. 2.* Quia rarissimè inueniuntur tales calices in Ecclesiâ. Ego autem in hoc dico, bene loqui Roman. si in eâ Ecclesiâ vsus esset calicum solum auri, & argenti, dandum esse aureum, ex conclusione, quia inter res legatorum piorum datur pretiosior. Si verò in Ecclesiâ sint in vsu alij calices præter aureos, & argenteos, non est dandus aureus, sed argenteus, quia adhuc dedit, quod maius est relatiuè ad calicem æreum, vel alterius materiæ inferioris.

Quæres 30. De interpretatione mentis testatorum respectu legatorum? Triplex est inter-

112 terpretatio, legalis, quæ fit à legislatore, eius
enim est interpretari, cuius est condere, *l. 1.*
C. de legib. l. leges 9. eod. l. eum de nouo 10. *l.*
fin. eod. cap. inter alias 31. de sent. excom. Iudi-
cialis alia, quæ scilicet fit à Iudice in contro-
uersijs inter actorem, & reum. Tertia ad rem
nostram, quam faciunt Doctores, & Aduo-
cati, appellatur Doctrinalis, Magistralis, &
probabilis ab eisdem facta, de quib. *Glossa in*
cap. sicut enim 30. 11. *q.* 1. Secunda, & Tertia
interpretatio locum habent in testamentis,
licet testator non sit legislator, & ideò ei non
competit prima interpretatio, tamen eius vo-
luntas pro lege habetur, & obseruanda est,
l. in conditionibus primum ff. de cond. & dem.
in Auth. de Nuptijs §. Disponat, & l. 1. C. de
sacros. Eccl. Vnde valet argumentum à lege
ad voluntatem testatoris, *Ludou. dec. 219.*
num. 2. Pasqual. q. 240. num. 4. De interpreta-
tione secundâ à Iudice faciendâ, *l. Voluntа-*
tis 7. C. de fideicom. Sciendum autem est,
quòd vbi verba testatoris satis clara, sunt,
non est locus interpretationi, sed tantùm in
113 dubijs, & obscuris, *l. Si quis 3. C. de liber.*
prateritis. Vbi dicitur, quòd interpretatio
non debet fieri ad literam, sed ad sensum,
quia is verbis præfertur.
114 ℞. In testamentis plenius voluntates tes-
tantium interpretamur, *l. 12. ff. de reg. iur. l.*
eum in testamento 25. ff. de reb. dub. Cap. cum
dilectis 6. de donat. Verba ergo, per quæ co-
gnoscitur mens testatoris, latè, & benignè
sunt interpretanda, quando dubia sunt, &
taliter, quòd credatur, ità fuisse eius men-
tem. Est communis Doctorum super dictis
115 iuribus. Huiusmodi autem interpretatio ple-
nius facienda est primò in fauorem hæredis,
vt minus grauetur, quam sit possibile, ex dic-
tis præcedenti quæstione, & hoc quidem res-
pectu legatorum profanorum, vt constat ex
citatis iuribus præcedenti quæstione, vndè
id resultat in fauorem hæredis, contra lega-
tarium de legato profano, nam hæres non
debet priuari certâ hæreditate ob legatum du-
bium, cum hæres dicatur vniuersalis, suc-
cessor in bonis testatoris, ac proindè in ijs e-
tiam, super quibus dubitatur an sint sub hæ-
reditate, an sub legatis; in legatis ergo regu-
lariter sumitur ea interpretatio, quæ facit pro
hærede contra legatarium, *ex l. Si ità sit*
scriptum. 14. ff. de legat. 1. & citatis legibus in
praeced. quæstione, Decius cons. 46. Mantica
lib. 6. de coniect. vlt. vol. tit. 1. num. 30. Decius
in Reg. Semper in obscuris minimum se-
quendum, *num. 2. Rosa par. 7. dec. 239. à*
num. 7. ait, esse latè interpretandum pro le-
gatario contra hæredem, stantibus pluribus
argumentis beneuolentiæ, quę testator osten-
dit legatario in suo testamento, *ab eo num. 7.*
116 *ad 12. ex Seraph. dec. 246. num. 5. Sard.*
cons. 446. num. 27. Alciat. lib. 9. cons. 121.
num. 10. Quare in legatis relictis vxori faci-
enda est lata interpretatio, ac proinde non
esse compensandum legatum cum dote, *Se-*
raph. cit. Sperellus dec. 176. num. 73. Rota
par. 9. dec. 131. num. 1. & 6. stante magnâ
affectione erga legatarium, *Crauetta cons. 277.*
num. 2. Gratian. cap. 700. num. 14. Rota par.
9. dec. 260. num. 6.

Inter consanguineos legatarium, & hære- 117
dem fit interpretatio pro hærede, nisi in casu
inutilitatis, nam quando dubitatur de valore
legati, fauendum est legatario, ne pereat le-
gatum, & fiat inutile, non tamen fieri potest
interpretatio extensiua. Ita *Corneus lib. 3.*
cons. 155. num. 3. Gratian. cap 988. num. 8.
Ciarlin. cap. 47. num 66. & 67. cap. 87. num.
9. Honded. lib. 1. cons. 63. num. 49. iterum
Gratian. cap. 98. num. 31. & 32. Ita enim in-
terpretandum est, vt afferat commodum,
non præiudicium; *ex l. eum rem C. de legat.*
l. Mauius ff. de lega. 2. Sperell. dec. 176.
num. 33.

Loquendo autem de legatis pijs latissima 118
interpretatio facienda est fauore legatarij
contra hæredem, vt pluribus probatum est
in præcedenti quæstione sub *num.* 111. Ista
autem interpretatio non solùm respicit fauo-
rem legatarij, sed etiam ipsius testatoris, in
quo præsumenda est maior Charitas erga suũ
proximum, erga Ecclesiam, quæ illius mater
est; pro quà re lege *Pasqualig. de Sacrificio*
Missæ q. 1015. Pro intelligentia prædictorum
subscribo nonnullas propositiones.

Testatoris verba debent intelligi secun- 119
dùm conditionem personæ, ad quam refe-
runtur, *l. Plenum 12. §. Æquity ff. de vsu,*
& habit.

Verba testatoris extrà propriam significa- 120
tionem intelligenda sunt, ne legatum intel-
ligatur inutile, *l. Titia 35. §. Lucius ff. de le-*
gat. 2. l. Generali 32. §. Filios ff. de Vsu, &
Vsufr.

In dubio testator cẽsetur se voluisse cõfor- 121
mare cum dispositione iuris *Doct. in l. hære-*
des mei, §. cum ita ff. ad Senat. Trebell. Rota
vol. 1. dec. 585. num. 2. Sanch. lib. 5. disp. 5.
num. 25. Vers. Et confirmatur, & lib. 7. disp.
4. num. 4.

Præsumitur se voluisse conformari statuto 122
suæ ciuitatis, ex citata mox *l. vbi Alex. num.*
8. Ripa num. 75. Aymen cons. 250. num. 4.
exponit, quando testator disposuit in casu, in
quo disponit statutum. *Rimin. lib. 2. cons.*
224. num. 40. procedere in verbis dispositi-
uis, non conditionalibus, *cum Decio lib. 1.*
cons. 12. num. 31. Rota vol. 1. dec. 775. num.
6. & 8.

Legati verba sunt interpretanda secun- 123
dùm communem vsum loquendi. *Corneus*
lib. 4. cons. 233. num. 6. cum alijs Rota par.
7. dec. 239. num. 4. & par. 9. dec. 260. num.
9. Quare subinfero ego, eum, qui reliquit
vnum ex suis animalibus, interpretandum
esse

esse, porcum reliquisse. Hunc sensum hic habet.

124 Remuneratorium latè est interpretandum. *Mantica de Tacitis lib. 3. tit. 23. num. 17. Cancer. lib. 3. Var. cap. 4. num. 21. Ottobon. dec. 67. num. 12.*

125 Pium est interpretari piè legatum. *Comitulus apud Bariolam conf.* 14. quia accipit interpretationem à Charitate, *Pasqualig. q. 249. num. 2.*

126 Verba testatoris ità sunt intelligenda, vt non appareat peccatum in constitutione testamenti, *l. Plautius 9. ff. de auro, & argento legato.*

127 Defunctorum voluntates, vt seruentur, omnis interpretatio sumenda est, ità quòd ea facienda est etiam per extensionem de casu ad casum, & de personà ad personam. *Socin. Iun. vol. 3. conf. 123. num. 35. Craueta conf. 131. num. 5. Caphal. conf. 433. num. 4. & 446. num. 36. cum alijs. Rota par. 6. dec. 103. num. 1.* Intellige quando testator locutus fuit similibus verbis: *Vt omnia interpretentur in fauorem lineæ Nicolai, & semper intelligatur primogenitus ex primogenito.*

128 Voluntas testatoris interpretatur secundum consuetudinem regionis, *l. Si seruus plurium, §. fin. de legat. 1. Genuens. in praxi Neapol. cap. 57. num. 16.* Facit, quod dixi suprà *num.* 123.

129 Testator in dubio videtur se referre ad id, quod sapiens disposuisset, *Rota vol. 2. dec. 181. num. 8.*

130 Verba testatoris eius mentem indicant. *l. Labeo 7. ff. de supellect. legat. Bart. in l. Sed, & reprobans ff. de excusat. Mar. Anton. lib. 2. resol. 51. num. 6.*

131 Vna pars testamenti clara aliam obscuram declarat. *l. qui filiabus 17. ff. de legat. 1. Bart. in l. Centurio ff. de Vulgar. & pupill. Socin. Iun. vol. 4. conf. 55. num. 10. M. Anton. lib. 2. resol. 52. num. 12.*

132 Cum tempus adijcitur credendum est, pro hærede fuisse adiunctum, nisi alia fuerit mens testatoris, *l. cum tempus 17. ff de regul. iur.* Quare potest ante periculum soluere, si velit, nisi adsit fraus, vt quia pecunia minuenda est.

133 Non aliter à significatione verborum recedendum est, nisi cum manifestum est, aliud sensisse testatorem, *l. Non aliter 69. ff. de legat. 2.*

134 Hæres potest declarare mentem testatoris, si est informatus. *Mant. de coniect. lib. 3. tit. 1. num. 26. Gabriel. lib. 6. commun. concl. 3. num. 76. Caphal. lib. 2. conf. 183. num. 71. Castillo Sotomaior lib. 5. quotid. contr. cap. 183. initio Rota par. 5. tom. 1. decis. 28. num. 9.* Quia locutio testatoris est sermo hæredis, *l. Postulante ff. ad Senat. Trebell. Gratian cap. 717. num. 27.*

135 Etiam per scripturam priuatam potest declarari mens testatoris. *Mantica lib. 3. tit. 1. numer. 7. Rota vol. 1. decis. 507. numer. 6.*

Quod aliqui dicunt, si testator præuidisset, disposuisset, non habet aliquam rationabilem verisimilitudinem, quia sicut conditio nihil ponit in esse, ex vulgatis iuribus, ità neq; aliud inferre potest. Subintrat alia ratio contraria: *Si voluisset, expressisset, Rota par. 6. dec. 249. n. 14.* Non enim sufficit velle, sed in effectu debet constare de dispositione factà, *l. Licet quidam, ff. de instit. Bald. & Imola apud Decium in cap. super literis 20. de rescr. num. 20.* quod ergo testator non dixit, præsumitur illud noluisse, *l. Labeo ff. de supellect. legat. apud Rotam par. 3. dec. 358. num. 10.* vbi refert illud vulgatum: *Testamentum non cantat, neq; ego cantabo.* Nullus ergo est grauandus in eo, quod testator expressè non dixit, voluntas enim eius magis colligitur ex expresso, quam ex tacito, *ex eadem Rota num. 15.* 136

Ex his, & similibus regulis deduci potest, qualis fuerit mens testatoris.

Quæres 31. An testator magis diligat institutum, quam substitutum, & legatarium?

℞. Affirmatiuè, nam natura inclinat amare magis suos, & illis benefacere magis, quam alijs, id enim exigit ordinata Charitas, *ex D. Thoma 2.2. q. 26. ab art. 7.* Maximum enim vitium est alienam sobolem propriæ anteponere, *ex l. Maximum 4. C. de liberis præteritis.* Quare non est verisimile, quòd testator plus diligere voluerit substitutum, quam institutum, *l. Publius 36. §. Titia ff. de cond. & dem.* Præsumitur testator voluisse magis grauare fideicommissarios, quam filios, *Gratian. conf. 5. num. 31. ex eo Ludouis. dec. 315. num. 14.* Præsumitur magis dil gere suos, quam extraneos, & sic illos minus grauare, quam posset, *l. Generaliter 6. §. cum autem C. de institut. & subst. l. cum auus 101. ff. de cond. & dem. l. Vxorem 39. §. in testamento ff. de legat. 3. l. qui dotem. 17. ff. de dote prælegatà.* Et dixi suprà *num.* 110. dum probaui, minus esse dandum ab hærede in dubijs legatis. Demum, quando instituta fuit causa pia, ea censetur magis dilecta, *Borsat. vol. 1. conf. 47. Rota par. 6. dec. 247. num. 11.* hinc est, quòd in legatis pijs soluitur, quod est maius, & pretiosius, *ex probatis suprà num.* 111. 137 138

Quare fauor filiorum præponderat causæ piæ, ita ut non debeant filij exhæredari, vt Ecclesia instituatur, *ex S. August. relato cap. fin. q. 4. causa 17. Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 189. num. 121. Tiraq. de pià causà in præfat. vers. quin etiam, Surd. de Alim. tit. 9. q. 9. num. 15. cum alijs. Barb. ad dictum cap. quos cum alijs retuli de Profess. regul. in Edit. Venetà cap. 13. q. 66.* 139

Quæres 32. An valeat legatum de re alienà? Nulli dubium est, quemlibet rem propriam legare posse, cum illius sit dominus, *Instit de legat. §. Si quis rem suam.*

C ℞. Le-

140 R. Legatum rei alienæ scienter factum valet, si verò testator ignorauit rem esse alienam, non valet, nisi sit factum personæ coniunctæ, vxori, vel alij, dum sciebat esse alienum; & valet etiam factum pro causà pià, siue sciat rem esse suam, siue ignoret, & tunc non res aliena legata tradenda est, si dominus eius redemptionem neget hæredi, sed eius æstimatio, etiam de iure Canonico; si verò testator habet aliquod ius in re alienà, censetur legare illud ius tantùm, quod in eà habet; onus autem probandi scientiam spectat ad legatarium, vt possit consequi legatum. Singulæ partes probantur referendo in primis textum iuris ciuilis communem toti responso, his verbis: *Cum alienam rem quis reliquerit, si quidem sciens, tam ex legato, quam ex fideicommisso, ab eo, qui legatum, seu fideicommissum meruit, peti potest. Quod si suam esse putauit, non aliter valet relictum, nisi proximæ personæ vel vxori, vel alij tali personæ datum sit, cui legaturus esset, etiam si sciisset rem alienam esse.*

141 Prima pars, quòd valeat legatum factum à testatore, qui sciebat rem esse alienam, suadetur, quia eius voluntas fuit, vt illud consequeretur, si non ratione rei, quod præsumendum non est, quia verba testatoris ita sunt intelligenda, vt non fuerit peccatum in constitutione testamenti, *l. Plausius 9. ff. de auro, & arg. leg.* saltem ratione æstimationis. Est communis apud *Gomez tom. 1. cap. 12. num. 13. Crassus q. 14. de legat. num. 3. Rota par. 1. decis.* 458. *num.* 8.

142 Secunda pars, quod non valeat legatum profanum extraneis factum, quando testator ignorabat rem esse alienam, probatur ex eodem textu, & ratio est, quia rem illam intantùm legauit, in quantùm putauit esse suam, quod si sciuisset non esse suam, non legasset forsan, vnde cum in dubio quis non præsumatur de rebus alienis testari, *ex Bart. in l. Codicillis ff. de legat. 2. Decio cons.* 378. *num. 1. Caphal. cons.* 557. *num.* 15. *Iulio Cæsare Caluino dub.* 994. censetur non habuisse voluntatem testandi de alienis, *instit. eod. §. non solum.*

143 Tertia pars, quòd valeat legatum de re alienà siue scienter, siue ignoranter factum sibi coniunctis, probatur ex eodem textu, præsumitur enim eius talem fuisse voluntatem efficacem, sic suadente affectione speciali ergà coniunctos, quibus omne bonum desideratur, vnde si testator præsciuisset rem esse alienam, adhuc legasset ob affectionem ergà consanguineos. Ita *Gomez tom. 1. cap. 12. num. 13. Crassus q. 14. num. 3. alijs allegatis Gratian. cap. 611. num. 9. Rota par. 6. dec. 192. num. 20. & par. 9. dec.* 148.

144 Quarta pars, quòd valeat ad causas pias, siue sciat esse rem alienam siue non, probatur ex postremis verbis: *vel alij tali personæ datum sit, cui legaturus esset, etiam si sciisset, rem alienam esse.* Ratio est, quia cum legatum vt pium cedat in commodum animæ suæ, præsumitur eius voluntatem fuisse efficacem in testando. Est communis, apud *Tiraq. priuil. 66. Roman. cons. 235. num. 5. Menoch. lib. 4. præsumpt. 116. num. 30. Mantica lib. 9. tit. 9. num. 4. cum alijs. Gratian. cap. 611. num. 10.*

Quinta pars, quod res legata, seu æstima- 145
tio ab hærede sit tradenda, probatur *instit. de legat. §. non solum*, illis verbis. *Non solum autem testatoris, vel hæredis res, sed etiam aliena legari potest, itaut hæres cogatur redimere eam, & præstare, vel si eam, non potest redimere, æstimationem eius dare.* Quando constat rem esse alienam, & dominus non vult vendere, non enim tenetur, danda est æstimatio, & sic satisfacit voluntati testatoris, & legatario, qui rem sibi vindicare non potest cum sit aliena, vnde ibidem textus subiungit: *Sed si talis res sit, cuius commercium non est, vel adipisci non potest, nec æstimatio eius debetur, veluti si campum Martium, vel Basilicas, vel templa, vel quæ publico vsui destinata sunt, legauerit, nam nullius momenti tale legatum est.* Ex intelligentià huius textus meo iudicio ius Ciuile concor-
datur cum iure Canonico *cap. Filius 5. de* 146
testam. vbi legatarius cogitur restituere res Ecclesiæ sibi legatas, illæ enim sicut non possunt venire in commercium, ita neq; legari, legatum ergo rei Ecclesiæ nullum est, ac proinde neq; debetur legatario, & in hoc conueniunt ius Canonicum, & Ciuile, licet verba textus aliud videantur exprimere, inquit enim: *leges seculi hoc habent, vt hæres ad soluendum cogatur, si auctor eius rem legauerit alienam, sed quia lege Dei, non autem lege huius seculi viuimus, valdè mihi videtur iniustum, vt res tibi legatæ, quæ cuiusdam Ecclesiæ esse perhibentur, à te teneantur, qui aliena restituere debuisti.* Sed quidquid sit de his verbis: *leges seculi hoc habent, vt hæres ad soluendum cogatur*, certum est, vtrumq; ius in hoc conuenire, quod hæres non tenetur soluere legatum de rebus Ecclesiæ, quia nullum est ex vtroq; iure, vt alijs adductis probat *Gratian. cap. 611. à num.* 20. & hæc sententia est vera, adeo quòd inter ius Ciuile, & Canonicum nulla est differentia attentis locis citatis *instit. & Codicis, & cap. Filius 5. de testam.* quia hæres cogitur si non potest rem alienam legabilem redimere, dare æstimationem legatario, quod est viuere non solum lege seculi, sed etiam Dei, cum nec iure Ciuili permittatur legatario vsurpatio rei alienæ.

Sexta pars, quòd legatum rei alienæ, su- 147
per quam testator, aliquod ius habet, debeatur quo ad illud, & non amplius, probatur, quia intelligitur legare id tantum, quod suum

um

tum est, & non alienum in eo casu, vt colligitur *ex l. Serui elect. 5. §. cum fundus, de legat. 1. l. vxor. 20. C. eod.* vbi legatã re siugiferã, intelligitur solum legatus vsufructus, super quo ius habebat, & non super rem. Ita *Capra consl. 106. & 107. num. 12. Bursat. lib. 1. cons. 5. num. 14. cum alijs Gratian. cap. 611. num. 4.*

148 Septima pars, quòd onus probandi scientiam spectet ad legatarium, probatur, quia in tantùm valet legatum in profanis factum extraneis, in quantum testator sciebat se rem alienam legare, ex dictis sub primâ parte, si ergo hæres neget scientiam testatoris, ne soluat legatum ex hac negatiuâ nullum suppositum, sequitur, onus probandi scientiam rei alienæ habuisse testatorem reijci in legatarium, vt possit obtinere legatum. Ita *instit. de legat. §. quod autem, in fine, Glos. V. Alieni, cap. Filius 5. de testam.*

Quæres 33. An valeat legatum à debitore factum suo creditori? Et an in dubio præsumatur factum ad compensandum, & extinguendum debitum? Dico, *in dubio*, quia si id exprimat, dicendo, se velle, quòd legatum sit pro satisfactione, & extinctione debiti, si legatum acceptet creditor legatarius, non amplius potest petere suum creditum, esto legatum fuerit minoris valoris, quàm debitum. *Alex. in l. si compensandi, C. de har. instit. & lib. 2. cons. 132. Couar. in cap. Officij num. 10. ex eis Crassus q. 16. fine.*

149 ℞. Valet si ex eo resultat legatario aliquod commodum considerabile: & in dubio præsumitur factum in recompesationem, si debitum est necessarium, aut legale, non autem si est voluntarium, vel ex contractu, vnde in hoc casu creditor legatarius potest vtrumq; petere.

Prima pars, quòd valeat, patet, quia debitum debito addi potest, & augeri noua obligatione, *l. si creditori 28. ff. de leg. 1.* Est communis, *Gomez tom. 1. cap. 12. num. 26. Crassus q. 16.*

Secunda pars, quod præsumatur factum in recompensationem deb ti necessarij, probatur ex varijs coniecturis *à Rota par. 7. decis. 312.* vnde legatum factum à marito compensatur in eius dote *l. si cum dotem 23. §. si pater, ff. sol. matr. Gratian. cap. 448. num. 14. Crassus q. 16. num. 8. Rota par. 5. tom. dec. 31. num. 16.* Vide infra *q. 50.* de dote prælegatâ.

Tertia pars, quòd non præsumitur factum in recompensationem respectu debiti voluntarij, probatur expressè *l. creditorem 86. ff. de leg. 2. Surd. cons. 112. num. 44. & 64. Rota par. 9. dec. 152. num. 18.* Vide latius infra *cap. 19. num. 47.*

150 Vt autem compensatio locum habeat debent vrgere coniecturæ, vnde *primò* censetur compensatio, quando testator dixit, quod nihil aliud prætendere possit, *ex dictis initio. Huius quæstionis, Rota par. 5. dec. 28. num. 11.* Præsumitur *secundò* animus compensandi, si legatum fuit factum ob eandem causam, ob quam erat debitum, *ex eadem Rota num. 7. 8. & 15.* Censetur 3. testator compensare, quando instituit creditorem suum hæredem, *Rota par. 5. dec. 19. num. 16. & par. 9. dec. 152. num. 24.* Censetur 4. factum animo compensandi, quando parum remaneret hæredi, *Menoch. lib. 4. præsump. 110. num. 40. Rota par. 9. dec. 460. num. 25.*

E contrà excluditur animus compensandi, quando legatum est factum cum onere fideicommissi, *Capra cons. 143. n. 5. & 16. Menoch. lib. 4. præsumpt. 110. n. 27. cum alijs Rota par. 9. dec. 152. num. 21.* Pariter non dicitur habere animum compensandi, quando legauit personæ à se valde dilectæ, *ibidem num. 22.* ad excludendam autem compensationem non sufficit quælibet leuis coniectura, *Menoch. lib. 4. præsumpt. 110. num 10. & 11. Honded. lib. 2. cons. 50. num. 33. Rota par. 5. dec. 28. num. 12.* 151

Quæres 34. An legatum omnium vestium, quæ sunt in domo, comprehendat vestem cæsam tantum à Sartore, nondum sutam, vel etiam pannum paratum pro veste, sed nondum cæsum?

℞. Affirmatiuè, *ex l. Vestimentum 24. ff. de auro, & arg. legato*, quia pannus emptus ad vestimentum faciendum est in proximâ potentiâ ad vestem, & sic pro veste habetur; non venit tamen materia præparata pro telâ faciendâ, quia nullo modo est vestis. Itâ *Bart. in dictam leg. Aufrer. dec. 837. Crassus q. 21. de legat.* 152

Quæres 35. Quid intelligatur legatum sub nomine alimentorum?

℞. Victus, vestitus, habitatio, & medicinæ, de victu, seu cibarijs, & vestitu, & habitatione sub nomine alimentorum, expressè, *l. legatis 6 ff de alim. legat.* hæc tria sub nomine alimentorum veniunt, quia sine his, vt ibi dicitur, corpus ali non potest. Veniunt prætera medicinæ, *ex l cum dotem 23. ff soluto matrim. § si autem* ibi: *Alimenta præstare, & medicinâ et succurrere*, ibi *Bartol. num. 9 Corneus lib. 2. cons. 145. cum alijs Barb. V. Alimenta, num 8.* Venit tam lectus, expressè, *l. Quos nos 234. ff. de verb. sign Roland. à Valle cons. 22. num. 6. Capra cons. 87 num. 11.* apud eundem Barbosam *num. 4.* 153

Quæres 36. An valeat legatum fructuum omnium bonorum, alio hærede instituto post mortem vsufructuarij? Sed quid dicendum, si testator instituat, & post mortem vsufructuarij instituat hæredem vniuersalem instituat? An sit simplex legatum, an sit inductum fideicommissum?

℞. Valere legatum, & in vtroq; esse purum legatum, & si enim legatum capiendum sit de manu hæredis, & hæres videatur posterior, 154

cum post mortem legatarij succedat, id tamen absolutè verum non est, non enim institutio est conditionalis, sed pura, per quam statim post mortem testatoris adit hæreditatem, vt possit dare legatario vsumfructum, post cuius mortem ipse hęres incipit esse dominus etiam fructuum. Et hàc ratione tollitur ratio contrariæ opinionis dicentium tale legatum esse inualidum, quia non adest hæres, de cuius manu recipiatur legatum, id enim falsum est, cum reuerà adsit hæres proprietatis, quod sufficit, vt legatarius possit legatum recipere de eius manibus. Ita *Bald. in l. quod pauperibus C. de Episc. & cler. num. 27. Caualcan. de vsufr. mulier. num. 224. Roman. cons. 71. Paris. cons. 97. cum alijs Crassus q. 23. de legat.*

Quæres 37. Quid consequatur vxor à suo marito relicta domina, & vsufructuaria omnium bonorum filijs institutis hæredibus.

155 ℞. Intelligitur habere ius tantùm ad alimenta. Ità *Glos. V. Derogari Auht. Hoc locum. C. si secunda nupt. Baldus, Bartolus, & alij ibidem, Crassus q. 24.* Procedit etiam si moriantur filij ante ipsam, *Cepola lib. 1. de seruit cap. 4. Anchar. cons. 185. Angel. cons. 97 Alex. cons. 42. apud eundem Crassum num. 4.* Habet locum etiam respectu nouercæ, ità *Capra cons. 72. Franc. Marcus par. 1. dec. 849. ex eodem Crasso num. 5.* qui *num. 6.* ait cum alijs procedere etiam nepotibus institutis. Quod si instituantur hæredes ascendentes, in eo casu vxor habebit omnem vsumfructum, quia hæreditas non est ità debità ascendentibus, sicut descendentibus, *Imola in l. Titia §. fin. ff. de legat. 2. Ant. Gabriel. lib. 5. tit. de vsufr. concl. 3. num. 48. Crassus num. 8* Si partim instituatur filius, & partim extraneus, vxor ex bonis filij habet tantùm alimenta, respectu vero extranei omnem fructum, *Bartr. in l. Titia, Roland. à Valle vol. 2. cons. 74. num. 5. Cauale. de vsufr. mulier. num. 42. Crassus n. 9.*

Quæres 38. An legatarius vsufructuarius possit cædere arbores?

156 ℞. Potest præcidere arbores ceduas eo modo, quo cedebat testator dum viueret, quia dicuntur esse in fructu, *l. in silua ff. de vsu. capt.* Non autem arbores frugiferas, debet enim esse contentus de illarum fructibus, cum nullum ius habeat in substantiam eius. Ita omnes *in l. Diuortio, §. si fundus, ff. solut. matr. Crassus q. 33. de legat.*

Quæres 39. An vsufructuarius omnium bonorum teneatur soluere debita testatoris?

157 ℞. Ad vtrumq; tàm .s. ad hæredem, quàm ad vsufructuarium pertinet solutio, vendendo scilicet tot bona hæreditatis, quæ sufficiant ad extinctionem debitorum, nam quod superest, deducto ære alieno, dicitur à testatore relictum, & sicut ipse testator tenebatur sua extinguere debita, ita & qui ei successerunt; venditis ergo aliquibus bonis, tam hæres, qui à se alienat proprietatem, quam vsufructuarius ex eà alienatione non amplius fructus recipiens, dicuntur ambo soluere debita testatoris. Est communis, *Decius cons. 260. num. 8. & cons. 485. num. 14. Castrens. lib. 2. cons. 460. num. 3. Craueta cons. 197. Couar. lib. 2. Var. cap. 2. cum alijs Crassus q. 35. de legat.* Dixi, *omnium bonorum*, quia vsufructuarius in certis rebus determinatis ad nihil tenetur, ex eisdem cum *Couar. tit.*

Quæres 40. Ad quemnam spectat soluere legata, an ad vsufructuarium, omnium bonorum, an ad hæredem proprietarium?

℞. Tenetur hæres soluere legatum semel 158
soluendum, quia ipse adijt hæreditatem, *Bart. in l. fin. ff. de vsuf. Decius cons. 590. Coradinus cons. 94. num. 24. Couar. lib. 2. Var. cap. 2. num. 7. Crassus q. 36. de legat.* Si est annuum pertinet ad vsufructuarium cum omnes fructus sint apud illum; irrationabile enim est, quod hæres singulo anno debeat aliquid vendere pro soluendo huiusmodi legato. Ita *Ruinus vol. 2. cons. 206. num. 3. Socin. Iun. vol. 1. cons. 115. num. 10. Roland. vol. 2. cons. 8. num. 80. cum alijs Crassus.* Prudentiores sunt testatores nostris temporibus, qui non obligant ad solutionem legatorum suos hæredes, nisi cum fuerint etiam domini vtilis dominij post mortem vsufructarij, vel huic addunt onus.

Quæres 41. An legatarius vsufructuarius omnium fructuum teneatur ad tributa, & onera tam ordinaria, quam extraordinatia?

℞. Affirmatiuè, quia huiusmodi onera 159
sunt realia, & sequuntur rem, vnde deducuntur ex fructibus, sicut dictum q. 40. Ita *Glos. V. Fructus in l. 1. C. de ann. tributis, ibi Doctores Crassus q. 35. de legat.*

Quæres 42. Quibus actionibus legatarius possit consequi suum legatum?

℞. *In l. 1. C. communia de legat.* Tribus 160
actionibus legatarius potest consequi legatum, actione personali ex testamento, rei vindicatione, & hypotecarià. Ibi *Doct.* concurrunt autem origine, non exercitio, ait *Bart. in l. 1. ff. de legat. 1.* ab vnà enim ex his incipiendo, non potest aliam eligere, quia non concurrunt cumulatiuè. *Crassus q. 74. de legat.*

Quæres 43. A quo die legatarius incipiat habere ius ad fructus sui legati? Noto, legatum spectari dupliciter, primò pro re frugiferà, vt domus, fundus, vinea. Secundò pro re infrugiferà, vt sunt pecunia, vestis, &c.

℞. Quando legatum est de re fructiferà, à 161
die mortis testatoris debetur res legata cum suis fructibus, si legatum fuit purum, si vero est conditionale, seu in diem, debetur cum suis fructibus à die adimpletæ conditionis, seu temporis terminati, & quidem hoc verum est, siue hæres adierit hæreditatem, siue non, executio tamen, & solutio legati facienda est post aditam hæreditatem. Respectu

verò

verò legati infructiferi, nulli debentur fructus, nisi post litem contestatam. Existente autem in morà hærede, is tenetur ad interesse, & damna, quæ legatarius passus est.

162 Prima pars, quod legatum purum frugiferum debeatur à die mortis testatoris cum suis fructibus, probatur, *ex l. 1. C. communia de legatis, l. quæsitum 40 ff. de aquir. dom. l. A Titio 66. ff. de furtis*. Ratio est, quia eius sunt fructus, cuius est dominium, sequuntur enim dominum, *l. Ex diuerso* §. 1. *ff. de rei vindic*. sed legatarius purus à die mortis testatoris incipit esse dominus legati, ergo, & fructuum eius. Ita *Bald. in l. 1. C. de vsufr. oppos. 2. Ruin. lib. 1. cons. 50. num. 10. fine, Couar. lib. 1. Var. cap. 9. num. 5. fine, Gratian. cap. 136. num. 2. cap. 250. num. 1. cap. 688. num. 19.* Hęc opinio est verior secundum Molinam *disp. 194. de Lugo disp. 24. de iust. num.* 238. fine, contra alios, qui volunt, dominium in legatario aquiri ab aditâ hæreditate; sed ad hoc respondetur, legatarium à die mortis testatoris verius aquirere dominium legati, sed illud non posse petere nisi post aditam hæreditatem, cum ab hærede regulariter sit petendum.

163 Secunda pars, quòd fructus legati conditionalis non debeantur, nisi adimpletà conditione, probatur, quia à die purificatæ conditionis, vel die cedente incipit esse dominus legati, ergo ab eo die tantùm vtrunq. potest. Ità *Iason. in l. 1. ff. de legat. 1. num. 115. & 127. Couar. lib. 1. Var. cap. 9. num. 5. Gratian. cap. 250. num. 13.* De legato in diem, *l. Sempronius 26. ff. de vsu, & vsufr. legat. Glos. in l. 1. §. 1. C. de caduc. toll. Gratian cap. 250. num. 14.*

164 Tertia pars, quòd à die moræ debeantur vsuræ cum damnis, & lucris cessantibus, hoc est à contestatione litis, probatur quia vltima mora nocet, *l. Prætor 20. §. Si aliquando ff. de operis noui nunt.*, & sua mora vnicuiq; est nociua, *l. 134. ff. de reg. iur.* & cum nulla intelligatur mora fieri, vbi nulla præcessit petitio, *l. 89. ff. de reg. iur.* ideò à contestatione litis mora incipit esse cuiq; nociua. Ità *Gulielm. Bened. in cap. Raynutius de testam. V. si absq; liberis, num. 150. Gratian. cap. 250. num. 14.* Non est autem necesse probare lucrum cessans, aut damnum emergens ex morà, vt docent, *Gait. de creditis cap. 2. tit. 7. num. 1763. Criuell. dec. 92. num. 4. & 5. Andreol. contr. 282. num 8.* quia id à iure præscribitur faciendum.

Quæres 44. Cuinam pereat legatum, hæredi, an legatario?

165 ℞. Perit legatario, si desit, post quàm illius factus est dominus, loquendo de re certà, & certis fructibus, ratio est, quia res perit domino suo, *Roman. cap. 14. num. 4.* ibi: *Domino suo stat, aut cadit*. Ità *Gratian. cap. 62. num.*
166 12. In duobus autem casibus perit hæredi, primò cum legatum fuit factum in genere indeterminato, vt si legauit vnum ex suis equis, vno moriente, adhuc tenetur tradere alium, quia moritur hæredi, non verò, si illum designauit acceptanti legatario, periculum enim est debitoris, cum debitor generis non liberetur re peremptà, *l. Incendium ff. si cert. petat. l. in ratione 30. §. incerta C. ad legem Falcid. idem Gratian. num. 12. Sperell. dec. 107. num. 76.* Secundò hæres, seù creditor existens in morà tenetur legatario si res certa perit, quia riculum post moram spectat ad debitorem, *l. cum res legata 49. §. fin. ff. de legat. 1.*

Quæres 45. An legatum possit repudiari à legatario?

℞. Legatum nulli dubium est posse repu- 167
diari à legatario, etiam si Ecclesia sit legataria, non verò à Monacho, nisi de licentià Superioris, qui sine Solemnitate, sed proprià auctoritate repudiare potest.

Prima pars de repudiatione probatur ex illo communi axiomate, quia nemo tenetur acceptare beneficium sibi oblatum, si quidem beneficium non confertur in inuitum, *l. Inuito 70. ff. de reg. iur.* vndè in omni legato intelligitur hæc clausula: *Si pars vti voluerit*. Legatum ergo repudiari potest, non in parte, sed in totum, si legatarius vult illud repudiare; & repudiatione factà censetur legatum, ac si numquam factum fuisset, *l. legatarius 38. ff. de legat. 1.* Verum quidem est, quod huiusmodi repudiatio facienda est de Legatis conditionalibus, & in diem, purificatis, conditione, & die, quia ab hoc tempore tantùm incipit legatarius habere dominium illius, vt dicitur *in l. Si ita 46. §. Si sub ff. de legat. 2.*
vbi Bartol. eam allegat rationem. Sed meo 168
iudicio cum vnusquisq; renuntiare possit iuri de futuro etiam in præiuditium aliorum, etiam in legatis, *ex Bart. in l. in fraudem ff. de iure fisci, Surdus dec. 140. num. 8. & dec. 300. num. 17. Giurba super consuet. Messan. cap. 5. Glos. 6. num. 13. & Glos. 8. num. 5. & 6. ex eis Gratian. cap. 882. num. 30.* Non video cur legatarius non possit repudiare legatum conditionale, & in diem antè aduentum conditionis, & diei, cum legatum sic conceptum importet ius futurum. Legatum autem repudiatum remanet apud hæredem, cum sit de bonis testatoris, cui ille succedit in defectum legatarij, *l. Si tibi homo 88. §. cum seruus*
ff. de legat. 1. hoc enim ipso, quod legatum 169
repudiatum habetur, ac si numquam factum fuisset, procul dubio, connumeratur inter bona hæreditatis. Sequitur proindè ex hac repudiatione, legatarium non potuisse rem legatam alijs obligare, dum fictione iuris dicitur, numquam fuisse legatarij, illis verbis: *Nam si legatarius repulerit à se legatum, numquam eius fuisse videbitur*, ex dicta *lege* 88.

Secunda pars, quod Ecclesia legataria pos- 170
sit repudiare legatum sibi factum, probatur, quia si aliqua ratio obstat maximè, quia id est alienare bona Ecclesiæ; sed hoc est falsum, er-

Digitized by Google

go poteſt repudiare. Falſitas minoris probatur, quia valdè differunt inter ſe alienare, & repudiare, nam illud dicitur alienari, quod
171 diſtrahitur à corpore Eccleſiæ, quæ rei dominium, & poſſeſſiouem habet in ſe incorporatam; repudiare verò eſt rem nondum incorporatam Eccleſiæ nolle aquirere, & eam non incorporare Eccleſiæ; alienare ergo eſt rem aquiſitam alteri dare, & excorporare ab Eccleſià, incorporatio autẽ fit apprehenſione, & poſſeiſione rei, ſicut & ex his probatur, *ut ex Socin. Iun. lib. 2. conſ. 126. num. 1. docet Rota par. 4. dec. 627. num. 9.* Repudiare verò eſt nolle aquirere, & omittere actum aquiſitionis, *l. Nec it 17. l. 15. poteſt 18. ff. de aquir vel omitt. hæred.* Cum ergo repudiatio ſit tantùm omiſſio delatorum, & non diſtractio aquiſitorum, ſequitur hunc actum non comprehendi ſub iuribus de rebus Eccleſiæ non alienandis. Eſt communis *apud Sanchez. lib. 6. diſp. 4. num. 12. Doctores citaui reſol. 27. nu. 46. & 47. & reſol. 53. num. 67.* Nec obſtat, quòd *in l. Magis puto 5. §. Fundum ff. de re-*
172 *bus eorum*, dicatur: *Eſſe enim, & hanc alienationem, cum res ſit pupilli, nemo dubitat.* Quia in eo textu repudiatio legati, vocatur alienatio non ſimpliciter, ſed relatiuè, & in ordine ad pupillum tantùm, dum inquit enim *cum res ſit pupilli*, quodammodo indicat, quòd pupillaritas eſt in causà, cur repudiatio de legato pupilli facta vocetur alienatio, vnde vt quid ſpeciale non eſt extendendum ad quamlibet ſpeciem repudiationis maximè, vbi agitur de incurrendis pœnis.

173 Tertia pars, quòd in repudiatione non ſit neceſſaria ſolemnitas hoc eſt, iuſtà cauſà, conſenſus capituli, & licentia ſedis Apoſtolicæ, probatur, quia hæc ſolemnitas tantùm neceſſaria eſt in alienationibus rerum Eccleſiaſticarum iam Eccleſiæ, ſeù monaſterio incorporatarum, cùm in illis tantùm à iure exigatur; ſed repudiatio ex mox dictis non eſt alienatio, ergo ad eam nulla ſolemnitas requiritur, cum iure aliquo non petatur. Confirmatur ex illo communi axiomate: quòd ſolus Prælatus in aquirendis poteſt Eccleſiæ
174 præiudicare, non autem in aquiſitis. *Gloſ. V. Non debet, cap. 2. de donat.* quam ferè omnes ſequuntur *cum Innoc. ibidem initio, Butrius num. 10. Seraphin. de priuileg. iur. priuil. 71. num. 12. fine.* Eſt communis cum *Roſella V. Alienatio num. 10. Silu. q. 19. Tabiena q. 10. Corneus lib. 3 conſ. 11. num. 2. Feder. de Senis conſ. 9. cum alijs Paſqual. q. 10. 89. de ſacrif. miſſæ.*

Quæres 46. An hæres vltra vires teneatur ſoluere legata tam profana, quam pia?

175 ℞. Quamuis hæres, qui non confecit inuentarium, non teneatur vltra vires hæreditatis ſoluere debita, & legata relicta etiã locis pijs in foro conſcientiæ, in foro tamen fori datur actio contra illum, & condemnatur, ſi non probat, aliud non eſſe in bonis hæreditatis, per quæ omnibus fieri poſſit ſatis. In foro ergo conſcientiæ, ſiue factum fuerit inuentarium, ſiue non, hæres non tenetur vltra vires hæreditatis, quia de ſuo nullus tenetur ſoluere aliorum debita. Et in hoc omnes conueniunt cum *Angelo V. Hæres num. 6. Tabiena num. 6. Silu. num. 7. V. hæreditas 3.* Nullus contradicit. In foro externo ſi confecit inuentarium pariter ad nihil tenetur, ob eandem rationem, quia nemo tenetur ſoluere aliena debita. Et in hoc omnes conueniunt apud præcitatos. Quando ſubtraxit aliquid leges condemnant occultantem, vel ſuſcipientem aliquid in duplum, vt notant allegati à *Gratian. cap. 34. à num. 2. & ſeq.* Si verò non confecit inuentarium tenetur vltra vires hæreditatis, quia præſumitur contra ipſum, *ex l. fin. C. de iure delib.* vbi de tempore, quod datur ad conficiendum inuentarium; ſi ergo probat vlteriora non adeſſè bona elidit præſumptionem, & ad nihil tenetur etiam in foro externo.

Quæres 47. An legatum ſpecialo deroget generali?

℞. Affirmatiuè, per illam communem re- 176
gulam 34 in 6. generi derogatur per ſpeciem. Ita *Abbas conſ. 4. num. 5. lib. 2. Bald. lib. 5. conſ. 253. num. 3. Verſ. ſi verò, Craueta conſ. 86. num. 4. & 5. Ruin. lib. 2. conſ. 90. num. 9. Surd. de alim. tit. 2. q. 15. num. 130. cum alijs Paſqual. q. 242. num. 4.*

Quæres 48. An valeant legata incertis perſonis facta, & quando illis aquirantur?

℞. Legata profana non valent, vt pronun- 177
tiatur *l. ſi ita fuerit 11. ff. de reb. dubijs, l. Titia 35 ff. de legat. 2. inſtit. de legat. §. incer-*
tis. Sunt verò valida, & firma legata pia fa- 178
cta pauperibus incertis, qui licet tales ſint in voluntate teſtatoris, in eius tamen executione certificantur per electionem de illis faciendam per deputatos executores mentis teſtatoris. Eſt communis cum *Roman. in Auth. ſimiliter ff. ad legem Falcidiam Paſqual. q. 236. n. 2. ex l. si quis 37. C. de Epiſcop. & cler.*

Sed quid dicendum, quando legatum pium eſt incertum quò ad vtrumq; ideſt, quò ad rem, & quò ad perſonam, cui legatur?

℞. Ad huc valere, nam legatum etiam 179
profanum incertum quò ad rem valet, vt probaui *q. 27.* ergo à fortiori pium; valet quoq; quò ad incertitudinem perſonæ, vt probatum fuit, ergo valet reſpectu vtriuſq; coniunctim ſpectati, cum vnum alteri non ſit contrarium. Ita *Specul. de inſtrum. §. nunc verò aliqua num. 25. Card. in Clem. 1. de teſtam. q. 28. Felin. in cap. 1. de Pactis num. 6. & 7. cum alijs Paſq. q. 236. num. 5. & 6.* Sicut autem pauperes eliguntur ab hærede, ita & res ab eodem deſignanda eſt; vel ab Epiſcopo, *ex lege nulli C. de Epiſcop. & cler.* ex eodem *Paſqual.*

180 Legatarius autem incertus tunc incipit habere ius ad legatum, cum primùm est nominatus, & electus, huiusmodi enim legatum videtur aquiri ad modum legatorum conditionalium, & in diem, quæ aquiruntur purificatà conditione ex probatis hic *q.* 14. & die cedente *q.* 15. ergo pari ratione aquiruntur incerto legatario, cum electione certificatur. Confirmatur id ex electione Canonicà ad beneficia, & Officia Ecclesiastica, licet enim multi concurrant ad electionem, non omnes tamen eliguntur, sed vnus ex eis, adeò quòd solùm electus dicitur habere ius ad Officium, ad quod electus fuit, *cap quam sit 6. de elect. in Glos. V. relatio, cap. quanto* 10. *dist.* 63. sic plures pauperes petunt distributionem legati, non ideo omnes aquirunt ius ad legatum, sed tantum illi, qui nominantur.

Quæres 49. An legatarius dicatur quasi hæres?

181 ℞. Affirmatiuè, *ex l. id tempus ff. de vsucap. Rota par.* 1. *dec.* 261. *num.* 2. Vnde venit sub nomine hæredum, & successorum *l. in conuentionibus ff. de verb. oblig.it. eadem Rota citata*. Differt ab hærede in eo, quòd dicitur simpliciter talis, & succedere debita in vniuersum ius defuncti, legatarius solum in suo legato.

Quæres 50. Quid commodi operetur dos prælegata? Proponitur casus. *Iure restitutionis, ac aliàs omni meliori modo reliquit D. Lucretiæ de Baratocijs eius vxori dilectissimæ dotes suas. quas dixit, & asseruit, esse de ducatonis mille, et quatuor centum à libris octo pro quolibet ducatono, vt apparere asseruit ex publico instrumento rogato etc. cui, etc.*

Antonius Maria Messorius de anno 1637. 18. Maij vti hæres ad formam dicti testamenti soluit, & restituit dotem exbursando ducatonos 1400. dictæ Lucretiæ. Post hæc venit in cognitionem ex instrumento dotali allegato, dotem Lucretiæ esse tantum de 600. ducatonis. Quare pro restitutione 800. indebitè solutorum mouit litem. Pars aduersa respondet, se ad nihil teneri, quia non est restitutio dotis puræ, sed alterius legati sibi facti à testatore, allegando *§. sed si vxori, instit. de legat. et l. cum scriptum* 7. *ff. de dote præleg.* vbi si legatur aliquid pro dote adiectà quantitate certà, siue dos fuerit nulla, siue minor, siue maior, tenet legatum, vt procedit in casu præsenti, in quo summa legata est maior dote, ergo Lucretia nihil tenetur restituere.

182 Respondendum est nihilhominus D. Lucretiam teneri restituere illum excessum D. Messorio, quia testator prælegauit tantum dotem, de quà in instrumento dotali, in quo expressè asseritur esse tantum ducatonorum 600. ad quod voluit suos hæredes habere rationem in restitutione dotis legatæ, non obstante, quòd errauerit asserendo fuisse 1400. addendo ex errore 800. supra 600.

Nam indubitatum est quod error calculi omninò emendandus est, vbi subrepsit, vt hìc, restitutione scilicet illius excessus *l. C. de errore calculi*, iura enim errantibus, non decipientibus subueniunt, *l. si is qui* 2. *ff. si minor maiorem se dicat.* Legatum enim hoc ratione prælegationis nullum aliud emolumentum affert legatariæ, nisi commodum repræsentationis idest, quod potest illud petere statim post mortem testatoris *ex l.* 1. *in fine §.* 1. *ff. de dote prælegatà*, non expectando annum post mortem mariti, de quo *l. Vn. §. cum autem C. de rei vxor. act.* Dos enim non legata non debetur, nisi post annum à morte mariti, vtiq; affecta qualitate legati, quod à morte testatoris, & post aditam hæreditatem peti potest, *l. a Titio* 66. *ff. de furtis l. legatum* 82. *de legat.* 2. Et cum in re vnica sit res affecta dote, & legato, vnum compensatur cum alio restitutione 600. ad tenorem instrumenti dotalis *l. si cum dotem* 23. *§. si pater ff. sol. matr. Crassus q.* 16. *de legat. num.* 8. *Gratian. cap.* 418. *num.* 14. *Ciarlin. cap.* 189. *num.* 2. *&* 41. *ex l.* 1. *ff. de dote præleg. §. adeo.* 183

Non obstat, quòd testator prælegando dotem asseruerit, eam esse 1400. ducatonorum, quia quando error est in referente, non attenditur, quod disposuit, sed quod in relato est expressum. *Doct. in Auth. si quis in aliquo C. de eden. vbi Decius num.* 34. *Alciat. num.* 6. *Paris. lib.* 3. *cons.* 7. *num.* 4 *&* 5. *Rota par.* 4. *tom.* 2. *dec.* 470. *num.* 4. Nam quando enuntiatiua est erronea, illi standum non est, nec vis aliqua facienda est in eà, cum vbi præsuppositum est falsum locum non habeat dispositio, *Seraphin. dec* 1190. *num.* 2. *Rota par.* 1. *Diuers. dec.* 283. *num.* 2. *Rota par.* 5. *Recent tom.* 2. *dec.* 442. *num.* 16. Ille ergo excessus supra dotem habetur prò nó scripto, & testator præsumendus est noluisse aliud relinquere, nisi solam dotem legatam, quia errantis nulla est voluntas, nullus proinde consensus in id, quod 184
ignoranter disponit, *l. Error C. de iuris, &* 185
facti ignor. Rota par. 6. *dec.* 188. *num.* 3. Neque enim error partibus nocere debet, neq;
rei substantiam mutare, *l. de ætate §. qui inf* 186
to. ff. de interrog. act. Error igitur calculi, qui
contigit in dispositione testatoris omninò tol
lendus est, *l.* 1. *C. de errore calculi*, & cum 187
importet iniustitiam contra partem, continuò, quandocumq; & semper debet emendari, *Rota in Posthum. dec.* 393. *num.* 3. *Gargiar. cons.* 70. *initio, & cons.* 88. *num.* 34.

Clarum autem est, quòd testator errauit asserendo, dotem suæ vxoris esse 1400. cum sit tantùm 600. ex inspectione instrumenti dotalis, cui standum est ex supradictis, & non credendum testatori referenti, dum omninò constat, dotem esse tantùm de 600. ducatonis, instrumentis enim lux veritatis assistit, &
rem certam, & manifestam facit, *Bald. lib.* 188
4. *cons.* 109. *initio, Graueta cons.* 542. *num.* 15.

cum

cum alijs Rota par.7. dec.144. num.1.

189 Huic testatori accidit, quod referunt Doctores, aliquos ob pompam, & quamdam honorificentiam, ampliare dotes suarum vxorum, quæ minoris sunt quantitatis, & ideo non attendi, cum augmentum hoc sit ad ostensationem fumosam, *Vide Paulum Rubeum ad dec. 282. par.9. num.85.*

190 Nec obstat *l. cum scriptum. 7. ff. de dote prælegatâ*, vbi dicitur, quòd si legatur aliquid pro dote, adiectâ certâ quantitate, siue dos fuerit nulla, siue minor, valet legatum. Et instit. *§. sed si vxori*, decernit valere legatum dotis, licet maritus eam non acceperit, si certa pecunia, vel certum corpus, aut instrumenta dotis in prælegando demonstrata sunt. Si valet vbi dos recepta non est, à fortiori, vbi recepta fuit, quamuis legatum sit maius dote, ergo Lucretia nihil restituere tenetur, cum ille excessus pro dote habeatur.

191 Et hinc colligunt, causam licet falsam non vitiare legatum, *l. si ita 12. de condit. & dem. l. Demonstratio 17. eod. l. 21. ff. de legat. 2. l. 100. ff. de legat. 3. l. Falsa 33. ff. de cond. & dem, l. quibus 40. §. qui dotalem ff. eod. l. cum tali 71. §. Falsam eod.*

192 Respondetur, casum nostrum esse diuersum à prædictis, nam *in l. cum scriptum 7. ff. de dote præleg.* testator simpliciter legat dotem nihil illi de nouo adijciendo, in quo casu sola dos restituenda est, cum testator aliud non leget, verbum enim *restitutionis* expræssum in testamento intelligitur de eo quod acceptum est, *ex allegatis à Gratian. cap. 824. num.7.* in casu verò allegatæ legis, legatum adiectum fuit sub eâ quantitate, & successit loco dotis non extantis, vel extanti, sed minori, maior quantitas fuit adiecta, & sic legatum propriè non est ipsa dos, sed loco illius, vt dixit textus extremis hisce verbis: *Non dos ipsa, sed pro dote pecunia legata videtur*. Testator autem in casu nostro dotem ipsam legauit, ibi: *iure restitutionis reliquis dotes suas*. Non ergo aliud reliquit loco dotis, & pro dote, *Glos. V. Pro dote* explicat *id est, sub simulatione dotis*. In casu autem nostro nihil simulatur, cum vera dos semper extiterit.

Ad locum Instit. dico, in eo casu, dotem non extitisse, vt verè extat in casu nostro, vnde demonstratio licet sit falsa quò ad excessum, hæc tamen demonstratio non prodest, sed vitiat legatum, tum quia pro non adiecta habetur, cum referens falsum non attendatur, sed relatum verum, ex probatis supra: Falsa autem demonstratio non semper legatum firmat, sed vitiat, quando error probatur, *l. 1. C. de falsâ causâ*. Vndè *Grammaticus dec. 59. num. 24.* ad propositum nostrum ait, quòd quando fit relatio ad aliquid, illudq; est verum, & magis restrictum, tunc dispositio restringitur, & limitatur, citando pro se *Bartol. in l. 3. C. de falsâ causâ*. Testator autem exprimendo quantitatem se refert ad instrumentum dotis, quod est restrictum; ergo legatum maius, cum nihil sit præter dotem, restringitur ad quantitatem dotis expressæ in instrumento dotali.

Quæres 51. An falsa causa, seu demonstratio vitiet legatum?

℞. Negatiuè, expressè, *l. si ita 12. ff. de condit. & dem. l. Demonstratio 17. §. quòd autem, l. Falsa 33. l. quibus 40. §. qui dotalem, l. cum tale 71 §. Falsam causam, eod. tit. l. cum quidam 21. ff. de legat. 2. l. His verbis 100. ff. de legat. 3.* Ex quibus locis clarè colligitur, errorem in demonstratione legati non vitiare legatum, sed deberi Legatario. Pro cuius intelligentiâ. 193

Notandum est, demonstrationem esse quoddam assertum; quo notificatur accidentaliter legatum ratione loci, aut alterius circumstantiæ relatæ ad rem legatam. *De Lugo disp. 24. n. 255.* ità definit, quod demonstratio est signum appositum ad significandam rem legatam, vel personam, cui legatur. Vnde duplex est demonstratio, vna notificans personam, altera demonstrans rem legatam; de primâ habes exemplum, *ex l. Falsa 33. ff. de cond. & dem. & alibi*, vbi falsa demonstratio, hoc est, error in personâ non vitiat legatum. De secundâ erroris in demonstratione rei, *ex l. Quibus 40. §. qui dotalem ff. de condit. & dem.* & in præcitatis legibus. 194

Vt error in demonstratione tàm personæ, cui legatur, quàm rei, quæ legatur, non vitiet legatum, necessarium est, vt constet de personâ, cui legatur, & de re, quæ legatur, quia demonstratio, siue vera, siue falsa, importat ex directo circumstantiam connotantem personam, aut rem, non hæc ipsa in recto, sed supponuntur certa, & determinata, & veritas, vel falsitas, & error redundat in eorum circumstantijs. 195

Error igitur in demonstratione personæ non vitiat legatum c. g. testator legauit centum. Petro vicino suo, vel qui habitat in tali domo. Tenet legatum, quamuis circumstantia loci sit demonstratio falsa, quam putabat esse veram, causa enim, quæ illum induxit ad benefaciendum proximo suo non fuit circumstantia loci, quæ supponit legati dispositionem pendentem ab amore, & amicitiâ erga proximum; demonstratio ergo non inducit ad legatum, sed demonstrat personam, cui fuit factum. Patet id ex textib. citatis, *de Lugo num. 257.* 196

In duobus casibus demonstratio personæ falsa vitiat legatum.

Primò, quando demonstratio causatiua est; sine quâ non fieret legatum, dum enim causa non est, effectus ab eâ procedere non potest c. g. Lego centum Petro nepoti meo, fratri meo, consanguineo vxoris meæ, &c. si demonstratio falsa est, vitiatur legatum, 197

quia

quia si hunc errorem præuidisset, non legasset. *Ex Molinâ de Lugo num.* 257.

198 Secundò, quando demonstratio falsa vitiat, legatum si concipiatur conditionaliter sic, Lego centum Petro, si habet vxorem, si est in domo &c. nam demonstratio transit in naturam conditionis, quæ si fit de præsenti, vel præterito, & falsa perimit legatum, ex dictis *q.* 4. in hoc capite.

199 Error in demonstratione rei legatæ, vt sciat legatarius, vbi reperitur, vel à quo res legata accipi possit, nō vitiat legatum, ex citatis legibus. Potest autē contingere tribus modis.

Primò, quando res legata nullibi reperitur, nec debitor illius, & in hoc casu vitiatur legatum, quia non censetur promississe nisi rem designatam, & sic nihil, cum nullibi reperiatur, nec fuerit tempore conditi testamenti, nec in morte testatoris, nam in hoc casu error cadit etiam circa substantiam rei, & non tantùm circa qualitatem eius.

Secundò, quando res legata reperitur alibi tenet legatum, quia error solum cadit super qualitatem, & nullo modo super rem.

Tertiò, quando res ex parte reperitur, sed non tota, non vitiatur legatum, sed debetur pars reperta, *Armilla V. legatum num.* 25. *Angelica num.* 35. *de Lugo num.* 255.

200 Bartolus cum alijs apud de *Lugo disp.* 24. *num.* 256. distinguit, errorem qualitatis vitiare legatum, quando legatum, & falsa demonstratio exprimūtur in eadem oratione sic: *Lego centum, quos habeo in tali capsâ*. Non vitiare verò, si testator disponat per duas orationes sic: lego tibi centum, & volo vt tibi soluantur ex ijs, quæ habeo in tali loco. Ratio est, quia in posteriori casu demonstratio subsequitur legatum iam existens, vnde illud vitiare non potest.

201 Sed super prædictis variant Doctores, vide *Molinam tom.* 1. *disp.* 109. *&* 110. interim dic Tu, tunc demonstrationem falsam circa qualitatem vitiare legatum, quando ipsa fuit causa finalis legandi, non verò si subsequitur; ratio diuersitatis est, quia in priori casu legatum dependet ab illâ demonstratione, quæ vt erronea, & falsa non potest tribuere esse legato; in posteriori verò casu, cum legatum non pendeat in fieri ab illo errore, sed supponatur esse, non potest infringi à subsequente errore, cum iam testator absolutè legauerit rem, quam post modum demonstrauit.

202 Hinc colligi potest, legatum dotis, de quo in præcedenti casu, vitiari per demonstrationem quantitatis pecuniæ, non respectu dotis, quæ iam extabat, & sic non pendebat à quantitate erroneâ demonstratâ, ac proinde tenuit legatum respectu dotis veræ, vitiari verò quò ad excessum, quia error demonstrans dotem consistere in 1400. præcessit ipsum excessum, cui dedisset esse, si fuisset vera demonstratio, quæ cum fuerit falsa, vitiauit ipsum excessum dotis fundatum in illâ numeratione falsâ quæ non potuit dare esse doti excessiuæ non extanti ex aliâ causâ.

Quæres 52. An pro emphiteusi legatâ debeatur laudemium?

R. Laudemium debetur à legatario de emphiteusi sibi relictâ siue erat successurus ex clausulâ: Cui, vel quibus dederit, siue non. Ratio est, quia Laudemium datur non pro inuestiturâ, seu consensu, aut traditione possessionis, sed præcisè pro recognitione dominij directi, vnde facultas exigendi illud non est personalis, sed realis, ac proinde transit cum re ad quamcumq; emphiteutam; quamuis concessa sit à domino hæredibus, & successoribus cum dictâ clausulâ, Ita *Imola in cap. potuit de locato num.* 64. *Bald. in l. cum dubitabatur C. de iure emphit. num.* 3. *Surd. dec.* 200. *num.* 5. *Gratian. cap.* 387. *num.* 10. *& seq.* 203

Quæres 53. An legatum centum scutorum e. g. relictum filijs N. qui sunt duo e. g. illis dandum sit in solidum, an distribuendum dando simulis quinquaginta?

R. Esse inter illos diuidendum, quia in dubio strictè interpretanda est mens testatoris, *l. vnum ex familia §. si rem ff. de legat.* 2. *l. nummis* 73. *ff. de legat.* 3. *Aymon. cons.* 86. *num.* 7. *Natta cons.* 420. *num.* 27. Faciunt dicta *q.* 29. 30. *&* 31. ita enim est interpretanda mens testatoris, vt hæres minus grauetur, ex dictis *cit. q.* 31. Quod verum quoq; est, si centum relinquat Petro e. g. & filijs Pauli, nam illi datur medietas, & reliquum diuidatur inter filios. Ita *Decius cons.* 454. *num.* 3. *Felin. in cap. Pastoralis num.* 3. *Crescent. dec.* 4. *de iurepatr. ex illis Gratian. cap.* 70. *num.* 2. 3. *&* 14. 204

Quæres 54. An legatum non solutum à primo hærede sit soluendum ab eo, ad quem bona transeunt, siue sit hæres, siue aliter successor?

R. Vtique, quia res transit cum onere suo ad quoscumq; perueniat. Confirmatur in terminis istis, quia legatum soluendum est ab hærede, *instit. de legat. & l. legatum* 119. *ff. de legat.* 1. Nomine autem hæredis venit etiam hæres hæredis, *l. hæredis* 65. *l. sciendum* 70. *ff. de verb. signif. Castrens. lib.* 2. *cons.* 16. *num* 4. *Gratian. cap.* 294. *num.* 10. qui multis citatis dicit non teneri in annuis, sed eum, qui succedit ei, qui fructus percepit. 205

Quæres 55. An legatum millarum, in quo non exprimitur *in perpetuum*, sed, quòd singulo anno celebretur, an sit perpetuum?

R. Esse perpetuum, quamuis hæc dictio non exprimatur, quia virtualiter continetur in illis *singulo anno*, vbi enim solutio est reiterabilis, ibi legatum est perpetuum, *l. annum* 20. §. *Annua ff. de annuis legat.* extremis verbis, & *in l. cum quidam* 23. *eod.* vbi, quod legatum relictum in diem reiterabilem, intelligitur 206

D

g'tur esse annuum, & perpetuum. In terminis istis alijs citatis *Pasqual. de sacrificio Miss. q.* 1005. *num.* 2. Vnde *Rota par.* 4. *tom.* 3. *decis.* 563. in fine dicit, in dubio legatum censendum esse perpetuum, non temporale, vbi plures citantur; testator enim in dubio censetur legare omne ius, quod habet in re sua, ex ibi citatis; sed testator in rebus suis ius habet perpetuum, ergo, & in legatis factis tale ius censetur transferre, vt sint perpetua, maximè cum in legatis pijs præsertim missarum testator velit consulere animæ suæ de earum suffragio, quo in Purgatorio existens indiget non ad tempus, sed perpetuò, quousq; ibi manet, & cum illud tempus incertum, & indeterminatum sit quò ad nos perpetuum esse debet. Vide supra *q.* 7. *num.* 38. *ad* 40.

CAPVT SECVNDVM.

Quinam possint facere legata.

SVMMARIVM.

1 *Testari prohibitus non potest legata facere.*
2 *Testari verò potens, potest legata facere.*
3 *Legatum profanum in solo testamento valet.*
4 *Pium verò etiam extra testamentum fieri potest.*
5 *Filius familias carens bonis, non potest legare.*
6 *Mutus non testatur.*
7 *Religiosus non potest testari,* 11.
8 *Amentes, & carentes vsu rationis non testantur.*
9 *Seruus testari non potest.*
10 *Dum est liber licet ignorans suam libertatem testatur.*
11 *Religiosus testari non potest* 7.
Prodigus non potest testari priuatus administratione bonorum.
12 *Valet tamen si antè priuationem illud fecerat.*
13 *Filius familias testatur de bonis castrensibus, & quasi castrensibus, & de aduentitijs aquisitis post clericatum.*
14 *Prohibitus testari, non potest disponere ad causas pias.*

SVb hoc capite agam de ijs, qui legata facere possunt, & quoniam super hoc non est multa difficultas, paucis rem expediam sine dist nctis quæsitis.

1 Certum autem est, quòd solùm illi possunt facere legata, & quidem profana, qui possunt testari, & facere codicillos, pia verò legata fieri possunt etiam extra testamentum nudis verbis, & ore tenus sine scripturà innotescendà hæredibus. Filius familias, nisi habeat bona castrensia, vel quasi, non potest testari, ac proindè nec legare. Mutus ex accidenti legare potest.

Primum, quòd valens testari possit legare, 2 probatur, quia ex definitione legati tradità in tio *cap.* 1. id solet fieri in testamento, ergo & à testamento recipit suum esse, ergo valens testari, potest in suo testamento relinquere legatum. Ità *ex l.* 2. *de legat.* 1. *Angelus V. Legatum* 1. *num.* 1. *Siluester V. eod.* 2. *num.* 1. *Tabiena V. eod. num.* 2. *de Lugo disp.* 24. *num.* 237. & alij omnes,

Secundum, quòd solus testator possit legare in profanis, & non extra testamentum, 3 probatur ex eodem *l.* 2. *ff. de legat.* 1. vbi quòd habens potestatem testandi potest relinquere, ergo qui caret eà non potest legare. Ità supradicta, dum dicunt legata non fieri extra testamentum. Et quoniam codicilli sunt partes testamento accessoriæ, ideò legata in eis facta valent tàm in profanis, quàm in pijs.

Tertium, quòd legatum pium possit fieri 4 extra testamentum expressis verbis ore, vel scripturà simplici, probatur, *ex l. fin. C. de fideicom. ex cap. Indicante* 4. *de testam.* De quà infrà suo loco.

Quartum, quòd filius familias carens bo- 5 nis proprijs non possit legatum facere, docet *Glos. in dictam leg.* 2. *ff. de legatis* 1. *ibi scribentes, Alex. vol.* 7. *cons.* 53. *num.* 8. *Crassus. q.* 4. *de legat.* subdens, quòd minor ex formâ Statuti prohibitus testari non potest legare, *cum Bart. in l. Sciendum* 2. *ff. de legat.* 1. *Paulo de Castro, Aretino, & Alex. ibidem*, ne propter ætatem lubricam seducatur in disponendo de suis bonis, *contra Baldum in l. fin. C de testam.*

Quintum de muto asseritur *à Socino in di-* 6 *ctam egl.* 2. *ff. de legat.* 1. *num.* 130. *quem sequitur Crassus q.* 5.

Colligitur ex his nullum religiosum, qui- 7 cumq; ille sit, etiam Generalem posse facere legatum non solùm alicui professo sui ordinis, verùm multò minus extraneis, etiam suis consanguineis Laicis, seù Clericis, quia non solùm respectu prædictorum, sed etiam simpliciter, non potest testari, prohibentibus id legibus, & sacris Canonibus, *Auth. Ingressi, C. de sacros. Eccles. cap. Quia ingredientibus* 19. *q.* 3. *cap.* 2. *de testam.* Ego *cap.* 13. *de Profess. Regul. in Edit. Veneta q.* 78. *num.* 131. Ergo neq; legatum facere, quodcunq; illud sit, siue profanum, siue pium, cum nullà ratione id concedatur professis.

Sed quinam sunt, qui prohibentur testari, & subsequenter legata facere?

℞. Primò à naturà prohibentur carentes 8 vsu rationis, testari enim est actus vitalis à mente proueniens, ergo qui caret illius vsu testari non potest. Sub his sunt amentes, & furiosi, dum sunt in actu furiæ, seù amentiæ. Vidè *de Lugo disp.* 24. *à ednum.* 61. *ad* 64. vbi de infante, & impubere, unon qipoatest testari

ma-

maſculus niſi poſt expletum annum 14. & fæ-
9 mina duodecimum, *ex l. A quà ætate 5. ff. qui teſtam. facere poſſunt*. Seruus teſtari nõ poteſt;
& factũ non conualidatur etiã ſit poſtea ſit factus liber, quia caret volũtate, quæ debet eſſe
tempore factionis, *l. Qui teſtamento Domini, & ſeq. ff. de teſtamentis*. Si tamen eſſet liber
tempore factionis, ſed id ignoraret, volunt
10 valere quò ad cauſas pias, *Molina diſp.* 137.
Profeſſus teſtari non poteſt, cuiuſcunq; ſit or-
11 dinis, *ex Auth. ingreſſi de ſacroſ. Eccleſ.* Prodigus prohibitus habere adminiſtrationem
ſuorum bonorum, non amplius teſtari po-
12 teſt, anteà factum valet, *l. Is cui ff. de teſtam. §. item prodigus Inſtit. de teſtam. Quibus non eſt permiſſ.*

13 Filius familias poſt annum decimum quartum maſculus, & fæmina poſt decimum tertium expletum, immò etiam vltimà die illius anni terminati poteſt teſtari, *l. A quà ætate 5. de teſtam.* non de profectitijs, nec aduentitijs, ſed tantùm de caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus; immò, & de aduentitijs quæſitis poſt clericatum, & non antè, cum eſſet laicus, *ex Auth. Præſtitores, & in l. Sacroſanctæ 32. & de Epiſc. & cler. Molina diſp.* 138. *Vaſq. de teſtam. cap. 9. dub.* 8. *de Lugo diſp. 24. num.* 67. Reliqua vide apud præcitatos.

Reliquum eſt, vt inquiramus, an prohibitus teſtari poſſit nihilominus teſtari ad cauſas pias, & facere legata?

14 ℞. Non poſſe, cum ſit ſimpliciter prohibitus, negatio enim tollit potentiam reſpectu cuiuſcumq; actus. Ità *Vaſq. cit. quem citat de Lugo num.* 71. contrà Silu. & Couar. volentes poſſe vſurarium teſtari ad pias cauſas, ſi deceſſit cum ſignis pœnitentiæ: diſplicet, quia pœnitentia arguit deſtructionem peccati non verò reuocationem prohibitionis factæ contra vſurarium notorium, vt non poſſit teſtari.

CAPVT TERTIVM.

De capacibus legatorum.

SVMMARIVM.

1 *Probibiti bæreditate probibentur etiam à legatis.*
2 *Filius naturalis capax legati.*
3 *Spurius de lege canonicà capax legati alimentorum.*
4 *Spuria dotanda eſt ex bonis paternis.*
5 *Etiam ab alijs parentibus.*
6 *Iure ciuili Spurij incapaces legatorum.*
7 *Capaces verò bonorum maternorum.*
8 *Legatum alimentorum redit ad dominum proprietatis.*
9 *Concubina mulier ſoluta domi ſoluti retenta ad commercium carnale.*
10 *Meretrix, quæ multorum patet libidini.*
11 *Concubina capax legati ſibi ab amaſio facti.*
12 *Meretrix verò incapax.*
13 *Niſi fiat in ordine ad ingreſſũ in religionẽ*
14 *Peccator poſt pœnitentiam non eſt amplius peccator.*
15 *Bannitus incapax legati.*
16 *Inteſtabilis actiuè, & paſſiuè.*
17 *Pro mortuo habetur.*
18 *Seruus incapax legati pro ſe.*
19 *Seruus aquirit domino ſuo.*
20 *Seruus incapax dominij, & poſſeſſionis.*
21 *Deportatus eſt ille, qui perpetuò exiliatur. Relegatus ad tempus tantùm.*
22 *Deportatus incapax legati.*
23 *Relegatus capax legati.*
24 *Excommunicatus capax legati.*
25 *Offendens Cardinalem incapax legati.*
26 *Hæreticus diſcredens, quos ſcit eſſe articulos fidei. Mentalis, qui extra errorem non protulit, externus tantum coactus contra mentem. Mixtus, qui errorem in intellectu extra manifeſtat.*
27 *Hæreticus eſt inteſtabilis, & incapax legati.*
28 *Legatum ſpecies bæreditatis.*
29 *Quo iure bæreticus incapax teſtandi.*
30 *Hæreticus ab aliquibus dicitur indignus legato, ab alijs incapax, vnde illius bona aquiruntur fiſco, iſtius bæredibus.*
31 *Fiſco quæruntur tantùm exiſtentia ſub dominio Rei.*
32 *Communior opinio eſt, quod bæreticus ſit incapax, ac proinde bona eſſe venientium ab inteſtato, & non deberi fiſco.*
33 *Vnde babita tenetur reſtituere ex eius incapacitate.*
34 *Repudiare debet legatum.*
35 *Fiſco nemo tenetur aquirere.*
36 *Capax fit bæreticus Eccleſia reconciliatus.*
37 *Inteſtabilis ergo fit bæreticus poſtquam talis eſt declaratus.*
38 *Hæreticorum bona publicantur conſtito de bæreſi.*
39 *Dicta procedunt de bæretico mixto.*
40 *Criminis læſæ maieſtatis reus incapax legati.*
41 *Reus buius generis ipſo iure priuatus bonis.*
42 *Vſurarius capax legati.*
43 *Occidens ſuum teſtatorem incapax legati.*
44 *Communitas capax legati.*
45 *Religiones omnes capaces legatorum.*
46 *Tridentinum concedens immobilia regularibus.*
47 *Poſſidere bona ſupponit eorum capacitatem in aquirendo.*
48 *Poſſeſſio ſupponit dominium in poſſidente.*
49 *Capucini, & Obſeruantes incapaces bonorum ſtabilium.*
50 *Capax bæreditatis etiam legati.*
51 *Franciſcus Sanctus tres Ordines inſtituit.*
52 *Regula quò ad paupertatem refertur.*

53 *Minores incapaces stabilium, & legatorum.*
54 *Nisi titulo elemosina.*
55 *Etiam annuorum, sed ad tempus.*
56 *Immò perpetuorum pro Ecclesiâ.*
57 *Bulla pro hac re referuntur.*
58 *Tertij Ordinis capaces hareditatis, & legatorum.*
59 *Tertij Ordinis Fratres componere possunt cum haredibus.*
60 *Constitutiones Minorum de Obseruantiâ super legatis.*
61 *Onera missarum non recipiunt, missas tamen celebrant.*
62 *Regulares particulares sunt capaces legatorum, si eorum ordo.*
63 *Quidquid aquirit Monachus suo Monasterio aquirit.*
64 *Legata illis facta sub certis clausulis benè explicantur.*
65 *Nouitij sunt capaces legatorum.*
66 *Tertij Ordinis origo tàm pro secularibus, quàm pro regularibus.*
67 *Vterq; capax bonorum.*
68 *Regularis præsertim; tam in communi,*
69 *Quam in particulari.*
70 *Capucini, & Minores legitimè translati, & professi in Tertio Ordine sunt capaces.*
71 *Tertiaria Sorores aliæ solemniter professa,*
72 *aliæ in seculo sine voto, aliæ cum solo castitatis voto in proprijs domibus.*
73 *Seculares sine voto existentes in proprijs domibus nullis gaudent priuilegijs.*
74 *Habentes votum castitatis simplicis gaudent priuilegijs existentes in proprijs domibus.*
75 *Votum hoc sufficit si sit simplex.*
76 *Gaudent ista priuilegijs professorum suiOrdinis.*
77 *Legatum ergo debetur eis, sicut Monacantibus.*
78 *Licet desint aliqua conditiones, modò non desit votum.*
79 *Legatum dandum nubenti datur etiam profitenti.*
80 *Licet expressè loquatur de matrimonio carnali.*
81 *Et de nubendo tali persona.*
82 *Si nupserit turpis si excludat professionem.*
83 *Legatum puellis maritandis datur etiam profitentibus.*
84 *Incertum quomodo determinetur.*
85 *Legatum pinguius, non minus designatum, datur profitenti.*
86 *Clerici etiã gaudent huiusmodi priuilegijs.*
87 *Legatum, cui debet succedere substitutum, alijs dari non potest,*
88 *Legatum substitus potest loco patrimonij pro ordine sacro recipiendo.*
89 *Hospitale capax legati.*
90 *Legatum pro religionis ingressu non datur nubenti carnaliter.*

Certa est regula, quòd omnes illi, qui possunt institui hæredes sunt etiam capaces legatorum, cum ex eàdem radice ambo prouenire possint hæreditas, & legatum, bonum vtrisque. Et è contra, qui prohibentur institui hæredes, interdicuntur à legatis. Edictum autem de hæreditatibus, & legatis est prohibitorium, vt scilicet, omnes admittantur ad hæreditates, & legata, qui expressè ab illis non repelluntur arg. eorum, quæ habet *Glos. V. Idonei cap. 1. de testib.* Quare omnes, qui non prohibentur hæreditare sunt capaces legatorum. Ita omnes, *Angelus V. legatum 1. num. 2. Tabiena num. 3. Silu. V. eod. 2. num. 2. Bonac. p. 3. de testam. de Lugo disp. 24. de iust. num. 237.* Affirmatiua, vera est de iure communi; nihilominus negatiua patitur exceptionem, & iure communi in spurijs e. g. & respectu religiosorum Minorum, & Societatis Iesu, quibus prohibetur inst tutio hæreditatis, non autem legatorum, vt infra patebit. Ad quæsita accedo. 1

Quæres 1. An illegitimus sit capax legati?

℟. Filius naturalis vtroq; iure est capax legati sibi à patre facti; Spurius verò conceptus scilicet ex damnato coitu, vel in certo patre, solo iure Canonico est capax legati pro suis alimentis, quæ ei dare debet suus pater, immo feminas dotare tenetur, non solùm ipse, sed etiam eius successores in bonis, ex æquitate iuris Canonici. Iure vero Ciuili Spurius non est capax legati nec alimenti à patre, in bonis verò maternis succedit, ac proinde respectu illius capax est legati. 2

Prima pars de filio naturali probatur per *Auth. licet C. de natural. liber. Crassus q. 6. de legatis.*

Secunda pars, de Spurio capaci paterni legati, probatur per *cap. cum haberent 5. de eo, qui duxit. in matrim.* Nam ius naturale hoc insinuat, vt filij alantur, & educantur à parentibus, ius ergo Canonicum mitigauit rigorem iuris Ciuilis, quod vsquequàq; non aduersatur iuri naturali, dum reliquit illud alendi ius matri. Est communis omnium Doctorum, quorum numerum ad 50. & vltra citat *Barb. ad dictum cap. num. 4.* 3

Tertia pars, de fęminis Spurijs dotandis à patre, probatur, quia fæmina alenda, & educanda est non solum quò ad victum, & vestitum, sed etiam quò ad animam, & honorem huius seculi, ideo adolescentula facta, ne incurrat periculum animæ, & honoris cum dote tradenda est viro honesto, vel monasterio, quibus mediantibus dicitur educari. Ita *Couar. par. 2. de testam. cap. 8. §. 6. num. 11. tum multis alijs apud præfatum Barb.* 4

Quarta pars, quod eius successores teneantur dotare eam, quam pater non dotauit, probatur, quia bona eius patris transierunt cum 5

hoc

hoc onere. Ita *Couar. eod. §. 6. num.* 14.
Duennas Reg. 367. *num.* 4. *Surd. tract.* 1. *de
alim. q.* 50. *cum alijs Barb. num.* 5.
6 Quinta, de incapacitate legati, & alimen-
torum paternorum Spurij, eſt expreſſa in *Au-
th. ex complexu C. de inceſtis, & inutil. nupt.
vbi Barboſa num.* 10. *citat. Farinac. q.* 149.
num. 137. *Menoch. de arbitr. caſu* 502. *num.*
66.
7 Sexta pars, eſt capax bonorum materno-
rum, probatur *ex l. hac patre* 2. *l. ſi Spurius*
4. *ff. vnde cognat. inſtit. de ſucceſſ. cognat. l.
si qua illuſtris* 5. *C. ad ſenat. C. Orficianum*,
vbi excipiuntur filij Spurij matris illuſtris, qui
non ſuccedunt illi, extantibus legitimis, in
alijs vero fœminis non illuſtribus concurrunt
cum legitimis.
8 Notant Doctores, quòd legatum Spurijs
factum pro alimentis non tranſit ad hæredes
Spurij, ſed eo mortuo ad hæredem patris,
qui fecit legatum. *Baldus in l. eam, quam C.
de fideicom. apud Craſſum q.* 6. *num.* 2. quam
cum alijs dicit communem. Quia alimenta
non ſunt tranſmiſſibilia ad hæredes, cum ex-
tinguantur cum ipſo legatario, qui poſt mor-
tem non eget alimentis, ſed ſpiritualibus ſuf-
fragijs. Alimenta enim ſimpliciter relicta
debentur in vita *l. Mela* 14. *ff. de alim. & ci-
bar.* Legatum verò Spuriæ cum tranſeat in
naturam dotis videtur tranſmiſſibile, ſicut
omnes aliæ dotes, cum detur non tantum ad
alendum, quàm ad ſuſtinenda matrimonij
onera.
Quæres 2. An concubina, & meretrix ſint
capaces legator., ſibi à ſuis amaſijs factorum?
9 Concubina dicitur, quæ domi retinetur ſolu-
ta, à ſoluto commiſcente cum ea carnaliter,
quorum contubernium nō ius Ciuile, ſed tan-
tùm Canonicum punit, à quo appellatur eti-
am concubina, quæ domi retinetur à Clerico
etiam ſoluto à voto ſolemni. Vide Tridenti-
num *ſeſſ.* 24. *cap.* 8. Meretrix, quæ patet di-
10 uerſorum libidini, ex D. Hieronymo *Epiſt.*
128. *ad Fabiolam relato in cap. Vidua* 16.
diſt. 34. ac proinde, cuius turpido publicè
venalis eſt, *cap. Meretrices* 11. 32. *q.* 4. iſtæ
vtroq; iure tolerantur, ad euitandum maius
malum naturæ corruptiuum.
11 ℞. Concubina eſt capax legati ſibi facti à
ſuo amaſio, expreſsè *l. donationes* 32. *ff. de
donat. & in l. Concubinam* 29. *ff. de legat.* 3.
Etiam ſi poſtea ad inuicem contrahant ma-
trimonium, vt id ſupponitur *in l. Celſus* 29.
12 *ff. de legat.* 2. *& loco citato*. Meretrix verò
eſt incapax, *ex l. Claudius* 13. *l. Mulierem*
14. *ff. de ijs, quibus vt indign. legat.* Nec ob-
ſtat *l. affectionis* 5. *ff. de donat.* Vbi dicitur,
13 quod donari poteſt Meretrici. Quia in eo
textu nomen Meretricis ſumitur pro Concu-
binà preſsè acceptà, cuius carnale commer-
cium non eſt damnatum iure Ciuili. Ita reſ-
pondet ex Peregrino *de iure fiſci lib.* 2. *cap.* 9.
num. 1. *verſ. horum eſt ratio, Ciarlin. cap.* 33.
eſt 84. *num.* 13. vbi rem hanc fusè tractat.
Quid ſi Meretrix velit conuerti ad Domi-
num, numquid tunc ſit capax? Vtique, quia
tale legatum, cum ſit pium, non fouet com-
mercium carnale, propter quod iura videntur
facere illam incapacem, vt redeat ad ſe, nul-
la ratio ſuadet, illud eſſe nullum, & mulie-
rem tunc eſſe incapacem, dum per illud ex-
citatur, & remouetur à malà vità, & conuer-
titur ad bonam frugem. Quare teſtator, vt
validè ei leget, debet exprimere ſe legatum
ei facere, ſi relinquet malam vitam, tunc e-
nim legatum valet, & eſt pium *Sperell. dec.*
159. *num.* 15 Confirmatur, quia ad Domi-
num conuerſa nō amplius Meretrix eſt, nam
peccator poſt penitentiam non eſt amplius
peccator, *cap Ferrum* 18. *diſt.* 50. immo ha- 14
betur pro tali ac ſi non peccaſſet, *Bartol. &
Bald. in l. Imperialis* 23. *C. de nupt. num.* 2.
capax ergo eſt legati. Ita *Sperell. dec.* 159.
num. 15.
Quæres 3. An bannitus ſit capax legati?
℞. Bannitus capitaliter cum publicatione 15
bonorum exiſtentium in territorio bannien-
tis ab omnibus impune occidibilis, nihil in
eodem territorio retinere, nec aquirere po-
teſt, ac proinde perdit omnia iura non ſolùm
ſuæ Ciuitatis, ſed etiam iuris communis, ita
quòd in nullis bonis ſuccedere poteſt. Ita 75.
Doctores, *quos refert. Ciarlin. cap.* 161. *vbi* 16
num. 75. *citat. Seraph. dec.* 354. *num.* 3. aſſe-
rentem bannitos eſſe inteſtabiles tam actiuè,
quam paſſiuè tàm de iure communi, quàm
vigore Bullarum; *& Rota par.* 5. *dec.* 177.
num. 23. dicit, bannitum hoſtem patriæ, qui
eſt omninò incapax ſucceſſionis, ſuccedere
tamen ab inteſtato in bonis extra territorium
bannientis. Ergo eſt incapax legati, dum
eſt inhabilis ſucceſſionis per viam teſtamenti.
Confirmatur, quia mortui non ſunt capaces
hæreditatis, nec legatorum, de hæreditate,
Marſil. l. fin. ff. de queſt. legat. 2. *num.* 31. *l.
Diues §. fin. ff. de iure codicill. l. quo loco ff.
de hæred. inſtit* de legatis verò, *Decius, &
Cagnol. in l. Neratius ff. de regul. iur apud
Sebaſt. Mediceum in opuſc.* Mors omnia ſol-
uit *par.* 2. *num.* 174. ſed bannitus capitaliter
habetur pro mortuo, *Mareabr. conſ.* 98. *num.* 17
120. *Farinac. lib.* 2. *conſ.* 135. *num.* 57. *cum
multis alijs Ciarl. cap.* 161. *num.* 8. Ergo in-
capax eſt legati. *Craſſus q.* 8. *de legatis*.
Quæres 4. An ſeruus ſit capax legati?
℞. Non eſt capax pro ſe, *l. ſi legatarius* 8. 18
§. 1. *ff. de legat* 3. niſi detur ei libertas, de
communi *Craſſus q* 9. *de legatis*. Vtique pro
ſuo domino *l. legatum* 7. *ff. de legat.* 1. vbi,
quòd dominus poteſt illud repudiare. Erit
ergo domini, qui ſeruus domino ſuo aquirit.
l. 1. *ff. de ijs, qui ſui, vel alien. l. ſeruus* 62. 19
*de verb. obligat. inſtit. per quas perſonas no-
bis aquir. §. item vobis* Confirmatur, quia in-
ſt tui

stitui potest hæres *instit. de hæred. instit.* ergo, & legatarius; & legatum repudiare non potest, quia debet prodesse, & non obesse domino, *l. seruus 3. C. de pactis*. In casu verò, quòd dominus velit legare seruo suo, vt valeat legatum, necesse est, quòd illi det libertatem, *ex cit. l. si legatarius* 8. vt de commu-
20 ni docet idem *Crassus q. 9.* Ratio est quia seruus remanens seruus non est capax dominij, nec possessionis, *l. quòd seruus 24. ff. de acquir. possess. l. 1. ff. de ijs, qui sunt sui instit. Per quas personas. §. item vobis.*

Quæres 5. An deportatus sit capax legati? Deportatus dicitur ille, qui perpetuò missus
21 fuit in exilium. Relegatus verò qui ad tempus exulat *l. Relegatorum 7. ff. de interd. & relegat.*

22 ℞. Deportatus non est capax legati, quia priuatur potestate actiuà, & passiuà testandi. Colligitur *ex l. eius qui 8. §. in insulam ff. de testam. l. deportati 2. C. de bonis proscr. Clarus §. Testamentum q. 22.* vbi, quòd non potest testari, nec ex testamento capere, ergo est incapax legatorum, ita *Crassus q. 10. de legat. Ciarlin. cap. 161. num. 41.*

23 Relegatus vero ad tempus non perdit iura, sed ea retinet, *ex cit. l. Relegatorum 7. ff. de interd. & relegat.* Remanet ergo testamenti tàm actiuè, quàm passiuè capax, ac proinde legati.

Quæres 6. An excommunicatus sit capax legati?

24 ℞. Excommunicatus etiam denuntiatus, præcisis quibusdam delictis, est capax legati, quia habet vtramq; testamenti factionem, *Arebid. in cap. Pia 1. de except. in 6. Felin. in cap. cum voluntate, de sent. excom. cum alijs Crassus q. 24. de testam.* Ergo, & successionem in legatis sibi factis. Confirmatur, quia omnibus est permissum testari, quibus lege non est prohibitum, *instit. quibus non est permissum facere test. §. fin. l. si quæramus 4. ff. de testam. l. 1. C. de Sacros. Eccles.* edictum enim de testamentis est prohibitorum, vt dixi initio huius capitis; sed nullibi interdicitur excommunicatis vt sic factio testamenti, *Couar. in Rubr. de testam. num. 18. Vgol. de cens. tab. 2. cap. 21. Sayr. lib. 2. de excom. cap. 9. num. 2. Castropal. de cens. disp. 2. p. 16. num. 6.* Ergo sicut potest testari, ita, & succedere in legatis, sicut, & institui hæres, ex adductis ex eodem *Castropal. num. 7.* quia minus requiritur ad capiendum ex testamento, quam ad faciendum testamentum, cum plures sint incapaces testandi, non tamen vt eis relinquatur hæreditas, aut legatum ex citatis legibus, *ex Baldo l. 1. C. de hæred. instit. Vgolin Tabula 2. cap. 21. §. 1. Sayrus lib. 2. cap. 9. num. 9.*

Dixi præcisis quibusdam delictis, nempe, insecutione Cardinalium, hæresi, vsurâ, & damnatis ad mortem cum bonorum confiscatione, de quibus infra suis locis, non ergo ex vi excommunicationis aliquis fit incapax testandi actiuè, & passiuè, sed ex delictis præcise enumeratis.

Quæres 7. An insecutor Cardinalis sit incapax legati?

℞. Affirmatiuè *ex cap. Felicis 5. de Pœnis* 25
in 6. his verbis. Vt si quis deinceps in hoc sacrilegij genus irrepserit, quòd S. R. E. Cardinalem fuerit hostiliter insecutus, vel percusserit, aut ceperit, vel socius fuerit facientis, aut fieri mandauerit, vel factum ratum habuerit, aut consilium dederit, vel fauorem, aut posteà receptauerit, vel defensauerit scienter eundem, sicut reus criminis læsæ maiestatis, perpetuò sit infamis; diffidatus, nihilominus, & bannitus; sit intestabilis, vt nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad alicuius bona ex testamento, vel ab intestato vocetur, quatenus ab omni successione repulsus, publicàq; repulsà confusus minus inueniat suæ malitiæ successorem.

Res est clara ex illis verbis: *Sit intestabilis, vt nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad alicuius bona ex testamento vocetur*: sed legatarij dicuntur vocari ex testamento, cum legatum sit donatio in testamento relicta, vt patet ex definitione legati, ergo qui prohibetur, vt in hoc casu, est incapax legati. Patet ergo, quòd cardinalem offendens vnâ ex præfatis actionibus caret factione testamēti actiuâ, & passiuâ; & ita docent, *Farinac. q. 112. num. 112. Duennas Reg. 272. num. 2. Ricioll. de iure personar. extra grem. lib. 4. cap. 58. num. 21. Barb. ad dictum. cap. num. 18.*

Nota autem, quòd hæc pœna inhabilitatis testandi tam actiuè, quam passiuè non incurritur, nisi post declarationem, vnde ante poterit capere hæreditatem, & legata, vt tradunt *Lessius lib. 2. cap. 19. num. 52. Sanch. lib. 2. cap. 14. num. 31. ex illis Thesaurus Iesuita de pœnis Eccles. V. Maiestas cap. 2. Notab. 3. de Lugo disp. 24. de Iust. num. 69.*

Quæres 8. An hæretico possit relinqui lega- 26
tum? Hæreticus autem est ille, qui discredit res fidei pertinaciter, quas scilicet, sit esse tales. Est triplex. Purè mentalis qui solo corde discredit extra nihil manifestans. Purè externus, quis solo ore, aut alio signo externo demonstrat hæresim ex timore, cui mente non consentit. Mixtus, qui hæresim mentalem signo externo prodit. Is solus incurrit excommunicationem in vtroq; foro; purè externus solùm in foro externo; purè mentalis nullas incurrit pœnas, sed solùm peccat mortaliter peccato hæresis.

℞. Hæreticus mixtus est incapax hæredi- 27
tatis, & legatorum, vt expressè decernitur in cap. Excommunicamus 13. de hæret. §. *Credentes*, receptatores, defensores, & fautores hæreticorum excommunicationi subiacere decernimus, firmiter statuentes, vt post

quam

quàm quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit infrà annum, ex tunc ipso iure sit factus infamis, nec ad publica officia, seù consilia, nec ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimoniũ admittatur; sit etiã intestabilis vt nec testãdi liberã habeat facultatẽ, nec ad hæreditatis successionẽ accedat. Est constitutio Federici inserta in *C. de haret. sub l. 4. incip. credentes.* Vide etiam cap. Si quis Episcopus, cap. In eos, eod. Iure ciuili eisdem pœnis afficiuntur, *l. Manichaos 4 C. de haret. illis verbis: Ipsos quoq; volumus amoueri ab omni liberalitate, & successione quolibet titulo venientes.* Item *l. Arriani 5. eod. siue de donationibus factis, siue de vltimà voluntate rebus qualitercumq; relictis.* Item *l. fin. eòd. Iussimus neminem errore constrictum hareticorum, hareditatem, vel legatum, vel fideicommissum accipere, etiam in vltimis militum voluntatibus.* Hæreticus ergo cum prædictis est incapax hæreditatis, & legatorum, quia caret factione testamenti, tam pro se, quam pro alijs, nec aliorum donationes recipere potest, nec alijs donare, & licet expressè non fiat mentio legatorum in dictis textibus, nisi in postremo, nihilominus veniunt sub illis terminis, *ad hareditatis successionem.* Item *Ab omni liberalitate, & successione quolibet titulo venientes.* Item *Siue de donationibus factis, siue ex vltimà voluntate rebus qualitercumq; relictis.* Nam legata sunt donationes, & relinquuntur in vltimis voluntatibus, vt patet ex definitione legati allatà in t.o Capitis primi. Venit quoq; sub nomine successionis, & hæreditatis ex testamento, quia legatum est species hæreditatis, dum appellatur hæreditatis de-
28 libatio, *l. Legatum 119. ff. de legat. 1.* nam legatarius quodammodo dicatur hæres, & succedere legatæ sibi rei, *l. Id tempus fine ff. de vsucap. Bartol. & Castr. in l. Nemo ff. de legat. 1. Mantica lib. 14. t acit. tract. 28. n. 46. Rota vol. 9. dec. 293. num. 7.* Itaque hæreticus est incapax legatorum. Ità *Saneb. lib. 2. cap. 14 num 31. & 32. Farinac. q. 190. num. 100. Royas singul. 37. Decian. lib. 5. crimin. cap. 44. num. 17. Vers. & licet, Castropal de haresi disp. 5. p. 26. num. 4.*

Difficultas est hic primò, an reuerà hæreticus sit intestabilis tàm actiuè, quàm passiuè? Ratio dubitandi est, quia constitutio Federici approbata iure Canonico in cit. cap 13. de hæret. nullam facit mentionem de hæreticis, sed de credentibus, & fautoribus hæreticorũ, qui sine dubio diuersi sũt ab hæreticis, pœna autem grauis non extenditur de personà in personam, cum quælibet pœna teneat suos auctores.

29 ℞. Ex vi præcisè allati textus hæreticus non est intestabilis, sed ex relatione ad *l. 4. & 5. C. de haret.* vbi directè fiunt incapaces hæretici testandi, & recipiendi relicta per testamentum, seù alijs titulis. *Castropal. cit. p. 26. num. 4.* ait, quod sicut per fictionem iuris credentes dicuntur hæretici, & puniuntur dictis pœnis, ità à fortiori earum pœnarum sunt rei, qui verè, & propriè, ac formaliter sunt hæretici. Alij has pœnas deducunt in hæreticos, *ex l. Quisquis §. Filij C. ad legem Iul. Maiest.* quòd sicut dictis pœnis afficiuntur rei criminis læsæ maiestatis humanæ, ità à fortiori rei criminis hæresis, hoc enim est maius crimen illo, ergo non solùm meretur hanc pœnam, sed maiorem. Prior sententia videtur probabilior, quia euitat difficultates, quas præuidit, *Farinac. q. 190. num. 89.* vbi ait, textum loqui de credentibus, non autem de hæreticis.

Difficultas secunda est, an hæreticus sit verè 30
incapax successionis, & legati? An solùm indignus? Nam primo casu nihil debetur fisco, sed tantùm venientibus ab intestato, dum enim constituitur hæreticus incapax illius dominij, certum est nihil deberi fisco, qui solùm succedit in bonis existentibus sub actuali
dominio hæretici, *l. 1. ff. de iure fisci, Fari-* 31
nae. q. 25. num. 139. Secundo verò casu è contrà hæreditas, & legatum vadit ad fiscum, ex quo hæreticus dicitur capax, nam in eo succedit fiscus, *l. Papinianus, l. cum talibus ff. de his, quib. vt indign.* non verò venientes ab intestato; ex dictis legibus.

Quòd hæreticus sit capax successionis, & legati, & solus illis indignus, ac proindè succedere fiscum, docent plerìq; *cum Saneb. lib. 2. cap. 14. num 34. Lessio lib. 2. cap. 19. num. 52. Royas sing. 29. num. 2. Decian. lib. 5. cap. 44. num. 17.* Quia nullus textus exprimit incapacitatem, ergo remanet capacitas.

Communior sententia tenet hæreticum 32
esse incapacem, ac proindè bona esse venientium ab intestato, *apud Vasquez. de testam. cap. 9. §. 4. dub. 2. num. 122. ex eo Castropal. cit. num. 6. Vers. Quapropter*, non obstante, quòd hęc incapacitas non probetur expressè aliquo iure, sed inualuerit ex communiori opinione Doctorum.

Difficultas tertia est, an hæreticus possit si- 33
bi retinere relictum donec per sententiam priuetur? Qui tenent eum esse capacem, posse vsq; dum per sententiam criminis priuetur, quia dominus est, licet indignus, *Sanchez cit. num. 34.* Qui verò dicunt eum incapacem, non posse, cum non sit capax aquisitionis, ac proindè cum retineat alienum, illud restituere tenetur venientibus ab intestato ante omnem sententiam, cum videatur fur.

Difficultas quarta an hæreticus possit repudiare successionem, & legatum? Procedit, quando censetur capax in opinione supradictorũ, nam incapax, vt dixi non solum potest, sed etiam tenetur repudiare.

℞. Posse repudiare, tum quia nullibi id 34
prohi-

prohibetur; tum quia hæretico solùm prohibetur alienare, quod suum est, non autem obligatur aquirere pro fisco, ergo repudiare potest, quod est omittere aquisitionem, nemo
35 enim tenetur aquirere pro fisco. Ita *Vasq. l. 2. disp. 172. cap. 3. num. 13. & de testam. cap. 9. dub. 6. num. 24. Sanch. lib. 2. cap. 14. num. 53. ex illis Castropal. disp. 2. de hær. p. 26. num. 8. vers. at dicendum.*

Difficultas quinta, an hæreticus pænitens factus, & absolutus ab hæresi, atq; reconciliatus Ecclesiæ vlterius sit incapax hæreditatis, & legatorum?

36 ℞. Negatiuè, sed verè pænitens, licet nondum absolutus ab excommunicatione, in vtroq; foro incipit esse capax bonorum, quia per solam hæresim erat factus incapax ergo eà cessante, euanescit incapacitas. Ita *Sanchez lib. 2. cap. 14. num. 40. Castropal. p. 26. num. 7.* quamuis id sit verum, nihilominus in foro externo attenditur reconciliatio facta à Iudice, qui facit hæreticum abiurare hæresim, post quem actum solemnem sine dubio est capax, contra quem pars aduersa excipere non potest.

37 Difficultas sexta, an incapacitas incurratur statim ac quis commisit hæresim? ℞. ex textu supracitato in responf. quæstionis, ibi *Firmiter statuentes, vt postquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit infra annum, ex tunc ipso iure sit factus infamis sit etiam intestabilis, nec ad hæreditatis successionem accedat.* Videtur ex his, quòd declarandus sit excommunicatus, si infra annum satisfacere contempserit, & subinde fiat intestabilis actiuè, & passiuè, & ita est, quia hæreticus reuerà non est, nisi sit obstinatus, & pertinax in suo errore, quem scit esse contra fidem. Positâ ergo contumaciâ contra eum nolentem hæresim abiurare est statim incapax hæreditatis, & legati, ac factionis testamenti, & aliorū actuum legitimorum, ad formam præfati capitis, vt docent *Sanch. cit. num. 34. Sanctar. cap. 15. de hæresi num. 3.* esse capacem ante declarationem criminis per sententiam.

38 Praxis nihilominus se habet, quòd eius bona pulicentur statim ac constat de hæresi, & eius pertinaciâ, adeo quòd factio testamenti tam actiua, quam passiua, & similes actus retrahantur ad diem commissi delicti, in quo omnes ferè Doctores volunt incipere incapacitatem *Barb. ad dictum cap. 13. de hæret. num. 31. Vide Castropal. p. 16.* de confiscatione bonor.

Difficultas septima, an solus hæreticus mixtus incurrat hanc pœnam.

39 ℞. Solus mixtus, quia leges, & iura loquuntur de hæreticis talibus corde, & ore, non verò de purè mentalibus, quia Ecclesia, nec legislator punit occulta regulariter loquendo, quamuis possit punire, sed non deducere ad forum contentiosum, qui supponit cognitionem causæ per actum externum. Nec de purè externis metu graui inductus ad factum hæreticum, cum præfati textus loquantur de hæreticis pertinacibus, non de istis, qui tantùm præsumuntur hæretici purgantes suspicionem per probationem metus cadentis in constantem virum.

Quæres 9. An reus in crimine læsæ maiestatis sit capax legati? Reus criminis læsæ maiestatis dicitur ille, qui iniustè ledit suum superiorem ratione maiestatis, quam habet. *Vide Farinac. q. 112.* & quæ dixi de homicidio *cap. 6.* per totum.

℞. Reus criminis læsæ maiestatis in Principem, vel Republicam, & eorum Collaterales, atq; eius filius licet innocenter, est, & sunt incapaces legatorum, & cuiuslibet successionis. De reis probatur per *l. quisquis 5. C. ad leg. Iul.* Maiestatis, ibi: *Bona eius omnibus fisco nostro addictis.* Qui autem caret bonis sicut fit incapax ad testandum pro alijs, ita fit incapax aquirendi ab alijs. Confirmatur ex eàdem lege *§. Filij à materna, vel auità, omnium etiam proximorum hæreditate, ac successione habeantur alieni; testamentis extraneorum nihil capiant, sint perpetuò egentes, & pauperes.* Si ergo filij sunt incapaces hæreditatis, & cuiuslibet successionis, ex hac lege, à fortiori eorum patres, ac proinde à legatis excluduntur tam rei criminis eius modi, quam eorum filij. Est communis cum *Farinac. q. 116. num. 53.* dicente, reum criminis læsæ maiestatis amittere factionem testamenti tàm actiuam, quàm passiuam. Nihilominus ipso iure non priuatur reus dominio suorum bonorum, sed per sententiam venit priuandus, vt tradunt *Anton. Gomez cap. 2. de delictis in Rubr. de crimine læsæ maiest. num. 11. vers. licet dominium, Gabriel. lib. 1. consf. 179. Andr. Facbin. lib. 9. contr. iuris cap. 35. ex illis Farinac. q. 116. num. 67. Castropal. de pœnis hæret. disp. 5. p. 18.* 40 41

Quæres 10. An vsurarius sit capax legati?

℞. Affirmatiuè, quia nullo iure prohibetur hoc commodo. Nec obstat quòd manifestus vsurarius non possit testari factus incapax, per *cap. 2. de vsur. in 6.* quando facit testamentum, non factâ satisfactione, nec præstitâ cautione de vsuris restituendis. Quia id illi prohibetur, cum factio sit in præiudicium verorum dominorum vsurarum, qui ab instituto vexari possunt in recuperatione; quod cum locum non habeat in passiua actione testamenti, ideo capax dicitur hæreditatis, & legati sibi relicti. *Vide de Lugo disp. 24. num. 70. 71. & 72.* vbi plura, quæ omitto, quia casus rarò accidit. 42

Quæres 11. An legatarius occidens testatorem fiat incapax legati ab eo sibi relicti?

℞. Affirmatiuè, quia propter inimicitiam capitalem aufertur legatum tamquam ab eo, qui 43

qui censetur factus eo indignus, *l. si inimicitiæ ff. de his, quib. vt indign. l. 3. §. vltimo, ff. de adim. legat. Riccius part. 3. dec. 317. num. 4. de Lugo disp. 24. num. 77.* sed is casus pertinet ad *cap.* de reuocatione legatorum.

Quæres 32. An communitas sit capax legatorum?

44 ℟. Affirmatiuè non tantùm pro, se quantumpro alijs v. g. ad maritandas puellas, ad erigendam scholam publicam &c. Ita supponitur *in l. legatum 16. & l. quidam 17. ff. de vsufr. legato.* Decernitur *l. si quid relictum 120. ff. de legat.* 1. Nullus contradicit, dum hic dicitur valere legatum pro beneficio ciuitatis, & populorum. Ita *Ant. Gomez lib. 1. cap. 12. num. 6. cum alijs Crassus q. 12. de legat.*

Quæres 31. An quælibet Religio sit capax legatorum? Inter religiones aliæ sunt Mendicantes, vt Dominicani, Franciscani dicti Minores, Eremitani, & Carmelitani, & multæ aliæ eodem titulo gaudentes. Aliæ non Mendicantes, huiusmodi sunt Canonici Regulares Lateranenses, Oliuetani &c. Atq; Monachi S. Benedicti, & cuiuscumq; alterius ordinis.

45 ℟. Omnes religiones sunt capaces legatórum, quia sunt capaces hæreditatis, & successionis, in quibus inferuntur legata prouenientia ex testamentis, ergo, & legatorum, nisi prohibeantur. Iure autem communi prohibentur solùm Domus Fratrum Capucinorum S. Francisci, & Minorum de Obseruantiâ possidere bona immobilia *ex Trident. sess. 25. cap. 3.* Non ergo legata rerum mobilium.

Prima pars, quòd omnis religio etiam mendicans, nisi prohibeatur sit capax successionis, hæreditatis, & legatorum.

Probatur primò iure Ciuili *Auth. ingressi, de Sacros. Eccles. ingressi monasteria ipso ingressu, se, suaq; dedicant Deo.* Ex quibus patet, religionem, & monasterium esse capax bonorū sibi delatorum, quocumq; titulo, siue professionis, siue hæreditatis, aut alterius successionis, sicut enim nouitius professione sua bona in monasterium transfert, ita, & de illis testari potest, vel legare ad fauorem monasterij, ac proinde illud esse capax sub his titulis. *Auth. sequens. si qua mulier*, eandem capacitatem supponit in monasterijs, approbata iure Canonico, *cap. si qua mulier 9. 19. q. 3. & in praeced. cap. quia ingredientibus 7.* vbi approbatur *Auth. præfata ingressi.*

Probatur secundò *ex l. 1. cod. C. de Sacros. Eccles.* his verbis: *Habeat vnusquisq; licentiam Sanctissimo Catolico, venerabiliq; Concilio decedens bonorū quòd optauerit relinquere.* Vbi *glos. V. Concilio*, explicat Concilio Monachorum, siue clericorum; vnde eorū loca, & monasteria veniunt sub illo vocabulo *Concilij*, importat enim hoc verbum congregationem fidelium, & religiones propriè sunt concilia, & congregationes religiosorum viuentium sub obedientiâ, & obseruantiâ regulæ, quam professi sunt *res clarius patet l. fin. C. de episcop. & clericis.*

Probatur tertiò ex dictis præcedenti quæstione, vbi probatum est, Ciuitates, Castra, Villas, & alia loca facientia communitatem, & corpus vniuersale, seu collegium licitum, esse capacia hæreditatis, successionis, & legatorum, vt idem colligitur *ex l. omnib. 26. ff. ad senat. Trebell. l. si heres 76. §. vicis ff. de legat.* 1. Ergo, & religiones, atq; earum monasteria non solùm fabricata, sed etiam fabricanda *Gratian. cap. 358. initio.*

Probatur quartò iure Canonico præter citata *cap. Tridentinum* ita decernit. *Concedit S. Synodus* omnibus monasterijs, & domibus tam virorum, quam mulierum etiam Mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Francisci Capucinorum, & eorum, qui Minorum de Obseruantiâ vocantur, etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex priuilegio Apostolico non erat concessum, vt deinceps bona immobilia eis possidere liceat. 46

Hæc autem verba *immobilia possidere liceat* Referuntur ad quemuis modum aquirendi immobilia, siue ex testamento, siue ab intestato, siue professione, siue donatione, & quouis alio titulo iusto, in tantùm enim Monasterium potest possidere immobilia, in quantùm sunt illi relicta, & non aliter, non enim conceditur possidere domum, vel fundum alienum, ab eius religiosis vsurpatum. Quare Tridentinum non solum concedit possessionem immobilium, sed etiam antecedenter facit monasterium capax bonorum aquisitionis, licita enim, & iusta possessio supponit dominium rei possidendæ in re hàc. Ita *ex Hond. ded. vol. 1. cons. 76. num. 30. & 31. Sanchez lib. 7. cap. 12. num. 1.* ex alijs motiuis. Omnis ergo religio, præter Capucinos, & obseruantium Minorum, est capax hæreditatis, & successionis rerum immobilium, ac proinde etiam legatorum, cum in his successio sit quid minus, quàm in hæreditate, cum legatum sit illius diminutio, *l. legatum 119. ff. de legat.* 1. Confirmatur, quia capax hæreditatis est etiam capax legati, *instit. de legatis §. legars.* Est communis apud Lezanam *V. legatum num. 5. Sanch. lib. 7. cap. 26. num. 2. de Lugo disp. 3. de iust. num. 98. Castropal. de obligat. relig. disp. 3. p. 9. initio.* 47 48 49 50

Ius hoc succedendi in bonis sibi relictis confirmauit Minoribus Fratribus S. Francisci Clem. IV. per suam Bullam . t. incip. *Obtentu diuini numinis* 1265. *Auctoritate Apostolicâ declaramus, quòd vos in temporalibus bonis, in quibus succederetis in seculo existentes, licitè succedere possitis, & bonorū ipsorum possessionem apprehendere, ac vendere libere*

berè bona ipsa, eorumq; pretium in vtilitatem vestram conuertere. Hæc Bulla dirigitur ad Fratres Dominicanos, & Franciscanos, & eorum Generales. Alia in specie de Minoribus infrà, quia habent speciales difficultates. Per dictam Bullam poterant tunc relictum alienare, tum vt seruarent Regulam Franciscani, & Constitutiones Dominicani non valentes retinere mobilia; tum quia nondum emanauerat Bulla Pauli II. de reb. Eccles. non alien.

Quæres 14. An S. Franciscus in suâ Regulâ prohibuerit aquirere hæreditates, & legata quorumcumq; bonorum tàm immobilium,
51 quàm mobilium? Præmitto S. Franciscum fecisse tres Regulas, vnam dedisse Fratribus dictis simpliciter Minoribus hanc profitentibus, sub quâ militant tres Fratrum species, nempe, Conuentuales, Obseruantes, & Capucini. Sub secundâ militant Sorores S. Claræ. Sub tertiâ Regulâ militant Tertiarij ex eâ nuncupati vtriusq; sexus. Sub hac quæstione agam tantùm de militantibus sub primâ Regulâ.

52 R. S. Franciscus huic quæstioni cap. 4. his verbis: *Præcipio* firmiter Fratribus vniuersis, vt nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per se, vel interpositam personam. Tamen pro necessitatibus infirmorum, & alijs Fratribus induendis, per amicos Spirituales Ministri tantùm, & Custodes solicitam curam gerant, & secundùm loca, & tempora, & frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire, eo semper saluo, vt (sicut dictum est) denarios, vel pecuniam non recipiant. Cap. 6. ita statuit. *Fratres* nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tamquam peregrini, & aduenæ in hoc seculo in paupertate, & humilitate Domino famulantes, vadant pro elemosinâ confidenter. Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos carissimos Fratres meos hæredes, & Reges regni Cœlorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus autem sublimauit. Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viuentium. Cui, dilectissimi Fratres, totaliter inherentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum sub cœlo habere velitis.

53 Ex his manifestè patet Sanctum Patrem ex vi Regulæ fecisse incapaces suos alumnos tàm in genere, vt repræsentant corpus morale, & monasterium viuens sub ratione vnius corporis politici; quàm in specie, & singulariter spectatos, aquirendi, & succedendi quouis titulo in bonis tùm immobilibus, tùm mobilibus, vltra eorum necessitates circa victum, & vestitum, quæ Fratribus suis non negauit, cum sint debita iure naturæ recipienda per eorum superiores ab amicis Spiritualibus, id est, à Syndicis secularibus deputatis. Pecunias verò recipere non possunt *rigorosè sis probibitum*, quia sine illarum receptione viuere possunt, intellige immediatè per manus proprias.

Itaque sunt incapaces succedendi per viã testamenti recipiendo hæreditates, & legata rerum, quæ debeant apud ipsos remanere, & in eorum restare possessione, non solum viâ testamenti, sed etiam quouis alio titulo, cum nihil debeant perpetuò, vel ad tempus possidere, sed vendere, & ex pretio per suos Syndicos subuenire suis indigentijs quò ad victum, vestitum, libros, & fabricam. Ita colligitur ex cap. Exijt, de verb. signif. in 6. ibi: *Ex quibus omnibus satis claret ex Regulâ ad victum, vestitum, diuinum cultum, & sapientiale studium necessarium vsum esse concessum.* Et adhuc clarius infra §. Ad hæc vero, §. Si verò. Vnde Nicol. III. cuius est illud cap. concordat cum priuilegio supradicto Clem. IV. concedentis eis successionem in bonis sibi relictis etiam stabilibus, modò vendant, intellige per suos Syndicos, & ex pretio sibi subueniant.

Nec obstat Clemens V. in sua Clem. Exiui, de verb. signif. §. Cupientes, dum dicit, eos incapaces esse successionis quarumcumq; rerum, quia res transeunt in vsum & dominium hæredis, & legatarij, quorum iurium non sunt capaces Fratres etiam in communi, vnde nihil horum in iudicio experiri possunt, cum circa temporalia nulla iurisdictio, siue actio in iudicio, siue dispensatio tribuatur. Id enim intelligitur, eos esse incapaces relatiuè ad alios ordines, & seculares, qui succedunt in hæreditatibus, & legatis iure dominij cogentes debitores, & conuenientes in iudicio illos ad solutionem iuxta mentem testatorum; in hoc ergo sensu sunt incapaces successionis in quantùm non possunt conuenire debitores ad solutionem. Sunt verò capaces titulo elemosinæ, vt suis indigentijs occurrere possint.
Relictum ergo Obseruantibus, aut Capucinis 54
accipitur ab eis titulo elemosinæ, non aliquo iure cogente debitores, à quibus sponte recipitur, vt multis probat *Merlinus decis. 456. num. 24.* vbi ait alijs citatis, quòd Minores præfati sunt capaces etiam redditum annuorum non perpetuorum, sed ad tempus relictorum exigui momenti, *ex Gemin. cons. 40.* 55
Fulgos. 140. Decio in cap. in præsentiâ de probat. num. 273. Immò legatum annuum, & perpetuum eisdem factum pro seruitio Sacristiæ, & Ecclesiæ omninò valere, certum est, 56
quia respicit diuinum cultum, & non officit paupertati Fratrum. Ità omnes, *Feder. de Senis. cons. 12. num. 4. Butrius in cap. In præsentiâ, de probat. num. 25. Abbas lib. 2. cons. 63. num. 4. Cardin. Zabarella in dicta Clem. Exiui num. 13. ibidem Anchar. num. 18. & num. 25. Rodriq. tom. 2. q. 127. art. 5. Sanch. lib. 7. cap. 27. num. 42. cum alijs idem Merlin. num. 27.* Est ergo ex prædictis certum, quòd con-

conuentus Obseruantium, & Capucinorum, seù ipsorum Fratres in communi sunt capaces bonorum sibi relictorum non solùm respectu fabricæ, & eorum Ecclesiæ, cùm id non aduersetur eorum altissimæ paupertati, cùm referantur ad fabricam, & Ecclesiam, in quibus non consistit corpus Fratrum, qui prom ttuat paupertatem pro ipsâ communitate, & pro se ipsis singillatim spectatis, respectu quorum in genere legatum, & quodcumq; illis relictum, & donatum competit eisdem t tulo elemosinæ ad sustendandam eorum necessitatem.

Itaque legata, donationes, & alia relicta Obseruantibus, & Capucinis in communi, eorum scilicet Ecclesijs intuitu cultus diuini, seù fabricæ monasterij, & librarijs eorum de iure est debitum, & aquiritur dictis locis, absq; violatione voti paupertatis, quod emittitur tantùm ab ipsis Fratribus, non ab Ecclesijs, Sacristijs, Lampadibus, Fabricis, & Librarijs, sed ab ipsis Fratribus, quo paupertatis voto attento, cùm eosdem non priuet necessarijs ad victum, & vestitum, cùm id sit ius naturæ conseruandi vitam, sequitur accipientes sibi relicta titulo elemosinæ, & pro suis tantùm necessitatibus non facere contra votum paupertatis. Vide dictam decisionem *Merlini* 456. vbi hæc omnia fusius habentur in causâ Minorum de Obseruantiâ.

57 Supradicta comprobantur Bullis Pontificijs, nam Martinus V. vt legitur in Bulla 14. Sixti IV. apud Confect. concessit Procuratoribus Domorum dict. Ordinis Minorum pro tempore existentibus facultatem, vt possessiones, & bona quæcumq; mobilia, & immobilia, ac annuos prouentus hactenus eis relicta, & in posterum relinquenda, aut alijs nominibus aquisita iure, & nomine Romanæ Ecclesiæ recipere tenere, & possidere, ac ipsorum fructus, redditus, & prouentus petere, exigere, & percipere, ipsosq; in commodum, & vtilitatem ipsorum Fratrum. Quod idem Sixtus ex certâ scientiâ, & de plenitudine potestatis suæ confirmauit anno 1471. Prædicta postmodum Paulus IV. in suâ incip. *Ex Clementi* 1. apud Confect. fol. 185. & in B. N.

58 pariter 1. sub §. 8. 9. & 10. ex certâ scientiâ, & de plenitudine potestatis confirmauit tribus Ordinibus S. Francisci, exprimendo etiam Obseruantes, derogando constitutioni incip. *Ad conditorem* Ioannis XXII. in quantùm poterat obstare, ne suis conuentibus aquirerent hæreditates, legata, & quæcumq; eis relicta exigenda per suos Procuratores, & Syndicos seculares.

59 Clemens quoq; VII. in suâ 15. in Bull. Nouo, incip. *nuper pro parte*, indulget eisdem Obseruantibus, & etiam Tertij, Ordinis Religiosis, vt mediantibus eorum Procuratoribus, & Syndicis, possint cum hæredibus, & executoribus super institutionibus, & legatis iam factis, & in futurorum, faciendis componere cum hæredibus ad certam summam, & quantitatem pecuniarum ad releuandas eorum necessitates, & pro fabricâ.

Demùm Vrbanus VIII. in suâ incip. *In- iuncti nobis sub num. 49. fol. 66.* à Minoribus de Obseruantiâ, abdicat immobilia, census perpetuos, & annua legata, quæ sunt contra puritatem, & declarationes Regulæ factas à Nicolao III. & Clemente VIII. quòd, & ipsi in Congregatione Generali anno 1625. celebratâ Romæ abdicarunt, protestantes, se nolle aliquid sibi relictum recipere, nec petere vti habentes aliquod ius super illud, sed sponte oblatum recipere tantum titulo elemosinæ pro suis indigentijs. 60

Itaque concludamus rem hanc paucis, posse scilicet Minores de Obseruantiâ, & Capucinos titulo elemosinæ recipere quæcumq; sibi relicta, quorum dominium dicitur esse penes Ecclesiam Romanam, cuius nomine Syndici procurant etiam in iudicio, si opus est, eorum exactionem, & solutionem, vt ex eorum pretio deinde possint prouidere indigentijs Fratrum recipientium titulo elemosinæ, qui nullum tribuit ius, dominium, proprietatem, aut possessionem, ex dictâ *dec. Merlini* 466. *num.* 14. Prædicta procedunt, vt nec sint capaces annuorum redd. tuum perpetuorum, etiamsi huiusmodi legata habeant adnexa missarum onera, vt docent ibidem allegati à *Merlino num.* 15. Intellige, quòd non sunt capaces dominij, & exactionis illorum, si tamen committantur illis celebrationes missarum recipient elemosinam panis, vini &c. pro sustentatione, comedunt enim sacrificia mortuorum. 61

Quæres 15. An religiosi singulariter spectat. sint capaces hæreditatis, & legati?

℞. Affirmatiuè professi ordinis capacis prædictorum eo sensu, quòd proprietas, & dominium aquiratur monasterio, & vtilitas religioso, ad quem directa fuit institutio. *Primum patet* ex illo communi axiomate: Quicquid aquirit monachus aquirit suo monasterio deducto *ex cap. vn.* 18. *q.* 1. *glos. pen. in cap.* 1. *de testam. Nauar. de Reddit. q.* 3. *Monit.* 7. *& Com.* 2. *de regul. num.* 3. *Rodriq. tom.* 2. *q.* 29. *art.* 5. *Less. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 14. *Rota par.* 5. *dec.* 181. *num.* 14. *& dec.* 114. *num.* 2. Secundum docet praxis, & approbata consuetudo, & pia mens testatorum, qui intendunt prodesse, & monacho quò ad vsum, & monasterio, quod ex parte exoneratur a sustentatione Monachi, quod nulli dubium est cedere in commodum Monasterij. Requiritur tamen licentia saltem tacita superioris ad minus localis, nisi aliud obstet. Ita *Rodriq tom.* 2. *q.* 125. *art.* 4. *Sanch. lib.* 7. *cap.* 22. *num.* 25. *Pellizar tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 425. *Buratus decis.* 584. *num.* 12. *&* 13. *apud Carepam resolut.* 149. *num.* 4. cum clausulâ 62 63

exclusoMonasterio, intelligitur enim quòd professus habeat administrationem cum licentiâ, & patientiâ superioris.

Quæres 16. An legatum singularibus religiosis relictum sub similibus clausulis, *vt ad ipsum legatarium pertineat, & non ad Monasterium. Vt Superiores in eo non se ingerant, nec intromittant. Vt dominium, & proprietas sit omninò penes legatarium, aliter deuoluatur &c.* Valeat.

64 ℞. Legatum factum sub primâ clausulâ interpretatur, quòd pertineat ad religiosum, quò ad vsum, & administrationem, non verò quò ad proprietatem, & dominium, cum enim solus conuentus huius sit capax, non excluditur, sed solùm quò ad vsum, & administrationem, cuius est capax religiosus accedente licentiâ sui Superioris, & non aliter. Ita valere dicunt omnes *cum Bartolo in Auth. excipitur C. de bonis.quæ liber cum multis alijs citatis à Sanch. lib.7. cap. 17. num. 4. Molfel. tom. 1. summe tract. 7. cap. 20. num. 49. & 50. Tambur. de iure Abbatiss. disp. 8. q. 5. Compend. Rodriq. resol. 48. num. 2. & 3. Diana par. 3. tract. 2. resol. 34. Legana tom. 1. cap. 6. num. 34. sequitur citando Carena resol. 199. per totam. Ego cap. 13. de profess. q. 73.*

Factum verò sub alijs adhuc valet, quia illæ conditiones vti turpes contra vota paupertatis, aut obedientiæ reijciuntur, ac habentur ac si non essent scriptæ, ac proinde legatum pro puro, & valido habetur, quia conditio turpis non vitiat legatum, sed ipsa ab illo vitiatur, vt dixi *cap. 1. q. 4. vers. legatum.* Ita docent omnes præcitati, quibus addè *Castropal. disput. 3. de obligat. relig. p. 6. Abbat. in cap. Monachi de statu Monach. num. 8. Rodriq. tom. 2. q. 125. art. 3. cum suo Compend. resol 88. num. 2.*

Quæres 17. An nouitius existens in probatione sit capax legati, & hæreditatis?

65 ℞. Affirmatiuè, quia nullo iure prohibetur. Quare de relictis sibi tempore nouitiatus poterit vel testari, vel si non testatur, illa secutâ professione transfert in Monasterium capax aquirendi, *ex Auth. ingressi C. de Sacros. Eccles.* aliter in eis succedunt venientes ab intestato.

66 Quæres 18. An Fratres Tertij Ordinis S. Francisci, cuius ego indignus sum alumnus, tam seculares, quam regulares sint capaces legatorum, tam in genere, quam in specie?

Tres ordines, vt dixi sub *q. 14.* instituit Sanctus Pater, de Tertio hic ago, qui subdiuiditur in secularem, & regularem, cuius ego sum inutilis seruus. Primus incæpit anno 1221. initio Iunij in loco Canariæ ab Assisio distante quatuor milliarijs, datâ eis certâ viuendi formâ in obseruatione Dei mandatorum, vt essent meliores cæteris secularibus. Qui postmodum ad meliorem frugem aspirantes se eleuauerunt in statum religiosum sub solemni professione trium votorum circa annum 1300. quorum institutum, vti secundum postmodum approbauit Sixtus IV. per suam Bullam incipit. *Ad Christi* anno 1480. declarando vota ab eis emissa antea, & deinceps esse solemnia constituentia in eis statum regularem. Lege eiusdē Ordinis Cronologium præsertim cap. 8. à me impressum Parmæ, vbi hæc scribo.

℞. Vterq; Ordo tam secularis, quam regularis est capax hæreditatis, & legatorum, in genere, & in specie. De seculari nulla potest esse dubitatio, quia non promittunt votum paupertatis, nec Mendicantes appellantur, quæ duo aliàs potuissent ingerere difficultatem, ergo prædictorum sunt capaces. 67

Loquendo verò de eisdem regularibus patet quoq; manifestè, illos esse capaces hæreditatum, & legatorum, tam in genere, quam in specie, cum eorum paupertatis votum, nec Regula, nec constitutiones prohibeat id, & faciat eos incapaces, sicut nec facit idem votum respectu aliorum religionum ex dictis sub q. 13. 68

Confirmatur id ex proprijs, nam id supponitur in cap. 6. 10. 16. & 27. Regulæ. Et ex multis Bullis patet, eos esse capaces hæreditatis, & legatorum, vt pluribus docui *cap. 9. à num. 19.* dicti Cronologij. Bullas de hâc materiâ refero in nostro Archiuio Bullarum Parmæ impresso, quæ præ alijs sunt 92. fol. 155. pro Sororibus Senensibus, quibus conceditur facultas recipiendi relicta in vltimâ voluntate, seù alio titulo. Item Mornensibus idem conceditur *à Paulo II. Bullâ 54. n. 12. fol. 268. Idem à Paulo IV. Bullâ 229. n. 11. fol. 497. idem à Clemente VII. Bullâ 212. fol. 406. num. 14. & 15. & in aliâ de quâ supra sub q. 14. Vers. Clemens.* Hæc latius discussa præcitato *cap. 9. Cronology num. 19. & seq.*

Loquendo autem de eisdem Fratribus in particulari, quòd sint capaces hæreditatis, & legati patet ex eo, quòd ipsi non magis ligantur voto paupertatis, quam faciant vota eadem respectu professorum aliorum Ordinum, qui sunt capaces aquirere, relictorum proprietatem, & dominium suo monasterio, & sibi vtilitatem, & commodum relicti dependenter à voluntate superioris, vt probaui supra q. 15. 69

Quod procedit etiam respectu Fratrum de Obseruantiâ, & Capucinorū legitimè translatorum, & professorum in Tertio Ordine, nam cum amplius non sint membra, prioris ordinis non afficiuntur vlterius incapacitatibus, & obligationibus prioris ordinis, sed posterioris habētis ius ad hæreditates, & legata, ergo tales religiosi ita iudicandi sunt, ac si nūquā fuissēt Obseruantes, aut Capucini, cū per posteriorem professionem extincta sit prior, cum idem nō possit esse filius duorum parentum. 70

Et

Et consequenter respondit sacra Congregatio in Neritonensi 22. Ianuarij 1622. apud Barbosam *ad cap. 3. sess. 25. num. 11.* Regularem Minorum de Obseruantiâ legitimè trãslatũ ad tertiũ Ordinẽ S. Francisci, recuperare ius in bonis sibi ex testamento, vel ab intestato, post translationem delatis. Et id multis probat Donatus Antonius de Marinis *lib. 2. resol. quotid. cap.* 185.

71 Quæres 19. An Sorores Tertiariæ sint capaces legati relicti illi, quæ monacabitur? Inter has aliæ sunt professæ solemniter viuentes in monasterijs, & de his non est difficultas, quia clarè, & sine dubio verificatur conditio, si puella fiat professa in monasterio. Restat difficultas, si recipiat habitum à superiore Ordinis manendo in propriâ domo seculari, vel cum suis consanguineis? Præmitto vlterius, vnamquamq; religionem præsertim Mendicantium habere personas Tertiarias vtriusq; sexus, quæ manent extra claustra in proprijs domibus laicalibus, de quibus Iacintus Donatus *Ordinis Prædicatorum de rebus regular. tom. 2. par. 4. tract. 16. Lezana tom. 2. cap. 14. per totum.* De his omnibus datur responsum.

72 ℟. Legatum factum pro monacatu debetur personæ, quæ recipit habitum à superiore regulari eiusdem Ordinis cum simplici voto castitatis emisso, licet maneat in domo suorum consanguineorum, aut aliorum, seu pro-
73 priâ. Probatur, quia huiusmodi Sorores Tertiariæ gaudent priuilegijs sui ordinis, quem profitentur, ac si essent cum monialibus eiusdem Ordinis profitentibus tria vota solemnia, modo ipsæ promitant votum Castitatis simplex, ex Bulla Leonis X. incip. *Dum intra* 22. in B. N. in quâ postquam sub §. 19. statuit Fratres, & Sorores cuiuscumq; Tertij Ordinis in proprijs domibus manentes nullis gaudere priuilegijs, sed teneri ad onera secularium, & conueniri in foro seculari coram
74 iudice laico, sub tit. sub §. 20. *Collegialiter autem viuentes, seu cum claustralibus habitantes, ac mulieres virginalem, aut cælibem, aut castam vidualem expresso voto, & sub habitu vitam ducentes, priuilegijs, quibus Fratres Ordini, cuius Tertia Regula habitum gestant, gaudere debeant.* Qui Pontifex in sequenti Bullâ incip. *Nuper. §. 2.* respondens dubio, an illud votum debeat esse solemne,
75 decernit *Declaramus, quod in præmissis de voto solemni religionis minimè intelligi debeat, itaut mulieres virginalem, aut cælibem vitam similiter viuentes etiam in consanguineorum, & affinium suorum, aut proprijs domibus, vel seorsim habitantes, priuilegijs, & immunitatibus prædictis in omnibus, & per omnia frui, & gaudere debeant.* Sed professis, & existentibus intra claustra daretur tale legatum, ergo, & mulieribus recipientibus habitum cum simplici voto manentibus extra claustra, aliter non gauderent priuilegijs sororum claustralium contra Bullam supradictam Leonij X.

Confirmatur quia in fauorabilibus Tertiarij cum claustralibus manentes, & Tertiariæ in domibus suis cum voto castitatis æquiparantur professis solemniter, vt docent omnes *cum Suar. tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 2. nu. 17. & 18. Lezana tom. 2. cap. 14. num. 7. Gratian. cap. 113. num. 40. & 45.* Sed professis 76
solemniter debentur legata, ergo, & his simpliciter professis seorsim ab illis manentibus.

Ita in his terminis *plures citat. Ciarlin. cap. 218. num. 53. Diana part. 1. tract. 2. resol. 84. Vers. vnde ex his*, referens ita fuisse decisum in Curiâ Arch episcopali Panormi. *Del bene part. 1. de immun cap. 8. dub. 21. sect. 23. plures citans*, qui solum docent, eas mulieres gaudere priuilegijs, nihil tamen dicunt de legato. Sequitur Dianam *Donatus part. 4. tract. 17. q. 3. num. 23.* alios citans, qui tamen aliter sentiunt, item Nouarius de elect. fori *sect. 1. q. 67. num. 16.* citans Riccium, vt insinuant idem Diana *in Addit. secund. resol. 28.* Nec dissentit Marin. *lib. 2. cap. 100. num. 6. vbi ex Castillo lib. 1. decis. 88.* affirmat legatum si peruenerit ad monacatum, dandum esse F. Tertiario viuenti collegialiter, non autem viuenti in domo propriâ, quia non gaudet priuilegijs sicut viuens collegialiter, mulier autem ex voto gaudet priuilegijs ex mente Leonis X. vt vidimus, licet non viuat collegialiter, ergo ei debetur legatum. 77

In contrarium citatur præfatus de Castillo eàdem decis. sed quia illius librum non vidi, nescio, in quo fundetur eius decisio, si enim loquitur de Tertiariâ carente voto castitatis, benè loquitur, quia illæ non gaudent aliquo priuilegio, cum habeantur pro puris personis laicis.

Sed quid respondendum opponentibus, quòd sorori deest aliqua conditio ex expressis in decretis Sacræ Congregationis pro sororibus Tertiarijs, quæ extendit Barbosa *lib. 1. de iure ecclesi. cap. 43. num. 8.* ac proinde legatum ei non deberi.

Occurritur dicendo, sufficere quod votum simplex castitatis subsistat, hoc enim solum facit, vt debeatur illi legatum, Nam Tertiariæ, quæ admittuntur ad professionem absq; requisitis à Sacrâ Congregatione præscriptis, validè admittuntur, quia in eis non exprimitur decretum aliquod irritans talem professionem, & vorum ab eis emissum, ita *Lezana par. 2. cap. 14 num. 40. & ex eo Pontonus de Possentibus singul. 189. num. 7.* 78

Quæres 20. An cui legatum fuit relictum, si nubat, sit capax emissâ professione in religione? Quæsitum commune est non solùm fœminis, sed etiam masculis.

℟. Affirmatiuè, licet expressa fiat mentio de matrimonio carnali, etiam si verba dirigantur

gantur ad certam personam, cui sit nubendum.

79 Prima pars, quòd ingrediens religionem sit illius capax quando verba communia sunt vtriq; matrimonio, probatur. Tum quia genus inest omnibus suis speciebus, *Authent. Hoc Sacramentum C. de iure iur.* ergo matrimonium inest tam carnali, quam spirituali suis speciebus, consequenter legatarius in hoc habet electionem, pro hac re enim facit regula: In alternatiuis electio est creditoris in legatis, *l. Planè* 34. *§.pen. ff. de legat.* 1. *l. Si is cui* 19. *& l. Lucio* 23. *ff. de legat.* 1.*Barb. ad dictam reg.* 70. *num.* 14. ad consequendum autem legatum sufficit, si vnum ex propositis sit adimpletum, ex eàdem regulà, debetur ergo legatum siue nubat Spiritualiter, siue carnaliter, quouis enim ex his modis agat satisfacit voluntati testatoris. Tùm quia genus, quod in duabus speciebus reperitur, est communicabile, *l. Seruus* 97. *§. si alijs ff. de legat.* 3.ergo secundùm vnum, vel alterum adimpleri potest. Tùm quia mens testatoris semper præsumitur rationabilis, quæ talis non esset, si vellet excludere legatarium à meliori bono, quod est matrimonium spirituale. Est communis apud *Gratianum cap.* 533. *num.* 19. vbi dicit, hanc conclusionem ab omnibus esse approbatam, sequitur, *Ciarlin. cap.* 218. *num.* 6. infinitos citans, *Bonac. de controu. disp.* 3.*q.*1.*p.* 4. *num.* 70. *vers. Idem iudicium Sperellus dec.*146.*num.*52. *Sanchez. lib.*1.*disp.* 33.*num.*32. *Rota par.*4.*tom.*2. *dec.*398.*num.*1. *vbi num.* 2. testator legando aliquid Titio, vt nubat, illud debetur, etiamsi monachus fiat, quia dum testator oppositum non declarauit, ius præsumit, quod idem disposuisset, si meminisset, vbi *Rota num.* 6. vocat eam receptissimam, & communissimam, fundatam in hac præsumptione. Sed ego hac præsumptione non fundor absolutè, sed magis in significatione verborum, quæ non excludunt matrimonium spirituale, ac proinde testator reliquit legatarium liberum in electione vnius ex his statibus, si enim vnum voluisset cum exclusione alterius, id expressisset, iuxta dicta *cap.* 1. *q.* 30. *vers.* Quod aliqui, vnde si clarius non fuit locutus sibi imputet.

Verba autem communia vtriq; matrimonio sunt hæc: *Si nupserit, si matrimonium contraxerit, maritabitur, cum se matrimonio copulauerit.* Hæc postrema verba non excludunt matrimonium spirituale, inquit citata *Rota dec.*398.*num.*17. *&* 18. quia non requirunt copulã, vnde *l.In copulandis C.de nuptijs,* loquitur quidè de matrimonio simpliciter cõtrahendo, non autem de matrimonio per copulã de necesse consumando, matrimoniũ enim stat sine copulã, quæ nõ est de illius substantia ex communi sententiã, & veritate omnium Theologorum, & Canonistarum in 4. Sent. *dist.* 30. vbi *Scotus q.* 2. ibi Comment. initio.

Secunda pars, quòd lucretur legatum professus, licet dicatur relictum nubenti carnaliter expressis verbis, probatur ex Auth. *Sed, & hoc præsenti C. de sanct. Episc.* Vbi talis conditio habetur pro non adiectà, ergo impletio legati non restringitur ad carnale matrimonium, sed conditio restrictiua spectanda est, ac si non fuisset expressa, sufficit ergo, legatarium vnum ex illis præstare: *Ita Surd. lib.*2. *cons.*192. *num.* 19. *Felin.in cap. Ecclesiâ S.M.num.*79.*Vers. Cæterum, de constit.Bald. Nouell. de priuileg. dot.* 77. *par.*6. *num.*2.*quos contrà se citat Rota præfata* 398. *num.*3.*Mastrill. dec.* 153. *num.* 7. *Couar. in cap. Nos quidem de testam. num.*6. *vers. Sexto, Gratian. cap.*533. *num.* 20. *Barb. Allegat.* 83. *num.* 27. *cum illis Ciarlin. cap.* 218. *num.* 7. 80

Legatum ergo factum nubenti carnaliter adhuc debetur profitenti in religione, quia præter quam quòd obstat citata Authent.quę disponit contra voluntatem testatoris, in casu, quo vellet excludere à legato ingredientem monasterium, probatur clarè, quia non est verisimile testatorem voluisse legatarium retrahere à meliori statu, & eum impedire ab illo per matrimonium carnale; si enim talis fuisset eius voluntas expressa, vt perderet legatum ingressus, sine dubio vt turpis conditio non vitiaret legatum, sed ipsa vitiaretur, *ex dictis cap.*1.*q.*4. *vers. Legatum* in dubio ergo cum testator censeatur se velle cõformare iuri communi, *Petra de fideicom. q.* 11. *num.* 40. *Cæphal. cons.* 333. *num.* 28. *&* 30. *Curt. Iun. cons.* 128.*num.*10. *Iulius Cæsar Caluinus in opere suo inscr. communes in dubio iuris conclus.* 996. & non aduersari huic Authenticæ, quia non poterat nec de iure, nec de facto sine peccato, quod præsumi non debet in conditione testamenti, *Plautius* 9.*ff. de auro, & argento legato.* sequitur, quòd legatarium reliquerit liberum, licet ei præposuerit matrimonium carnale, sine exclusione spiritualis.

Tertia pars, quòd nec excludatur à legato 81
licet sit expressum quod tali personæ nubat, probatur quia dicta auth. generaliter loquitur in fauorem legatariorum, quos vult esse liberos respectu status vtriusq. matrimonij, neq; posse impediri etiam relatiuè ad quoscunq; alios, cum legatum respiciat fauorem, & commodum nubentis legatarij, non commodum alterius, cui nubit, ideo cum ad tertium non spectet legatum, neq; rationabile est, quòd ab extraneo defectu vitietur. *Ita Porcellus V.Legatum num.*10. *& mox citati, Pasq. q.* 248. *num.* 5. dum dicit non posse dari incertis puellis, ergo certis.

Priorem partem, quòd legatum sit dandum ingredienti, pleriq; ex dictis Doctoribus tenent, veram esse, in casu quo ex coniecturis non colligatur mentem testatoris fuisse, vt daretur tantùm, nubenti carnaliter, quas coniecturas expendit *Sanchez lib.* 1. *disp.* 33.

à num.

à num. 30. *Rota tamen citata dec.* 398. *ait nu.* 8. non sufficere testatorem sensisse de nuptijs carnalibus, nisi quoque sentiat ad exclusionem nuptiarum spiritualium, vt ergo legatum non debeatur professo, sed tantùm nubenti carnaliter, coniecturæ debent excludere nuptias spirituales.

Sed quoniam huiusmodi coniecturæ si excludant nuptias spirituales, arguunt turpem conditionem adiectam legato, non prosunt heredibus, cum vti turpes sint reijciendę, vt expresè dicitur in Authenticà, ideo parum refert illas perscrutari, dum sunt reijcibiles à dispositione legati.

Dices vbi mens testatoris est clara ad consequẽdum legatum, seruanda omnino est, aliter legatum non debetur, legatarius enim agnoscens legatum tenetur parere iudicio defuncti *l. si re* 13. *C. de fideicom. liber.* & illius mens seruanda est in formà specificà, quam non seruat ille qui profitetur in Religione cum debuisset ducere vxorem iuxta expressam mentem testatoris. Adde quòd conditio: *si nupseris* non est turpis, cum matrimonium sit à Deo institutum in vsum propagationis humani generis, & licet melius sit non nubere, tamen nubere turpe non est relatiuè ad non nubere, quia vterq; status laudabilis est, & honestus ergo ex his infertur, dandum esse legatum si nupserit, & non aliter, dum potuit hanc conditionem sine peccato ponere.

82 Respondetur, quod cum à iure præcitatæ Authent cę repet tæ etiam in *C. ad Senat. Trebell.* §. *Nisi rogati* talis conditio nuptiarum carnalium reprobetur, & pro non scripta habeatur fauore Religion s in quantùm potest retrahere à Relig one volentem ingredi, & non nubere, profitendo non dicitur facere contra voluntatem testatoris, qui in tali casu non præsumitur velle aduersari dispositioni iuris communis reijcientis talem conditionem quatenus vellet excludere ingressum Religionis, nam præfata lex seruanda est à testatore, qui facere non potest, ne leges locum habeant in suo testamento *l. testandi* 13. *C. de test am.* cum disponat contra testatorem, & sit illi contraria, vt docent præcitati in secundà parte responsionis, & docet *de Lugo disp.* 24. *de iust. n.* 293. Mens ergo testatoris omnibus modis seruanda, est quando non aduersatur legibus.

Quæres 21. An legatum pro maritandis puelis incertis tribui possit volentibus ingredi Religionem. Differt à præcedenti quæstione, in quà actum est de legatarijs certis.

83 ℞. Potest tribui profitentibus, quia non est maior ratio, cur dari possit certæ puellæ ingredienti, & non incertæ, cùm traditio supponat electionem, per quam puella certificatur, in quo actu nihil differt ab eà, quæ certificata fuit à testatore, executor enim testamentarius, cum repræsentet personam testatoris, dum agit non nomine proprio, sed illius, idem facit, ac testator, ergo cum eadem sit electio puellarum facta ab executore, sicut si fuisset fa ta à testatore, eodem iure censenda est incerta persona, sicut certa, & ideo comprehenditur is casus sub dispositione dictæ Authenticæ. Confirmatur, quia eædem rationes, quæ probant legatum dandum esse puellæ certæ profitenti, suadent etiam pro incertà. Et ità docent *Ochagauia de Sacram. tract.* 1. *de matrim. q.* 15. *num.* 17. *Poncius lib.* 3. *de matrim. cap.* 7. *num.* 11. *Diana par.* 5. *tract.* 14. *resol.* 35. *Homob. par* 3. *exam. tract.* 13. *cap.* 8. *fol.* 356. *Villalob par.* 2. *summæ tract.* 30. *diffic.* 30. *num.* 11. & 12. *Genuens. in Practicab. q.* 26. *Bossius de matrim. contract. cap.* 11. *num* 638. *quos cum alijs pro se citat Ciarlin. cap.* 218. *num.* 9. *Ego de profess. regul. cap.* 13. *q.* 68.

Multi contrarium tenent, quòd non possit dari ingredientibus, sed tantùm maritat s, quos citat pro se *Sanchez lib.* 1. *disp.* 33. *num.* 32. & *contra se idem Ciarlin. num.* 8. *Pasqual. q. Moral.* 248. *num.* 5. *de Lugo. disp.* 24. *num.* 293. Qui probat, quia Authentica loquitur solùm de legato relicto certæ personæ sub cõditione liberorum, vel nuptiarum, ergo ea dispositio extendi non potest ad legata relicta incertis personis, quia lex noluit, nisi in prædictis casibus derogare voluntatibus testantium. *Secundò* probant alij, quia bonum publicum præualere debet priuato, finis enim testatoris fuit occurrend. indigentijs puellarum, ne defectu dotis ob paupertatem prostituerentur. *Tertiò*, ideo certus legatarius à testatore nominatus potest statum eligere, quia habet post mortem testator s ius ad legatum, non autem incertus legatarius, & ideo ille, non is, eligat, vnde incertus electioni dicitur consentire sub eà conditione nubendi carnaliter. *Quartò*, vna causa pia non excludit aliam causam piam, cap. *Quia contingit, de relig. domibus*. 84

Ad primum respondetur, esse ibi sermonem non tantùm de personis certis, sed etiam incertis, vt colligitur ex illis verbis, *siue reliquerit suis liberis siue alij cuicunq; personæ hæreditatem, vel legatum*. Nam alius quicunq; importat generalitatem sine aliquà determinatione e. g. si quis impetret rescriptum contra talem personam, & quoscunq; alios, agere potest contra certam, & alias incertas, quas potest determinare, *ex adductis à Barb. dict.* 26. *num.* 6. & 15. Vide quæ dixi *ego cap.* 4. *q.* 48.

Ad secundum, non potest inueniri melior prouisio puellis pro tuendà virginitate, quam professio in monasterio, & hoc quoq; est bonum publicum, & melioris conditionis, quàm matrimonium carnale.

Ad tertium, quamuis incertus legatarius inci-

incipiat habere ius ad legatum à puncto electionis, quia tunc fit certus, tamen in electione de se factâ potest dicere volo ingredi monasterium antequam consentiat in futuras carnales nuptias. Vel dic, tàm incertum legatarium, quàm certum incipere habere ius ad captionem legati, quando purificatur conditio matrimonij siue carnalis, siue spiritualis, quia ex dispositione iuris legatum conditionale aquiritur conditione adimpletâ ex dictis *cap. 1. q. 14.* & testator non potest excludere incertum legatarium à Religione, ex probatis in præcedenti quæstione.

Ad quartum, verum quidem est, quòd causa pia non excludit causam piam ac proinde liber est legatarius quantum est ex parte suâ, & testator consequenter exprimendo vnam causam piam aliam non excludit, exprimendo nuptias carnales, non potest excludere spirituales non solùm ex dispositione Authenticæ, sed etiam ex naturâ earum relatiuâ, quia fortior est pietas Religionis, quam paupertatis.

Quæres 22. An legatum mille pro nuptijs carnalibus dari possit eidem puellæ, cui pro ingressu fuerunt assignata quinque centum tantùm?

85 ℟. Pinguius legatum est dandum profitenti. Probatur, quia huiusmodi dispositio secundùm excessum habet rationem turpis, & puellam retrahit à meliori proposito, ergo habenda est pro non adiectâ, ac si legatum ex æquo reliquisset pro vtroq; statu. Confirmatur *ex l. Titia 99. ff. de condit. & dem.* vbi Titia consequitur legatum maius relictum non nubenti, & minus nubenti, licet nupserit. Ratio, quia non nubere secundùm ius Ciuile habetur pro turpi, *l. quoties 22. l. sed si hoc 62. l. cum tale 72. l. Mulieri 74. ff. de condit. & dem.* immo, & secundùm ius naturale talis prohibitio est turpis, quia aduersatur multiplicationi hominum, & bono publico, vnde iure Pontificio non prohibêtur nuptiæ carnales, sed earum abstinentia laudatur, & commendatur propter statum cælibatus, qui est melior, & perfectior statu matrimonij. Quare legatum relictum non nubenti debetur si non nubat, & non aliter, quia conditio vbi honesta adimplenda est, quidquid dicat Bartolus, quem sequitur Poncius *lib. 3.* de matrimonio *cap. 6. num. 12.* quia ille locutus fuit secundùm ius Ciuile, quod non considerauit ius cælibatus, quod eam conditionem non facit turpem, nisi contineat prohibitionem, quæ non reperitur in dispositione huius legati, non cogente legatarium ad abstinendùm à nuptijs, qui liberè consentit, vt habeat legatum. *Vide Caram. in Theolog. fund. num. 870. fol. 304.*

Ita docent *Silu. V. legatum 1. num. 13. Donatus par. 2. tract. 11. q. 22. Diana par. 1. tract. 2. resol. 125. Lezana V. legatum num. 17. Pasqual. q. 245. num. 4. Ego cap. 13. de profess. q. 69. num. 117. Ciarlin. cap. 218. num. 45.* licet dicat consuetudinem esse in contrarium, quam multi Doctores sequuntur.

Rota sequendo Baldum, & æquitatem apud Lodouisium *dec. 63.* ait communem obseruantiam esse, vt dos minor detur ingredienti monasterium, quàm nubenti in seculo, eo quòd maior impensa requiritur in inueniendo virum, quam monasterium; præterquam quòd maiora onera incumbunt nuptis, quam non nuptis, monialis enim non eget familiâ, caret filijs, non quærit pompam, nec honores, dos vero moniali traditur tantum pro sustentatione suæ vitæ, iuxta exigentiam monasterij &c. *Rota par. 1. Recent. dec. 480. par. 2. decis. 249.* idem pluribus probat cum eis nouissimè Cæsar de Panimollis Vicarius Generalis S. Siluestri Nonantulæ *constit. 7. num. 25.* Quamuis contra obseruantiam huiusmodi argui non possit, id tamen non tollit absurdum, quòd magis æstimentur nuptiæ carnales, quam spirituales, nec quòd ex huiusmodi obseruantiâ aliquod præiudicium fiat cupienti ingressum Religionis, à quo retrahitur ex illo maiori emolumento ad nuptias, quas non elegisset, sed ingressum si potuisset habere legatum pinguius.

Quæres 23. An dicta in præcedentibus de legatis dandis professis in religione, debeantur recipientibus ordines?

℟. Affirmatiuè, quia authentica æquæ loquitur de professis, & clericis, ibi: *siue masculi, siue fœminæ monasteria ingrediantur, aut clerici, aut diaconissæ, aut ascetria fiant, si vsq; ad suam vitam in his perseuerauerint.* Illud verbum *Ascertia*, seu Assisteria, vt volunt alij refertur ad fœminam religiosam diuersam ab illis, quæ manent in monasterijs, de quibus antecedenter dixit, vnde eius nomine appellantur meo iudicio Tertiariæ quæ manent in proprijs domibus, de quibus supra dixi sub *q. 18.* assistunt enim orationi in suis domibus. Hoc autem priuilegium competit etiam Clericis in minoribus existentibus, si autem recedunt à suis statibus amittunt legatum, vt clarè patet in textu præfato. 86

Quæres 24. An legati facti clerico seculari capax sit factus religiosus? Proponit casum Portellus *par. 2. suorum Respons. casu 2.* fere sub his verbis. Mulier reliquit legatum quingentorum scutorum cuidam puero, quem ex baptismo susceperat, pro dote, & patrimonio ad ordines sacros recipiendos cum onere, vt sibi applicaret primam missam nouam, addendo, quòd si moreretur puer ante primam missam, legatum caperet eius Soror. Ante receptionem ordinum profecit in Religione in numero clericorum, præmisso testamento, in quo suæ matri dictum legatum reliquit, excludendo Sororem substitutam à testatrice. An valeat dictum testamentum quo ad lega-

tum

tum illud factum matri, quod debeat capere Soror testatoris.

87 ℞. Testamentum quò ad illud legatum fuisse nullum, esto enim post mortem testatricis aquisierit illius dominium quò ad se, quia fuit modale, & onerosum, tamen ex hoc non poterat de illo disponere in præiudicium personæ substitutæ; quia per ingressum religionis non euanuit substitutio ad formam capit. *In præsentiâ* 8. *de probat.* quia monasterium incapax successionis, vt fuit hoc in casu Portelli, substitutum non excludit, sed peractà professione substitutus statim admittitur. *Nauar. com.* 2. *de Regular. num.* 54. *Rodriq. tom.* 2. *q.* 77. *art.* 4. *cum alijs Barb. ad dictum cap. num.* 13. Nullus contradicit, & id firmatur per Authenticam sæpius citatam in præcedentibus, dum huiusmodi conditiones, & substitutiones habet pro non expressis respectu corum, qui volunt ingredi religionem, quæ dicitur haberi loco filij. Vnde non placet, quod respondet Portellus *num.* 7. Authenticam non emanasse fauore temporali religionum, vt possent habere hæreditates, & legata ingredientium, sed ne fideles impedirentur ab ingressu religionis, nam Authentica stat bene pro vtroq; fine, immo pro præsenti casu parum facit pro Portello, quia tale legatum non poterat illum retardare licet non disposuisset de illo, vt patet, immo inuitabat ad statum perfectum clericatus quem poterat facilè obtinere, immo facilius relinquendo illum, cui de iure debeatur. Multa dicit Portellus in contrarium, quæ ex dictis manent soluta, nec Doctores, quos citat, loquuntur in terminis præsentis casus.

88 Sed quid dicendum de legato relicto alicui in patrimonium pro suscipiendis ordinibus, si profiteatur in religione, in quà loco patrimonij succedit titulus paupertatis numquid illud secum transfert in religionem capacem?

Meo iudicio debet initiari ex illo titulo, si vult lucrari legatum, nam mentem expressam testatoris seruare potest, absq; præiudicio ingressus in religionem, per susceptionem enim ordinis tantùm abest vt impediatur quin potius sibi facilitat viam ad ingressum.

Quæres 25. An hospitale sit capax legati?

89 ℞. Hospitale erectum auctoritate Episcopi, quod præsumitur in dubio dum adiunctam habet Ecclesiam, quamuis possit etiam esse tale sine Ecclesià, vt probat *Ciarlin. cap.* 116. *num.* 13. capax est hæreditatis, & legatorum, non autem merè profanum, quod scilicet caret canonicà erectione, & incapax est Ecclesiæ, laicale ergo hospitale incapax est legatorum. Ità *Calder. conf.* 23. *de testam. Castr. lib.* 1. *conf.* 351. *Tuschus lit. H. concl.* 159. *num.* 7. *apud Ciarlin. cap.* 116. *num.* 19. Sed ponamus casum, quòd constet de laicalitate merà hospitalis numquid poterit legata, immo hæreditates recipere distribuendas in pauperes, in dotandis puellis, & ad similia opera pia? Vtique. Nam impietas est prohibere opera misericordiæ, dum hæc exerceri possunt à quouis in particulari, à fortiori à quauis Congregatione siue pià, siue laicali, & talia legata sine dubio sunt pia, cum specificentur à fine intento à testatore, qui vult, vt subueniatur pauperibus, licet non specificentur à loco, qui est profanus. Quare illi Doctores intelligendi sunt, quòd illud hospitale merè profanum sibi soli aquirere non possit, sed vtiq; pauperibus; tamquam merus executor voluntatis testatoris.

Quæres 26. An legatum relictum ingredienti religionem aquiratur nubenti carnaliter.

90 ℞. Negatiuè, quia fauore religionis transferri potest legatum à statu inferiori ad superiorem, non è contra à superiori ad inferiorem, ità *Conar. lib.* 1. *Var. cap.* 19. *num.* 10. *Vers. Non tamen erit, ex illo Ciarl. cap.* 218. *num.* 52.

CAPVT QVARTVM

De Legatis Pijs.

SVMMARIVM.

1 *Legatum pium est illud, quod fit locis pijs, seu pauperibus.*
2 *Cognoscitur ex duabus causis ex amore Dei, & salute legantis, quæ sunt finalis, & ex subleuatione paupertatis, quæ est causa impulsiua.*
3 *Legatum relinqui potest Ecclesiæ etiam ædificandæ.*
4 *Priuilegium non datur rei nondum existenti.*
5 *Monasterio relictum pium est.*
6 *Pio pariter loco etiam non erecto auctoritate Episcopi.*
7 *Hospitali quoq;*
8 *Legata relicta Confraternitatibus sunt pia.*
9 *Congregatio enim est pia personarum instituta ad exercitia pietatis.*
10 *Pauperibus etiam consanguineis factum est pium etiam in dubio.*
11 *Contraria opinio adest, sed verior prima.*
12 *Verba testatoris indicantia legatum pium sunt hæc. Pro cultu diuino, pro salute animæ, pro exoneratione conscientiæ, pro amore Dei.*
13 *Pauper quis dicatur relinquitur arbitrio Iudicis.*
14 *Paupertas affligit pauperem quò ad alimenta, & quò ad statum, & respectu hu-*
15 *ius etiam Imperator, & Reges sunt pauperes. quia pro bello petunt ab alijs subsidiū.*
16 *Pauper, qui elemosinam quærit, vel laborat, vt sibi quærat victum.*

F 17 *Pau-*

17 *Pauper quisq; præsumitur, tamen paupertas probanda est ab eo qui se in eâ fundat in ordine ad aliquid obtinendum.*
18 *Pauperi secundùm indigentiam alimentorum datur legatum pium, non secundùm paupertatim status.*
19 *Pauperis nomine non solum venit persona; sed etiam loca pia.*
20 *Pauperum nomine venit Ecclesia, Monasterium, & Religiosi.*
21 *Pauperioribus non est distribuendum, si hoc non expressis testator.*
22 *Quia nemo tenetur esse diligentior, sufficit si sit diligens.*
23 *Pauperum nomine in dubio veniunt pauperes de patriâ testatoris.*
24 *Pauperes carentes alijs conditionibus non habent legatum.*
25 *Peccant dantes non habentibus cõditiones, non tamen est obligatio restitutionis, quia pauperes incerti non habent ius, nisi post electionem.*
26 *Hospitali nõ potest dari relictũ pauperibus.*
27 *Neque monasterio, quidquid dicat Pasqualigus.*
28 *Distribuendum pluribus vni tantum dari non potest.*
29 *Distributor si sit pauper potest se connumerare inter legatarios.*
30 *Dispensare quis potest seipsum.*
31 *Religiosus distributor potest se connumerare inter pauperes.*
32 *In dubio legatum censetur pium.*
33 *Fauendum magis est legatario, quàm filijs hæredibus.*
34 *Pia causa in generali prohibitione non continetur.*
35 *Fraus in legatis pijs non est præsumenda.*
36 *Legatum pro sepulcro, & exequijs pium est.*
37 *Legatum pro seminario est pium.*
38 *Seminarium est locus pius.*
39 *Legatum pro studio est pium.*
40 *Legatum pro Doctoratu est pium.*
41 *Legatũ pro patrimonio subdiaconi est piũ.*
42 *Legatum pro Lecturà est pium.*
43 *Studere volentis legatum est pium.*
44 *Pro alimentis legatum est pium.*
45 *Librorum legatum vt sic non est pium.*
46 *Legatis libris non veniunt armaria.*
47 *Nomine* Corporis libri *venit quilibet liber ab alijs seiunctus.*
48 *Legatum pro satisfaciendis creditoribus est pium.*
49 *Legatum dotale est pium relictum pauperi.*
50 *Fictus pauper potest sibi retinere elemosinam, seu legatum.*
51 *Attenditur enim causa principalis, quæ est amor Dei & salus legantis, nõ impulsiua,*
52 *quæ est subleuatio miseriæ pauperis.*
53 *Maius dandum in legatis pijs.*
54 *Quarta non debetur pro legatis pijs.*
55 *Falcidia non detrahitur, si suppetunt vires hæreditatis.*
56 *Ante aditam hæreditatẽ potest peti legatũ.*
57 *Veniens ab intestato adhuc tenetur ad legata.*
58 *Quia fauor piæ causæ illi præualet.*
59 *Testamentum ex causâ piâ cancellatum non præsumitur à testatore.*
60 *Statutum contra causam piam nihil disponere potest.*
61 *Pium testamentum non præsumitur habere clausulam derogatoriam subsequentium testamentorum.*
62 *Legatum factum monasterio vt recipiat iuuenem non est simoniacum, sed pium.*
63 *Cum possit dari aliquid alicui, ne peccet, vt faciat aliquod spirituale.*
64 *Meretrici factum, vt conuertatur pium est.*
65 *Libertatis legatum pium est.*
66 *Transactio non fit in legatis missarum.*
67 *Transactio est de re dubiâ cum diminutione ex parte creditoris.*
68 *Testator, si viueret, responderet sine sui præiudicio in legatis.*
69 *Referuntur verba certi legati.*
70 Enixè *.i. maximo conatu, firmiter, & immutabiliter.*

QVoniam nostra principalis intentio est latius agere de legatis pijs, ideo in præsenti capite de illis in communi agendũ est, prosequendo institutum ordinẽ.

Quæres 1. Quid sit legatum pium?

℞. Est illud, quod relinquitur Ecclesiæ, 1
Monasterio, Hospitali, Confraternitati, &
cuivis alteri loco pio, aut pauperibus, propter
amorem Dei, & salutem animæ. Est com-
munis apud citandos. Duæ causæ in pietate 2
fundatæ, possunt specificare, & denominare
legatum pium. Prima dicitur finalis, & prin-
cipalis, quæ est ex parte Dei ipsius amor, ho-
mo enim omnes suas actiones ad Deum diri-
gere debet. Secunda ex parte legantis, quæ
est impulsiua appellari potest, salus animæ,
& respectu loci, vel personæ, quibus fit, est
subleuatio paupertatis eorum, quæ specificat
legatum sub ratione pietatis.

Quæres 2. An legatum relictum Ecclesiæ etiam diuiti sit pium?

℞. Affirmatiuè, quia in his relucet maxi- 3
mè pietas, quæ Ecclesiæ matri exhibetur, e-
tiam si sit ditissima, quia principalis finis, hoc
est, amor Dei in his oblationibus inspicitur.
Ità *Glos. V. Exemplo cap. 1. de priuileg. Barb.*
lib. 3. de iure cap. 27. num. 2. de Lugo disp. 22. de
iust. initio. Non solùm relictum Ecclesiæ 4
iam constructæ, vel construendæ, sed etiam
reparandæ, *Barbat. lib. 3. cons. 126. Surd. cons.*
62. num. 5. Riccius par. 4. resol. 351. cum alijs
Barb. lib. 3. cap. 27. num. 19.

Quæres 3. An legatum relictum monasterio sit pium?

R. Affirmatiuè, tam ædificando, quam 5
ædificato, seu reparando, magna enim est

pietas

pietas, quæ fouet religiosos in monasterijs, in quibus seruitur Deo, & exercentur quamplura pietatis opera. Ità *Nauar. tom.4. de regular. num.45. Diana resol.29. de testam. Rota par.8. decis.96. num.32.*

Quæres 4. An relictum hospitali sit pium?

6 Rx. Affirmatiuè, quia est locus pius, in quo exercentur opera pietatis, & misericordiæ, à quibus legatum denominatur pium. Ità *Bart. in Auth. Hoc ius porrectum C. de sacros. Eccles. Card. in Clem. de relig. domib. in fine, Gabriel. de piâ causâ concl.2. Gratian. cap.34. initio.*

Quæres 5. An legatum relictum loco non erecto auctoritate Episcopi, in quo exercentur pietatis opera, sit pium?

7 Rx. Affirmatiuè, quia ad denominandum legatum pium sufficit, vt res sit destinata ad opus pietatis, cuicumq; relinquatur loco, licet non sit pius in se, & materialiter defectu auctoritatis Ecclesiæ in eius erectione, quia non attenditur pietas, vt ita dicam, materialis, sed formalis ex ipso pietatis exercitio, vnde *Ancharan. cons.*120. locum vocat pium, in quo exercentur opera pietatis, quamuis ibi non sit Ecclesia, aut monasterium, vel hospitale, nec sit erectus auctoritate Episcopi. Nam legatum magis specificatur ab illis operibus in ratione pietatis, & operum misericordiæ, quàm à loco, qui sicut personam non sanctificat, ità neq; legatum facit esse pium, sed opus pietatis.

Adde prædictis, quod amor Dei expressus in testamento facit legatum pium, cuicumq; deinde loco, vel personæ relinquatur, quia in Deo, qui omnium est pater, infinita relucet pietas. *Riccius par.2. resol.381. num.1. Bald. in l.1. C. de sacros. Eccles. num.9. Caphal. cons.216. num.17. Ciarlin. cap.7. num.7. & infra q.8.*

Vlterius legatum relictum cuicumq; personæ, siue loco, pro animâ ipsius testatoris, illis verbis expressis in testamento, pium est, *ex Auth. Vt cum, de appellat. §. Si vnum de prædictis, Vers. Occasionem autem. Bartol & Bald. in l.1. C de sacros. Eccl. Anchar. cons.144. Diana resol.29. Rota par.3. dec.233. num.3. Ciarlin. cap.5. num.9.* ergo non attenditur locus, sed salus animæ, & amor Dei.

Quæres 6. An legata relicta Confraternitatibus sint pia?

8 Rx. Affirmatiuè, quia expenduntur, vel in cultum diuinum, vel in vtilitatem pauperum. Est enim Confraternitas causa pia, & congregatio personarum instituta ad exercitium

9 pietatis, vt dixit *Merlin. dec.407. num.16. Gabr. lib.1. cons.162. num.7. & de piâ causâ concl.1. num.22. Rota par.6. dec.179. num.15. cum alijs Sperell. dec.153. num.24. Rota par.4. tom.2. dec.22. num.2.*

Quæres 7. An legatum relictum pauperibus quibuscumq; siue consanguineis, siue affinibus, aut extraneis, sit pium?

Rx. Affirmatiuè, quia in pauperibus relucet magna pietas, quà censetur motus ex amore Dei testator ad subleuandam eorum miseriam per legatum eis factum, vt docent omnes infra citandi cum *Ciarlin. cap.28. num.2.* 10

Consanguineo ergo, seu affini pauperi legatum relictum est pium, quia censetur factum magis intuitu pietatis, quàm affectione parentelæ, sicut è contra, factum diuiti censetur testator respexisse tantùm affectionem, ac proinde non esse pium, sed profanum. Ita omnes cum *Iasone cons.185. col.2. vers. septimo, lib.2. Caphal. lib.2. cons.216. num.24. Gratian. cap.605. num.28. Barb. lib.3. de iure Eccles. cap.27. num.10.* Procedit etiam in dubio, quando nulla fuit facta mentio paupertatis, aut alterius clausulæ, quæ clarè inferat legatum esse pium, quia adhuc censendum est, legatum esse pium, positâ legatarij paupertate, hæc enim satis specificat voluntatem testatoris fuisse, vt respexerit potius paupertatem, quam consanguinitatem. Confirmatur, quia vbi reperitur ratio formalis constitutiua pietatis, ibi necessariò reperitur eius formalis effectus, sed in legato facto pauperi etiam consanguineo inuenitur ratio formalis constitutiua pietatis, ergo necessariò sequitur, legatum tale esse pium. Ita præcitati cum eodem Barbosa, qui ex Magdaleno *de numero test. par.2. cap.2. num.42.* ait procedere quando legatum esset modicum, & proportionatum ad subueniendum pauperi; non verò si esset excessiuum, & valde pingue, quia præsumendum esset, fuisse factum ex affectu consanguinitatis, & non ex pietate.

Contrarium, quòd in dubio non censeatur factum ex causâ pietatis consanguineo licet pauperi, quando in testamento nullum apparet verbum pietatis, sed habendum sit pro profano docent 14. Doctores *apud Ciarlin. cap.33. num.103. & Barbosam cit. num.10.* eâ ratione, quia præsumitur præualere affectio sanguinis, cum ea sit naturalis. 11

Sed id non obstat, quia esto hic concurrat affectus sanguinis, non tamen piam affectum sulleuandi miseriam tollit, vnde præsumendû est esse pium, dum illi in est causa pietatis subleuantis paupertatem. Pro intelligentiâ prædictorum.

Quæres 8. Quænam verba testatoris indicent legata esse pia?

Rx. Sequentia. *Primò* si fiat mentio de cultu diuino, *Bald. in l. illud. C. de Sacros. Eccles. num.1. Tiraq; in præfat. de causâ piâ, Mantica lib.6. de coniect. tit.3. num.24. Magdal. de numero testium par.2. cap.2. num.34. Ciriacus contr.94. num.45. ex eis Merlin. dec.805. num.2.* Est pium *secundò* si fiat mentio de salute animæ, *ex præcitatis cum Merlino num.1. Ciarlin. cap.5. num.9. Euer. à loco* 12

à loco à libert. ad pias causas in fine, *Gabriel. de pià causà concl.* 1. *num.* 10. *Caphal. conf.* 2.6. *num.* 17. *Ciarlin. cap.* 7. *num.* 7. Est pium *tertiò* relictum pro exoneratione conscientiæ, *Rota par.* 7. *decis.* 245 *num.* 29. Est pium *quartò* relictum pro amore Dei, *Bald. in l.* 1. *C. de Sacros. Eccles. num.* 9. *Caphalus cons.* 216. *num.* 17. *Ciarlin. cap.* 7. *num.* 7. Vide *Portellum tom.* 2. *Respons. casu* 18. *num.* 2. vbi plura refert exempla.

Quæres 9. Qualis debeat esse pauper, vt eius legatum possit dici pium?

13 ℞. Præmitto à Doctoribus variè sumi nomen *Pauperis*, adeoquòd relinquunt arbitrio iudicis decidere quis dicatur pauper, *Glos. in Auth. Præterea*, *C. Vnde vir*, *& vxor. Natta vol.* 3. *cons.* 605. *fine*, *Sperellus dec.* 156. *num.* 20. Nihilominus sequentia noto, & dico, quòd ille est pauper, qui caret necessarijs non solùm ad sustentandum commodè se, & familiam suam, sed etiam ad conseruandam status sui conditionem: *Alex. lib.* 8. *cons.* 213. *Beninc. as. de Pauper q.* 1. *num.* 40 *Pasq. q.* 231. *num.* 8. *Bald. in l. Si quis C de Episc. & cler.*

14 *Sperell. dec.* 156. *num.* 19. Quare paupertas duo affligit in homine, vitam, dum miserè viuit carens commodo victus, vestitus, medicinæ, seu habitationis, defectus enim cuiuslibet ex dictis inducit paupertatem. Affligit quoq; statum personæ, dum in eo se non potest manutenere, fine auxilio alterius, vtraq; enim miseria alterius auxilio subleua-

15 bilis est. Quà ratione imperator quoq; & Reges ratione status dici possunt pauperes, quia ad se defendendum in bello, petunt auxilium ab hoc, & ab illo Principe. Paupertas ergo respectu status reperitur etiam in diuitibus, qui licet lautè viuant, & nihil eis desit, quò ad hoc, tamen quòd se non possunt manutenere in suo statu nisi subsidio aliorum, quod vt plurimum inutile est, sic Deo permittente, quia bella iustè non geruntur, & Principis ministri, & milites sunt peiores hostes, quàm hostis ipse contra quem bellum geritur, pauperes sunt.

16 Pauper igitur est, qui eleemosinam quærit pro vità sustentandà, *Rota vol.* 4. *decis.* 250. *num.* 4. *& dec.* 409. vbi dicitur pauper, qui sibi victum quotidianum quærere cogitur. Pauper dicitur, cuius res de die in diem in peius ruunt, *Ciarlin. cap.* 94. *num.* 28. Pauper dicitur, qui suis diuitijs vti non potest, *Rota vol.* 2. *dec.* 79. *num.* 3. Pauper dicitur, qui non habet patrimonium pro recipiendo Subdiaconatu, *Ciarlin. cap.* 28. *num.* 4. Pauper dicitur respectu eius modici, quod actu possidet, non respectu eius, quod petit iudicialiter, *Innoc. in cap. Significantibus, de offic. de leg. num.* 4. *ibidem Butrius num.* 21. *Imola num.* 23. *Sperell. dec.* 156. *num.* 26.

17 Quamuis quisq; pauper præsumatur, quia talis nascitur omnibus destitutus etiam gratià Dei, cum nudus gratià, & tegumentis sit inops, iuxta illud Catonis. *Infantem nudum cum te natura creauit*. Et ita docent *in l. si verò* 5. §. *qui pro rei. ff. qui satis dare coguntur*. Legistæ, cum eis Tuschus *l. P. concl.* 161. *initio*, *Ciarlin. cap.* 84. *num.* 13. *Sperell. dec.* 138. *num.* 58. Nihilominus cum quis in ea fundat suam intentionem ad consequendum aliquid, tenetur eam probare, *ex allegatis à Ciarlin. cap.* 33. *num.* 105. *cap* 109. *num.* 31. *Sperell. dec.* 138. *num.* 59. *& dec.* 156. *num.* 15. *&* 16. Pro quà re vide Rubeum *ad decis.* 617. *à num.* 36. *par.* 4. *tom.* 3. His ita præmissis.

℞. Legatum dici pium ex paupertate personæ, non status, ea enim paupertas propriè subleuatur per actum misericordiæ, & pietatis; non hæc, quæ etiam in diuitibus reperitur, vnde huiusmodi subleuatio non est opus misericordiæ, & pietatis, sed erectio personæ in statum profanum. 18

Quæres 10. Quinam veniant sub nomine pauperum? An Ecclesiæ, an hospitalia? An monasteria? An religiosi ipsi singulariter accepti?

℞. Affirmatiuè, quia in eis viget paupertas, si non necessitatis, quæ angit pauperes sæculi, saltem voluntatis, quæ non debet esse deterioris conditionis in ordine ad fauores, & priuilegia, quibus gaudent cæteri pauperes. Vnde sub nomine pauperum venit Ecclesia, *Graff. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 3. *ex D. Thoma* 2. 2. *q.* 185. *art.* 7. *ad* 2. *& tom.* 1. *consil.* 2. *de furtis num.* 15. vbi legatum factum pauperibus potest dari Ecclesiæ. Quod tamen simpliciter non probo, vt infra patebit. De hospitalibus venientibus sub nomine pauperum non est dubitandum, cum à pijs operibus, quæ exercent in pauperes, denominationem pauperum recipiant. Vide *cap.* 3. *q.* 2. Multo minus de religiosis, cum voueant paupertatem, veniunt ergo sub nomine pauperum omnes supradicti. 19 20

Quæres 11. An factum pauperibus incertis, distribuendum sit magis pauperibus?

℞. Cum ex tenore testamenti id non colligatur, sufficere electionem pauperum, quia mens testatoris requirit tantùm qualitatem positiuam paupertatis. Confirmatur, quia nemo tenetur melius agere, sed sufficit bene agere, *arg. cap. licet ergo* 15. 8. *q.* 1. *ibi glos. V. Præstantior*, *ex Petro Nauar. lib.* 2. *de restit. cap.* 1. *num.* 59. *Lessius lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 6. *quos citat. Megalius* 1. 2. *lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 25. asserentes neminem teneri esse diligentiorem, sed sufficere esse diligentem, ergo sufficit eligere pauperes, non pauperiores, dum testator ad id non obligat. Ita *Decius cons.* 120. 21 22

Quæres 12. An in dubio cuiusnam loci sint pauperes?

℞. Præsumendum est, testatorem loquutũ fuisse de pauperibus suæ patriæ, quos censetur 23

tur plus diligere, quàm extraneos, ac proinde velle illis plus benefacere, quàm alijs. Ita *Ciarlin. cap. 23. num. 38. & seq.*

Quæres 13. An si pauperes careant alijs conditionibus, requisitis expressè à testatore, adhuc illis dari possit legatum?

24 ℞. Negatiuè, sed eligendi sunt pauperes habentes omnes qualitates expressas à testatore, quia expressa testatoris voluntas omnibus modis seruanda est, *cap. 4. 13. q. 1. cap. indicante 4. de testam.* Non seruatur autem factà electione pauperum carentium omnibus, aut alterâ saltem ex requisitis conditionibus. Quare relictum distribuendum puellis ciuibus non potest dari rusticis, & relictum de tali familiâ, non potest extendi ad alios alterius familiæ.

25 An in his casibus non adimplens mentem testatoris peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem ijs, qui habent omnes conditiones? Crederem peccare mortaliter, quia facit contra expressam voluntatem testatoris requirentis, vt legatum distribuatur puellis ciuibus, non rusticis, vel de suà familià, non extraneis. Non tamen teneri ad restitutionem, cum nulli damnum intulerit, dum legatarius incertus non aquirit ius ad legatum, nisi post electionem, vt probaui *cap. 1. num. 180.*

Quæres 14. An legatum pauperibus relictum dari possit hospitali, quod pauperes alit?

26 ℞. Non potest dari hospitali, quia in eo locum habere non potest distributio, quæ refertur ad plures personas singulares in seipsis singulariter spectatas, quæ consideratio fieri non potest in hospitali, quod vnum est; & licet plures alat pauperes in indiuiduo personas singulares, illæ tamen à testatore non sunt intentæ, quià illæ non dicuntur pauperes ad hunc finem, quem intendit testator, nimirum subleuare eorum indigentiam, cum iam sit subleuata ab ipso hospitali, quod illis prouidet de necessarijs. Nec obstat, quòd hospitale veniat sub nomine pauperum, quia id tantum importat, quòd gaudeat priuilegijs pauperum, *Genuens. q. 214. in practicab. ex eo Barb. alleg.* 83. *num.* 20. non quòd illi possit dari legatum pauperibus destinatum.

Quæres 15. An tale legatum pauperibus distribuendum dari possit monasterio?

27 ℞. Negatiuè, ob rationem adductam in præcedenti, quia religiosorum monasterium vnicum est corpus politicum, cui non aptari potest distributio; & præterea religiosi subleuati iam sunt ab indigentijs per redditus, & eleemosinas sui monasterij; testator autem non intendit dare subleuatis, sed subleuandis per distributionem legati, ergo intendit succurrere tantùm pauperibus singularibus, *Pasqual. q.* 228. probat dari posse vni monasterio, quia cùm in eo sint plures religiosi, fit distributio pauperibus, & saluator pluralis locutio testatoris, qui legauit distributionem pluribus pauperibus. Vnde religiosus à testatore electus ad distribuendum legatum pauperibus, poterit illud dare suo monasterio. Et pro se citat nouem Doctores,

Sed hoc non placet, quia mens expressa testatoris attendenda est, quæ est, vt occurratur indigentiæ pauperum non voluntatis, sed necessitatis, hi enim magis indigent, & propriè appellantur pauperes sine alio addito, pauperes verò spiritu, & cum addito huiusmodi simpliciter non dicuntur tales, nec in miseriâ dicuntur positi, cum à suis monasterijs sint prouisi de necessarijs, vel debeant prouideri.

Ad rationem Pasqualigi respondetur, non posse verificari, quòd legatum fuerit distributum inter pauperes numero diuersos, dum immediatè aquiritur monasterio, quod vnum est, non multiplex, ac proinde incapax distributionis, quæ pluralitatem requirit in distributarijs. Nec distributio propriè saluatur relata ad religiosos, vel pauperes in hospitali, seu monasterio, quia legatum illis immediatè non distribuitur, dum viâ directâ datur loco, vt inde subueniat suis alumnis, contra intentionem testatoris, qui vult prouideri pauperibus indigentibus, non prouisis, vti sunt prouisi degentes in monasterio, aut hospitali.

Quæres 16. An legatum pauperibus distribuendum dari possit vni tantùm pauperi.

℞. Non potest dari vni tantum, quamuis in 28
summâ egestate posito, quia hoc clarè repugnat distributioni, quæ habet pro obiecto pluralitatem pauperum, cùm ergo expressè pateat id aduersari menti testatoris, vni tantùm dari non potest. Ità *Baldus in repetit. l. 1. C. de sacros. Eccl. num. 31. Bartol. in l. 1. ff. de opt. & elect. legat. Castr. vol. 1. cons. 97. cum alijs Pasq. q. 230. num. 2.* contra paucos, quorum opinatio non probatur.

Idem Pasqual quærit, an distributio facta legati duobus tantùm pauperibus sit rectè facta? Bene respondet sic, quia numerus pluralis in duobus tantum saluari potest, *l. Vbi numerus 12. ff. de testib.*

Quæres 17. An distributor possit se connumerare inter pauperes.

℞. Si distributor sit pauper nihil prohibet, 29
quin possit seipsum connumerare inter legatarios, & sibi retinere portionem similem, & æqualem, quam dat alijs. Nec obstat, quòd inter dantem, & accipientem debeat esse distinctio personalis, quia id non est verum
vniuersaliter, vt planè demonstrat *Sanchez* 30
lib. 10. disp. 3. de dispens. quia idem potest dispensare seipsum, & in casu præsenti dici potest, quòd distributor quà talis repræsentat personam testatoris, cuius vices gerit, quatenus verò recipit legatum, habet rationem legatarij, qui sine dubio distinguitur à legante,

te. Ità 18. Doctores apud *Barb. Alleg.* 83. *num.* 22.

Quæres 18. An inter pauperes, quibus est distribuendum legatum, connumerari possit religiosus particularis?

31 R. Affirmatiuè, quia tunc distributio sine dubio locum habet, & ipse venit sub nomine pauperum, & licet sit de necessarijs alimentis prouisus à monasterio, hoc tamen non tollit, quin possit eligi in legatarium ad alium effectum e. g. ad emendos libros, quando in conuentu non est libraria, vel pro laureâ doctoratus in sacrâ Theologiâ, iuxta vsum sui Conuentus.

Quæres 19. In dubio legati an sit profanum, an pium, quid resoluendum?

32 R. Quando ex verbis testatoris non magis vnum, quàm alterum colligi possit, legatum habendum est pro pio, quia summa est ratio, quæ pro Religione stat. Ità *ex l. Id quod* 24. *C. de Episcopis, & eler. Bald. in l.* 1. *C. de sacros. Eccl. Mantica de Coniectur. vlt. vol. lib.* 3. *tit.* 3. *num.* 22. *ex eis Barb. lib.* 3. *de iure Eccles. cap.* 27. *num.* 9.

Quæres 20. An in legatis pijs fauendum sit magis legatario, quam filijs hæredibus?

33 R. Affirmatiuè, exceptâ eorum legitimâ, quia is fauor respicit animam defuncti, quam magis sibi caram habet, quàm omnes filij ab eodem diligantur. Ità *Rota par.* 8. *dec.* 166. *num.* 19. *ex Auth. Si qua mulier, iuncto principio, & fine C. de sacros. Eccl. vbi Iason, & Baldus.*

Quæres 21. An pia causa in generali prohibitione contineatur?

34 R. Negatiuè, *glos. in cap.* 2. *de reb. Eccles. non alien. Tiraquel. de piâ causâ in præfat. circa finem, Caballus resol. crimin. casu* 232. *num.* 34. *Rota par.* 7. *dec.* 245. *num.* 30. Quare confessio mulieris facta ad piam causam non requirit solemnitates statutarias, *Franchus decis.* 237. *num.* 2. *&* 4. *Cornens lib.* 3. *cons.* 322. *num.* 6. *Gratian. cap.* 831. *num.* 1. *& cap.* 878. *num.* 21. *&* 22. *cum alijs eadem Rota num.* 25. *vbi num.* 26. Quòd mulier non iuuatur Velleiano soluere debita viri præmortui pro exonerandâ eius conscientiâ. Idem *Franch. num.* 2. *Caballus cons. ciuil.* 2. *vol.* 1. *Thores in compend. decis. Neapolit. par.* 1. *vers. mulier. vidua fol.* 244. *Hodierna in repet. l. hac aditali q.* 37. *num.* 5. *& seq.*

Quæres 22. An in legatis pijs præsumi possit fraus?

35 R. Negatiuè, quia causa finalis, quæ est pietas, & salus animæ legantis, nullam præsefert speciem fraudis, cum tota sit bona, *ex l. hac aditali C. de secund. nupt. Ioan. Babtista Hodierna in cà l. q.* 37. *initio ex Rota par.* 7. *dec.* 245. *num.* 27. *&* 28. in legatis ergo pijs cessat omnis fraus. Scriptis ab ipso testatore, iterum infra *cap.* 5. *q.* 16.

Quæres 23. An legatum pro fabricando sepulcrum intra Ecclesiam, vel in cemeterio, sit pium?

R. Vtique, tum quia vocatur locus Ecclesiasticus, in quo fideles tumulantur, & nuncupatur locus sacer, religiosus, sanctus, & purus, ex adductis à Lauor. *tit.* 2. *de Prisco, & recenti funer. more cap.* 7. *num.* 2. Ita *Menoch. lib.* 4. *præsumpt.* 115. *num.* 25. *Riccius par.* 4. *resol.* 351. *num.* 2. *Barb. lib.* 3. *de iure cap.* 27. *num.* 20. vbi quòd pium est legatum pro exequijs mortuorum. 36

Quæres 24. An legatum relictum seminario sit pium?

R. Affirmatiuè, quia est locus pius auctoritate Episcopi erectus, in quo exercentur opera pietatis. *Trident. sess.* 23. *cap.* 18. illis verbis: *In Collegio ad hoc prope ipsas Ecclesias, vel alio in loco conuenienti ab Episcopo eligendo, alere, ac religiosè educare, & Ecclesiasticis disciplinis instituere tenentur.* Et infra clarius. *Eosq; ad omnia supradicta cogere debeat, & vt quamprimùm hoc Sanctum, & pium opus, vbicumq; fieri poterit promoueatur, studiosè curabit.* Vide ibi Barbosam multa congerentem. 37

Seminarium ergo clericorum, locus non solùm pius, sed etiam Ecclesiasticus, est auctoritate Episcopi erectum, vnde meritò legata eidem facta pia sunt, & magnum à Deo meritum sperare possunt, qui talibus locis beneficia præstant, sunt enim impensa in honorem Dei, & in augmentum cultus diuini. *Riccius par.* 3. *resol.* 411. 38

Quæres 25. An legatum relictum pro studio sit pium?

R. Affirmatiuè, quia ordinatur ad eruditionem animæ, & est primum opus misericordiæ spiritualis. Ità *Bart. & Doct. in l.* 1. *fine ff. solut. matr. Tiraq. in Præfat. col.* 12. *Vers. Item relictum causâ studij. Moneta de commutat. q.* 4. *num.* 41. *ex illis Ciarlin. cap.* 5. *num.* 10. *Gratian. cap.* 62. *initio.* Procedit in quouis genere studij, & non solum Theologiæ, vt voluerunt restringere Alexander, & Baldus allegati à præfato Gratiano *num.* 4. quia pietas huius legati specificatur à fine erudiendi animam respectu omnis doctrinæ etiam profanæ, cum opus misericordiæ sit simpliciter docere quoscunq, ignorantes. Procedit hoc siue legatarius sit diues, siue pauper, quia saltem est pauper respectu doctrinæ, quam aquirere potest ex illo legato commodum afferente volenti studere. 39

Quæres 26. An legatum relictum pro Doctoratu in quauis facultate sit pium?

R. Affirmatiuè, quia rationem pietatis habet, quòd animam illustrat, & demonstrat doctam, & scientificam. Confirmatur quia studium est præuia causa ad lauream; sed studium facit legatum pium, ergo & Doctoratus eius effectus, est enim studium, & doctrina 40

causa

causa vniuoca studiosi, & doctoratus.

Nota autem, quod legatum factum Doctori, non debetur ei, qui solo Principis verbo Doctor creatur, nullo præcedente examine. *Iason in l. si quis maior C. de transact. num. 30. Gratian. cap. 186. num. 78.* Doctori ergo examinato debetur legatum, licet actu non doceat, sufficit enim quòd habeat lauream, *Bart. in l. 1. C. de colleg. lib. 11. Glos. in cap. Statutum de elect. in 6. Gratian. cap. 291. nu. 58. & 59.* Doctor ergo dicitur nō à docēdo, & honore, sed à laureâ, & honore, adeo quòd sufficit, vt aptus, & idoneus sit ad docendum, vt supponitur, si fuit examinatus, & doctè responderit. An autem sit pium legatum pro doctorando relictum? supradicti nihil dicunt; videtur tamen tale ex allatis initio rationibus.

Quæres 27. An legatum factum pro clerico, vt possit recipere Subdiaconatum, sit pium?

41 ℞. Affirmatiuè. Tùm quia ordinatur ad rem sacram, & cultum diuinum, dum is clericus Deo in ordine seruire debet. Tum quia patrimonium ordinatur ad alendum clericum pauperem, dum caret proprijs bonis ad se alendum more aliorum clericorum, *Trident. sess. 21. cap. 2.* Ita *Ciarlin. cap. 28. num. 3.*

Quæres 28 An legatum factum pro Lectore, vt gratis doceat sit pium?

42 ℞. Affirmatiuè, quia habet pro fine pietatem, & opus misericordiæ, quod est docere ignorantes, quod non solùm verum est, si detur pro salario Lectoris Theologiæ, vt docent *Bald. in l. illud C. de sacros. Eccles. num. 1. Tiraq. in Præfat. Ciriac. lib. 1. contr. 94. num. 45. ex illis Merlin. dec. 805. num. 2.* Sed etiam pro quàlibet alia lectione, seu Grammaticæ, siue Legis tum ciuilis, tum canonicæ, quia docere est opus pietatis, & misericordiæ, ad quod testator respicit, tamquàm causam finalem mouentem illum ad legandum, vt ignorantes doceantur, causa enim respiciens pietatem est finalis, vt docent omnes, *cum Bart. Imola, Romano in l. 2. §. fin. de donat. cum alijs Ludouis. dec. 544. num. 6. Gratian. cap. 62. initio.*

Quæres 29. An legatum volenti studere relictum sit pium?

43 ℞. Affirmatiuè, quià specificatur à pietate, vt dictū fuit in præcedenti quæstione, Lector enim, & Studens cum sint relatiui ad inuicem non debent iudicari ad imparia. Ità *Bart. & alij in l. 1. fin. ff. solut. matrim. Tiraq. in Præfat. col. 12. Horat. Luc. de priuileg. Simonetll. de Decretis tit. 8. inspect. 15. Moneta de commut. cap. 4 q. 4. num. 45. ex illis Ciarlin cap. 5. num. 10.* Puto procedere licet Studens sit diues, quia legatum specificatur ab opere pio misericordiæ spiritualis, quod idem dico de Lectore, ob eadem rationem; & à fortiori erit pium, si ambo sunt pauperes, paupertas enim est finis generalis spectatus in conditione personæ non vlterius tendens, vt facit testator potissimùm motus ex pietate doctrinæ.

Quæres 30. An legatum pro alimentis relictum dicatur pium?

℞. Affirmatiuè, quia alimenta arguunt paupertatem, & sub eo nomine legata solent fieri pauperibus, qui sine alimentis viuere nequeunt. Ità *de Communi Ciarlin. cap. 28. num. 16.* 44

Quæres 31. An legatum librorum dicatur pium?

℞. Negatiuè, nisi relinquantur pauperi, vel Ecclesiæ, aut Monasterio, quia in se spectati venales sunt ac proinde non pij, sed pretiosi, respectu verò doctrinæ, quam continent, pij non dicuntur, quia non exercent opus pietatis, cum non doceant, nec doceantur. Respectu verò legatarij sunt legatum pium ex titulo paupertatis. 45

Rota par. 9. decis. 260. n. 2. ait, legatū librorum non continere armaria, seu scrinia, super quibus custodiuntur libri, *ex librorum appellatione 52. §. Libris autem, ff. de legat. 3.* Nisi ex coniecturis aliter colligatur, vbi ad id variæ referuntur. 46

Caramuel vir eruditissimus in suâ Theologiâ fundamentali Romæ excussâ sub *num. 928. fol. 324.* refert legatum librorum factum diuersis religionibus sub his verbis: *Carmelitani excalceati primùm ducenta librorum corpora eligerent, post eos solidem Iesuitæ, &c.* Dubitatum fuit, quid *corpus librorum* significet? An e. g. omnes libri iuris ciuilis sint vnum corpus? An opera Suarez sint vnūm corpus? An verò quilibet liber eorum per se compactus siue sit eiusdem Auctoris, seu plurium dicatur corpus? Hoc posterius voluisse testatorem dixit Caramuel, aliter vix pauci manerent libri pro Iesuitis, nulli pro alijs, ergo testator nomine *corporis librorum* intellexit vnumquemq; librum ab alijs seiunctum, & separatum, secundùm quòd vnus ab alio diuisus consuitur, & ligatur, esto opera duorum, vel plurium Auctorum simul eodem corpore ligarentur, adhuc vnum corpus, vnus liber esset, licet plures auctores. 47

Quæres 32. An legatum factum pro satisfaciendis creditoribus sit pium?

℞. Affirmatiuè, quia testator hâc ratione intendit opus pietatis, & misericordiæ, & exonerare conscientiam suam, aut alienam, & sic redundat in salutem animæ. Ita *Tiraq. de causâ piâ in præfat. prope finem, ex eo Barb. ad cap. penul. de testam. num. 5. Gratian. cap. 329. num. 13. & 16.* 48

Quæres 33. An legatum pro dote relictum sit pium?

℞. Vtique, si fuit relictum pauperi fœminæ, in eo enim relucet pietas subleuatiua miseriæ 49

ſeriæ proximi. Ita *Ruin. lib.* 3. *conſ.* 71. *num.*
15. *Mantica, de coniect. vlt. lib.* 6. *tit.* 11. *num.*
18. *fine*, *Surd. de alim. tit.* 2. *q.* 12. *num.* 9.
& 10. *ex illis Gratian. cap.* 565. *num.* 8.

Quæres 34. An virgo putata, ſed corrupta
poſſit ſibi retinere legatum, quod ſolis virgi-
nibus datur?

50 ℞. Poteſt illud ſibi retinere, niſi aliud ex-
preſſcrit teſtator, quia attenditur finis princi-
palis, qui eſt pietas propter Deum, & non
cauſa impulſiua ſubleuandi miſeriam illius,
cui datur. Ita *Gironda de priuileg. & exempt.*
num. 1439. *Perez de Lara lib.* 1. *de Anniuerſ.*
cap. 21. *num.* 90. *quos citat Barb. ad cap. Fi-*
lius 5. *de teſtam.*

Quæres 35. An pauper fictus poſſit recipe-
re elemoſinam, & legatum ſibi factum?

51 ℞. Affirmatiuè, quia ex duabus cauſis fi-
nali, & impulſiuà concurrentibus attenditur
exiſtentia finalis, non impulſiuæ, explico; fi-
nis legantis eſt pietas, quæ mouet illum ad
dandum pauperi propter amorem Dei, vnde
hæc cauſa finalis ſe tenet ex parte operantis
teſtatoris, ſeu aliter dantis elemoſinam; cau-
ſa verò impulſiua, eſt quæ dicitur ſe tenere ex
parte operis elemoſinæ, ſeu legati, ſcilicet
ſubleuatio miſeriæ pauperis; Quòd ſi is effe-
ctus ſubleuationis miſeriæ deſit, quia pauper-
tas eſt ficta in legatario, non ideo deeſt vo-
luntas in dante elemoſinam, ſeu in teſtatore,
quia non mouetur principaliter à ſubleuatio-
ne miſeriæ, ſed ab amore Dei exercendo pie-
tatem erga legatarium, cum ergo attendatur
magis cauſa finalis, & principalis, quam im-
52 pulſiua, & minus principalis, vt notat *Megal.*
conſ. 23. *num.* 12. *ex Scoto in* 4. *diſt.* 15. *q.* 2.
art. 3. *& ex Merlino deciſ.* 126. *num.* 68.
Paſqual. q. 392. *num.* 5. ſequitur teſtatoris,
ſeu dantis elemoſinam voluntatem fuiſſe, vt
pauperi licet ficto elemoſina, ſeu legatum a-
quiratur, quia id opus fecit ex pietate, & a-
more Dei. Et ita docent *Sotus lib.* 9. *de iuſt.*
q. 7. *art.* 3. *ad* 4. *Azor. par.* 3. *lib.* 4. *cap.* 21.
q. 8. *cum alijs Paſqual. q.* 392. *num.* 3. Pro-
bans, quia facta per errorem fauore animæ
non retractantur, vbi enim interuenit pietas,
agens ſibi aquirit, in quo caſu non requiritur
expreſſus conſenſus, *l. is cui bonis* 6. *de ver-*
bor. obligat.

Et ex his patet reſponſio ad argumentum
antiquorum Doctorum aſſerentium teneri fi-
ctum pauperem reſtituere, eà ratione, quia
dans elemoſinam putat ſe erogare pauperi,
ac proinde cum erret vti ingnorans non con-
ſentit ex vulgatis iuribus. Reſponſio inquam
eſt, non errare, quia ſuam bonam actionem
animæ ſuæ vtilem dirigit in amorem Dei
principaliter, ſecundariò in ſubleuationem
miſeriæ proximi; ſufficit autem ne dicatur er-
rare, quòd intendat finem, principalem.

Quæres 36. An in dubio legati pij de ma-
gis, & minus dando, quid dandum ſit?

℞. Dandum, quod maius eſt, *ex l. Titia* 53
40. *§. Seia ff. de auro, & argento legato.* Dixi
cap. 1. *q.* 29. *num.* 111. *Surd. de alim. tit.* 8.
priuileg. 25. *num.* 6. *Tiraq. de pià causà* 23.
Socin. lib. 2. *conſ.* 147. *num.* 6. *ex illis Gra-*
tian. cap. 565. *num.* 9. Quoniam autem in
Eccleſijs tria genera calicum regulariter in-
ueniuntur aurei, argentei, & inargentati, me-
dius dandus eſt in dubio. Vide, quæ dixi lo-
co citato.

Quæres 37. An pro legatis pijs debeatur
quarta?

℞. Negatiuè. Primò ſi legatum fiat pau- 54
peribus, quia de perſonis non detrahitur
quarta, *cap. ex parte l.* 3. *de verb. ſign. gloſ.*
V. Decreuit cap. 2. *de ſepult. Miranda tom.* 2.
q. 48. *art.* 5. *concl.* 3. *cum alijs Barb. alleg.* 86.
num. 21. *&* 22. Secundò ſi fiat Eccleſiæ pro
reparatione, pro cultu, pro eius indigentijs,
cap. fin. de teſtam. Miranda art. 3. *concl.* 1.
Barb. num. 23 *&* 24. Tertiò, pro maritan-
dis puellis ſingulis annis, *Seraph. dec.* 726.
num. 6. *Barb. num.* 27. Quartò, nec pro re-
lictis Monaſterijs, & Religioſis, ſunt enim in
numero Religioſorum, & præterea ſunt ex-
empti ab Ordinario, & Curatis. An debeatur
quarta de relictis Confraternitatibus. *Latè*
Barb. allegat. 75. *à num.* 43. ſed hic Parmæ
de nullis legatis datur quarta, quia pietas in
nullo eſt lædenda.

Quæres 38. An falcidia locum habeat in
legatis pijs?

℞. Negatiuè, vt latius probaui *cap.* 1. *num.* 55
75. *& ſeq.* niſi in caſu, quo vires hæreditatis
non ſufficiunt tàm pro pijs, quàm profanis,
tunc enim etiam pia patiuntur pro ratà dimi-
nutionem, *ex allegatis à Riccio par.* 1. *deciſ.*
221. *num.* 5.

Quæres 39. An hæreditate non aditâ
poſſit legatarius ſuum petere legatum pium?

℞. Affirmatiuè, quia legatarius ſtatim, ac 56
teſtator eſt mortuus, aquirit dominium le-
gati, ſi ſit purum, ex probatis *cap.* 1. *q.* 13.
ergo illud petere poteſt implorato Iudicis au-
xilio, nam bona teſtatoris ad quemcumq;
vadant, & quouis titulo, remanent hipoteca-
ta; & ſi hæres vult adire hæreditatem non ex
teſtamento, ſed ex vi inteſtati, adhuc tene-
tur ad legata ſiue pia, ſiue profana *ex l.* 1. *§.* 57
1. *& l.* 2. *ff. ſi quis omiſſà cauſà teſtam. l.*
eam quam 1. *C. de fideicom.* quia præſumitur
id feciſſe in fraudem, ne legata ſolueret lega-
tarijs, quibus iam quæſitum erat ius ad lega-
ta per mortem teſtatoris. Cum ergo lega-
tum eſt pium peti poteſt ante aditam hæredi-
tatem. Ita *Bartol. in l.* 1. *C. de Sacroſ. Ec-*
cleſ. col. pen. verſ. quartò quæro, Socin. lib. 1.
conſ. 116. *col.* 9. *Capella Toloſana dec.* 89. *Ti-*
raq. causà 33. *Gratian. cap.* 62. *num.* 23. Fa- 58
uor enim piæ cauſæ præualet fauori venien-
tium ab inteſtato *Rota par.* 8. *dec.* 166. *num.*
3. *&* 4.

Quæ-

Quæres 40. Quando est instituta causa pia, si testamentum reperitur cancellatum apud testatorem, an præsumatur ab eo cancellatum?

59 ℞. Negatiuè, nec ab eo, nec ab alio de eius voluntate, quia nemo præsumitur sibi velle male facere. Ita Mantica *lib.* 12. *tit.* 1. *num.* 32. *Rota par.* 4. *tom.* 2. *dec.* 22. *num.* 4. nisi aliter ex coniecturis colligatur.

Quæres 41. An lex ciuilis, aut statutum possit disponere in præiudicium causarum piarum?

60 ℞. Negatiuè, quia dicuntur spirituales, *de Lugo disp.* 22. *de iust. num.* 265. de quibus præter hic dicta, *Diana resol.* 29. *&* 30. *de testam.* Quare leges de quinq; aut septem testium numero non præsumuntur comprehendere causas pias, dum de illis disponere non possunt, vt docent *Alex. lib.* 7. *consf.* 105. *num.* 9. *fine. Cephal. lib.* 1. *consf.* 99. *num.* 2. *&* 3. *Menoch. vol.* 3. *consf.* 224. *num.* 66. *Rota par.* 4. *dec.* 321. *num.* 2. Multò minus id facere possunt statuta, *Tuschus V.* 5. *concl.* 116. *num.* 17. *Barb. lib.* 3. *de iure cap.* 17. *num.* 103. *cum alijs Diana resol.* 28. *de testam.*

Quæres 42. An testamentum præsumatur habere clausulam derogatoriam subsequentium testamentorum?

61 ℞. Negatiuè, nisi ea exprimatur, quia hæc vti extrinseca non præsumitur, nisi exprimatur. Diana refert Doctores *q.* 27. *de testam.*

Quæres 43. An legatum relictum monasterio, quando, vel si receperint talem personam ad habitum, & professionem suæ Religionis, sit pium, an simoniacum?

62 ℞. Pium omnino est, nullatenus simoniacum. Ratio est, quia per legatum recipiendum Conuentus non vendit receptionem, & professionem ingressi, sed testator solùm præstat opus pium alliciendo ingressum ad statum religiosum, & monasterium ad exequendam piam voluntatem eius, qui optat amplecti statum religiosum. Confirmatur id, quia legatum non traditur vt pretium ingressus, cum inter testatorem, & monasterium nulla præcesserit conuentio, nec pactum, vnde monasterium recipiens illud legatum, accipit titulo elemosinæ; nec obstat, quòd inde sequatur obligatio recipiendi iuuenem ad Religionem, quasi ex eà sequatur vitium simoniæ, quia ea obligatio oritur ex eà elemosinà causà pià, non ex re pretio æstimabili. Ita *Gratian. cap.* 254. *num.* 29. *Nauar. in cap. inter verba concl.* 5. *Illat.* 1. *Lessius lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 66. *Bonac. q.* 4. *de sim.* §. 7. *num.* 2. *cum alijs Barb. ad cap. Dilectus* 30. *de simon. num.*

63 7. vbi confirmatur præsens conclusio, dum citati Doctores dicunt, absq; vitio simoniæ quem alteri dare posse aliquid, vt vitet peccatum, vel vt opus spirituale faciat, est autem opus spirituale ingredi religionem, & recipere volentem ingredi.

Quæres 44. An legatum relictum concubinæ, seu meretrici cum conditione, vt ad meliorem vitæ frugem se conuertat, & deinceps castè viuat, sit pium?

℞. Esse pium, quia ordinatur ad salutem 64
animæ legatariæ. Ita *Bald. in l. hæreditas §. si defunctum C. de nupt. Bertachin de Episc. par.* 4. *lib.* 4. *q.* 31. *num.* 82. *Anton. de Butr. consf.* 14. *fine*, *Menoch. lib.* 4. *præsumpt.* 115. *num.* 26. *cum alijs Sperellus dec.* 159. *num.* 15. Dixi *cap.* 3. *num.* 13.

Quæres 45. An legatum libertatis sit pium?

℞. Affirmatiuè, vt docet *glos. V.* Multis, 65
ex §. Multis, inst. t. de libertinis, vbi dicitur, quod manumissio fit etiam in Sacrosanctis Ecclesijs, ex quibus dicta *glos.* bene infert, quòd ideo tale legatum est pium, quia aliter ibidem non fieret, nisi esset pium, quia profana non fiunt in Ecclesijs.

Quæres 46. An hæres possit transigere cum legatarijs

℞. Negatiuè. Probatur, quia transactio 66
est super re dubià, & incertà, vt docent omnes *in tit. de transact.* semper enim supponit rem dubiam, *Seraph. decis.* 138. *num.* 3. *Rota par.* 2. *dec.* 104. *num.* 2. *& par.* 5. *dec.* 181. *num.* 78. Adeo quòd transactio super re clarà, non valet, *Rota par.* 5. *dec.* 337. *num.* 12. *& par.* 8. *dec.* 85. *num.* 4. legatum autem, de quo hic non potest dubitationem habere in suà solutione, nisi voluntariam, cum notum sit hæredem habuisse opulentam hæreditatem, quam totam obligauit, quò ad fructus per quinq; annos; vnde si moueatur lis ab hærede, erit voluntaria, ne dicam calumniosa, sola enim præsumptio, aut occasio præsumpta dubitandi non sufficit ad transigendum, vt tradunt Doctores *in l.* 1. *& l. sub prætextu C. de transact. cum alijs Rota dec.* 34. *num.* 1.

Præterea in transactione semper diminu- 67
tum manet legatum in præiudicium testatoris, natura enim transactionis ea est, vt aliquid semper remittatur, *Iason in tit. hoc Cod. in Rubr. num.* 3. *Rolandus lib.* 4. *consf.* 78. *num.* 3. *Ludouis. dec.* 311. *num.* 14. *Merlin. dec.* 309. *num.* 15. *Rota par.* 10. *dec.* 144. *num.* 14. Hoc autem arguit diminutionem, & reductionem missarum, quam sola Congregatio de mandato Pontificis facit ex Decretis de celebr. missar. ergo transactio hic locum habere non potest.

Vrget præiudicium, quod fit testatori, qui 68
si interrogatus fuisset dum viueret, de huiusmodi diminutione missarum, respondisset nullam voluisse diminutionem, & hoc est omnino certum, vt euidenter colligitur ex verbis ab eo expressis in hoc eius legato, quæ sunt hæc *omnes, & quicumq; redditus, & prouentus omnium, & quorumcumq. eius bonorum vbique existentium spatio annorum quinq; continuorum incipiendorum à die obitus in ce-*

lebrari faciendo tot missas à mortuis &c. Cùm ergo obliget omnia eius bona, quæ reuerà exstant, non est cur hæres quærat transactionem contra vltimam testatoris voluntatem certam, & expressam super omnibus suis bonis, mens enim testatoris omnibus modis seruanda est, *cap. vltima 4. 13. q. 2.* Ergo hic locum habere non potest transactio.

69 Et quòd non possit hæres transigere colligitur ex mente ipsius testatoris, qui expresse non vult, quòd hæres, & substituti possint se intromittere in executione huius legati, dando Agentibus Confraternitatis Suffragij hic Parmæ in Ecclesia S. Vitalis erectæ, vt proprijs manibus possint illius redditus percipere sine interuentu hæredum, non poterunt ergo transigere, ex quò nullum ius, nullam actionem habent circa ipsum legatum. Verba autem testatoris sunt hæc: *Percipi debeant* scilicet, redditus, *per Agentes Vener. Confraternitatis Suffragij absq; interuentu aliquo dicti eius hæredis, & infrascriptorum substituendorum, immo ipsis, & quolibet eorum inuitis, & absq; eo ipsi redditus, & prouentus percipi debeant de manu hæredis eius, & hæredum, sed propria dictorum D. D. Agentium auctoritate, & absque interuentu tam dictorum D. D. hæredis, seu hæredum, quàm aliorum quorumcumq; percipi &c. dando, & tribuendo dictus D. Testator Confraternitati, & eius Argentibus omnem facultatem ad id requisitam, itaut repræsentent toto tempore prædicto personam propriam dicti D. Testatoris, & hoc ad finem, & effectum, vt ipsi redditus in sinistrum non vadant.* Cum ergo tota dispositio huius legati sit in manu Confraternitatis, exclusis hæredibus, sine dubio transactio hic locum habere non potest, cum transactio vti contractus, *Barb. ad cap. 3. de transact. num. 4.* fit semper inter duos contrahentes, quorum alter hic deest, exclusus à Testatore, qui proinde reijcit etiam transactionem.

70 Et id confirmatur, tùm ex illis verbis: *Est enim hæc enixa mens dicti Testatoris.* Contemplandum enim est illud verbum *enixa* quod importat voluntatem firmam, & constantem, ac immutabilem tam ex parte ipsius Testatoris, quàm ex parte legatariorum, qui ad vnguem debent exequi eius voluntatem omnibus modis, sine aliquâ eius mutatione, aut diminutione; ad quod facit illud Cicer. *meam causam omnes boni enixè susceperant* i. maximo conatu, vt interpretatur illud *enixè* Nizolius; non potest autem mens Testatoris talis remanere, si transactio hic misceatur. Tum ex alijs *ne in sinistrum vadant*, quod accideret, si fieret transactio, dum hæres prætendit dare vix mediam partem, per quam minuitur obligatio citra medietatem missarum. Et ita respond. Confratribus Confraternitatis Suffragij Parmæ.

CAPVT QVINTVM.

De Legatis ex testamento imperfecto.

SVMMARIVM.

1 *Voluntas testandi non est testamentum in effectu.*
2 *Testamentum perfectum est illud, cui nihil deest, ex illis, à quibus recipit suum valorem.*
3 *Perfectum id est, vi nihil deest, constans omnibus suis partibus.*
4 *Testamentum non potest esse simul perfectum, & imperfectum.*
5 *Imperfectum testamentum vtroq; iure non valet nec quò ad se, nec quò ad legata.*
6 *Legata à testamento suam recipiunt existentiam, & valorem.*
7 *Clausula codicillaris sanat testamenta imperfecta.*
8 *Legata debentur ex hæredatione, vel præteritione malâ filiorum.*
9 *Non verò respectu posthumorum.*
10 *Incapacis testamentum nullum, & legata in eo.*
11 *Fiscus non tenetur soluere legata, quia ex delicto rumpitur testamentum.*
12 *Non potest quis decedere testatus, & intestatus.*
13 *Adiens hæreditatem titulo intestati adhuc tenetur ad legata.*
14 *Repudiatâ hæreditate, adhuc soluenda sunt legata.*
15 *Hæreditas iacens dicitur ante illius aditionem, vacans verò cum non inuenitur hæres.*
16 *In vtroq; casu debentur legata, siue vacet, siue iacens sit.*
17 *Reuocato testamento pereunt legata.*
18 *Principali destructo tollitur accessorium.*
19 *Instituti cum onere fidei commissi legata valent ex suis bonis.*
20 *Notarius vtràq; auctoritate validè rogat non obstante statuto.*
21 *Priuandus nemo iure suo, nisi subsit causa.*
22 *Monopolium est conuentio inter aliquos, ne alij exerceant tale munus, aut officium.*
23 *Dubium est, an licitè concedi possit à Principe.*
24 *Monopolium est, quod solùm Notarij matriculati rogent.*
25 *Notarij Petri, aut Cæsaris vbique terrarum scribunt.*
26 *Eorum officium non est iurisdictionis, sed seruitutis 32.*

27 Vbi

27 *Vbique terrarum scribunt testamenta.*
28 *Inferior non potest destruere, quod facit superior.*
29 *Statutum est lex teritorij non ligans extraneos.*
30 *Notarij non possunt prohiberi à suo officio.*
31 *Statuta contra Notarios non matriculatos loquuntur de creatis ab inferioribus Principibus.*
32 *Officium Notariatus nullius perturbat iurisdictionem, cùm non sit potestatis, sed seruitutis 26.*
33 *Statutum Parmæ contra non matriculatos.*
34 *Statuta non ligant, nec inhabilitant non subditos.*
35 *Confirmatio in formà, in quà non inseritur confirmatum.*
36 *Confirmatio in formà specificà in quà inseritur confirmatum.*
37 *Non matriculati in Vrbe non scribunt ex Iulio II. sed non seruatur.*
38 *Statutum hoc nullo modo afficit testamenta pia.*
39 *Solemnitas à laicis inducta contra causas pias non valet.*
40 *Statutum laicale non potest tollere ius canonicum.*
41 *Immunitatem Ecclesiæ violat tollens ius canonicum.*
42 *Statutum siue in rem, siue in personam loquens non variat ex parte subditorum.*
43 *Leges imponuntur rebus propter personas.*
44 *Statutum loquens in personam nullo modo afficit forenses.*
45 D.cecesis Parmæ *.i. Ducatus Parmæ.*
46 *Error communis facit valere actum Officialis ficti, nisi decit impedimentum naturæ, aut iuris diuini.*
47 *Notarius probatur qui per decennium exercuit hoc officium.*
48 *Notarij putatiui acta valent.*
49 *Testes septem ius ciuile requirit in testamentis, aliter nulla sunt defectu vnius tantùm testis.*
50 *Rusticorum testamenta quinq. tantùm perficiuntur.*
51 *Testamentum scribitur, aliter non valet.*
52 *Parochus scribit testamentum cui Parochiani cum duobus testibus.*
53 Cap. cum esses *extenditur.*
54 *In quo agitur de testamentis profanis, & pijs.*
55 *Caput.* relatum de testam. *extenditur.*
56 *Pater scribit suum testamentum filijs sine testibus cum legatis etiam profanis.*
57 *Miles sine testibus scribit suum testamentum.*
58 *Canonicum ius corrigit ciuile quò ad septenarium numerum, vel quinquennarium testium in testamentis.*
59 *Correctio legum vti odiosa non extenditur.*
60 *Cap.* cum esses *locum habet in terris Ecclesiæ.*
61 In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum.
62 Alienum *.i. diuersum, non aduersum, nec contrarium.*
63 *Testes de summà maiori, & minori sunt diuersi non contrarij.*
64 *Qui facit plus, non facit contrarium.*
65 Alienum *.i. remotum.*
66 In ore duorum, aut trium testium stat omne verbum *non includit taxatiuam.*
67 *Romæ adest statutum de septennario numero testium 72. 73.*
68 *Sacra Scriptura taxat numerum testium, vbi est necessarium.*
69 In ore duorum, aut trium testium *.i. non paucorum.*
70 *Deus ergo non negat multiplicationem testium. sed tantùm reductionem ad vnum, in præiudicium tertij.*
71 *Vnde in condemnatione Cardinalium quàmplures requiruntur.*
72 *Statutum Vrbis includit testamentum cum septem testibus 67.*
73 *Ex varijs decisionibus Rotæ. 67.*
74 *Vbique terrarum valet testamentum ad pias causas cum duobus testibus.*
75 *Testes in testamento etiam iure canonico,*
76 *debent esse idonei, præsentes, rogati, & masculi.*
77 *Ad recognoscendum manum testatoris scribentis suum testamentum debent esse legitimi.*
78 *Legitimum id dicitur, quod est secundum leges.*
79 *Testes præfati in omni testamento, siue profano, siue pio requiruntur.*
80 *Femina non est testis idonea in testamentis etiam pijs.*
81 *Testamentum nuncupatiuum, quod scribitur à Notario. In scriptis verò quod scribitur à testatore subscriptum à testibus.*
82 *De vtroq; testamento agitur in cap.* cum esses.
83 In ore duorum *verificatur etiam in teste tantùm scribente.*
84 Præsbiter *est proprius Parochus ordinarius, vel delegatus etiam nondum sacerdos scribens testamentum.*
85 *Cap.* cum esses *refertur tantùm ad infirmum testantem.*
86 *Legata profana debentur in testamentis factis ad formam vtriusq; cap.* Cum esses. Relatum.
87 *Legatum non habet rationem contractus.*
88 *Iuramentum in contractibus non habet ratio-*

rationem accessorÿ, sed est causa aequinoca obligans iurantem ad executionem contractus.

89 *Defectus loci, & temporis non vitiant testamentum canonicè factum.*

90 *Testamentum primum ciuiliter factum reuocatur per aliud canonicè scriptum.*

91 *Testes duo, aut tres quò ad valorem testa-*
92 *menti canonicè scripti sunt necessarÿ respectu quorumcumq; legatorum.*

93 *Scribens proprium testamentum non eget testibus ad valorem, sed tantùm ad probationem.*

94 *Testamentum ore factum valet cum legatis praesente haerede.*

95 Cap. cum esses *habet locum in codicillis.*

96 *Legata pia in testamentis nutu, ad interrogationem, ad arbitrium alienum factis valent.*

97 *Testamentum Parochi examinandum est, & recognoscendum, cum sit scriptura priuata.*

98 *Examen hoc est mixti fori, faciendum ad formam cap.* Relatum *etiam si agatur cōtra laicum potest Iudex ecclesiasticus recognoscere.*

99 *Parochus validè scribit legatum, non sibi, sed suae Ecclesiae.*

AGgredior quaestionem per difficilem, confusam, & turbidam, de legatis in testamentis imperfectis, seù minus solemnibus aut ex scripturis priuatis; procurabo nihilominus omnia dilucidare, prout acies mentis mihi suggeret documenta in sequentibus quaestionibus.

Quaeres igitur primò, an legata scripta in testamento imperfecto defectu voluntatis inualida sint, nullo existente testamento.

1 Praemitto primò, non esse difficultatem circà voluntatem volendi testamentum facere, quià cum haec non sit ipsa dispositio in actu, nec testamentum in effectu, sed tantùm voluntas, & propositum in actu primò, nullam inducit obligationem in actu, cum nondum sit, quod enim non est, obligare non potest, ad quod requiritur actus secundus, & in re nostrà testamentum ipsum in actu, vt inde oriatur obligatio ad legata, quaecumq; siuè profana, siuè pia etiam missarum. Intentio ergo faciendi aliquid non est ipsum factum; verbum enim *volo* iunctum infinito non importat dispositionem non solum inter viuos, vt insinuat *Seraph. decis.* 1079. *num.* 3. sed nec in testamentis, cum animi propositum non effectum importet. Et in hoc nulla est difficultas, in terminis *Pasqual. de Sacrificio Missae q.* 987. *& in quaest. moralib.* 151. *&* 152.

2 Praemitto secundò voluntatem testatoris tunc esse perfectam, & testamentum ab eo factum esse perfectum, & valere, quando ipsum fortitum est integrè suum effectum, quod contingit, quando testator, & haeres ab eo institutus, ambo sunt habiles, & in eo sunt scripti testes idonei, & est lectum, & publicatum, his enim positis, sicut testamentum dicitur perfectum, ac proinde valere, quia nihil ei deest, *arg. l. librorum* 50. *§. sed* 3
nec capti libri scribi. ff. de legat. 3. perfectum enim illud dicitur, quod ex omnibus suis partibus constat, *l.* 1. *C. de origine iuris.* Vnde nihil ei addi potest pertinens ad eius essentiam, *l. Nihil* 2. *ff. de vind. libert.* Ità & voluntas ipsius, qui testatus est, dicitur iam perfecta; quoniam autem, essentiae rerum consistunt in indiuisibili, & sunt sicut numeri, à quibus si demas vnam vnitatem, destruuntur, ex *Arist.* 8. *Metaph. cap.* 4. *tex.* 10. & in proposito nostro si à testamento desit vnum ex praedictis, vel habilitas, vel institutio haeredis, vel testis, aut publicatio testamenti, iam desinit esse, seù veriùs testamentum non est, nec subsistit defectu suae essentiae, ex quo patet voluntatem testatoris esse quoq; imperfectam, posito quolibet ex dictis defectibus, iuxta illud vulgatum, bonum ex integrà causà, malum ex singulis defectibus.

Hinc inferre oportet, non subsistere, quod 4
docet *Pasqual. de Sacrif. Missae q.* 988. *num.* 3. dicens, quòd potest voluntas esse perfecta in ordine ad vnam partem testamenti, & imperfecta quò ad alias, vt si sit perfecta quò ad institutionem haeredis, & imperfecta quò ad legata omnia, vel aliqua. Rursus potest esse imperfecta absolutè quò ad omnia. Haec ergo non subsistunt, quandocumq; enim testamentum est imperfectum ex vno defectu, simpliciter est imperfectum, & nullum, ac proinde talis quoq; est voluntas testatoris, in tantùm enim voluntas testatoris perficitur, in quantùm testamentum absoluitur omnibus suis requisitis, voluntas enim perficitur executione testamenti, non intentione testandi sine executione. Confirmatur, quia si voluntas testatoris ex vnà parte esset perfecta, & ex alià imperfecta, sequeretur, quòd testamentum esset simul validum, & inualidum, quod repugnat, nam sicut valor totam rei essentiam respicit, ita & nullitas totam corrumpit, & destruit, cùm ergo quis non possit decedere testatus ex parte, & intestatus ex parte *l.* 7. *ff. de reg. iur.* nec potest testator dici habuisse voluntatem imperfectam, & perfectam in eodem testamento, non obstante diuersitate actuum eiusdem, quia imperfectum, & perfectum quatenus referuntur ad idem testamentum, quod firmant, vel infirmant, ad eundem effectum respectiuè se habent diuisim, & non coniunctim, dum contrarios effectus producunt.

Ex his declaratur proposita quaestio, an scilicet, positâ nullitate testamenti ex aliquo defectu ex praedictis, quamuis legata sint scripta

scripta in testamento imperfecto, adhuc illa sint nulla, & non debeantur, licet sint pia, & obligantia etiam ad Missas?

5 ℞. Legata etiam pia, & cum oneribus Missarum non valere, nec obligare hæredem ad eorum solutionem. Probatur expressè ex *l. Si quis 25. ff. de testam.* vbi ex testamento cœpto, & non perfecto nihil debetur etiam ex legatis. Item *l. Ex eâ 29. eod.* vbi scripturâ non lectâ, vel publicatâ coram testibus non probatur testamentum, nec legata in eo expressa. *Item l. Fideicommissa 11. ff. de legat. 3. ibi. Quoties quis exemplum testamenti præparat, & prius decedit, quam testetur, non valent quasi ex Codicillis, quæ in exemplo scripta sunt, licet verba fideicommissi scriptura habeat.* Vbi *Glos. V. Quoties*, ait, non valere; quia Tabellio non legit scripturam coram testibus. Ex quibus manifestè patet, scripturam, & si extera habeat necessaria, non esse testamentum, nisi per illius lectionem factam coram testibus, perficitur ergo per lecturam, à quâ, vt aiunt, testamentum recipit flatum, spiritum, & animam, vt ita dicam. Idem habetur *l. 3. C. de testam. Ex imperfecto testamento, nec Imperatorem hæreditatem vindicare posse sæpè constitutum est.* Vbi *Glosa V. Constitutum* citat alia iura, præter dicta; & ibidem exemplificatur in defectu testium, si tantùm adhibiti sunt duo, ex quo testamentum dicitur imperfectum, &

6 nullum. Ratio prædictorum est, quia legata in testamento relicta, vti accidentia illi aliud esse non habent, quam esse testamenti, existunt enim illius existentia; sed ex suppositis testamentum imperfectum nullum est omnimodà carens existentià, ergo necessè est, quòd legata in eo scripta omninò careant esse, dum propriam in se non habent existentiam existentia per esse testamenti. Ita *Bald. in l. Habeat §. Dico testamentum C. de Sacros. Eccl. in lect. 2. Imola in cap. 1. de testam. num. 21. Anchar. num. 1. Clarus V. Testamentum q. 7. num. 4. vers. Prius quam Misinger. obseruat. 28. num. 3. cent. 5 Magdalenus de num. test. par. 3. cap. 5. num. 2 Hodierna lib. 1. contr. cap. 36. num. 71. Fachin. lib. 4. contr. cap. 3. Ruther. de different iuris lib. 4. cap. 1. Vasq. de Successt lib. 3. §. 22. num 7.* Quos contra se citat *Pasqual. de Sacrif. q. 988. num. 4.*

Contrariam sententiam, quòd legata pia vt subsistant, non aliud requirant, nisi quòd voluntas testatoris de ipsis disponens sit perfecta quò ad ipsa legata, sequitur idem Pasqual. citans pro se vigintiquinq; Doctores.

Ad id probandum adducit in primis duos textus. *Primum ex l. 1. §. Ex fundo ff. de hæredib. instit.* vbi Vulpianus scribit quòd si ex fundo fuisset aliquis institutus, valet institutio, detractâ illa mentione. *Alterum, ex l. Quoties, §. Si duo, eod.*, vbi si testator duos hæredes instituat in re certâ partibus inter eos distinctis, detractâ partium mentione, in solidum hæredes manent.

Supradicti duo textus nullo modo faciunt ad propositum, cum in illis non agatur de testamento imperfecto, quasi in eis dicantur valere legata, nam ambo eò referuntur, quòd valuisset dispositio, etiamsi non fuisset facta mentio de fundo, ex quo hæres fuit institutus. Profero verba primi textus: *Si ex fundo fuisset aliquis solus hæres institutus valet institutio, detractâ fundi mentione.* i. nullà factâ fundi mentione, adhuc valuisset institutio, quia non est necesse rem nominare, adeò quòd sic institutus ex fundo, siuè nominato, siuè non, si non habet cohæredem, censetur hæres vniuersalis, ac si nulla facta fuisset mentio fundi, *Glos. V. Institutus.* Eundem sensum habet secundus textus, vbi duo instituti in fundo certo, diuidunt æqualiter hæreditatem, detractâ fundi mentione .i. perindè ac si de fundo nihil esset dictum, *Glos. V. Detractâ.* Itaq; huiusmodi detractio nullam importat imperfectionem, sed abundantiam verborum, sine quorum mentione adhuc institutio valuisset. Quare cum de testamenti imperfectione nullatenus fiat mentio, frustra illi textus folium denigrant.

Rationem adducit, quia voluntas testatoris determinata circà legata pia non dependet à dispositione circà alia, vnde respectu legatorum iam scriptorum est perfecta.

Respondi iam suprà, voluntatem testatoris perfici solùm, cum testamentum ex suis essentialibus, & solemnitatibus requisitis absolutur lectione eius coram testibus præsentibus ipsi testatori, voluntas enim in effectu, & executione perficitur per vltimum actum lectionis testamenti, vt indicat ipsa dictio. *Actum est* ex adductis *à Barb. claus. 2.*

Quæres 2. An per clausulam Codicillarem sanari possit testamentum aliàs imperfectum, vt inde valeant sustineri legata?

℞. Affirmatiuè de communiori sententiâ, 7 *cum Bart. in l. 1. ff. de iure Codicill. num. 3. Claro q. 46. Surd. consl. 231. num. 17. Gama dec. Lusitan. 136. num. 3. Riccius Collect. 1186. Barbos claus. 21. num. 7. de Lugo disp. 74. num. 16. & 17. Sperell dec. 146. num. 62.* Eiusdem virtutis est Clausula: *Omni meliori modo*, quam habet Codicillaris. *ex l. Codicillis 92. §. Lucius ff. de legat. 2. Theodosius Rubeus part. 4. singul. claus. 517. num. 24.* plures citans.

Quæres 3. An debeantur legata ex testamento, in quo filij sunt exhæredati, vel præteriti?

℞. Debentur, quando male exhæredati, 8 vel præteriti fuerunt, non obstante testamenti nullitate, vt expressè dicitur in Auth. *Ex causâ exhæredationis, vel præteritionis irritum est testamentum, quantùm ad institutionem,*

tionem, cætera namque firma manent. Regiſtratur in fine *C. de liber. præter.* extenditur verò *in collat.* 8. *tit.* 12. *Nouella* 115. §. *Siuè igitur*. In quâ dicitur, quòd teſtamentum ſiuè ſit validum, quià exhæredatio, ſeù præteritio fuit iuſta, ſiuè irritum, ex iniuſtà diſpoſitione, non facit perire relicta in eo, ſed debentur, etiam virtute eiuſdem teſtamenti (dico ego) quia teſtamentum non dicitur ſimpliciter, & vndequaq; nullum, & irritum, ſed ſolùm *quantùm ad inſtitutiones*, malè ſcilicet factas, ergo in ordine ad legata, & fideicommiſſa non eſt irritum, ſed valet, ac proinde ſuum effectum producit in relicta, vt ſcilicet, debeantur, quibus relicta fuerunt, & hoc ſuadeo ex vi illius particulæ *quantùm ad inſtitutiones*, nam ea reſtringit nullitatem teſtamenti ad inſtitutiones, ergo, quò ad reliqua remanet in ſuo robore, nam dictio *quantùm* operatur, vt diſpoſitio adaptetur pro ea parte, pro quà fieri poteſt, vt iuribus, & Doctoribus citatis docet *Seraph. deciſ.* 545. *num.* 1. Quo poſito viget noſtra ratio, nimirùm, tunc deberi legata, cùm teſtamentum validum eſt, vt eſt in præſenti caſu de præteritione, ſeù exhæredatione filiorum, ſiuè bonà, ſiuè malà, dum dicitur irritum fauore filiorum, non contrà ſubſtitutos, ſed tantum aduerſus inſtitutos. Quare ſubſtituti, meo iudicio, non ab inteſtato ſed potius ex teſtamento veniunt, & capiunt legatum ab hæredibus neceſſarijs, reſpectu quorum legatarij dici poſſunt recipere ab inteſtato, virtute tamen teſtamenti, cum non ſit irritum reſpectu relictorum.

Clauſula Codicillaris etiam in his operatur, vt ſuſtineantur legata fauore legatariorum, vt docet de communi *Clarus q.46. num.* 2. *Theodoſius Rubeus par.4. ſingul. clauſ.*205. *num.* 24. multis citatis Doctoribus, & ſequitur *de Lugo diſp.* 24. *de ſuſt. num.* 17.

Dices in *l.* 1 *C de poſth.* expreſsè dicitur, quòd per natiuitatem filij poſthumi præteriti teſtamentum rumpitur omninò, & nihil debetur de relictis in eo, cum ergo vna lex alteri aduerſetur, neceſſe eſt vnam illarum vim ſuam amiſiſſe.

9 ℞. Non aduerſari, ſed vtramq; ſubſiſtere, nam Authentica loquitur reſpectu filiorum iam natorum, quando pater condit teſtamentum, lex verò diſponit fauore poſthumorum, & nondum natorum, quando pater edidit ſuum teſtamentum, quòd omninò rumpitur eorum morte. Et quòd ità ſit manifeſtè patet ex tenore vtriuſq;, nam non poſthumi, ſed tantùm nati, & quidem iam adulti ſunt capaces exhæredationis, non verò poſthumi, qui vitium ingratitudinis in patrem agere non poſſunt, cum iam ſit mortuus, & ità docet *Gloſ. V. Nihil deberi, ſuper dictam l.* 1. *C. de poſth.*

Quæres 4. An teſtamentum ab incapaci factum ſuſtineat legata in eo ſcripta?

℞. Non valere legata, ex eà ratione, quia 10
ex nullo teſtamento non debentur legata in eo ſcripta, cum nullum aliud eſſe habeant, niſi ipſius teſtamenti, quod nullum eſt defectu voluntatis, quæ deeſt in teſtatore inhabili. *Eſt Paſqual. q.* 993.

Quæres 5. An quando bona tranſeunt ad fiſcum debeantur per ipſum legata quęcumq; tum profana, tum pia?

℞. Quouis modo bona teſtatoris tranſe- 11
ant ad fiſcum, ſiue iure proprio fiſcus ſuccedat vocatus ſcilicet à lege, vel hæreditario iure; tenetur in hoc poſteriori caſu ad legata tum profana, tum pia, ſuſtinet etiam tunc perſonam hæredis, vt faciunt alij; expreſsè *l. quidam 96. §.quoties, ff. de legat.* 1. In priori caſu, fiſcus ad nihil tenetur, quia teſtamentum rumpitur quò ad inſtitutionē hæredis, ac proinde ceſſant quæcumq; legata, cum aliud eſſe non habeant, niſi teſtamenti. Ita *Gaſpar Anton. Theſaur. lib.* 4. *quæſt. forenſ.* 38. *num.* 12. Contra Paſqual. probantem, quia ſtante facultate, quam habuit defunctus diſponendi, tenetur fiſcus eam ſeruare quando ex ordinarijs legibus venit iure proprio, & tamquam vocatus à lege, quatenus non ſubeſt legibus ciuilibus, quia tunc non poteſt per leges ciuiles voluntas defuncti inualidari; ſed quatenus diſponit de legatis pijs non ſubeſt legibus ciuilibus, ſed ſolùm canonicis, dum operatur pro animà, quibus ſubeſt etiam fiſcus, ergo, is tenetur ſoluere legata pia?

Contra eſt, quia voluntas teſtatoris infirmatur per fiſcum, dum efficaciter impedit ne hæres bona aquirat, quibus ſatisfacere poſſit legatarijs, cum ergo corruat teſtamentum, neceſſe quoq; eſt deficere legata, cum nullus ſit, qui ea præſtare poſſit, fiſcus enim non ſuccedit hæredi, cum inſtitutio ſit abolita, ſed ipſi teſtatori ac ſi non fuiſſet teſtatus.

Quæres 6. An quis poſſit decedere partim teſtatus, partim non, fauore cauſæ piæ?

℞. In tali teſtamento non valere lega- 12
tum, neq; in eo inſtitutionem cauſæ piæ, ratio eſt; quia tale teſtamentum ex natura rei dabile non eſt ex *l. Ius noſtrum* 7. *ff. de reg. iur.* ibi: *Earumq; rerum naturaliter inter ſe pugna eſt, vt teſtatus, & inteſtatus quis ſit*. Vnde *Duaren. de iure accreſc. cap.* 2. reddit rationem, quia non poteſt idem homo eſſe; partim viuus, vt inteſtatus, & partim mortuus vt teſtatus.

Contrarium tenent *Iaſon, Bartolus, Decius, & alij cum Paſqual. q.* 89. nimirum fauore cauſæ piæ poſſe quem decedere partim teſtatum, & partim inteſtatum. Probat, quia quando agitur de causà pià ceſſat omnis diſpoſitio iuris ciuilis; quòd autem quis non poſſit decedere partim inteſtatus, & partim teſtatus eſt de iure ciuili, conſtat, quia remitti poteſt de iure ciuili, *Inſtit. de hæred. inſt.*

inst. §. Non autem, & §. fin. l. Si miles fundum, & l. Miles, §. Et quia ff. de testam. milit.

℞. In dispositione causæ non cessare ius ciuile in omnibus, sed tantùm in ordine ad numerum testium, vt dixi supra, & infra probabo per ius Canon cum. Allata iura nihil habent fauore aduersariorum.

Quæres 7. An debeantur legata in testamento valido scripta, quando hæres alio titulo, quam ex testamento adit hæreditatem? Quod idem importat, quando hæres institutus, est qui eam adire vult ab intestato, & non per viam testamenti?

13 ℞. Quando hæres adit hæreditatem titulo ab intestato, & non ex testamento, adhuc tenetur soluere legata tàm pia, quàm profana, *ex l. 1. §. fin. & l. 2. ff. si quis omis. caus. testam. l. Eam quam 14. ff. de fideicom.* Ratio, quia testamentum per hoc non amittit suas vires; & cum hæres in tali casu præsumatur id fecisse in fraudem, ne solueret legatarijs, lex volens obuiare fraudibus mandat solui legata. Ità *Baldus in l. 1. ff. de legat. 1. in fine, Abbas in cap. Relatum, de testam. num. 6. Boer. dec. 93. fine, Lapus allegat. 21. cum alijs Pasqual. q. 986.*

Quæres 8. An repudiatâ hæreditate debeantur legata ab eo, qui ea bona sibi aquirit?

14 ℞. Affirmatiuè, quia cum immediatè succedat ipsi testatori, vt probaui *cap. 1. q. 10. à n. 41.* nihil nocere potest repudiatio, vel non adita hæreditas, vt rem hanc ibidem probaui, & in tract. de fideicom. *cap. 6. q. 2.*

Quæres 9. An ex hæreditate vacante, vel iacente debeantur legata? Tunc hæreditas
15 dicitur vacare cum non inuenitur hæres, cui fuit relicta; iacere verò intra illud tempus, quo hæres nondum eam adiuit, *Seraph. dec. 1151.*

16 ℞. In vtroq; casu debentur legata, quia non apparet nullitas testamenti, nam hæreditati vacanti datur curator, qui soluat legata, & hæres post aditam hæreditatem tenetur soluere legata, quia non amplius illa iacet, sed vt existens in bonis hæredis cum eo onere transit obligatio legatorum in ipsum hæredem. *Pasqual. q. 983.* enumerat plus quàm triginta Doctores, qui cum illis vult deberi legata, estò nullus adeat hæreditatem.

Quæres 10. An reuocato testamento intelligantur reuocata legata?

17 ℞. Affirmatiuè, siue testamentum primum reuocetur expressè, siue tacitè dicendo, volo mori ab intestato, & nolo testamentum à me factum quicquam valere. Ratio, quia reuocato, & destructo illo corruunt omnia in eodem scripta; & facit illa regula: Destructo principali, & accessorium censetur destruc-
18 tum *l. 1. ff. de pecul. leg. l. si cum ita 14. §. Labeo ff. de eo, quod metus.* Ita docent *Iason cons. 124. num. 4. Paris. cons. 34. num. 33. Menoch. cons. 1280. num. 5. cum alijs citatis à Pasqual. q. 994.* Qui docet, ex simplici, seu tacitâ reuocatione testamenti non reuocari pia legata cum Socino, Anan à, Carrocio, & alijs, quia cum legata pia sint facta in fauorem animæ, motiuum inducens ad reuocandum testamentum, non se extendit ad legata pia, quorum reuocatio debet esse expressa. Sed hæc ratio non vrget, quia etiam in reuocatione expressà testamenti, alia est ratio testamenti, alia, est ratio legati, & tamen reuocato expressè testamento intelliguntur reuocata legata sine alia specialitate, ergo idē dicendum est de reuocatione tacità, præterquam quod adest illa communis regula, quod sublato principali tollitur accessorium, & destructo subiecto, tollitur omne accidens, quæ locum debent habere in legatis quibuscumq; alter destruerentur gratis omnes regulæ iuris, quod absurdum est.

Quæres 11. An legata pia in testamento facta ab instituto, qui debet restituere bona fideicommissa substituto, debeantur?

℞. Valent, & debentur, quando extrahi 19
possunt ex eius proprijs bonis non subiectis fideicommisso, aliter non, quia bona fideicomm isso subiecta non possunt onerari legatis etiam pijs, cum debeant fieri ex proprijs bonis, & non alienis, neq; enim pietas conuertenda est in impietatem, & dammum proximi, & colligitur *ex l fin. ff. si quis omis. causa testam. l. eam quam 14. C. de fideicom.*

Quæres 12. An legata relicta in testamento rogato per Notarium non matriculatum in loco, vbi illud scribit, vel per reputatum talem, qui reuerà non est creatus Notarius, sint valida cum ipso testamento ita confecto?

℞. Esse valida tum pia, tum profana con- 20
fecta à Notario pontificio, & imperiali, à putatiuo verò, si pro reali Notario ab omnibus habebatur.

Primum de non matriculato probatur reprobando statutum prohibens confectionem instrumentorum, & testamentorum non descriptis in matriculà, quia est iniquum, & monopolium.

Iniquum quidem est, quia sine culpà, nisi 21
subsit causa nemo priuandus est iure suo, *cap. 23. de reg. iur. in 6.* quæ causa debet esse iusta, & respicere publicum reipublicæ bonum; ergo Notarius iam legitimè creatus ad conficienda testamenta non est priuandus iure suo ad hæc per huiusmodi statutum, nisi ex eius culpà, aut nisi subsit causa; neutrum autem apparet ex statuto, cum in eius editione non constet de culpà alicuius, nec omnium collectiuè, vel destributiuè. Et præterea statutum non est iudicatiuum, nec condemnatiuum, cum nulla præcesserit culpa, nullus processus, & tamen est punitiuum, & priuatiuum, ergo aliud non continet nisi iniquitatem.

Confirmatur primò, quia nemo potest auferre,

ferre, quod non dedit, sicut nec dare, quod non habet, iuxta illud *Lucæ 19. 21. Tollis, quod non posuisti, & metis, quod non seminasti.* Hoc dixit seruus Domino suo se excusando ab otio, & negligentiâ, quibus non negotiatus fuerat eius pecuniam; cui Dominus rectè respondit, se abstulisse, quod non posuerat, quia fuerat otiosus, & negligens, atq; nequam; tolli ergo potest non positum, & meti non seminatum, quando præcessit culpa, vt dixi; quæ non apparet in Notario; improbabile enim est, quòd omnes Notarij non matriculati sint culpabiles.

Confirmatur secundò, priuatur quis ab exercitio suo sine culpâ, quando sub est causa, hic autem alia non potest assignari causa, nisi insufficientia in exercendo officium; sed id assignare est omnino irrationabile, cum ea præsumi non possit, immo nec probari; tum quia ea probanda esset ex malâ confectione instrumenti, quod fieri non potest, dum ex statutariâ prohibitione nullum exhiberi potest instrumentum malè confectum. Tum quia de idoneitate, & sufficientiâ constat ex eorum legitimâ creatione, ergo cum tale statutum ex nullo capite cohonestari possit pro iniquo, & inualido habendum est, maximè cum Notarios tamquam reos condemnet inauditos, non confessos, nec conuictos de aliquo scelere ex hoc officio perpetrato.

22 Confirmatur tertiò, quia monopolium est huiusmodi statutum, nam illud est conuentio facta inter aliquos eiusdem professionis, ne alij tale munus, & opus exerceant, quia ipsi tantùm volunt lucrari exclusis alijs, *Bonac. disp. 3. de contr. q. 2. p. 5. de Lugo disp. 26. de Iust. num. 170. Castropal. disp. 5. p. 34. vbi num. 10. ait*, quamlibet mutuam conuentionem proprium commodum spectantem in detrimentum, & perniciem Reipublicæ esse illicitam, & monopolium vocari; & licet de monopolio venditionis agat, tamen etiam in alijs actionibus datur, ac proinde etiam in arte Notariatus; vnde *Iason lib. 4. consf. 122. col. 2. apud Decian. lib. 7. Crimin. cap. 21. num. 15.* ad propositum dicit, esse monopolium, cum Notarij inter se conueniunt, vt nullus possit scribere, nisi sint ex tali factione, dic tu, de factione matriculatorum. Et Decian. ibidem dicit, huiusmodi monopolia esse omnino illicita, & iniusta, quia alium finem non habent, nisi interesse, & lucrum in præiudicium aliorum.

23 Confirmatur quartò, quia dubitatur, an Princeps id concedere possit, licet enim id affirment nonnulli citati à Mastrillo de Magistr. *lib. 3. cap. 4. num. 441.* tamen defendi non potest nisi in casu, quo vrget iusta causa, & communis vtilitas præcisa, & necessaria, vt docet *Barb. lib. 3. Voto 126. num. 244. ex Lopez lib. 2. Glos. 2. ad finem tit. 7. par. 5.* his verbis: *Aduertant tamen Principes concedentes ista priuilegia, ne concedant contra publicam vtilitatem, neq; ad ditandum vnum alios destruant, neq; dona ingenij, & naturæ, quæ Deus dat hominibus, Principes prohibeant, iubendo, quod vnus solus exerceat talem artem, vel tale officium &c.* Vbi alij Doctores citantur ab eodem Barbosa. Certum autem est, quòd huiusmodi publica, & vrgens necessitas dabilis non est in casu nostro, quòd tale statutum sit admittendum, quo enim plures sunt Notarij, & diligentiùs, & commodiùs reipublicæ seruitur, maximè in causis testamentorum, quæ solent fieri in Villis, vbi vix vnus quandoq; reperitur, & vt plurimùm nullus, cur ergo prohibendi sunt Notarij ab huiusmodi officio cum notabili præiudicio Reipublicæ? Iniquum ergo est tale statutum.

Quod tale statutum sit monopolium docent *Imola & Felinus in cap. cum P. Tabellio, de fide instr. Iason lib. 4. consf. 122. num. 1. Ægidius consf. 42. num. 8. Carbal. consf. 177. num. 8.* de magis communi, *Boer. decis. 242. num. 4. Surd. consf. 257. à num. 10.* resoluens contraria, *Mascabr. consf. 58. num. 123. Mascard. concl. 926. num. 19. ad 22. Tuschus lit N. concl. 72. num. 38. Marta de iurisd. par. 4. casu. 87. à num. 6. Seraphin. dec. 841. quos pro se citat Ciarlin. cap. 63. num. 2.* Consilium Placentinum declarauit, valuisse instrumentum factum à Notario contra Statutum, quod habent Notarij Parmenses, vt refert Andreolus vir Doctissimus *contr. 312.* vbi citatur *Castrensis lib. 2. consf. 226.* 24

Hæc procedunt in Notarijs auctoritatibus Petri, & Cæsaris creatis, qui vbiq; terrarum per vniuersum orbem exercere possunt suum officium, vt manifestè continetur in eorum diplomatibus his verbis: Dando eidem, & dedit plenam, & liberam licentiam, & facultatem, & amplam potestatem quæcumq; instrumenta, acta, testamenta, & vltimas voluntates, aliosq; contractus, & distractus, & alias scripturas tam publicas, quam profanas, tam in iudicio, quam extra iudicium per omnes terras, & loca, quæ Romanum profitentur imperium, & Apostolicæ sedi quoquo modo, & eius iurisdictionatui subsunt, & vbiq; locorum scribendi, & publicandi, & alia faciendi quæ ad ipsum Notariatus, seu Tabellionatus officium &c. 25

Et meritò vbiq; terrarum hoc officium exercere possunt, qui vnam ex illis potestatem habent, si enim Petrus, & Cæsar totius orbis dominium habent, nihil prohibet, quin possint Notarijs eorum auctoritate creatis tribuere facultatem vbiq; exercendam. Quod etiam suadet conditio, & officium huiusmodi, quod respicit communem vtilitatem, & omnibus prodest indigentibus, nulli nocet, cum sit merum officium publicum alijs inseruiendi, nō imperandi, cū non sit iurisdictionis, sed merè seruitutis, *Castr. cit. lib. 2. consf. 226. initio.* 26

Vnde

27 Vbique ergo terrarum scribunt testamenta, & alia. Ita *Rota in nouis dec. 5. de fide instr. Surd. dec. 257. num. 11. Tuschus lit. N. concl. 72. initio. Ciarlin. cap. 63. num. 3. Bellamera cons. 42. num. 2. Fagnanus par. 5. ad cap. sicut te, ne cler. num. 45.*

Quare cum hoc officium habeant dependentur à Petro, vel Cæsare, à nullo prohiberi possunt ab huiusmodi exercitio, satis enim notum est, & certum, quòd inferior non potest tollere, quod superior concessit, cum inferior non habeat potestatem in superiorem,

28 *cap. inferior 4. dist. 21. cap. cum inferior 16. de maior. l. formam 2. C. de offic. Perfecti prætoriorum.* Adde vlterius, quòd statutum huiusmodi excludens Notarios non matriculatos, esto esset validum, quòd non est admittendum, non potest ligare forentes, vt manifesti iuris, cum legent solos subditos, quos inhabilitare potest, non forenses, est enim

29 lex solius territorij, *cap. Ecclesia, de const. cap. fin. de reb. Eccles. non alien.* & ibidem Canonistæ, *l. 1. §. hac autem ff. quod quisq; iuris, Bart. in l. omnes populi q. 1. de iust.* Nemo enim agere potest vltra spheram suæ actiuitatis.

30 In terminis nostris, quod Notarij huius generis non possint prohiberi ab inferiore, docent *Cautucius in spolijs hared. 22. Maij 1579. Seraph. dec. 841. apud Theodos. Rubeum par. 1. singul. fol. 428. Decius cons. 17. num. 2. Ruin. lib. 4. cons. 201. num. 3.*

Contrarium, quòd Notarij vtraq; auctoritate creati nequeant conficere instrumenta, & testamenta in alieno territorio prohibente id illius statuto docent Abbas, Hostiensis, & Butrius in *cap.* cum P. Tabellio, *de fide instrum.* cum alijs, quos contra se *citat Ciarlin. cap. 63. initio.* Perturbatur enim iurisdictio, si vnicuiq; Notario liceat in alieno territorio scribere, ex hoc enim distinguntur territoria, vt vnusquisq; suum munus possit exercere in proprio solo, & non in alieno, ne mittat falcem in segetem alienam.

31 Respondet Ciarlinus quò ad statuta, quæ fere in omnibus ciuitatibus reperiuntur, ea loqui de Notarijs creatis ab inferioribus Principibus, qui sicut limitatam habent potestatem in suis statibus, & non extra, ita facultatem suis Notarijs tribuunt conficiendi instrumenta in suis territorijs tantùm, cum eorum potestas extra non extendatur. Panormitanus autem loco citato *num. 9.* non loquitur de Notarijs respectu testamentorum, sed tantùm de eisdem respectu instrumentorum, & eorum, quæ sunt iurisdictionis, quæ loco cohærent, & personis.

32 Ad rationem adductam respondeo nullius perturbari iurisdictionem, cum officium Notarij sit actus seruitutis nullam includens iurisdictionem, nec contentiosam, nec voluntariā, *ex Castrensi citato lib. 2. cons. 226. initio.*

Notarij ergo Papales, & Imperiales vbiq; scribunt instrumenta, & testamenta, non verò alij, nisi intra territorium illius, qui eos creauit, & non extra, nisi accedat consensus alterius Principis, in cuius territorio vocātur a contrahentibus, *Riccius par. 1. dec. 125. num. 5. & 6. Siluester V. Tabellio num. 4.*

Refero statutum Notariorum Parmæ *lib. 3. fol. 41.* quod iuxta supradicta non afficit Notarios Petri, nec Cæsaris, sed tantùm Ducales, eius tenoris, qui sequitur.

Nullus, qui non sit receptus in Collegio dominorum Notariorum Parmæ, seruatis seruandis, per dispositionem præsentium statutorum possit conficere, vel rogare aliquod instrumentum contractuum, distractuum, vel quasi; nec aliquam vltimam voluntatem, nec acta, nec alia pertinentia ad officium Tabellionatus in ciuitate, vel diœcesi Parmæ. Et si quis contrafecerit incidat in pœnam librarum 25. imperialium applicandarum dicto Collegio, & infametur, seu pœnam infamiæ incurrat; & omnia rogata eius sint nulla ipso iure. 33

Super hoc statutum excelsum Placentiæ Consilium declarauit, valuisse testamentum, aut aliud instrumentum per quendam Notarium Placentinum rogatum in diœcesi Parmensi contra præfatum statutum, vt retuli supra. Vnde dicendum est, dictum Statutum non comprehendere, nec ligare Notarios forenses, sed tantùm Parmenses, & incolas, qui non sunt matriculati, quia communis est sententia, quod statuta non ligant, nec inhabilitant nisi subditos, *cap. 2. de const. in 6.* vt 34 supra notaui, & facit illud D. Pauli ad *Roman 14. 4. tu quis es, qui iudicas alienum seruum.* Audiant Notarij Parmenses, quàm incongruè sentiant Placentinos, & Burgenses non posse scribere instrumenta, & testamenta in territorio Parmensi, annullantes eorum acta, cum tamen contra eos nullam habeant iurisdictionem nec ab homine, nec à statuto prædicta facere in eorum præiudicium, vt non semel probatum est.

Certum quoq; est præfatum statutum non esse confirmatum in formâ specificâ, sed tantùm in formâ communi, quæ rei confirmatæ aliàs nulli nullum tribuit valorem, sed eam relinquit in suo statu, in quo erat ante, nihil enim de nouo concedit, nec donat, *cap. inter dilectos 6. de fide instr. l. quia ff. de iurisd. om. Iud. cap. 1. & 2. de confirm. Rota par. 6. decis. 58. num. 29. & 30.* Manifestum autem est, confirmationem præfati statuti esse tantùm in formâ communi, non verò in formâ specificâ, cum non sit illud insertum in tenore confirmationis, *Glos. V. ex certâ scientiâ, cap. Pastoralis §. præterea de offic. deleg. Decius in cap. Porrecta, de confirmat. num. 15. Gabriel. lib. 2. cons. 183. num. 14. Surd. cons. 419. num. 24. Rota par. 6. dec. 157. num. 8.* 35 36

H Et

Et alij communiter. Quòd si etiam specificè confirmaretur, adhuc dubium esset, an robur reciperet tale statutum, cum sit merè lucratiuum aliquorum, & aliorum meram inducat perniciem, vt supra notaui ex Barbosa.

Obseruandum vlterius est, non ita facile aliorum acti maximè in testamentis esse iudicanda irrita, & inualida, ex eo, quòd Notarij non sunt matriculati, quia defectus matriculationis, Notariatu probato, nullatenus attenditur ex æquitate, ne tot, & tam laudabiles testantium dispositiones corruant, vt considerat *Rota par. 6. decis.* 184. *num.* 45. *ex alijs duabus decisionibus Penia, & Mobedani decis. 2. & 5. de testam. Puteo lib. 1. dec. 296. initio.*

37 Quòd non nisi matriculati in Vrbe rogent
instrumenta, & testamenta decreuit Iulius II.
in sua incip. *sicut prudens* 15. quam non fuisse
vsu receptam asserit ibidem compend. ex
decisionibus Putei, & Thani 113.

38 Adde insuper, quòd illud statutum non potest
comprehendere testamenta, & legata ex
causis pijs, quia statuta laicalia super dispositionibus
spiritualibus, & operibus pietatis annexis,
cuiusmodi sunt præfata nihil ordinare
possunt, cum ius ciuile, & multò minus statuta,
solemnitatem præiudicialem causis pijs,
39 inducere non possit, & inducta non valeat, *ex
Abbate par. 2. cons. 32. initio, Baldo cons.* 118.
cum eis Barbosa lib. 3. de iure cap. 27. num.
103.

Confirmatur ex dictis præced. *cap. q. 21.*
Vbi quòd pia causa non venit sub generali
prohibitione, Et hoc patet *ex cap. Relatum,
de testam.* vbi, quod quilibet potest scribere
suum testamentum ad pias causas, vt latius
infra probabo. Quare statuta laicorum non
possunt afficere testamenta ad pias causas,
quia statutum tollens ius commune canoni-
40 cum est nullum, *Riccius par. 4. decis.* 134.
num. 5. Et tollens, quod iurè communi com-
41 petit, est contra immunitatem Ecclesiæ, *Felin.
in cap. Ecclesia S. M. de constit. num. 69.
Maynardus de priuileg. Eccl. par. 1. art. 1.
num. 24. cum alijs allegatis à Barbosa in additam
ad cap. 1. de Immun. cap. 3. Ciarlin cap.
63. num.* 30. Nulli autem dubium est, supradictum
statutum de vltimis voluntatibus non
recipiendis nisi à Notarijs matriculatis, maximè
in causis pijs esse contra ius canonicum
concedens singulis, etiam non Notarijs, vt
possint scribere testamenta ad pias causas, vt
latius infra dicam.

42 Prædicta procedunt siue statutum loquatur
in rem, siue in personam, vt neutro modo
afficiat forensem, nam licet nonnulli asserant,
statutum loquens in rem extendi etiam
ad non subditos, de quibus Barb. *Voto 326.
num.* 26. referens casus, in quibus statutum
potest comprehendere bona extra territorii
existentia, qui *sub num.* 341. tandem concludit,
statutum quouis modo conceptum non
extendi extra territorium, *ex Alex lib. 1. cons.
16. Caeber. cons. 76. num. 19. Alberto Bruno de
statuto exclud. fam. art. 8. q. 25. num. 121. Ploto
cons. 10. num. 6.* vbi hanc opinionem veram,
& indubitatam vocat. Ratio est, quia
huiusmodi distinctio tollit correlationem inter
rem, & personas nam quælibet res venit
in commercium respectu personarum, ergo
loquens de rebus comprehendit etiam personas
de ipsis rebus agentes. Præterea leges,
& statuta fiunt de rebus non pro rebus, sed
pro personis, ergo quouis modo locutio concipiatur,
siue in rem, siue in personas, semper
afficit personam cum relatione ad rem,
lex enim imponitur personis, non rebus, nisi
propter personas, *cap. Commissa 35. de elect.* 43
in 6. l. Vt nullo 28. C. de vsur.

Quando igitur statutum directè loquitur in 44
personam, certius est, non comprehendere,
nisi subditos, nullo pacto extraneos, vt omnes
supracitati docent cum *Surdo vol. 1. cons.
3. & vol. 3. cons 310. num. 66. & 76. Sperell. decis.
10. num. 18. & dec. 123. num.* 45. Sed statutum
Parmense de Notarijs matriculatis loquitur
in personam, ergo comprehendit tantùm
Notarios Parmenses non descriptos in
Collegio, & non forenses, cum non sint subditi.

Restat explicandum quid importent illa 45
verba: *In diœcesi Parmæ*, nam diœcesis Parmæ
extenditur vltra districtum Ducatus Parmæ,
siquidem versus Regium diœcesis Episcopalis
se extendit ad terras plures Ducatus
Regiensis, & versus Placentiam dilatatur etiam
in Statu Palauicinatus, & olim territorium
Burgense erat diœcesis Parmæ. Puto
nostris temporibus nomen *diœcesis Parmæ*,
non esse sumendum pro omni districtu, in
quem se extendit iurisdictio Episcopalis, quia
e.g. Notarij Regienses in toto Ducatu suæ ciuitatis
scribere possunt contractus, & testamenta,
etiam in illis locis Ducatus Regiensis,
in quibus Episcopus Parmæ habet suam
iurisdictionem, sed importare, & significare
modo, *In diœcesi* .i. Ducatu Parmæ, ac proinde
non comprehendere statum Palauicinatus
inter Parmam, & Placentiam, cùm non
veniat nomine Ducatus, sed tantum status,
cuius non est Dux, sed solum Dominus Serenissimus
Parmæ Dux.

Secundum de Notario putatiuo, quòd va- 46
leant ab eo gesta non solùm pia, sed etiam profana probatur *ex l. Barbarius 3. ff. de offic. Prætoris*, vbi Philippus incognitus conditione seruitutis electus fuit Prætor, & eius acta pro validis iudicata fuerunt, sic dictante publicà Reipublicæ vtilitate, ne iura subditorum peruerterentur, & ne altercationes odiosæ, & dispendiosæ inter partes excitarentur, poterat enim Populus Romanus dictum seruum à suo domino fugitiuum eligere in Prætorem,

vt

vt dicitur ibidem. Populi igitur communis error supplet iurisdictionem officialis putati, & non verè existentis talis, ad id mouente publicæ vtilitatis ratione. Ità omnes ibi scribentes *cum Baldo vol.4.consf.496.num.3. Sperell.dec.30. num.4.* qui *num. 10. cum Bartolo, & alijs dicit*, quòd licet error communis actum a Iudice putatiuo factum validet, non tamen personam eius reddit habilem ad officium; ita lex suppleteius defectum tribuendo valorem actibus, quibus non potuit tribuere fictus Officialis, qui caret iurisdictione, Lex autem non solùm Ciuilis, sed etiam Canonica supplet iurisdictionem carenti, faciendo, vt eius acta valeant, *in cap. Infamis V. Eorum tamen 3. q. 7. apud Sanchez lib. 3. disp.22.num.14.ad 2. & num. 27.* Ratio ergo, quæ est anima legis, fundata in humanitate, & publicà vtilitate, ne acta pereant, facit valida quæcumq; gesta ab Officiali ficto, nisi præter hunc defectum adsint alia impedimenta iuris naturæ, aut diuini, quæ ius humanum tollere non potest, nec supplere, *ex Sanchez lib.3. disp.22. num.27. Bonac. de matrim. q.2.p.8.num.24. Sperell. dec.30. num.14.* Tunc enim acta remanent nulla.

Hæc doctrina est communis omnibus Officialibus, ac proinde etiam Notarijs fictis, qui non creati, sibi vsurparunt officium conficiendi instrumenta, & testamenta, quorum acta habētur pro validis, præsertim testamenta, ne pereant testantiū dispositiones in graue præiudicium aliorum, & ipsorum, qui reliquerunt legata pro suà animà, & suorum defunctorum.

47 Notat *Baldus in l. 1. C. de fideicom. col. 4.* quòd qui per decennium se gessit vt Notarius, præsumitur solemniter creatus, vt refert *Riccius par.3.resol.509.num.8.*& à fortiori talis est præsumendus ille, qui spatio triginta annorum exercuit officium, licet nullibi reperiatur scriptus. *Graueta de antiq. temp. par. 3.sect. 1.num. 105. Puteus lib. 1. dec. 345. Seraph. decis. 1027. num. 9. dec. 1042. num. 2. Caualer. dec. 122. num. 3. apud Rotam par. 6. dec. 184. num. 41.* Et ex hac præsumptione censetur probatus titulus, esto is non sit necessarius, vt probant *Gabriel de probat. concl 8. num. 25. Poncius de matrim. lib. 5. cap. 20. Silutus par. 1. Var. V. matrimonium num. 11. Caspensis tom. 2. tract. 24. disp. 5. sect. 6. num. 52. cum alijs Diana par. 2. tract. 16. resol. 45. & par. 8. tract. 1. resol. 94.* Et in terminis nostris *Tiraquel. de le-*

48 *gib. connub. glos. 8. num. 133.* ait, de consuetudine obseruari, quòd Notarius, qui est in quasi possessione sine vllo titulo, validè conficit instrumenta propter errorem communem, refert Vericellus *tract. 2.q. 25. num. 15.*

Notariatus autem probatur per attestationem alterius Notarij, *Ottob. dec. 75. num.22.* & melius per matriculam in quà sit descriptus, *Rota par 6. dec.18.num.3.*

Quæres 13. An testamentum nullum defectu testium faciat corruere legata profana, & pia. Quòd sint nulla certum est ex illo communi axiomate, quòd legata euanescunt, nullo existente testamento, certum quoque est, defectu etiam vnius testis nullum esse testamentum iure ciuili, expresse, *l. si vnus 12.* 49 *C. de testam.* Ius autem ciuile requirit septem testes masculos, & rogatos, *l. Hac consultissimà 21. C. de testam.* Vbi quò ad hunc numerum excipitur testamentum imperfectum, scriptum scilicet, & non scriptum factum inter liberos, quod valet. Pro Rusticis sufficiunt quinq; testes, *l. Et ab antiquis 31. C. de* 50 *testam.* Videre autem debent testatorem, *l. Si non speciali 9. C.eod.* Et in scriptis faciendum est, aliter non valet, *ex eàdem l. Hac* 51 *consultissimà*. Remanet difficultas respectu testamenti in ordine ad causas, & legata pia, & profana de iure Canonico.

R. Testamentum factum cum duobus, vel 52 tribus tantùm testibus masculis, & rogatis, valet quò ad se, & quò ad legata tam profana, quam pia iure Canonico derogante in hoc septennario, vel quinquenario numero testium in hoc præcisè, alijs solemnitatibus iuris Ciuilis remanētibus in suo robore.

Conclusio hæc expresse probatur per duos textus relatos in tit. de testamentis, quorum primus pro testamentis profanis est tenoris sequentis.

Cum esses in nostrà præsentià constitutus, 53 proposuisti talem in suo Episcopatu consuetudinem obtinere, quòd testamenta, quæ fiunt in vltimà voluntate pærentus rescinduntur, nisi cum subscriptione septem testium, vel quinq; fiant, secundùm quod leges humanæ decernunt. Quia verò à diuina lege, & Sanctorum Patrum institutis, & à generali Ecclesiæ consuetudine id esse noscitur alienum. cum scriptum sit: In ore duorum, vel trium testium stet omne verbum, præscriptam consuetudinem reprobamus. Et testamenta, quæ parochiani coram Presbitero suo, & tribus, vel duobus alijs personis idoneis in extremà fecerint voluntate, firma decernimus remanere. Sub interminatione anatematis prohibentes, ne quis huiusmodi audeat rescindere testamenta.

In hoc textu agitur de testamentis non so- 54 lùm profanis ad distinctionem sequentis textus, in quo agitur tantùm de pijs, sed etiam de pijs, quia in fauorabilibus pia causa gaudet fauore profanæ. Quod autem in hoc textu agatur de profanis, docent *Gemin. hic & consf.40. num.5. Pignatur in cap. Relatum 11. de testam. num. 4. Rota par. 6. dec. 126. num. 2. Barbosa ad sequens caput num. 2.*

Posterior textus in cap. Relatum 11. de 55 testam. decernens, testamentum, in quo est instituta causa pia, valere, scriptum à testato-

re sine testibus, recognitâ eius scripturâ, huius est tenoris.

Relatum est, quòd cum ad vestrum examen super relictis Ecclesiæ causa deducitur, vos nisi septem, vel quinq; idonei testes interuenerint, inde postponatis iudicare. Mandamus quatenus cum aliqua causa talis ad vestrum fuerit examen deducta, eam non secundum Leges, sed secundum Decretorum statuta tractetis, tribus, aut duobus legitimis testibus requisitis. Quoniam scriptum est; *In ore duorum, aut trium testium stat omne verbum*.

56 Textus iste confirmatur etiam iure Ciuili, nam in Auth. quod sine relata post *l. 22. C. de testam.* dicitur, quod valet testamentum patris inter filios in scriptis, & legata in eo scripta, sine testibus, ergo & testamentum ad pias causas, vt docent *Ioan. de Imola in l. si is qui. ff. de testam. num. 5. & 6. Corneus vol. 3. cons. 307. fine. Tiraquel. priuileg. 5.* Deinde valet argumentum à milite ad Eccle-

57 siam, & piam causam, *Euer.* ad hunc locum. Sed militis testamentum sine testibus firmatur scriptum ab illo *l. Lucius Titius 41. ff. de milit. testam. iuncta Glos. V. Probationibus*. Hanc vocat æquiorem, veriorem, & communiorem. *Rota par. 4. dec. 321. num. 2. par. 8. dec. 166. Cratian. cap. 605. num. 20.*

Quæres 14. An correctio iuris ciuilis restringatur in præfatis duobus capitibus tantùm ad numerum testium, an etiam ad alias iuris solemnitates?

58 ℞. Correctio restringitur tantùm ad numerum testium iure ciuili requisitum, ita ut sine illo valeat testamentum cum minori numero quàm septem, aut quinq. Et id patet, quia vterq; textus mentionẽ facit tantũ de numero iure ciuili præscriptum testibus, ergo correctio vlterius extendenda non est, sed restringenda iuxta tenorem verborum, *l. præcipi-*

59 *mus 32. de appellat.* Expedit enim iura iuribus concordare, *cap. cum expediat 29. de elect. in 6.* quia correctio legis vitanda est, quantum possibile sit, *l. cum dilectus 8 de consuet. iunctâ glos. V. iuri communi*. Et ita docent *Beltrand. vol. 6. cons. 47. Lælius Mancinus tom. 1. controu. differt. 6. cap. 5. Euer. cons. 155. num. 16. quos refert Albricius Placentinus Serenissimi Ducis Parmæ Consiliarius, & Cameræ Ducalis Præses in suâ Allegat. in causâ D. Thadeæ de Gambara del Verme impressâ Parmæ cap. 3. Rota par. 9. decis. 372. num. 6.*

Quæres 15. An præfata duo cap. ta locum habeant tantùm in tertis Ecclesiæ, an etiam per vniuersum Orbem?

60 ℞. Primum caput locum habet solum in tertis Ecclesiæ quò ad vltimas voluntates profanas; secundum verò vbique terrarum.

Prima pars probatur ex ipso textu, in quo dicitur, quòd in Ecclesiâ viget consuetudo testandi coram duobus, aut tribus testibus, & ibidem causa deciditur in territorio Hostiensi, quod est de tertis Ecclesiæ, ergo non extenditur per vniuersum Orbem, sed restringitur ad terras Ecclesiæ, ac proinde extra seruandum est ius ciuile de numero septem testium. Ita docent *Couar. ad hoc cap. num. 12. Molina disp. 133. cum Lugo disp. 24 num. 20. vers. alij, Layman lib. 3. tract. 5. cap. 2. fine, cum multis alijs Barb. hic num. 2.*

Conclusio hæc est contra torrentem fere omnium antiquorum asserentium apud Fagnanum hic *num. 40. & 133.* vbiq; terrarum valere testamentum factum coram Parocho, & duobus, aut tribus testibus in causis etiam profanis, eo fundamento, quòd lex ciuilis de septenario testium numero sit contraria legi diuinæ, quæ ad omne negotium ait sufficere duos, aut tres testes, *Beuter. 17. 6. cap. 19.* 61
15. quod à Christo autenticatum fuit *Matth. 18. 16. vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum*, & alibi. Et ita decerni in eadem decretali *cap. cum esses*, asserunt Canonistæ per ea verba: *Quia verò à diuina lege, & Sanctorum Patrum institutis, & à generali Ecclesiæ consuetudine id esse noscitur alienum*. Vnde Panormitanus ibidem cum alijs, quos sequitur Fagnanus, dicit, esse standum iuri Canonico, & non posse multiplicari numerum testium vltra tertium in testamentis, & esse peccatum mortale impugnare testamentum ex defectu septem testium.

Quibus respondendum est, eorum fuisse 62
sinistram interpretationem illius dictionis *alienum*, quam voluerunt significare idem, quod contrarium; sed res aliter se habet ex vero eius sensu, qui importat diuersitatem, ita quòd idem est dicere *alienum* ac dicere *diuersum*, nam alienum deriuatur ab alio, quod sine dubio importat diuersitatem; quod autem est diuersum non est contrarium ei à quo diuersificatur, ex *cap. in nostrâ 32. de testib.* ibi: *Non solum diuersa, sed etiam aduersa. Melius cap. cum Apostolica 7. de his, quæ fiunt à Prælat. §. auctoritates* illis verbis: *Auctoritates enim præmissæ, licet diuersæ sint, non tamen aduersæ*. Sic in re nostrâ consuetudo septennarij numeri iuris ciuilis est diuersa à consuetudine iuris diuini de numero ternario, vel binario, ideo lex canonica mandauit, vt sustinerentur pro validis testamenta cum duobus, aut tribus testibus, iuxta consuetudinem Ecclesiæ, reprobando consuetudinem iuris ciuilis, non vti contrariam, sed alienam, hoc est, diuersam tantùm à iure diuino, & consuetudine Ecclesiæ. Vnde duo testes deponentes, vnus de summâ maiori, & alter de minori, non sunt contrarij, sed diuersi tantùm, *Farinac. q. 63. num. 263.* Et qui facit 63
plus, quam debet, non facit contrarium, sed tantùm diuersum, immò idem in substantiâ, *Glos. V. Senior cap. quia propter 42. de elect.* 64
Qui ergo vtitur septem testibus in suo testamen-

mento non aduersatur alteri vtenti solùm tribus, sed diuersimodè, non contrariè operatur. A prædictis non discrepat responsum
65 Menochij *lib. 1. præsumpt.* 80. *num.* 3. explicans illud verbum *alienum* .i. remotum, hoc est, vltra ius diuinum, ac proinde non contra ius diuinum.
66 Confirmatur, quòd lex de numero septenario non sit contraria legi diuinæ de numero ternario, nam Dei verba sunt hæc: *In ore duorum, aut trium testium stat omne verbum.* Absolutè prolata sine vlla restrictione, si enim hæc sententia expressisset taxationem *tantùm*, sine dubio aduersaretur legi ciuili de septem testibus, quorum numerus directè contrariaretur numero diuino, sed quoniam Deus numerum non taxauit, sed reliquit in arbitrio hominum, ideo ius ciuile nullo modo contrariatur diuino, sed addidit maiorem numerum testium ad euitandas fraudes, quæ possunt accidere in scribendis testamentis, vbi enim aliquid prudenter fit, non est contra ius diuinum, quod nititur prudentiâ diuinâ. Vnde Romæ adest statutum seruandi ius
67 ciuile inter ciues Romanos, & incolas, *lib.* 1. *cap.* 42. *Ottobon. dec.* 145. *num.* 27. Vsus Sacræ Scripturæ est taxare numerum testium, quando illum non relinquit in arbitrio agen-
68 tium. Profero exempla, *Numer.* 12.4. *Egredimini vos tantùm tres ad tabernaculum fœderis* 3. *Reg.* 11. 19. *Erunt duo tantùm in agro.* Quare cum Deus suæ legi de testibus non adiunxerit taxatiuam, reliquit in arbitrio hominis multiplicationem testium.
69 Et ita docent omnes Moderni *cum Couar. super dictum cap. cum esses, num.* 3. *Gloss. V. Duorum, vel trium in cap. Licet* 23. *de testibus,* exponit .i. Non paucorum. Vnde Faber professione Ordinis S. Francisci *disp.* 43. *de restit. num.* 33. *de Lugo disp.* 24. *num.* 20. ait, leges ciuiles in hoc non esse contrarias legi diuinæ, quæ non prohibet vsum plurium testium vltra tres, sed concedit iuxta exigentiam negotiorum.
70 Negat ergo Deus diminutionem testium, ne ad vnum reducantur in præiudicium tertij, *Deuter* 17. 6. *Nemo occidatur, vno contra se dicente testimonium*, non verò multiplicationem, nisi expressè limitet, vt visum fuit supra, sed datâ negotij præstantiâ multo plures admittit, nam *Iosue* 24. 22. in testimonium promissionis sibi factæ de derelinquendo Deos alienos, non vocauit duos, nec tres testes, sed totum populum. Christus Dominus diuinæ legis zelantissimus obseruator *Act.* 1. 8. non tres, nec quinq; Apostolos, sed duodecim voluit esse testes suæ passionis, & resurrectionis in Ierusalem. Si septennarius testium numerus esset contra ius diuinum, Sil-
71 uester Papa in Synodo Romanâ *cap. Præsul* 2. 2. *q.* 4. non multiplicasset testes vsq; ad 72. in condemnatione Episcoporum, &c. Manifestum ergo est, numerum septennarium non contrariari iuri diuino, & assertum in contrarium est omnino improbabile.

Et ex his tolluntur argumenta Fagnani, dum dicit ius ciuile esse contrarium iuri diuino, decretis Patrum, & consuetudini Ecclesiæ; id enim omninò falsum est, cùm hactenus probatum sit esse solum diuersum, non aduersum.

Idem Fagnanus ad numerum pro condemnandis Episcopis Cardinalibus, & alijs, de quibus ibi, respondet sub num. 144. intelligendum esse, quando testes non sunt omni exceptione maiores, tunc multiplicari numerum tertium vltra septennarium ex Gratiano in dicto *cap. Præsul* 2. *q.* 4. Sed Gratiani expositio non euacuat difficultatem, sed potius est contra ipsum, dum dicit: *Testes autem, & accusatores sine aliquâ sint infamiâ*, ergo ille magnus numerus testium intelligitur de idoneis, habilibus, & omni exceptione maioribus septem testes.

Ad Statutum Vrbis respondet num. 163. in alio statuto mandari, vt obseruentur leges ciuiles in genere, nullâ factâ mentione de testamentis; ideo ne illud statutum dicatur esse contra ius diuinum, pro cuius conseruatione summus Pontifex debet ponere animam, non loquitur de testamentis requirentibus.

Non habeo Codicem Statutorũ Vrbis, nihilominus ex verbis illis, *vt obseruentur leges ciuiles* ipsius Fagnani, & ex adiunctâ ratione, quòd excipiendum est testamentum, ne statutum dicatur esse contra ius diuinum, colligitur, gratis excepisse testamenta, ex falsitate rationis adductæ, cum luce clarius pateat ex dictis ius ciuile de numero septem testium nullo modo esse contrarium legi diuinæ. 72

Demum, quod Statutum Vrbis loquatur etiam de factione testamenti cum septem testibus, præter allegatam *decis.* 145. *Ottob.* idē decisum fuit in Romanâ *de Stocbis* 27. *Maij* 1588. *coram Cardin. Pamphilio apud Farinac. impressionis Lugdunensis dec.* 396. & ideo non sustineri ea, quæ fiunt ad formam *cap. cũ esses apud Theodos. Rubeum par.* 6. *singul. ad dictum cap. fol.* 628. 73

Secunda pars, quòd valeat vbiq; terrarum testamentum à testatore scriptum fauore causæ piæ, & legata in eo facta similiter pia, sine testibus, modo scriptura pro certâ recognoscatur esse ipsius testatoris, patet ex præfato textu cap. Relatum, quò ad dictas solemnitates de testibus non requisitis, vt probaui supra sub num. 56. Quantum ad præsens, quòd vbiq; terrarum tale testamentum probatur. Tum quia vbiq; terrarum valet testamentum scriptum à patre sine testibus, ex probatis sub eodem num. 56. ergo & scriptum fauore causæ piæ, cum non minus latè pateat ius Canonicum 74

nicum, quàm Ciuile. Tum quia leges ciuiles nihil disponere possunt contra leges Canonicas, vt probaui *cap. 3. q. 41.* Ità docent citati à Diana *resol. 2. de testam.*

Quæres 16. Quales debeant esse testes præsentes Parocho scribenti testamentum, *ex cap. cum esses*, & testes requisiti ad recognoscendam scripturam testatoris ad pias causas, *ex cap. Relatum*.

75 ℞. Debere esse masculos, idoneos, præsentes, & rogatos respectu cap. primi, respectu verò secundi masculos, & idoneos probantes scripturam esse testatoris.

76 Quòd testes præsentes testamento dum fit à Parochiano, & scribitur à Parocho suo ad formam capitis *cum esses* debeant esse masculi, idonei, rogati, & præsentes, sicut exigit ius ciuile *l. Qui 20. §. Eum qui ff. de testam.* vbi, quòd testis debet esse talis in testamento, qualis valet esse in iudicio, exclusis fœminis; *& §. Veteres*, dicitur, quòd testes debent esse præsentes, & sensu, ac intellectu percipere, quod dicitur à testatore; & seq; *l. Hæredes 21. §. in testamentis eod.* debent esse rogati, hoc est moniti, & certiorati, quòd ad hoc sunt adhibiti: sed hæc omnia comprehenduntur sub eodem cap. *cum esses*, illis verbis. *Coram duabus, vel tribus alijs personis idoneis*, non enim ius Canonicum, vt probaui hic *q. 14.* in alio correxit ius Ciuile, nisi in numero testiũ dum reprobauit numerum septennarium, ergo illud reliquit in suo robore quo ad qualitatem testium. Confirmatur id, quia idoneitas testium in eo consistit, vt non sint in aliquo suspecti, id enim important ea verba *personis idoneis*, vt tradunt *Host. hic num. 7. & Ioannes Andreas num. 3. apud Fagnanum num. 33.*

77 Quod procedit, siue adhibeantur coram testatore, siue ad recognoscendum scripturam per manum testatoris, nam & in *cap. Relatum* vtitur vrgentioribus verbis *Legitimis testibus requisitis*, quæ important in testibus prædictas qualitates à lege requisitas, ideo enim dicuntur legitimi, quia sunt secundùm leges, illud enim legitimum dicitur, quod à

78 lege procedit, *§. Sed istæ instit. de Act. Glos. V. Generalioris, extr. com. 2. de sepult.* Et quidem si his qualitatibus debent esse prædicti testes secundum leges de numero septennario, à fortiori de numero ternario secundùm Canones, cum testes multiplicentur ad euitandas fraudes, quæ non ita facilè euitantur in paucioribus, & minus quoq; idoneis, sicut in pluribus omnibus existentibus legitimis, necesse est ergo dicere ius Canonicum excludens numerum septennarium non ideo excludere paucioru qualitates iure ciuili requisitas, cum nulla lex foueat fraudes, & deceptiones.

79 Itaque in omnibus testibus testamentorum ad causas tum profanas, tum pias factorum ad formam vtriusq; capitis requiruntur præfatæ conditiones, vt docent *Boer. dec. 34. nu. 5. Roman. in Auth. Similiter, ff. ad leg. Falcid. special. 11. Vasquez de testam. num. 10. Didacus Spino in Speculo testium Glos. Princip. 31. num. 30. & 45.* Requirentes, vt testes sint rogati in causis etiam pijs; ex quo sequitur etiam debere esse etiam præditos alijs qualitatibus, quæ maioris sunt ponderis, & augent fidem in testibus.

Contrarium, quòd non requiratur rogitus testium, docent multò plures apud *Dianam resol. 17. de testam. Barb. ad cap. Relatum n. 8. Gratian. cap. 93. num. 8.* dicens esse multò veriorem hanc opinionem, qui tamen id concedunt in testamentis profanis, cum Fagnano ad cap. *cum esses* multos citans *à num. 15. ad 23.* Sed non video, quã ratione subsistere possit hæc differentia, quòd qualitas rogitus, & similium requiratur in profanis, non in pijs, cum idem cap. *cum esses* diuersimodè non sit intelligendum, dum habet eandem dispositionem indifferenter ad vtrumq; genus testamenti; neq; enim hæc differentia colligi potest ex cap. *Relatum*, quod non requirit testes in confectione testamentorum, dum scribuntur per manum ipsius testatoris, sed tantum in probatione manus illius.

Nec quidquam prodest eorum responsio probantium in testamentis profanis requiri testium supradictas qualitates iure ciuili petitas, quia in eis potest esse suspicio fraudis, & falsitatis, non autem in testamentis pijs. Si quidem, & in his idem periculum suspicari potest, dum scribitur à Notario, aut Sacerdote ad formam *cap. cum esses*; non autem dum scribitur ab ipso testatore, in quo casu sicut non requiruntur testes, ita nec locum habere potest dicta differentia.

Deducitur ex his fœminam non esse testem idoneam non solùm iure ciuili, *ex cit. l. 20. ff. de testam.* sed nec de iure canonico, tum quia in vtroq; capite requiruntur testes idonei, & legitimi, quales non sunt mulieres, quorum testimonium est fragile habentium cor instabile, *cap. Forus 10. de verb. signif.* vbi, quòd fœmina varium, & mutabile testimonium semper producit. Tum quia ius canonicum non corrigit ius ciuile, nisi quò ad numerum testium. Ita docent *Couar. ad cap. cum esses num. 14. alijs citatis cum Barb. ibidem num. 7.* dicente veriorem, contra alios, qui nullo nituntur solido fundamento. Idem tamen *Couar. in sequenti cap. relatum, num. 5.* sequitur *Glos. in Auth.* quod fine *post l. 21. C. de testam.* asserentem duas fœminas esse idoneas testes in testamento patris pro suis filijs, vnde ne sibi contrarietur videtur in priori locutus de profanis, in posteriori de pijs. Sed quidquid sit de hoc. 80

Ego hic obseruo, prædictam authenticam non requirere testes, quando pater conficit, & pro-

& propriâ manu scribit testamentum filijs, frustra ergo quæritur de eorum qualitate, dum non adhibentur, quod idem dicitur, si p è testetur, cum non possit seipsum, nec hæredes decipere, dum potest de sus bonis sic, vel alio modo disponere. Si verò ab extraneo scribatur testamentum siue profanum, siue pium ad præsentiam duorum testium, requiritur, quod sint idonei, quia tunc dispositio fit ad formam non posterioris capitis, sed prioris.

Quæres 17. An in *cap. cum esses* agatur tantùm de testamentis nuncupatiuis, an e-
81 tiam de scriptis per manum testatoris? illa nostris temporibus sunt in vsu, & vocantur nuncupatiua, quia in illis manifestatur à Notario coram testibus quicquid facit testator, & sine scriptis dicuntur, quia testes non se subscribunt, vt faciunt in scripto per manum testatoris. Vide *l. hâc consultissimâ 21. l. iubemus 29. C. de testam.*

82 ℞. Sermo est de dispositione vtriusq; testamenti, cum textus huius *cap. cum esses* reprobando numerum septennarium testium, qui requiritur iure ciuili non solùm in nuncupatiuo, sed etiam scripto testamento, comprehendat vtrumq; testamenti genus. Quidquid dicat Aloysius Albricius in suâ allegatione restringens caput ad testamenta nuncupatiua, eâ ratione sacri textus: *In ore duorum &c.* nam testis in testamento in scriptis non loquitur, sed tantùm scribit in nuncupatiuo vero non scribit, sed tantùm loquitur.

83 Nihilominus hæc ratio non conuincit, quia sacer textus alio modo adduci non poterat, nisi in suis formalibus verbis. Nomen ergo *oris* vtriq; testamento inseruit, nam in scripto interrogatur, an velit subscribere, & sic ore respondens in eo verificantur ea verba: *In ore duorum*, cum eâ solâ differentiâ, quòd in scripto præter locutionem scribit, in nuncupatiuo solùm loquitur. Testis ergo scribens, ore etiam loquitur, quia non scribitur conceptus, nisi prius è corde exeat per os ad scripturam, id experior in me, qui sine oris opere non soleo scribere.

Quæres 18. Quis veniat sub nomine *Presbiteri*, de quo in *cap. cum esses*, coram quo eius Parochianus facit testamentum?

84 ℞. Nomine Presbiteri venit Parochus eius, qui vult condere testamentum, ibi: *Et testamentum, quæ Parochiani coram Presbitero suo*. Quo nomine venit etiam delegatus ad curam animarum. Et in hoc conueniunt omnes, cum textus scriptum declaret, vt *ex Corneo lib. 2. consf. 12. num. 12. vers. ponderandum est*, qui idem dicit de Confessario audiente testatoris confessionem, *lib. 4. consf. 26. num. 31. vers. tamen interuenit, cum alijs Rota par. 9. decis. 312. num. 12. & dec. 372. num. 14. 18. ad 22. & 34.* referens prædicta, *cum Ottob. decis. 145. num. 14. & 15.*

Quòd Corneus dicit de Confessario nullâ ratione Parocho ab alijs reprobatur, adeo quòd testamentum factum coram alio Parocho, quàm proprio, non valeat. Ità *Genuensis in Practic. q. 660. apud Barb. ad hoc cap. cum esses. num 6. Fagnanus ibidem à num. 24. Marinus lib. 2. Resol. Quotid. cap. 229. num. 2. ex eod. Corneo lib. 1. consf. 77. num. 2. Tuscho lit. T. concl. 113. num. 3.* Ità quòd alter Sacerdos non potest supplere vices eius, si non habet curam animarum ab eo delegatus, *Magdalenus par. 2. de numero test. cap. 8. num. 5. Renatus Chopinus de sacr. forens. polit. lib. 3. tit. 1. num. 13. Borella par. 3. decis. de testam. num. 208.* Non est autem necesse quòd Parochus sit Sacerdos, quia nondum Sacerdos, immo cum solâ primâ tonsurâ potest eligi, & assumi ad beneficium Curatum, cui sufficit infra semestre recipere omnes Ordines. Præsbyter ergo fungitur officio Notarij in tali casu, dum testamentum scribit, vt insinuat Barbosa.

Quæres 19. An huiusmodi forma testandi coram Presbytero restringatur ad testamentum factum à testatore laborante infirmitate, an etiam extendatur ad sanum testatorem?

℞. Is modus testandi concessus est solùm 85
infirmis, vt clarè colligitur ex illis verbis *In extremâ voluntate*, nam ad hanc sequitur mors, & mors ex infirmitate. Ità *ex Rubeo in resol. Practicab. cap. 33. num. 51. Albricius cap. 3. Vers. Minus obstat. ex Cenedo Barbosa hic num. 8. Rota par. 9. dec. 369. num. 8.* vbi quando testatur in aliena Parochia, quod dicendum, *num. 15.*

Quæres 20. An debeantur legata profana in testamento ad formam vtriusq; cap. t s cond. to ad pias causas?

℞. Affirmatiuè, quia legata quæcumq; ea 86
sint, siue pia, siue profana sequuntur naturam testamenti, in quo scripta sunt, quia ei sunt accessoria, & eius partes, ergo si valet testamentum, etiam legata quæcumq; non enim est maior ratio cur valeant pia, cum causa piâ est instituta; & non profana, cum ambo ex æquo accedant testamento. Confirmatur, quia pietas relucens in testamento non potest generare impietatem, qualis esset, si legata profana essent inualida in præiudicium ad ea vocatorum. Ità *Couar. in cap. Relatum num. 11. Lessius lib. 2. cap. 19. dub. 2. num. 9. Rubeus in Practicab. cap. 55.*

Contrarium, quòd non debeantur legata profana in testamento Canonicè facto ad pias causas, deficiente septem testium solemnitate docent *Bonac. disp. 3. de contr. q. 1. par. 3. num. 18. Iason. in l. 21. C. de testam. num. 10. cum alijs, quos pro se congerit Albricius cit. cap. 3. Vers. Quidquid autem sit.*

Probant *primò*, quia *ex l. 21. cit.* in fine, in testamento minus solemni facto à patre inter filios, legata non debentur ab eo fa-

cta extraneis. *Secundò*, quia ius ciuile irritat contractus sine solemnitate factos, inter quas est legatum profanum. *Tertiò*, quia si sunt valida, maximè, quia sequuntur principale validum; sed hæc ratio non conuincit, quia accessorium sequitur principale non quò ad validitatem, sed quò ad conditionem. *Quartò*, immo sequeretur iuramentum cadens super testamentum, vel alium contractum ab ius inualidum non confirmare contractum, cum iuramentum sit accessorium, & contractus principale. *Quintò*, sequeretur legata pia, contenta in testamento facto sine solemnitate ad pias causas esse inualida, cum testamentum sit principale, & legatum accessorium.

Ad primum respondeo primò ibidem sermonem esse de institutione præcisè facta fauore filiorum, & extraneorum simul, sine scriptis, in sequenti verò *Auth quod sine*, decernitur valere testamentum factum, & scriptum à patre filijs institutis, & legata extraneis relicta, ergo valent legata profana in institutione pià, sicut valent in institutione paternà.

87 Ad secundum, nego legatum esse contractum, cum ex sua definitione constet esse donationem in testamento relictam quæ propriè contractus non est, de cuius naturâ est, vt sit irreuocabilis ex vnâ tantùm parte, legata verò vera quandocumq; reuocari possunt, sicut testamentum à quo pendent.

Ad tertium, natura accessorij est, vt sequatur principale quo ad valorem suum, cum aliud esse non habeat, nisi principalis.

88 Ad quartum, iuramentum in confirmatione contractuum non habet rationem accessorij, sed est causa legalis obligans iurantem ad sui obseruationem, iuxta dicta à Theologis cum *Sanchez lib. 3. cap. 22.* Non potest ergo habere rationem accessorij, cum causa non sit inferior suo effectu, sed vel æqualis, si sit vniuoca, vel maior, si sit æquiuoca, vt est iuramentum in ijs, quibus adijcitur. Modò legata testamentis adiecta nihil penitus operantur circa illa, sed res è contra se habet eò, quòd testamenta dant esse legaris.

Ad quartum, verum est, quòd nullo existente testamento simpliciter, & ex defectu formæ Iuris canonici sint quoq; inualida legata etiam pia, vt patet ex supradictis, in casu autem præsenti tenet testamentum pium, ergo, & legatum pium, & profanum, de quo agitur.

Quæres 21. An defectus loci, & temporis in testamento vitient legata in eo scripta?

89 ℞. Non vitiare defectum loci, neq; temporis, quia non sunt de essentià testamenti, proinde cum subsistat testamentum positâ legalizatione deputatorum, subsistunt quoq; legata quæcumq; præsertim pia. Ita *Alex. cons. 4. num. 15. vol. 7. Corneus cons. 307. num. 17. vol. 3. cum alijs Diana resol. 23. & 24. de testam.*

Quæres 22. An testamentum primum solemniter factum .i. cum omnibus requisitis iuris ciuilis, reuocetur per secundum minus solemne, idest factum ad formam iuris canonici?

℞. Affirmatiuè, quia secundùm testamentum validum infringit primum pariter validum, hòc enim ipsò, quòd primum non amplius est vltima voluntas, cum illi noua successerit sequitur, quod primum expirauerit, cum testamentum essentialiter sit vltima voluntas. Est communis *cum Molina tom. 1. tract. 2. disp. 153. Silu. V. testamentum q. 7. fine, de Lugo disp. 22. num. 270. Bonac. q. 1. de testit. p. 3. num. 16. cum alijs Diana resol. 26. de testam.* Quare legata quæcumq; etiam pia euanescent scripta in priori testamento, ex eâ communi ratione, quòd non valent legata etiam pia, quandocumq; nullum est testamentum, vel ex se, vel ex reuocatione. 90

Quæres 23. An testes in testamento siue iure ciuili, siue canonico sint necessarij non solùm ad probationem, sed etiam ad valorem testamenti tam pij, quam profani.

℞. Testes non solùm iure ciuili, sed etiam iure canonico duo, aut tres in quolibet testamento tam profano, quam pio sunt necessarij non solùm pro probatione, sed etiam pro valore testamenti ad formam capitis *Cum esses*; Non verò si testator ipse illud scribat, & subscribat, in quo pia causa instituitur. Est communis de *Lugo disp. 22. num. 266.* 91

Prima pars, quòd numerus testium septenarius sit etiam pro valore testamenti, probata manet supra, ita quòd defectu vnius testis sit nullum *l. si vnius ff. de testam. l. distantibus 22. C. eod.* ibi: *Ad efficiendam voluntatem adhibitis* .i. testamentum.

Secunda pars, quòd iure canonico requisiti sint pro valore testamenti cuiuslibet, probatur *ex cap. cum esses*, cum præscribantur pro formà quà non non seruatà corruat actus. Ita *Pasqualig. q. 260. in Centur. 3. num. 4. & 6. Couar. num. 8. in cap. Cum esses*. 92

Tertia, pars, quòd testes non sint necessarij ad valorem, sed tantùm ad probationem, quando testator proprià manu scribit, & subscribit testamentum, in quo instituitur pia causa; probatur ex *cap. Relatum*, vbi testes requiruntur ad probationem tantùm, ex illis verbis. *Quatenus cum aliqua causa talis ad vestrum fuerit examen deducta*, ex quibus verbis supponitur factum testamentum, *eam non secundùm leges, sed secundùm decretorum statuta tractetis, tribus, aut duob. testibus requisitis* cum scilicet examinatur scriptura testamenti, an sit eius, qui se subscripsit illius auctorem. In hoc casu ergo non sunt necessarij testes ad valorem, sed tantùm ad probationem, vt etiam probaui supra *q. 13. vers.* Textus iste. Ita *Rota par. 8. decis. 166. num. 4. & 19. cum alijs ibidem citatis, & à Gratian. cap. 605. num. 20.* 93

Quæ-

Quæres 24. An teſtamentum ore tenus factum obliget hæredes ad exequendam teſtatoris mentem tàm quò ad profana, quàm pia legata?

94 ℞. Si hæres proprijs auribus audiuit voluntatem teſtatoris, ſiue expresſè promiſerit exequi eius voluntatem, ſiue tacitè adeundo hæreditatem, tenetur in foro conſcientiæ, quia ſe obligauit altero ex dictis modis *de Lugo diſp. 22. num. 267.* Dixi, *in foro conſcientiæ*, quia cum in iuditio id non poſſit probari defectu teſtium, fruſtra recurritur ad Iudicem.

Quæres 25. An forma cap. *cum eſſes*, habeat locum in codicillis?

95 ℞. Affirmatiuè, quia codicilli ſunt partes teſtamenti, *Rota vol. 1. dec. 228. num. 1. Gratian. cap. 922. num. 20.* Pars autem regulatur ad rationem totius, cui dicitur ineſſe, ergo quidquid dictum eſt de teſtamentis locum habet in codicillis. Ita *Rota p. 9. dec. 312. num. 14. alijs citatis.*

Quæres 26. An legata expreſſa in teſtamento nutu facto; vel ad interrogationem; vel commiſſa alterius arbitrio, valeant præſertim pia?

96 ℞. Iure ciuili ſicut non valet teſtamentum illis tribus modis factum, *ex l. Iubemus 29. C. de teſt. & l. Illa 32. ff. de hared. inſtit.* Ita neq; legata in eis expreſſa; Iure verò Canonico valent teſtamenta, & legata in eis expreſſa pia, vt colligitur *ex cap. Cum tibi 13. de teſtam.* Teſtamentum ergo nutu factum cum legatis pijs valet, modò percipiatur quid voluerit ſignificare. Ita *Gloſ. in cit. cap. Tiraq. priuil. 8. Clarus V. Teſtamentum q. 6. num. 7. Barb. lib 3. de iure cap. 27. num. 97. & ad hoc caput.* Quò ad interrogationem, *Couar. ad dictum cap. num. 11. Verſ. Tertius Barb. hic. Diana reſol. 20. de teſtam. Verſ. Adde, Rota par. 9. dec. 288. num. 11.* Demum quò ad arbitrium alienum expresſè *cap. cum tibi, & omnes ibidem à Barboſa citati, Merlin. dec. 805. num. 10. Diana reſol. 20.* debet tamen clarè conſtare de prædictis circumſtantijs per teſtes legitimos, non enim credendum eſt aſſerenti talem in ſe tranſtuliſſe propriam voluntatem teſtandi, etiamſi teſtamentum ſit futurum in fauorem extraneorum, & non ſolùm pro ſe, cui tunc nullà ratione credendum.

Quæres 27. An teſtamentum factum coram Parocho, & duobus teſtibus, ſeu tribus ad formam cap. *cum eſſes*; vel à ſolo teſtatore ſcriptum, & ſubſcriptum ad formam alterius cap. *Relatum* ſit recognoſcendum, vt ſuum ſortiri poſſit effectum?

97 ℞. Affirmatiuè, quia ſcriptura, in qua exprimitur teſtamentum cum ſuis legatis eſt priuata, licet ſcripta à Præsbytero, qui tamen per hoc non dicitur Tabellio, *Rota p. 9. decif. 372. num. 34.* ac proinde recognoſcenda, *ex l. Inſtrumenta 5. l. Rationes 6. l. Exemplo 7. C. de probat.* & in formam authenticam redigenda, *ex l. Publicari 2. C. de teſtam.* In quà actione citandi ſunt intereſſe habentes, aliter non valet parte incitatà, *ex allatis à Genuâ lib. 2. de ſcript. priuatâ cap. 3. num. 39.* Et manifeſtè colligitur in terminis noſtris ex cap. *Relatum* illis verbis: *Cum aliqua cauſa talis .i. pia ad veſtrum fuerit examen deducta, eam tractetis tribus, aut duobus legitimis teſtibus requiſitis.* Illi enim teſtes, vt dixi: *ſub q. 20. Verſ. Tertia*, referuntur ad probandam, & recognoſcendam ſcripturam. Ita *Neuiz. conſ. 26. cum alijs Rota par. 6. dec. 126. num. 3.*

Quæres 28. Ad quem Iudicem pertineat hæc recognitio deducenda in formam autenticam?

98 ℞. Cauſa hæc cum ſit mixti fori, datur locus præuentioni, *ex allegatis à Ciarlin. cap. 21. num. 10. ex cap. Tua, Cap. Ioannes de teſtam. Barb. Allegat. 82. num. 13. & 14.* conſequenter Iudex Eccleſiaſticus poterit procedere in hàc causà pià examinando Parochum, & teſtes, recognoſcendo ſcripturam etiam contra laicum hæredem ex tali teſtamento, *ex eiſdem, & Rota par. 6. dec 126. num 6. ex Tiraquel. priuil. 149. Gutier. practic. cap. 44. n. 2. lib. 1.* iterum. *Ciarlin. cap. 28. num. 18.* plures referens. Et in hoc examine Iudex non ſolùm Eccleſiaſticus, ſed etiam laicus debet procedere ad formam iuris Canonici *cap. Cum eſſes, cap. Relatum, & cap. Cum tibi, de teſtam.* vt expresſè dicitur in cap. Relatum.

Quæres 29. An Parochus in teſtamento poſſit ſcribere legatum factum à Parochiano Eccleſiæ ſuæ?

99 ℞. Affirmatiuè, quia eſt intereſſe Eccleſiæ, & non proprium, ergo ei credendum, *ex cap. Cum inter 13. de ſent. & re iud. vbi Hoſt. Ioan. Andr. & alij cum Rota coram Merlino dec. 536.* Si pro ſe illud ſcribat, non valet, nec ei creditur, cùm agatur de proprio intereſſe, vt dicit ibidem Rota. Si ſit legatum miſſarum credendum eſt, quia tendit in cultum Eccleſiæ, honorem Dei, & ſalutem animæ.

CAPVT SEXTVM.

De Legatis Miſſarum.

SVMMARIVM.

1 *Vſus eſt in Eccleſiâ celebrandi miſſas legatorum pro defunctis.*
2 *Antiquiſſimus eum ipsâ Eccleſiâ natus.*
3 *Legatum miſſarum eſt ipſum onus celebrandi, non eius ſtipendium.*
4 *In legatis duo ſpectantur, onus celebrandi, & ſtipendium.*
5 *Legata aliàs vt plurimùm erant gratioſa ſine onere.*

6 *Legatum simplex, quod relinquitur à testatore extra limen fundationis iurispatronatus.*
7 *Conuentionale est illud, quod totum suum esse habet ex mutua obligatione inter viuentes.*
8 *Conuentio cum heredibus de salario non facit conuentionale quod erat simplex iam institutum à testatore.*
9 *Impositum à donatore simplex est, cum non sit mutua obligatio.*
10 *Legatum præsente legatario acceptante remanet simplex.*
11 *Est conuentionale, si testaturus conueniat ante super salario.*
12 *Alteratio stipendij non mutat legatum de simplici in conuentionale.*
13 *Non fit conuentionale si testator disponat, quòd non soluto stipendio, certus fundus transeat ad legatarium.*
14 *Legatum in limine fundationis est illud, quod propositum à testatore instituitur beneficium patronale ab Episcopo, & non ab alio. Dicitur dos Ecclesiæ.*
15 *Capellania alia Ecclesiastica ex fundatione beneficij, alia laicalis ex constitutione puri salarij.*
16 *In beneficijs attenditur vltimus status, quando ignoratur qualis fuerit ab initio.*
17 In limine fundationis *intelligitur de beneficio Ecclesiastico.*
18 *Ecclesia indotata in erectione, postmodum dotari potest.*
19 In limine fundationis *importat tantùm canonicam erectionem.*
20 *Legata alia perpetua, alia ad tempus determinatum.*
21 *Perpetuum dicitur tribus modis, vsq; ad centum annos, non habet locum in missis;*
22 *ad vitam hominis relictum vsq; ad finem mundi; & ita durant legata perpetua missarum.*
23 *Legata perpetua sunt vltra centum annos, quia eorum emolumentum non est vsusfructus, sed merces, & stipendium.*
24 *Omnia sub sole finem habent num. 22. Perpetuum tempus, quod durat in secula seculorum.*
25 *Capellania dicit onus celebrandi annuatim missas.*
26 Capellæ *nomine venit omnis Ecclesia.*
27 *Capellania Ecclesiastica est illa, quæ erigitur ab Episcopo cum onere celebrandi, & dicitur beneficium.*
28 *Episcopi solius auctoritate Capellania fit Ecclesiastica.*
29 *Ea soli clerico confertur.*
30 *Super præsentatione Capellani, & collatione nullum pactum.*
31 *Capellania laicalis, quæ à solo testatore erigitur, & confertur.*
32 *Dos dicitur respectu Ecclesiasticæ, non laicalis.*
33 *Capellanus beneficialis tenetur reparare Capellam, non laicalis.*
34 *Ille dicitur Sponsus suæ Capellæ, iste tantùm mercenarius.*
35 *Capellania laicalis est sub patrono, non sub Episcopo.*
36 *Capellania Ecclesiastica à solis Episcopo, vel Prælato confertur.*
37 *Laicalis ab alijs quoq; & potest esse patrimonium pro Clerico.*
38 *Laicalis de consensu Patroni potest conuerti ab Episcopo in benef.*
39 *In dubio sua fundationis censetur Ecclesiasticè fundata, etiam per vnicam collationem, aliter non.*
40 *Erectio Capellaniæ in beneficialem fit à solo Episcopo.*
41 *Beneficium onus habet adiunctum spirituale .s. celebrandi.*
42 *Regulares non possunt erigere Capellanias ecclesiasticas, sed tantum officiaturas recipere, seù capellanias laicales.*
43 *Beneficium Sacerdotale est illud, quod habet annexum onus celebrandi missam. Aiunt, esse illud, cui Sacerdos per seipsum seruire debet.*
44 *Conferri potest Clerico etiam prima tonsura.*
45 *Modo sit ingressus ad annum decimum quartum.*
46 *Faciens per alium dicitur facere per seipsum.*
47 *Testator requirens Sacerdotium exaudiendus est, ita quòd fiat Sacerdos infra annum.*
48 *Testator censetur se accomodare cum dispositione iuris.*
49 *Argumentum valet à Lege ad Testatorem.*
50 *Beneficia quecumq; conferuntur Clerico, modò infra annum fiat Sacerdos, licet per se debeat celebrare.*
51 *Capellanus tunc solùm per se celebrat, quando testator adiecit hanc clausulam.* Per seipsum celebret.
52 *In æquipollentijs reperitur nescio quid ambiguitatis.*
53 *Sacerdotale beneficium, cui personaliter tantùm inseruitur.*
54 *Cogi non potest Capellanus ab Episcopo celebrare per se, quando à testatore non fuit expressè obligatus.*
55 *Testator dat licentiam, vt possit etiam per alium celebrare.*
56 *Id facere non potest Episcopus, nec heredes, quando per se Capellanus commodè potest celebrare.*
57 *Testator potest obligare Capellanum reficere omissas ex quacumq; causa.*
58 *Vacatio in missis quotidianis semel in hebdomada ex quacumq; causâ honestâ conceditur.*
59 *Et eo die potest pro alio celebrare stipe acceptâ.* 60

60 *Procedit, siue obligetur personaliter, siue non.*
61 *Expressio eius, quod tacitè inest, non inducit nouam dispositionem.*
62 *Missæ ex non quotidianâ omissæ ex quauis causâ reficiuntur.*
63 *Etiam affixæ diei, licet non cateræ obligationes, vt ieiunij, officij, quia hæ non fundantur in obligatione Iustitiæ, sicut illæ.*
64 *Omissæ verò ex causâ infirmitatis à Beneficiario non reficiuntur à Mercenario post bimestre tantùm.*
65 *Infirmitas autem debet esse notabilis, ne possit nisi cum graui incommodo sui corporis accedere ad Altare.*
66 *Impedimentis alijs iustis excusatur à celebratione, & refectione.*
67 *Impeditus non dicitur, qui potest commodè remouere illud.*
68 *Excommunicatus excusatur non negligens absolutionem.*
69 *Non excusatur existens in peccato mortali, etiam carens Confessario, quia debet conteri.*
70 *Neque occupatus in Confessionibus, Concionibus, & Studijs.*
71 *Obligatus per se celebrare peccat mortaliter celebrans per alium.*
72 *Residentia non obligat in beneficijs simplicibus.*
73 *Capellanus etiam laicalis, qui celebrauit per alium, cùm teneretur per se, non tenetur quicquam restituere.*
74 *Vacatio in missis interpollatis non datur, nec mutatio diei in diem.*
75 *In die Natalis sufficit vna missa pro patrono. Et in die commemorationis defunctorum non est necessarium applicare pro testatore, sed pro omnibus indifferenter.*
76 *Celebrans illo triduo ante Pascha non tenetur pro patrono, vnde potest pro alio celebrare.*
77 *Nomine* diei festi *venit festum de praecepto, non ex deuotione.*
78 *Anticipari non possunt missæ affixæ certis diebus.*
79 *Plus dat, qui dat ante tempus. Qui tardius, minus dat.*
80 *Qui tardius soluit, minus soluit.*
81 *Peccat mortaliter non celebrans horâ præfixâ à testatore.*
82 *Peccat mortaliter contraueniens menti expressè testatori.*
83 *Peccat mortaliter celebrans vltra vicies in alio Altari.*
84 *Heredes non habent potestatem mutandi Altare Capellano.*
85 *Episcopus potest etiam sine hæredibus, si adsit legitima causa.*
86 *Vt si Altare sit reparandum, disacratum, interdictum &c.*
87 *Sine causâ nec Capellanus, nec Episcopus Altare mutare possunt.*
88 *In translatione non transfertur onus, quando in priori Ecclesiâ est sepulcrum, vel Capella testatoris.*
89 *Legatum absq; designatione loci debetur vbi testator sepelitur.*
90 *Legatum factum contemplatione Religiosorum totum transfertur ad secundam Ecclesiam.*
91 *Legatarius præsumitur minus grauari à testatore.*
92 *Expressio Ecclesiæ stat taxatiuè, cum ei factum fuit legatum, expressio verò Capellani demonstratiuè, & è contra.*
93 *Primâ Ecclesiâ destructâ, iura, & priuilegia transeunt ad secundam, sicut, & in translatione.*
94 *Non valens celebrare in vnâ Ecclesiâ celebret in aliâ.*
95 *Suffragium animæ est causa principalis, quæ perpetuò durat.*
96 *Celebrans extra locum designatum ad nullam tenetur restitutionem.*
97 *Simonia committitur, si pactum referatur immediatè in celebrationem, non autem relatum ad obligationem, & ad operas, & laborem.*
98 *Non celebrans in Altari designato, infidelis est, non contra iustitiam facit.*
99 *Nec in Altari priuilegiato potest celebrare, quando aliud signauit.*
100 *Procuratori assimilatur Capellanus.*
101 Si voluisset expressisset.
102 Noluit, quia non expressit.
103 *Missæ defunctorum non celebrantur in diebus dominicis, & duplicibus, nec diebus priuilegiatis, loquendo de priuatis.*
104 *In die obitus occurrentis in festis de præcepto cantatur missa.*
105 *Exceptis festis primæ classis, quæ omnia præseferunt magnam solemnitatem etiam Iouis, & Sabbati sanctorum.*
106 *Comparatiuum non tollit positiuum.*
107 *Cadauer debet esse tunc expositum in Ecclesiâ.*
108 *Corpus tunc est præsens cum apparet visibiliter in loco.*
109 *Tunc etiam missæ priuatæ dici possunt vt partes accessoriæ solemni.*
110 *In diebus sanctis Iouis, & Sabbati non possunt celebrari missæ nec solemnis, quia sunt magnæ solemnitatis, & lætitiæ.*
111 *Missæ solemnes anniuersariorum, & de diebus tertio, septimo, & trigesimo celebrantur in duplicibus non præceptis, in quibus præcedunt. vel postponuntur.*
112 *Missa priuata in rigore non debet dici in festo duplici ad instantiam viuorum pro mortuis.*
113 *Capellanus non tenetur dicere de mortuis in dominicis, & duplicibus, & priuilegiatis.*

114 *Mens testatoris interpretanda secundùm dispositionem iuris.*

115 *Testator non potest excludere leges à suo testamento.*

116 *Verba eius ita sunt intelligenda, vt non inferatur peccasse in factione sui testamenti.*

117 *Missam currentem celebrans satisfacit suæ obligationi.*

118 *Animæ defunctorum soluuntur oblatione, precibus sanctorum, elemosinis, & ieiunijs.*

119 *Missæ defunctorum magis prosunt quàm de viuis, sed nihilominus satisfit per æquiualentiam deuotionis, & sanctorum intercessionem.*

120 *S. Gregorij missæ celebrari possunt iuxta rubricas, debent tamen continuari, & ab eodem sacerdote celebrari.*

121 *Casus omissus relinquitur dispositioni iuris communis.*

122 Omnino *importat decretum irritans.*

123 *Licentia necessaria pro recipiendis legatis perpetuis missarum.*

124 *Decretum super licentià extensum.*

125 *Interdicti pœna ab ingressu Ecclesiæ contra recipientes onera perpetua sine licentià seculares tantùm.*

126 *Capsulæ auferendæ, nec restituendæ sub eisdem pœnis.*

127 *Regulares superiores, & consentientes receptioni missarum perpetuarum sine licentià sunt rei priuationis officiorum, inhabilitatis, & vocum, etiam priuati recipientes manuales non satisfacientes quamprimùm, id est, infra trimestre 137.*

128 *Regulares non sunt rei interdicti.*

129 *Tres sunt actiones pœnarum, receptio onerum perpetuorum sine licentià, elemosinarum manualium, & non ablatio capsularum.*

130 *Pœna interdicti statim incurritur.*

131 *Censuræ enim habent paratam executionem.*

132 *Pari passu illæ currunt.*

133 *Aliæ pœnæ incurruntur post sententiam.*

134 Absq; alià declaratione *non excludit declarationem criminis.*

135 *Absoluuntur, & dispensantur à suis Superioribus, factà satisfactione.*

136 *Pœnæ sunt reorum respectu missarum defunctorum tantùm.*

137 *Non possunt recipere manuales, nisi satisfecerint infra trimestre.*

138 *Episcopus, & Generales dant licentiam recipiendi onera perpetua, quando Sacerdotes habent non obligatas.*

139 *Aliter iniustè agunt, & damnificant animas defunctorum.*

140 *Legatum est meritorium, & satisfactorium tunc, cum quis moritur in gratià Dei, quamuis testatus sit in peccato mortali.*

141 *Testamentum morte confirmatur.*

142 *Dispositio spectatur pro eo tempore, pro quo confert suum effectum.*

143 *Testamentum morte testatoris perficitur, & absoluitur.*

144 *Obligatio missarum non præsumitur, licet pingues sint fructus.*

QVamuis legatum sit onerosum semper hæredi, cum illud soluere debeat legatario, cui est lucratiuum, priuando se illo emolumento, nihilominus quandoq; etiam legatario est onerosum, dum illi imponitur aliquid exequendum, & hoc contingit in legatis missarum, & anniuersariorum, quę imponuntur Ecclesijs, & de his hìc agendum.

Quæres 1. An in Ecclesià Dei sit ius apud fideles quoscumque actiuum onerandi Ecclesias ad celebrandum diuina officia, & missas; & passiuum apud Ecclesias recipiendi huiusmodi onera cum suis stipendijs, & emolumentis.

℞. Affirmatiuè, vtrumq; ius innatum esse 1
Ecclesiæ ab origine mundi, nam filij Adam obtulerunt munera Domino *Gen.* 4 4. Melchisedec obtulit panem, & vinum, *ibid.* 14. 18. Iudas Machab. vt legitur *lib. 2. cap.* 12. 43. duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolimam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium; vnde *in cap Animæ* 22. 13. *q.* 2. dicitur, quòd animæ defunctorum quatuor adiuuantur, orationibus, & sacrificijs Sacerdotum, aut Precibus Sanctorum, aut Ieiunijs, & elemosinis cognatorum. & refert *cap.*
Cum creatura 11. *de celebr. missar. Glos V. Pro* 2
anniuersarijs. Vsus ergo legatorum in Ecclesià Dei pro defunctis existit; de fide tenendum, & nullus contradicit.

Quæres 2. In quo consistat ratio legati missarum? In onere celebrandi, an in stipendio dato pro onere, & labore celebrationis?

℞. Ratio legati missarum consistit in onere 3
celebrandi, non in stipendio, quia legatum specificatur non à stipendio, sed ab ipso onere, à quo appellatur onerosum, nam hoc est causa illius, ac proinde non potest illi dare esse, cum causa det esse effectui, & non effectus causæ. Confirmatur, quia onera missarum reducibilia sunt, posita exiguitate stipendij, & non ipsa stipendia, ergo in illis consistit ratio legati, & non in istis.

Dices, contrarium colligi ex definitione legati, quod est donatio quædam relicta à testatore soluenda ab eius hærede, vnde importat diminutionem hæreditatis; sed onus hoc non est donatio, nam hæc vtilis est legatario lucranti rem legatam, sed grauamen impositum legatario; nec importat hoc onus de se diminutionem, nisi per reductionem missarum ad fauorem legatarij tantùm, nihil diminuendo de bonis hæreditarijs, ergo ra-

tio

tio legati non consistit in onere missarum, sed in stipendio, solent enim testatores legata sic exprimere, lego centum, lego domum, lego fundum cum onere tot missarum, in his ergo rebus consistit legatum, cui adiungitur onus celebrandi.

Resp. Argumentum procedere de legatis sine onere; cum enim in illis nihil reperiatur præter rem legatam, ideo ipsa est legatum, & materia, quam respicit ratio legati, nihil
4 enim aliud ibi est considerandum. In legatis verò onerosis alia est ratio ineunda, dum in illis duo spectantur onus, & salarium, in eo sita est ratio legati, in isto tamquam in suo effectu spectatur merces oneris exerciti, in tantùm enim datur merces, in quantùm operans illam meruit. Nec obstat conceptus verborum, per quæ ratio legati tribuitur rei relictæ, quia non est attendendus ordo verborum, sed eorum sensus, poterat enim testator suum legatum sic scribere, lego missam quotidianam Ecclesiæ N. præcipiendo, & obligando
5 meos hæredes ad dandum &c. Nec mirum, est iura referre mentes testatorum è contrario, quia illis temporibus antiquis magis erant in vsu legata gratiosa, quam onerosa, ideo aliter loqui non poterant, quem modum loquendi, etiam nostri obseruantes non mutant naturam legatorum, quæ sunt onerosa.

Quæres 3. Quid sit legatum missarum simplex, conuentionale, & in limine fundationis? Facit ad intelligentiam reductionis missarum, nam S. Congr. reductionem simplicium legatorum committit, aliorum verò solus Papa, & sic seruat stilus Curiæ.

6 ℞. Primò simplex legatum est illud, quod relinquitur à testatore extra institutionem iurispatronatus cum onere celebrandi diuina officia, missas, anniuersaria, vel elemosinas distribuendi inter pauperes, vel faciendi quoduis aliud opus bonum, assignato salario, vel non assignato, sed assignando ab hæredibus, vel executoribus testamentarijs. Assignatio autem facta ab illis Ecclesiæ legatariæ, vel alteri volenti accipere onus celebrandi, non mutat naturam legati simplicis, etiam inita conuentione inter partes, quia illud iam supponitur in suo esse formali simplicitatis, & salarium, seu stipendium stabilitur inter partes, ac proinde tamquam illius effectus nullum esse illi dare potest, nec transfere in aliam speciem, sed illi accidit in rationem mercedis dandæ celebranti.

Confirmatur, quia illud pactum inter hæredes, vel executores, & Ecclesiam non est propriè conuentio specificans legatum conuentionale à simplici, cum illud intercedat inter viuentes simul ponentes onus, & stipendium, quæ antea non extabant, pactum verò hoc super stipendio supponit legatum celebrandi iam institutum, & perfectum in seipso, cui necesse est, vt accedat stipendium, de quo sit stipulatio inter partes, quorum vna nempe hæres cum repræsentet personam testatoris iam defuncti, sequitur stipulationem, & conuentionem huiusmodi non esse propriè legatum conuentionale, cum tunc non sit creatum, nec inter viuos formaliter spectatos initum, cum hæres non agat negotium viuentis, sed defuncti, proinde idem est, ac si ipse testator in suo testamento salarium determinasset, in quo huiusmodi determinatio virtualiter, & implicitè continebatur, stipendium enim sequitur onus. Et ita ex me docet *Pasqual. de sacrif. Missæ q.* 1173. *num.* 2. aliâ ratione, quia determinatio salarij non dependet à conuentione partium, sed ab Ordinario, ad quem spectat determinare salarium missæ non determinatum à testatore, vt respondit S. C. ad quintum dubium super Decretis *de celebr. missar.* Sed quandoq; accidit determinatio eius inter partes sine interuentu Ordinarij, maximè apud Regulares, ideo prior ratio est vniuersalior, cum ergo pactum conuentionis non det esse legato, sed illud supponat, remanet legatum in sua simplicitate, quâ primò à testatore institutum fuit.

℞. Secundò, conuentionale legatum est 7
illud, quod totum suum esse recipit ex mutuâ, & simultaneâ partium conuentione, inducente vtrimq; obligationem eo ipso inter viuentes circa susceptum onus celebrandi, ex parte Ecclesiæ, & salarium tribuendum ex aliâ parte.

Ex hac descriptione *Pasqual. q.* 1173. approbat nonnulla à me determinata *resol.* 25. & sunt sequentia,

Primò, quòd onus missarum à testatore im- 8
positum non est conuentionale, sed simplex, licet legatarius cum hæredibus conueniat in determinatione salarij, quia pactum hoc non dat esse legato, quod iam erat institutum. *Pasqual. ea q.* 1173. *num.* 2. *ego num.* 40.

Secundò, quòd onus impositum à dona- 9
tore, licet rem donatam cum onere acceptauerit donatarius, quin acceptatio non habet rationem simultaneæ obligationis, nec dat esse legato; sed illud supponit cum donatione, *Pasqual. num.* 3. *Ego num.* 44.

Tertiò, si legatarius præsens testamento ac- 10
ceptet legatum, dum scribitur testamentum, adhuc est simplex, quia acceptatio non dat esse legato, sed illud supponit ex testamento; & præterea inde non oritur mutua obligatio, cum testator possit recedere à sua voluntate faciendo aliud testamentum, primum cassando cum legatis, immò censetur cum illis reuocatum, vt dixi *cap.* 1. *num.* 166. *Pasq. num.* 4. *Ego num.* 42.

Quartò, onus est conuentionale, si testa- 11
tor ante factionem testamenti conueniret cum legatario de quantitate salarij pro onere missarum se inuicem obligantes, quia reuerà contractus est mutuus, & simultaneus inter vi-

viuentes, in quo legatum missarum simul recipi esse cum illis obligationibus. Nec obstat, quod posteà redigatur testamentum in scriptis, quia testamentum non constituit legatum, sed supponit factum iam inter viuentes alio præcedenti eloquio etiam verbali tantùm. *Pasqual. num. 6. Ego num. 45.*

12 Quintò, si inter partes altercetur stipendium, vel res tradita pro perceptione fructuum salarij, adhuc legatum remanet simplex, quia per eam alterationem dum, mutatur res, vel alteratur stipendium, non variatur legatum, cum aliud sit stipendium, seù res stipendij, & legatum ipsum, vt probaui hic q. 2. Docui oppositum *num. 44.* & sequitur *Pasqual. num. 8.* eà ratione, quia non suscipitur onus secundùm dispositionem testatoris, sed secundùm aliam nouam, & diuersam ex conuent one partium, quod arguit mutationem simplicis legati in conuentionale. Sed id non obstat, quia alteratio huiusmodi facta in stipendio, seù in re stipendiatà non se extendit in legato missarum, cum omnino maneant eædem.

13 Sextò, legatum non est conuentionale, si testator disponat, quòd non soluto stipendio, certus fundus transeat ad manus legatarij, quia vnum stipendium, seù vnus fundus loco alterius non mutat legatum, sed ipsummet mutatur; & prætereà est executio mentis testatoris, non constitutio noui legati.

14 ℞. Tertiò, legatum in limine fundationis, quod voco Beneficiale, est illud, quod propositum à testatore instituitur auctoritate Episcopi in fundatione Ecclesiæ, seù Capellæ, cuius beneficium dicitur collatiuum, & in titulum datur ab Episcopo, vel alio Prælato alicui Clerico, & appellatur huiusmodi legatum dos Ecclesiæ, seù Capellæ, & Altaris. Illud autem verbum in limine fundationis refertur non tantùm ad ipsam Ecclesiam, seù Altare, quàm ad ipsum beneficium dotem ipsius Ecclesiæ, seù Capellæ, & Altaris. Potest enim dotari Altare vetus carens dote. Positâ ergo approbatione Episcopi huiusmodi beneficiorum patronalium, quæ conferantur ab eodem Episcopo, vel alio Prælato tùm seculari, tùm regulari cum suo titulo, dicitur ea dos legatum in limine fundationis.

Et pro eius rei confirmatione sciendum est, quòd quibuscumq; oneribus missarum satisfit per sacerdotes, qui dicuntur capellani, & officium eorum appellatur capellania; est autem duplex capellania, vna Ecclesiastica, altera laicalis. Ecclesiastica autem dici-

15 tur illa, quà clericus beneficiatus inseruit per se, vel per alium suæ Ecclesiæ, vel capellæ, in quà per collationem institutus fuit ad celebrandum missas cum iure percipiendi fructus sui beneficij, & hoc onus celebrandi dicitur propriè impositum in fundationis limine, quando scilicet fuit dotata Ecclesia, vel capella auctoritate Episcopi. Laicalis verò capellania est illa quæ sine auctoritate Episcopi à quolibet institui potest laico, clerico, immo ab ipso Episcopo, quam censetur instituisse, si non visus fuit formâ ordinariâ institutiuâ beneficij collatiua in titulum. De hac duplici capellaniâ *Gonzal. Glos. V. præsertim num. 3. Castropal. de benef. disp. 1. p. 6. per totum, Gratian. cap. 397. num. 74.*

Legatum igitur factum cum onere celebrandi missas per Sacerdotes eligendos ab hæredibus, non est beneficium Ecclesiasticum, sed laicale, dum ab initio non interuenit auctoritas Episcopi erigentis illud in beneficium formale vt firmat *Rota par. 5. Recent. tom. 1. decis. 238. num. 2.* Doctoribus citatis. Nec euadit beneficium, si post fundationem quandoq; Episcopus instituat capellanum, quia in iudicandâ qualitate beneficij attenditur tantùm factum fundationis, & erectionis illius, *cap. Porro, de priuileg. ex eâdem Rota num. 3.* Nec obstat, quòd in beneficijs attendendus sit vltimus status, *ex cap. cum de beneficio, de præbend. in 6.* quia id procedit in re dubiâ, non in re certâ, cum clarè constat de anteriori statu laicali, *ex adductis à Rota ibidem num. 4. & 5.* 16

Quare huiusmodi capellaniæ in exercitio celebrationis missarum quotidianarum, vel mensualium, quando non habent adiunctam rationem beneficij defectu auctoritatis Episcopi, non dicuntur esse in limine fundationis, cum non sint beneficia, neq; propriæ dotes Ecclesiarum, seu capellarum, sed simpliciter salaria, & stipendia Sacerdotum celebrantium. 17

Et quòd beneficia laicalia, & huiusmodi Capellaniæ sint exclusa à limine fundationis Ecclesiasticæ probatur, quia aliter omnia legata dicerentur esse in limine fundationis, dum omnia habent limen fundationis suæ, cum de non esse transeunt ad esse. Cum ergo omne legatum habeat suum initium in limine fundationis, hæc verba non sunt generaliter accepta, sed prout restringuntur ad fundationem factam auctoritate Episcopi erigentis legatum, seu dotem in beneficium Ecclesiasticum sub titulo alicuius Sancti. Hæc dixi pro intelligentiâ primi Decreti de celebr. missar. vbi Episcopis prohibetur reductio missarum in limine fundationis scilicet beneficiorum impositorum. Ita docet *Fraxin. sect. 7. Remed. §. Vlt. num. 5. & 6. Vers. Beneficij autem, & num. 12. Miranda tom. 1. q. 41. art. 24. Tambur. tom. 2. disp. 5. q. 10. Vers. Stante, & num. 5.*

Quòd si extet Ecclesia, vel Capella indotata, & quis velit eam dotare, & sibi facere iuspatronatum, id auctoritate propriâ facere non potest, sed ad hoc debet implorare auctoritatem Episcopi, qui legatum erigat in beneficium collatiuum, patrono præsentan- 18

tes

te; & in hoc casu onus impositum missarum dicitur in limine fundationis positum, quia fingitur ab initio dotata, retrotrahitur enim ad tempus fabricatæ Ecclesiæ, & id ad fauorem Ecclesiæ, quæ sine dote non debet erigi, & si malè fuit fundata, hoc modo ei succurritur, & dotans sit patronus, *Ioan. Andr. in cap. 1. apud Fagnanum ad cap. Quoniam, de iurepatr.*

Pasqualigus *quæst.* 1171. sub illis verbis *in limine fundationis* comprehendi vult etiam Capellaniam non Canonicam, & probat, quia verba legis accipienda sunt secundùm latam suam significationem propriam, citatis legibus, & Doctoribus; sed fundatio secundùm propriam significationem non solùm dicitur de fundatione Canonicâ, quæ fit de consensu Episcopi, sed etiam de fundatione laicali, ergo vtrumq; comprehendit. Confirmat, quia ad saluandam rationem fundationis sufficit, si erigatur fundus, & destinetur pro Capellano.

Contra est, quia hæc generalis ratio fundandi reperitur etiam in omnibus alijs legatis tam simplicibus, quam conuentionalibus, cum habeant initium suæ fundationis à dispositore, ergo ab eis non differt hoc tertium genus legatorum. Et cum omnia legata habeant suum fundum, nullum erit reducibile per Episcopum neq; simplex, contra illud primum Decret. de celebratione missarum. Ad euitanda ergo hæc inconuenientia, dicendum
19 est sub illis verbis *in limine fundationis* venire tantùm Canonicam fundationem, in odiosis enim verborum significatio restringenda est, ne auctoritas iure communi competens Episcopis destruatur per latam verborum significationem, quæ in materia præsenti est potius impropria, quam germana, & propria.

Quæres 4. Quot sunt genera legatorum missarum in ordine ad tempus, quo illis est satisfaciendum?

20 ℞. Duo sunt genera legatorum de missis, nam alia sunt perpetua, quæ certum finem non habent in sua obligatione, quæ durat vsq; ad finem mundi. Alia verò tempore præfiniuntur certo, & vlterius eorum obligatio non extenditur, sed tempore præfinito extinguitur. Pro vberiore rei intelligentiâ,

21 Notandum est, quod licet sub sole nihil sit perpetuum, *Eccles.* 2. 11. *Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem, & nihil permanere sub sole. Sapient.* 14. 13. *Neque erunt in perpetuum, l. Cum debere* 32. *ff. de seruit.* omnia enim finem habent, tamen aliquid dici potest perpetuum in quantùm certum finem non habet, & in hoc sensu, ad nostrum propositum *Perpetuum* dici potest tribus modis.

22 *Primò* Perpetuum dicitur aliquid vsq; ad centum annos, vnde legatum vsusfructus factum communitati, quæ nunquam moritur dicitur perpetuum, & durare tantùm per centum annos, *l. an vsusfructus* 63. *ff. de vsufructu, & quemadmodum*, vbi redditur ratio, quia sicut hominis vita durans per centum annos longeua dicitur, ita fruitio legati licet facti communitati, quæ nunquam moritur, censetur longæua, & sufficient hominibus, qui vltra centum annos non viuunt, in quorum gratiam factum est legatum, mensuratur ergo homo politicus homini singulari ad hunc effectum, vt cum eo extinguatur vsusfructus. Et *in l. si vsusfructus* 8. *ff. de vsufr. legat.* ad id redditur alia ratio, quia inutilis foret proprietas domino, si nunquam fructus cum proprietate coniungeretur pro domino. Vide *cap.* 1. *hic num.* 39. *& Alex. lib.* 1. *consf.* 60. *Ruin. lib.* 4. *consf.* 143. *col.* 4. *Nattam. tom.* 4. *consf.* 67. *num.* 31. An autem hæc per- 23
petuitas centum annorum locum habeat in legatis missarum. Dic pro nunc negatiuè, quia in legatis missarum non spectatur vsusfructus, sed stipendium celebrationis. Pro quâ re vide *Ciarlin. cap.* 143. vbi latè de hac re, & ego dicam infra in *cap.* de cessatione legatorum.

Secundò perpetuum dicitur, quod durat ad vitam hominis, cum enim dies mortis hominis sit omnino incertus, non potest dici habere certum finem vitæ suæ, limitatum ad tot annos, quod solùm cognoscitur morte adueniente. *Glos. V. perpetua cap. hoc ius* 2. 10. *q.* 2. *ex l.* 1. *ff. pro laico, Glos. V. perpetua .i.* donec vixero, *cap. si gratiosè* 5. *de rescr. in* 6. *& cap. fin. eod. & V. perpetuum cap.* 17. *de elect. in* 6. *Barb. hac dict.* 254. *num.* 6. Quare legatum missarum celebrandarum à tali Sacerdote præcisè dicitur perpetuum, & esse celebrandas vsq; ad eius mortem, nisi aliter dixerit testator.

Tertiò dicitur perpetuum, quod durat vsq; 24
ad finem mundi, ita quòd vlterius durare non possit, cum tunc omnia sub sole finem accipiant; extenditur ergo hoc tempus vsq; in infinitum, & in sæcula sæculorum præsentis temporis duraturi vsq; ad diem iudicij, quo omnia hominum negotia cessabunt. *Perpetuum* ergo importat tempus in secula seculorum, *Paris. vol.* 2. *consf.* 30. *num.* 24. *Ancebar. q.* 72. *num.* 10. *&* 13. *apud Barbosam hic num.* 3. Quare missa quotidiana, vel hebdomadalis, aut mensibus singulis celebranda exigit hanc perpetuitatem in secula seculorum, quando non fuit limitatum tempus per tot annos à testatore.

Quæres 5. Quotuplex sit Capellania in ordine ad celebrationem missarum?

℞. Capellania importat onus, & obliga- 25
tionem celebrandi annuatim missas, nomine accepto à capella, in quâ missæ celebrantur, quo vocabulo omnis Ecclesia est nuncupabilis etiam parochialis, ex allatis à *Gonzal. Glos.* 26
5. *super* 8. *regul Cancell. num.* 62. Est autem Capellania duplex, vna Ecclesiastica, altera laicalis,

laicalis, de quibus aliquid tetigi supra *num.* 15. hic latius dicendum est.

27 Capellania Ecclesiastica est illa, quæ ab homine instituta cum obligatione missarum, ab Episcopo erigitur in beneficium Ecclesiasticum, collatiuum, vel ab ipso Episcopo, vel ab alio Prælato Ecclesiastico, præsentante, seu nominante Patrono per se, vel alios iuxta eius dispositionem, clericum, qui per se, vel alios celebret missas, gratis conferendum sine pretio, & pacto, cum sit Capellania spiritualis, & beneficium Ecclesiasticum, & Capellanus nominatus, cui fuit collata, acquirit ius consequendi fructus talis beneficij pro sustinendo onere celebrationis.

28 Erectione igitur per Episcopum factâ euadit beneficium, quod solet vocari iuspatronatus, *Rota apud Farinac. par. 2. tom. 1. decis. 254. num. 1. & p. 5. Recent. tom. 1. dec. 238. num. 2.* Quòd si in principio hæres non curauit, vt erigeretur ab Episcopo in Capellaniam Ecclesiasticam, potest is defectus suppleri ab eo, cuius auctoritate euadit Ecclesiastica, licet ab initio talis non fuerit, vt docent *Rebuff. in praxi benef. tit. de dispens. ætat. num. 6. Perez de anniuers. lib. 1. cap. 2. num. 50. Pasqual. q. 1116. num. 2.* Rota præcitata negat fieri Capellaniam Ecclesiasticam per solam institutionem Capellani, quia id non est supplere defectum erectionis, quæ extare debet, vt fieri possit collatio propriè dicta.

Ab Ecclesiastico tantùm à testatore nominato, & non à laico conferri potest, cum collatio sit actus merè spiritualis fundatus in iurisdictione Ecclesiasticâ, cuius est incapax laicus, competens soli Ecclesiastico. Ita *decis. 254. citatâ, num. 1. Guidop. dec. 187. Pasq. q. 1116. num. 4.*

29 Soli quoq; Clerico à patrono præsentato conferenda est, quia cum sit beneficium, conferenda est solis beneficiorum capacibus, cuiusmodi sunt solùm Clerici. Ita *Viuian. lib. 6. de iurepatr. cap. 5. num. 136. Riccius par. 4. resol. 13. Pasqual. q. 1116. num. 4.*

30 Super eius præsentatione, aut collatione nullum pactum, nullus actus simoniacus fieri potest, cum sit beneficium, quod datur sine aliquo simoniæ vitio. De præsentante docet *Castropal. de simon. p. 14. & de Benef. tract. 13. disp. 3. p. 1. Palud. in 4. dist. 25. q. 5. art. 2. S. Bonau. ibidem art. 1. q. 3. Suar. tom. 1. de Relig. cap. 28. num. 13. & 17. cum eis Layman lib. 4. tract. 2. cap. 13. num 21. & tract. 10. de simon. num. 47. & 58.* de beneficijs sine pactis conferendis.

31 Capellania verò laicalis, hoc est, non Ecclesiastica, instituta solùm à testatore, vel alio, sine auctoritate Episcopi, est illa, quæ consistit tantùm in assignatione salarij, & stipendij dandi ab ipso hærede testatoris, vel à quocumq; alio, Capellano electo ad celebrandum. Et ex dictis patet differentia inter vtramq; Capellaniam, quæ potissimùm cognoscitur ex fundatione factâ, vel non factâ ab Episcopo, ad quem spectat, vel ad alium Prælatum collatio Capellaniæ Ecclesiasticæ, quæ ideo vocatur collatiua, & ex obiecto, quòd ex collatione, Capellano acquiritur ius 32 ad fructus beneficij, in quo eius consistit dos, in laicali verò dos non dicitur dari, sed solùm stipendium laboris celebrantis, vnde Capellanus beneficialis ex superfluis tenetur reparare Capellam, quæ eius est sponsa, laicalis 33 verò nequaquam, cum eius salarium non superabundet, sed æquale sit labori; & præterea ille dicitur sponsus suæ Capellæ, non verò iste, qui est tantùm mercenarius conductus ad celebrandum. *Capella Tolos. dec. 400. Genuens. in praxi cap. 92. num. 13. Riccius par. 4. resol. 553. ex illis Pasqual. q. 1116. num. 4.* 34

De hac duplici Capellania *Gonzal. glos. 5. à num. 20. Layman. lib. 4. tract. 2. cap. 5 fine, Suar. tom. 2. de Relig. lib. 4. de orat. cap. 22. num 11. Castropal. de Benef. disp. 1. par. 6. Rota p. 2. dec. 254. & par. 4. tom. 1. dec. 571.*

Non nulla dubia oriuntur *Primò* an testator, vel institutor Capellaniæ laicalis possit adijcere conditionem prohibendo, ne Episcopus eam transferat in Ecclesiasticam? *Secundò*, à quò nam sint conferendæ? *Tertiò*, an de consensu patroni possit ab Episcopo erigi in Capellaniam beneficialem? *Quartò* in dubio an potius censenda sit Ecclesiastica, quam laicalis? *Quintò*, an Capellania à Prælato regulari, vel sæculari de laicali erigi possit in ecclesiasticam?

Primò respondetur, institutorem, qui voluit Capellaniam fore perpetuò laicalem, statuere potest, ne Episcopus in eâ se ingerat, 35 relinquendo eam sub dispositione suorum hæredum. Ita *Couar. par. 2. cap. 3. § 1. num. 20. Gonzal. glos. 5. num. 41. & colligitur ex sess. 22. cap. 9. Castropal. disp. 1. de benefic. p. 6. num. 7.* Dixi qui voluit Capellaniam esse laicalem, quia si instituit eam fore Ecclesiasticam, in nullo potest excludere Episcopum, cùm implicet, quòd velit capellaniam ecclesiasticam cum exclusione Episcopi, sub cuius potestate necessariò sunt beneficia ecclesiastica, quæ solâ institutione Canonicâ fundantur, *cap. Beneficium 1. de Regul. iur. in 6. ex* eisdem Doctoribus.

Secundò, Ecclesiastica Capellania ab Episcopo, vel alio Prælato ab institutore nominato confertur, laicalis verò etiam à laicis, & quibuscumq; alijs ab institutore nominatis, vt dictum fuit supra. Collata autem à laico, vel etiam à Clerico laicalis numquam per hoc transit in beneficium, quia deest Canonica institutio. Potest verò habere rationem patrimonij, ad quod Acolytus ordinari potest, ab eâ tamen sic ordinatus remoueri non potest nisi ad formam Tridentini *cap. 2. sess. 21.* ibi: *sine licentiâ Episcopi alienari, aut extingui,* 37 36

gui, vel remitti nullatenus possit, donec beneficium Ecclesiasticum &c. Garzias par. 7. de benef. cap. 1. num. 107. Castropal. num 6. contra quamplures *allegatos à Barb. 19. num. 25.* Ego puto omnino ordinari posse, si patronus instrumento promittat, se non esse ipsum remoturum à Capellaniâ.

38 Tertiò, certum est, laicalem Capellaniam de consensu Patroni conuerti posse in Ecclesiasticam, & fieri beneficium, dummodo institutor expressè hoc non prohibuerit, quia id est Ecclesiæ fauorabilius, & melius conseruatur in suâ perpetuitate. Ita *Gonzal. glos. 5. num. 58. Garzia par. 1. de benef. cap. 2. num. 108. Castropal. p. 6. num. 3.*

39 Quartò, in dubio an ab initio fundata fuerit vt Ecclesiastica, an vt laica, si nihil constat, habenda est pro Ecclesiasticâ, maximè si constet de aliquâ collatione factâ ab Episcopo, vel alio Prælato, licet quandoq; patronus dederit Capellaniam, quia non est præsumendum Prælatum sibi vsurpasse ius alienum. Ita *Merlin. dec. 501. num. 7. Rebuffus de pacificâ possess. num. 349. Perez. de Lara lib. 2. de Capell. cap. 1. num. 54. & 58. Garz. part. 1. de benef. cap. 2. num. 113. ex illis Castropal. p. 5. num. 2.* & sufficit vnica collatio *ex eodem Rebuffo, & Crescentio dec. 12. de probat. Vivian. lib. 1. cap. 1. num. 134.* Quare si non constet de fundatione authoritate Episcopi, neq; de collatione ab eo factâ censenda est Capellania laicalis. *Gonzal. glos. 5. num. 57. Castropal. cit.*

40 Quintò, vt beneficium dicatur Ecclesiasticum necessarium est, vt sit erectum ab Episcopo cum titulo, hoc est, sub inuocatione alicuius Sancti, cùm enim sit ius spirituale percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ iam factis per talem erectionem, necesse est, quòd Episcopus rem de laicali, suâ deputatione faciat Ecclesiasticam, & spiritualem vt deinde possit conferri canonicâ institutione alicui Clerico. Quòd hanc erectionem faciant Episcopi docent *Castropal. de benefic. disp. 1. p. 1. num. 3.* quia ipse solus habet potestatem sacrandi fructus *per cap. ad hæc 4. de relig. domib.* Mar. Anton. *lib. 1. resolut. 112. casu 53. vers. tertio, ubi vers. Tamen,* dicit, quòd terræ numquam faciunt beneficium, nisi concurrat titulus perpetuus, & onus spirituale adnexum, *ex Cassador. dec. 3. de præbend. num. 34.* hoc est obligatio recitandi diuinum officium, quia beneficium datur propter officium, *cap.*

41 *fin. de rescr. in 6.* Bene Viuian. *lib. 1. cap. 1. num. 61. Glos. 1. cap. si beneficiorum 2. Clem. de decim. in fine, ex cap. quæsitum 1. q. 3. cap. penult. de præbend.* Illud ergo propriè est beneficium, quod in limine fundationis erectum est ab Episcopo, cum obligatione recitandi officium diuinum, *ex citato cap. fin. de rescriptis in 6.* conferendum solùm clericis, *cap. cum adeo, de rescr. ibidem Glos. nec clericus i-*

à solo Episcopo, vel alijs Prælatis ad mentem patroni, non ad tempus, sed perpetuò ad vitam beneficiati, *cap. sanctorum dist. 70.* apud dictum Viuianum, *à num. 61. ad 66. ex consil. 47. Abbatis part. 2.* Itaq; Prælati Regulares non possunt erigere Capellanias beneficiales, seu beneficia Ecclesiastica, cum id sit proprium Episcoporum, ac proinde in eorum Ecclesijs officiaturæ erunt simplices Capellaniæ quibus correspondent annua stipendia sine vlla spiritualitate officij, aut tituli beneficij nisi ex episcopali erectione. Hoc dixi ad confirmandum, quæ dix sub q. 3. Capellanias apud Regulares institutas ex legatis, non venire sub illis verbis *in limine fundationis*, quæ restringuntur ad beneficia propriè dicta, erecta scilicet authoritate Episcopi. 42

Quæres 6. De Beneficio, seu Capellaniâ Sacerdotali *Primò* quid sit beneficium Sacerdotale? *Secundò*, an conferri possit non Sacerdoti? *Tertiò*, an Capellanus possit satisfacere celebrando per alium?

Primò, beneficium Sacerdotale est illud, quod habet adnexum onus celebrandi, vt patet ex adiuncto, ex quo enim nullus potest celebrare missam, nisi sit Sacerdos, hinc est, quod beneficium vocatur Sacerdotale. Hæc definitio est vera, & germana ex vi sui vocabuli, licet omnibus non placeat dicentibus illam esse Capellaniam Sacerdotalem, quando in eius fundatione dictum fuit, quòd conferri debeat Sacerdoti, qui per seipsum celebret missas. Ita *Decius cons. 129. num. 5. Gonzal. glos. 5. num. 75. & 100. apud Vivian. lib. 1. cap. 1. num. 98. Ciarlin. cap. 38. num. 15. Gratian. cap. 133 num. 10.* Rota coram Pamphilio cuius decisionem extendit *M. Anton. lib. 1. resol. 4.* dicit, Capellaniam non esse Sacerdotalem, quando ex verbis fundationis non adstringitur Capellanus ad celebrandum per seipsum. Sed hæc non obstant nostræ definitioni, *Glos. siquidem V. Annexi Clem. 2. de ætate* vocat Sacerdotale beneficium, quod habet annexum ordinem Sacerdotalem, & ita docet *Fagnan. ad cap. Vt Abbates de ætate num. 61.* subdens, ex eo, quòd Capellania est Sacerdotalis non benè infertur, ergo obligat Capellanum ad celebrandum per se ipsum. Itaque supradicti Doctores non attendunt ad definitionem, sed ad eius certum effectum, quòd Capellania Sacerdotalis constringat Capellanum ad celebrandum per se ipsum, sed reuerà id bene ex eo colligi non potest, sed ex tenore verborum disponentis, obligatio personalis Capellani colligenda est, vt probatur in sequentibus. 43

Secundò, Capellania Sacerdotalis ab Episcopo conferri potest Clerico etiam primæ tonsuræ, modò inchoauerit decimum quartum annum ad formam Tridentini *sess. 23. cap. 6.* nisi fundator petat, quòd Capellanus sit Sacerdos, quia tunc seruanda est mens 44 45

fundatoris. Illius ratio est, quia in tali casu
potest celebrare per alium, iuxta *Reg.72.in 6.*
per se enim videtur facere, qui per alium ex-
46 pedit negotium. *Facit lex 1. §. Omnia nostra
facimus, quibus auctoritatem nostram impar-
timur C. de iure veter. enucl. ita docent Barb.
allegat. 24. num. 43. cum Garzia par. 7. de Be-
nef. cap. 1. num. 85. Castropal. disp. 1. de Benef.
p. 6. num. 18: Moneta cap. 10. num. 140. & 143.
Rota pracitata coram Pamphilio, Perez de
Lara de Capell. lib. 1. cap. 7. & cap. 8. num. 41.
Pasqual. q. 1119. num. 2.* referens plusquam
triginta Doctores, & diuersa Responsa Sacræ
Congregationis itaq; Capellanus potest per
alium celebrare, licet in fundatione cautum
sit, vt Capellanus celebret, nisi celebratio
restringatur ad actionem personalem ipsius
Capellani. Hæc autem opinio, cuius antesi-
gnanus est Lapus *Allegat. 35 in antiquis, &
116. & 117.* valde placet Prælatis, qui dote
fruuntur, non Sponsà, quam nunquam v-
derunt.

47 Dixi nisi fundator petat, quòd Capellanus
eligendus sit Sacerdos, quia tunc mens illius
seruanda est, intelligi autem hoc potest, quòd
eam qualitatem habeat habitu, & aptitudine
.i. quod infrà annum possit ordinari Sacerdos,
vel actu, quod scilicet sit Sacerdos, antequam
ei conferatur Capellanià. Et quando funda-
tor non se declarat de actu, aut aptitudine,
Episcopus potest conferre beneficium Sacer-
doti aptitudine, quia in dubio testator cen-
setur se voluisse conformare cum iuris dispo-
48 sitione. *Doct. in l. Hæredes mei §. cum ita ff.
ad sen. cons. Trebell. Sanch. lib. 7. disp. 4. num.
5. & lib. 5. disp. 5. num. 25. Vers. Et confirma-
tur.* Vnde valet argumentum a lege ad tes-
49 tatorem, *Ludouis. dec. 209. num. 2.* ius autem
commune beneficia etiam curata mandat
conferri Clericis, dummodo intra annum sint
50 Sacerdotes, *cap. Licet, canon 14. cap. Commis-
sa 35. de elect. in 6.* aliter elapso anno non or-
dinatus perdit beneficium curatum, ergo tes-
tator requirens Sacerdotiũ intelligitur, quòd
ordinetur ante elapsum annum à collatione.
*Ita Spinus in speculo testamenti glos. 4. num.
68. Gewall. commu. q. 693. num. 6. Parlad. dif-
fer. 120. num. 14.* Procedit, etiam si dicatur,
quòd Capellanus per seipsum celebret, *ex
decis. 3. de Præbend. & responso S. Congreg.
Fagnanus ad cap. vt Abbates, de Ætat. num.
51. & 52.* vbi fusè hanc materiam triturat.
Merlin. dec. 803. requirit Sacerdotem actu.

51 Tertiò, Capellanus non tenetur per se ce-
lebrare, sed per alium satisfacere potest, nisi
testator dixerit expressè, quod per se ipsum
celebret, vel iure, aut consuetudine sit indu-
ctum seruitium personale ab alio non implen-
dum.

Per alium ergo celebrare potest, quando
seruitium non restringitur ad personam, præ-
sumitur enim testator velle se accommodare
illi Reg. qui per alium facit per seipsum face-
re videtur.

Aliqui verò dicunt restringi seruitium, si
testator dixerit. Celebret per seipsum, resi-
deat personaliter. Aliud non habeat onus,
nec recipiat. Præferatur alijs Capellanis.
Vt refert *Fagnanus cit. num. 78.*

Nihilominus probabilius est dicere, Ca-
pellanum posse celebrare per alium, excepto
casu vnico, quando dixit *per seipsum celebret*,
in omnibus alijs casibus supradictorum mo- 52
dorum, quia cum in æquipollentijs nescio
quid ambiguitatis reperiatur; mens testatoris
interpretari potest, vt minorem obligatio-
nem, quam sit posibile, imposuerit suo Ca-
pellano, cum æque bene satisfecerit eius vo-
luntati, ac si per se ipsum celebrasset, cùm
missæ sacrificium ex opere operato non ma-
gis sit efficax defunctis, si fiat ab vno Sacer-
dote, quàm ab alio. Vt ergo Capellania sit
Sacerdotalis .i. vt Capellanus electus tenea-
tur per se celebrare, necesse est, vt testator
suam mentem explicet hac particulà *per se-
ipsum* aliter celebrationem alijs committere
potest. Ita multis probat *Merlin. dec.* 825. 53
per totam, vbi *num. 19. ex Responsis Sacra
Congregat.* ait, illud beneficium solùm dici
Sacerdotale, si adsint hæc præcisa verba: *per
seipsum celebret.* Sequitur *de Lugo lib.* 5.
Respons. Moral. dub. 26. num. 5.

Hinc est, quòd Episcopus non potest coge- 54
re Capellanum, vt ipsemet celebret, licet in
eius fundatione disponatur, quòd celebret,
nam istis oneribus missarum rectè per substi-
tutum satisfit. Ita respondit. S. Congr. *in
vnà Parmensi Pasqual. q. 1117. num. 3.* vbi
alias similes refert. *Piasecius par. 2. cap. 3.
art. 5. num. 6.* & tradit nouissimè Prauctono-
mus, hoc est Cæsar de Paninollis Vicarius
Generalis Nonantulæ in suo 27. Constituto
*num. 10. citans Garziam par. 3. de benef. cap.
2. num. 8.*

Fundator ipse non obstante erectione Ca- 55
pellaniæ in beneficium factà ab Episcopo po-
test concedere Capellano, qui deberet per
seipsum celebrare, vt per alium satisfaciat
muneri suo quia si id facere potest Episcopus
de eius consensu, vt docent allegati à *Garz.
par. 7. de benef. cap. 1. num. 104. cum Castro-
pal. disp. 1. de benef. p. 6. num. 20. Barb. al-
legat. 25. num. 46.* Ergo à fortiori ipse fun-
dator. Non verò patroni hæredes, quia non
possunt mutare voluntatem testatoris etiam
de consensu Episcopi, qui voluntatem testa-
toris, quæ commodè adimpleri potest, com-
mutare non valet, vt pluribus citatis docet
*Garz. eo cap. 1. num. 107. cum eo Castropal.
cit. num. 22.* Quia id prohibetur in Trident.
sess. 25. cap. 5. contra quamplures ab eodem
Castropal. citatos, quia voluntas testatoris
præsumitur subiecta dispositioni ordinarij;
Sed hæc ratio non suffragatur, cum in hoc

casu

casu nihil possit ex decreto præfati Concilij ergo &c.

56 Dixi, nisi de iure, seu consuetudine appareat beneficium habere adiunctum personale seruitium, vt habent Canonici in Catedralibus, & Collegiatis, & alij, qui tenentur inseruire choro canendo horas Canonicas, Epistolam, Missam, Euangelium vt colligitur *ex cap. 4. sess. 22. & cap. 12. sess. 24. ita Fagnan. ad dictum cap. vt Abbates de ætat. num. 80. & seq. vbi num. 83.* ait, non loqui de missis priuatis, quæ possunt celebrari per tertium, quando testator, non apposuit clausulam *per seipsum celebret*. Vnde manet firma ea opinio *Merlini in suâ decis. 825.* quæ dicit, satis fieri per tertium, quando non exprimitur præfata clausula.

Quæres 7. An Capellanus teneatur supplere missas omissas?

57 ℞. Certum est, quòd testator potest obligare Capellanum ad supplendum missas omissas ex quacumq; causâ etiam legitimâ, quia quilibet rei suæ moderator est, *ex l. sed & si 28. §. consuluit, ff. de petit. hæred. l. in re mandatâ 21. C. Mandati. Nauar. cons. 15. de testam. initio.* Nam singulis missis supponitur correspondere sufficiens, & competens salarium. *Pasqual. q. 1119. initio.*

58 In missis quotidianis omissas ex iustâ causâ c. g. ex honestate, & conscientiâ non tenetur supplere, ratio est, quia *in cap. significatum 11. de præbend.* dicitur, quòd obligatus quotidie celebrare, id faciat quantò frequentius potest, saluâ honestate, ergo si ex causâ honestâ aliquas omittat, non tenetur eas supplere. Et talis debet præsumi esse mens testatoris, cùm censeatur disposuisse ad formam iuris communis, cui se conformasse bene, & iustè creditur, vt dixi supra sub *num. 48. ex Iason. in l. causas C. de transact. num. 6. Gramat. cons. 34. num. 3. Decius cons. 582. num. 2. Gozadin. cons. 101. num. 10. ex illis Pasqual. q. 1119. num. 4.* Est communis *cum Nauar. cap. 25. num. 134. Tabiena V. Missa q. 44. Silu. q. 7. Armilla num. 28. Corduba lib. 1. q. 4. dub. 5. Barbos. in dictum cap. num. 9. cum eis Pasqual. alios plures citans, contra Bonacinam, & Baunium.*

Potest ergo Capellanus siue secularis, siue regularis semel in hebdomadâ vacare à celebratione non solùm ob honestatem, sed etiam ex honestâ recreatione, quia attento eo capite, communis consuetudo se habet, vt possit eo die etiam ex recreatione cessare à ce-

59 lebratione, *Pasqual. q. 1128. num. 6.* immo eo die potest pro alijs celebrare accepto stipendio, quia non est obligatus pro testatore nisi pro sex missis, dum illi expressè non interdicit vacationem, & hoc multis probat *Pasqual. q. 1130. num. 4.* à fortiori pro se, pro consanguineis, & amicis gratis, & cum stipendio, quicquid dicant nonnulli apud ipsum.

Procedunt dicta non solùm si per se teneatur celebrare, sed etiam si per alium possit celebrare, quia causa honestatis omnibus communis est, nec expressio, quòd per alium possit celebrare, mutat obligationem, quia expressio eius, quod tacitè inest, non inducit nouam dispositionem, *l. 3. ff. de legat. 1. l. Non rectè C. de fideiuss. l. conditiones, ff. de condit. & dem. Alex. cons. 30. vers.* nec adhuc obstet, *Ruin. vol. 1. cons. 169. num. 15. Castr. lib. 2. cons. 138. num. 1. cum alijs Pasqual. q. 1120. num. 4.* 60 61

Quando autem missa non est quotidiana, sed tot missæ sunt dicendæ in hebdomadâ, vel in mense, aut in anno, siue sint annexæ diei, siue non, si omittantur ex quauis causâ etiam iustâ, supplendæ sunt omissæ, quia ad tot missas celebrandas se obligauit, ergo eas celebrare tenetur alijs diebus non præfixis, quia talis præsumitur esse mens testatoris non solùm respectu missarum non fixarum certis diebus, sed etiam fixarum, quia huiusmodi affixio non tollit obligationem, sed tantùm denotat diem celebrationis. 62

Contra *Pasqual. q. 1118. num. 2.* vbi ait, Capellanum non teneri supplere missas prætermissas certis diebus affixas, eâ ratione, quia quando à fundatore determinantur dies, obligatio est affixa illis; sed obligatio affixa diei extinguitur simul cum ipso die, nec amplius recurrit, itaut debeat suppelri; confirmat id, quia non ieiunans, non recitans diuinum Officium, non audiens missam illis diebus, quibus tenetur, hæc supplere non tenetur altero die, licet peccauerit illa omittendo.

Respondetur latam esse disparitatem, nam in exemplis allatis non habet obligationem supplendi, quia nullius læditur iustitia, sicut in omissione missarum ex iustitia debitarum; sequitur ergo quod hæc læsio illata testatori resarcienda sit supplendo missas omissas, siue ex causâ iustâ, siue alter. 63

Quæres 8. An supplendæ sint missæ ex causâ infirmitatis omissæ?

℞. Negatiuè, & quidem Capellanus ex Capellaniâ collatiuâ, quæ scilicet est beneficium, non tenetur toto eo tempore, quo est infirmus; Capellanus verò mercenarius ex Capellania laicali per menses duos excusatur, & sic non tenetur supplere missas in infirmitate omissas, procedit siue infirmitas sit quotidiana, siue intermissa, tertiana, seù quartana. 64

Prima pars ex Capellaniâ collatiuâ, quòd Capellanus excusatur, & fructus facit suos, nec tenetur missas supplere illis diebus, quibus est infirmus, intellige si sit obligatus per se ipsum celebrare, & nisi testator velit missas esse supplendas, omissas etiam ex causâ infirmitatis. Probatur, ex cap. Significatum de Præbend. ibi: ***Nisi infirmitate corporis fuerit impeditus***, scilicet non tenetur celebrare,

ac proinde neq; supplere. Confirmatur, quia infirmus absoluitur à recitatione horarum Canonicarum, & ab interessentia Choro, & tamen lucratur distributiones, *ex cap. Vn. de cler. non resid. in 6. Garz. par. 3. de Benefic. cap. 2. num.* 363. ergo, & à celebratione in sfarum. Est opinio singularis *Pasqual. q.* 1122. *num.* 7.

Secunda pars de Capellano mercenario quòd per duos menses in longâ infirmitate sit absolutus à supplet one missarum omissarum in infirm tate, docetur *à Petro Nauar. lib. 2. cap. 2. num. 210. Nald. V. Missa num. 11. Vega in summâ cap. 28. de Missa casu* 14. *Rodriq. in summâ cap.* 256. *concl.* 3. *cum alijs apud Pasqual. q.* 122. *num.* 3 *fine*. Vbi diuersas refert opiniones circa id tempus. *Concilium Mediol. 6. in tit. de Missâ*, per mensem absolut infirmum à celebratione, modò ante infirmitatem per annum seruierit.

65 Tertia pars de qualitate infirmitatis explicatur, nam infirmitas talis esse debet, vt Sacerdotem reddat saltem moraliter impotentem ad celebrandum eo die, quo est infirmus, vel etiam sequenti die, quo ita debilis est, vt sine periculo suæ salutis non possit accedere ad Altare, dùm ergo dubitat celebrando posse pati graue damnum corpori suo egrotanti, liber est à celebratione, & à suppletione missarum. Alijs citatis *Pasqual. q.* 1124. *vbi num.* 5. quòd dolor stomachi, capitis, aut oculorum, & similium non semper excusat, sed solùm, quando est notabilis, & alterat iuus corporis

Quæres 9. An supplendæ sint missæ ex alijs impedimentis omissæ? e. g. Non celebrauit, quia erat censuratus; quia non potuit domo exire; quia non habet copiam Confessarij; quia est occupatus in confessionibus, concionibus, lecturâ &c. quia est Ecclesia interdicta, vel est cessat o à diuinis?

66 ℞. Non tenetur celebrare, ac proinde nec supplere, quando detinetur tali impedimento, quod à se pro eo tunc non potest remouere. Quòd si illud superare potest, non excusatur à celebratione, quia non dicitur impeditus, qui potest tollere impedimentum, &
67 non tollit, *l. qui potest* 135. *ff. de reg. iur. Decius in cap. cum fuero, de appellat. num.* 3. *Verallus par. 2. decis.* 72. Quare excusatur excommunicatus diligens in petendâ abso-
68 lutione. Item excusatur non potens exire domo ob inimicitiam, ob prohibitionem, ob periculum furti &c. neq; enim in eius potestate est remouere huiusmodi impedimenta.
69 E contra non excusatur Sacerdos existens in peccato mortali carens etiam copiâ Confessarij, quia per contritionem potest remouere
70 impedimentum. Neque occupatio in confessionibus, concionibus, aut lectionibus, quia hæc sunt impedimenta magis voluntarij, quàm obligationis, præterquàm quòd magis vrget obligatio ex iustitiâ commutatiuâ, quàm ex alio capite. Nec tenetur supplere missas tempore cessationis, aut interdicti omissas, quia omissio non fuit voluntaria. Quòd si aliò se transferat debet celebrare pro testatore, quia obligatio est personalis, *Pasq. q.* 1132.

Quæres 10. An obligatus celebrare per se ipsum de mente testatoris, peccet celebrando per alium, & teneatur ad restitutionem aliquam?

℞. Certum est peccare mortaliter, quia deficit in re graui, cuiusmodi est seruitium personale. *Bonac. disp. 4. de sacr. q. fin. p. 7. §. 1. cum alys Pasqual. q. 1127. num.* 2. Excusatur tamen si absit celebrando per tertium tempore vacationis, quæ solet concedi Canonicis, & Episcopis trimestris, quam testator præsumitur concedere suo Capellano, dùm censetur in suâ dispositione se iuri conformasse *Trident. sess. 23. cap.* 1. maximè cum residentia in his Capellanis ex simplici beneficio nullo iure præscribatur, *Merlin. decis.* 825. sed solâ testatoris voluntate imponatur Capellano; ideo eorum vacatio comparari potest cum exemptione Episcoporum. 71 72

Ad nullam verò tenetur restitutionem, quia iniustus non fuit, sed tantùm infidelis, non stando promissis. *Bonac. de sacram. disp. 4. q. vlt. p. 7. §. 1. num. 2. Barb. alleg. 24. num. 36. Diana par. 2. tract. 14. resol. 29. cum alijs Pasq. q. 1127. num. 5. vbi num.* 6. distinguit inter Capellanum Capellaniæ beneficialis, & laicalis, quòd ille ad nihil teneatur, quia Capellania collatiua cum sit beneficium importat ius administrandi fundum Ecclesiasticum, & faciendi fructus illius suos; *sequitur*, quòd beneficiarius percipit fructus non ratione alicuius partis, aut obligationis, sed ratione tituli, seu institutionis, quam cum non inficiat celebrando per tertium ad nihil tenetur. Sicut tenetur Capellanus laicalis Capellaniæ, quandò salarium excedit solitam missarum elemosinam, debet enim Capellanus tribuere illum excessum, & non potest eum sibi retinere, quia correspondet ex sui diuisione singulis missis, inquit *Pasqualig.*

Sed ista ratio diuersitatis non conuincit, quia in vtroq; Capellano datur ius percipiendi fructus in recompensationem, & propter laborem, & operas consumatas tàm in recitatione diuini officij, quàm celebratione missarum, nam talis est expressa mens omnium testatorum antequam fiat electio Capellanorum siue per institutionem Canonicam, siue per nominationem Capellani factam à testatore, vel eius hæredibus in vtroq; enim casu Capellanus siuè Ecclesiasticus, siuè laicalis sit dominus fructuum fundi frugiferi quò ad totum, vt de se patet, ergo si Capellanus Ecclesiasticus non debet tradere excessum 73

cessum singularum missarum tertio Sacerdoti celebranti, neq; laicus Capellanus, cùm salarium per modum vnius sibi competat sicut Ecclesiastico.

Quæres 11. An detur vacatio in alijs missis, quæ non sunt quotidianæ? Vel saltem variatio de vno die in alium?

74 ℞. Neutrum dari potest, non primum, quia *cap.* significatum 11. de præbend. à quo sumitur vacatio, loquitur tantùm de missis quotidianis, non verò de alijs, ergo ad has non est extendenda vacatio in præiudicium testatoris. Non secundum, quia omnibus modis seruanda est mens testatoris maximè quando ea est expressa, aliter peccat mutando diem sine legitimâ causâ. Ita *de Lugo disp.* 21. *de Euchar. num.* 43. *Auersa q.* 11. *sect.* 18. *Pasqual. q.* 1131. *num.* 2.

Quæres 12. An tres missæ in die Natalis Domini, & in die Commemorationis defunctorum à Capellano obligato quotidie celebrare sint applicandæ testatori? Idem quæritur de missis celebratis in triduo ante Pascha?

75 ℞. Quotidie obligatus celebrare non tenetur applicare nisi vnam missam pro testatore, quia ad obligationem quotidianam vnica numeratur missa pro singulis diebus. *Ita Fraxinel. sect.* 4. *concl.* 4. *§.* 21. *Diana par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 86. *Auersa q.* 11. *de Euchar. sect.* 18. *Pasq. q.* 1133. Neque in die Commemorationis omnium defunctorum tenetur specialiter celebrare pro testatore, cùm Ecclesia præscribat sacrificium indifferenter, & generaliter pro omnibus, ne ergo detur acceptio personarum pro testatore non est specialiter celebrandum, cum sub generali commemoratione, & ipse veniat cessat ergo illa specialis obligatio Capellaniæ. Ita Alphonsus de *Leone par* 3. *de Iubil. & de Officio Capell. q.* 7. *sect.* 9. *num.* 55. *Diana. par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 166. *Auersa cit. Pasqual. q.* 1134. *num.* 2.

76 Demum celebrans in illo triduo non tenetur offerre pro testatore, quia non est obligatus ratione Capellaniæ; Ecclesia enim illo triduo non obligat nisi ad missam conuentualem in Parochijs, & conuentualibus, ergo poterit celebrare pro alio, & talis quoq; præsumi debet mens testatoris, qualis est intentio Ecclesiæ non obligantis illis tribus diebus. *Pasqual. q.* 1132. *num.* 3. *contra Card. de Lugo disp.* 21. *de Euchar. num.* 1.

Quæres 13. Quid veniat nomine *dierum festiuorum* in quibus Capellanus tenetur celebrare pro testatore?

77 ℞. Veniunt propriè illi dies, in quibus ex præcepto abstinendum est à seruilibus, ac proinde solùm dies Dominici, & alij dies sanctorum ex præcepto, non autem alij dies, quos populi ex deuotione alicuius sancti colunt. Illi ergo dies de iure sunt festiui, qui sunt ex præcepto ad formam constitutionis Vrbani VIII. extensæ *in B. N. post Appendicem. Pasq. q.* 1137. *ex Dicastillo tract.* 5. *de sacram. disp.* 4. *dub.* 81. *num.* 411. quia mens testatoris interpretanda est secundùm sensum, quem habent ea verba iure Canonico, vt enim sæpius dictum fuit, verba testatoris intelligenda sunt ad sensum iuris communis, cui censetur se conformare, nisi aliud expresserit in suo testamento.

Quæres 14. An capellanus obligatus celebrare sibi, aut quater in hebdomada possit anticipare hebdomadam?

℞. Non potest, quia dum testator missas 78
distribuit in hebdomadas, & menses, affigendo obligationem certis diebus, alligauit eandem hebdomadibus, & mensibus, ergo expressè voluit ne vlla hebdomada, nullus mensis vacet à celebratione missarum præscriptarum. Non est ergo licita anticipatio, quæ est contra expressàm mentem testatoris, & certè distributio missarum censetur esse earum obligatio in hebdomadas, & menses, ergo hæc tempora non sunt anticipanda, nisi subsit aliqua legitima causa, vt adest, si anniuersarium celebrandum die lunæ, anticipetur in præcedenti hebdomadâ, quia dies lunæ sequens est festum de præcepto, in quo non licet celebrare missas de mortuis. Itaque non videtur dabilis anticipatio in his missis non quotidianis, quia sunt affixæ, si non diei, ad minus hebdomadæ, seu mensibus.

Confirmatur, quia hæc distributio est valdè vtilis fidelibus, qui fere continuò missas habent in Ecclesijs, quâ commoditate carerent, si possent anticipari, & ad hanc communem populi commoditatem solent testatores respicere, ideo & ad hanc respicere debent Capellani, qui esto satisfacerent animæ testatoris quò ad suffragium, nam qui dat ante tempus, plus dat, *instit. de action.* §. *plus au-* 79
tem, sicut è contra, qui tardius dat, minus dare videtur, *l. solidum ff. de solut.* & qui tardius soluit, minus soluit, *l. si cui* 12. *ff. de* 80
verb. sign. Non tamen satisfaciùnt eius menti adæquatæ, qui præsumitur distributionem missarum affixisse tempori ad vtilitatem fidelium. Ita *Cardin. de Lugo disp.* 21. *num.* 44. *cum alijs Pasqual. q.* 1149. Quod si missæ sint concessæ sine huiusmodi distributione, in eo casu possunt anticipari, & celebrari initio mensis, aut anni, e. g. si testator dicat celebrentur singulo mense decem missæ; vel in singulis annis centum missæ, obligationi huic satisfieri potest initio, medio, & fine temporis præfixi. Itaque in diebus affixis non licet anticipatio, vnde nec videtur ea habere locum in alijs, quia nulla anticipatio, vbi obligatio habet latitudinem temporis, ad celebrandum.

Quæres 15. An non celebrans tali horâ, vt in aurorâ, vel in meridie sibi constitutâ à testa-

testatore peccet, & teneatur ad aliquam restitutionem?

81 ℞. Peccare quidem, & grauiter si sępius horam transgrediatur, quia facit contra expressam voluntatem testatoris, ad quam seruandam se obligauit, præsertim cum huiusmodi trasgressio horæ sit etiam præiudicialis fidelibus eam horam expectantibus, vnde contraueniens menti testatoris peccat mortaliter, vt docent *Abbas in Repetit. cap. cum es-*
82 *ses, de testam. num.7. Caphal. conf. 624. num. 17. Bonac. disp. 3. de contr. q. 1. p. 3. num. 6. apud Ciarlin. cap. 33. num. 28.* Tenetur ergo seruare mentem testatoris, vt docent omnes cum *Pasqual. q. 1147.* ad nihil autem tenetur, quia iam laborauit, ergo in hoc meretur suam mercedem, ac si celebrasset in horà assignatà.

Quæres 16. An Capellanus sit obligatus celebrare in Ecclesiâ, & Altari deputato à testatore, & quæ causæ possint eum excusare, si alibi celebrauit?

83 ℞. Tenetur sub mortali celebrare in Ecclesiâ, & Altari designato à testatore, quia in re graui transgreditur mentem eius, & pactum cum eius hæredibus factum ex assumpto onere, quouis deinde fine testator designauit locum sacrum ad celebrandum, siue quia habet ibi sepulcrum, siue Capellam suam, siue ob commodum populi, aut alio fine. Ita omnes cum *Nauar. cap. 25. num. 135. Bonac. disp. 4. de sacram. q. fin. §. 4. num. 2. Diana par. 2. tract. 14. resol. 29. Barb. ad cap. significatum de præbend. & alleg. 24. num. 33. Pasq. q. 1139.* Rationabilis causa excusat celebrantem in alio Altari, quando proprium est impeditum, vt quia reficitur, vel ibidem solemniter celebratur in Altari alio, vt pluribus missis honoretur festum Sancti titularis eius Altaris; si ibidem expositum sit sacramentum, si prope aliquid fiat, quod perturbet mentem celebrantis &c. Paruitas materiæ excusat celebrantem circa 20. vices extra Altare designatum, nam ille numerus relatiuè ad dies totius anni parua est materia inquit *Pasqual. q. 1139. num. 5.*

Quæres 17. An hæredes testatoris, seu Episcopus possint dare licentiam, vt Capellanus possit celebrare in alio Altari, vel etiam Ecclesia?

℞. Hæredes non possunt aliquo modo dispensare, nec concedere, quòd alibi celebret Capellanus. Episcopus verò non solùm cum consensu hæredum, sed etiam illis insciis potest dispensare, quòd celebret in alio Altari si subsit legitima causa, quæ reddat impossibilem celebrationem non solùm physicè, sed etiam moraliter.

84 Primum de hæredibus patet, quia illi nullam potestatem habent alterandi mentem testatoris, quæ omnibus modis seruanda est, *cap. vltima 4. 13. q. 2.* Ita omnes *cum Barb. alleg. 24. num. 35. Bonac. disp. 4. de sacram. q. fin. p. 7. §. 4. num. 3. Riccius par. 1. resol. 353. num. 5. Auersa q. 11. sect. 18. Pasqual. q. 1140.*

Secundum de potestate Episcopi colligitur ex *Trident. sess. 22. cap. 6.* Potest enim commutare voluntates testatorum, non solùm, quando exequi non possunt, sed etiam quando eorum executio est difficilis, etiam sine consensu hæredum. Ita omnes *cum Bonac. cit. Barb. num. 36. Marchino de Ordine tract. 3. par. 2. cap. 24. num. 5. cum aliis Pasqual. q. 1141. num. 4.* 85

Causæ autem legitimæ dispensandi, vt celebretur in aliò Altari eiusdem Ecclesiæ sunt, si Altare sit reparandum, si disecratum, si pluuià vel alio modo sit indecens ibi celebratio, vel Ecclesia interdicta, & alia huius generis impedimenta sunt legitima causa dispensandi, immo ipsemet Capellanus tunc accedere potest ad aliud Altare, dum in proprio celebrare non potest, talis enim præsumitur esse mens testatoris, qualis de iure esse debet, si enim super his interrogatus fuisset, dum viueret, sine dubio respondisset, posse tunc Capellanum in alio celebrare. 86

Episcopus ergo, multò minus Capellanus non potest sine causà celebrare in alio Altari, ita de Episcopo nõ valère dispensare *Genuens. in Pastorali cap. 72. Riccius par. 1. resol. 353. Bonac. allegat. 24. num. 35. Bonac. disp. 4. de sacram. q. fin. p 7. §. 4. num. 3. cum aliis Pasqual. q. 1140. num. 1. Seraphin. dec. 1149. num. 2.* 87

Quæres 18. An legatum factum Religiosis cum onere celebrandi in suà Ecclesia, transferri possit cum fructibus, & missà celebrandà in secundà, Ecclesià ad quam transeunt, relicto priori monasterio?

℞. Non transfertur celebratio, sed solùm fructus cum proprietate in secundum monasterium, quando in priori Ecclesià est Capella, seu sepulcrum ipsius testatoris ibidem sepulti; si verò ibidem nihil horum habet, fit translatio omnium ad secundum monasterium, si legatum factum fuit contemplatione magis Religiosorum, quàm Ecclesiæ nominatæ. 88

Prima pars, quòd in priori loco sit continuò missa celebranda, probatur, quia à testatore magis contemplata fuit Ecclesia, in quà est sepulcrum, vel Capella suorum ascendentium, quam ipsum monasterium, ergo ibidem missa est celebranda ab iisdem, à quibus anteà celebrabatur. Confirmatur, quia testator numquam cogitauit de secundà Ecclesià, neq; de translatione monasterii, ergo præsumendum est voluisse obligationem celebrandi perpetuò remansuram in priori Ecclesià. Insuper, si fiat legatum absq; designatione Ecclesiæ, in quà celebrandum sit, illud adimplendum est in Ecclesià loci, vbi habi-

89 habitat, vel quò solitus erat accedere, *Specul.*
in tit. de instr. edit. §. nunc verò, num. 64.
ibid. Ioan. Andr. Guidopapa de præsumpt.
num. 69. Ergo à fortiori in Ecclesiâ nomi-
natâ celebrandum est.
90 Secunda pars, quòd onus, & emolumen-
tum transferatur ad secundam Ecclesiam,
probatur, quia in eo casu legatum missarum
præsumitur factum contemplatione personæ
Religiosorum, qui sunt legatarij, *l. pater fi-*
lium, §. Tusculanus, ff. de legat. 3. *Ruin. lib.*
2. *cons.* 75. *num.* 8. *Mantica lib.* 6. *de coniect.*
tit. 14. *num.* 18. Ergo vtrumq; sequi debet
legatarios, in quorum fauorem factum facit
legatum.
Confirmatur, quia mens testatoris ita est
interpretanda, vt legatarius minus grauetur,
91 quam sit possibilis, *arg. l. si ita relictum ff.*
de legat. 2. sed minus grauatur, si vtrumq;
transferat in secundum monasterium, ergo
præsumendum est, talem fuisse mentem tes-
tatoris. Quæstionem hanc tractat *Rota co-*
ram Seraphino, decis. 1149. *& ex eo* Pasqual.
q. 1134. sed Rota vnum supponit in suo ca-
su, quòd si legatarij nolent facere celebrare
missam, onus transiret ad aliam Ecclesiam,
& firmat Rota, legatum transisse ad secun-
dum monasterium, quia censebatur factum
monasterio, non Ecclesiæ, quam reliquer-
rant, quæ erat expressa in testamento non
taxatiuè, sed demonstratiuè ad Moniales, in
quarum fauorem fecerat eis legatum.
92 Itaque in similibus casibus, si appareat
locum fuisse contemplatum, vel quia ibi est
Capella, vel sepulcrum, vel affectus deuotio-
nis ad aliquod Altare, seu Imaginem miracu-
losam, tunc legatum cum suo onere ibidem
remanet, quia est reale, & taxatiuè factum,
demonstratis ministris ad eam functionem; si
verò nihil horum apparet, nisi affectus erga
personam, tunc legatum vti personale sequi-
tur legatarium. Et hæc patent ex dictis.
Quæres 19. An onera missarum à priori
Ecclesiâ cum Religiosis transeant ad secun-
dam, in quam transferuntur mutatione loci?
93 ℞. Si prima Ecclesia destruatur, certum
est omnia onera, & priuilegia transferri ad se-
cundam, quia ne pereant censentur transfer-
ri in secundam, dum de se sunt perpetua, ne-
q; enim piæ testantium mentes perire debent.
Quod verum quoq; est, quando fit translatio
à priore existente, ad secundam, tunc enim
omnia prioris transferuntur ad secundam, *ex*
cap. & hoc diximus 9. 16. *q.* 7. *& cap. si quis*
41. *ead.* vbi de translatione monasterij à loco
ad locum, & *Glos.* ait, priorem Ecclesiam
perdere priuilegia, *& Glos. in cap. Abbate, de*
verb. sign. Ioan. Andr. in cap. cum persona de
Priuil. in 6. *vbi Anchar. not.* 13. *Lapus alleg.*
68. *apud Seraph. decis.* 1149. *num.* 16. *in his*
terminis. Intellige, nisi huiusmodi onera, &
iura sint adnexa priori Ecclesiæ existenti ra-
tione sui, vt dictum fuit in præcedenti quæ-
stione. Vnde relicta intuitu personarum in-
seruientium Ecclesiæ transferuntur ad secun-
dam Ecclesiam, nam prior desinit esse regula-
ris, translatâ hâc qualitate ad secundam, ra-
tione cuius qualitatis iura priora dicuntur
transire, quia relicta fuerant intuitu illius
qualitatis, quæ desinit à priori Ecclesiâ ad
posteriorem. Vide Pasqual. *q.* 1145.
Quæres 20. An Capellanus non potens ce-
lebrare in loco deputato teneatur alibi cele-
brare?
℞. Capellanus tenetur in alio Altari, im- 94
mo in aliâ Ecclesiâ, si designata impeditur,
siue sit Capellanus Ecclesiasticus, siue laica-
lis, quia gaudet fructibus, propter quos obli-
gatur celebrare pro animâ disponentis; bene-
ficium enim animæ est principalis causa, quæ
sicut nunquam cessat, ita neq; cessare debet
celebratio, non obstante quouis impedimen-
to, aut alio fine, ad manutenendum enim ob-
ligationem sufficit existentia perennis princi-
palis causæ, quæ est suffragium animæ, sem- 95
per enim attendenda est causa principalis ma-
gis quam secundaria, si quandoq; deficiat;
cum ea potissimum mouerit agentem ad dis-
ponendum, *l. sed & si plures, §. in arrogato*
ff. de vulgar. & pupill. Riccius par. 1. *dec.* 100.
ita docent *Bonac. disp.* 4. *de sacram. q. fin. p.*
7. §. 4. *num.* 3. *Moneta de commutat. cap.* 10.
q. 5. *num.* 242. *cum alijs Pasqual. q.* 1146. ita-
que nominatio Ecclesiæ, seu Altaris stat de-
monstratiuè, non verò taxatiuè, non enim
præsumitur sibi velle præiudicium afferre in
eo, quòd velit eo casu impedimenti animam
suam carere eo suffragio.
Alij cum *Barbosa allegat.* 24. *num.* 35. *&*
de Lugo disp. 21. *de Euchar. num.* 42. Non
teneri celebrare alibi, quando instituit mis-
sam præcisè ad cultum Dei, vel ad commo-
ditatem populi, quia missæ obligatio cense-
tur alligata tali loco. Sed rarò id accidit, &
communiter legata missarum fiunt pro suffra-
gio animarum defunctorum, ideo tunc obli-
gatio celebrandi non restringitur loco, qui
non taxatur, sed demonstratur.
Quæres 21. An Capellanus celebrans pro
testatore extra locum designatum teneatur ad
aliquam restitutionem?
℞. Ad nihil teneri, quia eodem labore sa- 96
tisfecit in loco designato, quo in loco non
designato, & eodem modo sustentatur si ce-
lebret in vno, siue in alio, quibus, dicunt Do-
ctores correspondere stipendium, ergo cum
par stipendium vtrique loco respondeat, nul-
là ratio suadet aliquid esse restituendum à
Capellano. Immo vadens ad aliam Eccle-
siam celebraturus videtur dignus maiori sti-
pendio, cum superabundet in seruitio. Ad
nihil teneri asserunt. *Possev. cap.* 2. *de offic.*
curati num. 25. *Fraxinel. sect.* 4. *concl.* 5. §.
3. *Bonac. cit. p.* 4. *num.* 3. *Barb. alleg.* 24.
num.

num. 34. *Diana par.* 1. *tract.* 14. *resol.* 29. *cum alijs* contra Azorium *par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 24. *q.* 7. *Cenedum q.* 38. *num.* 6. *Graff. par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 53. *num.* 11. *cum alijs Pasqual. q.* 1148. *cui num.* 4. displicet fundamentum prioris opinionis, quòd scilicet, non teneatur Capellanus ad aliquam restitutionem eò quòd non celebrauit in Altari designato, quia non defraudauit testatorem de suo suffragio, quod illi applicari potest à celebrante ad quoduis Altare, cum ergo non fecerit contra iustitiam, quia dedit, quod ex pacto debebat ad nihil tenetur. Displicet, inquam, illi is modus loquendi, quia per eum videtur significare, quòd applicatio sacrificij veniat in contractum, & sit id, quod sit debitum ex iustitiâ, per quod induceretur simonia, si contractus super ipsa interueniret.

97 Responderi potest, pactum immediatè, & directè cadere super contractum obligationem pretio de se æstimabilem circa laborem, non verò super ipsam sacrificij applicationem, quæ connotatur tantùm in eâ obligatione, quæ ex parte cognitionis qualificatur ab ipsâ applicatione, sine cuius notitiâ non est intelligibilis eiusmodi obligatio. Itaque eorum fundamentum in eo saluatur, quòd non sit simonia, quia pactum directè afficit obligationem, & in consequentiam bonæ intelligentiæ etiam applicationem sacrificij, quod non inducit simoniam, nam hæc oritur ex pretio dato pro re spirituali iuxta illud Act. 8. 20. contra Simonem, ibi: *Quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri*; stipendium autem missæ non datur pro missâ, sed pro eâ obligatione, & labore; *Glos. V. sanitatis, cap. Qui studet* 11. 1. *q.* 1.

98 Quare esto non satisfaciat voluntati testatoris, quia non celebrat in Altari designato, non facit tamen contra iustitiam, quia per hanc variationem nullum illi præiuditium attulit quò ad Sufragium animæ illi promissum, cum missa celebrata in alio Altari non sit minoris efficaciæ, sed tantùm peccat contra infidelitatem, quia non stat promissis.

Quæres 22. An Capellanus possit celebrare in Altari Priuilegiato, relinquendo designatum à testatore?

99 ℞. Negatiuè, quia quamuis procurator debeat vtiliter tractare negotia domini sui, quia talis præsumitur esse eius voluntas, neque enim potest deteriorem, sed meliorem facere debet conditionem domini sui, *l. Ignorantis* 49. *ff. de Procur.* nihilominus non potest excedere fines mandati, sed secundùm illos clarè expressos operari, *l. Diligenter* 5. *ff. Mand. cap. Cum dilecta* 22. *de rescr. fine, cap. Cui de non* 21. *de prebend. in* 6. *ad finem.*

100 Procuratori autem comparari potest Capellanus, cum agat negotia testatoris sibi cõmissa celebrandi scilicet ad tale Altare, ergo non debet excedere fines mandati; si enim voluisset, vt missas celebraret ad Altare Priuilegiatum extans tempore conditi testamenti, id expressisset, *l. Si seruum* 70. §. 1 *prætor ait, Vers.* Non dixit, *ff. de aquir. hæred. cap. Ad audientiam* 12. *de decim. l. Vn.* §. *Vbi autem, ad finem, ibi*: Nam si contrarium volebat, nulla erat difficultas coniunctim ea disponere. Quare cum testator nullam fecerit mentionem de Altari priuilegiato, sed tantùm de alio, præsumitur noluisse, quòd non dixit, *ex l. Labeo ff. de supellect. Rota, par.* 3. *Recent. decis.* 358. *num.* 10. Consequenter non potest celebrare nisi in designato. Ita *Pasqual. q.* 1142. vbi dicit contrarium sentire, *Card. de Lugo disp.* 21. *num.* 38. *alterum de Lugo nomine Franciscum, lib.* 5. *de sacram. cap.* 11. *q.* 5. *num.* 52. *Discastillum de sacram. tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 21. *num.* 385. posse scilicet celebrare, quando fundator non respexit ad cultum, vel splendorem Altaris, *Auersa verò q.* 11. *sect.* 18. absolutè dicit posse. Sed reuerà non percipio, quomodo possit celebrare in Altari Priuilegiato, quando designauit aliud Altare, quod præsumitur designasse propter cultum Dei, & splendorem eius, maximè si eiusdem Altaris, aut Capellæ est patronus; infidelis ergo est, non seruando pactum cum hæredibus testatoris initum in receptione Capellaniæ celebrandi ad tale Altare. 101 102

Quæres 23. Circa missas pro defunctis celebrandas quibusnam diebus celebrari possint?

℞. Primò, missæ priuatæ defunctorum celebrari possunt quolibet die, præterquam in festis duplicibus, & Dominicis diebus, vt dicitur in rubrica de missis defunctorum *par.* 1. *tit.* 5. Extat Decretum S. Congr. firmatum à Pontifice 5. Aug. 1662. Declaratum autem fuit à S. Congr. huiusmodi missas defunctorum priuatas non posse dici in ferijs priuilegiatis, in quibus non potest fieri de officio duplici, cuiusmodi sunt dies Cinerum feria quarta, & infra hebdomadam Sanctam, in Vigilijs Natiuitatis, & Pentecostes; & infra octauas Paschatis, Pentecostes, Epiphaniæ, & Corporis Christi, in quibus non potest fieri de semiduplicibus, ergo nec dici missa priuata defunctorum, quæ comparatur cum officijs semiduplicibus, ergo ijs prohibitis, etiam missæ defunctorum prohibentur. 103

℞. Secundò, in omnibus festis de præcepto, sub quo venit etiam Dominica, exceptis primæ Classis festis, potest celebrari missa solemnis defunctorum, præsente defuncti corpore exposito in Ecclesia, cum nonnullis missis priuatis. 104

Prima pars de missâ solemni in die obitus canendâ probatur ex declaratione S. Congr. die 23. Maij 1603. & supponitur in Rituali Pauli V. in tit. de exequijs, illis verbis: *Nisi obstet magna diei solemnitas*. Ita docent *Garuantus*

uantus par. 1. tit. 5. lit. X. Quartus ibidem dub. 2. diff. 1. Castald. in praxi ceremon. lib. 2. sect. 5. cap. 4. Pasqual. q. 285.

105 Secunda pars, exceptis festis primæ classis, probatur ex dicto Rituali, nam ea exceptio: *Nisi obstet magna diei solemnitas*, refertur ad omnia festa primæ classis, quæ cum magna solemnitate celebrantur, totus enim Clerus, & magnus populi concursus in festis primæ classis interest diuinis officijs in Ecclesiâ cum magnâ lætitiâ, ergo abesse debet mœstitia, quæ reperitur in celebratione pro defunctis, quicquid dicat *Pasqual. q. 285. num. 2. & 3.* qui magnam solemnitatem non agnoscit nisi in diebus Natalis, Paschæ, & Pentecostes, certè licet in his appareat maior solemnitas, propterea magnâ solemnitate non carent alia festa, cum comparatiuum, neq; superlatiuum in alijs non tollat positiuum à suâ quali-
106 tate, *l. Vbi autem non apparet ff. de verb. oblig. Anchar. cons. 215. num. 6. Surd. decis. 65. num. 8. & 12. ex illis Rota par. 3. decis. 548. num. 3.*

107 Tertia pars, quòd Cadauer debet esse expositum in Ecclesiâ, exprimitur à S. Congr. sub die 23. Maij 1603. his verbis: *in diebus festis præsente corpore potest celebrari missa so-*
108 *lemnis de Requiem*. Esse autem præsens aliquid in aliquo loco, est ibidem apparere, & in hoc sensu proprio intelligenda sunt illa verba *Præsente corpore* cum enim agatur de re odiosa, & correctoria Rubricarum, verba sunt accipienda in propria, & non latâ significatione. Ita *Quartus dub. 2. diff. 1.* contra Pasqual. *q. 285. num. 4.*

109 Quarta pars de missis priuatis probatur. Tùm quia sunt partes accessoriæ solemnitati, non enim cantatur missa in die obitus sine alijs missis priuatis. Tùm quia concessio maiore, censetur concessum, quòd minus est, *cap. Ex parte 21. de decim. cap. Per venerabilem 13. Qui filij sint legit. cap. Præcipimus 12. q. 1.* Tùm quia minus obstat missa priuata solemnitati festiuæ, quam cantata, sed hæc conceditur, ergo & priuata. Ita *Pasq. q. 283. Quartus dub. 2. diff. 1.*

110 ℞. Tertiò, in diebus Iouis, & Sabbati Sancti non potest celebrari missa pro die obitus solemnis, nec priuata, quia illa duo festa sunt sub primâ classe, & cum magnâ solemnitate celebrantur, vt omnibus manifestum est, contra Pasqual. *q. 286.* cuius ratio, quia sunt dies mœstitiæ, non placet, quia magis participant de festo, & gaudio solemnitatis, cum referantur ille ad augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, & hic ad initium solemnitatis Paschalis, magna ergo solemnitas apparet in illis diebus, apparet in Ecclesiâ.

111 ℞. Quartò, missæ solemnes defunctorum in diebus Tertio, Septimo, Trigesimo, & Anniuersario cum missis priuatis celebrari in festis duplicibus non præceptis, quia id conceditur pro satisfactione mentis testatoris, etiam in casu, quò missa solemnis non cantatur. Ita *Gauant. par. 1. tit. 5. lit. A. Garcia in summa tract. 3. diffic. 8. dub. fin. p. 2. num. 21. Tambur. de Missâ lib. 2. cap. 6. §. 2. num. 1. Quartus par. 1. tit. 5. dub. 2. diffic. 3. Pasq. q. 282. & 284.* Vbi quòd si ea officiæ occurrant in festis de præcepto, tunc missa solemnis pro defunctis cum priuatis celebratur die antecedenti, vel sequenti festum de præcepto.

℞. Quintò, in rigore loquendo non potest dici missa de Requiem in festo duplici, exceptis in casibus supradictis, ad instantiam viuentium, quia id est contra Rubricas missalis, ergo non possunt dici sine violatione eius. Ita *Gauantus par. 1. tit. 5. lit. A. Garzias cit. Quartus cit. Vers. Colligitur primò, Lezana par. 1. cap. 21. num. 28.* Contra Pasqual. *q. 289. num. 3.* Quia admittitur in alijs casibus pro satisfactione mentis testatoris, & id exigit pietas ipsorum defunctorum. Sed non vrgent, nam menti testatoris satisfacere conuenit, non viuentis, qui alio die potest petere missam; neq; actus pietatis est facere contra Rubricas, cum possit pro defuncto celebrare missam currentem, quæ illi proderit. Et satis fit ex citato Decreto sub num. 103. 112

Quæres 24. An Capellanus satisfaciat muneri suo celebrando missam vt plurimùm de die, licet legatum ei impositum sit de missâ quotidianâ defunctorum, vt expressit testator?

℞. Obligatus ex legato quotidie celebrare missam de Requiem non tenetur ad illam in Dominicis, neq; in festis duplicibus, & alijs priuilegiatis, de quibus supra sub num. 103. sed tantùm alijs diebus, in quibus etiam quandoq; satisfacit muneri suo recitando missam currentem.

Prima pars, quòd non tenetur celebrare missas defunctorum in Dominicis, & duplicibus, ac priuilegiatis, probatur. Tum quia mens testatoris intelligenda est iuxta iuris cōmunis dispositionem *Doct. in l. Heredes mei §. cum ita ff. ad sen. cons. Trebell. Rota Vol. 1. dec. 584. num. 2. Sanch lib. 7. disp. 4. num. 5. & lib. 5. disp. 5. num. 25. Vers. Et confirmatur.* Ius autem commune in *cap Quidam 2. de celebr. missar.* non permittit vt ex consuetudine dicantur votiuæ de Trinitate, vel de S. Michaele, nisi suis temporibus, vnde ibidem mandatur, vt missæ cantentur de die pro salute viuorum, & etiam defunctorum, ergo cum mens testatoris debeat se conformare iuri, & Rubricis interpretanda est, se velle missam quotidianam de Requiem illis diebus, quibus dici possunt ad formam Rubricarum, testator enim facere non potest, quò minus leges in suo testamento locum habeant, *l. Testandi 13. C. de testam.* Tum quia verba in testamentis ita sunt intelligenda, vt 113 114 115

L non

non sit peccatum in eorum constitutione, *l.*
116 *Plautius 9. ff. de auro, & arg. legat.* Sed esset peccatum, si aliter intelligerentur verba testamenti, quàm supra diximus, ergo ita eius mens interpretanda est. Quòd debeat celebrare Capellanus de festo, docent quamplures apud *Barb. ad dictum cap. 2. de celebr. missarum, vt Armilla V. Missa num. 28. Tabiena num. 48. Silu. §. 4. Beia par. 1. casu 23. Vers. Primùm. Rodriq. par. 1. cap. 248. num. 9. Miranda tom. 1. q. 41. art. 21. Bonac. disp. 4. de Sacram. q. vlt. p. 7. §. 3. num. 4.*

117 Secunda pars, quòd celebrando missam currentē quandoq; illis diebus, quibus ex Rubricâ potest dici missa defunctorum, satisfaciat suæ obligationi, & æquiualenter etiam menti testatoris probatur, quia commemorationes, quæ fiunt de sanctis tantum prosunt defunctis, quantum propriæ orationes designatæ pro eisdem ab Ecclesia, vnde S. Gre-
118 gorius relatus *cap. Animæ 22. 13. q. 2. Animæ defunctorum quatuor modis soluuntur, aut oblationibus Sacerdotum, aut precibus Sanctorum, aut carorum elemosinis, aut ieiunio cognatorum.* Ergo recitando missam currentem Capellanus satisfacit menti testatoris æquiualenter, nihil enim refert, quid ex equipollentibus fiat, dum creditor consequitur intentum suum. Confirmatur, quia cum maiori deuotione recitantur missæ viuorum, quam mortuorum; & celerius istorum, quam illorum, & missæ defunctorum sunt breuiores, quàm viuorum. Demùm Sacerdos magis se conformat Rubricis Missalis recitando missam currentem, quam defunctorum. De hac re Gauantus in fine sui operis super *Rubr. Missal. §. 9.* innumeros fere Doctores recenset, ad quem remitto lectorem.

119 Notandum est pro confirmatione dictorum, quòd omnes conueniunt, quòd missa defunctorum quantùm est ex se, est magis proficua, quàm missa currens de die; nihilominus id non obstat quin possit dici à Capellano missa currens, & sic satisfacere suæ obligationi, quia ille maior fructus compensari potest, vel ratione deuotionis offerentis, vel respectu deuotionis dantis elemosinam, vel intercessione Sanctorum, pro quorum honore missa celebratur. Est communis *S. Thoma in 4. dist. 45. q. 2. art. 3. quæst. 1. ad 5. D. Anton. par. 1. tit. 10. cap. 3. §. 3. Angelus V. missa 34. Nauar. cons. 9. de celebr. missar. num. 5. Rodriq. tom. 1. q. 43. art. 8. Miranda tom. 1. q. 41. art. 21. Diana par. 2. tract. 14. resol. 31. Barbos. allegat. 24. num. 31. Fraxin. sect. 4. concl. 4. §. 4. num. 1. & 22., Pasqual. q. 187. quamplures alios citans.*

Quæres 25. Quomodo celebrandæ sint missæ Sancti Gregorij pro defunctis?

120 ℞. Interrogatus S. Gregorius, quomodo esset suffragandum certo defuncto, vt liberaretur à pœnis Purgatorij, respondit *lib. 4. Dialog. cap. 55. Vade ab hodiernâ die diebus triginta continuis offerre pro eo Sacrificium, stude, vt nullus omnino prætermittatur dies, quo pro absolutione Hostia illius salutaris non offeratur.* Non est autem necesse, quod omnes sint de Requiem, cum non sint dicendæ diebus festiuis, nec in duplicibus, melius verò est alijs diebus dicere de Requiem, & ad formam Rubricarum. Ita *Gauantus par. 1. tit. 5. num. 3. lit. D. Lezana par. 1. cap. 21. num. 23. cum alijs Pasqual. q. 293. num. 5.* Ratio est, quia S. Gregorius qualitatem missarum non designat, sed numerum tantùm, cum ergo casus omissus relinquatur dispositioni iuris communis *l. si extraneus 6. ff. de* 121
cond. caus. datâ l. commodissimè 10. ff. de liber. & posth. Rota par. 3. Recent decis. 358. num. 14. & dec. 468. num. 2. in dicendis huiusmodi missis oportet seruare Rubricam. Istę autem triginta missæ continuò celebrandæ sunt, vt illas expressè dicit S. Gregorius, nisi adsit legitima causa interpellandi, vt in triduo ante Pascha. Ita *Gauant. cit. Quartus sect. 4. in quæstion. proœm. p. 4. Pasqual. q. 294. contra Fraxin. sect. 4. concl. 4. §. 5. Bonac. disp. 4. de sacram. q. vlt. p. 7. num. 7. Diana resol. 32. de celebr. missar. Lezana par. 1. cap. 21. num. 23.* Quorum opinio absolutè reijcienda est, cum manifestè aduersetur Sancto Gregorio; & cum seruus Dei vtatur dictione *omnino*, quæ importat decretum irritans, ex citatis à Barbosâ hac *dict. 240. num.* 122
15. illam continuationem intendit, aliter, licet defunctus recipiat fructum ex missis, non tamen ex missis prout sunt ad mentem D. Gregorij, ideo nec sunt tam fructuosæ, quales fuissent continuatim dictæ. Debent autem dici ab vno, & eodem Sacerdote, quia Sanctus vni loquebatur nempe Pretioso Abbati, qui has 30. missas celebrauit pro F. Iusto eius Monacho. Ita *Pasqual. q. 295. & 296.* Contra Gauant. Tambur. & Lezanam; qui supradicta verba non benè interpretantur sumentes passiuè *offerri* loco *Vade offerre* scilicet *tu Abbas.* Quo autem modo, an certò anima in fine mensis liberetur, nescitur, piè tamen creditur ex meritis S. Gregorij liberari ea anima, pro quâ dicuntur illæ triginta missæ. *Vide Pasq. q. 296.*

Quæres 26. An in recipiendis legatis missarum sit necessaria licentia superiorum?

℞. Affirmatiuè per Decretum Sacræ Congregationis de mandato Vrbani VIII. tenoris sequentis. 123

Ad hæc SAC. CONGREGATIO quibusuis Capitulis, Collegijs, Societatibus, & Congregationibus, nec non omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac piorum locorum, tàm secularium, quàm regularium Superioribus, vel alijs, ad quos pertinet, districtè prohibet, ne imposterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, seculares quidem, 124

sine

fine Episcopi, vel eius generalis Vicarij, Regulares verò fine Generalis, vel Prouincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda; alioquin fecularis, qui huius prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eò ipso: Regularis verò pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisq; actiuæ, ac passiuæ, absque alia declaratione incurrat. Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis ita demùm ijdem accipere possint, si oneribus anteà impositis ita satisfecerint, vt noua quoq; onera suscipere valeant; alioquin omninò abstineant ab huiusmodi Eleemosynis, etiam spontè oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesijs cum inscriptione illa, Eleemosyna pro Missis, vel alia simili sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur. Episcopus verò, seu eius Vicarius, aut Generalis, vel Prouincialis, vbi de licentiâ pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis Missarum celebrandarum obligationibus, cuiq; Ecclesiæ, Monasterio, aut loco pio incumbentibus; nec antea assensum huiusmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè constiterit, illius Sacerdotes tàm nouo oneri suscipiendo, quàm antiquis iam susceptis satisfacere posse; præcipuamq; rationem habeant, vt redditus, qui Ecclesijs, & locis pijs relinquuntur, omninò respondeant oneribus adiunctis secundum morem cuiusque Ciuitatis, vel Prouinciæ, intelligantque si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint, in Nouissimo die se huius prætermissi muneris rationem esse reddituros.

Occurrunt dubia super dictum Decretum. *Primum*, quinam incurrant pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ? *Secundum*, quinam incurrant pœnas priuationis officiorum, cum inhabilitate ad ea, & vocis vtriusq;? *Tertium*, propter quas actiones, seu trasgressiones præfatæ pœnæ incurrantur? *Quartum*, an illæ pœnæ incurrantur statim posita transgressione, an post sententiam, & declarationem criminis? *Quintum*, quis possit absoluere ab interdicto, & dispensare in alijs pœnis? *Sextum*, an Decretum loquatur tantùm de missis pro mortuis, & eorum Anniuersarijs, an etiam pro viuis? *Septimum*, an recipere possint noua onera eleemosynarum manualium nondù veteris adimpletis? *Octauum*, quid agere, & obseruare debeant Superiores concedentes licentiam recipiendi onera huiusmodi? *Nonum*, an licentiam concedentes contra tenorem Decreti sint rei dictarum pœnarum? Et similiter Superiores inferiores eadem onera recipientes?

125 Primo dubio respondetur, soli seculares, siue clerici, siue laici, administratores onera recipientes perpetua missarum sine licentiâ Episcopi, aut eius Vicarij Generalis, sunt rei Interdicti ab ingressu Ecclesiæ. Pariter ipsi, & cæteri alij eleemosynas recipientes, siue sint personæ priuatæ, siue officiales, vt collectores earum, siue Sacerdotes seculares incurrunt idem interdictum, quando non possunt satisfacere intra debitum tempus, de quo infra sub *dub*. 7. Similiter eandem pœnam agunt administratores non auferentes capsulas habentes missarum inscriptiones. Idem dic, si denuò restituant, nam id est facere contra Decretum, quod vti lex semper loquitur in prohibitiuis, præceptum enim prohibitiuum semper obligat. Hæc omnia ex verbis ipsius Decreti colliguntur. 126

Secundò, Regulares consentientes, superiores, & subditi in receptionem onerum missarum perpetuorum sine licentia sui Generalis, aut Prouincialis incurrunt priuationem officiorum, inhabilitatem ad ea, & vocis actiuæ, & passiuæ, & nullo modo pœnam interdicti, cuius sunt Rei tantum seculares, vt dictum fuit. Recipientes verò missas manuales tam ipsi Superiores, Sacristæ, & alij Sacerdotes, quibus satisfacere non possunt debito tempore sunt rei prædictarum pœnarum priuationis. Et idem puto dicendum de alijs oneribus missarum ad tempus, quia habent quandam rationem eleemosynarum manualium. Idem dic de non auferentibus capsulas, vel restituentibus ablatas. 127

Quod autem Regulares non sint obnoxij censuræ Interdicti, sicut seculares, manifestè probatur ex illa clausula aduersatiua *Regulares verò sine Generali*. Pontifex enim postquam pœnam Interdicti inflixit secularibus transgressoribus, subiunxit dictam aduersatiuam *verò* proinde excludentem pœnam interdicti superius expressam contra seculares, qua noluit Regulares afficere, & quidem rationabiliter, quia nō sunt augendæ pœnę vni, & alteri minuendæ respectiuè, cum amborum transgressio est æqualis super eadem re in genere. Et id supponitur à *Pasqual. q.* 1112. dum agit de Interdicto contra seculares, & *q.* 1113. de priuatione contra Regulares. 128

Tertiò, actiones, propter quas incurruntur illæ pœnæ tàm à secularibus, quàm à Regularibus respectiuè, sunt tres. *Prima* recipere onera perpetua missarum sine licentiâ. *Secunda*, recipere eleemosynas manuales, quibus non potest quamprimum satisfieri. *Tertia* non auferre capsulas, vel illas ponere in Ecclesia cum inscriptione missarum. Singulæ seorsim inferunt pœnas transgressoribus. 129

Quartò, pœna interdicti statim incurritur, sine alio Iudicis facto, quia censuræ paratam semper habent executionem, *cap. Pastoralis* 130
53. §. *Verùm quia, de appellat. ibi Glos. V. Excommunicatio*, & licet ibi sermo sit de excom- 131

municatione, idem tamen dicendum est de cæteris censuris, quin omnes pari passu cur-
132 runt, *Glos. V. Excommunicatio, cap. Licet 14. de sent. excom. in 6. Glos. V. Suspendendum, cap. Dilectis 55. de appellat.* In terminis nostris *Pasqual. q.* 1112.

133 Aliæ verò pœnæ priuationis officiorum, inhabilitatis, & vocum statim non incurruntur, sed solùm post sententiam à Iudice latam super crimine, propter quod imponitur pœna transgressoribus à lege, vt tenet communior opinio Doctorum, quos magno numero refert *Pasqual. q.* 1113. *num.* 3. *&* 9. Procedit,
134 non obstante clausulâ: *Absq; alia declaratione*, quæ non excludit declarationem criminis, declarandum enim est prius, an inculpatus, sit verè reus, & transgressor legis, atq; subsequenter obnoxius pœnæ à lege iam taxatæ, & declaratæ, *Sanch. lib.* 9. *disp.* 30. *initio*, *Thesaur. Iesuita de pœnis par.* 1. *cap* 5. Pasqual. rem hanc latè prosequitur loco citato.

135 Quintò, à prædictis pœnis tàm Interdicti, quàm priuationis possunt irretiti absolui, quidem sęculares à suo Episcopo, Regulares verò dispensari à suis maioribus Superioribus, *arg. cap. Nuper de sent. excom.* cum non sint reseruatæ. Ita *Tamb. de Missà lib.* 3. *cap.* 1. *§.* 7. *num.* 9. *ex eo Pasqual. q.* 1114. vbi notatur, quod debet emendari delictum suscepti oneris sine licentiâ, hoc est, petere licentiam, si oneri potest satisfieri, aliter renuntiandum est. Idem dic respectu manualium.

136 Sextò, Bulla hæc Decretorum de celebr. missar. loquitur tantùm de missis, & anniuersarijs Defunctorum, vt manifestè patet initio illius, ideo pœnæ non afficiunt transgressores missarum pro viuis.

137 Septimò, non possunt, sub eisdem pœnis respectiuè recipere eleemosynas manuales, & quotidianas, nisi oneribus antea impositis ita satisfecerint, vt noua quoq; onera suscipere valeant, alioquin abstineant. Ibi clarè idem dicitur. Itaq; incurrunt pœnas, si missis receptis quamprimum satisfacere non possunt, hoc est intrà trimestre saltem, dixi enim *cap.* 9. *q.* 30. bimestre esse breue tempus. Peyrin. dicit hìc triennium esse modicum tempus. Sed laxat nimis habenas, sicut enim creditor rei temporalis ægrè fert tam morosum debitorem, ita & defuncti creditores eius, qui recepit eleemosynã debitor effectus ad celebrandum quamprimùm.

138 Octauò, nec Episcopus, nec Generalis possunt dare licentiam recipiendi onera missarũ, quando omnes Sacerdotes onerati sunt missis perpetuis, vt notum est, & deducitur ex textu, in tantum enim hanc licentiam concedere possunt, in quantùm habent Sacerdotes non obligatos, qui possunt satisfacere.

139 Nonò, esto dantes licentiam hanc illicitè, & iniustè nullam ex dictis pœnis incurrant, peccant tamen mortaliter, & sunt cooperatores damni, si scienter dant licentiam, illati defunctis, pro quibus non celebratur *Pasqual. q.* 1115. & satis clarè colligitur extremis verbis dicti textus. Recipientes verò cum tali licentiâ, quæ nulla est, non videntur excusari à pœnis, non ex capite licentiæ inualidæ, sed quia non satisfaciunt oneribus susceptis.

Quæres 27. An testamentum faciens in peccato mortali cum legatis missarum sit satisfactorium, & meritorium?

℞. Legatum missarum est meritorium, & 140
satisfactorium quamuis fuerit factum in peccato mortali, si decedat in gratia Dei, & non est necessaria eius ratificatio. Probatur primùm, quia sicut testamentum per mortem
confirmatur, *ad Hebr.* 9. 17. *l.* 1. *C. de sacros.* 141
Eccles. instit. quibus modis testam. §. Posteriore, ita cum tunc sit perfectum, & absolutum suum sortitur effectum in omnibus, ac proinde cum sit actus bonus, erit quoq; meritorium, & satisfactorium in suis legatis. Confirmatur, quia dispositio consideratur pro eo tempore, in quod eius effectus confer-
tur, *l. Titio cum moreretur ff. de vsufr. l quod* 142
sponsa ff. de donat. ante nupt. vt notant *Bart. & Bald. ibidem cum alijs Pasqual. q.* 1094. *num.* 4. *&* 5. *cum. Gabriel. in Supplem. disp.* 45. *q.* 2. *art.* 2.

Contrarium, quòd testator ex legatis pijs factis in peccato mortali nullum aquirat meritum, nec satisfactionem, nisi in gratiâ constitutus ratificet, quod fecit, tenent *Ricard. in* 4. *dist.* 45. *q.* 4. *art.* 2. *Gabriel. lect.* 46. *in Can. Missæ*, *Suarez tom.* 4. *disp.* 48. *de suffrag. sect.* 8. *num.* 15. asserens oppositum non esse probabile, eà ratione, quia vt opus sit meritorium, & satisfactorium debet prouenire ab agente existente in gratiâ Dei. Sed facilis est resolutio, dicendo non attenditur initium factionis testamenti, sed eius perfectio,
quæ morte absoluitur. Vnde ratificatio quo- 143
q; semper remanet imperfecta, quoadusq; sequatur mors perficiens ipsum testamentum ab initio inchoatum, satis enim tritum est illud axioma, quod voluntas testatoris ambulatoria est vsq; ad mortem, & sic secunda pars conclusionis remanet probata.

Quæres 28. An Ecclesia habens pingues redditus præsumatur obligata ad celebrationem missarum?

℞. Negatiuè, quia in dubio non præsumi- 144
tur obligatio, cum enim sit grauamen, de eo constare debet, nam quælibet res in dubio præsumitur libera, nisi probetur serua, *l. si altius C. de seruit. & aqua*. Vnde & res præsumitur allodialis, non feudalis, nisi talis probetur, *Alex. vol.* 1. *cons.* 129. *Decius cons.* 269. *num.* 1. *cum alijs Ricius par.* 1. *resol.* 356. in terminis nostris, nullam præsumi obligationem in Capellaniâ, licet habeat pingues redditus.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT SEPTIMVM

De Altari Priuilegiato Defunctorum.

SVMMARIVM.

1 *Vsus Altarium priuilegiatorum à Gregorio Papâ.*
2 *Qui vnum concessit Ecclesiæ S.S.Cosmæ,& Damiani in Vrbe.*
3 *Vbi duplex Ecclesia, vtrobique Altare priuilegiatum.*
4 *Altare priuilegiatum liberat animam pro quâ ibidem celebratur.*
5 *Per modum suffragij, quia fideles porrigunt preces pro ipsis, & Pontifex defunctos absoluit à pœnis.*
6 *Altare dicitur priuilegiatum, non Sacrificium, & est locale.*
7 *Priuilegium dat virtutem priuilegiato.*
8 *Indulgentia tàm viuis, quàm mortuis infallibiliter prodest; ex diuina ne promissione, an ex Dei benignâ acceptatione? Hinc inde rationes afferuntur per numeros sequentes vsque ad num.* 42.
9 *Baptismus omnes pœnas peccatis debitas extinguit, Indulgentiæ solùm actualium post Baptisma contractas pœnas.*
10 *Infallibilis effectus prouenit ex diuinâ promissione.*
11 *Indulgentias dari est de fide, ex illis verbis:* quodcumq; solueris.
12 *Eadem clauis iurisdictionis remittit pœnas viuis, & defunctis.*
13 *Suffragia infallibilter prosunt.*
14 *Ex articulo de communione Sanctorum, & ex illis verbis. Petite; & accipietis.*
15 *Opposita sententia cum suis Authoribus Communior.*
16 *Mortui iudicantur à Papa.*
17 *Pœna, & peccatum connexionem habent.*
18 *Iudicium finiendum est est ab eo, à quo fuit cæptum.*
19 *Damnati excommunicantur, & puniuntur, licet nondum accusati.*
20 *Absoluuntur defuncti ab excommunicatione, qui dederunt signa pœnitentiæ.*
21 *Mortuus creatur Doctor, & miles.*
22 *Homo excommunicatur ratione animæ, à quo vinculo non absoluitur morte, sed iudiciali absolutione.*
23 *Absolui indirectè defunctum, est viuentes absoluere ab obligatione, quæ illis inest ob censuram.*
24 *Sed reuerâ directè, & immediatè ipse defunctus excommunicatur, absoluitur, vel ligatur, vel declaratur.*
25 *Mors non tollit excommunicationem, sed sola absolutio.*
26 *Indirectè factum supponit directè factum.*
27 *Anatematizare est cum solemnitate excommunicare.*
28 *Scriptura Sacræ plures sensus habere potest.*
29 Super terram *refertur ad ministrum ligantem, vel soluentem, qui debet esse viuens.*
30 Super terram, *idest* in terrâ.
31 *Sic docent Sancti Augustinus, Adrianus Papa, & Gregorius VII.*
32 *Vnde nomen* Terræ *accipitur vt condistincta à Cælo.*
33 Vt à peccatis soluantur *i. à pœnis.*
34 *Papa excommunicat decedentes in peccato mortali, mortuos verò in gratiâ absoluit ab excommunicatione, à pœnis, & à prohibitione sepulturæ.*
35 *Mortuus nullus absoluitur Sacramentaliter à peccatis.*
36 *Mortuus licet à Deo iudicatur, adhuc iudicari potest à Papa, vt mox dictum fuit.*
37 *Claues proximius exercentur à Papa pro mortuis, quam pro viuis; sunt membra huius Ecclesiæ.*
38 *Dicunt Christum recusare posse oblatum pretium à Papa pro anima defuncti, sicut Princeps repuere gratiam petitam.*
39 Per modum suffragij *fiat cum iudiciali absolutione datâ à Papa ex æquo tam viuis, quam defunctis. suffragium enim refertur ad fideles, absolutio ad Papam.*
40 *Suffragari ergo est fideles viuētes auxiliari defunctis mediantibus præscriptis operibus in cartâ Indulgentiarum.*
41 *Iudicium Dei pro defunctis non aduersatur iudicio Pontificis, qui ad huc animas habet sibi subiectas ratione pœnæ, quam contraxerunt, dum viuerent in terrâ.*
42 *Altare priuilegiatum requirit applicationem sacrificij illi animæ, quæ liberanda est.*
43 *Celebrans in priuilegiato, vbi non obligatur, potest diuidere Indulgentiam à sacrificio, & satisfacere duobus, sed sine stipe.*
44 *Non satisfacit extra Altare priuilegiatum, applicando Megdaleam.*
45 *Sacrificium, & Indulgentia spectantur per modum vnius principij liberantis animā.*
46 *Quod nō potest efficere megdaleæ opus, cum sit quid præuium disponens, non producens effectum.*
47 *Non celebrans in Altari priuilegiato petito peccat mortaliter, non tamen tenetur missam reficere.*
48 *Missam defraudans ratione loci non peccat contra Iustitiam, sed tantùm contra fidem datam.*
49 *Missa de Requiem dicenda, si ea exprimitur.*
50 *Exceptis diebus prohibitis, quibus satisfit currenti.*

51 *Mens*

51 *Mens Principis talis præsumitur, qualis de iure debet esse.*
52 *Responsum Sacræ Congr. non posse dici missam de Requiem in Altari priuilegiato diebus duplicibus, & de praecepto.*
53 *Missà currenti satisfit diebus prohibitis celebrari de Requiem.*
54 *Fauorabilis est materia de Altari Priuilegiato.*
55 *Responsum aliud. Missà nisi sit de Requiem non satisfit, licet in Indulto non exprimatur.*
56 *Explicatur non suffragari, si non dicatur illis diebus, quibus non prohibetur dici.*
57 Licet in Indulto non exprimatur *scilicet, vel nullitas suffragij, vel prohibitio Rubricæ.*
58 *Forma censetur adimpleta, quando legitimè impeditur.*
59 *Forma per æquipollens impletur, quando consideratur effectus.*
60 *Prohibitio celebrandi missas de Requiem non cessat etiam respectu Altarium priuilegiatorum.*
61 *Reuocatio cum sit odiosa non præsumitur.*
62 *Correctio iurium vitanda est.*
63 *Ecclesia militans seruit triumphanti orando pro mortuis.*
64 *Bonum bono non opponitur, quando referuntur ad eundem effectum.*
65 *Octaua commemorationis defunctorum prorogatur, quando primus dies venit in Dominicà.*
66 *Missa quæcumq; dici potest, quando non exprimitur de Requiem.*
67 *Obligatio non cadit supra modum, si non est expressus.*
68 *Qualitas non præsumitur, sed probanda est.*
69 *Missa currens æquè proficua defunctis, sicut votiua.*
70 *Responsa S. C. non sunt leges, nisi Papa approbante.*
71 *Missa de Requiem non requiritur in aliis Altaribus pro Megdaleis.*
72 *Sacrificium, & Indulgentia liberant animam, in aliis sola Indulgentia Megdalearum.*
73 *Recipiens Indulgentiam pro mortuis non est necesse, quòd sit in gratià.*
74 *Nisi quando præscribitur Sacra Communio quæ non prodest pro mortuis recepta in peccato à viuente.*
75 *Papa concedendo Indulgentias dicitur eleuare bona opera præscripta pro lucro Indulgentiarum secundum Card. de Lugo.*
76 *Cõcessio alicui facta, ei immediatè aquiritur.*
77 *Bulla Indulgentiarum pro viuis, & defunctis Leonis X. missa Caietano.*
78 Transferre *Indulgentiam est offerre Deo bona præscripta pro consecutione Indulgentiæ defunctis.*
79 *Absoluuntur defuncti à pœnis mediante Indulgentià.*
80 *Transferre Indulgentiam, est propriam Indulgentiam non receptam pro se tribuere defunctis.*
81 *Eleuatione operum deprimitur virtus Indulgentiarum.*
82 *Indulgentia operatur ex opere operato.*
83 Ex opere operato *agens alterius consortium excludit.*
84 *Sacramenta quia ex opere operato agunt, non egent alterius consortio.*
85 *Dormiens adultus antea dispositus baptizatur.*
86 *Recipiens remissionem omnium peccatorum, & pœnarum.*
87 *Dispositio est voluntas, fides, & attritio in adultis.*
88 *Attritio est de actualibus non originali.*
89 *Complacens de veniali, illius pœnâ non liberatur, cum non sit remissa culpa hac baptismo.*
90 *Veniale non est obex ad gratiam.*
91 *Sed solum impedit solutionem pœnæ illi respondentis.*
92 *Baptismus non est Indulgentia, cum non dependeat ab auctoritate Apostolicà.*
93 *Baptismus non requirit aliquem actum satisfactorium, sicut Pœnitentia, quæ totam pœnam non delet sicut Baptismus.*
94 *Baptismus non operatur cum alio Sacramento.*
95 *Satisfactio Sacramentalis nulla, eleuatur Indulgentià ad producendum suum effectum, cum in sua virtute sit perfecta.*
96 *Opera Dei opera perfecta sunt.*
97 *Sacramenta ita sunt perfecta, vt non egeant eleuatione per Indulgentias.*
98 *Opera præscripta pro lucro Indulgentiæ non eleuantur, nec sunt pretium, nec liberant, sed tantùm disponunt subiectum.*
99 *Opus pium pars Sacramentalis operatur ex opere operato, alias solùm ex opere operantis.*
100 *Afflictio non est danda afflicto, nec duplex consurgit tribulatio.*
101 *Infantes ad Baptismum disponũtur per Ecclesiam, sicut mortui ad Indulgentiam per viuentes.*
102 *Nulla dispositio ex parte defuncti, sola gratia ei sufficit.*
103 *Sacrificij fructus etiam ignorantibus aquiritur.*
104 *Altaria priuilegiata prosunt solùm defunctis.*
105 *Sacrificium missæ, propitiatorium, satisfactorium, & impetratorium.*
106 *Fructus eius triplex, generalis ex communione Sanctorum, specialis celebrantis, & medius eius, qui petijt.*
107 *Celebrans non dat Indulgentiam, sed Papa.*

108 *Al-*

4 R. Altare priuilegiatum est illud, in quo Papa concedit Indulgentiam plenariam pro mortuis liberandis per modum suffragij, mediante celebratione missæ in eodem Altari.

Dixi primò, quòd hæc concessio fit à Pontifice Romano, solus enim ipse habet clauem aperientem Sacrum Ærarium Thesauri satisfactionum Christi, & eius Sanctorum, ad eum finem, vt ex illo Sacrum pretium extrahere possit pro solutione Deo facienda ad extinguenda debita per Christi fideles contracta ob eorum peccata iam remissa per Dei misericordiam, qui in Purgatorio existentes dicuntur liberari, & conduci ad vitam æternam.

Dixi secundò, quòd hæc concessio consistit in Indulgentiâ plenariâ, nam Altaris priuilegiati virtus in eo consistens est vt positâ celebratione liberetur anima, pro qua fuit celebratum Sacrificium, ab omnibus pœnis volando in Cælum, mediantibus ipsis Sacrificio, & Indulgentiâ plenariâ, quibus coniunctim ab omnibus pœnis eximitur ea anima, pro quâ celebratum fuit, si enim Indulgentia non esset plenaria, non esset remissio omnium pœnarum, sed aliquarum tantùm, dum ergo anima ab omnibus pœnis liberatur, exigitur vt Indulgentia sit plena, & totalis, non pars relinquens portionem debiti, aliter Altare non esset perfectè priuilegiatum, neq; anima diceretur liberari, sed refrigerari à pœnis.

5 Dixi tertiò, eam animam per modum *Suffragij* liberari à pœnis, alio enim modo liberantur viuentes, alio modo defuncti, nam viuentes se ipsos disponunt exercentes pia opera, quæ præscribuntur necessaria ad aquirendam Indulgentiam, quibus expeditis Indulgentia suum sortitur effectum, Romano Pontifice absoluente eos à pœnis, & cassante debitum. Mortui verò cum per se ipsos ad lucrum Indulgentiarum se disponere non possint, egent fidelium viuentium auxilijs, & Suffragijs ad exequenda opera, quæ præscribuntur in diplomatibus Indulgentiarum, quę fiunt ab ipsis viuentibus pro defunctis, & ideo Indulgentiæ dicuntur hoc modo concedi pro defunctis per modum Suffragij, & auxilij, nisi enim adiuuarentur à viuentibus non liberarentur à pœnis per Indulgentias. Positis ergo his omnibus tum ex parte fidelium, tum ex parte Pontificis Deo oblatis tamquam pretium extinctiuum debiti, Pontifex alio actu iurisdictionali absoluit animas defunctorum, pro quibus celebratum fuit, vel suffragatum. Sed de his latius infra in quæst. sequenti, vbi de efficaciâ Indulgentiarum pro mortuis,

Dixi quartò, *mediante celebratione* non simpliciter, sed in Altari priuilegiato. Hoc complexum ita necessarium est, vt sine eo anima defuncti non consequatur hunc effectum liberationis ex vi Altaris priuilegiati.

Pasqualigus *q.* 728. de sacrif. definit, quòd priuilegium, quod conceditur Altari, est potius priuilegium Sacrificij in eo celebrati, quam Altaris, cum enim in eo consistat, quòd habeat vim liberandi animas à pœnis Purgatorij, & hoc præstet celebratio Sacrificij, priuilegium erit concessum Sacrificio, quamuis sit concessum ratione Altaris, in quo offertur. Quod confirmat, quia huiusmodi priuilegia non sunt semper absoluta, sed aliquando limitata ad certos dies, & etiam aliquando ad certas personas, quod est signum non esse proprium Altaris, quia si esset proprium se haberet vt priuilegium locale, quod semper permaneret, & valeret respectu quorumcumq. Hoc autem factum est ad determinanda Sacrificia, quibus conceditur talis efficacia vnde ad magis restringenda facta est coarctatio ad dies, & ad personas. Hæc ille.

Non placet, reuera enim priuilegiatur Altare, quia Sacrificium in alio Altari factum non operatur talem effectum, quem producit factum in Altari priuilegiato, ergo non Sacrificium, sed Altare appellandum est priuilegiatum. *Deinde*, vt dixi, & omnes dicunt, entitas huius, priuilegij est Indulgentia plenaria, quæ non Sacrificio conceditur, habet enim de se operari proprium effectum, licet non hunc, neq; indiget eleuari ab hac Indulgentiâ, cum sit illâ efficacius in operando, non eget ergo hac denominatione, sed competit tantùm ipsi Altari tamquam conditioni sine qua Sacrificium non operatur hunc specialem effectum requirentem complexum vtriusq; nempe celebrationem in Altari priuilegiato. *Præterea* nullus ex Pontificibus aliquando denominauit Sacrificium priuilegiatum, sed tantùm Altare, vt patet supra in diplomate Vrbano, Sacrificium enim de se est tam sublime, excelsum, & infinitum, vt aliquo non egeat priuilegio, natura enim priuilegij est dare virtutem non habenti, vel illi conferre aliquod beneficium, quod facit præsens priuilegium Indulgentiæ plenariæ, quæ vnita Sacrificio cum eo extinguit pœnas omnes eius, pro quo celebratur. 6 7

Ad confirmationem respendeo, ex eo quòd hoc priuilegium diuersimodè conceditur, potius sequitur, quod sit Altaris, & non Sacrificij, quia Altaria diuersa sunt, & non omnibus competunt, vt patet, cum regulariter vnius Ecclesiæ vnicum sit Altare priuilegiatum, Sacrificium verò vnum in omnibus Ecclesijs reperitur, solum numero diuersum. Et quidem priuilegium hoc est locale, quia suum effectum producit solùm celebratione missæ in eo Altari, & non extra, ergo ei competit ratio priuilegij.

Neque ex eo, quòd est locale debet necessariò manere perpetuò, quia Princeps priuilegia pro suo arbitrio concedere potest, ea limitando non solùm loco, sed etiam tempore.

Quare cum possit priuilegium tempore limitari, manifestè apparet concedi Altari, & non Sacrificio, quia elapso tempore respectu Altaris adhuc in Sacrificio perseueraret priuilegium, si ei esset concessum quod nemo dicet, quia finito tempore omninò cessat priuilegium.

Quæres 2. An hoc priuilegium debito modo adhibitum infallibiliter producat suum effectum, liberando animam, cui fuit applicatum?

8 ℞. Indulgentia Altaris priuilegiati, sicut quælibet alia à summo Pontifice concessa si debito modo adhibeatur, & summatur suum effectum infallibiliter producit, tam in defunctis, quam in viuis, liberando earum animas à pœnis debitis pro peccatis actualibus iam ritè remissis; dico *actualibus*, quia pro originali, immo & pro actualibus pœnæ omnes per baptismum vnà cum peccatis omninò tolluntur, vt docet Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 14.

9 Probatur, quia id operatur infallibiliter
suum effectum, quod ex diuinà institutione,
& promissione agit; sed Indulgentia est ex di-
10 uinà institutione, & agit ex eiusdem promis-
sione, ergo operatur infallibiliter suum effectum, qui est liberatio à pœnis Purgatorij. Maior patet, quia diuina bonitas, cum sit summa, non patitur vt decipiat quemquam in suis promissionibus, non enim Deus infidelis est, sed promissis stat. Minor probatur, quia de Fide est earum institutio à Christo Domino, vt definierunt Concilia, Constant. *sess.* 8. contra Ioannem Viglephum negantem ibi num. 42. credendum esse Indulgentijs propterea damnatum, & *Trident. sess.* 25. in fine, Leo X. contra Luterum, in sua 40. *incip. Exurge Domine, à num.* 19. definitione
11 per Theologos acceptà à Christo Domino,
dum Petro, & eius successoribus dixit *Matth.* 16. 19. *Tibi dabo claues Regni Cælorum, & quodcumq; ligaueris super terram erit ligatum & in cælis; & quocumq; solueris super terram, erit solutum & in cælis*. Quas claues illi dedisse colligitur ex Ioanne 21. 18. cum eidem dixit: *Pasce oues meas*. Ecce, quod institutio Indulgentiarum coniungitur cum promissione ex illis verbis: *Quodcumq; solueris super terram*, dum scilicet, hic viues, ecce institutio; *erit solùtum & in cælis*, ecce promissio.

Quod hęc potestas clauium referatur etiam ad Indulgentias, non est dubitandum, quia nullus decedens in gratià Dei debitor pœnarum potest introire in regnum cælorum, nisi prius ab illis sit liberatus, propter quod Deus Petro, & eius successoribus dedit claues Regni cælorum, vt fideles possent absoluere, & liberare non solum à peccatis, verùm etiam à pœnis, remissis culpis, aperiendo illis Regnum Cælorum. Theologi à dictà auctoritate colligunt Indulgentiarum institutionem, vt insinuant *Faber disput.* 38. *num.* 239. *de pœnit. Suarez disp.* 49. *sect.* 1. *num.* 5. *Castropal. par.* 4. *tract.* 24. *p.* 2. *num.* 6. Indulgentia ergo suum effectum infallibiliter producit, dum operatur ex diuinà promissione.

Confirmatur *primò* ex Bulla Leonis X. extensa *par.* 3 *q.* 48. *art.* 5. per Caietanum, ibi: *Omnes tam viuos, quàm defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias huiusmodi consecuti fuerint à tantà temporali pœnà secundùm diuinam iustitiam pro peccatis suis actualibus debità liberari, quanta concessa, & aquisita Indulgentia æquiualet*. Comparantur hìc viuentes, & defuncti, sed viuentes digni infallibiliter consequuntur effectum Indulgentiæ, ergo & defuncti, eadem enim est clauis re-
mittendi peccata, & soluendi pœnas, *ex* 12
Scoto in 4. *dist.* 18. *Vers. Contra, & dist.* 19. *à num.* 21. *Fabro disp.* 32. *num.* 28. & docet Trident. *sess.* 6. *cap.* 14. cum ergo liberatio à culpà, & à pœnà proueniat ab eàdem claue iurisdictionis, non minus erit infallibilis respectu vnius liberati, quam alterius.

Confirmatur *secundò*, quia Sacramenta, & suffragia infallibiliter producunt suos effe-
ctus, ergo & Indulgentiæ, ne sint minoris
virtutis suffragijs; de Sacramentis pro viuis 13
constat; de suffragijs pro se, & proximo tam viuo, quàm defuncto, quòd infallibilem habeant effectum ex Dei promissione, & acceptatione, probant *Suar. disp.* 48. *sect.* 2. *num.* 6 *etiam pro mortuis ibidem sect.* 6. *num* 6. *Castropal. par.* 4. *tract.* 24. *p.* 1. *§.* 1. *num.* 8. *Faber disp.* 37. *à num.* 20. desumitur ex arti-
culo communionis Sanctorum, quam Deus 14
voluit communicari inter omnes fideles tam viuentes, quàm defunctos, qui magis sancti sunt, quàm viuentes, qui aberrare possunt.

Confirmatur *tertiò*, *ex cap.* 7. 7. *Matth. Petite, & dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis: Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperitur*. Sed non solum viui, sed etiam defuncti petunt liberari à pœnis Purgatorij; iuxta illud Iob 19. 21. *Miseremini mei, saltem vos amici mei*, ergo si Indulgentiæ eis ritè applicentur, infallibilem eis producent effectum liberationis, cum eis Deus non possit deesse ex promissione datà, vt colligitur ex præfatà Christi sententià. *Petite, & accipietis*, quæ arguit promissionem; & pulsanti defuncto per Indulgentiam aperitur porta Purgatorij, vt possit ingredi in Regnum Cœlorum, cuius porta per Indulgentiam aperitur. D. August. *in lib. sent. Prosperi apud S. Thomam in Catena Aurea super cap.* 7. *Matth.* mentionem facit de ea promissione. *Si autem id postulat, quod & Deus præcipit, & promittit, fiet omninò, quod poscit*. Dat ergo Deus, quod promisit omnibus, tùm viuis, tùm defunctis, qui fine dubio dignè petunt, dum Deo in caritate ex hoc mundo migrarunt,

runt,

runt, nec eis aliud deest nisi suffragium viuorum dignè applicatum.

Hanc sententiam, quòd Indulgentia habeat effectum infallibilem ex Dei promissione, docent *Scotus in 4. dist. 21. q. 2. art. 3. Vers. Est tamen*; *Nauar. de Indulg. Notab. 22. Suarez disp. 53. sect. 3. Castropal par. 4. tract. 24. p. 10. num. 4. de Lugo disp. 27. num. 58. Sanctar. de Iubileo cap. 4. dub. 11. apud Pasqualig. q. 729.* alij citantur, qui cum dictis sunt septemdecim Doctores.

15 Contrarium tenent plerique, Indulgentias non prodesse defunctis infallibiliter, sed tantùm ex Dei *benignâ acceptatione*, non autem ex *diuinâ promissione*, & sunt tredecim Doctores relati à Pasqual. *ea q. 729. num. 4.* quos sequitur, & probat *primò*; quia licet de promissione acceptau di satisfactiones thesauri Ecclesiæ oblatas pro viuis constet ex illis verbis: *Quodcunq; solueris super terram, erit solutum, & in cælis*, ex quibus colligitur infallibilitas Indulgentiarum pro viuis, cum Deus non deficiat in suis promissionibus, non tamen constat de hac promissione pro mortuis, qui non sunt *super terram*, sicut viui, ergo promissio non extenditur ad mortuos. *Secundò*, debitum pœnæ relictum post remissionem peccatorum refertur ad solum Deum creditorem illius, ergo ab hoc solo tale debitum est remissiuum modo iurisdictionali, cum Papa non amplius habeat defunctos sub suâ iurisdictione, vnde eos absoluere non potest, sed tantùm rogare Deum, vt absoluat. *Tertiò* probat ex differentiâ remittendi pœnas per Indulgentias viuis, quibus prosunt per modum *absolutionis*, defunctis verò per modum *suffragij*, ex omnium sententiâ, ergo Indulgentiæ pro defunctis non habent effectum infallibilem quia non absoluuntur à pœnis iudicialiter, sicut absoluuntur viui ex diuinâ promissione qui solùm subduntur iurisdictioni Pontificiæ.

Quibus tamen non obstantibus dico probabiliter loquendo, vt supra, Indulgentias suos producere infallibiliter effectus ex diuinâ promissione, & Romanum Pontificem habere potestatem iudicialem tum condemnatoriam, tum absolutoriam defunctorum Purgatorij. Primum patet ex dictis supra, secundum probatur, ex quo primum magis confirmatur.

16 Probatur ergo, Pontificem Romanum iudicare etiam mortuos *Primò*, quia mortui adhuc sunt membra Ecclesiæ militantis, vt probat Faber *disp. 37. de pœnit. num. 27. ex S. Augustino lib. 10. de Ciuit Dei cap. 9. Neque enim piorum animæ defunctorum ab Ecclesiâ separantur, quæ est Regnum Christi.* Purgantes nondum separatæ sunt ab Ecclesiâ militante, quia adhuc in eâ militant, & laborant in solutione suarum pœnarum, dum ingentia tormenta sustinent pro suis peccatis, dum laborant non quiescunt, quies enim perfecta solum in Cælo est, in quo non sunt, ergo in terrâ, vbi est Ecclesiæ militia.

Secundò, quia connexo uni idem est iudicium, ex vulgatis iuribus, *Barb. Axiom. 51.* 17 sed peccatum, & pœna sunt connexa ex quâdam necessitate, nam pœna sequitur culpam, & peccatum, *l. Sancimus 22. C. de pœnis ex Reg. 23. in 6. D. Thoma 2. 2. q. 108. art. 4.* quia pœna est medicina culpæ, inquit *S. August. lib. 1. Retract. cap. 9.* est enim pœna deuictorum satisfactio à lege, vel legis ministro imposita, vt dicitur in *Rubr. ff. de pœnis*; sed homo viuens est sub d tus Ecclesiæ quò ad liberationem peccati, & pœnarum, ergo & mortuus quo ad reliquum pœnarum.

Tertiò Pontifex Romanus totum mundum habet pro suo territorio, in quo iudicare potest omnes, qui in eo habitant, *cap. Cuncta per mundum 17. & 18. 9. q. 3.* sed defuncti omnes patientes sunt in hoc mundo terreno, dum non sunt in alio celesti nuncupato, in quo nulla passio, tormentum nullum, nec vllus dolor sentitur, non enim datur alius mundus præter terrenum, in quo sunt viuentes super terram, & mortui parientes sub terrâ; & cælestis, iuxta illud Gen. initio *In principio creauit Deus cælum, & terram*, & quod dicitur in *Psal. 113. 16. Cælum Cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum.* Etiam in Oratione Dominicâ ponitur hæc distinctio. *fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra.* Est ergo certa distinctio superiorum, & inferiorum, in quibus sunt viui, & mortui in eodem territorio terreno, ac proinde sub eodem iudice terreno.

Quartò fac. *l. si quis 7. l. vbi 30. ff. de iudic.* quia iudicium cæptum ab eodem est finiendum, sed iudicium cæptum contra viuentem, vel pro viuente quandoq; non finitur dum viuit, ergo finiri potest post mortem, neq; enim fas est negotium relinquere imperfectum, ergo post mortem terminari potest, euidens argumentum, quod mortui sunt de territorio huius mundi. 18

Quintò, quis sortitur forum ratione delicti, *cap. fin. de foro comp.* sed delicta mortuorum perpetrata fuerunt in hoc mundo dum viuerent, & nondum plenè iudicata, ergo post mortem vlterius iudicari possunt. Et id quò ad condemnationem, & absolutionem infra magis parebit, ex Sanctis Patribus.

Condemnantur ergo iudicialiter defuncti, 19 postquam ex hac corporali vitâ transierunt ad tabernacula inferiora, vt patet ex dictis, & in specie magis confirmatur *Primò* auctoritate Synodi *V. Act. 1. relata in cap. Sane 6. 24. q. 2.* decernentis, hæreticos defunctos, & eorum benefactores qui eis facultates reliquerunt, posse anatematizari, licet ante mortem, dum viuerent, non fuerint accusati,

vbi dicitur à S. Synodo, id esse traditionem Ecclesiasticam, & doctrinam S. Augustini. *Secundò*; vsus est antiquissimus non dandi sepulturam Ecclesiasticam certis peccatoribus ex Rituali Pauli V. de qua pænâ plura dixi *Resol.* 51 *à num.* 93. ergo Ecclesiæ Pastor potestatem iudicialem condemnatoriam habet super defunctos, dum eos priuat Ecclesiasticâ, sepulturâ nō viuos, qui nō sepeliūtur, sed mortui *Tertiò*, Ecclesia ligare potest, & soluere mortuos vt dicitur *cap. A nobis* 28. *de sent. excom.* quia illi subduntur ratione territorij, & delicti, ac proinde ex duplici capite. *Quartò, in l. Meminisse* 6. *l. post. diui* 7. *C. ad l. Iuliam, læsa maiest.* huius criminis rei post mortem accusari possunt, & damnari eorum memoria. Quare, vt inquit Caramuel vir subtilissimi ingenij, in suâ Theologiâ fundamentali *num.* 1242. defunctos posse accusari, citari, & condemnari meridie mero clarius est.

20 Absoluuntur quoq; defuncti, & fauores eisdem præstantur à Iudicibus Ecclesiasticis, eâdem auctoritate iudiciali, quâ possunt condemnari, potest enim ille absoluere, qui condemnare potest, *l. qui condemnare* 3. *ff. de re iud. l. Nemo* 38. *ff. de reg. iur. cap. inferior* 4. *dist.* 21. *cap. cum inferior* 16. *de maior.* se se enim inuicem inferunt.

Probatur *Primò*, *ex cit. cap. A nobis* 28. *de sent. excom. ibi : Et in certis casibus à canonibus denotatis ligasse legatur Ecclesia mortuos, ac soluisse.* Nam excommunicatos, qui pænitentes parati obedire decesserunt absoluit Superior verè, & iudicialiter, sicut absoluisset, si vlterius vixissent, nam mors ab eo non sustulit excommunicationem, ergo ab eâ absoluitur verè sicut alter viuens, cum morte non tollatur pæna spiritualis, sed eius vis duret vlterius, vt docet *Ricciull. de iure person. extra Eccl. grem. lib.* 4. *cap.* 60. quam sententiam multis citatis dicit esse receptiorem, & verissimam, qui *num.* 41. *&* 42. apertè dicit mortuos excommunicatos absolui. Probatur *Secundò*, quia quibus viui communicauimus, mortuis quoq; communicare possumus, *cap. Sane* 3. 24. *q.* 2. ergo, & eos absoluere ab excommunicatione, qui actus absolutionis est quædam communicatio. *Tertiò* defunctus creari potest miles, & doctor, quia in his actibus honoratur memoria de-

21 functi, *Bart. in l.* 1. *C. de dignit. lib.* 12. *alij in citatum cap. A nobis de sent. excom. Ricciull. lib.* 4. *cap.* 60. *num.* 8. si defuncti in his honorantur, ergo etiam in ablatione excommunicationis verè, propriè, & directè, & à fortiori in absolutione directâ, & iudiciali à pænis peccatorum per Indulgentiam, sicut viuentes.

Confirmatur, quia licet moriatur homo quò ad corpus, viuit tamen quò ad animam,

22 quæ est immortalis, respectu cuius homo dicitur excommunicari, & etiam absolui ab excommunicatione, quæ non corpus, sed animam afficit, dum eam priuat à communione Ecclesiæ, ex sententiâ omnium, qui agunt de excommunicatione, quæ ab animâ tolli non potest neq; in hac vitâ, neq; in aliâ nisi per formalem absolutionem, & sicut cæptum fuit iudicium dum persona viueret à Iudice Ecclesiastico, ita ab eo terminandum est, vt habent iura superius citata, dum ergo anima non moritur cum eâ manet auferendâ ab eo, qui eam fulminauit, vel ab eius Superiore.

Probatur *Quartò*, magis ad rem nostram, fidelis dum in hoc viuit sæculo peccando contrahit pænam, quæ ex necessitate sequitur culpam, vtrumq; autem tollitur per Sacramentum Pænitentiæ, culpa quidem in totum, pæna verò de æterna commutatur in temporalem, & aliquid illius temporalitatis per absolutionem tollitur, *Trident. sess.* 6. *cap.* 14. in quo conueniunt omnes Theologi, remanet ergo pæna in hoc mundo contracta etiam post mortem, si non fuit sublata per actiones satisfactorias, aut Indulgentias, soluenda in Purgatorio, ergo eâdem auctoritate, quâ Superior applicatione Indulgentiarum iudicialiter absoluit à pænis viuentes, absoluit quoq; animas defunctorum, in vtroq; enim statu absolutio cadit super animam, cum semper sit viuens, & immortalis, & absolutio semper est eadem quò ad ablationem pænarum, cum Superior eâdem potestate vtatur respectu vtriusq; præsertim cum debitum fuerit contractum in hoc sæculo, ergo anima ab hac vitâ ad aliam migrando secum trahit idem debitum, quod proinde remanet sub dispositione Superioris, sicut erat ante.

Communior Theologorum sententia docet apud *Suarez disp.* 5. *sect.* 1. *Castropal. disp.* 16. *de cens. p.* 6. *num.* 1. *Bonac. p.* 4. *de cens. disp.* 1. neminem excommunicari posse post mortem, quia mortuus, est incapax excommunicationis, cum feratur vt inobediens resipiscat, & corrigatur, quod in mortuis dari non potest. Tum quia non sunt amplius subditi, cum Iudex Ecclesiasticus iudicet tantùm, qui sunt super terram *Matth.* 16. dicunt ergo, quod mortuus indirectè potest excommunicari, & absolui ab excommunicatione, in quantùm per indirectam excommunicationem prohibentur fideles suffragari defunctis, & dare excommunicatis sepulturam ecclesiasticam, potestate ergo indirectâ excommunicant in quantùm viuentibus ea prohibent, declarant enim illos esse censura affectos, & indirectè prohibent viuentibus communicare cum illis. Pari modo, qui petierunt absolutionem dantes signa pœnitentiæ defuncti absoluuntur indirectè, hoc est declarantur absoluti ipsi, & fideles viuentes eximuntur ab illâ prohibitione communicandi excommunicatis iam indirectè absolutis. Quare hoc indirectè absoluere, vel ligare, 23

de-

defunctum, est viuentes ligare, vel absoluere ab obligatione, quæ illis inest ob censuram, quà defunctus ligatus erat. Et ita intelligunt *cap. A nobis de sent. excom.* & alia iura superius citata de ligatione, & absolutione indirectà fauore scilicet, vel contrà viuentes.

24 Ego autem dico, probabiliter defunctum post mortem propriè, & directè declarari incidisse in excommunicationem propter delictum commissum ante mortem habens adnexam excommunicationem non solum latæ sententiæ, sed etiam ferendæ, respectu cuius transgressor non solum declaratur, vt fit respectu latæ sententiæ, sed etiam excommunicatur, ratio est, quia respectu delicti, anima defuncti, quæ non moritur, adhuc est de foro ecclesiastico, latio enim censuræ, & eius declaratio pertinent ad eandem potestatem, dum versantur circa eandem causam, & subiectum. Defunctus autem, qui dedit signa pœnitentiæ petendo absolutionem, non est declarandus excommunicatus, quia resipuit, sed ab excommunicatione absoluendus, & quidem directè, quia anima cum hoc vinculo transiuit, ergo ab eo directè liberatur, dum sibi prodest, non solùm ablatione ligaminis huius, sed etiam dum per huiusmodi absolutionem cæteri fideles eximuntur à prohibitione suffragandi pro eo defuncto, cùm ergo magna vtilitas acquiratur animæ defuncti tum respectu sui, tum aliorum per huiusmodi absolutionem, nescio, quà ratione non sit dicenda directa, & propria cum præcipue eius attendatur beneficium, & non viuentium, qui licet eximantur ab illa prohibitione, non tamen illis erat onerosa, sicut talis est respectu excommunicatorum viuentium. Ex quo vlterius patet, lationem, & declarationem excommunicationis esse directè, & propriè actum iurisdictionis respectu ipsius patientis sententiam contra se, cum sit directè nociua animæ excommunicati, qui priuatur Ecclesiæ suffragijs non indirectè, sed directè, dum ille priuatur immediatè tot beneficijs, indirectè alijs, respectu quorum prohibitio non dicitur beneficium.

25 Confirmatur, quia absolutio dirigitur ad defunctum, dicitur enim in citato *cap. 28. de sent. excom. defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur*, non dicitur, beneficium impendi viuentibus absolutionis à prohibitione communicandi, cum excommunicato mortuo, sed quòd absolutio datur ipsi defuncto, & ibi redditur ratio: *quamuis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus*. Cum ergo mors non tollat excommunicationem, auferenda est à Superiore, & consequenter directè, dum dirigitur ad defunctum, & non ad viuentes. *Vide Martam par. 3. cap. 19. num. 26.* vbi quòd sepulcrum, si Cadauer haberi non potest, percutitur, & formam absolutionis directam in mortuum refert; in defunctum extendit Fagnanus ad dictum *cap. num. 14.*

Quare ex his patet responsum ad rationes supradictas de ligatione, & absolutione indirectà, nimirùm falsum esse defunctos esse incapaces excommunicationis, cum Pontifex absolutè in eo textu defunctos ligari, & solui posse asserat, id quòd, & simpliciter statuit quinta Synodus generalis, vt dictum fuit supra, non distinguendo inter absolutionem, & ligationem directam, vel indirectam, vnde vbi lex non distinguit, neq; nos distinguere debemus, *ex vulgatis iuribus*, & reuera ea locutio maximè impropria est, cum præseferat actum iurisdictionis ligatiuum, vel absolutiuum referri ad viuentes, non ad defunctos, in quantùm per ligationem viuentes prohibentur communicare cum mortuis excommunicatis, & per absolutionem auferri ab eis prohibitionem communionis, esto enim id sit verum, cum nihilominus supponat alium priorem actum directum in mortuum 26
excommunicatum, vel absolutum, necesse est dicere, prius directè excommunicari, vel absolui defunctum, quàm quòd prohibeatur viuentibus communicatio per excommunicationem, vel eximantur à dictà prohibitione per absolutionem, hæc enim duo respectu viuentium veniunt in consequentiam, & indirectè, ergo necesse est, quòd excommunicatio, & eius absolutio sint directè in mortuum, cum illum tantùm tangant, & non viuentes, qui nullo modo ligantur, nec absoluuntur, sed prohibitio, vel ab eà liberatio prouenit, illa quidem ab ipsà censurà, hæc verò à destructione excommunicationis, non ex vi verborum, quæ immediatè diriguntur in censuratum. Et ita docent omnes Canonistæ, & alij scribentes ante recentiores. Neque verbum *Anatematizare* aliud significat ab ex- 27
communicare, nisi in eo, quòd importat quandam solemnitatem in excommunicando, supra actum excommunicationis ordinariæ, quæ fit sine tali solemnitate, ambo igitur omnino verè, & propriè important primam censuram, vt docent omnes in Bulla cœnæ Domini.

Reliquum est, vt respondeamus ad argumenta probantia Indulgentias non prodesse infallibiliter ex promissione, sed tantùm per modum suffragij, quia Papa super animas defunctorum non habet directè iurisdictionem, vt colligunt ex illis verbis. *Quodcumq; solueris super terram*. Magnam enim vim faciunt, *super terram*, dum volunt includere solùm viuentes, ideo.

Respondeo, illam sententiam Domini, per quam fideles docentur Petro traditam fuisse potestatem iurisdictionis circa gubernationem suarum ouium, tum cum dixit, *Pasce oues meas*, plures posse habere sensus ex inter-

terpretatione illius clausulæ *super terram*, sacra enim Scriptura pluralitatem sensuum ca-
28 tolicorum non respuit, sed amplectitur, vt docent omnes cum S. Aug. *tom. 3. lib. 3. de doctrinâ Christ. cap. 26.* illis verbis. *Quando autem ex eisdem Scripturæ verbis, non vnum aliquid, sed duo, vel plura sequuntur, etiam si latet quid senserit ille, qui scripserit, nihil periculi est, si quodlibet eorum congruere veritati ex alijs locis Sanctarum Scripturarum doceri potest.* Quam veritatem vlterius ostendit *lib. 1. de Genesi ad liter. cap. 19.*

29 Duobus autem modis illa verba, *super terram*, interpretari possunt, nam *Primò* referri possunt ad ministrum ligantem, vel absoluentem, qui debet esse super terram, hoc est, hic viuere secundùm animam, & corpus, quia in alio statu ab hoc diuerso, & post hanc vitam, vlterius potestatem nec Ordinis, nec iurisdictionis Dei minister exercere potest, ideo hanc Christus limitauit per ea verba, *super terram*; quem sensum suadent ipsamet alia verba: *Quodcumq; ligaueris super terram* tu scilicet Petre, dum vixeris scilicet, *super terram*, non in Cælo, quia ego dominus, & Iudex, tu seruus, & subditus, vt enim dicitur in Psalmo: *Cælum Cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum*, vt hic exerceant sua opera, & non in Cælo, quod est solius Dei tribunal. Referuntur ergo ea verba ad ministrum *super terram*. Et ita docent duo Canonistæ M. & H; forsan Marianus Socinus, & Hostiensis citati *à Glos. V. Et in Cælis cap. Legatur* 2. 24. *q.* 2. D. Antoninus *in 2. parte 3. part. sum. in Rubr. de Pontif.* interpretatur *super terram* esse referendum ad absoluentem, & ad eos qui purgandi sunt in terris, & non in Cælo, siuè viui, siuè mortui, quem sequitur in terminis de Indulgentijs *Marta par. 3. de iurisd. cap. 20. num. 27.*

Corduba *de Indulg. lib. 5. q. 16. vers. tertiò patet* ad præfatum sensum, quòd verbum *super terram* referantur ad absoluentem, adducit *S. Thomam in 4. dist. 20. S. Bonauenturam q. pen. Alexand. de Hales par. 4. q. 83. memb. 5. Durandum q. 4.* expressius Michael Medina *de Indulgentijs disp. 7. cap. 34. & 36.* dicens Papam habere iurisdictionem in Purgatorio, intelligens illa verba *super terram*, omnem terram etiam secundùm profunditatem, & non tantùm eius superficiem, nam animæ purgantes sunt de Ecclesiâ militante, quia non triumphant, quia adhuc militant, cum nondum receperint triumphum.

30 Sensus secundus super ea verba *super terram* talis est, quòd *super* supponat pro *in*, *super terram* .i. *in terram*, ac proinde terra in hoc sensu accipitur non solum secundùm superficiem, sed etiam secùndum profunditatem, in cuius visceribus sunt animæ patien-
31 tes in Inferno, & purgantes in Purgatorio, & in hoc sensu distinguuntur sublunaria à cælestibus, vt solet Sacra Scriptura distinguere cælum à terra. Quod autem dictio *super terram*
idem sit, quod *in terram* docet S. Augus- 32
tinus *tom. 10. serm. 8. de verbis Domini*: *Quæ solueritis in terra, soluta erunt in cælis*. Quæ repetit eodem tomo *Homil. 23. & 49.* Eodem modo loquendi *in terra* vtuntur Lyranus ibidem; Adrianus Papa *Epist. 1. ad Constant. Imperat. Sanctis Apostolis Romana Ecclesia potestas à Deo data est ligandi, atq; soluendi peccata in cælo, & in terrà.* Nomine *peccatorum* veniunt etiam pœnæ, iuxta illud Iudæ Machabei. *Vt à peccatis soluantur* Gre-
gorius VII. in Concilio Romano. *Omnis mun-* 33
dus intelligat, quod Petrus, & Paulus possunt in terra ligare, & soluere. Et is sensus confirmatur ex verbis Domini *Matth. cap. fin. 18. data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*, tamquam si dixisset *super cælum, & super terram*, quam Christus Dominus in cælum ascensurus delegauit Petro in terra, quo ad oues suas, & super terram, quo ad se, & ad exercitium, quia eam retinuit, quo ad vixit, & non vlterius.

Atq; is posterior sensus est valde congruus, quià priorem confirmat ex quo enim minister potest exercere potestatem sibi à Deo traditam super omnes, qui sunt in terra, necesse quoq; est, quod ipse viuat super terram, vt valeat ligare, & soluere, qui sunt in terra, siue viuentes super terram, siue mortuos, excommunicando eos, qui sunt in inferno, & absoluendo eos qui in caritate sunt defuncti,
tum ab excommunicatione, tum à prohibi- 34
tione sepulturæ, tum à pænis Purgatorij.

Nec his obstat *cap. Legatur* 2. 24. *q. mortuos suscitasse Christum, legimus in errore mortuos absoluisse non legimus. Et qui certè hoc faciendi solus habuit potestatem, Beato Petro principaliter mandat Apostolo: Quæ ligaueris super terram, ligata erunt, & in cælis &c. Super terram inquit, nam in hac ligatione defunctum nusquam dixit absolui.* Quia hic sermo est etiam de absolutione Sacra-
mentali, quæ nullo modo dari potest mor- 35
tuis, immo nec absolutio à censuris, dum sunt mortui in suis erroribus, vt insinuat ipse textus ibi: *In errore mortuos*, siue sit error peccati simpliciter, siue coniuncti cum excommunicatione vt innuit idem textus extremis verbis: *Super terram, inquit, nam in hac ligatione* scilicet excommunicationis, *defunctum nusquam dixit absolui*. Et ita est, quia in *seq. cap. 4.* idem Gelasius Papa dicit Achasium hæreticum *absolutionem, quam superstes nec quæsiuit omnino, nec meruit, mortuus iam non potest impetrare*; potuit verò excommunicari, vt deciditur in quinta Synodo *tom. 2.* Concil. impressionis Venetæ Nicolini *fol. 713. & fol. 771.*

Multa congerit Corduba *ex quæst. 16. de Indulg.* contra Michaelem Medinam probans

bans ea verba *super terram*, esse intelligenda solùm respectu viuorum, non verò mortuorum; sed ex probatis colligitur responsio adęquata ad eius argumenta, quæ non multùm vrgent. Et ex his patet responsio ad primum argumentum allatum supra ex Pasqualigo, quod fundabatur super auctoritatem Sacræ Scripturæ. *Quodcumq; solueris super terram*. Mirabile dictu, quòd ferè omnes potestatem, per quam Pontifex Romanus concedit Indulgentias, colligunt ex eâ auctoritate, tam respectu viuorum, quam mortuorum, & nihilominus nescio quâ ratione excludant mortuos ab earum solutione per ea verba *super terram*, cum referantur ad soluentem secundùm priorem sensum; vel præpositio *super* importat idem, quod præpositio *in* comprehendens quicquid sub Cælo est, ac proinde non solùm viuentes, sed etiam mortuos. Et hæc satis, quo ad primum argumentum.

36 Ad secundum, in quo dicebatur, debitum pænæ post hanc mortem relinqui iudicio tantùm Dei, qui solus est Iudex, non amplius Pontifex qui solùm Deum rogare potest vt absoluat, quod ipse facere non potest. Respondetur id gratis asseri, vt enim probatum est supra, Dei minister retinet eandem potestatem iurisdictionis super mortuos, quam habebat ante quam morerentur, sunt enim mortui Purgatorij de Ecclesiâ militante, donec illis aperiatur porta Cæli à Deo, quod etiam contingit, per applicationem Indulgentiæ factam à Papa, qui non sine causâ dicitur habere claues Regni Cælorum non solùm pro viuis, sed etiam pro mortuis, & quidem proximiori modo, vt eos à suâ Ecclesia
37 militante transferat in Ecclesiam triumphantem, vsq; enim ad vltimam purgationem remanent membra Ecclesiæ militantis, vt dixi supra, & docet Michael Medina apud dictum Cordubam *q. 16. vers. Tertiò idem, & vers. Ad tertium, à quo ipse non dissentit. Faber disput. 3. de Pænit. num. 27. D. quoq; Thomas in 4. dist. 45. quæst. 2. arg. 3. ait, apud Fabrum disp. 38. num.* 238. quòd illi, qui sunt in Purgatorio, sunt de foro Ecclesiæ, & quod hâc ratione illis prosunt Indulgentiæ.

Quare verum quidem est, quòd pænarum defuncti solus Deus est creditor, & reus in Purgatorio solus est debitor, id tamē nō tollit, quin Pontifex possit illud debitum extinguere, videmus enim, quòd Iudex non est creditor, & tamen ex officio procurat, iudicat, cogit, & soluit quandoq; de suo suffragando, cum debitor non est soluendo; & cum defunctus in Purgatorio sit quò ad hoc subditus Pontifici, debitum enim contraxit sub eius iurisdictione, absolui potest iudicialiter ab hoc debito, eo modo quo poterat, quando viueret.

Ad tertium argumentum, quòd consistit in modo concedendi Indulgentias per modum *absolutionis* solùm viuis, quia isti tantùm iudicialiter absoluuntur à pænis, cùm sint subditi; mortuis verò solùm per modum *suffragij*, vnde volunt concessionem per modum *absolutionis* significare infallibilitatem effectus, non verò quando conceditur per modum *suffragij*, quia quando Papa concedit Indulgentiam viuenti, acceptum pretium de Thesauro acceptat pro debito pænæ, & fert sententiam absolutionis nondum à Christo prolatam, mortuum verò iam à Christo iudicatum non potest liberare iudicialiter, & absoluere, cum non amplius sit eius subditus, quare solùm offerre potest pretium pro illo, vt Christus pro suâ misericordiâ dignetur illud acceptare, vt docent *Caiet. tom. 1. opusc.* 38
tract. 17. q. 5. & 6. Corduba q. 15. opin. 4. Non habet ergo Deus debitum acceptandi illud pretium, sed illud reijcere potest, sicut in libertate est Principis reijcere pretium oblatum pro amico, vt valeat soluere debitum suo creditori.

Ad hoc, inquam, argumentum respondeo, illud continere duo, primum viuis tantùm conceduntur Indulgentiæ per modum *absolutionis*, mortuis verò per modum *suffragij*, priorem modum importare infallibilitatem, non posteriorem, quia non constat de promissione posterioris, sicut prioris per illud verbum Domini. *Quodcumq; solueris super terram*. Alterum est mortuos non esse subditos Papæ. Quamuis vtrumq; ex supradictis sit resolutum, & pateat, illud verbum *super terram*, in quo præcisè est vis argumenti, referri ad ministrum, & ad mortuos sicut ad viuos, cum idem importet, ac *in terra* ex Sanctis Patribus sub *num.* 32. ac subsequenter mortuos esse sub Ecclesiâ militante, & sic adhuc esse Pontificis subditos, nihilominus vlterius aliquid dicendum est super vtrumq; modum, vt veritas magis manifesta fiat, etiam mortuos per Indulgentias absolui à pænis sicut viuentes.

Nam ille modus suffragij non tollit mo- 39
dum absolutionis, cum is præcedat, & sit communis tam viuis, quam defunctis, vt clarè probatur ex Bullâ Leonis X. dicentis: *Auctoritate Apostolicâ Thesaurum Iesu Christi, & Sanctorum dispensando, & per modum absolutionis Indulgentiam ipsam concedendo, vel per modum suffragij illam transferendo.* Potestas ergo Papæ est absoluere à pænis tam defunctos, quam viuos applicando illis Thesaurum Ecclesiæ, & per pia fidelium opera præscripta suffragando, ita quòd suffragium referatur ad fideles viuentes, & absolutio ad Papam sequens ad vltimum opus perfectum per viuentem suffragantem mortuo. Suffragium ergo nihil aliud importat, nisi auxiliari defunctis, quibus Papa numquam concedit 40
Indulgentias nisi suffragantibus viuis, *num.* 5.

41 Esto quilibet mortuus à Deo iudicetur, & deputetur pœnis in Purgatorio soluendis, ideo non minuit potestatem, quam habet Pontifex concedendi Indulgentias defunctis, eos absoluendo efficaciter à pœnis, cum illos non exemerit ab eius iurisdictione, cum adhuc sint membra Ecclesiæ militantis, intra quam dum viuerent contraxerunt debitum, ideo potest illis concedere Indulgentias mediantibus quoq; suffragijs viuorum, sine quibus Papa nunquam illas confert nec viuis, nec defunctis. Et cum damnentur in fine *sess.* 25. asserentes Indulgentias esse inutiles, certò sequitur, eas esse efficaces, & infallibiles ex diuinà promissione, vt probatum est. Et hæc satis pro corroboratione præsentis quæstionis, quæ cum sit inter celeberrimos doctores maximè digladiata eam relinquo iudicio S. Matris Ecclesiæ cui me ipsum, & mea dicta sub jcio transeundo ad tertiam.

Quæres 3. An animæ; pro quà celebratur in Altari priuilegiato, applicanda sit non solùm Indulgentia, sed etiam missæ Sacrificium, vt suum possit sortiri effectum?

42 ℞. Vtrumq; applicare tenetur Sacerdos pro anima, pro quâ data fuit eleæmosina, nã petẽs missam in Altari priuilegiato vtrumq; intẽdit, quia desiderat illi animæ suffragari eo meliori modo, quo potest, nulla autem melior suffragatio, quam vtrumq; applicare defuncto. Confirmatur ex tenore Altarium priuilegiatorum, quæ hanc duplicem obligationem exprimunt similibus verbis: *Missam defunctorum pro animà cuiuscumq; fidelis celebrabit.* Ita docent Suarez *de Pænit. disp.* 53. *sect.* 4. *num.* 3. *Castrop. par.* 4. *tract.* 24. *disp. Vn. p.* 10. *num.* 9. vbi ait non semper esse applicandum Sacrificium pro defuncto, sed solùm, quando dicitur in cartà concessionis: *Qui pro defuncto missam dixerit, liberet animam eius à Purgatorio.* Si autem illud verbum *pro defuncto* non sit expressum, non est necesse applicare Sacrificium quos citat, & sequitur Pasqual. *q.* 730. sed ego obseruaui Altaria priuilegiata concedi sub prioribus verbis, ideo semper Sacrificium applicandum est ei, pro quo dispensatur Indulgentia. Celebrans ergo in Altari priuilegiato, & non applicans Sacrificium, sed solam Indulgentiam non satisfacit muneri suo, nec liberat animam defuncti sibi commendati. Ita docet *Quartus super Missale par.* 1. *tit.* 5. *dub.* 17. *Pasqual. q.* 734. *num.* 2. *vbi me citat. q.* 91. *num.* 5.

Quod dicit Suarez cum prædictis locum habet in Indulgentijs quinq; Sanctorum à Gregorio XV. concessis primatiò viuis, & ab illis communicatis defunctis. Refero exemplum his verbis: Qui confessus, & Sacrâ Communione refectus audiet, aut celebrabit missam tam ex deuotione, quàm ex obligatione consequ tur Indulgentiam plenariam, & orando pro mortuis liberabit prò qualibet vice animam secundùm propriam intentionem à pœnis Purgatorij. Non est necesse applicare Sacrificium missæ, cum dicat *orando*, non celebrando, verum quidem est quòd debet præscripta opera facere pro mortuis, sicut pro se facit, si vult lucrari Indulgentiam. Et ita docet *Pasqual. q.* 730. *num.* 4.

Quæres 4. An obligatus celebrare non in Altari priuilegiato, si ibi celebret, possit Indulgentiam applicare pro alio, & Sacrificium pro eo, pro quo regulariter celebrat, & sic recipere duo stipendia?

℞. Posse diuidi applicationem, & sic offerre Sacrificium pro amico, qui eum obligauit celebrare in Altari priuilegiato, & Indulgentiam referre ad aliam animam, si pro ea non tenetur dicere missam. Patet id, quia ex propositione casus neutri tenetur vtrumq; indiuisibiliter applicare. Et colligitur ex dictis in præcedenti quæstione, nam celebratio missæ est opus iniunctum sine quo non conceditur Indulgentia. Ita intelligo *Ruteum, apud Pasqual. q.* 735. *cum alijs Quartus par.* 1. *tit.* 5. *dub.* 12. *Diana par.* 9. *tract.* 2. *resol.* 5. *&* 25. 43

Duo autem stipendia recipere non poterit, tum quia casus noster supponit vnicam obligationem celebrandi pro defuncto non petente Indulgentiam, sed solum Sacrificium, duplex autem stipendium refertur ad applicationem Sacrificij duplicis. Tum quia vni missæ vnicum debet respondere stipendium, quodcumq; illud sit, & non multiplex, ex Decretis de celebr. missàr.

Quæres 5. An obligatus celebrare in Altari priuilegiato celebrando in non priuilegiato cum applicatione Indulgentiæ e. g. quinq; Sanctorum, de qua sub q. 3. satisfaciat suæ obligationi?

℞. Non satisfacit, quia fidem non seruat 44
benefactori quærenti missam in Altari priuilegiato, non aquisitionem Indulgentiæ extra illud. Confirmatur, quia non potest relinqui Altare simplex designatum à testatore, vt probaui *præced. cap. q.* 22. *num.* 99. *cum Pasqual. q.* 1142. A fortiori non potest relinqui priuilegiatum. Ita docent *Bonac. de Sacram. q. vlt. p.* 7. *§.* 4. *num.* 5. *fine*, *Diana par.* 1. *tract.* 14. *resol.* 19. *de Lugo disp.* 20. *de Euchar. num.* 39. *Auersa q.* 11. *de Euchar. sect.* 18. *vers. Specialiter.*

Contrarium pleriq; tenent cum Pasqual. q. 736. asserentes, obligatum celebrare in Altari priuilegiato satisfacere celebrando in non priuilegiato, applicando tamen Indulgentiam plenariam cum Sacrificio, quia idem est, ac si celebrasset in Altari priuilegiato, Indulgentia enim eadem est, siue sit localis, siue personalis. Confirmatur, quia Sacerdos Indulgentiam, quæ non necessario est coniungenda cum Sacrificio missæ, vt fit cum celebratur in Altari priuilegiato, coniungere

potest

potest cum Sacrificio missæ celebratæ in Altari licet non priuilegiato, ergo suæ satisfacit obligationi, eum vtrumq; præstiterit ad mentem testatoris, seu alterius petentis.

Respondetur, huiusmodi celebrationem licet æquipolleat quò ad effectum satisfactorium, in quantum non tenetur reficere missam in Altari designato, nunquam tamen satisfacit voluntati petentis missam in designato Altari, si in alio celebret, dum potest celebrare in illo, est enim illi infidelis, dum non stat promissis, voluntas enim testatoris omnibus modis seruanda est, ac proinde etiam respectu Altaris. Quamuis ergo Indulgentia siue localis, siue personalis sit eadem in substantiâ, & in effectu, non tamen eadē est, quò ad locum, quem intendit testator. Ad confirmationem dico celebrantem facere contra mentem testatoris, qui requirit coniunctionem vtriusq; in radice Altaris priuilegiati, non coniunctionem Indulgentiæ personalis ex Megdaleis cum Sacrificio missæ, nunquam enim cogitauit de Megdaleis, dum expresse elegit Altare priuilegiatum, in quo Sacrificium, & Indulgentia spectantur per modum vnius principij producentis libera-
45 tionem animæ à pœnis Purgatorij. In Megdaleis verò alia est ratio, nam Indulgentia in
46 illis se habet vt causa liberans animam; celebratio verò in Altari vt opus præuium sine quo Indulgentia suum non sortitur effectum, immo in hoc intellectu, non videntur posse coniungi in ratione vnius principij productiui, cum ratio dispositiua non habeat rationem principij, dum vnum alterum præcedit. Dominum ipse *Pasq. q.* 738. fine, ait, defunctus magis prodesse Sacrificium oblatum in Altari priuilegiato, quam qualibet Indulgentia seorsim accepta, adde, & coniuncta, quia non est certa huiusmodi coniunctio ob diuersitatem extremorum, vt patet ex dictis.

Quæres 6. Ad quid teneatur non celebrans in Altari priuilegiato, in quo celebrare tenetur?

47 ℞. Si alibi celebrauit, defectu Altaris priuilegiati, non videtur obligari supplere missas, neq; ad aliquid alud teneri, & multò minus si non potuit celebrare in Altari priuilegiato. Ratio est quia suæ obligationi satisfecit quò ad substantiam ex parte, licet enim defuerit quò ad Indulgentiam, ac proinde peccauerit mortaliter, cum defecerit in re graui, ad nihilominus tamen tenetur ex hoc, quia in alijs Sacrificijs satisfacit celebratis in Altari priuilegiato, toties enim defunctus lucratur Indulgentias plenarias, quoties in eo celebratur à Capellano. Ita Pasqual. q. 743. eâ ratione, quia obligatio recompensationis oritur ex læsione iustitiæ alterius; hic autem nul-
48 la læsio, quia Indulgentia, quâ defraudatur anima defuncti, non debetur ex iustitiâ, cum non veniat in contractum, nec pro illa detur stipendium, sed tantùm ex promissione, ex quâ tantùm defraudatur, non ex iustitiâ contra Graffium *par.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 59. *num.* 2. *Azor. par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 24. *q.* 7. *Fagund. Præcepto* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 2. *Castropal. par.* 2. *tract.* 13. *disp.* 1. *p.* 6. *num.* 27. obligantes ad supplendum omnia Sacrificia, quæ prætermisit alibi celebrando, quia non adimpleuit voluntatem testatoris. Contra Bonac. & alios asserentes non teneri ad restitutionem, sed ad aliud, hoc est, ad alia bona opera satisfactoria, vt explicat Garzias. Verum quidem est, quod non adimpleuit mentem testatoris adequatè, sed tantùm inadequatè, ideo peccauit mortaliter, & eam inadæquationem Indulgentiæ supplet per tot recitationes missarum in Altari priuilegiato. A fortiori ad nihil tenetur, si legitimè impeditus non potest celebrare, iuxta *cap. præced. q.* 7.

Quæres 7. An Sacerdos celebrans in Altari priuilegiato satisfaciat muneri suo celebrando missam currentem, & non de Requiem?

℞. Missa de Requiem necessariò celebranda est in Altari priuilegiato, quando id exprimitur in Bulla, exceptis diebus, in quibus fit de duplicibus, vel Dominicâ, & alijs diebus priuilegiatis, iuxta dicta *cap. præced. q.* 23. in quibus satisfieri potest animabus defunctorum etiam ratione priuilegij dicendo missam currentem. Quando verò Altare est priuilegiatum, nec specialis missa defunctorum exigitur, satisfit, & Indulgentia lucratur animabus cum quàuis missâ, siue sit viuorum, siue defunctorum. 49

Prima pars, quòd dicenda sit missa de Requiem, quando ea exprimitur, est communis, & nullus contradicit, qualitas enim missæ habetur pro formâ, quâ non seruatâ nihil Indulgentiæ lucratur ea anima, pro qua fuit celebratum, sed tantùm consequitur fructum missæ, ac si fuisset celebrata in Altari non priuilegiato.

Secunda pars, quòd missa præscripta defunctorum intelligatur tantùm pro illis diebus extra festa duplicia, & illis æquiualentia, probatur, quia Papa non præsumitur velle præiudicare Rubricis Breuiarij, nisi se explicet, eius enim mens talis esse præsumitur, qualis de iure esse debet, *Bald. in l. ex facto ff. de vulgar. & pupill. cum alijs Megdal. consf.* 33. *num.* 13. cum ergo Papa in huiusmodi concessionibus non deroget Rubricis Breuiarij, intendit nolle obligare quotidie ad missam de Requiem, sed Capellanū posse, & debere celebrare missam currentem in illis diebus, in quibus prohibentur missæ defunctorum. Et ego sic intelligo cartam nostri Altaris priuilegiati Romæ extensam initio capitis. Confirmatur id, ex Doctoribus citandis, qui asserunt, non posse celebrari in Alta- 50 51

ri priuilegiato missas de Requiem in diebus destinatis pro Indulgentià, si occurrat duplex, aut Dominica. Ita *Gauant. par. 1. tit. 5. num. 2. Diana par. 4. tract. 4. resol. 233. Barb. in decis.* 478. nixi responso Sacræ Con-
52 gregationis sub his verbis: *Missa de Requiem in Altari priuilegiato non potest dici in die festo duplici, & de præcepto, qui incidit in diem assignatum pro dicto Altari priuilegiato.*

53 Tertia pars, quòd diebus festiuis, & duplicibus, atq; similibus, in quibus prohibentur missæ defunctorum siue priuatæ, siue solemnes, satisfiat non tantùm ratione Sacrificij, quàm Indulgentiæ, probatur. *Tum quia* Papa diuersimodè quò ad tempora concedit Altaria priuilegiata, al quando perpetuò, aliquando ad tempus, & ex his alia sunt quotidiana, alia dies habent assignatos singulis hebdomadibus, & præcipuè conceduntur pro omnibus diebus infra octauam diei commemorationis defunctorum, & nihilominus scit infra dictam octauam necessario incidere diem Dominicum, & octauam diem festi Omnium Sanctorum, in quibus prohibentur missæ defunctorum, & tamen vult omnibus illis diebus Altare priuilegiatum sortiri suum effectum, & non transgredi Rubricas, ergo intendit Altare priuilegiatum in ratione priuilegij prodesse animabus defunctorum per missam currentem, dum alia dici non potest. *Tum quia* materia de Altaribus priuilegiatis est fauorabilis valdè cum agatur de libertate, & liberatione animarum à pœnis Purgatorij, ergo latè est interpretanda, cum omnibus
54 prosit, & nulli noceat, *ex allatis à Fagnano in cap. quidam, de celebr. missar. à num.* 25. *ad* 28. ergo cum latè sit interpretanda dicendum, Altare priuilegiatum prodesse non solùm per missas defunctorum, sed etiam viuorum. *Tum quia* ex præcitato Responso S. C. hoc potius videtur inferri, quam oppositum, solùm enim dicit, quòd missa de Requiem in Altari priuilegiato non potest dici in die festo &c. non verò negat posse dici currentem, & satisfieri. Vide Fagnanum suffragantem huic opinioni.

Dices *primò*, obstat aliud S. Congr. Decretum apud Barbosam in *dec. Apostol. Collect.* 478. & apud *Dianam par. 4. tract. 4 re-*
55 *sol.* 233. in hæc verba: *Missa pro defunctis celebrata in Altari priuilegiato non suffragatur, nec indulto satisfit, nisi sit de Requiem, licet in indulto non exprimatur.* Præterea *secundò* non seruatà forma præscriptà de missa defunctorum, nihil fit, ergo corruit suffragium Indulgentiæ. *tertiò* potest saltem in duplicibus, si non in festis de præcepto, *Pasqual. q. 740. num. 6.* reddit rationem, quia tota prohibitio celebrandi missas de Requiem in duplicibus habetur tantum ex Rubricis Missalis, quæ cessat, quando agitur de Sacrificio priuilegiato, ac proinde dicenda est missa de Requiē, vt anima fruatur hàc Indulgentià. Probat in hoc casu cessare eam prohibitionem, quia si esset tantùm directiua, non solum non obligat, verum etiam directio in ratione directionis non habet amplius vim, quia ius dirigendi in eo consistit, quòd conueniens est, vt missa congruat officio, vt etiam in ipsà celebretur festum. Sed quando agitur deliberandis animab. à Purgatorio, magis conueniens est, & vtile vtriq; Ecclesiæ, quòd liberentur, quam quòd illi sancto exibeatur honor, quia illa augetur in consortio ciuium cælestium, hæc verò proficit in trasmittendo suos ciues ad Requiem, & ideo hæc maior conuenientia facit cessare conuenientiam Rubricæ. Si verò hæc est etiam præceptiua, cum obliget solùm sub veniali, & adsit rationabilis, & vrgens causa liberandi animas, cessabit prohibitio, quia hæc etiam sub mortali non obligat cum magno incommodo, quod esset, si animæ liberari non possent. Vlterius procedit dicendo, & simul probando, quia prohibitio cessat, quando impedit bonum commune, vnde priuilegium Altaris derogat Rubricæ circa missas de Requiem.

Primò respondetur, illud S. C. Respon- 56
sum habere hunc sensum, vt missa celebrata, nisi sit de Requiem non suffragetur illis diebus, quibus potest celebrari sine violatione Rubricarum, vnde non celebrans missam de Requiem in festo semiduplici non lucratur Indulgentiam defuncto, *licet in indulto hoc non exprimatur.* Idest, licet non exprimatur nullitas suffragij. Vel dic ad hæc posteriora verba forsan congruentius, Sacerdotem debere dicere missam de Requiem in illis diebus, quibus celebrari potest, licet in indulto hoc non exprimatur, nam mens Prin-
cipis præsumitur esse conformis iuri, *Iason in* 57
l. causas de transact. num. 6. Cozad. cons. 100. *num.* 10. *Decius cons. 64. num. 7. Gram. cons. 34. num. 3.* Sacerdos ergo non satisfacit muneri suo, quando non celebrat missam de Requiem præscriptam, vel non præscriptam in indulto, in illis diebus, in quibus non prohibetur; secundùm hanc posteriorem responsionem S. C. alijs verò diebus prohibitis celebrare de Requiem satisfacere muneri suo dicendo missam currentem, ad formam prioris Responsi.

Secundò respondetur, formam datam non 58
seruantem tunc facere actum nullum, quando aliqua necessitas non impedit, ne forma adimpleatur, quia tunc eius omissio actum non vitiat, cum sit rationabilis, *Tiraq. ad leges connub. Glos. 6. num. 34. Paris. lib. 2. cons. 33. num. 29. cum alijs Barb. Axiom.* 100. *num. 9.* In casu constat de necessitate seruandi Rubricas. Vel dic, circumstantiam qualitatis missæ de Requiem requiri tantùm quando à Rubricà non prohibetur celebratio

in fla-

missarum defunctorum, cuius omissione anima non recipit suffragium Indulgentiæ. Vlterius dic, quod forma per æquipollens impletur, quando in dispositione consideratur
59 effectus, *Cephal. lib. 1. consil. 35. num. 46. Menoch. cons. 131. num. 15. Osasch. Pedem. dec. 92. num. 25. Tuschus lit. F. concl. 414. num. 38.* Hic autem consideratur effectus suffragij annexi Sacrificio missæ, quæ dicta de viuis pro defunctis tantùm illis prodest, quantùm si diceretur de Requiem, vnde cum æquiualeant in proficiendo defunctis, vt docui *cap. praced. q. 24. num. 118. & 119.* celebrans satisfacit muneri suo.

Tertio argumento respondetur, non posse dici missam de Requiem in duplicibus, cum sit expresse contra Rubricam, iuxta dicta *cap. praced. q. 23. num. 104.* nisi missa solemnis, exposito cadauere in Ecclesia, & in alijs diebus, prout ibi dixi in seq. Quod seruandum est etiam in Altaribus priuilegiatis, ne Responsa Sacræ Congregationis aduersentur ad inuicem.

60 Quòd prohibitio celebrandi missas de Requiem non cesset, vt contrarium voluit Pasqualigus, respectu Altarium priuilegiatorum, probatur euidenter, quia tunc cessat aliqua prohibitio, quando à prohibente reuocatur, res enim per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur; in indultis autem huiusmodi nulla fit mentio reuocationis Rubricarum, cum tamen esset exprimenda, quia odiosa non
61 præsumuntur, vti reuocatio, *ex cap. 1. de constit. in 6. Paris lib. 9. de Resignat. q. 25. num. 15. Gonzal. Glos. 36. num. 7.* sed de his debet constare, quare cum non constet, dicendum est, non cessare hanc prohibitionem, proinde missis currentibus de duplici satisfieri animabus defunctorum in Altari priuilegiato, hac enim ratione expedit iura iuribus concordare *cap. cum expediat 29. de elect. in 6.* vitandæ enim sunt eorum correctiones,
62 quantùm fieri potest, *l. Pracipimus 32. C. de appellat. Surd. dec. 21. num. 19. Tusch. lit. C. concl. 10. num. 6.* ita quòd in dubio non est asserenda, nec facienda correctio, *l. si quando 35. C. de inoffic. testam.* vbi dicit: *Neque enim credendum est Romanum Principem, qui iura tuetur, huiusmodi verbo totam obseruationem testamentorum multis vigilijs excogitatam, atq; inuentam velle euerti.* Itaq; cum de hac correctione non constet, non cessauit prohibitio celebrandi missas defunctorum in duplicibus, sed adhuc viget.

63 Pasqualigus igitur probat cessationem huius prohibitionis, siue sit directiua, siue præceptiua: In ratione directionis, quia Ecclesiæ magis congruit vt celebratione missæ de Requiem liberetur anima à Purgatorio; quàm quòd honoretur Sanctus celebratione eius missæ, quia Ecclesia militans proficit in transmittendo suos ciues ad Regnum, triumphans verò solùm augetur honore Sancti, per celebrationem verò missæ de Requiem vtraque Ecclesia proficit, militans transmittendo animas Purgatorij in Regnum Dei, triumphans verò illas recipiendo.

Sed contra est, quia eius argumentum supponit, Altare priuilegiatum non prodesse, nisi dicatur missa de Requiem in Officio duplici, quod tamen non probat, vt nos contrarium probauimus supra; ideo ad eius rationem dico, non cessare prohibitionem, & sic non posse dici in festo duplici missam de Requiem ad suffragandum defunctis, cum æquè benè satisfiat per missam currentem dictam de Sancto duplici, & de alijs, in quibus prohibetur missa defunctorum; vnde directio Rubricæ prohibentis non aduersatur directioni suffragandi defunctis, dum vtraq; simul stare potest, & sic vnum congruit alteri, & Ecclesia militans seruit triumphanti, & hæc honoratur ex vtroq; modo, dum celebratur de Sancto, & suffragatur defunctis.

Eadem fere responsio danda est, si Rubrica spectetur præceptiuè, vt potissimùm spectanda est, cum ergo missa currente satisfiat defunctis, locum non habet rationabilis causa, vt cesset Rubrica, quouis modo obliget, ad satisfaciendum defunctis, dum in hoc casu non est necessarium celebrare missam defunctorum; cum ergo commune bonum suffragij haberi possit per missam currentem in Altari priuilegiato non est dicendum cessare Rubricam, dum eius obseruatio non officit suffragijs defunctorum, bonum enim bono non opponitur, dum ambo concurrunt ad eundem effectum. 64

Moderni Doctores innixi Responso S.C. supra relato, quòd missa pro defunctis celebrata in Altari priuilegiato non suffragatur nisi sit de Requiem, inferunt, eam dici posse non solùm in festo duplici, sed etiam die dominica, & in festis de præcepto, dum enim Papa concedit, vt in Altaribus priuilegiatis possit celebrari per totam octauam Commemorationis defunctorum, bene scit, intermediare Dominicam, ergo eo dic volens vti priuilegiato Altari debet celebrare de Requiem, vt lucretur defuncto suffragium illud, vt docet *Pasqualig. q. 741.* de die Dominica, *& q. 742.* de festo præcepti, vbi in posteriori, dicit posse in die festo de præcepto celebrari missam de Requiem in Altari priuilegiato, præscindendo ab alio Responso S. Congreg. decretantis, quòd missa de Requiem in Altari priuilegiato non potest dici in die festo duplici, & de præcepto, hoc ergo Responsum negat missas defunctorum in diebus dominicis, & festis tum duplicibus, tum præceptiuis, & tamen Dominica occurrit infra octauam Commemorationis fidelium defunctorum, ergo hic dies erit inutilis pro defunctis, si illis non possit suffragari per missam de Requiem,

quiem, vt negat hoc Responsum posse eam
dici missam in die de præcepto, vt est Domi-
nica; quòd etiam confirmatur ex priori Res-
ponso, per quòd decernitur, non suffragari
defunctis in Altari priuilegiato nisi per mis-
sam de Requiem, quæ tamen non potest dici
in die Dominica, & secundum Rubricam, &
secundum illud Responsum, ergo ille dies re-
manet prorsus inutilis, scilicet, Dominicus in-
tra octauam Commemorationis defuncto-
rum; quòd dicere videtur absurdum, dum
Papa concedit vnum diem pro vtili, quem
scit esse inutilem, & expressione speciali illum
non declarat vtilem, dum illi obstat Rubri-
ca, quòd diebus Dominicis non celebrentur
missæ defunctorum. Immo non solùm Do-
minica, sed etiam dies octaua Festi Sancto-
rum omnium erit inutilis per totum orbem,
& in Diœcesi Mediolanensi, erit inutilis
quoq; dies festus S. Caroli, qui ibidem sub
ritu duplici celebratur, & seruatur de præce-
pto. Quid igitur dicendum? *Pasqual. locis
citatis*, ad tollendum hanc inutilitatem ad-
mittit missam de Requiem in die festo de du-
plici, & de præcepto, & in Dominicà, cum
& ipsa sit de præcepto, quòd quidem est con-
tra Rubricas, & contra præfatum Respon-
sum, tollit ergo eam inutilitatem per depres-
sionem Rubricæ, & præcisionem Responsi.

Ego autem puto melius esse tollere eam
inutilitatem alià viâ sine præiudicio Rubri-
cæ, & Responsi, dicendo prout supra proba-
tum fuit, satisfieri defunctis suffragio Altaris
priuilegiati celebrando missam currentem
illis diebus, quibus non potest dici missa de
Requiem, cui æquiualet ex dictis supra, hàc
enim ratione omnibus sat sfit, defunctis, Ru-
bricæ, & Responso posteriori de non dicen-
dà missà de Requiem diebus prohibitis dici;
nec violatur alterũ Responsũ, quòd sine mis-
sà de Requiem non suffragatur defunctis,
quando scilicet ea dici potest ad formam Ru-
bricæ, & non dicitur, ex vi enim huius Res-
ponsi currens non æquipollet missæ de Re-
quiem, alijs verò diebus satisfit per missam
currentem, dum de Requiem dici non pos-
sunt, certum enim est, cum rationabile sit
Papam concedere Altaria priuilegiata fauore
defunctorũ, & sine transgressione Rubricarũ,
ac proinde Sacerdotem eodẽ modo prodesse
animabus defunctorũ sine violatione Rubri-
carũ. Confirmatur, quia sicut Ecclesia, quãdo
secunda dies Nouembris est Dominica, tunc
officium, & missam defunctorum transfert
in tertium diem, ne Rubricæ violentur, ac
proinde tota octaua transfertur fauorem ipso-
65 rum defunctorum, ita Pontifex concedendo
Altaria priuilegiata non præsumitur velle
præiudicare Rubricis, sed debere dici mis-
sas de Dominica, & duplicibus occurrenti-
bus diebus assignatis pro defunctis, non ob-
stante expressione missæ de Requiem, quæ
intelligitur dicenda solùm illis diebus, quibus
à Rubrica non prohibetur.

Quarta pars, quòd dici possit quęcũq; missa 66
siue currens, siue votiua, & non de Requiem
in Altari priuilegiato, quando expressè non
præscribitur missa de Requiem, probatur.
Tum quia nulla obligatio constringit ad ope-
randum hoc, vel illo modo, nisi de eo con-
stet expressè, *l. Quidquid 99. ff. de verb. si-* 67
gnif. ibi: *Id nisi palam verbis exprimatur*.
Tum quia qualitas non præsumitur, sed pro-
banda est, *ex allegatis à Sperello decis. 79.* 68
num. 51. Alio autem modo probari non po-
test, nisi inspectione indulti Altaris priuile-
giati, vbi nihil exprimitur de qualitate mis-
sæ. Tum quia quælibet missa prodest defun-
ctis, cum à Christo Domino instituta sit non
magis pro viuis, quam pro defunctis, & dici-
tur *in cap. Quidam, de celebrat. missar.* Est
communis, quam docent, *Nauar. cons. 37.* 69
*de Pœnit. Rodriq. tom. 2. q. 96. num. 6. cum suo
Compend. resol. 77. num.* 70. cum alijs 20.
apud Pasqual. q. 731. num. 2. Eà ratione,
quia cum non exprimitur missæ qualitas re-
linquitur arbitrio celebrantis. Hanc fusè de-
fendit D. Fagnanus *ad cap. Quidam, de cele-
br. miss. à num. 24. vsque ad finem*, respon-
dendo obiectis, inter quæ non connumerat
Responsum Sacræ Congregationis, quod vi-
detur obstare huic conclusioni his verbis:
*Missa pro defunctis celebrata in Altari priui-
legiato non suffragatur, nec indulto satisfit,
nisi sit de Requiem, licet in indulto non expri-
matur*. Quæ vltima verba vrgent, *licet in
indulto non exprimatur* scilicet qualitas mis-
sæ. Sed supra *sub num.* 57. respondi, cum
illud Responsum referatur ad illas missas, quę
de Requiem dici possunt extra duplicia, Do-
minicas, & alia festa priuilegiata, intelligen-
dum est, non satisfieri per missas, nisi sint de
Requiem illis diebus, quibus ex Rubrica
conceduntur, licet id non exprimatur in in-
dulto.

Alia responsio dari potest, quia Responsa 70
huiusmodi non habent rationem legis, sed
opinionis, & quidem probatissimæ, ab ho-
norem Patrum, nam & ipsi colligunt ex alijs
Doctoribus. Quòd sint opiniones, & qui-
dem reuerendæ docent viginti Doctores,
quos pro se citat *Vericell. tract. 2 q. 6 num. 15.*
& efficaciter probat; ideo Fagnanus non cu-
rauit de illis, quamquam alioquin teneat ad
cap. Quoniam de constit. & probet multis De-
clarationes S. Congreg. habere vim legis, &
omnes obligare, ideo prior nostra responsio
videtur melior, quia ea Responsa relinquit in
eo statu obligationis, in quo sunt ex natura
rei.

Quinta pars, quòd in Altaribus non priui- 71
legiatis non requiratur missa de Requiem, vt
contingit in Megdaleis, sed sufficiat currens
missa, vel votiua, probatur, quia si non requiri-
tur

tur in Altaribus priuilegiatis iuxta quod dictum fuit supra, à fortiori nec in alijs. Confirmatur, quia in his exprimuntur opera facienda cum solâ celebratione non distinguendo inter vnam, & alteram missam, ergo sufficit qualitercumq; celebrare, in hoc enim casu missa non est causa liberationis sicut in
72 Altari priuilegiato, sed opere præscripto posito anima lucratur Indulgentiam, non enim est necesse offerre Sacrificium pro defunctis, cum tenor huiusmodi Indulgentiarum non obliget celebrantem ad applicandum Sacrificium pro animâ liberandâ. Et ita docet Pasqualig. *q. 731. num. 6.* qui ait his non obstare S. Congr. Responsum, quod loquitur tantùm de Altaribus priuilegiatis.

Quæres 8. An celebrans in peccato mortali super Altare priuilegiatum lucretur Indulgentiam illi animæ, pro qua celebrauit? Idem quæritur de alijs orantibus pro mortuis?

73 ℞. Non est necesse, quod celebrans, aut alius orans, aut faciens aliquod pium opus præscriptum in lucratione Indulgentiæ pro mortuis, sit constitutus in gratiâ. Ratio est, quia vt quis sibi lucretur Indulgentiam necesse est, quòd ad illam se disponat per actus meritorios, saltem per vltimum, ad quem immediatè sequitur aquisitio Indulgentiæ, quod assequi non potest sine statu gratiæ; sed qui lucratur defunctis Indulgentiam eam sibi non aquirit, ergo non est necesse, quod sit in gratiâ pro illis, sed tantum pro se, ne ponat obicem peccati, quod stare non potest cum Indulgentiâ receptâ à viuo, sed animæ defunctorum in Purgatorio sunt in statu gratiæ, ergo ex parte earum nihil eis nocet ad lucrum Indulgentiarum.

Confirmatur, quia opera præscripta sunt conditio, sine qua Pontifex non dispensat Thesaurum Ecclesiæ, nomine ipsius Ecclesiæ, sicut ipsum Sacrificium, licet à malo ministro confectum non caret sua efficacia, sed efficaciter operatur, cum oblatum sit nomine Christi, & Ecclesiæ sponsæ eius, in quibus cum nulla sit ruga, neq; in distributione Ecclesiastici Thesauri contingente nomine Christi, & Ecclesiæ, offerentes verò tantùm materialiter, & ministerialiter se habent, in quibus nulla spectatur de necessitate qualitas gratiæ, quæ debeat dignificare illa opera, cum illis non competat ratio productiua, & remissiua pœnarum, cum id proueniat ex vi ipsius Sacrificij, & Indulgentiæ applicatæ per dicta opera. Cum ergo animæ defunctorum sint capaces Indulgentiarum, quia sunt in statu gratiæ, non est necesse, quòd offerens pro eis in tali statu reperiatur, sicut si offerret pro seipso, vt dictum est, quodlibet enim subiectum receptiuum formæ debet se prius disponere, si non est dispositum ad receptionem formæ, qua caret. Est communis Nauar. *de Indulg. Notab. 17. num. 4. & Notab. 19. num. 6. Corduba lib. 5. q. 26. propos. 7. Rodriq. tom. 2. q. 96. art. 4. Suar. de Pænit. disp. 53. sect. 4. num. 6. cum alijs Pasqual. q. 732. Diana part. 9. tract. 2. resol. 4.*

Nota tamen, quod si concedat Indulgentiam pro mortuis Sacram communionem recipientibus, sine alijs operibus, recipientem illam in peccato mortali, non satisfacere defuncto quia Deus tale opus mortiferum abominatur, nec Pontifex præsumitur velle sic illam concedere, quia Theologi communiter docent, opus mortiferum, quod est aliud à bono opere facto in peccato mortali, esse insufficiens ad lucrandum Indulgentiam pro defunctis, & ipsis viuis, vt docent Nauar. *de Indulg. Notab. 18. num. 19. Notab. 82. num. 45. Rodriq. par. 1. cap. 186. num. 4. Pasqual. cit. & de Iubileo q. 46. & 76.* 74

Cardinalis *de Lugo de Panit. disp. 27. num. 75.* dicit requiri statum gratiæ lucranti Indulgentiam defunctis. Probat, quia Indulgentia defuncto aquiritur solùm indirectè, quatenus opera alicuius viuentis eleuantur ad maiorem valorem satisfactionis ex opere operato; ad hoc autem necesse est, quod ipse operans sit capax illius valoris, & fructus; dixit enim supra hanc eleuationem procedere à potestate Pontificis, quæ per se ordinatur ad vtilitatem subditi, ergo potestas illa est ad eleuanda opera subditi capacis, & potentis frui illo beneficio, quo frui non potest, dum est sine gratiâ propter incapacitatem subiecti.

Ponit autem sub *num. 70.* dictam eleuationem, quam sic explicat, dicendo Pontificem concedendo viuentibus Indulgentiam pro defunctis, eam non concedere immediatè defunctis, nec viuentibus, sed solùm ex Thesauro Ecclesiæ eleuare opera pia fidelium viuentium, itaut non solùm sint satisfactoria ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, si pro defuncto offerantur, non enim apparet repugnantia in hoc modo dispensandi Thesaurum Ecclesiæ, vt sicut Christus Dominus, qui est supremus illius dispensator, aliquando applicat ex Thesauro pretium ad soluendum pro aliquo, vt in Baptismo, qui licet recipiatur per actum non satisfactorium, sed potius vel in somno, vel per actionem malam venialiter, adhuc ex voluntate Christi confertur solutio totius pænæ; aliquando verò Christus eleuat satisfactiones nostras, vt ex opere operato, & vltra condignum habeant maiorem effectum, supplendo ex Thesauro id quod deest condignitatis in nostrâ satisfactione, prout Confessarius nomine Christi eleuat satisfactionem Sacramentalem. Sic Pontifex, qui est Vicarius Christi dispensat Thesaurum vtroq; modo in vtilitatem nostram, aliquando scilicet accipiendo ex Thesauro ad soluendum pro aliquo, vt quando 75

non

non petito aliquo opere concedit Indulgentiam propter causam præteritam, vt sæpe fit; aliquando verò petito opere satisfactorio, quod eleuat ad maiorem effectum satisfactionis supra condignum, sicut Sacerdos eleuat illa opera diuisibiliter prout successiuè fiunt, itaut singulæ orationes impositæ prout successiuè recitantur successiuè offerant fructum aliquem ex opere operato. Pontifex verò, quia vult eleuare totum illud opus ad aliquem effectum determinatum v. g. ad decem annos Indulgentiæ, vel ad plenariam remissionem, quem effectum esset difficile distribuere inter singulas partes illius operis, ideo eleuat totum opus per modum vnius, & indiuisibiliter, vt in vltimâ parte habeatur totus effectus. Qui etiam modus eleuationis non videtur repugnare, vt constat in opere martyrij, quod est satisfactorium ex se, & rursus eleuatur à Deo ad maiorem effectum supra condignum, scilicet ad remissionem totius pœnæ, pro quâ satisfacit ex opere operato, eleuantur tamen indiuisibiliter, itaut totus effectus correspondeat toti operi per modum vnius. Suppositâ ergo hac possibilitate eleuationis concludit, summum Pontificem, quando concedit Indulgentiam pro defunctis, ita eleuare indiuisibiliter opus bonum, & satisfactorium, vt possit habere effectum satisfactionis vltrà condignum, vt in fine operis detur eius fructus ex opere operato, ea ergo opera sic eleuata antecedenter, & ab operante applicata defuncto illi afferunt totum suum fructum per modum suffragij, &c.

Supradicta a Cardinali reduco ad sequentes propositiones. *Prima est* Indulgentiæ pro defunctis à Papa immediate non conceduntur defunctis, nec viuis pro illis. *Secunda*, Papam concedere Indulgentiam viuentibus pro defunctis, est opera pia à viuentibus facta eleuare ex Thesauro Ecclesiæ, vt sint satisfactoria non solùm ex opere operantis, sed etiam ex opere operato. *Tertia*, baptizato Christus ex Thesauro Ecclesiæ applicat pretium, & ei aufert totam pœnam licet illum recipiat per actum non satisfactorium, vt in somnis, vel ex veniali. *Quarta*, Confessarius nomine Christi nostras satisfactiones sacramentales eleuat ex Thesauro Ecclesiæ, vt ex opere operato habeant maiorem effectum vltra eorum condignitatem. *Quinta*, Papa duobus modis dispensat Thesaurum Ecclesiæ, primò, accipiendo ex Thesauro pretium soluendum pro aliquo, nullo opere præscripto, ob aliquam causam præteritam. Secundò, opere petito, quod eleuat ad maiorem effectum satisfactionis supra condignum.

76 Contra primam est, quia videtur imperceptibile, quomodo concessio in fieri, & subsequenter in actu immediatè non perueniat ad illam personam cui fit, siue sit viuens, siue defuncta, cum inter concedentem, & concessionarium nulla alia persona interueniat, quæ illis extremis qualificetur; sed in materiâ Indulgentiarum; Papa concedendo Indulgentiam viuis, illis eam concedit immediatè, cum nulla alia persona mediet, vt patet in Indulgentijs omnibus concessis, extra propositum enim est, quòd vni viuenti concedatur Indulgentia lucranda per ipsum alteri. Si verò sermo sit de Indulgentijs defunctorum, certum est de fide, illas concedi mortuis duobus modis vel per absolutionem, vel per modum suffragij, vt tamquam verum tradit Leo X. in sua Epistola ad Cardinalem Caietanum contra Lutherum transmissam in Germaniam, vbi erat Legatus, ibi: Ac tam 77
pro viuis, quam pro defunctis apostolicâ auctoritate Indulgentiam concedendo thesaurum meritorum Iesu Christi, & Sanctorum dispensare, & per modum absolutionis Indulgentiam ipsam conferre, vel per modum suffragij illam transferre consueuisse, ac propterea omnes tam viuos, quam defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias huiusmodi consecuti fuerint à tantâ temporali pœnâ secundùm diuinam iustitiam pro peccatis suis actualibus debitâ liberari, quanta concessæ, & aquisitæ Indulgentiæ æquiualet. ***Extenditur hac decretalis in Comment. eiusdem ad art. 5. quæst. 48. parte 3.***

Ex hac igitur decretali infertur, concessionem Indulgentiæ factam mortuis per absolutionem esse immediatam, sicut similis immediatio reperitur in Confessario, à quo immediatè transit in pænitentem, ipse enim absoluitur: & non alius pro ipso, beneficium enim est immediatè illius, cui confertur. Si verò concessio Indulgentiæ pro mortuis spectetur per modum suffragij, tunc conceditur immediatè viuenti, cui prodest ex hoc capite, ita quòd si eam sibi applicet, lucratur remissionem pœnarum ad eius mensuram, tunc incommunicabilis mortuis, quia iam sortita est suum effectum respectu viuentis; quoniam verò eam, quâ vti non vult pro se, applicare potest mortuis, ideo Papa dicitur illam concedere defunctis mediatè, & immediatè viuentibus, qui eam non adhibentes *transferunt* vt vtar verba Leonis X. in ani- 78
mas defunctorum, pro quibus exercuerunt pia opera præscripta designantes eas quæ liberantur à pœnis virtute Indulgentiæ. Cer- 79
tum ergo est ex his, Papam immediatè concedere Indulgentias viuis non tam pro se, quam pro mortuis, siue id faciat per modum absolutionis quæ ab absoluente immediatè transit in absolutum, siue per modum suffragij, viuens enim mortuis suffragatur per propriam Indulgentiam sibi concessam in eius vtilitatem, & mediatè concessam ipsis defunctis, quando viuens eâ vti non vult pro se. Itaque tunc Indulgentia dicitur concessa viuis pro mortuis per modum suffragij, quando

viuens

Digitized by Google

viuens pijs operibus peractis pro designatâ animâ lucratur illi Indulgentiam concessione Pontificiâ, quæ suum sortitur effectum positis operibus præscriptis in cartâ concessionis.
80 Lucrari ergo Indulgentiam pro defunctis per modum suffragij est propriam Indulgentiam transferre in mortuum, pro quo oratum fuit. Itaque suffragatio ea duo importat exercitium operum, & translationem Indulgentiæ, quæ non contingit, nisi præcisis operibus, in quibus determinatur anima, ad quam transfertur Indulgentia auctoritate Apostolicâ; ministerio viuentis rogantis Deum, vt dignetur in cælo approbare concessionem Indulgentiæ, quam Papa in terris fecit pro defunctis.

Contra secundam, in qua dicitur, opera præscripta ad lucrandum Indulgentiam pro defunctis eleuari, & fieri satisfactoria non solùm ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, in hoc enim, ait Cardinalis de Lugo, consistit concessio Indulgentiæ viuis pro defunctis, vt ex Thesauro applicato eleuentur illa opera, vt fiant vtroq; modo satisfactoria, & per Thesaurum suppleatur, quod de-
81 est illis operibus. Contra (inquam) est, quia deprimitur infinita Thesauri efficacia, quasi sine ista subleuatione non valeat per se ipsam liberare à pœnis Purgatorij, nisi cum illis operibus subleuatis operetur. Tum quia esset Thesaurus minoris efficaciæ, quàm quodlibet bonum opus hominis iusti viuentis, quod sine eleuatione prodest non solùm operanti, sed etiam defunctis, si pro illis Deus oretur; id autem esse absurdum, omnibus notum est, ergo pia opera sicut non egent simili eleuatione extra Indulgentiam, ita neq; quando respiciunt Indulgentiam, quæ est ipse Thesaurus operans suum effectum sine cooperatione piorum operum. Præterea hæc subleuatio importat concursum piorum operum, & Thesauri per modum vnius ad producendum effectum liberationis pænarum, dum per hanc eleuationem opera pia agunt non solùm ex opere operantis, sed etiam ex opere operato; ergo ex æquo pia opera cum Indulgentia concurrunt ex eodem titulo operis operati, sicut Indulgentiæ, quæ operantur liberationem ex vi operis operati, ex sententiâ ferè omnium Theologorum *cum Benza-*
82 *nio lib. 4. de Iubileo cap. 4.* docente habere vim liberandi ex opere operato, *Fabro de Pænit. disput. 38. num. 197.* Quod tamen verum esse non potest, cum vnaquæq; causa agens ex opere operato ex hoc quòd sic ope-
83 ratur, non eget consortio alterius sic operantis, quia est satis perfecta in seipsa ad operandum; quare cum Indulgentia ex vi operis operati producat suum effectum, non eget consortio illorum operum, ac proinde non sunt eleuabilia, sed manere debent in suo genere conditionum, sine quibus non operatur In-dulgentia, vt omnes concedunt apud *Bonac. de Indulg. q. 1. p. 5. num. 14.* & docet ipsemet *de Lugo ead. disp. 25. num. 24.* Sacramenta ex eo, quòd operantur ex opere ope- 84
rato, vnum alterius consortio non eget in productione sui effectus, vt patet examinando modum, quo conficiuntur, ergo idem dicendum est de Indulgentiâ, quæ cum operetur ex opere operato nõ oportet, vt refundat in opera pia eam qualitatem operis operati, præterquamquòd id non pertinet formaliter ad ipsam Indulgentiam eleuare illud opus, sicut nec vnum Sacramentum potest eleuare alterum, sed id est proprium solius Dei, qui quodlibet eleuabile extollit, & qualificat ad agendum ex opere operato, vt patet in Sacramentis, & in Indulgentijs.

Tertia conclusio de dormiente baptizato 85
vera est, si antecedenter petijt Baptismum; nam hoc Sacramentum ex suâ efficaciâ illi à Christo Domino tributâ non solùm delet omnem culpam tam actualem, quam originalem, sed etiam tollit omnem pænam, vt expressè definit Concilium Florentinum, Eugenio IV. approbante Bulla 19. incipit. *Exultate* §. 10. his verbis. *Huius Sacramenti effectus est remissio omnis culpa originalis, & actualis, omnis quoq; pana, qua pro ipsa debetur.* Hinc est, quòd nullus actus satisfactorius requiritur ex parte baptizandi, cui sufficit, *si est adultus*, vt petierit Baptismum, cum actu Fidei, & Pœnitentiæ scilicet contritus existens, nam vt Baptismus suum confe- 87
rat effectum tùm gratiæ, tùm solutionis pænæ, quæ non relaxatur sine præuiâ gratiâ, supponit dispositionem in baptizato, nempe voluntatem recipiendi illum, quæ sufficit pro receptione Caracteris, & attritionem peccatorum actualium, si quæ adultus habet, vt dicitur *Act. 2. 38. Pænitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum* vt etiam id proponitur in *Trident. sess. 6. cap. 6. & S. Aug.* de fide ad Petrum *cap. 30.* ait hoc esse indubitatum. Itaque iste dormiens habet remissionem non solùm omnium culparum, sed etiam omnium pænarum, si adultus ante dormitionem, cuius tempore baptizatur, petierat Baptismum, & ad illum erat dispositus, per Fidem, & attritionem, aliter non, vt expressè patet definitum in sacris literis, & Concilijs, quæ loquuntur de adultis habentibus peccatum actuale, dico actuale, quia de originali non datur pænitentia, cùm non sit contractum propriâ culpâ, & malitiâ, vnde 88
loquendo de infantibus, & adultis amentibus, & furiosis perpetuò nulla dispositio ex parte eorum requiritur, cum solum habeant originale. Hanc communem vocat Laurentius Brancatus de Lauria Minorum Conuentualium vir pietate, & eruditione illustris in *4. sent. disp. 14. art. 3. num. 26. & 27. & seq.* Qui verò accedit ad Baptismum cum alicuius 89
pec-

peccati venialis complacentiâ licet habeat remissionem peccatorum actualium mortalium de quibus doluit, non habet tamen remissionem omni pœnæ, ver tas illius est quia peccatum veniale non est obex impediens in Sacramentis effectum gratiæ, cui tantùm ad-
90 uersatur mortale, vnde bene dixit Scotus *in 4. dist. 4. q. 5. vers. alio modo*, loquendo de fictione eius, qui recepit Baptismum, impediente effectum gratiæ, consistere in eo, *quia habet aliquod peccatum mortale tunc in actu, vel præteritum, de quo nullo modo atteritur, vel conteritur*. Post tergo cum solo veniali recipere gratiam, & condonationem etiam pœnarum, sed non omnium, cùm reuera non habeat solutionem pœnæ debitæ illi ve-
91 niali adhuc viuenti, & ita docet expresse *Bonac. de Baptismo par. 2. num. 10 Vers. Dixi*. De dormiente autem dicitur *cap. 3. de Baptis. adultum*, qui peccerat catecumenus Baptismum, in somnis ablutum recipere Sacramentum, & rem Sacramenti.

Itaque ad propositum dico in casu Baptismi siue dormiat, siue vigilet adultus bene dispositus non eget aliquo actu satisfactorio, cùm Sacramentum Baptismi ex opere operato omnem tollat pœnam, quam totam tamen non tollit ab eo, qui cum peccati venialis complacentiâ recipit Baptismum, vnde is eget aliquo actu satisfactorio ad solutionem pœnæ respondentis peccato veniali, & sic vel ex opere operantis extra Sacramentum Pœnitentiæ, vel ex ipso Pœnitentiæ Sacramento, vel ex Indulgentiâ, cum non possit remitti eius pœna in receptione Baptismi, cum nondum sit remissa culpa, dum in receptione Baptismi peccat venialiter. Itaq; quòd dicit do Lugo, in Baptismo ex voluntate Christi conferri solutionē totius penę ei, qui recipit Baptismum, per actum non satisfactorium, vt contingit in somno, vel per actionem malam venialiter, quia tunc Christus applicat ex thesauro pretium ad soluendum pœnas pro baptizato, quando dormiens nihil egit, vel recepit Baptismum cum peccato veniali in eo se complacente. Non videtur vsque-
92 quaq; verum, tum quia huiusmodi applicatio thesauri non est Indulgentia, cum non dependeat ex dispensatione Apostolicâ, sed ex institutione ipsius Sacramenti, cui Christus in institutione ex meritis suæ passionis, in quâ est thesaurus Ecclesiæ, ex quo etiam eruuntur Indulgentiæ, contulit semel virtutem inseparabilem abluendi totam culpam, & to-
93 tam pœnam, sine aliquo actu satisfactorio ex parte subiecti, quòd non est necessarium, sicut in Sacramento Pœnitentiæ, cuius absolutio tollit solùm peccata, & pœnam illis debitam de æternâ facit temporalem, & aliquid illius etiam abstrahit, sed non totam, ideo Pœnitentiæ adiungitur satisfactio, non Baptismo, dum totam pœnam destruit rectè disposito. Ei verò, qui baptizatur cum actione peccaminosa venialiter, tota pœna non remittitur maximè correspondens huic veniali, vnde alijs medijs ex supradictis tollenda est, post remissionem talis culpæ. Igitur exem- 94
plum de Baptismo allatum nihil habet similitudinis cum Indulgentijs, hæ enim ordinantur tamquam satisfactoriæ ad deletionem pœnarum post remissionem peccatorum, Baptismus verò simul vtrunq; delet, ac proinde in suo exercitio non potest supponere alterius Sacramenti operationem, vt facit Indulgentia, quæ supponit Pœnitentiam.

Contra quartam probo, Confessarium no- 95
mine Christi mediante thesauro Ecclesiæ non eleuare satisfactiones pœnitentis ad habendum maiorem effectum vltra condignitatem, quià Christus in institutione Sacramenti omnem illis tribuit virtutem, quæ erat necessaria ad remissionem non solum peccatorum, sed etiam pœnarum, & quidem regulatam, & inalterabilem, nec augibilem, nec diminuibilem, quia cum Deus aliquid facit, illud perfectum absoluit, aptum in sua entitate ad faciendum omne id, ad quòd in sua institutione ordinatur, ne imperfectionis sit redarguendus. Modo Sacramentum Pœnitentiæ, cuius pars est etiam Sacramentalis satisfactio ordinata ad solutionem, & extinctionem pœnarum, à Christo Domino ita institutum fuit in totâ suâ perfectione, vt producere possit omnes, & quoscunq; effectus, ad quos ex sua institutione ordinatur, ergo nec ipsum Sacramentum absolutionis, nec eius pars satisfactoria, est capax eleuationis ad maiorem effectum supra suam condignitatem, ex quo vtrunq; est perfectum in suo genere. *Præterea* hæc eleuatio satisfactionum supponit aliquam imperfectionem in illis, inquit enim: *Aliquando verò Christus eleuat satisfactiones nostras, vt ex opere operato, & vltra condignum habeant maiorem effectum supplendo ex thesauro id, quod est condignitatis in nostra satisfactione, prout Confessarius nomine Christi eleuat satisfactionem sacramentalem*.

Sed hoc dicendum non est, quia omnia, 96
quæ Deus facit, perfecta sunt, *Deuter. 32. 3.* ergo non egent eleuatione, maximè Sacramenta, quia habent omnem perfectionem in summo ad producendum omnes illos effectus, ad quos ordinantur. *Vlterius* Sacramentum absolutionis eleuari non potest ad producendam maiorem remissionem peccatorum, cùm ex sua institutione deleat omnem culpam ex opere operato, & nihil vlterius sit delebile, ergo ista eleuatio inutilis est, & ad nihil deseruit; neq; ista eleuatio referri potest ad destructionem pœnarum, itaut per absolutionem eleuatam deleatur omnis pœna, quia inde sequeretur satisfactionem sacramentalem esse inutilem, dum ei non posset

possit correspondere proprius effectus sublatus mediante ea eleuatione. Quare sequitur, quòd nec ipsa satisfactio Sacramentalis sit eleuabilis, cum enim sit pars Sacramentalis habet ex institutione Christi, & ex opere operato, vt tot pœnas, & non vlterius soluat iuxta mensuram præscriptam in suâ institutione, ergo non est capax eleuationis, cum de se sit perfecta in sua ratione operandi ex virtute ei collata à Deo. *Insuper*, datâ hac eleuatione iam satisfactio non operaretur vt pars Sacramenti, sed vt aliud, & extra rationem Sacramenti, quia vt pars Sacramenti debet producere remissionem pœnæ e. g. triduanæ, ratione verò eleuationis deleret, & solueret aliquid vlterius, ac proinde totus effectus tribueretur eleuationi, vel partim illi, & partim isti, quod tamen dicendum non est, nam si totus effectus tribuatur eleuationi, sequitur hanc esse maiorem in perfectione,
97 quod dicere absurdum est, quia Sacramenta perfectiora sunt in se, & in suis partibus ipsâ eleuatione, quæ Sacramentum non est, nec Sacramenta dignificare potest, cum in se habeant omnem perfectionem, & dignitatem illis necessariam, & competentem in ordine ad suos effectus. Quòd si effectus diuidantur in suis causis, itaut satisfactio Sacramentalis producat suos effectus, & super addita eleuatio proprios efficiat sibi correspondentes, iam ipsa satisfactio non poterit dici eleuata, dum non producit effectus correspondentes vlterius ad eleuationem, præter illos, quos produxisset sine eleuatione, vnde talis eleuatio non potest generare nisi confusionem in effectibus, & imperfectionem in parte Sacramentali, & in ipsis Sacramentis, quibus videtur indecens talis eleuatio propter eorum eminentem virtutem, quæ in suis operationibus non eget consortio alterius rei maioris efficaciæ, vt importat verbum eleuationis, Sacramenta enim ab origine eorum institutionis ita iuste fuerunt eleuata, vt vlteriori eleuatione non indigeant, ne eorum natura, & status mutetur,

Contra quintam, in qua dicit, Papam aliquando concedere Indulgentias, & quidem sæpe propter causam præteritam, aliquo opere non petito; interdum verò pio opere petito satisfactorio, quod eleuat ad maiorem effectum satisfactionis supra condignum, quamuis enim isto duplici modo concedatur Indulgentia, vt etiam docet Faber *disput.* 38. *de Pœnit. num.* 202. & alij communiter, loquendo pro viuis, non pro mortuis, vt insinuat etiam ipse Cardin. de Lugo *eadem disp.* 27. *num.* 86. nihilominus præfatus eleuationis modus, quem hactenus impugnauimus, non placet.

Quare probandum est, pia opera præscripta non eleuari ad maiorem effectum satisfac-
98 tionis supra condignum, nec alio quouis modo, quia opera hæc non sunt pretium, nec causa destructiua pœnarum, quas sola Indulgentia remittit, ergo hæc eleuatio non est necessaria cum ad nihil deseruiat, nam opera ipsa non producunt solutionem pœnarum sed sola Indulgentia. *Præterea* opera præscripta ratione pietatis suæ, & bonitatis habent tantùm disponere subiectum vt sit aptum recipere Indulgentiam remittentem illi peccata; sed hoc præstant de se, dum ex præscriptione ordinantur ad disponendum subiectum, ergo nullâ egent eleuatione. *Deinde*, sicut se habent dispositiones in homine recepturo Sacramentum aliquod, ita & hæc pia opera à Pontifice præscripta ad sumendam Indulgentiam, valet enim paritas, quia vtrobiq; disponunt subiectum ad formam; sed respectu Sacramentorum non eleuantur, aliter de condigno subiectum reciperet primam gratiam ex eâ condignitate, quam importat hæc eleuatio; ergo nec eleuantur ea opera in ordine ad Indulgentiam, ne dicatur eam per se inefficacem esse, & egentem alterius consortio ad solutionem pœnarum, sicut ergo Sacramenta ex opere operato producunt primam gratiam, positis dispositionibus præuijs, sine aliqua earum eleuatione, cum sint tantùm conditiones dispositiuæ, & non productiuæ gratiæ, ita Indulgentia positis operibus pijs sine vlla eleuatione eorum, cum sint conditiones tantùm dispositiuæ ex opere operato producit suum effectum solutionis pœnarum.

Vlterius, quid sibi vult iste maior effectus supra condignitatem causatus ab hac eleuatione, nam vel opus illud reddit satisfactorium illa eleuatio, vel eius virtutem auget, vel ei tribuit excessum in operando, vel facit magis condignum, quàm sit sine eleuatione. Nullum horum dici potest; *non primum*, quòd scilicet eleuatio faciat opus satisfactorium, quia præscriptum opus non soluit debitum, sed sola Indulgentia, quæ essentialiter est remissio peccatorum, hoc est, pœnarum ex peccatis contractarum, positis operibus tamquam dispositionibus subiecti, quæ sicut in naturalibus non attingunt principalem, & vltimum effectum, ita neq; in moralibus, cum ergo sola Indulgentia sit satisfactoria, hæc actio non competit nec competere potest pio operi, ne deprimatur virtus Indulgentiæ. *Nec secundum* scilicet quòd augeat virtutem operis, quia præuium opus de se natum est disponere subiectum secundùm virtutem, quam illi Deus tribuit, ac proinde augmento non eget, dum in suo genere dispositiui habet quicquid requiritur ad disponendum, neq; enim Deus imperfectus est in suis operibus. *Nec tertium*, quòd scilicet ei tribuat excessum in operando, quia cum sit illud opus præscriptum in ordine ad disponendum, non est opus excedere, cum habeat determinatum effectum, quem consequi debet, & non vl-

O terius

terius producere. *Nec quartum*, quòd scilicet illa eleuatio faciat magis condignum illud opus, quia cum non sit satisfactorium, nec maiorem recipere potest condignitatem; si nullam habet satisfactionis figuram. Opus ergo pium in gratiâ factum est quidem dignum Indulgentiâ, sed de se non producit solutionem pœnæ, quando habet rationem dispositiui, & conditionis, sine qua non confertur Indulgentia, nec tollitur debitum. Si verò opus pium spectetur sine ordine ad In-
99 dulgentiam, eo in casu est satisfactorium, ex opere operato, si fuit impositum à Confessario, quia est pars Sacramentalis Pœnitentiæ; assumptum verò voluntariè pro satisfactione, tunc si fiat in gratiâ, non ex opere operato, sed ex opere operantis delet tantum pœnarum, quantum ipsum opus meretur, iustum enim est, vt deleatur illi pœna, cui satisfecit in hoc sęculo, itaut illam amplius pati non teneatur, cum debitum sit extinctum; neque
100 enim afflictio addenda est afflicto, *cap. cum percussio 2.7. q. 1. l. Pœna 9. §. fin. ff. ad leg. Pompeiam de Parricid.* Non enim consurgit duplex tribulatio. *Nahum cap. 1. 9.*

Ex his in longum protractus colligitur, opus pium præscriptum à Pontifice pro aquirendis Indulgentijs sibi, vel defunctis nullâ indigere eleuatione vt satisfactorium magis sit supra condignum, cum nec habeat rationem satisfactorij, dum non est opus, quòd transgrediatur limites suæ operationis, quòd si excederet, Indulgentiæ vim, & efficaciam deprimeret. Et ex eis quoq; patet responsio ad obiectionem eiusdem Cardinalis superius allatam *sub num. 75.* requirentis, vt hoc opus pium fiat in statu gratię ob eam eleuationem, pro aquirendis Indulgentijs animabus defunctorum, eâ enim sublatâ non est opus requirere statum gratię in aquirendis Indulgentijs, pro defunctis, quia cum opus sit præscriptum à Pontifice, suam dispositionem vti factam nomine Ecclesiæ, & fauore defunctorum, qui sunt in gratiâ, certum est, esse dignam, vt Indulgentia his nominibus prosit defunctis, non enim viuens in hoc dicitur se disponere pro se, cum effectum Indulgentiæ sibi non quærat, sed mortuis, qui ad eam quodammodo dicuntur se disponere per viuentes illa pia opera exequentes, sicut piâ mater Ecclesia, & tenentes infantem dicuntur disponere illum ad recipiendum Baptismum, vt
101 dicitur cap. *Paruuli 74. alio profitente baptizantur, quia adhuc loqui, vel credere nesciunt, sicut etiam agri, muti &c. à S. Isidoro relato hoc capite dist. 4. de consecr.* Itaque sicut in Sacramentis requiritur prauia dispositio, ita & in Indulgentijs, quæ ex opere operato producunt in fidelibus piè dispositis condonationem pœnarum. Hæc satis; prosequamur dubia.

Quæres 9. An vt Indulgentia prosit mortuo ex Altari priuilegiato, siue ex alio capite, requiratur in eo aliqua dispositio personalis, e. g. acceptatio, & voluntas recipiendi illam?

℞. Ex parte defunctorum, nulla est necessaria specialis dispositio in illo statu gratiæ, 102
præter hunc, cum non sint capaces sicut viuentes, qui pro ipsis orant, vt possint lucrari Indulgentias, vnde non est necessarium, quòd dum viuerent, habuerint deuotionem ad Claues, vel quòd orauerint pro mortuis, vel satisfacerent &c. vt volunt *Caiet. Gandauensis, & Nauar. apud Pasqual. q. 733.* Neque acceptatio tanti beneficij est necessaria ex parte ipsorum, cum quilibet naturaliter sibi ipsi bonum exoptet, & exonerari à debitis cupiat, formalis ergo beneficij acceptatio necessaria non est, sed sufficit pium desiderium, quia etiam ignorantibus aquiritur fructus non solùm Sacrificij, sed etiam aliorum suffragiorum, vt docet de Lugo *disp. 26. sect.* 103
3. de Pœnit. Nullam ergo acceptationem ex parte defunctorum requiri docent, *Suar. sect. 4. num. 10. ex eo de Lugo disp. 27. num. 78. Vers. Vltimo. Pasqual. q. 733.* Sufficit ergo, quòd Ecclesia præscripta opera exequatur pro ipsis sine dubio exoptantibus, vt propria debita soluantur virtute Indulgentiæ.

Quæres 10. An Altaria priuilegiata pro defunctis prosint etiam viuis? Vel an viuis possint concedi huiusmodi Altaria?

℞. Non prodesse quò ad fructum satisfactorium, quia Sacrificium coniunctum cum 104
Indulgentiâ per modum vnius soluit pœnam eius defuncti pro quo celebratum fuit, sicut enim hæ duæ causæ indiuisibiliter operantur, ita ab eis effectus satisfactionis indiuisibiliter exit. Celebranti prodest quò ad tria, nempe ad *Propitiationem*, *Satisfactionem*, *& Impetrationem*, ex his enim semper habet portio- 105
nem suam, sine præiudicio petentium missam pro se, aut suis defunctis. Sacrificium ergo Altaris priuilegiati non videtur prodesse specialiter alijs, qui non dederunt eleemosynam, sed solùm generaliter, iuxta doctrinam Scoti *Quol. 20. art. 2. & 3.* de triplici missæ fructu generali, medio, qui ex Iustitiâ debetur danti stipendium, & speciali proprio celebrantis, docet Fraxinellus alijs citatis *sect. 3.* 106
Prænot. 3. de obligat. Sacerd. Quò verò ad Indulgentiam non prodest nisi defunctis, pro quibus emanauit, Indulgentiæ enim tantùm valent, quantùm sonant, ex vulgatis iuribus; & cum Papa concedat Indulgentiam, & non celebrans, vt dicunt omnes *cum Fagnano in cap. Quidam, de celeb. miss. num. 15.* te- 107
netur eam applicare ad mentem Pontificis, scilicet, pro defuncto, pro quo celebrauit, & non alijs etiam defunctis, multò minus viuentibus, ad quos Papa illam non direxit. Ità *Fraxin. sect. 3. Prænot. 4. §. 3. num. 5. Suarez. de Pœnit. disp. 50. sect. 3. concl. 2. cum alijs Pasqual. q. 739. Megal. conf. 19. n. 6.*

Ego

Ego autem *Resol.91.q.2.* quò ad aliam partem dixi, posse Papam concedere Altaria etiam pro viuis, id enim non repugnat, sed non expedit, quia contingeret vt plurimùm
108 Indulgentiam frustrari suum effectum, dum celebrans ignorat, an pro quo celebrat pro consequutione Indulgentiæ, sit in gratia, loquendo autem de defunctis, scit, quia certò credit, animas Purgatorij, pro quibus offertur, esse in statu gratiæ, ac proinde Indulgentiam non prodigi, sicut respectu viuorum; nec oportet dicere eius suspendi effectum vsq; dum erit constitutus in gratiâ ipse viuens, pro quo celebratum fuit, quia Indulgentia suum sortitur effectum, dum applicatur, aliter euanescit, quod dedecet tantum
109 thesaurum. Ita supradicti cum Pasqual. cit. in quantùm Indulgentia non potest manere in suspenso, *Megal.consf.19. num.3. & 4.* qui aliorum refert opinionem, posse fructum Sacrificij manere in suspenso, sed non placet, tùm quia aut persona, pro qua oblatum fuit, est indigna tanto beneficio, ac proinde sicut prodesse non potest tunc, ita neq; deinceps cum nulla virtus supersit conseruandi illum applicandum tempore habili, quo erit in gratia, non enim rationabile est, quòd benefi-
110 cium expectet personam, sed excellentia beneficij exigit, vt persona parata expectet illud, quod cupit habere. Aut est digna, & eget fructu, & tunc sortitur suum effectum, si non eget, frustra implorat beneficium, quo non eget, & sic facit illi magis iniuriam, quam honorem,

Quæres 11. An valeant plura Altaria priuilegiata in eadem Ecclesiâ, siue sint eiusdem rationis, siue diuersæ? E. g. in Ecclesiâ est Altare commune omnibus defunctis, quod dicitur generale; verum Cordigerorum Confraternitas in eadem Ecclesiâ erecta possit petere alterum Altare speciale, scilicet, pro Confratribus, & validè illud obtineat, non factâ mentione de Altari generaliter priuilegiato iam concesso?

111 ℞. Quamuis non repugnent plura Altaria priuilegiata in eadem Ecclesiâ secundum præfatam diuersitatem, vel alio modo, vt ex diuersitate temporum, & dierum, nihilominus dum conceduntur cum clausulâ exclusiuâ aliorum, videntur per eam exclusa quæcunq; siue in omnibus similia, siue in genere personarum, vt pro omnibus fidelibus, siue pro Confratribus talis Societatis, nam
112 dictio *aliud* refertur ad similia ex allatis à Barbosâ 5. eodem, certum autem est, quòd omnia Altaria priuilegiata sunt similia, & eiusdem rationis quò ad beneficium Indulgentiæ, respectu cuius omnimodam habent similitudinem, continent enim liberationem animarum à pœnis Purgatorij, quod est principale beneficium Altaris, vnde concessio vnius cum dictâ clausulâ irritam facit subsequentem impetrationem, per eam enim clausulam Papa se declarat nolle vlterius aliud concedere Altare, & sic defectu intentionis nulla est impetratio facta alterius Altaris. Intellige prædicta, si indultum obtinuit suum effectum, nam petitum Altare si non fuit positum in vsu, aliud impetrari potest. *Pasq. q. 763.*

Nec adducta ratio à *Pasqual.q. 754 sequendo Cobat. & Quintanad.* habentes vnum Altare generaliter priuilegiatum, posse obtinere aliud diuersæ rationis, scilicet speciale, quia dictio *aliud* appellat similia, & eiusdem rationis, qualia non sunt præfata Altaria generale, & speciale, ergo habens generale non potest petere aliud generale, vt que aliud, quod sit speciale, quia *aliud* excludit simile, & eiusdem rationis, non diuersarum rationum per iura ibidem ab eo allegata.

Hæc inquam adducta ratio à Pasqualigo conuincit minimè, nec quidquam probat, quod ostendo referendo illos duos textus, qui potius pro me sunt, nam in *l. 3. C. de seruis fugit.* dicitur, quòd serui fugitiui puniuntur mutilatione pedis, aut pœnâ metalli, *aut qualibet alia simili*, explicat *Glos.* idest, extraordinariâ, conceditur ergo castigatio non solùm per pœnam ordinariam, quæ est mutilatio pedis, seu metalli, vel *alia simili* scilicet extraordinariâ, quæ habent similitudinem cum illis, & non excedat delictum, ecce pœnæ sunt diuersæ in materiâ, similes verò in ordine ad delictum, quod excedere non debent, quia pœna debet proportionari culpæ. Applico, sicut dictio *alius* inclusiua comprehendit similia in ratione formali, quamuis materialiter sint dissimilia; ita eadem dictio exclusiuè sumpta excludit similia, quæ talia sunt non solùm in ratione formali, sed etiam diuersa, in ratione materiali; sed Altare priuilegiatum excludens per eam dictionem *aliud* Altare, illud excludit, siue sit tale secundùm rationem formalem liberandi quascunq; animas siue sit tale liberandi animas tantùm confratrum, hæc enim diuersitas est materialis nullam ponens rationem diuersitatis in intrinsecâ ratione liberandi animas, dum enim Altare priuilegiatum generale est pro omnibus animabus, est etiam pro animabus Confratrum, licet hoc non sit pro illis propter restrictionem; in exclusione ergo similis Altaris attendenda est similitudo respectu priuilegij liberandi animas, non illarum restrictionem, quæ venit tantùm obiectiuè, & non formaliter, quod potissimum intendit Papa, ne sint duo Altaria priuilegiata in eadem Ecclesiâ, id enim videtur occasio nescio quid auaritiæ propter stipendia, quæ offeruntur duobus Altaribus. 113

In alia lege, quæ est *fin. C. de ijs*, qui à non dominis manumittuntur, decernitur, vt manumittendum de conscientiâ fictâ Principis

seruum alienum, cogatur duos reddere domino, *& alios tres fisco eadem ratione similes* scilicet eiusdem sexus, ætatis, & artis, vt dictitat supra. Ecce hic textus explicat hanc similitudinem vsquequaq; tam materialem, quam formalem, si enim dictioni *& alios tres* non adiunxisset, *eàdem ratione similes*, reus ille satisfecisset reddendo tres seruos in ratione formali seruorum, licet in ætate sexu, & arte fuissent diuersi, dictio ergo *alius* includit similitudinem cum diuersitate, si aliud non addatur, vt patet ex hoc textu. Quare in casu nostro, primum Altare priuilegiatum habens dictionem *aliud*, excludet aliud simile Altare habens diuersitatem ex qualitate personarum, scilicet, animarum Confratrum.

Confirmatur id, quia si non adesset in indulto exclusiua nulla, adhuc non posset impetrari alterum Altare generaliter priuilegiatum, esset enim petitio impertinens, & irrationabilis inducens Papam in aliquam sinistram opinionem, velle nimirùm Sacerdotes mercari spiritualia, ergo hinc sequitur illam exclusiuam reuera esse referendam ad Altare specialiter priuilegiatum, & non ad aliud generale, cum hactenus non inueniantur concessa alicui Ecclesiæ duo Altaria generalia.

Quæres 12. An Altare priuilegiatum possit transferri de loco ad locum? Id autem contingere potest duobus modis, primò ab vno Altari ad aliud in eadem Ecclesià; secundò ab vna Ecclesià ad aliam renouatam, vel diuersam, priori remanente, vel destructà.

114 R. Designato semel Altari non potest fieri translatio Indulgentiæ ab illo ad aliud Altare eiusdem Ecclesiæ, vtiquè si nondum sit designatum, intellige id; si tenor indulti det electionem Rectori Ecclesiæ designandi Altare, quæ non censetur concessa, quando in diplomate exprimitur Altare, pro quo petita fuit Indulgentia, debetq; illud extare, quo petito, non potest transferri Indulgentia ad aliud Altare, licet eiusdem tituli, & nominis Sancti. Hæc quo ad mutationem Altaris in eàdem Ecclesià. Respectu verò diuersarum, dicendum est, licere translationem, quando erectà nouà Ecclesià, profanatur vetus, vel destruitur, ita quòd non amplius sit in vsu, ad quam noua habet successiuam relationem, aliter non contingit vtilis translatio. Demum destructo Altari, vel Ecclesiæ ex vetustate, etiam in totum cum animo reficiendi, si statim incipiat restauratio non perditur Indulgentia. Singula probo.

Prima pars, quòd non possit fieri translatio Indulgentiæ à primo Altari designato ad aliud, probatur, quia per eam designationem dicitur Altare esse in possessione suæ Indulgentiæ, ergo hæc ab eo auferri non potest, cum sit illi ità affixa, vt nullum alterum ius habeat ad illius aquisitionem. Factà ergo designatione non datur mutatio, nec translatio Indulgentiæ. Ita *Nauar. de Horis Canon. cap. 5. num. 11. Lauor de Indulg. par. 2. cap. 30. num. 112. ex illis Pasqual. q. 762.* Et licet quandoq; quis priuari possit iure quæsito etiam sine culpà, si subsit causa, tamen in præsenti materià non potest sub esse culpa, cum Altare non sit capax culpæ, nec talis potest sub esse causa, quòd Altare priuetur suà Indulgentià, & concedatur alteri, nam si in causa sit destructio adeo, quòd non amplius reficiatur, tunc non est locus translationi, cum desinat esse cum Altari, tamquam accidens, quod sine suo subiecto esse non potest. Alias rationes vide apud Pasqual.

Quòd si non datur facultas petenti Altare designandi, tunc statur tenori Indultorum, quæ regulariter conceduntur cum expressione Altaris, itaut ipso iure Indulgentia aquiratur tali Altari, ad quod dirigitur, & non alteri, prima ergo celebratio ponit Altare in possessione suæ Indulgentiæ. Quòd si in eadem Ecclesià duo sint Altaria eiusdem Sancti, in eo casu locus est electioni, quà posità per celebrationem, cessat ius electionis, cum iam obtinuerit suum effectum, vnde Superior non potest variare, *arg. cap. Publicato 58. Scrutinio variare nequeunt electores*, de elect. sic publicatà celebratione nequit celebrationem in futurum variare localiter, functus enim est officio suo per nominationem, seu celebrationem in tali Altari.

. Secunda pars, quòd non detur Indulgen- 115
tia Altari nondum existenti, neq; Ecclesiæ
nondum ædificatæ, probatur, quia priuile-
gium, cuiusmodi est hæc Indulgentia, non
datur rei nondum existenti, *cap. ad audien-*
tiam 5. de Eccles. ædif. Gonz. ad Reg. 8. Can-
cell. Glos. 5. §. 7. num. 71. & 83. qui *num.*
96. & 97. ait, posse concedi, vt incipiat ha-
bere vires collegium, vel Ecclesia, quando
erecta erit, vt autem valida sit concessio, de-
bet in petitione exprimi Ecclesiam, seu Al-
tare inchoari.

Tertia pars de translatione Indulgentiæ à 116
veteri Ecclesià ad nouam petit tria, *primò*,
quòd vetus Ecclesia non amplius sit in vsu,
vel destructa, vel profanata; *secundò*, quòd
in noua Ecclesia Altare, ad quod transfertur
Indulgentia sit eiusdem tituli, & nominis,
quorum erat Altare destructum in Ecclesià
veteri; *tertiò*, quòd sit relatio successionis à
veteri ad nouam Ecclesiam, hoc est, quod
idem Rector transeat, item Canonici, item
Religiosi eiusdem ordinis &c. siue sibi fabri-
cent nouam Ecclesiam, siue ad aliam acce-
dant cum omnibus suis iuribus, quæ habe-
baut in destructà. Probatur, quia translatis 117
personis transferuntur omnia earum iura, &
priuilegia, si translatio fuit legitima, facta
scilicet de licentià Superioris, *Alex. vol. 1.*
consil. 43. Gailard. lib. 2. Obseru. 61. num.
10. Albert. Brunus de mutat. membr. 3. concl.

3. num.

3. *num* 78. *Vtum. conf.* 63. *num.* 2. & *conf.* 64. *num.* 3. *de iudic. Coebier par.* 3. *de iurisd. ordinar. q.* 21. *ex illis Barbos. ad Reg.* 7. *in* 6. *num.* 10. Faciunt, quæ dixi *cap. præced. q.* 18. & 19. Sed inter priuilegia, & iura prioris Ecclesiæ connumeratur Altare priuilegiatum, ergo eius Indulgentia transfertur in posteriorem Ecclesiam. Ita *Bonac. p.* 8. *num.* 5. *vers. si verò*.

Dices, destructo penitus Altare, perditur priuilegium, siquidem illud vti accidens non potest existere nisi in suo subiecto, *Glos.* 5, *Non teneat*, *cap.* 2. *de noui oper. nunt.* In terminis, Pasqual. q. 761. vbi, quod si non reparatur, cessat Indulgentia; sed in casu nostro omnino destruitur Ecclesia, & Altare, ergo, & Indulgentia, ac proinde non dicitur transferri, cum non amplius sit, solùm enim quod est transfertur.

℟. Verum esse, perdi priuilegium destructo Altari, sed quoniam in casu nostro prius fit trãslatio Indulgentiæ, & aliorum iurium, antequam sacer locus destruatur, aut profanetur, hinc est, quòd Indulgentia non perditur, cum adhæreat posteriori Altari, antequam destruatur primum Altare, quod cessat per se solùm, cum Indulgentia recesserit ad secundum Altare. Ne mireris hunc loquendi modum, quia in moralibus leges fingunt pedes, & motum localem in rebus moralibus, vt possint seruire hominibus, in quorum sunt vsum.

118 Positis ergo illis tribus conditionibus sequitur Indulgentiæ translatio in frugem animarum, quòd si remanet Ecclesia cum Altari in suo vsu non est translata Indulgentia, sed ibidem remanet pro salute defunctorum, nulla enim ratio mihi videtur posse persuadere translationem, dum Altare manet omnino idem, ac proinde cum inseparabilitate sui accidentis, quod cum subiecto tandiu conseruatur, quamdiu ipsum existit, cum habeant ad inuicem mutuam inseparabilitatem, quamdiu subiectum manet immutabile.

119 Quarta pars, si ex vetustate, vel aliâ causâ Ecclesia, seu Altare paulatim resoluatur, sed statim reficiatur, siue super ijsdẽ fundamẽtis, siue alijs nouis, vlterius perseuerat Indulgentia in Altari refecto, probatur, quia licet non dicatur idem numero in genere entis physici, quod in totum fuit omninò destructum, refectum de nouo etiam ex eadem ma-

120 teriâ, & in eodem loco, *l. Quid tamen* §. 1. 10. *ff. Quib. modis vsusfr. amittatur*, *Bois casu* 33. §. *Quod autem par.* 3. *Tamb. tom.* 1. *disp.* 25. *q.* 1. *num.* 280. *Vers. Sed si extinguatur*, & hoc in ordine ad nonnullos effectus

121 nempe consecrationis, de qua *cap. Ligneis* 6. *de consecrat.* tamen in ordine ad iura, & priuilegia Altare, seu Ecclesia refecta in totum dicitur eadem numero in genere entis moralis, exigit enim ratio, vt eadem iura, & priuilegia maneant pro Clericis eidem Ecclesiæ seruientibus, ac proinde remanet quoq; Indulgentia Altaris priuilegiati, licet egeat nouâ consecratione, quia Altare capax est Indulgentiæ nondum consecratum, respicit enim Consecratio celebrationem, vt dignè 122 fiat, non vt sit capax Indulgentiæ quò ad effectum, Altare enim incipit esse in possessione Indulgentiæ, cum primùm in eo celebratur, supponendo capacitatem in eius materiali, vnde si amittat consecrationem non perdit Indulgentiam, quæ subsistit in materiali, licet sine fructu, qui non datur animabus sine celebratione, quæ fieri non potest in Altari exsecrato. Ita *Suarez. disp.* 52. *de Pænit. sect.* 1. *num.* 9. contra Layman, & Bonacinam, quos pro se citat *Pasq. q.* 761. Si non in totum sit destructum, sed in præmissis standum est argumento à fortiori, si enim transit Indulgentia à loco ad locum iuxta superius dicta, ergo & in eodem Altari secundum situm refecto in totum.

Confirmantur prædicta, quia nostris temporibus, sæculo etiam præterito sunt in vsu Altaria mobilia, quæ appellantur lapides sacri, qui inseruiunt diuersis Altaribus materialibus, quibus censetur concessa Indulgentia, ergo cum in illis non spectetur consecratio, siue eadem, siue in totum refecta retinent antiquum priuilegium Indulgentiæ.

Quæres 13. An mutato Sancti titulo in alium titulum expiret Indulgentia concessa Ecclesiæ, seu Altari S. Antonij Abbatis, si intituletur sub nomine S. Antonij de Padua, qui videtur esse magis benefactor Sancto Abbate?

℟. Extingui Indulgentiam, & Altare illud 123 non amplius esse priuilegiatum, supposito, quòd tituli mutatio facta sit à Superiore, vt, ab Episcopo respectu Clericorum, à Superiore regulari respectu suarum Ecclesiarum, & quòd nouus titulus non sit superadditus antiquo remanenti. Ratio est, quia non est amplius illud Altare, quod sub qualitate illa petitum erat cum priuilegio, dum titulus fuit mutatus, ergo extincta est Indulgentia, quia extinctâ qualitate, sub quâ fuit concessio facta, cessat priuilegium concessum, quod continuo in suo esse pendet ab ea qualitate, ergo hac destructâ perimitur etiam pendens ab ea. Ita *Pasqual. q.* 761. *num.* 6. vbi ex mutatione qualitatis deficit concessio sub qua fuit facta, *ex Seraph. dec.* 1058. *num.* 9. *Coccino dec.* 127. *num.* 1. *Merlin. dec.* 894. *num.* 2.

Quæres 14. An valeat Altare priuilegiatum, si numerus Sacerdotum in diplomate taxatus non existat in ea Ecclesiâ, cui est concessum priuilegium Altaris?

℟. Numerus expressus in Breui Altaris 124 priuilegiati non est de valore huius priuilegij, ita ut successiuè pendeat à numero sacerdotum præfixo, sed sufficit, vt initio impetrationis,

tionis, cum incipitur prima celebratio, in quâ aquiritur possessio priuilegij in ipso Altari, adsint tot Sacerdotes, quot exprimuntur in indulto, etiam si ipso die aquisitionis Indulgentiæ omnes non celebrent in dicto Altari ob aliquam causam, & multò minus in sequentibus, ita quòd satisfactionis defectus non extinguit priuilegium

125 Primum, quòd initio sit necessarius Sacerdotum numerus pro validâ aquisitione priuilegij, probatur. Tum quia numerus requisitus, in aliquo actu debet reperiri in ipso actu, Decius *in cap. Prudentiam, de offic. deleg. num.* 39. Tum quia vbi deficit qualitas dis-

126 positionis deficit quoq; ipsa dispositio, *Glos. 5. Auocandum l. Mancipia ff. de seruis fugit, Surdus cons.* 400. *num.* 16. *Pacian. lib.* 2. *de probat. cap.* 14. *num.* 8. Alijs argumentis hoc idem probaui *Resol.* 91. *num.* 8.

Pasqualig. *q.* 747. relatas à me probationes loco citato ait pati difficultatem, nec congruere menti Pontificis, vnde subdit, non requiri talem numerum Sacerdotum tamquam conditionem, à qua dependeat valor priuilegij, quòd cum habeat tractum successiuum, illum etiam requireret in conditione, ac proinde quoties contingeret non celebrare illum numerum missarum, non haberet locum priuilegium, quia sub aliquâ conditione concessum, sub oppositâ censetur ademptum, iuribus, & Doctoribus citatis. *Secundò* immo sequeretur, quòd si adhuc esset numerus requisitus, si aliquis Sacerdos non celebraret ob infirmitatem, deficeret pro illis diebus priuilegium Altaris, quia concessum sub conditione deficit, etiam si conditio ex impotentiâ non impleatur ex Doctoribus ab eo citatis. Alia multa subinfert, quæ omitto, quia meis non aduersantur.

127 Dico, quòd in concessione Altarium priuilegiatorum duo spectantur, suffragium animarum defunctorum, quod tamquam causa finalis mouet Pontificem ad concessionem illorum, sed quia illorum animabus non potest suffragari per vnum, aut alterum Sacerdotem, eum supponatur concursus fidelium porrigentium multas eleemosynas pro missis, ideo Papa illis Ecclesijs, quas vult decorare huiusmodi Altaribus, determinat, & assignat talem numerum Sacerdotum, qui ibidem quotidie; vel eo die deputato pro mortuis celebrent, & ad minus debent esse septem, adeo quòd Papa non concedit hæc priuilegia

128 nisi Ecclesijs collegiatis secularibus, vel Regularibus, in quibus solent esse plures Sacerdotes, ex quo patet causam finalem esse suffragium animarum, numerum verò præfixum Sacerdotum esse conditionem, sine qua non cõcederetur Altare, si non adessent tot Sacerdotes, qui possent satisfacere missis oblatis pro defũctis celebrãdis; vnde nõ conceditur Ecclesijs Parochialibus vnius Sacerdotis.

Quamuis autem causa finalis, hoc est, ipsum suffragium habeat tractum successiuum, quia animæ defunctorum quotidie egent subleuatione pænarum Purgatorij, ac proinde tot Sacerdotes designati sint necessarij ad satisfaciendum missis oblatis, tamen pro validitate impetrati iam priuilegij, ex præfato numero, vt illud perseueret in sua existentiâ non eget continuè illo numero, nec quò ad existentiam eorum, nec quò ad celebrationem pro ipsis mortuis; non quò ad existentiam, cum enim dederit ille numerus ex parte sua esse priuilegio per primam celebrationem pro defunctis super Altari priuilegiato, suum sortitus est effectum, consequenter eius perseuerantia in esse non est necessaria, dum enim priuilegium per eam celebrationem quæsitum est Altari in eo inseparabiliter manet quousq; existit Altare, quia hoc est illius subiectum, & non perseuerantia numeri, qui illi primum esse dedit. Quòd autem priuilegium in suo existere dependeat solùm à præfato Altaris subiecto patet ex absurdis adductis à Pasqualigo de Sacerdote infirmo non celebrante, ex cuius defectu celebrationis non perditur priuilegium, neq; ex diminutione Sacerdotum, aliter postmodum omnibus existentibus Sacerdotibus reuiuisceret Altaris priuilegium, consequenter esset in potestate illorum concedere, & reuocare priuilegium, quod solius est Pontificis, quare ex his absurdis sequitur, numerum Sacerdotum vti conditionem esse necessarium tantùm in aquisitione priuilegij, non verò in eius manutentione, & perseuerantiâ, vnde nec ex hoc capite habet tractum successiuum, licet Sacerdotes continuè celebrent pro defunctis, celebratio ergo habet tractum successiuum ratione exercitij, non numerus, qui aliud exercitium non habet nisi mittendi, vt ita dicam, Altare in possessionem sui priuilegij tandiù duraturi, quandiù durabit ipsum Altare. Nec quò ad celebrationem, quæ limitatur tantùm ad satisfaciendum missis oblatis, accidere enim potest, quòd Sacerdotes excedant numerum missarum, & tunc non tenentur celebrare in Altari priuilegiato; & cum Altaria nostris temporibus concedantur priuilegiata certis diebus, & non quotidie, patet etiam hinc talem numerum non habere tractum successium, sed interpellatum, & sic modo esset priuilegium, modo non esset, si continuò dependeret ab eo numero. 129

Stat ergo, quòd numerus sit conditio, à quo dependet Altare priuilegiatum in suâ fundatione, & vlterius non operetur, aliud enim est speculatio numeri, aliud celebratio missarum, in qua spectatur tractus successiuus ad satisfaciendum, quia missæ secundùm successionem recipiuntur à Sacerdotibus, cum ergo ratio tractus non reperiatur in numero, benè potest appellari conditio sine qua non

Papa

Papa concedit priuilegium, requirens solùm Sacerdotes, qui muneri suo satisfaciant. Demus etiam numerum, & Sacerdotes non satisfaciant, numquid perdetur priuilegium? Si dicas sic, quia abutens meretur amittere priuilegium, ergo in suo existere non pendet à numero. Ex his patet ad argumenta Pasqualigi.

Ad primum respondetur Altare priuilegiatum habere tractum successiuum in eo, quòd Sacerdotes successiuè celebrare debent, vt suo muneri satisfaciant, ita quòd tractus celebrationis inspicitur, non numerus Sacerdotum, cum accidere possit, vt dixi, quòd Sacerdotes excedant numerum missarum, & è contra; principalis ergo finis est celebratio, & suffragium animarum habens tractum successiuum, non numerus, qui quandoq; est necessarius, aliquando non, ideo ipse non dicitur trahere obligationem, sed ipsum Altare.

Ad secundum; admittendum esse, si numerus ponatur conseruare in esse priuilegium, quod negaui, quia solùm dat primum esse, quod conseruat in existentià ipsius subiecti, cum autem numerus non conseruet in esse priuilegium, non sequitur, omissionem celebrationis priuilegium remouere ab Altari.

Idem Pasqual. *q.* 748. ad tollendas omnes
difficultates, & manutenendum Altare priui-
legiatum in casu quo deficiant Sacerdotes,
vel non celebrent quotidie, dicit, eam clau-
130 sulam *dummodo in ea septē missæ quotidie cele-*
brentur importare qualitatem, & operari,
quòd non existente numero expresso missa-
rum concessio sit nulla, & volens saluare per-
seuerantiam priuilegij esto quotidie non ce-
lebretur, docet, eam clausulam non impor-
tare conditionem, sed modum, ac proinde si
non adimpletur celebratio, non propterea
cessare priuilegium, quia modus non impe-
dit aquisitionem, sed tantùm operatur, quòd
possit resolui, contingit autem resolutio, si in-
terueniat interpellatio; post aquisitionem, si
casu missæ non celebrentur, adhuc non re-
soluitur priuilegium, quia non corruit dispo-
131 sitio, quando modus casu deficit *l. 1. C. de*
legat. & si modus sit impossibilis habetur pro
non adiecto; quia nemo tenetur ad impossi-
bile. Subdit, posse satisfieri etiam per Sacer-
132 dotes extraneos, & illud verbum *quotidie* in-
terpretari prout plurimùm, & morali modo.

Ex quo habes, numerum requiri in aquisitione priuilegij facienda Altari, aliter concessio est nulla si non adest numerus Sacerdotum, qui celebrent in eà Ecclesià; & ita cum eo conuenio, siue ergo numerus vocetur qualitas, siue conditio, siue modus non intelligitur priuilegium Altari aquisitum in illà primà celebratione, nisi adsint illi septem Sacerdotes, & ita conuenimus etiam cum Lauorio, Siluio, & Zipeo, requirentibus numerum pro validitate priuilegij, intellige dum primò aquiritur Altari, & non vlterius, licet eo die vnica missa in eo celebretur, nam cum celebratio referatur ad satisfactionem missarum, ne defraudetur anima debito suffragio, si eo die nulla adsit obligatio; nec ex omissione missarum præiudicatur alicui, sufficit ergo celebrare ad Altare priuilegiatum, quando adsunt missæ illi obligatæ, neq; enim obligat ad celebrandum gratis.

Quæres 15. An sub numero Sacerdotum de familià veniant Generales, Prouinciales, & Hospites, qui gaudeant priuilegio Altaris, licet ibidem non maneant continuò.

℟. Gaudent, quia ad constituendam fa- 133
miliaritatem, & commensalitatem sufficit
seruire, & viuere expensis domini, *ex cap. si-* 134
cut nobis, de verb. signif. in 6. Bellamera cons.
20. *num.* 90. *Anchar. cons* 398. *num.* 2. *Mas-*
card. concl. 755. *cum Pasqual.* in terminis *q.*
749. me citante *resol.* 25. *num.* 2. de Gene-
rali, & Prouinciali, & de hospite *resol.* 91.
initio. Contra Zipeum, & Siluium asseren-
tes, illos non gaudere hoc priuilegio, si non
sunt de familià, loquendo de hospitibus,
quia licet sint subiecti Superiori locali, non
sunt tamen capaces actiuum, qui sunt proprij
monasterij, cum non habeant vocem in ne-
gotijs monasterij. Respondet ipse, hospites 135
non incorporari capitulo, in corporari verò
familiæ, quæ propriè importat seruitium, &
victum expensis eius, cui inseruiunt. Et in
his nulla difficultas, extranei enim sicut non
prohibentur celebrare sed tantùm interesse
negotijs monasterij ita nec prohibentur ce-
lebrare in Altari priuilegiato, cuius spirituale
negotium non est conuentus, sed Ecclesiæ,
cui concessum est Altaris priuilegium.

Quæres 16. De concessione Altarium priuilegiatorum *Primò*, quando incipiat septennium? *Secundò*, an septennium debeat esse continuum? *Tertiò*, quomodò finiat antiquum septennium, & incipiat nouum ad euitandam nullitatem impetrationis ob subreptionem?

℟. Primò, septennium incipere à die ce- 136
lebrationis missæ primæ in Altari per eam
declarato priuilegiato, nam septennium con-
ceditur vt totum sit vtile defunctis à primo
die vsq; ad vltimum sumptis diebus extremis
inclusiuè; sed vtilitas incipit à die celebratio-
nis, non à die datæ, cum non possit diploma
peruenire eodem die ad locum distantem,
neq; è die publicationis legalis, quæ consistit
in recognitione factà à Vicario Generali ad-
hibitis duobus de Capitulo ad formam Tri-
dentini *cap. 9. sess.* 21. sed à die publicationis 137
factæ populo, vt insinuatur ibidem à Triden-
tino. *Per Ordinarios locorum adhibitis duo-*
bus de capitulo debitis temporibus populis pub-
licandas esse decernit, quæ non contingit nisi
per celebrationem in Altari, cui tum aquiri-

tur

tur Indulgentia, ergo ab eà incipit, septennium; cum ab eo solo die incipiat esse vtile defunctis. Ita *Rodriq. tom. 2. q. 98. art. 3. Pasqualig. q. 751. num. 4.* Retentio autem diplomatis ex aliqua causâ, vt quia ornandum est Altare, vel quia missa celebranda est cum aliqua solemnitate, vel tali die particulari, antequam exhibeatur recognoscendi per Ordinarium, immo, & si post recognitionem differatur vtilis publicatio per celebrationem ex causâ, non est vitiosa, etiamsi in diplomate dicatur *ad proximum septennium valituris*, quia vt inquix *Pasq. sub num. 6.* illud verbum *proximum* intelligitur de proximitate habili, in qua concessio possit sortiri suum effectum, cum scilicet commodè dari potest celebrationi missarum.

138 ℞. Secundò, illud tempus esse continuandum; ita quòd non potest interrumpi aliquo mense, aut anno, vt possit vlterius produci, tum quia tempus affixum est immobile non excedens suam mensuram, quam incipit à primo die numerationis prosequendo vsq; ad finem determinati temporis, ergo vltra progredi non potest aliter esset indeterminatum in progressione. Tum quia tempus determinatum non potest excedere spatium sibi correspondens, quod excederet, si posset interrumpi. Ita *Quintanad. quem sequitur Pasqual. q. 752. num. 1. & 2.* Ista autem continuatio nullam admittit interruptionem, neq; proinde prorogationem in futuro tempore, quàuis posità legitimà causâ, quia hæc non potest tempus fixum vlterius producere, & facere de fixo non fixum, & mobile. Quare refectio Altaris, interdictum, aut cessatio à diuinis, incursio in litum &c. interrumpentia celebrationem per menses, aut annos non possunt vlterius extendere septennium, sed semper numerandum est, & terminandum regulando tempus à primo die celebrationis.

139 Ita Pasqual. contra Cabatium dicentem post annum Sanctum vlterius extendi Indulgentiam, vt terminetur septennium, intellige pro viuis, quia pro defunctis non suspenditur, vt probo infra *q. 21. num. 167.*

140 ℞. Tertiò, posse quidem peti in fine vltimi anni aliud simile priuilegium publicandum vltimo die, quo primum expirat, incipiendo celebrare primo sequenti die, non obstante, quòd in diplomate dicatur. *Simili ad præsens priuilegio minimè decorata* quia hûc habet sensû, vt ambo simul nô occurant, sed non impeditur concursus, quo hodie desinit septennium veteris priuilegij, & cras incipit nouum per primam celebrationem, verificatur ergo ea clausula; *simili ad præsens priuilegio minimè decorata*, cùm antiquum iam expirauerit. Nec vim facienda est in illa particulà *Ad præsens*, quia refertur ad sequentem diem expirationis prioris priuilegij, nam in priori responso dictum fuit, priuilegium non incipere à die datæ, sed ab vsu priuilegij consistente in primà celebratione pro mortuis in Altari, quod tunc incipit esse priuilegiatum, dum ibidem inchoat celebrationem. Ita *Pasqual. q. 750. contra Zipeum*, qui non habet pro securis huiusmodi impetrationes, quas putat subreptitiè impetratas contra tenorem dictæ clausulæ, sed patet valere, si illa bene intelligatur, sufficit enim vt verificetur sequenti die post lapsum primi priuilegij, vt enim Rectores Ecclesiarum conferuent cultum, & decorem suæ Ecclesiæ tempus anticipant in petitione, vt tempore opportuno possint coniungere nouum priuilegium cum antiquo lapso.

Quæres 17. An si quid detur pro expeditione Altaris priuilegiati, nulla sit Indulgentia? Rationem dubitandi dant hæc verba expressa in diplomate! *Volumus autem, vt si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione aliquid vel minimum detur, vel sponte oblatum accipiatur, nulla sint eo ipso.*

℞. Patère nullitatem ex illis quatuor actionibus, quarum prima refertur ad eius expeditionem Romæ, pro qua nihil omninò dandum est officialibus ad hoc munus deputatis, sunt enim salariati pro hoc labore. Reliquæ tres referuntur ad officiales Episcopi, & ad ipsum Episcopum, qui nihil recipere possunt pro præsentatione, admissione, & publicatione, gratis ergo illa tria exhibere debent, licet Cancellarius stipendium non habeat ab Episcopo, sed conduxerit officium. Solicitator Romæ, expeditionarius appellatus pro suo labore aliquid recipere potest, quia non est de numero officialium. *Pasqual. q. 753.* addit, posse dari aliquid officiali expedienti literas non pro illis, sed ex liberalitate pro reconcilianda beneuolentià, non pro impetratione, &c. sed hoc est difficile ad saluandum simoniæ vitium, nihilominus ad cohonestandam officialium auaritiam substituitur titulus beneuolentiæ, ne omnia dicantur venalia, verum enim semper dicere fuit, maximam, & propè infinitam esse vim auri, & argenti, vnde infelix est illis carens, & illa exoptans. 141 142

Quæres 18. An celebrans missam in Altari priuilegiato applicando missam, & Indulgentiam cum intentione liberandi animam Petri, quam piè credit esse in Purgatorio, reuerà obtineat gratiam?

℞. Affirmatiuè, vt enim probaui *q. 2.* Altare priuilegiatum, cum dicat Indulgentiam plenariam liberat ab omnibus pœnis illum pro quo offertur; pro cuius confirmatione facit illud Christi Domini *Quodcunq; solueris super terram, erit solutum in cœlis*, sed Papa super terram soluit eam animam, pro qua celebrauit Sacerdos in Altari priuilegiato, ergo omninò liberatur à pœnis, 143

Sed

Sed hæc responsio non omnibus placet, tum quia Papa non habet absolutam potestatem super defunctos, sicut super viuos, quos absoluit, & soluit ab omnibus pœnis per Indulgentiam plenariam ex prædictis verbis, quæ referuntur tantùm ad existentes super terram, idest, viuentes, defunctos proinde non absoluit, cum non sint super terram, & de eius iurisdictione, vnde tantùm illos adiuuat exhibendo de thesauro Ecclesiæ aliquid pro solutione pœnarum Deo, quianimas absoluit. Tum quia si hoc esset verum, frustra viuentes relinquerent sibi missas quotidianas in futurum celebrandas vsq; ad diem iudicij, cum vnicâ missâ possint liberari celebratâ ad altare priuilegiatum, & hoc argumentum vrget.

144 Ad primum argumentum sępius responsum fuit, Pontificem Romanum non minus absoluere defunctos, quàm viuentes, cùm illud verbum *super terram* referatur ad agentem, qui dum est in terra hoc officium exercet, & non ad subiectum præcisè propter diuersitatem statutus subditorum, vt dictum fuit supra sub *num.* 27. Addo cum Gabriele à S. Vincentio Carmelita Dicalceato *par.* 3.

145 *de Sacram. Pænit. disp.* 13. *q.* 5. *ly super terram* accipi latè prout cælo contraponitur, quo modo etiam Purgatorium venit sub ea dictione *super terram*, dum enim anima purgatur non est in cælo, ergo in terrâ, ac proinde sub iurisdictione Pontificiâ. Et huic expositioni fauet Lyranus ibi: *Et quodcumq; ligaueris super terram. Quia, inquit, supposito hic in terra debito vsu clauis, Deus illud approbat in cælis, aliter non.* Fauet Adrianus 1. scribens enim ad Constantinum Imper. inquit: *Sanctis Apostolis Romana Ecclesia potestas à Deo data est ligandi, atq; soluendi peccata in cælo, & in terra.* Per quæ verba distinguitur terra, in qua Petrus potest exercere suam potestatem sine discretione animarum siue in corpore, siue extra corpus, modo sint in terrâ. Gregorius quoq; VII. in Concilio Romano idem decernit his verbis: *Mundus intelligat, quòd Petrus, & Paulus possunt in terra ligare, & soluere.* Locum determinat; in personis nullam facit restrictionem, ergo comprehendit quaslibet, siue in corpore, siue extra corpus. Pontifex ergo Romanus est

146 dominus benefactor animarum Purgatorij, sicut est animarum viuentium, habet enim claues Regni cęlorum à Christo sibi creditas, quibus potest Cęlum aperire omnibus in gratiâ Dei decedentibus, ergo, & tollere impedimentum absoluendo eas à pœnis, vt possint ingredi in Regnum cælorum, ad quid enim aperire si non potest facere, vt ingrediantur

147 eadem potestate, quâ aperit? Aperit enim potestate sibi absolutè, & ex condictio communicatâ, ergo, & eàdem tollit impedimenta ab animabus defunctorum, his enim aperitur Regnum Cælorum, non viuentibus, qui Regni non sunt capaces proximè, nisi post mortem, ingrediuntur enim animæ iustæ sine corpore, ergo exutæ corpore introducendæ sunt à Pontifice per absolutionem ab omnibus pœnis, sicut potest absoluere viuentes ab eisdem, sine apertione Regni Cælorum; cum ergo Regnum Cælorum aperiatur à Papa eàdem potestate, quâ absoluit viuentes à peccatis, quod nemo negat, eàdem quoq; absoluet animas Purgatorij à pœnis, & quidem citius, quia defunctis in Charitate Papa 148 proximè aperit, expurgatis enim obuia est ianua statim; viuentibus remotâ aperitur Regnum Cælorum, dum ius tantum habent, vt aperiatur post mortem.

Non est maior potestas Imperialis quàm sit 149 Papalis, immo hæc longæ maior, & excellentior, cum sit super animabus, & corporibus, & illa ab hàc pendeat, & perficiatur, & tamen illa se extendit tam odiosè, quàm fauorabiliter super mortuos, nam corpora damnatorum post mortem conceduntur eorum parentibus *l.* 1. *ff. de cadauer. punit.* & pœna de- 150 portati manet etiam post mortem, ita quòd inde non potest transferri sine licentiâ Principis, *ibid. l.* 2. & memoria defuncti damnatur, *l. si quis filio* 6. §. *quòd si quis ff. de iniusto rupto testam.* mortuus accusari potest post mortem propter bona, *l. libertatem* 36. *ff. ad leg. Iul. de adulter. ibi Glos.* 5. *Præstare.* Et licet sententia contra mortuum condemnatoria non valeat contra ipsum, nisi sit lata dum viueret, valet tamen sententia absolutoria, *l. in summa* 59. §. *si quis ff. de re iud. ibidem Glos.* 5. *soluitur, & l. Paulus* 2. *ff. quæ sent. sine appellat. cum Glos.* 5. *condemnatum.* Et iudicium siue condemnatorium, siue absolutorium non fit super mortuo aliâ auctoritate, sed eàdem, quâ iudicatur viuens, ergo, & Pontifex eàdem auctoritate, quâ iudicat viuentes condemnando, vel absoluendo, agit contra mortuum excommunicando, ligando, vel absoluendo defunctos, sicut ergo viuentes absoluit à pœnis Purgatorij, ita, & defunctos, quia Deus Petro easdem claues Regni Cælorum dedit pro viuis, & defunctis, ad quorum fauorem proximius est exercitium aperiendi Regnum Cælorum, quàm respectu viuorum, quibus Papa non aperit Regnum, nisi post mortem.

Confirmatur, quia ab eo terminandum est 151 iudicium à quo cęptum fuit, & sub eodem tribunali, & eàdem potestate, *l.* 30. *Vbi acceptum est semel iudicium, ibi & finem accipere debet* certum autem est, quòd iudicium Sacramentale absolutionis cæptum est in terrâ, & super terram, dum Sacerdos absoluit in articulo mortis pœnitentem non solùm à culpis, sed etiam à pœnis, dum eas ex æternis commutat in temporales, eas in totum non soluendo, sed ex parte, ergo Pontifex, à quo do-

pendenter Sacerdos absoluit, poterit eâdem auctoritate absolutoriâ per Indulgentiam plenariam liberare animam illius defuncti à reliquis pœnis.

152 Ad secundum argumentum respondetur, quamuis anima vnicâ missâ ad Altare priuilegiatum celebratâ liberetur, non ideo cessare debet quotidiana celebratio, quia testator voluit continuari obligationem pro se, & pro suis defunctis, vt fiunt communiter legata, intendendo etiam perennem cultum erga Deum, & decorem Ecclesiæ, atq; domus suæ splendorem, & magnificentiam, quæ omnia redundant in cultum diuinum. Argumentum verò nihil persuadet pro contraria opinione, quia dum non nulli Doctores dicunt, non prodesse infalibiliter defuncto, cui applicatur Indulgentia, petunt pluralitatem missarum, sicut & nos propter diuersas causas, omnibus enim his ex causis satisfit voluntati testatoris plures missas petentis.

Quæres 19. An Altare priuilegiatum concessum vni Ecclesiæ Regularium intelligatur communicatum cæteris Ecclesijs non solùm eiusdem ordinis, sed etiam Ecclesijs aliorum ordinum? Et videtur, quod sic, quia Leo X. in communicatione priuilegiorum inter Mendicantes, expressit etiam Indulgentias, per suam Bullam 32. incipientem. ***Dudum per nos.***

153 ℞. Altare priuilegiatum non communicatur, sed restringitur illi Altari, cui fuit concessum, quia expressio localis Ecclesiæ, & Altaris ne dum demonstrat vbi est celebrandum, sed etiam taxat locum demonstratum, ac si id expressisset formaliter. Hinc est, quòd licet hoc priuilegium sit Indulgentia, non tamen venit sub communicatione, sicut Indulgentiæ antiquæ, quæ potius Ordini, quam loco concedebantur ex solâ demonstratione, sine taxatione, quia concedebantur ad honorem, & cultum Sanctorum Ordinis, qui vbique coluntur, & sicut semel in anno festum Sancti Regulariter veneratur, ita semel & eodem die conceditur Indulgentia, sed pro mortuis Altare priuilegiatum pluries in anno est vtile defunctis sine vllo respectu ad Sanctos, in quorum Altaribus celebratur missa pro defunctis. Ita ***Peyrin. ad const. 8. Pauli III. num. 2. Legana V. Altare num. 19. Diana par. 9. tract. 2. resol. 2. Ego resol. 52. num. 85. cum alijs Pasqual. 756.*** qui aliorum rationes examinat, quibus puto satisfecisse ex supradictis.

Quæres 20. An saltem communicabiles sint Indulgentiæ concessæ certis Religiosis celebrandi pro defunctis non expresso formaliter vt nunc fit Altare priuilegiato? Pro cuius resolutione refero nonnullas Indulgentias pro defunctis; quas exscripsi ex Augustino à Virgine Mariâ Carmelitâ strictioris Obseruantiæ Redonensis, qui in lucem dedit Lugduni anno 1661. Priuilegia omnium Religiosorum, sed non distinxit sana ab infirmis.

Primum priuilegium ab eo refertur V. 154
Missa num. 19. his verbis. Leo X. concessit Sacerdotibus Congregationis S. Iustinæ Ordinis Sancti Benedicti, vt dicendo tres missas pro animâ alicuius defuncti consanguinei intra tertium gradum super vno Altari in propriâ Ecclesiâ assignato, liberent illius animam à pœnis Purgatorij, ac si celebrassent super Altare S. Gregorij, aut S. Sebastiani Romæ. Refertur à Sorbo V. Indulg. quo ad Fratres, & puto esse oraculum, quia Bulla non initiatur. Requiritur ergo assignatio Altaris facienda ab Abbate, & non est necesse dicere missam de Requiē, & limitatur ad consanguineos vsq; ad tertium gradum inclusiuè.

Secundum sub num. 20. Clem. VII. In 155
perpetuum concessit Correctori Domus SS. Trinitatis de Vrbe Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, ac alijs Fratribus Domus SS. Trinitatis dumtaxat. Generali verò, ac Zeloso, necnon Prouincialibus, & Localibus Correctoribus, & alijs superioribus Ordinis etiā pro tempore existentibus, ac vnius cuiuslibet ipsorum secundùm Religionis ingressum antiquiori Socio, vbicunq; se transferre ex merito obedientiæ contigerit, vt singulis secundâ, & quartis ferijs cuiuslibet hebdomadæ totius anni missas pro animabus defunctorum celebrare volentes easdem Indulgentias pro animabus defunctorum huiusmodi consequantur, ac si in Ecclesijs Sanctorum Sebastiani, Laurentij, & Scalæ Dei, ac etiam Gregorij, & Potentianæ extrà, & intrà muros almæ Vrbis celebrassent, ac pari modo missæ huiusmodi animabus defunctorum, pro quibus eas celebrandas duxerint, suffragentur, ac si in præfatis, & alijs quibuscunque etiam qualitercunq; priuilegiatis Ecclesijs, intrà, & extrà muros Vrbis celebrassent. Est oraculum extensum etiam apud Rodriq. Bulla VIII. eiusdem Clementis, licet non sit Bulla. Non est necesse dicere missam de Requiem, cum non dicat. ***missas defunctorum. Sed missas pro animabus defunctorum***, pro quibus etiam sunt missæ pro viuis. Adest particula ***Dumtaxat*** impediens communicationem non solum extra Ordinem, sed etiam inter ipsos Fratres extra dictam Ecclesiam, exceptis Superioribus, & antiquiori secundùm professionem Socio, qui vbicumq; reperiuntur celebrare possunt pro defunctis diebus lunæ, & mercurij, puto in proprijs tantùm Ecclesijs.

Tertium est Grægorij XIII. concedentis 156
Congregationi S. Benedicti Vallisoletanæ, his verbis ***sub num. 26. Omnibus, & singulis*** dictæ Congregationis Abbatibus, Abbatissis, Monachis, & Monialibus, Conuersis, seu Donatis, Nouitijs, & ijs, qui in Monasterijs dictæ Congregationis deseruierint; nec non

alijs

alijs, quos Fratres, & Sorores vocant, qui admissi sunt, & in posterum admitentur ad participationem orationum, suffragiorum, nec non reliquorum bonorum operum, quæ in ipsâ Congregatione pro tempore ad diuini nominis gloriam fiunt &c. Concedimus, vt quoties tres missæ pro animâ alicuius ex prædictis, quæ Deo in Charitate cóiunctâ ab hac luce migrauerit, celebrabuntur, ipsa de Thesauro Ecclesiæ Indulgentiam consequatur, quatenus Domini nostri &c. meritis suffragantibus à Purgatorij pænâ liberetur. Concessio est bullata apud Rodriq. Bulla 43. Non sunt necessariæ missæ de Requiem, Indulgentia restringitur ad supradictos, ergo pro extraneis celebrare non possunt ad effectum lucrandi illis hanc Indulgentiam, nisi prius habeant cartam filiationis à Religione.

157 Quartum est Sixsti V. concessum Cælestinis Conuentus Parisiensis *sub num.* 30. his verbis: *Concedimus, vt quandocumq; Sacerdos* aliquis di ti ordinis ad Altare, seu sacellum Aurelianense sepulturâ Regum insigne situm in eàdem Ecclesiâ Cælestinorum missam defunctorum pro animâ cuiuscumq; fidelis in Purgatorio existentis celebrauerit, ipsa anima per huiusmodi celebrationem easdem Indulgentias, & peccatorum remissionem consequatur, ac si prædictus Sacerdos hac de causâ missam ad Altare in Ecclesiâ S. Gregorij de Vrbe ad id deputatum celebraret. Non obstantibus nostra de non concedendis In-

158 dulgẽtijs ad instar ex Bulla in cap. Saluatoris.

Et ibi subiungit, Paulum V. anno 1608. oraculum Gregorij XIII. quo Capucinis indulsit, vt possent celebrare in tribus Altaribus designandis à Superiore in qualibet Prouinciâ missam defunctorum pro liberatione animæ fidelis defuncti confirmasse per Bullam incip. *Omnium saluti* extensam *tom. 2. Annal. Bouerij fol.* 977. omitto alia relata à Pasqual. *q.* 757. Pro huius priuilegij executione Altaria sunt designanda in tribus Ecclesijs cuiuslibet Prouintiæ, & quidem vel à Generali in Omnibus, vel à Prouinciali in suâ Prouinciâ, si non designauit Generalis, Guardianus non potest, cum non habeat potestatem super Prouinciam, sed tantùm super suum conuentum. Missa autem debet esse defunctorum, quia vtitur his verbis. *Missam defunctorum*, & non *missam pro defunctis*, illa enim verba qualificant missam, ista non; indicantia tantùm applicationem missæ quæcumq; ea sit. Ex præmissis.

159 ℞. Primum, tertium, & quintum pro Capucinis esse communicabilia, quia conceduntur Sacerdotibus Ordinis, ac proinde intuitu Religionis, & Altaria designata sunt loco demonstrationis, non taxationis, dum referuntur ad Ordinis ornamentum, & cultum Ecclesiarum, & vtilitatem defunctorum. Secundum pro Minimis est incommunicabile, cùm in eò exprimatur taxatiua *Dumtaxat*, quæ gratiam restringit ad expressos tantùm. Quartum pariter est incommunicabile, cum in eo Altare expressum habeat taxationem ex illa qualitate *Sepulturâ Regum insigne* quæ denotat quandam singularitatem in communicabilem. Verbum *Sacerdotes*, qui habent celebrare, includit etiam nouitios, si 160
sunt Sacerdotes, quia in fauorabilibus æquiparantur professis, quorum priuilegijs gaudent.

Quamuis primum, & secundum sint oracula, nihilominus adhuc vigent, quia reuocatio oraculorum refertur tantùm ad ea, 161
quæ in sui executione possunt tertio esse præiudicialia, vt colligitur ex tenore Bullarum reuocatoriarum, Gregorij XV. incip. *Romanus Pontifex* 27. & Vrbani VIII. incip. *Alias* 162
9. in Appendice. Notum autem est, quòd orare pro mortuis celebrando missas, nulli præiudicat; neq; huiusmodi oraculorum executio est in detrimentum ecclesiasticæ disciplinæ, propter quod præfati Pontifices moti sunt ad reuocanda Oracula, ergo non compræhendunt, quæ sunt in fauorem defunctorum. Vlterius Gregorius dicit, se reuocare ea oracula, quæ nondum sunt sortita suum effectum, hæc autem iam 163
sortita sunt suum effectum, quia ante has reuocationes designata fuerunt Altaria à Superioribus, ergo intacta remanserunt; nec præsens successiua executio, & celebratio post reuocationem aduersatur illis reuocatorijs, cum Pontifices non reuocent actum, sed factam concessionem, non illius executionem, si illa iam sortita est suum effectum, *ex Peyrino ad const. 3. Gregorij, num.* 164
1. Lezana tom. 1. cap. 3. num. 21. ex me resol. 31. q. 8. Donatus par. 1. tract. 16. q. 4. num. 3. Et hoc omninò certum est, quia Indulgentiæ ob elegantiam sui nominis nunquam intelliguntur reuocatæ, nisi sub proprio nomine exprimantur, *ex Nauar. de Iubileo Notab.* 165
28. num. 27. & Notab. 33. Rodriq. tom. 2. q. 98. art. 4. Ego resol. 31. q. 4. apud dictum Donatum q. 6. num. 5. Neque veniunt sub his verbis *concessiones & gratias* quibus vtuntur vterq; Pontifex Gregorius, & Vrbanus, Indulgentiæ ob excellentiam sui nominis, quicquid dicat Lezana V. Oracula in fine num. 5. hoc enim non probat; & licet Indul- 166
gentia sit gratia, quia gratis conceditur, tamen in sui destructione non venit sub eo nomine, sicut nec venit in sui generatione, cùm enim habeat proprium nomen, ab eo appellanda est, non à generico, quamuis enim genus prædicetur de omnibus suis speciebus, quibus inest, non tamen valet argumentari 167
ab existentiâ generis ad existentiam speciei, quia non bene arguitur est animal, ergo est homo, cùm possit esse leo, vt que valet ab existentiâ speciei ad existentiam generis, est

homo, ergo est animal, quia illi inest animal; à negatione verò existentiæ generis vt sic, negatur quælibet species, quia si nullum existit genus, profectò neq; aliqua species, quia nulla res potest existere sine suis partibus essentialibus, inter quas est genus; à negatione verò speciei, non negatur genus,
168 quod est in alijs speciebus existentibus. Itaq; ad rem nostram per illos Pontifices negatur quidem omnis gratia, sed non in totum, dum se declarant, non reuocare eas gratias, quæ sortitæ sunt suum effectum, ideo dixi, quòd à negatione generis vt sic, hoc est, in tota sua latitudine, valet arguere ad negationem specierum, & quidem omnium, nam sublato omni genere aufertur omnis species, sed quia in casu nostro non tollitur genus gratiæ in totum, ideo nec omnes eius species auferuntur.
169 Vel dic in moralibus speciem in fauorabilibus contineri sub genere, non in odiosis, propter suam excellentiam, cum non mereatur destrui in aliorum consortio minoris longe conditionis.

Quæres 21. An Altaria priuilegiata suspendantur in anno Sancto?

170 ℞. Nequaquam, neq; Indulgentiæ concessæ mortuis in Megdaleis, ratio est, quia finis suspensionis est, vt viuentes Romam accedant pro lucro Iubilei anni Sancti, dum in proprijs nullas Indulgentias sibi lucrari possunt; is autem finis cessat in Indulgentijs pro defunctis, quas sibi viuentes acquirere non possunt, sed opus est, quòd accedant ad Vrbem, ideo eo anno suspenduntur Indulgentiæ respectu viuentium tantùm, vt occasionem habeant solemnizandi annum Sanctum cum maiori pompa, & magnificentia. Nullus contradicit. Ita *Diana par. 9 tract. 2. resol. 23. Lezana V. Altare 19. resol. 91. num. 12. cum alijs Pasqual. q. 758.* De alijs Indulgentijs, Alphonsus de Leone *par. 1. de Iubil. num. 246. Layman lib. 5. tract. 7. cap. 8. num. 3. Castropal. par. 4. tract. 24. disp. Vn. p. 12. §. 1. num. 7. Lezana V. Iubileum num. 5. cum alijs* idem Pasqualigus.

Quæres 22. An per Bullam Cruciatæ suspendantur Altaria priuilegiata?

171 ℞. Negatiuè, quia Indulgentiæ pro mortuis non impediunt viuentes à consecutione Cruciatæ, quæ non defunctis, sed solis viuentibus conceditur pro seipsis. Est communior opinio, *Trullench. lib. 1. Cruciata q. 9. cap. 3. dub. 4. num. 3. Lezana V. Bulla Cruciata num. 41. Martinus Carillus in Bulla defunct. par. 2. cap. 9. Diana in Addit. post 3. par. resol. 22. Ego resol 41. num. 12. ex illis Pasqual. q 759.* Contra Fernandez, Villalobos, & alios, quia Cruciata, omnes comprahendit his verbis: *Suspendimus omnes Indulgentias per dicta Regna, Dominia, & Insulas, quibuscunq; Ecclesijs, Hospitalibus, & Locis pijs, Vniuersitatibus, & Confraternitatibus, & singularibus personis concessas.*

Respondetur, Indulgentias Altarium priuilegiatorum non concedi Ecclesijs, & alijs prædictis locis, nisi in beneficium personarum singularium, sed solùm viuentes, & non 172 defuncti, sunt personæ, persona enim est incommunicabilis existentia naturæ completæ intellectualis, quòd animæ non competit, cum sit pars naturæ, non natura completa. Nulla ergo Indulgentia prout est directa ad mortuos suspenditur per Cruciatam, cum eius effectum lucrandi defuncti nullatenus impedire valeant.

Quæres 23. An Altaria priuilegiata sint reuocata per Bullam Pauli V. reuocantis omnes Indulgentias Ecclesijs Regularium, & earum Religiosis concessas? Bulla 21. eiusdem incipit: *Romanus Pontifex.*

℞. Negatiuè, quia sicut sub concessione 173 Indulgentiarum non veniunt Indulgentiæ mortuorum, sed solùm viuentium, nisi de illis fiat expressa mentio, vt omnes docent cum Pasqual. *q. 150. de Iubileo num. 3.* ita, 174 sub reuocatione non veniunt defunctorum Indulgentiæ, nisi de illis fiat expressa mentio; vnum quodq; enim eo modo destruitur, quo inductum fuit, *l. Nihil 36. ff. de reg. iur.* 175 Res enim per quas causas nascitur per easdem dissoluitur, *cap. 1. de reg. iur.* vnde destructio requirit easdem solemnitates, quas constructio, *l. Heredes palam §. Si quid post* 176 *ff. de testam. Diana par. 6. in fine decis. 12. Verf. Quoniam.* Sed in Bulla Pauli nulla fit mentio de Indulgentijs mortuorum, sed viuentium tantùm, ergo illæ non reuocantur, sed tantum istæ. Ita *Peyrin. ad const. 4. Clem. VIII. & ad præfatam Pauli V. quæ est 8. num. 5. Lezana part. 1. cap. 3. num. 19. Diana par. 9. tract. 2. resol. 21. ex illis Pasqual. q. 760.* Etiamsi fuissent concessæ ipsis viuentibus, sed applicabiles animabus mortuorum, quia intelliguntur reuocatæ quo ad se, non quo ad defunctos.

Quæres 24. An celebrans in Altari priuilegiato cum Megdalea liberet plures animas à Purgatorio, applicando vni Indulgentiam Altaris, & alteri Indulgentiam Megdaleæ?

℞. Negatiuè, si idem opus præmittendum 177 sit pro lucro Indulgentiæ, e. g. celebratio missæ in Altari priuilegiato, & ex Megdaleà, quia ex eodem opere non potest satisfieri duabus obligationibus, sicut ex eodem numismate, & pretio non potest satisfieri duobus creditoribus, vt docent, *Suar. disp.* 178 *52. de Panit. sect. 3 num. 10. Bonac. de Sacram. disp. 6. q. 1. p. 5. num. 29. de Lugo disp. 17. de Panit. num. 92. cum alijs Pasqual. q. 755. num. 4.* Ergo nec liberare duas animas eodem opere. Quod si diuersa sunt opera, poterit, quia illis respondet diuisibiliter Indulgentia, sicut ipsa opera sunt diuersa. In casu verò, quo celebratio præscribitur fine

appli-

applicatione sacrificij, vt in aliquibus Megdaleis, tunc liberari neque poterunt duæ animæ, quia concessio requirit multiplicationem
179 operum, vt possint multiplicari Indulgentiæ, parum enim refert, quòd missa sit applicanda necne, quia id non tollit, quin vnicuiq; Indulgentiæ debeat respondere sibi assignatum opus. Est contra Pasqualigum ea q.755. & Cobatium apud ipsum, asserentem tot animas liberare posse, quot titulos habet Altaris scilicet, & Megdalearum. Sic dic tu non multiplicari Indulgentias, nisi etiam multiplicentur opera præscripta.

Quæres 25. An Altare priuilegiatum, seu alia Indulgentia obtenta per septennium antequam finiat tempus septennij prioris Indulgentiæ, valeat? Ratio negatiua deducitur ex Clausulis vtriusq; que pro Altari priuilegiato est talis: ***Simili ad præsens priuilegio non decorata.*** Pro alijs verò Indulgentijs est talis: ***Volumus autem, vt si alias Christifidelibus in quacunq; omni die dictam Ecclesiam, seu Capellam, aut Altare in ea similiter visitantibus aliqua alia Indulgentia perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duratura, etiam in erectione, vel alio quouis modo quantùm libet priuilegiato concessa fuerit, præsentes nullæ sint eo ipso.*** Hanc ponit Alexander VII. in suis Breuibus.

℞. Valet concessio anticipatè obtenta quouis tempore, dummodo non publicatur, nisi elapso priori septennio, quouis tempore ante fuerit impetrata post priorem. Probatur, quia non repugnat pluralitas Indulgentiarum, bonum enim est sui ipsius diffusiuum, nisi adsit positiua prohibitio ex aliquà causà, vt hic ex Clausulis supradictis, sed clausulæ istæ non referuntur ad concessionem, sed tantùm ad publicationem, & eius executionem, ergo concessio facta anticipatè, valet, dum ei non aduersatur ea clausula quæ non tollit continuationem vnius Indulgentiæ cum aliâ. Id probatur, quia nullitas posterioris Indulgentiæ inducta per eam clausulam refertur ad executionem, vt scilicet non prosit illis, pro quibus impetratur, sed executio, & lucrum Indulgentiæ non pendet à concessione, sed à publicatione, nam quousq; publicetur manet eius effectus in suspenso, vt docet Pasq. q. 382. Moral Canon. num. 3. si quidem publicatio est de ratione formali ad consequendum eius effectum.

Confirmatur ex doctrinà eiusdem ibidem, quia sufficit, quod subiectum sit habile eo tempore, quo debet recipere suum effectum, nam paria sunt fieri tempore habili, & fieri tempore inhabili, dummodo effectus confe-
180 ratur in tempus habile, *l. in tempus 62. ff. de hæred. instit. Sanch. lib. 6. disp. 1. num. 6. & lib. 7. cap. 2. num. 54.* cum alijs idem Pasqual. ibidem, vbi probat, tenuisse impetrationem Indulgentiæ Confraternitatis nondum erectæ, explicato, quòd erigebatur, perfectà ergo societate, Ordinarius, cui constabat per vnicum testem Sanctitati suæ fuisse supplicatum, quod erigebatur, licet in formà concessionis pro erecta haberetur, eam Indulgentiam publicauit, quod non fecisset, si concessio fuisset nulla ab initio; ex quò constat, non attendi nullitatem Indulgentiæ ex eà clausulà *Volumus* respectu concessionis, sed tantùm respectu publicationis, vt scilicet non publicetur, dum adhuc viget antiquior Indulgentia, nam si attendatur publicatio ante tempus lapsum corruit etiam concessio, quia ponuntur simul duæ Indulgentiæ eodem tempore. Ita in terminis istis *Pasqual. de Sacrif. q. 750 Cotonius citandus num.* 188.

Contrarium sentit Zipæus *tom. 2. Resp. lib. 5. Resp. 5. de Pænit. num. 4.* quia tempore concessionis non verificatur clausula requirens, quòd in eadem Ecclesià non reperiatur simile priuilegium, & sic gratia est subreptitia. Sed ibi respondet *Pasqual. num. 3.* & ego hic, quod clausula refertur ad publicationem, & executionem, non ad concessionem, cum ex dicto axiomate valeat concessio facta in tempore inhabili, modò eius executio fiat tempore habili.

Confirmatur, quia sicut non valet actus gestus tempore permisso, si eius effectus porrigatur in tempus prohibitum, *l. quod sponsæ 4. C. de donat.* ita è contra valebit dispositio facta tempore prohibito; si illius executio conferatur in tempus licitum, quasi non sit inspiciendum initium, sed tempus collatæ executionis, cum magis sit considerandus terminus ad quem, quam terminus à quo, *Glos. V. fine effectu dicta l. vbi Bald. num. 2. & 3. Salicet. C. de donat. inter vir. & vxor. num. 1. Fœlix in cap. cum dilectus 20. de accusat. apud Gratian. cap.* 818. *initio*. 181 182

Quæres 26. Quomodo intelligenda sit clausula. *Volumus* adiecta Indulgentijs, & Altaribus priuilegiatis? Clauf. hæc originem ducit à Reg. 52. vel 53. vel 57. Cancellariæ, ab Innocentio VIII. vsq; ad Alexandrum VII. quæ eisdem omnino verbis refertur istis. *Item voluit, quòd in literis Indulgentiarum ponatur, quòd si Ecclesiæ, vel Capellæ, vel altari, aliqua Indulgentia fuerit per ipsum concessa, de qua inibi specialis mentio facta non sit, huius literæ sint nullæ.* Extraxi ex Regul. Clem. VIII. *num.* 52. apud Quarant. *fol.* 410. ex Vrbano VIII. Bulla 6. *num.* 53. *fol.* 19. Alex. VII. *num.* 53. apud Pyrrum Corradum, de dispensat. Apost. *lib.* 10. *fol.* 503. Et huius Pontificis formam rescripti initio præcedentis quæstionis. Refero subsequenter alias sub Vrbano VIII. eius tenoris. ***Volumus autem si alias pro Christi fidelibus, in quocumq; anni die dictam Ecclesiam, siue Capellam, aut Altare in ea situm visitantibus aliquam aliam Indul-*** 183 184

Indulgentiam etiam dissimilem perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus præsentes nullæ sint. Accipe aliam beneficentiam. *Volumus autem vt si aliàs dictam Ecclesiam visitantibus tam præfato, quam alio die aliquam Indulgentiam perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, ipsæ præsentes nullæ sint.* Tertiam subiungo. *Volumus autem, vt si aliàs dictam Ecclesiam in quocumq; alio anni die visitantibus, aliquam aliam Indulgentiam perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, ipsæ præsentes nullæ sint.* Has rescripsi ex *Diana par. 10. tract. 16. resol. 11.* Quæ consideranda sunt, & ad inuicem comparandæ secundùm identitatem, & diuersitatem.

In primis conueniunt, quòd Clausula comprehendit quemcumq; diem totius anni non solùm illius anni, quo Indulgentia datur, sed etiam annorum præcedentium. *Secundò*, quòd non valet vltima Indulgentia, nisi præcedentis tempus sit elapsum, intellige quando publicatur, iuxta dicta in præcedenti quæstione. *Tertiò*, quòd clausula loquitur tantùm de præteritis Indulgentijs concessis ab eodem Pontifice, qui vltimam concedit. Videtur tamen facere difficultatem prima clausula, quæ est Alexandri VII. extensa in præcedent. quæstione, si referatur ad sequentes tres, nam in his tribus per illud verbum *Concesserimus* concessio antiquarum Indulgentiarum restringitur ad eum, qui etiam concessit vltimam, vt clarum est; in clauf. verò Alexandri adest participium *concessa fuerit*, quæ referri potest ad eius prædecessores, ita quòd
185 non valet vltima Indulgentia, si alij Pontifices eidem loco alias Indulgentias concesserint. Sed facilis est responsio, dicendo illud præteritum passiuum habere eundem sensum, quem actiuum, ac proinde referri concessiones ad eundem Pontificem. Et hoc patet ex *cit. Regul. Cancell.* in illâ dictione per ipsum concessa. *Quartò* conueniunt in eo, quòd vltima est nulla, siue concessa sit simpliciter Ecclesiæ, siue alicui eius Capellæ, vel Altari. Nomine autem Ecclesiæ venit illa particularis, quæ nominatur in concessione; hinc est, quòd si idem Pontifex concesserat
186 Indulgentiam perpetuò, vel ad tempus Ecclesijs omnibus vnius vrbis, aut Religionis, & postea aliam concedit Ecclesiæ alicui particulari illius Ciuitatis, aut Religionis, neutra alteram inficit, sed posterior sortitur suum effectum, nec impeditur à priore generali quia ea clausula restringitur ad particulares Ecclesias, vt manifestè patet ex illis verbis *dictam Ecclesiam* quæ referuntur ad Ecclesiam in indiuiduo nominatam.

Differunt verò primò in eo, quòd in clausulà Alexandri VII. adduntur illa verba. *Etiam in erectione, vel alio quouismodo quantumlibet priuilegiato concessa fuerit.* Quæ in alijs non reperiuntur. Posterior ergo Indulgētia est nulla, quamuis prior fuerit concessa in erectione Ecclesiæ, Capellæ, aut Altaris, vel alio modo priuilegiato. Pono exemplum in Canonizatione alicuius Sancti si Indulgentia fuit concessa, hæc enim inficit posteriorem, & quidem à fortiori propter illam prærogatiuam, quæ non videtur admittere aliarum consortium, quæ regulariter conceduntur. *Secundò* in prima clauf. hic additur *dissimilem*, quod verbum non exprimitur in alijs, sed tantùm dicitur. *Aliquam aliam Indulgentiam*, & nihilominus illud verbum *dissimilem* 187
in alijs subintelligitur propter illud verbum *aliam*, quod comprehendit similes, & dissimiles, dum sunt similes in ratione principali Indulgentiæ, vt docet Barb. in *Dict. Alius*, & dixi supra hic num. 112. *Tertiò* in 2. exemplo Clauf. deest dictio *Aliam* scribitur enim solum *aliquam Indulgentiam*, quod signum est, aliquam Indulgentiam, quæcumq; ea sit, siue similis, siue dissimilis, impedire valorem posterioris Indulgentiæ petitæ. Ex his præmissis.

℞. Eam Clausulam *Volumus* restringi ad 188
Indulgentias quaslibet concessas particularibus Ecclesijs ab eodem Pontifice, non autem à suis prædecessoribus, ita quòd priores Indulgentiæ particulares ab eodem concessæ siue similes, siue dissimiles impediant valorem posterioris Indulgentiæ publicatæ intra tempus, quo viget prior, quæcumq; ea sit ab eodem concessa. Conclusio manet probata ex dictis in explicatione huiusmodi Clausulæ, tam in hac quæstione, quàm in præcedenti.

Prima pars, quòd Clausula restringat Indulgentias ad eundem Pontificem concedentem priores, & posteriores, patet, quia verbum actiuum *Concesserimus* expressè importat tantùm Pontificem loquentem; vt dixi, nec differt verbum passiuum, *concessa fuerit* Alex. VII. quia passiuum retinet eundem sensum actiui, & licet passiuum participium referri possit indifferenter ad omnes personas, tamen in materiâ præsenti refertur tantùm ad ipsam primam loquentem, vt nos docet Reg. Cancell. per ea verba *Aliqua Indulgentia fuerit per ipsum concessa*, refert enim *ipsum* Pontificem, qui posteriorem Indulgentiam concedit, vt non valeat, si prior per ipsum concessa adhuc viget. Ita docet *Castropal. par. 3. tract. 24. p. 4. in fine*, ea ratione, quia exprimitur persona, non dignitas, & dicit ita tenere *Bonac. q. 1. de Indulg. p. 7.* sed in meo codice nihil de hoc.

Secunda pars, quòd posterior Indulgentia sit nulla siue sit similis, siue dissimilis priori sub eodem Pontifice ambabus concessis, probatur, tùm quia dissimilitudo non tollit essentiam existentis Indulgentiæ, cum similitudo non sit identitas, quæ naturaliter negat multipli-

tiplicationem eiusdem rei numero. Tum, quia dissimilitudo attenditur vel ratione temporis, vel ratione diuersorum Sanctorum, vel locorum, vel sub alijs rationibus; quouis modo accipiatur dissimilitudo, posterior semper est nulla, quia si respiciamus tempus, clausula re includit omne tempus illis verbis, *in quocumq; alio anni die*; si consideremus diuersitatem Sanctorum non tollitur difficultas, quia non ex eius hæcceitate, sed ex ratione sanctitatis conceditur Indulgentia in Ecclesijs, quæ cum sit communis titulus pro omnibus Sanctis, Indulgentiam non facit dissimilem ab aliâ, nisi materialiter, quod hic non attenditur; si spectemus rationem loci clausula clarè loquitur de Indulgentia priori concessa cuilibet loco, siue Ecclesiæ, siue Capellæ, siue Altari, immò contingere posset, quòd eidem Altari eodem die essent concessæ duę Indulgentię dissimiles ratione duorum Sanctorum in eodem Icone, quòd videtur, inconueniens. Tunc quia in Clauf. supradictâ additur. *Aliquam aliam Indulgentiam etiam dissimilem*. Et ita docet Franciscus Siluius in *Varijs Resolut. par. 2. V. Indulgentia, relatus à Diand part.* 10. *tract.* 16. *resol.* 11. recedente à contrariâ opinione, quam docuerat *par.* 6. *tract.* 8. *resol.* 31. *cum Lezanâ par.* 3. *clauf.* 25. *Gauant. V. Indulgentia num* 17. cum multis alijs loco citato.

189 Noster P. Cotonius *lib.* 2. *contr.* 11. *num.* 94. admittit id, quod diximus, quandocunq; forma Indulgentiæ exit cum verbo *dissimilem*, aliàs non. Sed meo iudicio, siue exprimatur, siue non, puto Clausulam ordinariam excludere Indulgentiam priorem tam dissimilem, quàm similem, quia ex illis alijs verbis *in quocunq; alio anni die* manifestè colligitur, mentem Pontificis esse, vt in eâdem Ecclesiâ non sint eodem anno duę Indulgentiæ à se concessæ.

190 Tertia pars, quòd hæc Clausula non loquatur de Indulgentijs concessis Ordini, vel Ciuitati in suis Ecclesijs, probatur ex illis verbis *dictam Ecclesiam*, quæ referuntur ad Ecclesiam particularem, non ad vniuersalem, *Pellizar. tract.* 8. *cap.* 5. *num.* 259. *Verf. Addo*.

Restat alia difficultas pro completâ intelligentiâ dictæ Clausulæ. Numquid in ea comprehendantur Indulgentiæ mortuorum, ita ut habentes Altare priuilegiatum, non possint obtinere Indulgentiam pro viuis? Et è contra an habentes Indulgentiam pro viuis, possint petere Altare priuilegiatum?

191 ℞. Habens vnum non impeditur ab impetratione alterius, ratio est, quia vnaquæq; Indulgentia in suo genere habet propriam Clausulam, ac proinde cum non extendatur ex sua specialitate, non potest referri ad aliam Indulgentiam alterius generis. Confirmatur, quia sicut Indulgentiæ viuorum non sunt pro mortuis, nisi id exprimatur, neq; mortuorum sunt pro viuis, ita neq; vna Clausula est pro, vel contra aliam.

Dubiolum remanet, an sub nomine Indulgentiæ, de quâ in Clausula *Volumus* veniat tam plenaria, quam non plenaria?

Venit solùm plenaria, probatur, quia sicut nomine excommunicationis venit solùm maior, *cap. Si quem* 59. *de sent. excom.* ita & nomine Indulgentiæ venit maior, hoc est plenaria. Valet paritas, quia sicut in maiori excommunicatione continetur minor, ita & non plenaria Indulgentia in plenariâ, quæ est remissio omnium peccatorum, & sic etiam aliquorum, quæ remittit non plenaria, ergo nomine Indulgentiæ venit tantùm plenaria, dum omnes pœnas delet. Quare concessio Indulgentiæ non plenariæ non impedit concessionem posterioris plenariæ, dum ea non comprehenditur in Clausulâ. 192

Quæres 27. An sit Simoniacus Sacerdos petens duplicatam eleemosynam vt celebret ad Altare priuilegiatum?

℞. Affirmatiuè, quia cum non maiorem contrahat obligationem, nec laborem, celebrando ad Altare priuilegiatum, quàm ad non priuilegiatum, & iustum pretium sit, quòd consuetudo, vel Ordinarius induxit, ergo eius duplicatio erit iniqua, & Simoniaca, cum à solo Altari pendeat priuilegiato tamquam ab aliquo spirituali, cum ille excessus non debeatur ratione obligationis, seu laboris, cui iustè respondet solum dimidium, ergo est talis excessus Simoniacus. 193

Dices ex hoc augmento resultat magnum emolumentum, nam augetur meritum dantis maiorem eleemosynam, & satisfactio pro defuncto, pro quo offertur Sacrificium, & Indulgentiæ Altaris priuilegium.

Resp. nihil probari augmenti meriti, aut satisfactionis, cum vtrumq; fundetur in radice Simoniæ, quæ nullum bonum effectum producere potest.

CAPVT OCTAVVM

De remissione peccatorum per Sacrificium Missæ.

SVMMARIVM.

1 *Iudas obtulit Sacrificium pro mortuis.*
2 *Sacrificium missæ est oblatio incruenta Christi Domini.*
3 *Est propitiatorium, & satisfactorium.*
4 *In missa Christus Sacrificatur, & Sacramentatur.*
5 *Sacrificium ratione actionis est consecratio, ratione rei est Christus Deo oblatus.*
6 *Sacrificium differt à Sacramento, quia in eo est cultus Dei, in hoc Christus sub speciebus,*

cibus, illud præcedit in consecratione, hoc sequitur.

7 *Missa dicitur à missione, quia Christus per Consecrationem quotidie mittitur in terram.*

8 *In eodem Sacrificio cruento, & incruento est Christus; à virtute cruenti pendet valor incruenti.*

9 *Sacrificium mediante contritione est propitiatorium conferendo primam gratiam.*

10 *Christus habet eandem virtutem tam in Sacrificio, quàm in Sacramento.*

11 *Ex opere operato Sacrificium est propitiatorium, & satisfactorium.*

12 *Propitiatur autem mediante solà contritione.*

13 *Delet etiam venialia ex opere operato mediante attritione.*

14 *Sacrificium auget gratiam in offerente.*

15 *Auxilia collata per Sacrificium sunt efficacia ex se.*

16 *Auxilium efficax est applicatio hominis moti à Deo, cum quo incipit operari.*

17 *Sacrificium impetrat bona temporalia fidelibus.*

18 *Si petantur in ordine ad spiritualia,*

19 *Ex opere operato.*

20 *Infallibiliter, nisi opponatur obex.*

21 *Et pro alijs impetrari possunt.*

22 *Pœnas peccatorum remissorum delet per se,*

23 *Immediatè, & ex sua institutione.*

24 *Et ex opere operato.*

25 *Pœnas de æternis conuertit in temporales.*

26 *Delendo etiam infallibiliter si dignè applicetur, & fiat.*

27 *Vel partem, vel totam iuxta mensuram deuotionis.*

28 *Non solùm viuis, sed etiam defunctis.*

29 *Fructus Sacrificij triplex, Generalissimus pro totà Ecclesia, specialissimus pro ipso Sacerdote; specialis, seu medius pro quo, vel quibus determinatè petitur.*

30 *Sacrificium missæ omnibus prodest ex opere operato.*

31 *Ex opere operato, quia applicatum à ministro producit ex se suum effectum, sicut ignis approximatus stupæ.*

32 *Generalissimus prodest toti Ecclesiæ propitiatoriè, & satisfactoriè.*

33 *Ecclesia priuat excommunicatos hoc fructu.*

34 *Oblatio fit toti Ecclesiæ, sed applicatio importat distributionem.*

35 *In fructu generalissimo vnus alteri non præiudicat.*

36 *Specialis intentio, & applicatio pro totà Ecclesià non est necessaria.*

37 *Neque pro seipso Sacerdote.*

38 *Fructus Sacerdotis maior fructu speciali debito petenti.*

39 *Celebrans duos fructus habet generalissimum, & specialissimum.*

40 *Sacerdos proprium fructum sibi nondum applicatum alijs donare potest, sed sine mercede.*

41 *Iuri suo quilibet renuntiare potest.*

42 *Beneficium non confertur in inuitum.*

43 *Fructus medius est diuisibilis.*

44 *Fructus alius non datur præter illos tres.*

45 *Valor Sacrificij est infinitus.*

46 *Ratione sua virtutis, non quò ad efficaciam, & applicationem.*

47 *Fructus medius minuitur in pluribus, non generalissimus.*

48 *Ideo eàdem missà non satisfit pluribus eleemosynis.*

49 *Improbi Sacerdotis missa tàm prodest, quàm boni ex opere operato, non ex operantis.*

50 *Pænitentia fit etiam in peccato mortali, & prodest quò ad solutionem pœnæ, non quò ad meritum.*

51 *Gratia habitualis iustificat hominem, actualis verò est auxilium, quo homo motus à Deo, cum eo operatur.*

52 *Gratia habitualis dat homini vitam spiritualem ad merendum de condigno.*

53 *Sine gratià actuali efficaci nihil operari potest cum solà habituali.*

54 *Efficax vocatur quandocumq; homo cum eà operatur.*

55 *Duplex meritum, de condigno in homine iusto, de congruo in peccatore, dum benè agit ex auxilio Dei.*

56 *Sacrificium applicatum homini peccatori prodest ad propitiationem, & ad satisfactionem.*

57 *Satisfactio Sacramentalis, sicut, & Sacrificium ex opere operato prosunt existenti in peccato mortali.*

58 *Inimicitia non impedit solutionem debiti.*

59 *Deus acceptat bona opera hominis etiam peccatorum.*

60 *Satisfactio pertinet ad Iustitiam vindicatiuam.*

61 *Creditor modò sit satisfactus non curat de inimicitià debitoris.*

62 Serue nequam omne debitum dimisi tibi.

63 *Omnia bona opera etiam vltra satisfactionem, & Sacrificium Deus acceptat ab homine peccatore.*

64 *Opus ad satisfaciendum non necessariò debet esse meritorium de condigno supponens gratiam habitualem in operante.*

65 *Quod verò hæc requiratur docens quamplures.*

66 *Loca Sacræ Scripturæ, quæ videntur hoc probare.*

67 *Intelliguntur in ordine ad vitam æternam.*

68 Deus non audit peccatores, *de condigno, vtique de congruo.*

69 Ieiunauimus, & non aspexisti *ex vanà gloria.*

70 Victimæ impiorum Deo abominabiles *quia ex actione peccaminosà nihil fructuosi colligi potest.* Lon-

71 Longè eſt Dominus ab impijs, *per gratiam iuſtificantem, non per gratiam actualem ad ſatisfaciendum.*

72 Dona iniquorum non probat Altiſſimus *in ordine ad merendum.*

73 Si tradidero Corpus meum, itaut ardeam. *Vano fine non prodeſt.*

74 *Sine Dei auxilio Homo reconciliari non poteſt.*

75 In quo viuimus, mouemur, & ſumus. *& ſecundùm naturam, & ſecundùm dona Spiritualia.*

76 *Creditor ab inimico acceptat ſuum creditum.*

77 *Sacrificium cruentum, & incruentum eſt ſatisfactorium.*

78 *Satisfit peccatis remiſſis, non remittendis.*

79 *Chriſti voluntas ſemper conformis voluntati Patris.*

80 Deus odit peccatores *id eſt peccata, non perſonas.*

81 *Opere bono etiam priuato ſoluitur pœna à peccatore.*

82 *Parcere refertur ad inimicos, non ad amicos.*

83 *Amicitia non pertinet ad conſtitutionem, vel deſtructionem pœnæ.*

84 *Deſtructio pœnæ refereur ad inimicitiam antecedentem.*

85 *Solutio pœnæ eſt extinctio debiti.*

86 *Solutio eſt eſſentialiter extinctio debiti.*

87 *Satisfactio non ſortitur ſuum effectum, niſi remoto obice, aiunt.*

88 *Solutionem immediatè ſequitur debiti extinctio.*

89 *Obice remoto Sacramenta non iterabilia conferunt gratiam ſuam in caractere, non alia, quæ iterantur.*

90 *Peccatum non ſtat ſimul cum gratià, vtique cum extinctione debiti antecedentis.*

91 *Opus mortuum, quod fit in peccato mortali.*

92 *Religioſus mortuus mundo quò ad aliqua, non quò ad omnia.*

93 *Opus mortuum quò ad vitam æternam viuum verò quò ad conſecutionem gratiæ remiſſionis peccatorum, etiam ad pœnas, & bona temporalia.*

94 *Opus mortificatum dicitur factum in gratià ſed per ſuperueniens mortale mortificatum in ordine ad vitam æternam, non quò ad alia.*

95 *Opus mortiferum nullo modo prodeſt, neq; de condigno, neque de congruo.*

96 *Pecunia reproba non liberat ſoluentem.*

97 *Miſſa mali Sacerdotis tantùm valet quò ad fructum operis operati, quantùm boni Sacerdotis.*

1 IVdas Machabæus, vt legitur libro eius ſecundo *cap.* 12. 43. *Factà collatione duodecim millia drachmas argenti miſit Ieroſolimam offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium.* In lege ergo veteri vſus erat offerre Sacrificia pro mortuis, vt liberarentur à peccatis, hoc eſt, à pœnis debitis peccatis iam in hoc ſæculo remiſſis ex hac vità decedentibus in gratià Dei, quia poſt hanc vitam non delentur peccata, & culpæ, ſed tantùm pœnæ pro peccatis debitæ, non quidem omnibus, ſed tantùm illis, qui ex hoc ſæculo tranſierunt in Charitate Dei purgandi, & ſoluendi pœnas in Purgatorio. Illud Sacrificium erat figura præſentis ſub lege nouà, quod à Chriſto Domino inſtitutum fuit in vltimà ſuà Cœnà Matt. 26. 28. Marci 14. 24. Lucæ. 22. 19. & 20. *Qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum, hoc facite in meam commemorationem.*
Chriſtus ergo Dominus Sacrificium nouum 2
inſtituit præſtantius, & excellentius quouis
antiquæ Legis Sacrificio, in quo ſacrificabatur Deo aliqua ex creaturis, in nouo autem
imolatur Ieſus Chriſtus Dei Filius ſecundùm
Carnem, dum Sacerdos in perſonà Chriſti
Deo offert Sacramentali conſecratione Corpus, & Sanguinem eiuſdem Domini noſtri
pro remiſſione peccatorum. Vnde Epiſcopus ordinando Sacerdotem indicat hanc poteſtatem à Deo collatam ordinato his verbis:
Accipe poteſtatem offerre Sacrificium Deo miſſaſq; celebrare tam pro viuis. quam pro defunctis, in nomine Domini. Et a ſed deinde credendum eſt definitum Can. 3. *ſeſſ.* 22. his
verbis. *Si quis dixerit, Miſſa Sacrificium* 3
tantùm eſſe laudis, & gratiarum actionis, aut nudam Commemorationem Sacrificij in cruce peracti, non autem propitiatorium vel ſoli prodeſſe ſumenti, neq; pro viuis, & defunctis; pro peccatis pœnis, ſatisfactionibus, & alijs neceſſitatibus offerri debere, anatema ſit. Pro intelligentià dicendorum.
Præmittendum eſt, Sacerdotem in Miſſæ 4
celebratione duo facere nimirum Sacrificium, & Sacramentum, & quidem horum prius fieri dicitur Sacrificium, quod conſiſtit in conſecratione, per quam panis, & vinum mutatur, & tranſubſtantiatur in Corpus, & Sanguinem Chriſti, deſtruens vtriuſq; ſubſtantijs, ſolis earum remanentibus accidentibus, quæ appellantur ſpecies ſacramentales veræ, & reales, ſicut erant ante, ſub quibus mirabili modo ſacramẽtaliter exiſtit verè, & realiter Chriſtus eo ineffabili modo ſine extenſione locali totus in toto, & totus in qualibet parte dictarum ſpecierum; quod complexum ex ſpeciebus, & Chriſto dicitur Sacramentum Euchariſtiæ, quod fit prolatione
verborum conſecrationis, vnde Sacrificium 5
in ratione actionis eſt formaliter ipſa conſecratio, in ratione verò rei oblatæ Sacrificium eſt idem Chriſtus ſacrificatus, & Deo oblatus in cultum Dei ad indicandum ſupremum eius dominium, & ſubiectionem noſtram erga ipſum. Eſt verò Sacramentum ſubſe-
quenter ad Sacrificium, cum ex eàdem con- 6

ſecratione, quâ fit Sacrificium, ſequatur Sacramentum, ab eo diſtinctum in eo, quòd Sacrificium dicit oblationem de Chriſto factam Deo, præſcindendo à ſpeciebus ſacramentalibus, Sacramentum verò includit tam ſpecies, quam Chriſtum ipſum, hoc ſcilicet complexum, quod ratione ſpecierum ſenſibilium eſt Sacramentum in ratione genericâ, in ſpecificâ verò Euchariſtiæ eſt ipſemet Chriſtus ſacramentaliter exiſtens.

Sacrificium præfert cultum diuinum, Sacramentum propriè eſt ſignum cauſatiuum gratiæ, ad quam producendam eſt præcipuè inſtitutum ad nutriendam animam; Sacrificium verò ad cultum Dei in recognitionem eius ſupremi dominij in creaturas, ſubſequenter eſt illis propitiatorium, & propriè ſatisfactorium, vt dicam infra. Hinc habes, cur Miſſa, in quâ Chriſtus immolatur ſine ſanguinis effuſione, quem ſemel in arâ Crucis fudit pro remiſſione peccatorum, vocetur nomine miſſæ, nempè, quia in eâ per actionem conſecratiuam Chriſtus quotidiè à Deo dè Cœlo mittitur in terram pro ſalute fidelium, manens ſub ſpeciebus ſacramentalibus, vt præſto ſit medicina liberans peccatores ab infirmitatibus quibuſcunq;

Quoniam autem inſtitutum noſtrum non eſt agere de Sacrificio miſſæ in totâ ſuâ latitudine, ſed tantùm in Ordine ad ſuos effectus, quos producere poteſt pro animabus tùm viuentium, tùm mortuorum in Ordine ad legata miſſarum, quæ fiunt à teſtatoribus pro animabus ſuis, & ſuorum parentum, ideo ſequentes quæſtiones propono, & reſoluo in Ordine ad prædicta.

Quæres igitur primò, an Sacrificium incruentum, quod nunc ſub lege gratiæ fit à Sacerdotibus in miſsâ, habeat eandem virtutem, quam habuit illud primum, & vnicum, atq; vltimum, quod Chriſtus Deo patri obtulit in arâ Crucis fuſione ſui Sanguinis, quod dicitur cruentum.

8 ℞. Eiuſdem virtutis eſt Sacrificium incruentum, ac fuit illud primum cruentum, probatur *ex cap. 2. ſeſſ. 22.* illis verbis: *Vna, eademq; eſt Hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuersâ.* Eadem ergo Hoſtia, & idem offerens eſt in miſsâ, qui ſe voluntariè obtulit in Cruce, ergo eoſdem effectus producit Sacrificium incruentum, quod cruentum, quod communicat totam ſuam virtutem incruento. Modus ergo offerendi ſolum diuerſus eſt, nam in primo Sanguis effuſus eſt per mortem Chriſti; in reliquis offertur quidem, ſed ſine effuſione ſanguinis, quia ſemel mortuus eſt pro omnibus, & reſurrexit ne amplius moreretur, non mactatur ergo in Sacrificio incruento, nec deſtruitur, ſed tantùm mutatur de non eſſe Sacramentali ad eſſe Sacramentale, & conſumptis ſpeciebus per Sacram Communionem deſinit eſſe ſub illis.

Quæres 2. An Sacrificium remittat peccata mortalia?

℞. Non remittit illa per ſe, & immediatè, 9
quia ad hunc effectum directè inſtitutum non fuit, ſed ad Deum colendum, ſi enim poſſet immediatè remittere peccata, poſſet quoq; conferre primam gratiam, quod falſum eſt quia alias ſequeretur Sacramentum Pænitentiæ non eſſe ſecundam tabulam naufragij, neq; eam eſſe neceſſariam neceſſitate medij. Confert ergo gratiam primam, & remittit mortalia mediatè, quatenus ſcilicet per Sacrificium homo diſponitur ad contritionem impetrando eam ipſo mediante, quibus primam gratiam, & remiſſionem peccatorum conſequitur. Probatur hoc, quia in Tridentino *ſeſſ. 22. cap. 2. & in Canon.* 2. ſupra extenſo dicitur propitiatorium, hoc eſt, remiſſiuum peccati mortalis, mediante ſcilicet contritione à Deo impetratâ per Sacrificium, eſt ergo Sacrificium propitiatorium, & impetratorium, ratione cuius remittit peccata. Ita D. Thomas in 4. *diſt. 12. q. 2. art. 2. quæſtiuncula 2. ad 4.* ibi: *Non ſicut cauſa proxima, ſed in quantùm gratiam contritionis eis impetrat. Scotus in 4. diſt. 9. q. Vn.* ibi *Immo ſi aliqua alia peccata lateant, per iſtud Sacramentum remittuntur*, in quantùm ſcilicet per illud impetratur illorum remiſſio, ibidem Brancatus *diſp. 26. de Euchar. num. 53.* Hiquæus ibidem *num. 34.* & licet loquantur de 10
Sacramento hoc, nihilominus idem eſt dicendum etiam de Sacrificio, quia Chriſtus Dominus eandem habet virtutem in Sacrificio, quam in hoc Sacramento, vt patet ex vi formæ Calices ibi: *in remiſſionem peccatorum*, ex quarum vi ex æquo reſultat Sacrificium, & Sacramentum. Itaque Sacrificium 11
ex opere operato delet mediante contritione peccata mortalia viuis, vt præter citatos docent omnes, quos magna manu numerat *Paſqual. q. 63. Modeſtus Cauatius diſp. 4. de Sacrif. q. 2. num. 16. idem Hiquæus in 4. ſent. diſt. 13. q. 2. num. 116. ex Vadingo tom 8. operum Scoti*, qui *num 117.* ait, non ſufficere attritionem impetratam per Sacrificium, quia tribueret immediatè gratiam, quod facere competit ſolùm Sacramentis Baptiſmi, & Pænitentiæ, cum ſermo ſit de primâ gratiâ. Adde tu id colligi ex Tridentino eo *cap. 2. ſeſſ. 22.* vbi requirit contritionem his ver- 12
bis: *Sacrificium iſtud verè propitiatorium eſſe, per ipſumq; fieri, vt ſi cum vero corde, & rectâ fide, cum metu, & reuerentiâ contriti, ac Pænitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus* Sacrificium ergo in tantum eſt propitiatorium, in quantùm impetrat peccatori contritionem ad delenda peccata.

Quæres 3. An, & quomodo Sacrificium remittat etiam venialia? ℞. Re-

13 ℟. Remittere peccata venialia, ſi enim remittit mortalia, à fortiori venialia, ex quo hæc ex vi ſuæ vocis facilius remittuntur, quàm mortalia, ſed hæc per Sacrificium remittuntur, ergo & venialia; & quidem eodem modo, mediatè ſcilicet, quatenus diſponimur per illud ad impetrandam attritionem, quà venialia remittuntur, & hoc ex opere operato, quia ex ſua institutione hoc habet tam reſpectu mortalium, quam venialium independenter à meritis Miniſtri, & ab eius operatione, ex illo *Matth. 26. 28. Qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum.* Eſt communis, *Suarez diſp. 79. de Sacram. ſect. 5. verſ. ſed quamquam, Caſpenſis tom. 2. tract. 23. diſp. 2. ſect. 1. num. 4. de Lugo diſp. 13. num. 152. Auerſa q. 11. ſect. 6. verſ. communior, Bonac. p. 3. num. 5. cum alijs Paſqual. q. 68. num. 4. Hiquaus in 4. diſt. 13. q. 2. num. 121. Modeſtus Gauatius de Sacrif. diſp. 4. q. 2. num.* 35. vbi, quòd etiam immediatè ex opere operato remittit venialia, probat ſub *num.* 38. quia rationes probantes per Sacrificium non remitti immediatè peccata mortalia non conuincunt reſpectu venialium, ergo. Sed dic venialia non remitti ſine aliquà præuià diſpoſitione ipſius habentis peccata venialia impetratà ab hoc Sacrificio vti propitiatorio, Deus enim nulli remittit peccata etiam venialia, niſi prius diſpoſito, loquendo reſpectu cuiuslibet medij ad remittendum peccata quæcumq; ſiue per Sacramenta, ſiue per Sacrificium, ſiue per Sacramentalia, in his enim omnibus exigitur diſpoſitio ex parte recipientis, vt illi peccata remittantur.

Quæres 4. An Sacrificium iuſtis miſſam audientibus augeat gratiam?

14 ℟. Augere quidem, ſed non immediatè, nam Sacrificium aut eſt propitiatorium, aut ſatisfactorium, aut impetratorium, non primo, nec ſecundo modo auget gratiam, quia quatenus propitiatorium reſpicit peccatorum remiſſionem mediante contritione, iuxta ſuperius dicta; quatenus verò ſatisfactorium reſpicit pœnas, reſtat ergo, quod augeat gratiam in iuſto impetrando illi diuina auxilia, quibus aquirat augmentum gratiæ. Eſt communior ſententia *Suarez diſp. 79. ſect. 4. Miranda tom. 1. q. 41. art. 9. Caſtropal. p. 6. num. 5. Auerſa q. 11. ſect. 6. verſu communior, Caſpenſ. tract. 23. diſp. 2. ſect. 1. num. 5. Poncius diſp. 44. q. 10. concl. 3. cum alijs Paſqual. q. 71. num. 5. Gauatius de Sacrif. diſp. 4. q. 3. nu.* 54. vbi *n.* 55. quòd licet augmentum gratiæ impetrare poſſit, non tamen conferre immediatè primam gratiam, vt dictum fuit ſub q. 2.

Quæres 5. An auxilia, quæ confert Sacrificium in quantùm eſt propitiatorium, ſint tantùm ſufficientia, an etiam efficacia, ita quòd infallibiliter remittantur peccata tum mortalia, tum venialia iuxta ſuperius dicta?

℟. Sunt efficacia reſpectu diſpoſitorum, 15
aliàs non, quia Deus quantùm eſt ex ſe ſua auxilia vti perfecta offert fidelibus illa dignè petentibus per Sacrificium miſſæ in remiſſionem peccatorum, vt dicitur *cap. 2. ſeſſ. 22. Sacrificium illud verè propitiatorium eſſe*, illud enim aduerbium *verè* importat efficaciam propitiationis, *per ipſum autem fieri, vt ſi cum verò corde, & rectà fide, cum metu, & reuerentià contriti*, ecce diſpoſitio ex parte ſubiecti audientis miſſam, reſpectu cuius auxilium à Deo oblatum exit in actum, & efficit remiſſionem peccatorum, vt ſubdit textus; *ac pænitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Tunc autem auxilium eſt opportunum, cùm homo à Deo motus mouetur cum eo ad operationem, hoc enim modo auxilium eſt efficax, quia ſimul cum Deo efficit, & quandocumq; cum Deo operatur, efficax dicitur habere auxilium, vt vocabu- 16
lum ipſum indicat, dum ergo homo benè operatur, dicitur Dei auxilium efficax habere in ſe, igitur auxilium efficax eſt complexum actualis operationis prouenientis à Deo, & homine à Deo ſemper, & continuè moto iuxta exigentiam ſuæ naturæ, hoc eſt, ſine coactione offendente liberum arbitrium, homines enim experient à recognoſcunt, Deum illos mouere, & præbere auxilium de ſe efficax in actu primo, quantùm eſt ex parte ſuà, ad bene agendum, vel ſuperandum tentationem, & non correſpondent motioni, dum ad eam volunt ſe habere tantùm paſſiuè, non aſſentiendo, & non cooperando actiuè, ex quo cum Dei auxilium ab actu primo non tranſeat ad ſecundum reſpectu defectus hominis nolentis ſe applicare ad operationem, remanet inefficax non ex parte Dei, ſed ex parte hominis; cum verò homo cooperatur cum Deo, auxilium dicitur efficax, & perfectum ex parte Dei, quia Deus non ſolùm mouet tunc hominem, ſed etiam facit, vt ſimul cum ipſo operetur, vnde tota perfectio, & efficacia auxilij à Deo eſt, cum verò homo non conſentit, nec proinde cum Deo operatur, is defectus inefficacitatis à ſolo homine procedit, dum non vult operari, & non à Deo, qui in defectum non conſentit, relinquendo illum in ſuo libertatis ſtatu, à quo Deus illum remouere non tenetur, ſed tantum illum vocare, dum vult omnes homines ſaluos fieri, ſi volunt; aliter, perditionis cauſa eſt ſolùm ex parte hominis nolentis conuerti ad vocem Dei.

Hæc ergo Dei auxilia impetrata beneficio Sacrificij miſſæ ſunt efficacia ex probatis. Eſt communior opinio cum D. Thoma *in 4. diſt. 12. q. 2. queſt. 2. ad 4. quem pro ſe citat. Paſqual. q. 67.* Modeſtus Gauatius deducit ex quolib. 20. Scoti, *diſp. 4.* de Sacrificio *q. 6.*

num. 74. quia Sacrificium operatur ex virtute passionis Christi, quæ sine dubio est efficax non ponentibus obicem, ergo Sacrificium efficaciter operatur suos effectus, si homo sit benè dispositus. Confirmatur, quia est propitiatorium ex opere operato, cum tale sit ex sua institutione, Scotus apud Hiquæum *num.* 125. De veniali in specie *Suarez. cit. disp.* 79. *sect.* 5. *fine. Quartus in Append. Missal. par.* 4. *q.* 2. *fine, ex eis Pasq. q.* 70.

Quæres 6. An Sacrificium Missæ sit impetratorium bonorum temporalium?

17 ℞. Est impetratorium bonorum temporalium quatenus hæc ordinantur, & referuntur ad bona spiritualia, & huiusmodi impetratio est ex opere operato, & efficax infallibiliter producens effectum in bene disposito, & non solùm prodest audienti missam, sed etiam alijs pro quibus auditur missa, vel offertur, si non opponatur ab illis impedimentum.

Prima pars de impetratione manifesta est in canone missæ, ibi; *Pro quibus tibi offerimus, vel qui sibi offerant Sacrificium laudis pro se suis omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, & incolumitatis suæ.* Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 2. *& can.* 3. *Pro viuis, atq; defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus offerri debere.* Postrema verba vtriusq; textus referuntur ad bona temporalia. Nullus contradicit, cum sit de Fide. Ita *ex Scoto q.* 20. *quolibet lit. B. & in fine, Gauatius num.* 59. *disp.* 4. *q.* 6. *num.* 59. *Miranda tom.* 1. *q.* 41. *art.* 6. *concl.* 3. *Auersa q.* 11. *sect.* 6. *vers. quinto Castropal. p.* 6. *num.* 8. *Caspens. tom.* 2. *tract.* 23. *disp.* 2. *sect.* 1. *num.* 7. *Villalobos par.* 1. *summa tract.* 8. *diffic.* 8. *num.* 6. *ex illis Pasqual. q.* 77. *Hiquæus num.* 123.

18 Secunda pars, de fine impetrationis nempe in ordine ad spiritualia, probatur, quia Deus omnia remedia tùm Sacramentorum, tùm Sacrificij, tùm aliorum bonorum operum ordinauit pro salute animarum, ergo homo in tantùm à Deo petit bona temporalia per huiusmodi media, in quantùm hæc ordinauit ad salutem animarum. Deducitur clarè *ex Epist.* 1. *ad Timoth.* 2. *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes &c. pro omnibus hominibus &c. vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate &c.* Nullus contradicit, *Gauatius cit. num.* 60.

19 Tertia pars, quòd effectus obtineatur ex opere operato, probatur, quia ex sua institutione habet hos effectus secundarios operaris, sicut primarios, qui ordinātur ad bonum animæ, fiunt ex opere operato eadem enim virtute prædictos producit, ergo omnes ex opere operato. Confirmatur, quia Sacrificium confert bona siue spiritualia, siue temporalia ex vi suæ institutionis independenter à bonitate morali petentis, & operantis, cui ex condigno non debetur effectus petitionis, ex Scoto in 4. *dist.* 1. *q.* 6. apud Gauatium *cit. q.* 6. *num.* 65. ergo ex opere operato. Ita *prӕcitatus num.* 77. *Hiquæus in* 4. *dist.* 13. *q.* 2. *num.* 125. *vers. vt ergo, Pasqual. q.* 78. *initio.*

Quarta pars, quòd Sacrificium infallibiliter producat suos effectus, si non ponatur obex, probatur ex locis Sacræ Scripturæ petentibus, *Matth.* 7. 7. *Petite, & dabitur vobis omnis enim quod petit accipit. cap.* 21. 22. *Et omnia quæcumq; petieritis in oratione, credentes accipietis* Marci 11. 24. idem repetitur. Lucæ 11. 9. Modus autem petendi explicatur à Ioanne *cap.* 14. 13. *Et quodcumq; petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.* Infallibiles ergo sunt effectus Sacrificij, quando debito modo petuntur, nimirùm à constitutis in gratiâ, à credentibus, in nomine Domini, hoc est, ad bonum finem, cum petunt profutura in ordine ad salutem animæ. Ita ex Scoto *quolib.* 20. *in fine Gauatius cit. q.* 6. *num.* 74. *de Lugo disp.* 19. *de Euchar. num.* 139. *Garzias in summâ tract.* 3. *diffic.* 1. *dub.* 8. *p.* 2. *num.* 12. *Gabriel à S. Vincentio disp.* 2. *de Sacrif. missæ q.* 2. *Vers. Et respondeo.* Contra plures alios negantes, effectum impetrationis esse infallibilem, quia experientiâ constat, quòd non semper impetramus ea, pro quibus offertur sacrificium; quos magno numero refert *Pasqual. q.* 78. *pro se.* Sed ideo non impetrant, quia carent requisitis, non quia auxilium sit inefficax ex parte Sacrificij. 20

Quinta pars, quòd offerens non tantùm pro se, sed etiam pro alijs possit impetrare bona etiam temporalia, probatur tum ex articulo *Communio Sanctorum*, tum quia *Matth.* 26. 28. dicitur: *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Tum ex Canone Missæ. *Et omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus &c.* Si enim non posset offerri, nisi pro ipsis celebrantibus, maxima pars fidelium esset priuata diuinis beneficijs, contra summam Dei misericordiam, & liberalitatem, qui omnibus fidelibus, & hominibus impertit sua dona. 21

Quæres 7. An, & quomodo Sacrificium remittat pœnas viuentibus pro peccatis contractas?

℞. Sacrificium missæ remittit pœnas peccatis debitas per se, & immediatè ex opere operato illis, pro quibus offertur, non solùm temporales, sed etiam æternas iuxta quod infra dicam, & illud operatur infallibiliter, non tamen delet omnes, sed tantùm eam partem, quam Christus taxauit in institutione Sacrificij, quæ nobis ignota est, & quo maior est deuotio eius, pro quo missa celebratur, eo maior est pœnæ relaxatio. Singulæ particulæ sunt probandæ. 22

Prima, quòd Sacrificium remittat pœnas, proba-

Digitized by Google

probatur, quia ex supradictis est propitiatorium, ergo & satisfactorium, nam idem operatur Sacrificium incruentum, quod efficit Sacrificium cruentum, sed hoc rem ttit peccata quo ad culpam, & pœnam ex *Matth. 26. 28. Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* .i. culparum, & pœnarum, ergo idem præstat incruentum, cum totam suam virtutem ab illo recipiat. Et de hoc nullatenus est dubitandum, quia ita definitur in Concilio *sess. 22. can. 3.* Patet quoq; ex Memento viuorum in missâ, in quo fideles Deo commendantur, vt ex sacrificio recipiant remissionem pœnarum.

23 Secunda de immediatâ remissione pœnarum probatur, quia ex suâ institutione non eget medio ad remissionem pœnarum ad differentiam sui ipsius respectu culparum, quas remittit mediante contritione, vt dictum fuit *q. 2.* ergo immediatè operatur satisfactionem. Confirmatur, quia in Sacrificio diuersimodè se habet ratio propitiandi, & ratio satisfaciendi, nam cum virtus propitiandi, & remittendi culpas peccatorum propriè, directè, & immediatè competat Sacramentis Baptismi, & Pœnitentiæ, qui propterea dicuntur Sacramenta mortuorum, quorum Baptismus delet non solùm omnem culpam, sed etiam omnem pœnam ex dictis *q. 2.* Pœnitentia verò solùm omnem culpam, & pœnam de æternâ facit temporalem, & hanc non semper totam resoluit, nisi quando contritio est perfectissima, vt docent omnes Theologi *cum D. Thom part. 3. q. 86. art. 4. Scoto in 4. dist. 15. q. 1. lit. R. apud Brancatum disp. 15. de Pœnit. num. 73.* Et propterea cum principalis finis Pœnitentiæ referatur magis ad delectionem culparum, vt subsequenter pœna de æternâ fiat temporalis, & hoc videatur sufficere virtuti Pœnitentiæ pro sua ratione formali, quatenus est absolutio potissimùm ordinata ad remissionem peccatorum, & per quandam consequentiam ad solutionem pœnarum, non enim tota pœna simul cum culpâ semper à Deo remittitur. Est de fide, quod fer bo definitum *sess. 14. can. 12.* Videtur concludendum Pœnitentiæ Sacramentum se habere mediatè ad remissionem pœnarum, cum immediatè se habeat ad destructionem peccatorum, quorum mediante absolutione fit pœnarum mutatio, & solutio earum ex parte, mediante quoq; mutatione de æternâ pœnâ in temporalem, solutio enim est impossibilis respectu æternæ pœnæ irremissibilis ex sua æternitate, ergo dandum est aliud remedium, per quod immediatè solui possint pœnæ temporales, sed Sacrificium est satisfactorium, ergo immediatè est tale. De ista immediatione. *Gauatius de sacrif. disp. 4. num. 58. Castropal. part. 4. tract. 22. p. 6. num. 7. cum multis Pasqual. q. 72.*

24 Tertia, quòd ex opere operato soluat, & extinguat pœnas, probatur, quia non dependet à ministro, sed habet hoc ex sua institutione, non solùm vt referatur ad cultum Dei, sed etiam vt remittat pœnas, vt colligitur ex Matth. 26. 28. *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, tunc enim Sacrificium mulæ instituit, cum protulit ea verba cum alijs, ergo in suâ institutione adiunxit ei hanc virtutem soluendi peccatorum pœnas, ac proinde ex sua institutione. Ita præcitati, *& omnes, cum Mirandâ tom. 1. q. 41. art. 11. Hiquaus in 4. dist. 13. q. 2. num. 125.*

Quarta, quòd remittat etiam pœnas æternas, explicatur, & probatur, nam dixi sub *q. 2.* quòd remittit mediante contritione culpas peccatorum, ex hoc enim dicitur propitiatorium, ac proinde necessariò pœnam de æterna facit temporalem, eodem modo, quò, dixi, peccata remitti, scilicet mediatè ex impetratâ contritione, ista enim pœnæ mutatio necessariâ sequitur ad remissionem peccatorum, ergo eo modo, quo peccata remittuntur per Sacrificium, remittitur etiam pœna æterna, & deinde temporalis soluitur immediatè virtute Sacrificij. 25

Quinta, quòd Sacrificium producat infallibiliter hunc effectum solutionis pœnarum, probatur, quia calix Domini est in remissionem pœnarum, vt docent omnes Euangelistæ, cum Tridentino *sess. 22. cap. 2.* vbi *Can. 3.* definitur, quòd prodest viuis, & defunctis pro peccatis, pœnis, & satisfactionibus, ergo infallibiliter, Deus enim in suis promissionibus non mentitur, ergo infallibiles producit suos effectus, quantùm est ex parte suâ, nisi recipiens ponat obicem. Ita *Gauatius de sacrif. disp. 4. num. 74. Pasqual. q. 74. num. 4. Castropal. p. 6. num. 9.* 26

Sexta, quòd Sacrificium non tollat totum pœnæ debitum, sed partem tantùm iuxta deuotionem offerentis, vel pro quo offertur, probatur ex verbis Canonis Missæ ibi: *Quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio.* Et infra. *Partem aliquam, & societatem donare digneris.* Non dicit totam pœnam, sed partem aliquam. Confirmatur, quia si tolleretur tota pœna per quodlibet Sacrificium, fideles euaderent pigri, & segniores in exercitio bonorum operum. Ex vi ergo Sacrificij deletur pars pœnæ, & quidem ex opere operato, semper est eiusdem mensuræ, cum Sacrificium ex vi suâ semper eodem modo operetur: Attêta verò dispositione, fide, & deuotione subiecti pœna deletur ad eius mensuram, vnde euenire potest, vt Sacrificium totam deleat pœnam iuxta mensuram magnæ deuotionis. Ita *ex D. Thoma par. 3. q. 79. art. 5. & 7. ad 2. Pasqual. q. 75. Gaust. de sacrif. disp. 4. num. 57.* Itaq; Sacrificium ex opere operato soluit certam pœnarum mensuram in omnibus, pro quibus offertur, nobis tamen ignotam, & augetur solutio, & con- 27

condonatio pœnarum iuxta mensuram deuotionis, ita quòd non detur decrementum solutionis earum ex vi Sacrificij, sed semper augetur ad feruorem deuotionis.

Quæres 8. An Sacrificium missæ remittat pœnas existentibus in Purgatorio pro illis oblatum?

28 R. Soluere illis pœnas ex opere operato sicut dictum est de viuis, & hoc de fide tenendum est ex Tridentino *sess. 22. can. 3. Prodesse pro defunctis, pro pœnis, & satisfactionibus, cap. 2. de celebr. missar.* & in missa dantur duo Memento, pro viuis, & defunctis, atq; deducitur ex 2. Machab. 12. 4. *Duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolimam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium* .i. pro pœnis peccatorum iam ritè remissorum. Ista autem remissio ex parte Sacrificij est efficax, *& infallibilis respectu defunctorum*, qui nullum possunt ponere obicem, sicut viuentes. Est communis, *S. Tomas in 4. dist. 45. q. 2. art. 1. quæst. 3. & art. 13. q. 1. Suarez disp. 79. de Sacr. sect. 10. Vers. Nihilominus; de Lugo disp. 19. de Euchar. num. 153. Auersa. q. 11. sect. 6. Vers. Tertio, cum alijs Pasqual. q. 74.*

Quæres 9. Quid, & quotuplex sit fructus Sacrificij missæ?

29 R. Triplex, *Generalissimus* conueniens toti Ecclesiæ militanti, iuxta illud Dauid. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua*, ex qua sententiâ deductus est fidei articulus de Communione Sanctorum, Omnes ergo fideles participant de hoc fructu missæ, quamuis non sint præsentes missæ, quia Ecclesia pia mater orat pro omnibus suis filijs. *Specialissimus* est ipsius Sacerdotis offerentis etiam pro suis peccatis, ad Hebr. 5. 3. *Debet quemadmodum pro populo, ita etiam, & pro semetipso offerre pro peccatis*. Est ergo proprius Sacerdotis. *Specialis* verò, seu *Medius* est ille, qui à Sacerdote applicatur petentibus pro se, vel suis, vel etiam ab eodem alicui communicatur sine petitione, vt cum Sacerdos offert pro suis parentibus. Hanc trinam fructus speciem tradit Scotus quolib. 20. quem omnes sequuntur, non solùm Scotistæ, *Corduba lib. 1. q. 3. Notab. 4. Pitigianus in 4. dist. 13. q. 2. art. 6. Vers. Quinto*. Verùm etiam alij Theologi omnes, *apud Fraxin. sect. 3. Prænot. 3. Pasqualiq. q. 88.*

Super dictis multa quæri possunt, sed præsertim ad rem nostram. *Primò*, an ista diuisio triplicis fructus sit ex opere operato, ita quòd omnibus prædictis tribus prosit ex opere operato? *Secundò* quomodo Generalissimus prosit? *Tertiò* an Sacerdos debeat expresse illud sibi applicare? *Quartò*, an participet etiam de fructu generalissimo? *Quintò*, an possit proprium alijs applicare? *Sextò*, an medius fructus possit diuidi in plures? *Septimò*, an præter hos tres fructus dentur alij?

Primò respondetur, Sacrificium missæ ex 30 opere operato prodest illis tribus personarum generibus, Ecclesiæ militanti, Sacerdoti celebranti, & facienti celebrare, vt colligitur ex offertorio, in quo fit mentio de illis tribus, & in Canone missæ. Ratio est, quia illud operatur ex opere operato, quod non eget consortio alterius causæ ad producendum suum effectum, cùm sit ita institutum, vt ap- 31 plicatum operetur ex sua institutione, sicut ignis applicatus ligno comburit illud; sed Sacrificium eius est generis, vt patet, ergo ex opere operato producit suum effectum.

Secundò Sacrificium quò ad fructum ge- 32 neralissimum prodest toti Ecclesiæ propitiatoriè, impetratoriè, & satisfactoriè. Propitiatoriè quidem in quantum sacrificium ex impetratione, & mediatè per contritionem remittit peccata mortalia, ex dictis q. 2. & per attritionem venialia ex q. 3. Et præterea impetrat alia bona temporalia fidelibus; demùm ad rem nostram est satisfactorium pro pœnis eiusdem Ecclesiæ militantis tam viuorum, quam mortuorum. Quòd hic fructus generalissimus includat satisfactionem, est communis opinio, & certa ex verbis sacri Canonis, ibi: *Quæ tibi offerimus pro Ecclesiâ tuâ sanctâ catolicâ*, Sacrificium autem est ipsemet Christus à Sacerdote oblatus pro Ecclesiâ, ergo ei prodest ex opere operato, sicut Sacerdoti, & alijs, pro quibus offertur, vt docent, *Scotus quolib. 20. sub num. 20. Bonac p. 4. num. 9. cum alijs Pasq. q. 90. num. 5.*

Cõtra Suar. disp. 79. de Euchar. sect. 8. Vers. Secundo, de Lugo disp. 19. de Euchar. num. 221. Probant *primò*, quia excommunicati non possent priuari hoc fructu, cùm Ecclesia non possit contra ius diuinum statuens virtutem Sacrificij in satisfactionem. *Secundò* Sacrificia non offeruntur pro omnibus fidelibus in particulari, sed tantùm in communi, vt faciunt vnum corpus, ergo nec illis satisfit, cum satisfactio respiciat particulares homines. *Tertiò*, cum tot Sacrificia quotidie offerantur, vix esset aliquis, qui remaneret debitor alicuius pœnæ.

R. Ad primum, Ecclesiam benè priuare 33 excommunicatos ab hoc fructu, quia etiam Christus priuat illos, iuxta illud: *Quodcunq; ligaueris &c.* ergo nihil fit contra virtutem Sacrificij, cuius fructum nec Deus communicat excommunicatis. *Ad secundum* oblatio fit in communi, vt dicitur in præcitatis verbis; *Quæ tibi offerimus pro Ecclesiâ tuâ Sanctâ Catolicâ*, sed applicatio, & eius effectus distribuitur postea singulis, cum non de- 34 tur corpus polliticum nisi moraliter, ac proinde necessaria est distributio pro singulis membris, vt vnusquisq; fidelis suam recipiat portionem satisfactionis, quam Deus taxauit illis dandam virtute sacrificij. *Ad tertium*, quamuis quotidie tot Sacrificia fideli-

bus

bus generaliter applicentur, non tamen sequitur dari casum, quo omnium extinguantur pœnæ, quia homo etiam iustus septies in die cadit in peccata venialia, & iniustus peccat, vnde dabilis non est extinctio omnium pœnarum.

35 Et licet Sacrificium suum valorem communicet in fructibus satisfactionis fidelibus, non tamen vnus alteri præiudicat in portione sui fructus, cum vnicuiq; eadem portio taxata à Deo respondeat, siue sint plures, siue pauciores participantes in fructu generalissimo ex opere operato; satisfactio enim Christi, secundùm quam Sacrificium operatur, est infinitæ efficaciæ tam intensiuè, quam extensiuè, adeo quòd omnibus finitè in infinitum prodest, ita quod ex infinitate extensiuà fidelium à sua virtute exhauriri non possit, *Pasq. q. 91. num. 5.*

36 Nulla autem est necessaria intentio specialis pro applicatione fructus generalissimi, quia ex naturà Sacrificij, vt colligitur ex missa, sequitur huiusmodi oblatio generaliter, vt dicitur in Offertorio. *Pro omnibus fidelibus Christianis, viuis, & defunctis.* Et in Canone: *Quæ tibi offerimus pro Ecclesiâ tuâ sanctâ*, ergo, & applicatio sequens ex oblatione, ex eodem *Pasq. q. 93.*

37 Tertiò, hoc ipso, quòd Sacerdos celebrat per oblationem sibi ipsi dicitur applicare fructum specialem, quem illi confert ipsum Sacrificium ex suâ institutione, vt colligitur ex Hebr. 5. loco citato. *Debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis.* Eàdem ergo oblatione sibi prodest, sicut alijs. In Offertorio. *Pro innumerabilibus peccatis, & offensionibus, & negligentijs meis, sed & pro omnibus fidelibus Christianis, viuis atq; defunctis, vt mihi, & illis proficiat ad salutem in vitam æternam.* Ex quibus verbis colligitur Sacrificium ex opere operato esse propitiatorium, quia refertur ad peccata, esse satisfactorium, quia proficit ad salutem in vitam, neque enim qui decessit in gratiâ Dei potest introire in vitam æternam, nisi prius ei deleantur pœnæ in Purgatorio, pro quibus Sacrificium, vt dicitur supra, proficit ad salutem. Vide *Pasqual q. 95. & 96.*

38 Fructus autem, quem Sacerdos percipit ex Sacrificio ex opere operato, est maior, quàm quod obuenit ei, pro quo offertur specialiter, ex parte operis operati, tam quò ad propitiationem, quam quò ad satisfactionem, & quidem diuersus ab eo, quem percipit petens. Nam cæteris offerentibus longè eminet in suo officio, cum sit minister Sacrificij, & non alius, qui in operando repræsentat personam Christi, ergo ratio exigit, vt maiorem accipiat fructum alijs non solùm respectu fructus generalissimi, sed etiam medij respectu petentis etiam cum stipendio, cum ipse solus respectu omnium sit auctor ministerialis Sacrificij, alijs cooperantibus rogando, & deprecando. Ita tenet *Nugnus par. 3. q. 83. art. 1. par. 3. de Sacrif. dub. 3. Ego resol. 25. q. 8. apud Pasqual. q. 98.* qui probat non esse minorem. In eo autem nihil alijs præiudicat, quia fructus Sacrificij non sunt exhauribiles, nec minuuntur ex multitudine fidelium participantium.

Quartò, celebrans est particeps non solùm huius specialissimi fructus, de quo diximus mox, sed etiam generalissimi, quia ex quo est minister, cui ille competit, non desinit esse membrum Ecclesiæ militantis, ideo illi competit etiam portio fructus generalissimi; neque enim debet esse deterioris conditionis alijs membris, cum præter rationem membri habeat etiam qualitatem ministri in sacrificando, quod non conuenit alijs non celebrantibus, cum ipse solus sit publicus minister consecrans in personâ Christi Domini, in quo nullus concurrit præter ipsum publicè, cum circunstantes non sint ministri. 39

Quintò, Sacerdos proprium fructum sibi correspondentem ex parte operis operati potest applicare alteri, gratis tamen, & sine vlla mercede, priuando se illo. Ita 22. Doctores, quos contra se citat Pasqual. q. 99. Probatur primò, quia fructus Sacerdotis est eiusdem rationis cum fructu medio alteri applicabili, vt dicitur in Canone *pro se, suisq; omnibus.* 40

Respondet Pasqual. *cit. num. 10.* fructum specialissimum esse eiusdem rationis cum medio quòad effectum, non autem quò ad modum communicationis, quia medius quò ad modum communicationis est indeterminatus, Sacerdotis verò est determinatus, & personalis ex naturà Sacrificij. *Contra est*, quia vterq; fructus ante applicationem est indeterminatus, & indifferens, ac proinde applicabilis arbitrio Sacerdotis, non video, qua ratione vnus sit determinatus, & alter non, ex quo ambo personaliter procedunt ex applicatione, cuius est determinare, & cum applicatio sit actus voluntatis, fieri potest ex eius libertate sibi, vel alteri, neq; enim id prohibetur, immo intelligitur concessum ex illo Saluatoris: *Maiorem caritatem nemo habet, vt animam suam quis ponat pro amicis suis.* Si possum vitam meam ponere fructuosè pro amico, cur non cedere alteri, quod mihi contingere potest?

Ad illa verba Canonis respondet Pasqualig. posteriora verba *Suisq; omnibus*, referri ad fructum generalissimum. Id verum non est, sed referuntur ad fructum medium, quem persona non sibi applicatum potest applicare suis, nam priuatæ personæ, de quibus ibi sermo est, non applicant fructum generalissimum, cum huius applicatio spectet ad Sacerdotem potissimùm illis vrbis: *Quæ tibi offeri-*

ferimus pro Ecclesiâ tuâ sanctâ, sed tantùm medium, siquidem illum fructum, quem *pro se* offerunt, possunt etiam *pro suis omnibus* offerre, & applicare; sed is fructus est tantùm medius, ergo & hunc tantùm applicat, sicut offert. Præterea, quòd illa verba, *suisq; omnibus*, non referantur ad generalissimum patet ex verbis præcedentibus *Quæ tibi offerimus pro Ecclesiâ tuâ Sanctâ Catolicâ* ne idem ergo bis inutiliter repetatur, posteriora verba *suisq; omnibus*, referuntur ad offerentes *pro suis omnibus* scilicet parentibus, & amicis. Nec dissentit ipse Pasqual. *q.* 90. vbi *num.* 2. loquendo de fructu generalissimo, refert priora verba, non posteriora.

Probatur secundò, potest quisq; applicare alteri satisfactionem propriorum operum, ergo etiam Sacerdos proprium fructum Sacrificij, nam ipsius est dominus, sicut aliorum operum.

Pasqual. negat consequentiam, quia quãdo offerens recipit dominium fructus specialissimi etiam fructus personalis, & acceptatus à Deo pro ipso, vt contingit in alijs effectibus ex opere operato. *Contra*, quia hic dominium spectari potest in ratione iuris, & in ratione possessionis, priori modo factâ oblatione Sacerdos aquirit ius applicandi non tantùm sibi, quam alijs, quia fructus nondum est personalis, qui talis fit dum illum Sacerdos sibi actu applicauit possidendo illum, & sic remanet inapplicabilis alteri, & in hoc sensu currit responsum.

Probatur 3. satisfactio pro pœnâ habet quasi rationem boni temporalis, ergo alteri conferri potest.

Pasqual. quicquid sit de antecedenti, negat consequentiam, nam si aliquid probaret, conuinceret, quòd omnis satisfactio, atq; adeo remissio pœnæ possit alteri applicari, quod tamen est falsum in eâ, quæ habetur ex vi Sacramenti. *Contra est*, quòd verum est illud antecedens, siquidem per actualem extinctionem debiti exoneratur debitor, quòd est temporale bonum illud exgrauamen, dum ergo Sacerdos seipsum non exonerauit applicatione Sacrificij, poterit eodem exgrauare proximum, cui bene facit. Confirmatur id, quia pænitens satisfactionem Sacramentalem ex causâ, & de voluntate sui Confessarij, potest soluere per alium ex communi sententiâ apud Auersam *q.* 13. *de Pænit: sect.* 4. *vers. Deniq. & vers.* Benè tamen, ergo & pro alio Sacerdos satisfacere applicatione sui fructus. Valet consequentia, quia in vtroque casu satisfactio est ex opere operato.

Probatur quartò, quia Sacerdos potest non reseruare sibi suam portionem, sed relinquere illi, pro quo offert, ergo & eam illi applicare.

Pasqual. negat assumptum, quia talis fructus est determinatus ex naturâ Sacrificij, quòd sit Sacerdotis, & ex determinatione Ecclesiæ, offerens autem neutrum variare potest, ergo illum alijs applicare non potest. *Contra est*, quia sicut in alijs rebus quisq; renuntiare potest iuri suo, quando renuntiatio

41 alijs non nocet, *cap. fin. de falsar. cap. ad Apostolicam* 16. *cap. statuimus* 23. *de Regul.* etiam in spiritualibus causis ex dictis Capitibus, ita & in casu præsenti Sacerdos potest iuri suo cedere in fauorem tertij, applicando, & donando illi proprium fructum. Confirmatur id, si enim quis mihi Religioso vult donare aliquid, possum quidem illud acceptare pro Religione, & pro me non contradicente Superiore, possum etiam respondere, nolo acceptare, rogo te, vt illud dones meo consanguineo, vel amico &c. Pro hâc sententiâ Diana citat. 18. Doctores resol. 8. de Regular. apud me de Profess. regul. *cap.* 14. *q.* 22. *num.* 65. Pari ratione potest Sacerdos non acceptare beneficium spiritualis fructus sibi à Deo, & Ecclesiâ oblatum in Sacrificio, nemo enim confert beneficium in inuitum,

42 & renuntiantem *l. inuito ff. de reg. iur.* & rogare Deum, vt condonet peccata amico. Licet ergo ex diuinâ ordinatione corroboratâ ab Ecclesiâ distribuantur fructus Sacrificij in illas tres partes, non ideo tollitur diuina ordinatio, nec variatur si aliquando Sacerdos proprium fructum alijs donat, quia huiusmodi ordinatio non prohibet talem applicationem pro alijs, nec præcipit applicationem pro se, quia fauores sunt arbitrarij personis, quæ non coguntur illis vti.

Probatur quintò, quia cæteri offerentes possunt applicare pro alijs, ergo & Sacerdos. Antecedens constat ex supracitatis verbis Canonis. *Pro se, suisq; omnibus* quæ posteriora verba Pasqual. refert ad fructum generalissimum, quod ego negaui supra probando referri ad fructum medium, & specialem.

Pasqualigus ergo ea q. 99. pro se refert octo Doctores asserentes Sacerdotem nullidonare posse suam portionem. Probat, quia dum offert Sacrificium illud etiam simul, & semel sibi applicat, ergo non potest illud alteri applicare. Confirmat, quia hic fructus prouenit ex opere operato, ac proinde vti quid personale solius est offerentis Sacerdotis.

Sed ex dictis patet responsio, nam diuersi sunt actus oblatio, & applicatio, quia oblatio dispositiua est ad præparationem, & benedictionem materiæ Sacrificij, consecratiua verò producit Sacrificium per solum Sacerdotem, & ad hanc propriè sequitur ius applicandi in effectu fructum quemlibet ex tribus generibus, de quibus fit mentio antecedenter ad consecrationem, adeo quòd factâ consecratione Sacrificium in ratione Sacrificij producit illos tres effectus, iuxta intentionem Ecclesiæ pro totâ Ecclesiâ, & pro reliquis duabus

duobus fructibus Sacerdotis, & potentis applicationem positam in arbitrio Sacerdotis, qui non tenetur semper sibi benefacere, sicut celebrando missam tenetur offerre, sed non applicare specialiter sibi, & alijs, quibus non tenetur.

43 Sextò respondetur, fructum medium Sacrificij esse diuisibilem non solùm respectu eorum, pro quibus celebratur, quandoque enim plures eandem petunt missam siue pro se, siue pro suis, & tunc fructus diuiditur inter illos, sine tamen præiuditio vnius ab alio, sed etiam ratione sui, vt patet ex eius triplici ratione propitiatorij, impetratorij, & satisfactorij, nam satis clarum est in missâ pro defuncto celebrandâ, Sacerdotem defuncto non posse applicare nisi fructum satisfactionis, cum aliorum non sit capax, vnde vni poterit applicare propitiatorium, alter. impetratorium. Diuisibilis ergo est fructus medius, & ratione personarum, pro quibus offertur, & ratione ipsius triplicis fructus. Pasqual. q. 100.

44 Septimò, præter illos tres gradus fructus nempe generalissimum pro totâ Ecclesiâ, specialissimum pro Sacerdote, & medium, seu specialem pro quo, vel quibus applicatur, non est dabilis aliquis alius fructus, qui non reducatur ad vnum ex illis tribus, vt obseruat Pasqualig. q. 101. contra Nauarrum, & Valentiam multiplicantes, sed sine necessitate, solùm ad vberiorem intelligentiam, & explicationem, nam fructus, qui exempli gratiâ competit Papæ, Antistiti, & circunstantibus, continetur sub generalissimo.

Quæres 10. An valor Sacrificij missæ sit infinitus?

45 ℞. Valor huiusmodi de se est infinitus, eius tamen efficacia est finita, quæ tamen æquè se extendit ad paucos ac ad plures, qui cooperantur Sacrificio, ita quòd non minuitur fructus respectu vnius ex consortio alterius, seu aliorum, loquendo respectu fructus generalissimi, respectu verò medij ita est determinatus, vt si extendatur ad plures, eo magis minuatur ita quod Sacrificium oblatum pro pluribus, minus singulis prodest quam si offerretur pro vno tantùm.

46 Prima pars, quòd Sacrificium sit infiniti valoris ex se, probatur quia Sacrificium incruentum quò ad substantiam est idem cum Sacrificio cruento, vt tradit Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 2. sed hoc est infiniti valoris, cùm fusum fuerit pro toto genere humano; ergo & incruentum, habet enim suam virtutem, & condignitatem à Personâ infinitâ Verbi, quod seipsum offert in vtroq; Sacrificio. Ita communior opinio plusquam 30. Doctorum apud Pasqualigum q. 117. contra alios vltra dictum numerum, quorum argumenta meo iudicio solùm probant eius valorem esse finitum in ratione effectus, & termini, nam applicatio est finita in singulis, qui recipiunt portionem fructus sibi conuenientem; itaque virtus valoris in suâ causâ est infinita, sed in applicatione finitus fructus, quia non vni tantùm applicatur, sed omnibus, quibus singillatim contingit propria portio. Valor igitur quò ad virtutem est infinitus, quo verò ad efficaciam, & applicationem est finitus, quia non totus fructus vni applicatur, sed distributiuè pluribus. Et hoc procedit respectu fructus generalissimi, qui ex infinitâ multitudine hominum sincategorematicâ non minuitur, sed vnusquisq; suam partem recipit tantam, quantam singulis Deus taxauit, sine aliorum diminutione, & præiudicio.

Secunda pars, quòd fructus medius diminuatur in singulis, ita quòd minor fiat, quò plures sunt participantes in fructu speciali, probatur, quia diuisibiliter applicatur fructus finitus, ergo vti finitus, quo participantes sunt plures eo minores fiunt portiones ex eodem toto finito in eas distributo, cum singulis obtingat quid minus. Est communissima sententia apud Pasqual. q. 125. Hinc est, quòd pro vnicâ missâ Sacerdos non potest recipere plures eleemosynas, sed vnicâ debet esse contentus, cum totum missæ fructum medium vni promittendo, alijs dare non possit. Vide infra cap. 11. 47

48

Quæres 11. An missa praui Sacerdotis tantùm prosit, quantùm probi Sacerdotis? De eadem infra q. 14.

℞. Vtique ex parte operis operati, nihil verò ex opere operantis in peccato mortali. Illud patet, quia improbitas Sacerdotis non potest inficere Sacrificium, quod Christus instituit, vt efficaciter operaretur, cum ergo Christus seipsum offerat, Sacerdos, & Ecclesia cum Christo offert, qui cum Ecclesiâ est Sanctus, & immaculatus, prauus autem Minister tunc materialiter se habens, nullam vim operandi à Sacrificio auferre potest. Ita *Miranda tom.* 1. *q.* 41. *art.* 22. *ex Trident. sess.* 22. *cap.* 2. *Pasqual. q.* 130. Ex opere operantis existentis in peccato nihil prodest, quia Deus abominatur orationes impiorum dominium ex Prouerb. 8. *Oratio eius erit execrabilis*. Vnde missa boni Sacerdotis est magis fructuosa, quam mali, cuius orationes nihil prosunt, ex eodem *Pasq. num.* 6. 49

Quæres 12. An illi, pro quibus offertur Sacrificium, debeant esse in gratiâ, vt eis prosit quò ad propitiationem, quò ad impetrationem, & quò ad satisfactionem, tam quò ad opus operatum, quàm quò ad opus operantis?

℞. Non est necessarium esse cum gratiâ habituali ad consequendum fructum propitiationis, & satisfactionis, sed sufficit gratia actualis diuini auxilij, loquendo de fructu consequendo siue ex opere operato, siue respectu 50

pectu operis operantis. Ideo quòd soluta pœna statim debitum deletur.

Præmitto pro huius intelligentia, aliud esse
51 gratiam actualem, aliud habitualem. Est autem actualis diuinum auxilium, quo Deus mouet liberum hominis arbitrium iuxta eius exigentiam, ad bene agendum, quod liberè motum cum Deo operatur bonum, ad quod ex citatum fuit, & hæc gratia simul stare potest cum homine mortaliter peccatore, quia non iustificat, sed solùm disponit hominem peccatorem ad remissionem peccatorum. Habitualis verò gratia est illa, quæ hominem iam dispositum iustificat, & facit Deo gratum propulsatione maculæ peccati, tamquam sibi contrariæ, adeo quòd vbi est gratia huiusmodi, ibi non potest esse peccatum, cum sibi inuicem aduersentur sicut forma, & priuatio respectu eiusdem subiecti. Hæc ergo ita peccatum fugat, vt nec per instans cum eo reperiri possit propter efficacem contrarietatem vnius ad alterum. Actualis verò cùm nullam in se habeat contrarietatem ad peccatū, quia non est forma positiua illius destructiua, sed tantùm dispositiua subiecti, quod mouet ad bene operandum, & cum quo operatur, ideo cum homine peccatore stare potest, quem solùm disponit, vt possit recedere à peccato per superuenientem gratiam habitualem facientem hominem de inimico, & ingrato, amicum, & gratum Deo, cum quo deinde operatur bonum meritorium vitæ æter-
52 næ. Gratia ergo habitualis, quæ dat vitam Spiritualem homini à morte peccati resurgenti ad vitam spiritualem, bonas operationes liberè ab eo factas reddit condignas, & meritorias vitæ æternæ, ex qua oritur meritum de condigno nuncupatum, quod in homine iusto viatore dicit augmentum gratiæ, & ius consequendi cum eâ vitam æternam, cum quibus operibus meritorijs semper con-
53 currit etiam gratia actualis, sine qua homo operari non potest, cum in operando siue physicè, siue moraliter, semper dependeat, & moueatur à Deo, à quo est inchoatio omnis humanæ operationis, & in quo finitur, iuxta illud: *Vt cuncta nostra operatio à te incipiat, & per te capta finiatur.* Habitualis ergo dat vitam, quia mortuus non operatur, per quam homo possit benè, & dignè operari, ab actuali verò inchoatur cum homine iusto bonum opus meritorium augmenti gratiæ, & satisfactionis pœnarum, & vitæ æternæ.
54 Hæc autem gratia actualis ab actu operandi cum homine appellatur non solùm eo nomine, sed etiam auxilium Dei efficax, quia verè efficit cum homine bonum opus, quod operatur meritorium vitæ æternæ si sit coniuncta cum gratia habituali; si verò auxilietur homini existenti in peccato mortali ad bene agendum, cùm tunc illud oppus dicatur mortuum in ordine ad merendum augmentum gratiæ, & vitam æternam, non verò erit mortuum, sed aliquam habebit vitam, vt dicatur meritorium, non de condigno, sed tantum de congruo, quia Deus nullum bonum derelinquit irremuneratum. Duplex
ergo est meritum denominans bonum opus 55
meritorium, & de *condigno*, quod scilicet procedit ab homine iusto, & de *congruo*, quod procedit ab homine existente in peccato mortali. Illud operantem facit dignum augmento gratiæ, dat ius ad gloriam, & per illud idem satisfit pœnis. Hoc verò est causâ dispositiua ad gratiam de congruo, per quam quoq; extinguitur debitum pœnæ, vt infra patebit.

In nostrâ responsione nulla est difficultas circa fructum propitiatorium, in ordine scilicet ad deletionem culparum per accidens, & mediatè iuxta dicta supra q. 2. quia propitiatio supponit hominem peccatorem, & non existentem in gratiâ, vt de ingrato fiat Deo gratus virtute Sacrificij missæ. Sed tota dif-
ficultas consistit in probando, Sacrificium ex 56
opere operato extinguere pœnas homini peccatori existenti in peccato mortali, si pro eo offeratur Sacrificium, nihilominus hoc facilè probatur, etiam respectu operis operantis.

Primò, quia satisfactio Sacramentalis, 57
hoc est, illa Pænitentia, vt aiunt, quam imponit Confessarius, facta in peccato mortali ab eo, prodest pœnitenti, ita quòd statim, ac illa est perfecta à pœnitente, deletur de libro Purgatorij, ergo idem dicendum est de Sacrificio applicato peccatori, quòd illi prosit eodem modo quo ad satisfactionem, nam tam Sacrificium, quàm Sacramentalis satisfactio, operantur suos effectus ex opere operato, & ex vi passionis Iesu Christi, qui non est minus potens in Sacrificio, quam in Sacramento pœnitentiæ.

Quòd satisfactio prosit peccatori, est sententia, *Scoti in 4. dist. 15. q. 1. num. 16. Vers. Dico. Gabriel. dist. 16. q. 2. art. 3. dub. 3. Medinæ tract. 3. q. 5. Vasq. par. 3. q. 94. art. 2. dub. 5. quos citat Hiquaus comment. Scoti nu.* 108. *Durand. dist. 16. q. 2 num. 6. & 9. Maior q. 1. Nauar. de Pænit. cap. 1. num. 45. & 47. Amic. tom. 7. disp. 33. sect. 7. num. 240. quos citat, Pasqual. q. 80. num. 2. contra se. Brancat. de Pænit. disp. 13. art. 9. à num. 221. Fabr. disp. 35. de Pænit. cap. 6. à num. 112. Pisigian. ad dist. 15. q. 1. art. 7. Tatar. ibidem q. 1. Vers. Notandum, Posnaniens lib. 6. decis. totius Theolog. cap. 8. de Pænit. q. 8. concl. 18.*

Probatur 2. quia qui soluit totum id quod 58
debet, plenè satisfecit, siue sit amicus creditori, siue inimicus, quia ratio amicitiæ, & inimicitiæ, sicut non ponit debitum, ita nec illud tollit, vnde cum non noceat debitori, neq; potest impedire effectum solutionis, satisfacit ergo si tantum dat, quantum debet,

debet, superueniens ergò inimicitia per peccatum non alterat debitum iam contractum, sed relinquit illud tale, quale erat ante, ergo non obstante inimicitiâ solui potest, & cum effectu deleri.

59 Probatur 3. sicut Deus accepit contritionem hominis peccatoris remittẽdo ei quamuis peccatori culpam, vt omnes docent cum Tridentino *sess.* 14. *cap.* 4. vbi dicitur, eam hos reconciliare Deo; ita & acceptat peccatoris pœnitentiam in peccato mortali factam tam ex virtute Sacramentalis satisfactionis, quam ex virtute Sacrificij applicati pro remissione pœnarum, vtrunq; enim est satisfactorium ex æquo, scilicet ex opere operato.

Confirmatur, quia eo modo prodest Sacrificium, & satisfactio, quo ipsa Contritio in acceptatione; sed acceptatio respectu Contritionis dispositiuæ ad reconciliationem fit à Deo ante collationem gratiæ, dum enim homo peccator se disponit ad reconciliationem nondum est in gratiâ, & tamen Deus acceptat eius dispositionem, & subsequenter contritum sibi reconciliat; & ei suam dat gratiam iustificantem. Cum ergo ista acceptatio præcedat gratiam, non est necesse quòd illam supponat, si non in Contritione, multò minus in satisfactione tam respectu Sacramenti, quam Sacrificij; Pœnitentia enim non respicit gratiam, sed tantùm eam supponit, quæ destruxit culpam eorum peccatorum, pro
60 quibus satisfaciendum est, vnde non ad gratiam pro sua solutione ordinatur, sed ad vindicatiuam, Pœnitentia enim vindicat, non iustificat, nec gratiam auget, sed debitum extinguit.

61 Probatur 4. Deus in remissione debitorum se gerit sicut alter creditor in humanis, sed huic satisfit reddendo totum, quod debebat, non curando de amicitiâ, aut inimicitiâ, immo quandoq; inimicitia contracta ex litibus solicitat solutionem debiti, ergo hic non est opus Charitatè, sed Iustitiâ, ac proinde Deus eodem modo acceptat solutionem, ac creditor, quamuis intercedat inimicitia, amicitia enim pertinet ad Charitatem, & solutio respicit Iustitiam vindicatiuam.

62 Probatur 5. quia id apertè colligitur ex *Matth.* 18. 32. *seruus nequam omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.* Isti seruo non obstante, quòd erat in peccato mortali Deus dimisit debitum, ergo idem facit pœnitenti roganti ipsum vel per actum satisfactonis Sacramentalis, vel per Sacrificium.

63 Probatur 6. ex *Glos.* super Iob 31. *ipse considerat vias meas* inquit: *Nulla bona, vel mala sunt sine retributione*, ergo operibus satisfactorijs respondet retributio, hoc est, extinctio debiti. Et confirmatur, quia ad *Hebr.* 6. 10. *Non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis.* Omnium Pœnitentiam acceptat Deus, ne sit iniustus, maximè quæ pendet ex satisfactione fundatâ in Iustitia vindicatiua, quæ non cessat per superueniens peccatum, quod eam relinquit in suo statu, cum ergo Deus non obliuiscatur bonorum operum, ex illis debet reportare commodum solutionis, cum verè fuerit operatus.

Probatur 7. quia nullo iure probatur ad soluendum debitum pœnarum ex peccatis iam remissis contractum requiri statum gratiæ habitualis in exequendo opus bonum, per quod soluitur, & extinguitur debitum, nam in hoc non attenditur dignitas personæ ex gratiâ, quæ reddat opus meritorium, nam in opere bono meritum solùm requiritur ad merendum augmentum gratiæ, & vitam æternam, non verò ad exstinctionem debiti pœnalis, quod per solam operis executionem tollitur reddendo tantum, quantum est debitum. Ita *Faber disp.* 37. *de Pœnit. num.* 57. *&* 61. 64

Contraria opinio, quòd requiratur status gratiæ habitualis in eo, qui vult Deo satisfacere pro pœnis debitis peccatis iam remissis, est ferè omnium, exceptis Scotistis, *in* 4. *sent. dist.* 15. *vbi S. Thom. q.* 1. *art.* 3. *q.* 2. *D. Bonau q.* 3. *art.* 1. *D. Anton. par.* 3. *tit.* 14. *cap.* 20. *§.* 2. & alij, vbi de satisfactione, & de Sacrificio missæ idem *D. Thom. par.* 3. *q.* 79. *art.* 2. *ad* 2. *de Lugo disp.* 19. *de Euchar. num.* 194. *cum alijs Pasq. q.* 80. 65

Probant primò referentes loca diuinæ Scripturæ, ex quibus colligunt suam opinionem. *Primus. Ioan.* 9. 31. *peccatores Deus non audit.* ergo nec eis dimittit pœnas. *Secundus. Isaia* 583. *quare ieiunauimus, & non aspexisti? Humiliauimus animas nostras, & nescisti?* Hæc sunt opera satisfactionis, quæ Deus aspicere non vult, nec scire, quia procedunt à peccatoribus. *Tertius. prouerb.* 15. 8. *Victima impiorum abominabiles Domino*, ergo Sacrificiũ factũ à Sacerdote impio, & ab alijs peccatoribus cũ eo offerẽtibus Dominus abominatur, & sic nullo modo eis prodest. *Quartus. Prouerb.* 15. 29. *longe est Dominus ab impijs & orationes iustorũ exaudiet.* Ergo orationes impiorum reijciet. *Quintus. Eccli* 34. 23. *dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorũ, nec in multitudine Sacrificiorum eorum propitiatur peccatis*, Reprobat ergo Dominus victimas, & orationes, quas peccator facit pro redemptione animæ suæ. *Sextus.* ex D. Paulo I. Corinth. 13. 3. *Et si tradidero corpus meum, ita vt arderem, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Magna quidem oblatio proprij corporis per martyrium, sed carens Charitate, & gratiâ Dei nihil illi prodest. *Septimus.* ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 8. *Nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus.* 66

Ita non habet homo unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo sit. in quo viuimus, in quo mouemur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos Pœnitentiæ qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre. Ex quibus verbis colligitur opera satisfactoria debere procedere ab existente in gratià, quia sunt fructus gratiæ Christi.

67 Resp. primò singulis collectiuè, Deum in locis prædictis abominari, & reijcere orationes, ieiunia, & victimas à peccatoribus factas, in ordine ad consequendam gratiam, & vitam æternam, quia nihil coinquinatum potest introire in Regnum Cælorum.

Respond. 2. pro clariori intelligentià prædictorum, & corroboratione prioris responsionis, singula loca explicando.

68 Ad primum, *Deus non audit peccatores*, meritoriè, sed impetratoriè, dicente D. August. super Ioannem apud D. Thomam 2. 2. *q. 83. art. 16. Si peccatores non exaudiret Deus, frustra publicanus dixisset: Domine propitius esto mihi peccatori.* Item S. Chrisost. super Matt. homil. 18. in opere imperf. paulò ante medium. *Omnis, qui petit, accipit, id est, siue bonus, siue peccator.* Deus ergo ex suà misericordià exaudit peccatores venientes ad pœnitentiam, & licet quatenus peccatores non mereantur exaudiri de condigno, quia in se nullam habent dignitatem, sed solum peccatum, quod excludit gratiam, quæ sola facit illum iustum, & dignum, vt à Deo exaudiatur ex Iustitià, tamen ex congruo in misericordià fundato exauditur peccator, quando humiliter petit exaudiri, vel vt liberetur à peccatis, vel vt exoneretur ab eorum pœnis, & si enim sit peccator, talis tamen non est vsquequaq; nimirum respectu culparum, cum iam fuit dimissæ, non ergo quærit solutionem pœnarum vt peccator, dum non quærit solutionem pœnarum eorum peccatorum nondum dimissorum, in hoc enim nemo exauditur, nisi prius in ordine ad remissionem culparum, & deinde pœnarum. Deus ergo non exaudit peccatores, qui prius volunt remissionem pœnarum, quàm culparum, inordinata enim est petitio, & ideo indigna exauditione.

69 Ad secundum, Deus non respicit ad ieiunia, & alia opera peccatorum, quæ vult ignorare, & nescire, vt meritoria vitæ æternæ, cum non prosint ad vitam æternam, en ergo non respicit ex iustitià supponente meritum ex statu gratiæ, quæ non est in peccatore, qui nihilominus ex misericordià auditur à Deo, qui eius ieiunia respicit in ordine ad satisfactionem non requirentem aspectum Dei gratiosum, sed solam pœnarum solutionem. Deus igitur ieiunia non respicit peccatorum, quia vt ait Glos. interlin. *Ideo non exaudio, quia sine misericordià, & pro laude, & pro vanâ glorià ieiunatis.* Finis ergo horum ieiunantium non erat bonus, ideo non exauditur à Deo, sed reprobatur, sic qui implet Pœnitentiam à Cõfessario impositam ob vanam gloriam non satisfacit, quia opus non ordinatur ad Deum, illi ergo volebant iustificari ex illis ieiunijs malo fine factis, quasi Deus teneretur ex Iustitià acceptare illa, ad merendum vitam æternam.

70 Ad tertium, victimæ impiorum sunt abominabiles Deo, quia Sacerdos celebrans peccat mortaliter existens in peccato mortali, Deus ergo abominatur celebrationem factam ab improbo Sacerdote, non verò orationem alterius peccatoris petentis Sacrificium pro redemptione animæ suæ, quia ipse non peccat in hac actione, cum non celebret, illi ergo prodest Sacrificium ex opere operato, quia improbitas Sacerdotis, vt dixi q. 11. non nocet petentibus Sacrificium missæ.

71 Ad quartum, *longè est Dominus ab impijs* per gratiam iustificantem, inquit ibi Lyranus, præsens verò per essentiam, & potentiam, sicut & per gratiam actualem, qua peccatorem sicut mouet ad pœnitentiam, vt illum sibi faciat præsentem per gratiam iustificantem, ita & eàdem gratià auxiliatrice eidem cooperatur ad solutionem pœnæ. Deus ergo longè est ab orationibus impiorum, quia eas non exaudit de condigno, sicut orationes iustorum, quæ prope illum sunt ex condigno, sed tantum de congruo extinguendo debitum.

72 Ad quintum, verum quidem est, quòd Deus non probat dona, oblationes, & Sacrificia iniquorum in ordine ad merendum, quia peccator cum careat principio vitæ spiritualis, quod est gratia habitualis, per quam solum meritoriè operari potest, ideo præfatæ operationes sine gratià factæ à Deo non acceptantur, nec probantur, vt meritoriæ vitæ æternæ, non verò reijciuntur, sed approbantur ex auxilio diuinæ gratiæ, per quam Deo mouenti cooperatur peccator ad satisfaciendum pœnis debitis eius peccatis iam remissis.

73 Ad sextum, eadem responsio danda est ad illud Pauli, si enim tradidero corpus meum itaut ardeam non habens Charitatem nihil mihi prodest ad vitam æternam; martyrium nihil mihi prodest, dum nolo pœnitere de peccatis in actu martyrij, quod quandoq; ab aliquo accipi potest ex laude proprià, & vanà glorià, vt docet ad rem S. August. in Psal. 43. & ideo meritoriè tum non prodest, neq; de congruo, dum in ipsà operatione bonà admiscetur peccatum, quod opus de bono facit malum, si autem in executione boni operis, non pecco mortaliter prodest mihi ad extinctionem debiti, quia honestè, & bono fine factum est, & consequenter à Deo acceptatur.

74 Ad septimum, qui est locus Tridentini, ex

quo

quo aduersarij inferunt existentiam necessariam gratiæ iustificantis ad satisfaciendum, respondetur, Concilium aliud nō intendere, nisi quòd ibi expressè determinat, nimirum, satisfactionem, quam pro peccatis nostris exsoluimus, procedere à Christo Iesu, & non ex nobis, quia tamquam ex nobis nihil possumus, viribus naturæ, ne sentiamus cum Pelagianis, sed cum Deo mouente nos cooperamur ad nostram satisfactionem, quam Deus acceptando delet debitum de libro pœnarum, non est ergo necessaria gratia habitualis, sed sufficit actualis ad satisfaciendum, sicut sufficit ad aquirendas alias partes Sacramenti Pœnitentiæ. Vide Fabrum dictis respondentem eadem *disp. 35. à num. 129. ad 131.*

Probant secundò, quia nemo potest satisfacere, nisi dum cum Christo viuit, vt colligitur ex *cap. 8. sess. 14.* vbi ait, quod *omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo viuimus, in quo mouemur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ*. Sed solùs Dei gratiam habens viuit in Christo, ergo satisfacere non potest existens in peccato, cum neq; faciat peccator fructus dignos pœnitentiæ.

75 ℞. Eam auctoritatem *ex Act. Apostol. cap. 17. num. 28. In quo viuimus, & mouemur, & sumus*, illum habere sensum ex Lyrano, quòd vitam, motum, & esse à Deo habemus, non solùm quò ad naturalia, sed etiam quò ad spiritualia, hæc enim habet omnis homo à Deo in esse naturæ, ac proinde vt peccator, quia concipitur, & nascitur in peccatis, ergo peccator est, viuit, & mouetur in Deo, cum ab eo omnia habeat non solùm secundùm naturam, sed etiam secundùm mores, & spiritum, nam homo peccator per gratiam actualem viuit, & mouetur ad operationes supernaturales, vt aquirat gratiam, quam amisit per peccatum, & sicut sine gratia habituali cum solà actuali mouetur à Deo ad se disponendum ad habitualem, ita & cum eà solà mouetur ad satisfaciendum Deo, cum quo dicitur facere fructus dignos Pœnitentiæ, in quantùm satisfactio est illi fructuosa, dum extinguitur per eam debitum. Fructus ergo dignos pœnitentiæ facere dicitur peccator solutione pœnarum ex diuino auxilio, non ex dignitate meriti, sed ex congruitate operis, quod tantum est, quantum est debitum per illud dimissum. Sufficit ergo vita actualis gratiæ sine habituali ad deletionem pœnarum, sicut sufficit ad delenda ipsa peccata.

Probant tertiò, quia in humanis creditor non acceptaret satisfactionem sibi debitam ab inimico oblatam vel per se, vel per alium, licet enim sibi res grata sit, non tamen illi gratum est, quòd offeratur ab inimico, ergo idem dicendum est respectu Dei, qui est creditor peccatorum sibi inimicorum.

76 Respondetur ex dictis, Christum remittere debita seruus etiam nequis, ergo ea acceptat, quod nō contingit sine remissione, acceptatio enim debiti extincti refertur ad Iustitiam vindicatiuam, non ad amicitiam, peccator enim prævia dispositione reconciliatur Deo per contritionem, seu absolutionem Sacramentalem, remissione peccatorum quò ad culpam, & quò ad pœnam æternam, & temporalem ex parte, ergo à fortiori sine gratiâ habituali pœna temporalis est remissibilis, sicut fuit remissibile peccatum eidem peccatori, peccatum enim mortale pugnat cum gratiâ habituali, quæ illud destruit, non verò cum satisfactione, ideo peccatum eius solutionis effectum impedire non potest.

Probant 4. Quia Sacrificium Crucis non fuit oblatum pro peccatoribus, nisi in ordine ad illos subleuandos à peccatis, non autem pro satisfactione pœnæ, quia vt tales sunt destinati pœnæ æternæ, quæ non est remissibilis, ergo nec præsens Sacrificium, quod totam suam vim habet ab illo.

℞. Cum Sacrificium tam cruentum, quàm incruentum fuerit institutum non solum vt propitiatorium, sed etiam vt satisfactorium ex definitione Concilij *sess. 22. can. 3.* euidenter patet illud antecedens esse falsum, & licet peccatores quatenus tales in peccato mortali decedentes sint destinati ad pœnam æternam, tamen cum Dei auxilio antequam Deo reconcilientur per Pœnitentiam, benè agere possunt ad satisfactionem, si non respectu peccatorum nondum remissorum, saltem respectu peccatorum tam remissorum, quibus respondet propria satisfactio independenter ab alijs, & sicut in humanis potest soluì vnum debitum alio non soluto, quando non habent connexionem ad inuicem, ita & potest peccator soluere vnum debitum sine alio, quod nondum maturatum est, quale dicitur illud, quod est coniunctum cum peccato nondum remisso, quod dicitur maturari remissione peccatorum. 77

78

Probant 5. Christus semper habuit suam voluntatem conformem voluntati Patris, ergo cum Deus odio habeat peccatores, debet etiam Christus odisse illos, ne discrepet à voluntate diuinà, ergo non potuit conferre beneficia illis, quæ relinquerent in statu inimicitiæ cum Deo, nam hoc esset exercere inimicitiam simul cū inimicis Dei, ac proinde Christus fieret inimicus Dei, amicus enim mei inimici est meus inimicus, *Glos. V. Nolite cap. 1. dist. 93. Decius in cap. ex insinuatione, de appellat. num. 5.* ergo nec potuit instituere Sacrificium pro remissione pœnæ temporalis ad fauorem peccatorum, qui sunt Deo inimici.

℞. Voluntatem Christi semper fuisse conformem voluntati paternæ, & filius nihil contra voluntatem Patris intendit, dum ergo instituit Sacrificium missæ secundùm esse pro- 79

propitiatorium, & satisfactorium fecit illud, vt hoc est de fide *sess. 22. can. 3* ergo secundùm Dei voluntatem illud instituit, vt prodesset peccatoribus vt propitiatorium, & eisdem vt satisfactorium. Christus ergo confert beneficia peccatoribus non solùm inimicis Dei, sed etiam ipsi Christo, qui sicut percit suis formalibus inimicis in suâ passione, ita à fortiori parcit peccatoribus acceptando eorum satisfactionem in extinctionem debitorum, dum benè agendo donat tantum, quantum debent ex pœnis temporalibus, non obstante inimicitiâ, quæ non impedit solutionem debitorum, cum Deus ipse dimiserit omne debitum seruo nequam; Christus ergo simul cum Deo benefaciens suis debitoribus eis dimittendo, Deo non fit inimicus, dum idem operatur cum Deo parcens peccatoribus, iusti enim non egent parcitione, cum peccatis, nec pœnis sunt obnoxij, sicut peccatores, pro quibus sunt instituta Sacramenta, & Sacrificium missæ. Ad

80 illud *Deus odio habet peccatores*, iuxta *Psalm. 118. iniquos odio habui*. Respondent communiter Sancti Patres, quòd Deus odio habet peccata, non personas peccatorum, non enim Deus, qui præceptum dedit de dilectione inimicorum à Christo promulgatum illud conuertit in odium, dum enim peccatores punit, diligit, non odit, iuxta illud *quos amo, hos corrigo*, & quando eos impænitentes condemnat ad mortem æternam, non dicitur habere eos odio, sed exercere Iustitiam vindicatiuam contra illos, iuxta eorum demerita.

81 Colligitur ex dictis, existentem in peccato mortali posse adimplere Pœnitentiam sibi impositam à Confessario, & etiam satisfacere suis pœnis mediante Sacrificio missæ sibi applicato etiam existenti in peccato mortali, & in vtroq; casu ex opere operato; & vlterius quilibet peccator satisfacere potest ex opere operantis, ieiunando, orando, & eleæmosynam faciendo cum intentione, vt à Deo dimittantur sibi pœnæ. Ratio communis ea est, quia quodlibet bonum opus voluntariè assumptum pro peccatis aptum est ad deletionem pœnarum independenter ab amicitiâ

82 Dei quia parcitur, non amicis, quia in offensi sunt Deo, sed inimicis, qui offendunt, amicitia ergo est iustorum, & amicorum Dei, inimicitia verò peccatorum, quibus Deus parcit, acceptando illud opus bonum in solutionem suorum debitorum, quibus æquiualet, præscindendo à quibuscumq; alijs circumstantijs, cùm non ingrediantur in opere, quia non habent rationem debiti.

83 Confirmatur, quia ratio amicitiæ, in quâ potissimum vrgent Aduersarij, non pertinet ad constitutionem pœnæ, neq; ad eius solutionem, non ad primum, cum illam peccator contrahat ex peccato, cuius est effectus, & afficiatur regulariter pænitens ante absolutionem à Confessario, ac proinde respicit illum vt peccatorem, ergo excluditur ratio amicitiæ, dum pœna ex suâ conditione refertur ad rationem peccati, cum quo non potest stare amicitia. Neque ad secundum de solutione, quæ solùm importat, vt tantum reddat, quantum debet vt debitum extinguatur, & cùm pœna etiam in actu solutionis referatur ad debitorem propter peccata, nam 84
pœna est effectus peccati, sequitur potius hic spectandam esse rationem inimicitiæ, quam amicitiæ, ergo hæc non facit ad solutionem debiti.

Dictum fuit in nostrâ conclusione, hoc est, in responsione ad quæsitum, quòd peractâ pænitentiâ statim à Deo deletur debitum pœnarum à libro Purgatorij creditoris. Id autem probatur à simili in humanis, nam creditor accepto pretio pro solutione debiti, statim obliterat partitam, & nomen debitoris 85
ex libro, quia satisfecit, ita idem dicendum est respectu Dei, qui vt creditor recepto pretio bonorum operum statim delet nomen debitoris, cùm satisfecerit, cùm enim amplius non sit debitor, Iustitia non patitur, vt remaneat vlterius nomen debitoris in libro, cum soluerit id totum, quod debebat, nam solutio est essentialiter, & formaliter extinctio debiti, ergo positâ solutione pœnæ ponitur, & tunc extinctio debiti. Ita *Brancatus disp. 22. de Pænit. art. fin. num. 275. colligitur ex Scoto in 4. dist. 15. q. 1. num. 16. vers. & si arguas, ibidem Hiquæus num. 108. 141. 149. Faber disp. 35. de Pænit. num. 134. Megal. de Pænit. lib. 6. cap. 5. num. 11. vers. Alij autem citati. Nauar. cap. 3. num. 6. Marsil. in 4. q. 11. art. 3. Medina C. de Confess. q. de Pænit. iniunctâ*, dicens, hanc esse veriorem, & cupere, eam esse persuasam, & vocat probabiliorem, eandem ex Scoto, & alijs tenet Cotonius *noster lib. 2. contr. 10. cap. 3. num. 50.* nam satisfactio non eodem passu currit cum merito, hoc enim radicem habet in Charitate, illa in voluntariâ pœnalitate, & ideo etiamsi in mortali fiat, eleuari potest inquit, virtute, Sacramenti ad producendam remissionem tunc ex opere operato culpæ iam remissæ, immo supponitur eleuata à quocunq; fiat, cum semper sit pars Sacramentalis à quocunq; fiat siue à iusto, siue ab iniusto. 86

Contraria opinio, quòd satisfactio à peccatore facta tunc non sortiatur suum effectum, sed solùm eo tempore, quo erit constitutus in gratiâ, remoto obice peccati, est *Suarez de Pænit. disp. 38. sect. 4. num. 9. de Lugo disp. 25. num. 40. Diana resol. 85. de Sacram. Barb. ad cap. 8. sess. 14. num. 5.* & aliorum multorum apud illos. Probant *primò*, quia dum recipiuntur alia Sacramenta in peccato mortali, vt Baptismus, & Confirmatio, remotq 87

moto obice peccati mortalis, aquiritur ab illis gratia, quam fuissent consecuti, si ea Sacramenta recepissent sine obice; sed satisfactio est pars Sacramenti Pœnitentiæ, ergo sicut alia Sacramenta producunt suum effectum remoto obice, ita & satisfactio. *Secundò* satisfactio cum sit pars sacramentalis Pœnitentiæ, suum effectum operari debet, sicut aliæ eiusdem partes; sed Pœnitentia operatur suum effectum recedente fictione, ergo & satisfactio, cum sit eius pars. *Tertiò* in fine *cap. Quærit 44. dist. 3. de Pænit.* sic legitur: *Satisfactionis fructum non percipit impeditus peccato, quod non deseritur, percipitur autem, cum eius Pænitentia fuerit subsecuta, sicut ad lauacrum fictè accedens regenerationis Sacramentum accipit, non tamen in Christo renascitur, renascitur autem virtute Sacramenti, quod perseuerat, cum fictio illa de corde eius recesserit veraci Pænitentiâ.* Clarum ergo est, non extingui debitum tunc cum fit Pœnitentia in peccato mortali, sed post remissionem eiusdem mortalis peccati.

88 Sed contra est, quia reuera simul est extinctio debiti, dum fit actu Pœnitentia à peccatore, non enim diuersa sunt, & separabilia solutio, & extinctio, cum omnino sint idem, per solutionem enim debitor liberatur, ac proinde creditor è libro obliterat creditum suum, & nomen debitoris. Si debitor solutâ satisfactione adhuc viget debitum v. g. ieiunij, ergo tenetur ieiunare, vt satisfaciat, & extinguat debitum, sed si millies ieiunaret cum eodem peccato mortali, nunquam fructuosè satisfaceret, nec debitum extingueret, cum non sit maior ratio, cur extinguatur debitum per vnum, aut alterum ieiunium, si non extinguitur per primum, cùm in omnibus remaneat semper idem impedimentum, vt supponitur; hoc autem est absurdum, & expressam continens iniustitiam, si pœnitens millies ieiunet, & centies puniatur pro vnicâ pœna, & adhuc maneat reatus ad eandem pœnam, non enim Deus idipsum bis punit, qua esset iniquus, vnde D. Ambr. relatus cap. Prima 41. dist. 3. de Pœnit. inquit. *Et si fides desit, pœna satisfacit, & releuat.* Hæreticus, cui fides deest, sumendo voluntariè pœnam sibi, impositam à Confessario antequam deficeret, consequitur illius satisfactionem; hoc est solutionem, & releuationem, hoc est, extinctionem debiti; vtilis ergo, & fructuosa est Pœnitentia facta in peccato mortali, quia Deus extinguit debitum, & obliterat nomen debitoris, cui tamen dicitur inutilis, & infructuosa ad meritum, cum per eam exsolutam in peccato non mereatur vitam æternam, nec gratiæ augmentum ob mortem illi afferens.

89 Ad primum remoto obice subiectum recipit gratiam, quia ea Sacramenta cum non sint reiterabilia, necesse est, quòd ex eis quando qui fluit gratia, cum omne Sacramentum ordinetur ad conferendam gratiam, remota ergo fictione ea Sacramenta sua virtute relictâ in caracte re gratiam producunt, quia tunc non habet recipiens obicem obstantem gratiæ. Satisfactio autem quamuis sit de genere Sacramentorum, quia est pars Sacramenti Pœnitentiæ, nullum habet obicem impedientem eius effectum extinctionis scilicet debiti, ergo dum fit, suum sortitur effectum, & non manet in suspenso. Vlterius argumentum procedit de effectu gratiæ suspenso, & impedito à peccato mortali, nos loquimur de extinctione debiti, quod nullam habet repugnantiam cum peccato, quia Christus seruo nequam dimisit debitum.

Ad secundum, nolo modo disputare, an detur Sacramentum informe Pœnitentiæ, respondeo, eo supposito Pœnitentiam operari suum effectum remoto obice, quia peccatum, & gratia simul stare non possunt, sicut extinctio pœnæ, & peccatum in satisfactione, quæ soluta in peccato mortali extinguit debitum, quod stare potest cum peccato mortali, ad cuius aduentum non destruitur reatus pœnæ, neq; impeditur eius destructio, cum à sola solutione pœnæ pendeat. 90

Ad tertium, adducta auctoritas *à Castropal. p. 21. de Pænitent. §. 2. num. 3. Verf. An verò*, non est alicuius S. Patris, sed Gratiani, qui adhuc interpretari potest, quòd loquatur de fructu gratiæ non collatæ à satisfactione eius, qui existit in peccato mortali ob contrarietatem eorum inter se, conferenda post remotionem peccati, non verò de fructu extinctionis debiti pœnarum, qui certè illi vtilis est, & fructuosus, quia amplius eam pœnam iam solutam amplius nec in hoc sæculo, nec in alio pati debet.

Quæres 13. Quomodo intelligenda sit illa distinctio operis distributi in mortuum, in mortificatum, & mortiferum? Et sub quo sit satisfactio facta in peccato mortali?

℟. Opus mortuum est illud, quod caret vitâ Spirituali in operante, hoc est, gratiâ habituali iustificante, quale est illud, quod fit ab homine existente in peccato mortali, qui cum non habeat vitam spiritualem in seipso, per eam gratiam, obstante peccato mortali, non potest tribuere ea mediante vitam suis operibus, quæ proinde dicuntur ab eo procedere mortua, & sine vitâ, cuius principium est gratia ipsa habitualis, quæ informat ad vitam bonum opus, quod per eam appellatur viuum, per gratiam ergo bonum opus dicitur viuum, sicut per peccatum vocatur mortuum. Quamuis bonum opus in mortali factum sit mortuum, non est tamen vsquequaq; & omnibus modis mortuum, licet enim in naturalibus mortuum animal ita sit mortuum, vt nihil vitæ habeat in se, nihilominus in moralibus homo potest dici 91

mor-

mortuus quo ad aliqua, & viuere quo ad
alia, licet careat in totum vitâ gratiæ habi-
tualis, non tamen caret gratiâ actuali, dum
cum Deo mouente bene operari potest; & est
simile, quod dicitur de Religioso professo,
qui mundo dicitur mortuus, quo ad aliqua
92 e. g. quo ad proprietatem, quia ad eam se
fecit inhabilem, & mortuum per votum pau-
pertatis, viuit verò, in quantùm retinuit ca-
93 pacitatem e. g. ad aquirendum pro monaste-
rio suo. Itaque opus licet bonum, est mor-
tuum quo ad vitam æternam merendam, si
enim peccator mille bona faceret, nihil illi
prosunt ad merendam vitam æternam, cum
opera non sint meritoria de condigno, defe-
ctu gratiæ habitualis. Non est verò mor-
tuum quo ad alia, quæ non præsupponunt
meritum de condigno, quæ vitam habent
fructuosam ex gratia actuali, per quam homo
bene operans disponitur ex alio merito, quod
vocatur de congruo, ad quatuor consequen-
da, nempe ad consequendam gratiam cum
remissione peccatorum, ad obtinenda bona
temporalia pro corpore, ad assuefactionem
bonorum operum, vt docet D. Thomas *par.*
3. q. 89. art. 6. ad 3 Addo quartum cum Sco-
tistis, & alijs, iuxta dicta sub *q. praced.* nem-
pe prodesse ad satisfactionem pœnarum, &
earum solutionem, & extinctionem, *Glos. V.*
Prodest, cap. Nihil 21. dist. 3. de Pœnit. Ni-
hil prodest ad vitam æternam, prodest tamen
ad minus supplicium subeundum, id confir-
mans *ex D. Aug. relato cap. fin. ibid.* illis
verbis: *Nihil prodesse intelligitur ad Regnum*
Cœlorum obtinendum, non ad extremi iudicij
tolerabilius supplicium subeundum. Lege to-
tam eam distinctionem, quæ de operibus
mortuis loquitur, vbi manifestè colliges, san-
ctorum Patrum concordem esse sententiam,
opera mortua nihil prodesse ad vitam æter-
nam, vtique verò ad consequenda præfata
quatuor bona licet facta in peccato mortali,
quia Deus nullum relinquit bonum irremu-
neratum. Vide Scotum in 4. *dist. 22. q. Vn.*
cum suis Comment. Fabrum *disp. 42. de Pœ-*
nit. Itaq; bona opera respectu satisfactionis
non solùm Sacramentalis, sed etiam volun-
tariè facta à peccatore non dicuntur mortua,
sed prodesse in ordine ad extinctionem pœ-
narum.

94 ℟. Secundò, opus mortificatum dici illud,
quod antecedenter factum per existentem in
gratiâ, mortificatur per superueniens pecca-
tum mortale. Ista autem mortificatio homi-
ni nocet in ordine ad vitam æternam, in
quantùm illud bonum opus, si moreretur
homo in peccato mortali, illi prodesse non
potest, nec retrahere ab æterna damnatione,
in hoc sensu dicitur mortificatum, resurgen-
te verò à peccato per Dei gratiam, illud opus
reuiuiscit per eam, illud autem peccatum su-
peruenies *in alijs* nō dicitur mortificare illud
bonum opus factum in gratia, siquidem iu-
uat ad resurgendum à peccato, & debitum
pœnarum extinctum nullo modo mortificat,
quia extinctio earum omnino manet sicut
prius. Mortificatio igitur refertur ad ea, quæ
sunt de condigno, non verò ad alia, quæ
sunt de congruo; lege præfatos cum D. Tho-
ma *par. 3. q. 88. art. 1. ad 3.* Itaque hæc mor-
tificatio in nullo nocet satisfactioni pœnarum.

℟. Tertiò, illud dici opus mortiferum, 95
quod causat mortem in operante, quia sic
agendo peccat mortaliter, opus autem aut
est de se malum, vt homicidium, blasphe-
mia, furtum &c. vel est de se bonum, vt ie-
iunare, dare eleemosynam, corpus mortifi-
care &c. quod male exit in actum, cum sit ex
prauo fine, vt qui ieiunat ex vanà gloriâ, qui
dat eleemosynam, vt luxurietur cum fœmi-
nâ, qui publicè catenis ferreis corpus suum
verberat, vt nonnulli Religiosi Romæ vole-
bant facere, sed gratiam non obtinuerunt,
quia eos non spiritus veritatis, sed superbiæ,
& ambitionis volebat excæcare, finis ergo
est qui specificat actiones nostras, bonas qui-
dem à fine bono, malos à prauo fine. Hoc
opus siue bonum in se, sed ex circumstantiâ
malum, siue de se malum nullo modo pro-
dest nec de condigno, nec de congruo. con-
sequenter, nec prodest satisfactioni pœnarum
in Purgatorio luendarum. Quare qui ieiu-
nat ex vanà gloriâ etiam cum intentione sol-
uendi Deo huiusmodi debitum nihil facit,
nec extinguit debitum huiusmodi, quod cum
Deo habet, quia sicut in humanis solutio pe-
cuniæ reprobæ non liberat debitorem, *l. Ele-* 96
ganter 24. §. Qui reprobus ff. de pignor. act.
Ita neq; in spiritualibus, cum tale opus non
sit bonum, sed malè factum ex circunstantiâ
malâ finis, iuxta quod dixi supra sub *num.*
70. Victimæ enim improborum sunt abomi-
nabiles, aliud enim est peccare in faciendo
bono opere, quod nullo modo prodest, aliud
est faciendo bonum opus sine peccato, quan-
do fit per existentem in peccato mortali.

Quæres 14. An missa improbi Sacerdotis
tantum valeat, quantum missa dicta à bono
Sacerdote? Supra q. 11. eidem.

℟. Affirmatiuè ex parte operis operati, 97
quia fructus ex hoc capite pendet tantùm à
Sacrificio secundùm se spectato, quod est
hostia pura, sancta, & immaculata, quæ à
nullo maculari potest, ergo à quocunque
Sacerdote immolata semper efficax est eo-
dem modo. Quod procedit etiam respe-
ctu totius Ecclesiæ offerentis, quia ex ar-
ticulo fidei Ecclesia est sancta, pura, &
munda, quocunq; Sacerdote offerente, quia
offert in persona Christi, & in nomine Ec-
clesiæ. Est communis *cum S. Thoma par. 3.*
q. 82. art. 6. Nauar. cap. 25. num. 79. & 111.
Miranda tom. 1. q. 41. art. 22. Suar. disp. 79.
de Sacram. Missa verò mali Sacerdotis quo
ad

ad opus operantis nullam habet satisfactionem, aut impetrationem, quia Deus execratur orationes improbi Sacerdotis ratione sui. Ita D. Thom. cit. Et ex hoc capite fructuosior est missa boni Sacerdotis, quam mali, *ex eodem ibidem, & in 4. dist. 13. q. 1. art. 4. cum Pasqual. q. 130. ex cap. Ipsi Sacerdotes 1. quæst. 1.*

CAPVT NONVM.

De applicatione Sacrificij Missæ.

SVMMARIVM.

1 *Fructus Sacrificij triplex, generalissimus pro totâ Ecclesiâ; specialissimus pro Sacerdote; specialis, seu medius pro petentibus.*
2 Pontifex ex hominibus assumptus *idest Sacerdos.*
3 *Generalissimus, & specialissimus censetur de se applicatus ex solâ celebratione, non medius, nisi petitus applicetur.*
4 *Primi duo auferri non possunt ab aliquo.*
5 *Applicare Sacrificium est rogare Deum, vt dignetur facere participem illum, pro quo celebratur.*
6 *Applicatio illorum trium fructuum est de iure institutionis ipsius Sacrificij.*
7 *Monica Sancta moriens rogauit filium Augustinum, vt pro se applicaret Sacrificium.*
8 *Intentio pro applicatione sufficit etiam habitualis.*
9 *Intentio est tendentia voluntatis in obiectum optatum.*
10 *Actualis est eiusdem tendentia in obiectum tunc memoratum.*
11 *Virtualis est perseuerantia actualis non reuocatæ adhærentis alteri actui ordinato ad opus intentum ex eâdem præcedenti intentione actuali, intellectu actu non aduertente ad opus.*
12 *Voluntas, de cuius reuocatione non constat, præsumitur durare.*
13 *Habitualis intentio est perseuerantia eiusdem actualis in eo, quòd hæc non fuit reuocata, vnde caret medio, in quo perseueret, illud verò habet virtualis.*
14 *Dans eleemosynam ignorans esse debitorem pauperi satisfacit.*
15 *Habitualis sufficit ad applicationem, non ad Sacrificandum.*
16 *Applicatio fieri potest vsq; ad consumptionem, & non vltrà, cum non amplius sit Sacrificium, quod operetur.*
17 *Et hæc opinio est melior, quam dicentium terminari consecratione calicis.*
18 *Applicatio tunc sortitur suum effectum, cùm est factum Sacrificium, & non ante.*
19 *Sacerdos solus publicè, & ministerialiter applicat pro alijs.*
20 *Circunstantes quoq; vtrumq; opus suum alijs offerre possunt.*
21 *Personæ vagæ, & indeterminatæ non applicatur.*
22 *Anticipatæ missæ dici non possunt pro daturo eleemosynas.*
23 *Secundus Sacerdos non applicat, dum mortuus applicauit.*
24 *Sacrificium quò ad duas actiones dicitur perfici in secundâ, in re autem tam est perfectum in primâ, quam est in secundâ.*
25 *Tantum recipit fructus communicans in vnâ specie, quàm in omnibus.*
26 *Applicatio relinqui potest determinanda à Deo.*
27 *Libertas alia contrarietatis, & specificationis, alia contradictionis, & exercitij, à Deo semper mouetur iuxta eius exigentiam.*
28 Sine me nihil potestatis facere. *Nisi vos moueam ad opus.*
29 *Mouet etiam ad actum peccati, sed non ad culpam consequentem; non peccat, quia non habet debitum producendi actum rectum.*
30 *Consecratio non potest remitti in voluntatate alterius, sicut applicatio, quia illa fit in personâ Christi, non ista.*
31 *Nouelli Sacerdotes verè de per se celebrant cum Ordinatore, & stipem recipere possunt pro applicatione propriâ independenter ab Ordinatore celebrante.*
32 *Non dicuntur illius instrumenta, nec illi accessorij, sed singuli agunt de per se concordantes in recitatione, non in applicatione.*
33 *Accessorium semper quid minus principali.*
34 *Tot sunt Sacrificia, quot personæ consecrantes cum Episcopo.*
35 *Applicatio semel facta est irreuocabilis.*
36 *Siue fiat ante, siue post consecrationem.*
37 *Attentata applicatio secunda nulla est.*
38 *Reuocatur solùm id quod existit.*
39 *Applicationi priori non derogatur per secundam, cum prior amplius non sit in potestate applicantis, sicut lex in potestate legislatoris.*
40 *Reuocatio tacita in fauorabilibus non datur sed expressa est necessaria.*
41 *Applicatio de præsenti sub conditione si non valet pro Paulo, valeat pro Petro.*
42 *Valet pro eo, qui primò soluerit promissam stipem.*
43 *Fructus iam applicatus non potest transferri in alium, nec qui nullum habuit effectum.*
44 *Applicatio ergo vt possit transferri debet esse conditionata.*
45 *Superiores possunt præcipere suis subditis, vt applicent pro benefactoribus.*

46 *Non debet Superior præcipere celebrationes vnius Conuentus pro alio.*

47 *Præceptum de quotidianâ celebratione excludit vnum diem singulis hebdomadis pro beneficio Celebrantis.*

48 *Præcipere non potest, vt celebrent pro se præcipiente.*

49 *Præcipit cum decreto irritante, & simul applicante.*

50 *Non obstante, quòd applicatio sit actus internus, quia coniungitur cum externo celebrationis.*

51 *Decretum irritans impedit ne actus exeat in esse validum.*

52 *Religiosus caret velle, & nolle.*

53 *Deus dat potestatem Sacerdoti, sed quò ad moderationem non eximit à potestate sui Superioris.*

54 *Oblatio alia consecratiua, alia applicatiua, ratione primæ soli Deo subest, ratione secundæ etiam Superiori.*

55 *Sacerdos in nomine, & personâ Christi consecrat, applicat verò solum in nomine eiusdem.*

56 *Velle, & nolle caret Religiosus etiam respectu celebrationis, quæ potest regulari à Superiore.*

57 *Nostra opinio de applicatione melior est, & probabilior.*

58 *Opinio Superioris, & subditi in re certò licitâ præualet.*

59 *Superior habens ius præcipiendi, potest suo præcepto addere quoquumq; efficax remedium.*

60 *Episcopus eandem potestatem habet, quam Superior regularis.*

61 *Applicatio semel facta non potest in alium transferri.*

62 *Peccat contra Iustitiam promissam missam ex stipendio non celebrans, & tenetur reddere stipendium.*

63 *Sola missæ omissio arguit peccatum contra Iustitiam.*

64 *Non verò præferre posteriorem missæ creditorem priori.*

65 *Neque retardatio, & mora in celebrando,*

66 *Neque ex his dicitur damnum inferri, quod sit reficiendum.*

67 *In dubio missa petita semper includit applicationem, nisi expressè petita commoditate audiendi illam, excludat applicationem.*

68 *Si nulla fiat mentio missæ, nemo ad missam tenetur.*

69 *Recipit tunc duo stipendia, & pro applicatione, & pro commoditate.*

70 *Nouellus Sacerdos tres missas de Spiritu Sancto, de Virgine, & pro defunctis tenetur post primam sub mortali dicere.*

71 *Secundum earum qualitatem.*

72 *Applicato Sacrificio ex stipendio accepto*

73 Etiam *est dicto exclusiua præcedentis obligationis, dum alia subsequenter exprimitur.*

74 Pro defunctis .s. de defunctis.

75 *Conuentualis missa est capax specialis applicationis etiam in Catedralibus.*

76 *Etiam quæ dicitur Prima die mensis non impedita.*

77 *Missa diei Commemorationis defunctorum non vacat pro Capellano, qui debet celebrare generaliter, & specialiter pro suo fundatore.*

78 *Applicatione fructus generalissimi non satisfit.*

79 *Recipiens scienter incongruum stipendium tenetur applicare integrum Sacrificium.*

80 *Tempus modicum pro celebratione est bimestre.*

FRuctus, quem fideles percipiunt ex Sacrificio missæ, triplex est, vt communis 1
est Theologorum sententia, de quo dixi latius
præcedenti cap. q. 9. Generalissimus pro totà Ecclesià; specialissimus pro ipso Sacerdote;
& specialis dictus etiam medius pro petente
eum specialiter pro se, vel suis. Circa horum
oblationem, & applicationem hic agendum
est, & potissimùm de modo applicandi fructum medium, nam loquendo de alijs duobus
nulla ferè est difficultas, quia ex ordinatione
Ecclesiæ, & quasi ex naturà, & institutione
ipsius Sacrificij, hoc ipso, quòd missa celebratur censetur facta oblatio, & applicatio
generalissima, & specialissima, quia Sacerdos
debet se conformare iuri diuino celebrando
pro populo generaliter, & pro se, vt dicitur
ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex*, idest, Sacerdos,
ex hominibus assumptus, pro hominibus consti- 2
*tuitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & Sacrificia pro peccatis, qui condolere
possit ijs, qui ignorant, & errant, quoniam &
ipse circundatus est infirmitate, & propterea
debet, quemadmodum pro populo, ita etiam,
& pro semetipso offerre pro peccatis*. Ex quibus verbis manifestè apparet duplex ille fructus applicatus ex vi Sacrificij toti populo,
& ipsi Sacerdoti celebranti, ibi; *Pro populo,
& pro semetipso*. Applicatio illius non minuitur ex multitudine populi, nec augetur ex
eius paucitate, cum sit huiusmodi fructus generalissimus pro totà Ecclesià militante tàm
inter viuos, quàm inter mortuos infinitus syncategorematicè adeo quòd vnicuiq; fideli viuo, vel mortuo capaci applicetur certa portio soli Deo nota, ita quòd in concursu huius sanctæ participationis vnus alteri non præiudicet.

Fructus ergo generalissimus, & specialissimus dicitur applicatus populo, & Sacerdoti 3
per solam celebrationem, nec Sacerdos aliquem priuare potest illo generalissimo fructu,
quia non potest aduersari in hoc diuinæ voluntati, quæ Sacrificium ita instituit, vt pro 4
populo offeratur, & pro seipso, qui tamen proprium amico donare potest, vt probaui

cap.

cap. praeced. num. 40. Reliquum est, vt agamus de fructu medio, & speciali, quomodo sit applicandus petenti missam celebrari pro se, vel pro suis. Quibus positis.

Quæres 1. Quid sit applicare Sacrificium alicui?

5 ℞. Est illud offerre Deo, rogando ipsum, vt dignetur illum, pro quo offertur, facere participem mediæ portionis fructus Sacrificij. Qui ergo offert Sacrificium Deo pro aliquo, vel aliquibus personis, siue viuis, siue defunctis dicitur illis applicare fructum medium, quod idem importat, ac pro illo determinatè celebrare missam. Contingere autem potest hæc applicatio, vel ex Charitate, vt cùm Sacerdos nullo accepto stipendio, applicat missam secundum fructum generalissimum, & specialissimum, immo & specialem; vel ex Iustitiâ, supposito scilicet stipendio, quâ ratione celebrans pro tertio, qui dedit stipem, id facit ex Iustitiâ, non ex Charitate, vnde si non celebrat pro eo, à quo stipem accepit, violat illius Iustitiam, & est illi infidelis non stando promisso, consequuter, vel tenetur pro eo celebrare, vel restituere acceptam eleemosynam, quæ continuò adiunctam habet illam obligationem. Et in hoc nullus contradicit.

Quæres 2. An hæc applicatio sit ex iure institutionis Sacrificij, an postmodum ab Ecclesiâ sit inducta?

6 ℞. Applicatio hæc tam fructus generalis, quam specialis ex iure institutionis oritur, vt colligitur ex verbis Domini Matth. 26. 28. Marci 14. 24. *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, & Lucæ 22. 19. *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Hic calix nouũ testamentũ est in meo sanguine, qui pro vobis fundetur*. Ex quibus verbis constat forma consecrationis Calicis sic: *Hic est enim Calix Sanguinis mei noui, & aeterni testamenti mistirium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Ex quibus verbis colligitur oblatio, & applicatio specialis ex illis verbis *Pro vobis*, loquebatur cum Apostolis, quibus dixit, se velle pro illis specialiter applicare Sacrificium cruentum passionis suæ in arâ Crucis mentionem quoq; faciendo de applicatione generalissimi fructus illis verbis: *Pro multis effundetur*, hoc est, pro omnibus, quia Christus vult omnes homines saluos fieri, quantùm est ex parte suâ, & antecedenti voluntate. Specialis applicatio colligitur etiam ex illis verbis Canonis: *Pro se, suisq; omnibus*, cum referantur ad personas determinatas exigentes missas pro se, vel suis. Hoc idem indicant orationes speciales, vt pro infirmis, pro sponsis, pro defunctis, quod etiam docet venerabilis Beda in oratione præparatoria ad ce-
14 lebrandum. *Et pro omnibus, qui se commendauerunt orationibus meis in genere, & in specie*. Sancta Monica laborans in extremis rogauit filium suum Augustinum Sacerdotem, vt post mortem celebraret pro se in missam, vt legitur in eius secundâ lectione, his verbis: *Ponite hic matrem vestram*, idest, sepelite ad 7 Ostia Tiberina, vbi erit infirma, *tantum vos rogo, vt ad Altare Domini meminerstis mei*. Vsus ergo offerendi, & applicandi specialiter pro determinatis viuis, vel defunctis est coæuus sacrificio missæ.

Quæres 3. Qualis intentio voluntatis sufficiat ad offerendum, & applicandum Sacrificium præsertim in ordine ad fructum medium?

℞. Inter tria intentionum genera optima 8 est intentio actualis, non necessaria, cum sufficiat virtualis, eadem enim est virtus tacitæ intentionis, quæ virtualis dicitur, & expressæ, quæ est actualis, ex eisdem enim idem effectus procedere potest, tamen neq; hæc est necessaria, cum sufficere possit habitualis. Declaratur simul, & probatur responsio ex dictis intentionibus explicatis.

Intentio, quæ est tendentia voluntatis in 9 obiectum volitum, diuiditur in Actualem, Virtualem, & Habitualem appellatam etiam præsumptam, & interpretatiuam.

Actualis est tendentia voluntatis in opus 10 aduertentet factum ex eâdem intentione. Simul ergo sunt intentio, & opus de præsenti, dum memoria vtriq; inseruit, ex quâ intentio denominatur actualis, dum aduertitur ad id quod fit.

Virtualis est perseuerantia actualis intentionis non reuocatæ adhærentis alteri actui 11 ordinato ad opus intentum ex eâdem præcedenti intentione actuali, quæ tunc non est in seipsâ cum fit opus intentum, quia non aduertit agens, sed solùm dicitur esse virtualiter, secundùm quod esse influit in illud opus. Itaque differt ab actuali in eo, quòd actualis simul est cum opere intento ex aduertentia rationis, virtualis verò excludit actualem, ac proinde aduertentiam, quia dum opus intentum fit non recordatur agens prioris intentionis actualis. Res est clara. Sacerdos enim quando celebrat, quandoq; actu non recordatur de applicatione faciendâ pro amico, sicut initio proposuit, cum præmisit eam orationem. *Ego volo celebrare &c.* satisfecit ergo per intentionem virtualem.

Dixi, perseuerare voluntatem actualem, 12 si ea non fuit reuocata, vel expressè, & formaliter per actum contrarium, vel ex diuturnitate temporis, aliter voluntas semper præsumitur durare, cum non constat de reuocatione, *ex cap. Maiores, de Bapt. Sanchez lib. 7. cap. 29. num.* 113. vnde allegans mutationem voluntatis eam probare debet, *l. cum 22. ff. de Probat.*

Habitualis intentio est perseuerantia eiusdem actualis intentionis in eo, quod non fuit 13

reuocata. Conuenit cum virtuali in perseuerantià, permanentià, & continuatione, in eo quoq; quòd tempore operis deest actualitas aduertentiæ, & pariter ambæ influunt non actu, sed virtute, & habitu in opus. Differunt verò in eo, quòd actualis virtute perseuerat in opere præuio ordinato ad opus intentum, eadem verò habitualiter nou perseuerat in aliquo opere præuio ad principale, sed tantùm habitualiter se habet in eo, quòd ipsa prima actualis intentio non fuit reuocata, & sic dicitur habitualiter influere in effectum, virtualis verò virtualiter, vnaqueq; à sua denominatione, & dicere possumus, quòd virtualis proximè influit, habitualis verò remotè, quæ nihilominus sortitur suum effectum, iuxta exigentiam operis.

Exemplum pono, ego postquam celebraui missam die Mercurij Sancti, audio mortuum esse amicum, tunc dico, nunc pro primo die Paschatis, quo celebrabo applico Sacrificium pro eo. In die Paschatis celebro, & nihil prursus recordor amici defuncti, nihilominus applicatio sortita est suum effectum, mediante habituali illa intentione, quæ certè influit in effectum, cùm à me antea non fuerit reuocata, neq; pro alio applicauerim, aliter non consequeretur specialem fructum, quia intentio habitualis exceditur à virtuali, sicut virtualis superatur ab actuali.

Per solam ergo intentionem habitualem contingere potest applicatio fructus medij, quod confirmatur quia dans eleemosynam pauperi, non aduertens ad obligationem, quam habet restituendi ei tantùm, quantum dedit, adiuc satisfacit suæ obligationi, quia sufficit intentio, & voluntas habitualis, & interpretatiua satisfaciendi debito, ex allegatis
14 à *Diana par. 3. tract. 6. resol. 57. cum alijs Pasqual q. 162. num. 8.*

Quòd per intentionem habitualem, & interpretatiuam satisfiat applicationi pro medio fructu docet communior opinio *cum Bonac. disp. 1. de Sacram q. 3. p. 2. §. 3. num. 11. vers. Respondeo Auersa de Euchar. q. 11. sect. 10. vers. Rectè tamen, Diana par. 2. tract. 14. resol. 47. & par. 5. tract. 14. resol. 65. Ego resol. 25. q. 5. cum alijs Pasqual. q. 162. num. 6.* qui tamen omnes docent, ad
15 Consecrationem, & confectionem Sacramentorum esse inutilem, & requiri ad minus virtualem, & non esse necessariam actualem, quia homo naturaliter est labilis memoriæ, & facilè nulliter vt plurimùm conficerentur, ad quod pia mater Ecclesia respiciens censuit prudenter in his sufficere virtualem.

Quæres 4. Quandonam applicatio Sacrificij facienda sit in celebratione missæ?

R. Applicatio facienda est antequam consumetur Sacrificium, per sumptionem faciendam à Celebrante, igitur à præparatione vsq; ad consumationem potest applicari. Sacrificium autem non potest sortiri suum effectum, nisi à puncto Consecrationis vsq; ad consumptionem.

Prima pars, de applicatione vsq; ad con- 16
sumptionem, probatur, quia per oblationem, & applicationem Sacerdos nihil aliud facit, quam rogare Deum, vt dignetur conferre fructum medium illis, pro quibus offertur; sed ista rogatio contingit in missà totà vsq; ad communionem, vt videre est in offertorio in oratione: *Suscipe sancta Trinitas &c.* In Memento tum Viuorum, quàm Defunctorum in quibus potissimum nominantur personæ pro quibus offertur, & applicatur Sacrificium, hoc est, eius fructus, Rubrica enim dicit, quòd in illis oratur pro viuis, & defunctis, quòd certè nihil aliud est, quam Sacrificium applicare pro illis, qui dederunt stipem, & orare sine applicatione pro alijs ex Charitate, ibi Gauant. Vers. Hoc loco videtur dicendum de applicatione Sacrificij, ibidem Quartus sub *num.* 2. ibi: *Competit etiam Celebranti quatenus est minister Christi applicare fructus Sacrificij. Miranda tom. 1. q. 41. art.* 18. vbi de Memento mortuorum. Ita docent *Auersa q. 11. sect. 6. vers. iuxta prædicta. de Lugo cum Cotonio lib. 2. contr. 5. num. 40. Tamb. opusc. de Sacrif. missæ lib. 2. cap. 2. §. 10. num. 10. Henriq. Fagundez. & Franc. de Lugo*, quos contra se citat Pasqual. *q.* 163. *num.* 2. asserentem cum multis, Sacrificium esse applicandum ante consecrationem calicis, putat tamen probabile posse fieri applicationem etiam vsq; ad sumptionem, in sententià eorum, qui tenent Sacrificium consistere essentialiter etiam in consumptione, & non tantùm in consecratione, & hæc est melior sententià meo iudicio, quam sit illa, quæ 17
restringit applicationem vsq; ad consecrationem calicis, quia applicatio secundùm vtranq; sententiam fieri potest ante consecrationem perfectam, ergo multò congruentius etiam post vsq; ad sumptionem, quia Christus vti præsens sacramentaliter applicationem oblatam confert secundùm fructum medium, ita quòd applicatio suum sortitur effectum, dum fit, quod non accidit, si fiat ante consecrationem, dum non est Sacrificium, quo Deus possit conferre illius fructum petenti ministerio Celebrantis.

Secunda pars, quòd applicatio sortiatur 18
suum effectum solùm cum existit Sacrificium, probatur, quia causa operatur dum existit; sed Sacrificium est causa propitiatoria, & satisfactoria, ergo tunc impertit huiusmodi fructum, cum existit, ac proinde intra consecrationem, & sumptionem.

Quæres 5. An missam audientes simul cum Sacerdote possint facere hanc applicationem, an verò id sit munus solius celebrantis?

R. Ad solum Sacerdotem celebrantem 19
spectat applicare Sacrificium missæ ministeri

aliter

aliter cum ipse potissimùm ad id munus sit constitutus, vt dispenset dona Dei ex officio suo, quod tamen non impedit, quin circun-
20 stantes missæ, offerre pro se, & applicare etiam pro alijs possint tam fructum ex opere operato, quam operantis secundariò, & concomitanter, dum Sacerdos se accommodat illis quo ad fructum, medium, opus enim Charitatis erga proximum non prohibetur, & illud manifestè patet ex missà, præsertim ex Canone. Et omnium *circumstantium qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis pro se, suisq; omnibus*. Sacrificium enim exhibet opus operatum, possunt ergo proprium fructum amicis cedere, sicut propriam Indulgentiam in mortuos transferre, vt dixi cap. 7. q. 8 non obstante, quòd sit proprium, & personale beneficium, quod alijs donari potest, sicut vita poni potest pro amicis, quà nihil personalius habet homo. Quidquid dicat Suar. *disp. 49. sect. 9. fine*. Ita *Nauar. cap. 25. nu. 32. Nugnus par. 3. q. 83. art. 1. de Sacrif. dub. 3. Ruteus lib. 1. de fructu Sacrif. disp. 4. q. 4. dub. 4. num. 11. contra Pasqual. q. 115. vbi citat Suarez, & Dicastillum, cuius rationes ex præcedentibus manent soluta*.

Quæres 6. An Celebrans possit applicare Sacrificium vni personæ vagæ postea determinandæ?

21 ℞. Negatiuè, quia applicatio de suà ratione formali refertur ad determinatam personam, nam indeterminata se habet, vt indiuiduum vagum, quod in re non datur, sed tantùm in ratione, applicationi verò debet correspondere persona determinata, sicut talis est applicatio, ergo inutilis erit, si tunc ei non respondebit determinata persona. Confirmatur, quia Sacrificium tunc sortitur suum effectum, cùm simul est cum applicatione perseuerante in actione missæ, accidere autem potest, immo euenit, quòd determinatio fiat post missam finitam, vt videtur exigere casus iste, nam ego possum applicare aliquo modo pro eo, quem nominabo in Memento, & tunc applicatio sortitur suum effectum. Alijs medijs, rem probat *Pasqual. q. 164*. Is autem casus est similis sequenti.

Quæres 7. An celebrans non habens eleemosynam possit applicare pro eo, qui primò dabit eleemosynam. Est ergo idem casus cum præcedenti, cum in vtroq; persona, cui applicatur sit indeterminata, Pasqual. autem hos casus diuidit, nam de posteriori agit q. 168.

22 ℞. Non potest Sacerdos celebrare pro eo, qui primò dabit eleemosynam, applicando ei tunc Sacrificium, multò minus suspendendo effectum vsq; ad receptionem stipendij, quod est dicere missas anticipatas pro futuris eleemosynis, & si enim Deus scit eam personam, quæ primò datura est eleemosynam, non ideo cum Sacerdote concurrit ad applicationem, vt quæ est intempestiua, & immatura redolens nescio quid auaritiæ, non enim Charitas excitat Sacerdotem ad præuiam celebrationem, sed lucrum vrget Sacerdotem. Affirmatiuam, adeoque nostræ responsioni oppositam opinionem, quam pleriq; tenebant reprobauit Clemens VIII. vti periculosam, scandalosam, offensionibus obnoxiam, & à vetusto Ecclesiæ more nimis abhorrentem, Decretum postmodum emanauit sub Paulo V. die 15. Nouembris 1605. extensum apud Pasqual. q. 168. pro qua refert auctores vltra triginta docentes, non posse Sacerdotem applicare de præsenti missam pro eo, qui postmodum dabit eleemosynam.

Quæres 8. An secundus Sacerdos prosequens missam prioris casu decedentis possit missam applicare pro suo arbitrio?

℞. Negatiuè, nam facta à consecratione 23
panis, Sacerdos supplens missam in reliquis, vt est obligatus ex *Rubr. par. 3. tit. 10. num. 3.* nullum habet ius applicandi cum censeatur prior iam applicasse, cùm in sententià omnium ex q. 4. applicatio fieri possit ante consecrationem, ergo secundo Sacerdoti nullum remanet ius applicandi, non enim eadem missa potest duobus applicari in ordine ad duo stipendia, factà ergo consecratione panis, statim applicatio censetur sortita suum effectum, ergo noua applicatio facienda non est, cùm vnica sufficiat.

Pasqual. q. 165. cum alijs septem, *cum quibus est Bonae. disp. 4. q. fin. p. 6. num. 12. vers. Ex quo, Suarez disp. 79. sect. 12.* dicit, Sacerdotem perficientem missam ab alio inchoatam cum consecratione Calicis applicare posse, cui voluerit. Et probat, quia Sacrificium non est aptum producere suos effectus, nisi perficiatur substantialiter, ergo cum non fuerit perfectum sub priori celebratione, non habet vim illius applicatio ad determinandum Sacrificium pro hoc, vel illo, sed accipit à posteriori Sacerdote perficiente Sacrificium, vt sit aptum ad producendos suos effectus.

Sed contra, quia sicut se habet Eucharistia 24
ad producendos suos effectus, ita & Sacrificium, est enim idem Christus tam in Sacramento, quam in Sacrificio operans propitiationem, & satisfactionem; sed Eucharistia per vnam speciem scilicet panis tantùm, hoc est, Christus sub speciebus tantùm panis operatur quidquid operari potest sub ambabus
speciebus, Ioan. 6. 59. *Qui manducat hunc pa-* 25
nem, viuet in æternum, quod Tridentinum *sess. 21. cap. 3.* explicat dicens: *Quò ad fructum attinet nullà gratià ad salutem necessarià defraudari eos, qui vnam speciem solam accipiunt*. Rationem præmiserat his verbis: *Fatendum esse etiam sub alterà tantùm specie, totum, atq; integrum Christum, verumq; Sacramentum sumi*. Ibidem Barbosa Doctores

citat

citur, ergo idem dicendum de Sacrificio, quòd in consecratione panis idem omnino operatur, ante consecrationem Calicis, & si enim in actione dicitur imperfectum, quia completur ex duabus, in re tamen est perfectissimum tam in primà, quàm in secundà, ideo applicatio facta à priori Sacerdote in consecratione panis fortita fuit suum effectum ex vi Sacrificij ex pane independenter à consecratione Calicis, ergo posterior Sacerdos nihil agere potest, quò ad hoc. Confirmatur, quia per priorem applicationem aquisitum fuit ius ei, cui fuit ab illo applicatum.

Quæres 9. An applicatio ita sit necessariò facienda à Sacerdote, vt non possit eam relinquere faciendam à Deo? Vt si dicat in Memento; *Deus applica fructum huius missæ illi, qui tibi placet*. Quod etiam est quærere, an celebrans possit remittere applicationem in voluntatem Dei?

26 R. Celebrans potest remittere in diuina voluntate applicationem Sacrificij. Probatur, quia omnis nostra operatio initium habet à Deo, iuxta illud: *Vt cuncta nostra operatio à te incipiat, & per te finiatur*. Ergo applicatio Sacrificij relinqui potest diuinæ voluntati expedienda, immo ipse est, qui confert fructum Sacrificij, illis pro quibus celebratur. Ita Scotus *Quol. 20. Nauar. cap. 25. num. 19. Suar. disp. 43. sect. 6. Auersa q. 2. sect. 2. vers. debet etiam. Quart. in Append. de Sacrif. q. 2. p. 13. cum alijs Pasqual. q. 169. num. 2. & 3.*

Contrarium; non posse Sacerdotem remittere Deo applicationem, docent Tambur. Meratius, & Vericell. tract. 1. q. 21. probantes *Primò*, quia Deus cum sit causa vniuersalis determinatur obiectiuè à causis secundis tam necessarijs, quàm liberis quò ad speciem, & exercitium actionis, ac proinde debet Deus ipse sequi determinationem nostræ voluntatis, quæ prærequiritur vt pote determinatiua causæ vniuersalis, ergo si celebrans non se determinat applicando tali personæ Sacrificium, nec Deus determinabitur. *Secundò*, Deus dedit Sacerdotibus hanc potestatem, vt patet Hebr. 5. & in formà ordinationis Præsbiteri. *Tertiò*, ex tribus hostijs præsentibus nulla conficitur, si intendat Sacerdos consecrare illam, quam Deus intendit consecrari; ergo idem dicendum in applicatione remissà Deo. *Quartò*, humano modo non procedit in vsu suæ potestatis. *Quintò*, non potest applicari Sacrificium pro eo, quem Deus videt primo loco daturum eleemosynam, ergo nec pro eo, cui Deus vult applicari.

27 Pro responsione ad primum argumentum. Notandum est, quòd libertas in homine est formaliter indifferentia, & indeterminatio ad agendum hoc, vel illud, vel non agendum, positis etiam omnibus requisitis ad operandum. Huiusmodi autem libertas duplex est, vna contrarietatis, seu specificationis, quando scilicet homo ex duobus vnum eligere potest, alio relicto; altera contradictionis, & exercitij, quando scilicet potest agere vnum, & non agere illud, illa respicit duo ex electione contraria e. g. amorem, vel odium; hæc verò vnum respicit in exercitio contradictionis, vt orare, vel non orare. Voluntas ad actus quatenus dicuntur specificationis seipsam liberè determinat mota à Deo, positis omnibus requisitis, ad eum actum iuxta motionem sibi exigenter factam, ab vno obiecto, & non ab alio. In ordine verò ad exercitium, & singularitatem actus indiuiduandi voluntas seipsam determinare non potest, dum eius indiuiduatio pendet à tot circunstantijs, quæ non sunt in eius determinatione, pendentes à voluntate Dei, qui dicitur determinare hominis voluntatem ad illius singularitatem, cum voluntas in hoc non magis ordinetur ad vnum actum, quam ad alium. Hanc ideo determinationem à Deo solo procedere dicendum est, & præterea, quia si indiuiduatio determinari posset ex circunstantijs, & conditionibus indiuiduatibus ipsius obiecti, sequeretur, quòd natura facere non potest, nimirùm idem numero indiuiduum alias corruptum redire posse, quòd repugnat misterijs Fidei in materià articuli Resurrectionis mortuorum, quod est opus solius omni potentiæ Dei.

Confirmatur ex Sacrà Scripturà huiusmodi determinatio humanę volunratis ad agendum, pluribus in locis, Prouerb. 21. *Cor Regis in manu Domini, sicut diuisiones aquarum, quocunq; voluerit vertet illud. lib. 1. Reg. 2. Et ipsi præparantur cogitationes*, idest hominis cogitationes initium capiunt à Deo, qui per os Christi Domini Ioan. 15. 3. *Sine me nihil potestis facere*. Nihil omnino potest facere homo, nisi Deus incipiat, vt sancta mater Ecclesia cantat in ea oratione: *Vt cuncta nostra oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te capta finiatur*. Ita homo imperfectus est, & impotens, vt non solùm egeat initio sui operis à Deo, sed etiam illius cooperatione vsq; ad finem, homo enim in omnibus, & semper dependet à Deo essentialiter, vnde S. August. in Soliloq. cap. 24. ait: *Velle, quod bonum est, non possum, nisi tu velis*. Initium ergo omnium operum, & eorum prosecutio est à Deo cui homo dicitur cooperari primò liberè motus, quia motus iuxta suam naturam, & exigentiam libertatis, Deus ergo liberè mouet hominem, & is ab eo liberè mouetur cum eo prosequendo operationem à Deo captam. Nec ex hac diuinà inchoatione à Deo facta respectu actuum, ex quibus sequitur peccatum, dicitur Deus particeps peccati, quod homo committit, quia non Deus, qui nulli legi alligatur, sed homo actui tribuit malitiam, siquidem homo, non 29

Deus

Deus, habet debitum producendi actum cum suâ rectitudine, cui imposuit legem obseruandam. Vide Scotum *apud Meldul. disp. 8. Physic. art. 3. Aluarez. de diuinis auxil. lib. 2. cap. 5.*

Deducitur ex his responsio ad primum argumentum, cum enim à Deo sit initium omnis nostræ operationis, qui proinde voluntatem determinat ad operandum, sequitur initium applicationis remissæ in Deum esse à Deo, ac proinde Deum se ad illam determinasse, non verò fuisse à voluntate celebrantis determinatum Deum ad applicandum Sacrificium. Pasqual. *resp. num. 6.* ait celebrantem remittendo applicationem in Deum, tunc habere sufficienter determinationem obiectiuam applicandi cui vult prodesse applicationem.

30 Ad secundum, verum quidem est, quòd Deus dedit potestatem Sacerdotibus celebrandi missam consecrando quidem per se in personâ Christi, applicando verò pro suo arbitrio, vel per se, vel per alium, cum non pateat hæc prohibitio, & cum sit ordinarius à Principe supremo delegatus, nihil prohibet quia possit actum applicationis delegare, cùm delegatus Principis ex sententiâ omnium possit delegare, *l. A iudice O. de iudic. cap. Pastoralis 28. cap. quoniam 43. cap. cùm causam 6. de appellat.* ideo concesso antecedente negatur consequentia.

Ad tertium, consecratio ita pendet ab intentione, & ministerio Celebrantis, vt non possit remitti in alterius voluntatem, agit enim in personâ Christi, ac proinde consecrando representat Christum, quem nemo representare potest, nisi actu celebret; non potest ergo remitti in alienam voluntatem consecratio, sicut applicatio, quæ specificari, & determinari potest ab extraneo, vt patet in eo, qui dicit celebranti applica iuxta meam intentionem, & Superior regularis præcipit, vt Sacerdotes applicent iuxta suam intentionem, vt satisfaciant obligationibus Sacristiæ, & tamen quandoq; ignorat personas, pro quibus celebratur, quæ à Deo determinantur.

Ad quartum, dico in tali casu procedere humano modo, non tamen ordinario, quia celebrans debet ipse applicare, & humano modo applicat, & etiam regulariter, quando offert Sacrificium cum intentione satisfaciendi obligationibus Sacristiæ, vel ad mentem dantis eleemosynam, cum ille consequatur fructum, cui de iure competit, aliter regulares Sacerdotes, & alij qui celebrant pro eleemosynis manualibus numquam satisfacerent, cum ignorent personam, pro qua celebrant.

Ad quintum respondeo, valere remissionem applicationis in Deum, non in eum, qui primo daturus est eleemosynã, quia voluntas Dei determinat personam, pro qua celebratur; non verò ille, qui daturus est eleemosinam, cum nulla in eo appareat determinatio tempore congruo, ideo benè prohibita est anticipata celebratio, vt dixi q. 7.

Quæres 10. An nouelli Sacerdotes cum Episcopo Ordinatore celebrantes possint applicare fructum Sacrificij, cui voluerint, & stipendium accipere ex eâ primâ celebratione?

℟. Affirmatiuè, quia iam sunt Sacerdotes, ergo concelebrantes Episcopo verè consecrant de per se, licet simul eum Ordinatore, cum quò proferunt eâdem virtute verba consecrationis, quâ mediante consecrat ipse Pontifex Ordinator, vt apertè dicitur in Ceremoniali Episcoporum; sed qui consecrat potest immo debet applicare ad formam Ecclesiæ, ergo huiusmodi Sacerdotes possunt applicare etiam fructum medium pro stipe receptâ, & sic satisfacere, adeo quòd illud numero Sacrificium æque prodest omnibus, ac si ab vno tantùm Sacerdote oblatum fuisset pro vno tantùm. Ita *Vasq. par. 3. disp. 231. cap. 6. num. 41. Caspens. par 2. tract. 23. disp. 2. sect. 2. num. 21. Marat. tom. 3. summa disp. 38. de Euchar. sect. 8. vers. Superest, Praeposit. par. 3. q. 83. art. 1. dub. 18. num. 102.* 31

Pasqual. q. 170. negat hos Sacerdotes nouellos posse validè applicare, si discordant ab applicatione principalis consecrantis, & multò minus posse recipere stipendium. Quia omnes isti consecrantes non ex personâ propriâ, sed in personâ Christi, qui est principalis consecrans, & ratione ipsius vniuntur moraliter in vnicum consecrantem, non secus ac si plura instrumenta adhiberentur ad aliquam actionem à principali agente. In hac autem vnione, quæ fit in principali consecrante Christo, Ordinans est principalis consecrator, & cæteri se habent vt accessorij, ac proinde quasi sequentes motum ipsius, ergo cum facultas applicandi Sacrificium non conueniat nisi ratione oblationis, eo modo tantum conuenit, quo fit oblatio, ergo cum ordinati non offerant de per se, sed cum dependentia ab Ordinante, & tamquam accessorij, neq; etiam possunt applicare de per se, sed dependenter ab illo.

Contra est, duo enim supponit, quæ falsa sunt, nempe concelebrantem & esse instrumentum, & esse accessorium, nam si concelebrantes referantur ad Christum, sicut ordinator celebrans non est instrumentum, quia non agit virtute alterius, sed propriâ, cum à Deo habeat formam, & potestatem consecrandi, licet vices gerat Christi primi celebrantis per ministrum, ita & concelebrantes non possunt dici instrumenta neq; respectu Christi, neq; respectu Ordinatoris, quia eo modo, quo Ordinator celebrat, e- 32

tiam

tiam concelebrantes funguntur suo officio, dum eandem habent potestatem, quam habet ipso Ordinator; non differunt ergo in celebratione, cum vnusquisq; vtatur iure, & potestate sibi tributâ à Deo; vnde nec hic locus habet aliqua dependentia, quia celebrantes cum Episcopo debeant sequi voluntatem eius, cum sufficiat, vt ordinatè concelebrent ad præscriptum Rubricarum, & omnes simul concordent, sicut faciunt cantores cum Magistro Musicæ, & Canonici canentes in Choro cum Episcopo, seu Hebdomadario, omnes enim ad eundem finem tendunt, nec in operatione vnus dependet ab alio, nec omnes à tertio, sed omnes sunt concordes in suis operationibus ad eundem finem, omnes ergo concelebrantes possunt pro suo arbitrio applicare, singuli enim ignorant terminum applicationis alterius, nec Magister Ceremoniarum vnquam dixit, applicate ad mentem ordinatoris, ergo concordia inter illos sufficit in recitatione simultaneâ missæ eiusdem, vt ordinata sit concelebratio, non verò applicatio, vnus enim nescit, quos alij habeant commendatos in Memento, in quo solet fieri applicatio, ergo in applicatione non datur huiusmodi dependentia concelebrantium ab ordinatore celebrante. Quare concelebrantes non sunt illius instrumenta, sed concelebrantes, sicut Canonici, & Cantores non sunt instrumenta, sed singuli agentes, quod agit ille director inter eos, cum vnusquisq; propriâ potestate agat cum eo directore, a quo nullam aliam habent dependentiam, nisi ordinatè, & concorditer operandi, ita quòd singuli Canonici orare, & applicare possunt fructus spirituales sui officij illis, quibus voluerint independenter à quouis alio, & sic facere possunt in concelebratione missæ, cuius Sacrificium est infinitæ virtutis inexhauribilis. De ratione instrumenti vide Hiquæum in *4 sent. dist. 1. ad quæst. 1. Scoti à num. 20.* ex quo colliges, vocabulum instrumenti non benè applicari concelebrantibus.

33 Neque ratio accessorij hîc locum congruè habere potest, nam accessorium semper est quid minus principali, cui adijcitur, ex *l. iustissimè 44. ff. de ædilit. edicto*, neq; enim fundus accedit tunicæ, vt ibi exemplificatur, Sacerdotes autem concelebrantes cum Sacerdote licet Episcopo ordinatore, ei in hoc pares sunt, quia omnes vt Sacerdotes, nullus qua Episcopus, & quatenus ordinator celebrat, vt notum est, ergo in hac actione concelebrantes non dicuntur accessorij, dum pares sunt in actione celebrationis, dum à se independenter ab illo potestatem habent celebrandi cum illo, est ergo inter concelebrantes ordo concomitantiæ, & rectæ celebrationis, non dependentiæ eorum ab illo, sicut in electione Pontificis Romani in accessu Scrutinij, qui omnes simul accedere possunt, cui volunt, & non vt vult director electionis.

Subdit *P. Pasqual. num. 4.* Nec obstat, quod potestas offerendi conueniat singulis de per se. Quia solùm ex hoc fit, quòd de per se possunt offerre, & applicare. De facto tamen cum non offerunt de per se, sed cum dependentiâ, nec etiam de per se applicare possunt, quia applicatio correspondet immediatè oblationi, & secundùm actum offerendi regulatur.

Sed contra est, quia concomitantia celebrandi non tollit, quod ex naturâ rei facere potest celebrans ac si solus celebraret, quia per hunc modum non limitatur potestas agentis, sed tantum attendenda est concordia in recitando missam simultate temporis ne vnus nunc legat Euangelium, & alter proferat verba consecrationis, ita quòd allata dependentia nihil aliud importat, quàm congruam recitationem simultaneam temporis, itaut omnes eodem temporis momento celebrent, & proferant potissimùm simul verba consecrationis, vt notatur in Cæremoniali, non quòd omnium eadem sit applicatio Sacrificij, qualis est ordinatoris.

Et quòd applicatio respondeat immediate oblationi nihil aliud significat, nisi quòd applicatio facienda sit, non quòd terminanda sit ad eas personas, pro quibus applicauit Ordinator, quia sicut oblatio est in potestate concelebrantis, ita & applicatio, neq; enim ex Rubricis Missalis habetur esse applicandum pro hoc, vel illo, loquendo respectu fructus medij, de quo est sermo, ergo applicatio semper est libera.

Tandem huic obiectioni: Nec dici potest, quod sit multiplex Sacrificium, quia sunt distinctæ consecrationes numero. Respondet, nam tendunt ad eundem terminum per modum vnius; vt autem multiplicetur Sacrificium requiritur multiplicatio consecrationis, & termini.

Sed contra est, quia reuerà sunt tot numerò consecrationes, quot sunt numerò consecratores, nam diuersitas numerica non tantùm accipitur à pluralitate numericâ obiectorum respectu motus, quantùm ab ipsis motoribus, qui celebrantes sine dubio sunt plures numero, ergo & numero plures eorum consecrationes; nec obstat vnitas rei consecratæ, quæ vna est terminans ad se plures consecrationes, aliud enim est actio consecratiua, quæ transitoria est, aliud res consecrata, quæ permanet, ideo hæc vna est, consecratio verò multiplex ex multiplicitate consecrantium, cùm actio vnius non sit actio alterius multiplicatæ ad multiplicationem agentium, à quibus sumunt diuersitatem numericam. Confirmatur, quia pluros concurrentes ad furtum vnum, ad occidendum inimicum &c. singuli peccant, & tenentur 34

ad

adrestitutionem, quamuis terminus peccati sit vnus numero. Et è contra plures simul recitantes diuinum Officium, singuli habent suas actiones meritorias tot numero distinctas, quot sunt ipsi recitatores, non obstante, quòd singuli tendant ad eundem finem eiusdem diuini Officij, quod est vnum numero. Multiplex est ergo Sacrificium in ratione actionis consecratiuæ, vnum in ratione rei oblatæ, cuius valor cum sit infinitus correspondet singulis applicationibus.

Quæres 11. An celebrans factam semel applicationem simpliciter possit reuocare, applicando secundâ vice prò alio?

35 ℞. Non posse reuocare applicationem iam absolutè factam, siue ante consecrationem, siue post consecrationem, consequenter posteriorem applicationem nihil prodesse, & esse peccaminosam, siue agatur ex Charitate, siue ex Iustitiâ.

Prima pars, quòd prima applicatio sit irreuocabilis, probatur, quia qui petiuit missam pro se, vel pro alijs, siue ex Charitate, siue ex Iustitiâ, datâ promissione statim aquisiuit ius ad rem, & positâ applicatione ius illud perfectum est in re, ergo factum irreuocabile, nam id, quod nostrum est, sine facto nostro ad aliū transferri non potest, *l. Id quod 11. ff. de reg. iur.* certum autem est, quòd petitum, & applicatum Sacrificium petentis omnino fit, cum illi fit ius perfectè aquisitum, ergo per secundam applicationem non potest à celebrante transferri in alium.

Confirmatur, quia pacta sunt omnino seruanda, *cap. 1. & 3. de pactis*, æquitati enim nihil magis conuenit, quam seruare pacta, *l. 1. ff. de adilit. edicto* ità quòd tolli non possunt, nisi pacto contrario inter partes inito, *l. Tempore 8. C. de pactis. inter empt.* certum autem est, quòd missæ petuntur antecedenter ad applicationem, quam semper præcedit pactum, promissio, vel voluntas applicandi, quæ vicem gerit eius, pro quo applicatur, cum reprobentur missæ anticipatæ, vt probaui supra sub q. 7. Posita ergo applicatio facta est irreuocabilis, sicut posito scrutinio electionis, & eo publicato electores non possunt variare, *cap. Publicato 58. de elect.*

36 Secunda pars, quòd sit irreuocabilis applicatio facta siue ante siue post consecrationem, probatur, quia ex mox probatis est simpliciter irreuocabilis, ergo quouis modo fiat, & quidem id magis patet post consecrationem quia tunc vsquequaque ius aquisitum fuit ei pro quo oblatū est, tam ex parte Celebrantis applicantis, quàm ex parte Sacrificij; quod statim ac existit operatur suum effectū, nec enim Deus sua dona retardat, sed primò concedit sine dilatione, quæ proueniunt ex Sacrificio missæ, cùm incongruum sit ipsum manere in suspenso, cùm nulla ratio id suadeat.

Tertia pars, quod attentata applicatio sit inutilis, & peccaminosa, probatur inutilitas, quia actiones in missâ transactæ non sunt amplius, cuiusmodi est etiam applicatio, ergo non sunt reuocabiles efficaciter, reuocatio enim supponit existentiam eius, quod reuocatur, vnde non existens non dicitur reuocatum, sicut nec quod non fuit concessum, *Rota decis. 90. num. 3. apud Tambur.* Quòd autem prima applicatio non existat patet ex eo, quòd est actio transitoria, sicut etiàm consecratio. Confirmatur, quia secunda donatio cum nihil sit in seipsâ primam reuocare non potest, dum est perfecta, *l. si ante 8. c. de donat.* Vnde res alteri donata, & tradita, habenti iam illam in possessione suorum bonorum inutiliter reuocatur, per donationem factam alteri *l. Possessione 3. Cod. de reuoc. donat.* Sed applicatio primo facta, est quædam donatio plenè, & completè facta, & tradita vni, ergo cum sit irreuocabilis, secunda attentata inutilis est, & nullius momenti. Quod sit ea attentatio peccaminosa, patet, quia inficitur vitio infidelitatis ex pacto, & promissione, dum intendit eam infringere, licet inefficaciter.

37 (right margin)

Tamburinus Iesuita Opusc. de missa lib. 2. cap. 2. §. 11. num. 2. & ex eo Pasqual. q. 171. num. 1. docent, Sacerdotem posse reuocare per secundam applicationem primam, ac proinde secundam prodesse, cum ea sola subsistat, & prior euanuerit per retractationem. Sed ex dictis patet non esse locum retractationi, ac proinde priorem valere, & prodesse, non enim probarunt, posse fieri huiusmodi retractationem. Ambo subsequenter tenent, valere priorem applicationem, licet postea alio modo applicet, quando voluit priorem valere etiamsi fiat secunda applicatio, nisi in hac secundâ reuocet eam cautionem. Ratio est, quia illa cautela adhibita pro priori applicatione illam preseruat àquacunque contrariâ superueniente, vt etiam contingit in testamentis, nam posterius, non derogat priori, si in ipso adhibeatur talis cautela, vt debeat subsistere, non obstante quocunque alio superueniente, quia tunc prius derogat posteriori *l. Si quis in Principio ff. de legat. 3.* Ego autem ad hunc casum ex iactis fundamentis dico, primam applicationem vti inconcussibilem non egere tali cautelâ, sed subsistere, nec tolli posse per secundam, quæ nullius est momenti, sicut nec secundum testamentum aliquid est, ea tamen cautela in testamento priori necessaria est, quia testamentum ex natura rei reuocabile est, cum mens testatoris deambulatoria sit vsque ad mortem, & perfectum testamentum est solum illud, quod importat vltimam voluntatem, & non antecedentes; non valet ergo arguere a testamento ad applicationem, quæ non est à voluntate ambulatoria sicut est testa-

testamentum, sed sistit in prima applicatione, cum sit inuariabilis.

Idem Tamburinus ibidem dicit, quòd prima, & secunda applicatio, quando celebrans est memor prioris, sine derogatione prioris nulli prodest, quia hæ duæ voluntates sunt sibi contrariæ, si quidem quod per vnam intenditur per aliam non intenditur,& ideo nihil intenditur, non secus ac si Sacerdos nulli Sacrificium applicasset.

Respondet Pasqual. quòd si hæ voluntates sunt contrariæ, posterior derogat priori,quia ad derogationem non requiritur expressa voluntas derogandi, sed sufficit tacita, quæ tunc interuenit,cùm sit actus contrarius priori, vt constat in derogatione legum, ac proinde missa sortiretur suum effectum iuxta secundam applicationem.

Contra vtrumq; scribo, nam quò ad Tamburinum respondeo illas applicationes supponi duas, & reuerà est vna tantùm nempe prior, & sic non datur contrarietas, quæ est inter plura, certum autem est priorem applicationem subsistere,ac proinde eam non posse perimi per posteriorem, quæ solùm attentata non potuit exire in actum in preiudicium prioris, in quà ius quæsitum fuit illi, pro quo fuit facta, prior ergo impedit, ne posterior, exeat in actum, & sic solum prior intenditur de iure, non posterior cum reuerà non sit, ac proinde se inuicem non permunt.

Contra Pasqualigum, qui ait, positâ earum contrarietate, posteriorem derogare priori tacitè, quod sufficit, vt constat in derogatione legum. Id non subsistit, quia posterior cum non subsistat priorem existentem perimere non potest, non enim potentius est non existens, immo nihil potens, quàm existens, posterior autem applicatio vti attentata non existit,ergo non potest derogare priori, in qua ius quæsitum fuit illi, pro quo celebrans applicauit, & id firmatur exemplo rescriptorum, quia secundum attentatum contra primum nihil obest, sed permanet, cum posterius nullas habeat vires ad destru-
39 endum prius, *cap. cæterum 3. de rescr.* Nec adducta similitudo de lege posteriori derogante priori valet hìc, eo quòd legislator habet sub suâ potestate vtramque legem, cum vtriusque sit Dominus, nec vlli subdito quæsitum sit ius permanendi in primâ lege, sicut quæsitum fuit in priori applicatione, ex quo celebrans non dicitur amplius habere ius, & dominium super eam in præiudicium eius, qui ius, & possessionem habet applicati nis sibi factæ; vlterius est alia disparitas, nam lex dicitur odiosa respectu subditi propter subiectionem, applicatio verò fauorabilis, sicut rescriptum, ideo posterius non inficit prius, ne fauor conuertatur in odium. Insuper non sufficit tacita reuocatio contra fauores, sed expressa est necessaria, quia reuocatio est odiosa, & stricti iuris, *ex cap. 1. de constit. in 6. Gonzal. Gloss. 36. num. 7.* Si ergo reuocatio hic locum habere posset non sufficeret tacita, sed requireretur expressa contra Pasqualigum. 40

Idem Pasqualigus in hac quæstione sub num. 4. dicit, quòd quando Sacerdos immemor prioris applicationis applicat missam pro alio, tunc sortiri suum effectum æqualiter in vtroq; Probat, quia istæ voluntates non sunt contrariæ, nam si posterior ita applicaret totam missam, vt per hanc voluntatem excluderetur à participatione fructus ille, pro quo primò fuit applicata, retractaretur prior applicatio, ergo cum non retractetur, vtraq; voluntas erit applicatiua Sacrificij, ergo cum æqualiter applicet, sortietur æqualiter suum effectum in vtroq; quia Sacrificium de se est aptum sortiri suum effectum in fauorem plurium. *Confirmat*, quia intentio applicandi totam missam æque pro vtroq; dum vna applicatio non retractat aliam, debet accipi secundùm subiectam materiam, atq; adeo eo modo,quo Sacrificium est æque totum applicabile pro pluribus, ergo in vtroq; æqualiter sortietur suum effectum.

Supponit, vtranq; voluntatem subsistere, & applicationem binam vtrisq; ex æquo prodesse, quod cum sit falsum, subinde corruit vis argumenti vtriusq; nam certum est ex probatis, vnicam esse applicationem subsistentem scilicet priorem ob ius quæsitum ei, pro quo applicatum fuit, à quo cum auferri non possit, cum sit in eius possessione, frustrà attentatur posterior applicatio, siue scienter siue inaduertenter, cum id non sit in eius potestate, donatum enim vni non potest in alium transferri, dum non amplius est in eius potestate.

Tamburinus ergo ait, quòd quando Sacerdos est memor prioris applicationis & nihilominus applicat secundò pro alio, nulli prodesse, vt visum fuit supra, & reprobatum eius dictum. Quando verò est immemor, vult valere priorem applicationem, quia præsumitur quisq; velle vnicuiq; tribuere ius suum ex illâ communi regulâ; *Qui prior est tempore potior est iure*, ergo prodest priori, pro quo fuit applicatum, & non posteriori, dum enim non fuit memor, non censetur reuocasse priorem applicationem. Benè loquitur, impugnatur tamen à Pasqual. q. 172. sed cùm nihil sit contra nos, non est immorandum, cùm tot huiusmodi difficultates super binam applicationem sublatæ sint per nos probantes semper priorem valere, & non posse retractari per posteriorem, quæ vt attentata in actum exire non potest, & ius sit quæsitum priori.

Quæres 12. An Sacerdos possit applicare sub conditione, vt si non valet pro Petro, valeat pro Paulo?

℞. Af-

41 ℞. Affirmatiuè, quia conditio non est contra naturam Sacrificij, sed illi conformis, nam prodest quantùm est ex se, si ille, pro quo offertur, est capax, si ergo est incapax vnus, & alter capax, huic prodest, quia in eo verificatur conditio requisita vt Sacrificium sortiatur in eo suum effectum. Ita Pasqual. q. 173. in eundem sensum interpretandus est *Scotus quolib. 20. sub num. 17. vers. isti verò*.

Quæres 13. An valeat applicatio conditionata hoc modo, applico pro Petro, si eius hæredes mihi soluent eleemosynam tot missarum mihi promissarum, aliter huiusmodi applicationes facio pro Paulo, cuius hæredes mihi promiserunt &c.

42 ℞. Valet pro ijs, pro quibus primò soluitur promissum stipendium, magis enim vrget obligatio executoria, quàm promissoria, & prior solutio, quàm posterior, ergo cum prior solutor sit potior iure, quam posterior, ratio dictat prius esse celebrandum pro eo, quàm pro alio, esto promissio, & obligatio celebrandi prius, fuerit contracta cum posteriori solutione, quia magis vrget solutio, quam promissio soluendi. Confirmatur, quia nullum fuit aquisitum ius ad applicationem, nisi ei, pro quo primò hæredes soluerunt stipendium missarum promissarum. Ita Pasqual. q. 186. *qui num.* 3. ait, hanc applicationem non esse conditionalem, quia est pro eo, pro quo sequetur prius solutio eleemosynæ, sed absolutam, quia applicatur fructus Sacrificij pro onere iam imposito, & in tempore, pro quo iuxta intentionem legantis est applicandum, & hæc omnia fiunt de præsenti, nec transmittuntur in tempus futurum.

Sed meo iudicio est conditionalis, licet applicatio fiat de præsenti pro eo, pro quo primum dabitur stipendium, nam eundem sensum faciunt sequentia verba. Applico nunc pro Paulo, si eius hæredes primò dabunt stipem, aliter Petro, si eius hæredes erunt priores in solutione &c. nam semper applicatio fit cum relatione vnius ad alium, & sufficit ad constituendam applicationem conditionalem, quòd stipendium pendeat in futurum in ijs, in quibus actio non potest manere in suspenso, immo & si possit manere, vt patet in hoc exemplo, dono nunc tibi hunc æquum si cras ibis ad bellum, alitèr dono illum tuo fratri eunti ad bellum sequenti die, quod habet etiam hunc sensum, dono nunc æquum primo eunti ad bellum. Res est clara.

Quæres 14. An Sacerdos applicationem iam factam pro vno absolutè possit mutare, & transferre in alium, eo quòd venit in cognitionem, se non posse consequi promissum stipendium?

43 ℞. Nullam esse eam translationem, quia Sacrificium quò ad eum medium fructum non exiuit in actum, nemo enim intendit gratis applicare nisi absolutè applicauerit, quia tunc aquisitum fuit ius, aliter, remansit in thesauro Ecclesiæ, ex quo à Sacerdote extrahi non potest, cum à Sacerdote non extrahatur nisi mediante Sacrificio. Confirmatur, quia nullus Sacerdos intendit gratis celebrare pro illo, pro quo promissum fuit stipendium, vt notum est, cui se in hoc Deus conformat, vt æquitas suadet, ergo non obstante celebratione, applicatio non prodest illi, cùm fructus non exierit in actum, cum nec illi Sacerdos consenserit, nisi verbaliter, sine intentione, quia ex illo communi axiomate: Errantis nullus est consensus, nulla voluntas, nihil ergo disposuit, si non consentit, neq; proinde quicquam transtulit in secundum. Vide Pasqual. q. 187. qui videtur proponere præsentem casum licet sub obscurè, & dicit primam applicationem valere, sed ego fateor, me illum non intelligere, nisi quòd sub num. 7. dicit, quòd applicatio Sacrificij ex falsà opinione quòd sit soluendum stipendium, ab eà vitiatur in radice, & non valet.

Quæres 15. An applicatio facta pro vno transmissibilis sit ad alium ex aliquà causà, vt quia prior non eget, quia est in Paradiso; vel incapax, quia in Inferno; vel quia eius hæredes promissum stipendium non soluunt?

℞. Nullo modo potest ab vno transferri fructus ad alium; probatur, nam facta applicatio, aut fuit valida, & sortita est suum effectum, iam non potest ab eo auferri, & transferri in alium, ex probatis q. 11. Aut nulla est, & sic non potest transferri, vt probaui q. præced. obiectum enim translationis debet esse aliquid, & non nihil. Qui ergo nolunt inutiliter celebrare, vtantur applicatione conditionali applicando de præsenti pro vno, & si non valet pro illo, valeat pro alio. 44

Quæres 16. An Superior possit præcipere suis Sacerdotibus, vt celebrent, & applicent pro obligationibus missarum receptarum ex quouis titulo, non solùm respectu sæcularium, sed etiam respectu ipsorum Religiosorum iam defunctorum?

℞. Affirmatiuè, quia quodlibet Monasterium tales obligationes assumens ex Iustitià respectu Sæcularium, tenetur stare promissis, ergo Superioris partes sunt singulis Sacerdotibus iniungere huiusmodi satisfactionem, ad quam se obligarunt expressè, dum Conuentus, qui repræsentatur in Superiore, & subditis mutuo eorum consensu promittit satisfacere promittentibus stipendium; vel loco eius tradentibus aliquem fundum fructiferum, vel pecuniam inuestiendam in rem frugiferam; vel tacitè, dum à Superiore, vel Sacrista recipiuntur stipendia missarum manualium, quæ redundant in vtilitatem Monasterij, & commodum ipsorum. Et in hoc nullus contradicit. Ita *Siluester V. missa 1. q. 12. Sanch. lib. 6. cap. 2. num. 6. Suar. lib. 3. de legib.* 45

legib. cap. 29. num. 10. quartus in Append. de Sacrif. q. 2. p. 15. verſ. primus caſus, cum alijs Paſqual. q. 174. qui num. 6. bene ait, Sacerdotem inobedientem peccare, & contra obedientiam, & contra Iuſtitiam, ac proinde obligari ad reſtitutionem. *Notat cum Sanchez lib. 6. cap. 2. num. 6.* & *Quarto* citatis peccare ſolùm contra Iuſtitiam, non contra obedientiam, niſi rigorosè præcipiat. Sed meo Iudicio ſimplex præceptum, etiam non expreſſo Obedientiæ voto, mihi videtur multùm vrgere, cum agatur de re graui, ad quam Sacerdos ſub mortali tenetur.

Idem ergo dicendum eſt reſpectu Religioſorum mortuorum, pro quibus vt offerantur Sacrificia, Superior præcipere poteſt, ſiue id exprimatur in regulà, ſiue non, quia Charitas fraterna id exigit faciendum, & inobedientes peccant mortaliter non contra Iuſtitiam, ſed tantum contra Charitatem, quam Religioſi potiſſimùm exercere debent, cùm ad eum tendere debeant, ex Paſqual. q. 175. & 176. qui q. 77. ait Superiorem, intellige tu *maiorem*, Generalem, ſcilicet vel Prouincia-
46 lem poſſe præcipere Sacerdotibus vnius Monaſterij, vt ſatisfaciant obligationibus alterius Monaſterij, quando vacant ab his obligationibus; ſed id non videtur eſſe in vſu, cum in hoc caſu Sacriſtia Conuentus adiuuantis patiatur detrimentum pro beneficio alterius, quod non licet, cum nemo debeat locupletari, & ſentire commodum cum iacturà proximi, vnde Superior non videtur vſquequaq; hanc facultatem habere, cùm præiudicet Conuentibus, & Superior dicatur potius Superior Fratrum, quà Conuentuum in ratione bonorum, cum vnumquodq; Monaſterium poſſideat ſua bona, commoda, & incommoda independenter ab alijs, & ita dicit *Silueſter V. miſſa 1. q. 12. contra Marchinum de Ordine tract. 3. par. 2. cap. 33. num. 10. Sanch. lib. 6. cap. 2. num. 56. & 57. citatis alijs à Paſq. q.* 177.

Quæres 17. An hoc præceptum ſit ita rigorolum, quòd obliget quotidie ad celebrandum pro obligationibus Eccleſiæ, itaut Sacerdos non ſit exemptus, vt poſſit celebrare pro ſe, ſiue ex Charitate, ſiue ex ſtipendio?

47 ℞. Præceptum Superioris, quod ſupponitur in omnibus Religionibus benè regularis, non includit quotidianam celebrationem, ſed permittit liberam applicationem ſemel in hebdomadà ſuis Sacerdotibus, nam illud interpretandum eſt, & imponendum ad formam iuris communis, *cap. ſignificatum de prabend.* quod obligatum quotidie eximit ſemel in hebdomadà à celebratione ex honeſtate, & æquitate. Ita *Marchinus de ordine tract. 3. par. 2. cap. 33. num.* 8. *Garzia tract. 3. de Euchar. diff. 3. dub. 5. par. 1. num. 5. Quartus in Append. de Sacrif. q. 2. p. 15. Peyrin. in Addit. ad conſtitut. Pyrrhi cap. 1. num. 23. fine, Diana par. 5. tract. 13. reſol. 51. ex illis Paſqual. q. 179. Pellizar. tract. 6. cap. 3. num. 37. Antonius à Spiritu Sancto in ſuo Directorio Regul. par. 2. tract. 3. diſp. 6. ſect. 11. num.* 1686. Vnde poteſt pro ſe, vel alio celebrare eo die exceptionis, receptà eleemoſynà inquiunt non nulli cum *Paſqual.* 1130. *num. 3. vbi citat Vidal tit. de Iuſtitià Inquiſ. 1. num. 12. Auerſam. q. 11. de Euchar. ſect. 18. verſ. Inſuper, Thomam Hurtadum par. 1. reſol. tract. 2. cap. 4. reſol. 7. num.* 18. & dixi *cap. 2. num.* 59. Contra plures alios aſſerentes non poſſe celebrare pro ſe, neq; pro alijs, præſertim accepto ſtipendio. Ratio eſt, quia exemptio conſiſtit in vacatione à celebratione propter honeſtatem, ergo ſi celebrat non dicitur vacare: Sed textus cum celebrantem eximat ſemel in hebdomadà à celebratione quotidianà, eximit etiam ab huiuſmodi obligatione, non prohibet verò celebrationem pro alijs, cum expreſsè de ea non conſtet. Sed vrget textus, quia conceditur vacatio ob honeſtatem, non vt inde celebrando poſſit recipere ſtipem, & ſic ex deuotione reportare lucrum. Reſpondent bonum ſpirituale non excludere bonum temporale honeſtum, quia bonum non oppouitur bono, ſed malo.

Quæres 18. An Superior poſſit præcipere, vt applicent pro ſuo conſanguineo gratis, vel pro alio attribuendo ſibi eleemoſynam?

℞. Negatiuè; quia Superior habet poteſ- 48
tatem præcipiendi ſolùm ea, quæ ſpectant ad Regulam expreſsè, vel tacitè attinentia ad conſeruationem eius, & non quæ ſunt extra, vel ſupra Regulam ex communi omnium; ſed huiuſmodi applicationes non ſunt ſecundùm Regulam nec expreſsè, nec tacitè, ſed præter, ſeu ſupra Regulam, nec pertinent ad bonum Communitatis, ergo huiuſmodi applicationes præcipere non poteſt. Ita *Tambur. de miſsà lib. 2. cap. 2. §. 9. num.* 13. contra alios quos ſequitur Paſqual. q. 178. ſubdens, Superiorem conſumptis eleemoſynis miſſarum etiam malè, poſſe cogere ſubditos, vt ſatisfaciant. Non placet, quando illarum conſumptio non reſultauit in aliquam Monaſterij vtilitatem, ſi enim ſolus peccauit, ſolus quoq; luat pœnam.

Quæres 19. An Superior poſſit apponere decretum irritans applicationem futuram ſuo præcepto de ſatisfaciendo obligationibus miſſarum, ipſo applicante nunc pro tunc, quando celebrabunt Sacerdotes, quibus impoſuit tale præceptum?

℞. Superior poteſt id præcipere cum de- 49
creto irritante, ipſo applicante nunc pro tunc, adeo quòd contraria applicatio tamquam nunquam exiſtens nullum, ſit habitura effectum, ac proinde ſemper prævalet Superioris applicatio.

Primum de præcepto probatum fuit ſub q. 50
16.

16. Ita docent *Rodriq. tom. 3. q. 19. art. 2. cum suo compend. resol. 102. num. 2. Miranda tom. 1. q. 26. art. 3. Tambur. de iure Abbat. tom. 2. disp. 20. q. 5. fine, Suar. de legib. lib. 4. cap. 13. num. 6. cum alijs Pasqual q.* 181. Contra Layman, *Tambur. Iesuitam, Castropal.* eà ratione, quia non potest præcipere actus merè internos, qui necessarij non sunt ad actum exteriorem efficiendum, cum quo tantùm accidentaliter coniunguntur. Ad hoc dico, actum applicationis cùm non possit esse sine celebratione missæ, necessariò, & non per accidens, illi coniungi, ac proinde præcipi posse.

51 Secundum, de decreto irritante, probatur, quia habens dominium voluntatis alterius efficaciter impedire potest, ne eius voluntas exeat in actum sortiendo suum effectum, quod importat decretum irritans prohibens cum annullatione actus attentati; sed Superior præsertim Regularis habet sub se dominium voluntatis suorum subditorum, non solùm in quantum est Superior, vt alij Superiores legislatores, sed etiam ratione voti Obedientiæ promissæ illi à subditis, qui ideo arctius ligantur, ac propterea dicuntur non habere velle, neq; nolle efficaciter, *cap.*

52 *Non dicatis 11. 12. q. 1. cap. si religiosus 27. de elect. in 6. cap. fin. de testam. in 6.* Religiosi enim renuntiarunt proprijs voluntatibus, dum, per votum eas subiecerunt voluntati Superioris in ijs, quæ spectant ad statum, & Regulam, quam sunt professi, cuiusmodi est celebratio missarum, dum concedunt Sacrificia mortuorum, quæ sunt bona communitatis, ergo Superior potest apponere suo præcepto decretum irritans, & impediens effectum applicationis contrariæ eius voluntati.

Confirmatur *Primò*, quia Superior potest irritare vota suorum Religiosorum, nullus contradicit, ergo & applicationes Sacerdotum. *Secundò*, sicut tutor, & dominus possunt irritare obligationes pupillorum, & seruorum, vt conceditur ab omnibus, ita & Superior poterit irritare applicationes Sacerdotum, valet enim paritas, quia Religiosus se habet ad Superiorem suum, sicut seruus ad dominum, & pupillus ad tutorem. *Tertiò*, absurdum est, quòd in re iusta Superiori competente in vtroq; foro præualeat voluntas subditi iniusta voluntati iustæ Superioris, ergo præceptum Superioris vti efficax perimit actum applicationis sui subditi. *Quartò*, illius applicatio debet præualere, cui incumbit cura satisfaciendi oneribus missarum, aliter non esset sufficienter prouisum eius officio.

Constat ergo ex his præualere, voluntatem Superioris applicantis voluntati impotenti Subditi celebrantis. Ita docent *Cordub. lib. 1. q. 3. opin. 6. Honcala in opusc. de valore missæ art. 2. Ledisma 2. par. 4. q. 10. art. 14. fine, Confect. de diuinis offic. cap. 4. fine, Fraxinell. sect. 7. §. 7. Barb. alleg. 24. num. 28. Alphons. de Leone de offic. Capell. q. 1. sect. 4. num. 41. Ego resol. 25. q. 4. apud Pasqual. q.* 183. citantem etiam Scotum quolib. 20. num. 15. Vers. *De secundo*, qui tamen secundùm Vadingum ibidem in scholio videtur dubius.

Pasqualigus autem citatus cum triginta Theologis tenet præualere applicationem Sacerdotis, quia Superior applicare non potest, & probat *Primò*, quia Sacerdos ex vi suæ ordinationis accipit potestatem offerendi Sacrificium, ergo pro hoc, vel illo; expresse ad Hebr. 7. *Vt offerat dona, & Sacrificia &c. Accipe potestatem offerre Sacrificium pro viuis, & defunctis*. Ergo non potest Superior per se applicare Sacrificium subditi. *Secundò*, Superior nullo modo est offerens Sacrificium, nec in oblatione participat cum subdito offerente, ergo nullo modo applicare potest Sacrificium. Consequentia probatur, quia effectus, à quo habet esse, habet etiam determinationem, applicatio autem Sacrificij est determinatio oblationis, vt sit pro hoc, aut illo, ac proinde debet esse ab eo, à quo est oblatio. *Tertiò*, Voluntas subditi non subijcitur Superiori, nisi ratione potestatis dominatiuæ, & iurisdictionalis, quæ est in ipso, vnde non potest aliquid circa subditum, nisi exercendo hanc potestatem, quà seclusà remanet impotens, sicut si non esset Superior; sed per hanc non potest applicare Sacrificium, quia non confert aliquam potestatem circa ipsum, cum tota facultas circa Sacrificium sit in potestate Sacerdotali, ergo nullo pacto poterit Superior per seipsum applicare.

Probat deinde Superiorem non posse irritare applicationem Sacrificij factum à subdito. Quia Superior potest irritare voluntatem subditi quatenus subditus est, & in ijs, in quibus subijcitur suæ potestati dominatiuæ; subditus autem non subijcitur quò ad potestatem Sacerdotalem, nec secundùm actum offerendi Sacrificium. Ratio est, quia per potestatem sacerdotalem non constituitur minister Superioris, sed Christi, & ipsa oblatio est actus Christi tamquam principalis offerentis, & solùm ministerialiter ipsius Sacerdotis, & ideo talis actio vt est ministerialiter à Sacerdote sequitur conditionem, quam habet vt est à principali offerente, & remanet omninò exempta à iurisdictione Superioris, sicut si subditus exerceret aliquem actum vt delegatus Pontificis, quia ageret nomine ipsius, quò ad eum actum esset omninò exemptus à iurisdictione Superioris.

Confirmat in tantùm potest Sacerdos applicare Sacrificium in quantùm Christus id ipsi concessit, nam cum Christus sit principalis offerens ad ipsum pertinet applicatio, ergo applicatio Sacerdotis est actus ipsius tamquam ministri Christi, ergo non subditur

dis-

dispositioni Superioris, quia sicut minister quà Christi minister est, non subijcitur alteri, quàm Christo, ita nec actus ministerij, ac proinde eius voluntas non est sub dispositione Superioris. Confirmat *Secundò*, applicatio Sacrificij est actus potestatis Sacerdotalis. Quamuis autem Superior possit concedere, aut negare subditis curam potestatis Sacerdotalis, non tamen secundùm potestatem Sacerdotalem illi subijciuntur, ergo nec etiam actus eiusdem potestatis, atq; adeo non poterit irritari applicatio facta à subdito.

His tamen non obstantibus permanendum est in decisis, nimirùm, posse Superiorem facere decretum irritans, hoc est, impedire ne voluntas Sacerdotis attentantis applicare sortiatur suum effectum, ac proinde præualere applicationem, quam facit Superior per suum decretum, quod censetur esse tale, si expressè prohibeat Sacerdoti, dicendo: ne applices contra meam voluntatem, quia nunc pro tunc cum celebrabis, ergo applico pro obligationibus Monasterij. Id autem negare Superioribus arguit illos impotentes in administratione Monasterij, & suorum subditorum, dum non possunt efficaciter cogere ad obedientiam in hoc genere obligationis tam grauis. Veritas autem huius responsionis magis roboratur ex solutione argumentorum.

Ad primum ergo respondetur, illud antecedens esse verum, Sacerdotem accipere suam potestatem offerendi Deo Sacrificium ex vi Sacerdotij, & characteris, ex quo tamen non infertur necessariò, quòd Superior non possit applicare Sacrificium modo supradicto sui subditi volentis celebrare irrationabiliter contra eius voluntatem, quia Deus Sa-
53 cerdotibus dedit potestatem celebrandi missam, in modo tamen id exequendi voluit eos esse subiectos suis Superioribus, vnde idem Sacerdos à Deo habet potestatem in sua ordinatione absoluendi à peccatis, in modo tamen exercendi eam, voluit Deus, Sacerdotem esse subiectum suis Superioribus, vnde carens iurisdictione, non obstante Ordinis potestate, quam à Deo habet, non potest validè absoluere; potest ergo Superior irritam facere absolutionem in eo, qui caret iurisdictione, vel absoluit à reseruatis, ergo idem dicendum est in casu nostro quòd potest irritare applicationem irrationabilem subditi, esto habeat à Deo potestatem applicandi, quia per hoc Deus non prohibuit Superioribus moderationem applicationis, & applicare per seipsos, quando subditi applicatio futura est irrationabilis, & hoc est necessarium, quia sicut Deus in Cælo non soluit peccatorem, quem in terris non potuit soluere Confessarius, ita neq; soluit à pænis illum, pro quo peccaminosè Sacerdos applicauit, cum Deo sit execrabilis talis applicatio, quam pro nullâ habet respectiuè ad præceptum Superioris irritantis.

Ad secundum, cùm dicit, Superiorem nullo modo esse offerentem, nec cum subdito offerente participare, respondeo, non esse offerentem quò ad consecrationem, vtique quò ad applicationem, isti enim duo actus valdè inter se differunt comprehensi sub vocabulo *Offerendi* quo vtitur Ecclesia in mysterio celebrationis, verum enim est, quòd nullus pro 54
alio consecrat, sed solus celebrans, quia nullus potest repræsentare personam Christi, quod est necessarium, nisi illemet, qui celebrat, potest verò alter non celebrans applicare, vt manifestè colligitur ex textu missæ, quæ loquendo de hoc sub voce oblationis, communem facit oblationem applicationis fidelibus, ibi: *Pro quibus ibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis pro se, suisq; omnibus*, si ergo laicus offert, à fortiori Superior Sacerdos etiam cum derogatione applicationis Sacerdotis contrariæ suæ iustæ voluntati. Et ex his patet ad consequentiam, quia à Superiore habet esse applicatio, & eius determinatio quò ad personam, cui applicauit Sacrificium, cùm subditus à Deo in hoc non audiatur, cùm nihil agat, sed solus Superior, dum ipse solus, & non subditus rationabiliter se habet ad hanc functionem.

Ad tertium respondeo, potestatem, per quam Superior imperat suis subditis in alijs, respectu quorum dicuntur ei subiecti, extendi, immo comprehendere etiam materiam huiusmodi de oblatione, & applicatione Sacrificij, cum hæc pertineat ad bonum commune singulorum Monasteriorum, ergo Superior exercere potest, immo, & tenetur, quandocumq; dubitat subditos non celebrare pro obligationibus Ecclesiæ suæ, irritando, & applicando, vt agat vtiliter negotia sui Monasterij. Tota ergo potestas Sacerdotalis non remanet quò ad effectum in Sacerdote, quando eà abutitur, cum ex naturâ superioritatis insit Prælato, vt possit occurere abusibus Sacerdotum in celebrando, & offerendo secundùm exigentiam Iustitiæ. Potestas ergo applicandi impediri potest quo ad abusum, ne exeat in actum iniustum. Potestas verò consecrandi nec habitu, nec actu, & quò ad suum effectum nullâ iurisdictione humanâ tolli potest, quia Sacerdos in personâ Christi consecrat cum Christo principali agente, contra quam nulla præualet potestas humana, neq; proinde contra Sacerdotem eius delega- 55
tum. In applicatione verò non agit in personâ Christi, licet eius nomine, sed agit ex officio suo, & per se, sicut cæteri fideles cum eo offerentes ad salutem, ac proinde cum in hoc non agat vices Christi, sed nomine proprio sine dubio subditur potestati Superioris.

Reliquum est respondere alijs argumentis, quibus negat Superioribus potestatem irritandi

tandi applicationem Sacerdotis sui factam contra voluntatem Superioris, quæ si attentius considerentur, probant solum Superiorem nullam habere potestatem circa irritationem consecrationis, quod certissimum est, nihil verò vrgent contra applicationem.

Ad argumentum ergo negatur, celebrantem non subesse potestati Superioris quò ad applicationem, licet non subsit quò ad consecrationem, quam irritare non potest, sicut applicationem, quia respectu huius non gerit vices Christi, vt facit in consecratione, in quâ vtitur formaliter verbis Christi, non in applicatione, quæ quibuslibet verbis fieri potest, per quæ celebrans nomine proprio rogat Deum, vt dignetur virtute Sacrificij, conferre fructum medium ei, pro quo celebratur. Et ex his patet ad rationem, Sacerdotem per suam potestatem constitui quidem ministrum Christi quò ad consecrationem tantùm, non autem quò ad applicationem, cùm Christus offerendo seipsum Patri per ministrum, non roget pro eo, pro quo celebratur, sed ipse Sacerdos ex officio suo, cum Christus, & Deus rogetur à Sacerdote, & circumstantibus pro applicatione. Sacerdos ergo est delegatus Christi quò ad consecrationem non quò ad applicationem, cùm non applicet in personâ eius, & verba formalia quò ad hoc non sint, sed concipiantur à celebrantibus, & ab alijs.

Eodem prorsus modo respondendum est duabus confirmationibus, quæ supponunt, celebrantem non subesse Superiori, cùm potestatem habeat Sacerdotalem, secundùm quam operatur vt minister Christi, non vt minister Superioris, nam quamuis sit minister Christi etiam respectu applicationis, non ideo exemptus est ab vtroq; sed subditur ratione applicationis, vt dictum fuit. Nec ex eo, quòd Sacerdos sit minister Christi, infertur non subesse suo Superiori quò ad hoc ministerium, quia alioquin nec Papa aliquid statuere posset pro rectâ, & sanctâ celebratione contra Sacerdotes, ex quo sunt ministri Christi, quod tamen falsum est, ergo & antecedens, ex quo illud deducitur, Sacerdotes enim sunt ministri Dei, & sui Superioris.

Idem Pasqualigus eadem *q.* 183. *num.* 10. prosequitur respondendo ad argumenta superius posita pro nostra conclusione.

56 Ad primum quidem; Religiosum non habere velle, nec nolle, in quantum illud transtulit in Superiorem secundùm mensuram Regulæ, & ideo si Superior iniungat aliquid subdito contra Regulam, aut supra Regulam, tunc subditus habet suum velle, aut nolle, & non tenetur obedire; sed voluntas subditi quò ad actus potestatis Sacerdotalis, inquit ille, non est translata in Superiorem?

Hoc autem esse falsum manifestè patet, cum omnes Religiones obligationibus missarum subiectæ faciant constitutiones de rectâ, & iustâ celebratione missarum; constitutiones autem eduntur pro conseruatione Regulæ, & pro obseruatione votorum, quorum præcipuum in re nostrâ est Obedientia, secundùm quam subditus tenetur præstare obedientiam in ijs, quæ spectant ad obseruationem constitutionum, quæ semper sunt conformes Regulæ. De potestate Superiorum erga subditos vide *Sanch. lib. 6. cap. 2. præsertim à num. 6.* vbi quod subditus renetur obedire suo Superiori in ijs, quæ sunt secundùm Regulam, quod esse potest duobus modis, vel quia sunt expressa in eâ, vel implicitè, & tacitè in eâ contenta, inter quæ continentur decreta de celebratione missarum obligantia subditos ad celebrandum pro Ecclesiâ, & non pro se ipsis, aut proprio arbitrio, intuitu lucri, quod Religiosus aquirere non potest contra voluntatem sui Superioris.

Ad secundum, hoc est ad primam confirmationem de irritatione votorum, idem concedit, quia in his subduntur, non respectu irritationis applicationis. Respondeo, respectu etiam huius subdi, quia Superiores in tantùm vota irritant, in quantum sunt præiudicialia Superioribus, sed etiam applicatio Sacrificij contra voluntatem Superioris est præiudicialis, ergo irritabilis est, sicut vota.

Ad secundam confirmationem dicit Religiosos comparari seruis, & pupillis in eo, in quo subijciuntur suis Superioribus, non in alijs, in quibus non subduntur, ac proinde cum non subdantur ratione potestatis Sacerdotalis, non valere comparationem. Respondeo, valere comparationem, quia reuerâ Sacerdos quò ad potestatem applicandi subditur Superiori, aliter nullæ possent fieri ordinationes celebrandi, & applicandi pro obligationibus Monasterij, si non subduntur suis Superioribus quo ad potestatem Sacerdotalem, per quam faciunt applicationes.

Ad tertiam dicit, ex quo Superior in aliquibus casibus potest præcipere subditis, quòd applicent Sacrificia, sequitur tantùm, inquit ille, quòd habeat sibi subordinatas voluntates ipsorum, non quò ad actus elicitos, sed quò ad actus imperatos, hoc est, quòd possit imperare applicationem, sed eam non licere, neq; irritare à Sacerdote factam. Dico, potestatem imperandi in ijs, quorum effectus ex suâ naturâ non potest esse notus Superiori, ad subditus obedierit, parui, ac ferè nullius esse momenti, si non habeat medium executiuum suæ potestatis, quòd in re hâc aliud esse non potest, quam decretum irritans, & propria applicatio.

Ad quartam, quòd habeat præualere illius applicatio, cui incumbit cura satisfaciendi respondet, esse sufficienter prouisum præcipiendo etiam cum censuris, vt Sacerdotes applicent pro oneribus Ecclesiæ. Ergo autem

tem dico quòd huiusmodi prouisio non sufficit, cùm enim agatur de re incognitâ, cuiusmodi est applicatio, quam adhuc facere potest contra prouisionem Superioris id ignorantis, ideo vt prouisio suum obtineat finem, procedendum est cum decreto irritante, & propriâ applicatione. Patet ergo quòd simpliciter imperare, & non elicere posse, nec irritare, esse imperium debile, in quo nec cognosci potest executio ex parte subditi imperati, vt ergo imperium sit vtile procedendum est ad irritationem, & applicationem.

Pasqualigi sententiam sequuntur alij cum *Diana par. 11. tract. 6. resol. 39. Suarez disp. 79. sect. 9. de Euchar. de Lugo disput. 19. à num.* 210. quos pro se citat noster *Cotonius lib. 2. controu. 5. cap. 2. num.* 31. quam vocat rationabiliorem, & communiorem, nam Sacerdos vti sacrificat, ita & Sacrificium applicat, Christi nomine, adeoq; in neutro dependet à potestate Prælati, qui Christo est inferior. Certè hoc est potissimum huius opinionis argumentum, sequitur *Bassæus V. missa 3. prope finem Antonius à Spiritu Sancto Carmelita Discalceatus par. 2. tract. 3. disp. 6. num.* 1658. sed non recedo à priori opinione, cuius argumenta videntur vrgere. Ad argumentum supradictum superius non semel respondi; celebrantem quò ad consecrationem non subdi nisi Christo, quò ad applicationem verò etiam suo Superiori, licet enim in nomine Christi fiat applicatio, quicquid enim agitur, in nomine eius agitur; non tamen in personâ Christi, cum hâc ratione solus celebrans tantùm sacrificet, non applicet.

57 Inter autem has opiniones de irritatione, & præualentiâ applicationis, nostra videtur tutior, & probabilior. Probatur. Tum quia Doctores vtriusq; opinionis in hoc conueniunt, quod Superior potest præcipere Sacerdoti subdito, vt applicet pro obligationibus suæ Ecclesiæ, vt videre est apud eundem *Pasqual. q.* 174. *Fraxin. sect.* 7. §. 6. præceptum enim hoc est iustum, ac proinde subditus inobediens peccat mortaliter, vt docent præcitati, ergo comparando inter se præualentiam applicationis videtur potior præualentia Superioris, quam subditi, cum is nullum ius habeat contra Superiorem, sicut habet Superior contra subditum, ius ergo præcipiendi roborat opinionem præualentiæ Superioris contra subditum, qui non potest resistere præcepto sui Superioris, cum sit iustum. Tum quia illa opinio est tutior, & probabilior, in cuius executione nullum apparet peccatum, sicut reperitur in oppositâ; sed talis est opinio Superioris contra subditum, qui propriam exercere non potest sine peccato, ergo opinio hæc Superioris probabilior est, & tutior.

58 Tum quia in concursu opinionum inter Superiorem, & subditum, censetur probabilior, quæ fauet Superiori contra subditum, qui obedire tenetur, & illi cedere, quando subditus certò sit, actum præceptum esse licitum, immo debitum, vt omnes docent cum *Castropal. par. 1. disp. 2. p. 6.*

Nec dicas hæc argumenta non facere ad rem, quia solùm probant Superiorem posse non solum probabiliter, sed etiam verè, & certò imperare subdito, vt applicet conformiter ad suam voluntatem pro satisfactione onerum Monasterij, hoc enim non controuertitur, nec subditus aliquâ probabili opinione se tueri potest contra præceptum Superioris, cùm teneatur obedire in omnium sententiâ; controuersia autem consistit, an applicatio Superioris cum irritatione præualeat applicationi factæ à subdito contra rigorosum Superioris præceptum? Nam Superioris opinio est, vt valeat eius applicatio cum irritatione applicationis subditi. E contra verò est opinio subditi, quòd eius applicatio valeat contra applicationem Superioris; vna ergo ex his perimit aliam; hic opus hic labor.

Non dicas ergo id, quia argumenta non tantum probant vnum, quàm aliud, sed vtrumq; vnum enim per alterum probatur. Nam appllicatio Superioris fundatur in præcepto irritatiuo, cui non est negandus valor, & iustitia, dum ordinatur ad conseruationem Iustitiæ, vt satisfiat creditoribus onerum missarum celebrandarum, & subditus obediat, adeo quòd adiuncta irritatio vt quę efficaciter est executiua Iustitiæ inter creditorem, & debitorem, vti quid bonum, & iustum fouens Iustitiam, non potest tribuere præcepto de se iusto aliquam imperfectionem, qua reddatur nullum, cum ergo irritatio vti iusta non inficiat præceptum, ex vtroq; applicatio facta à Superiore suas recipit vires, & impedit futuram subditi applicationem, ne valida exeat in actum. Patet ergo ex his supradicta argumenta in præcepto fundata facere pro opinione præualentiæ applicationis Superioris contra opinionem subditi, quæ huiusmodi applicationes dependent à præcepto respectiuè ad positionem vnius cum destructione alterius scilicet subditi, qui nullum ius irritatiuum habet contra Superiorem.

Confirmatur, quia habens ius præcipiendi potest suo præcepto apponere quodlibet remedium, quo efficaciter illud adimpleatur, ne sit inutile, ac proinde insufficiens ad intentum finem iustum, & necessarium, sed aliud remedium præter irritationem efficax dari non potest, ac proinde sequens applicatio facienda cum decreto irritante à Superiore, ne fiat celebratio sine applicatione, dum illa celebrantis efficaciter impedita fuit per decretum irritans. 59

Dices, Superior in ijs, quæ spectant ad exercitium Sacramentorum, non potest inhabi-

habilitare ministrum, nec susceptorem illotum, nam quamuis possit prohibere ne quis baptizet, celebret, aut suscipiat ordines, non tamen efficaciter id facere potest, etiam cum decreto irritante, cum id sit omninò, inualidum in sententiâ omnium quia non potest impedire ne Sacramenta sortiantur suos effectus cum in his nec minister, nec ipsum Sacramentum ab illo dependeat, sed à solo Deo, qui super omnes est, quod idem dicendum est de Sacrificio, quod vt à Deo est institutum more Sacramentorum suos operatur effectus ministro celebrante, cuius proinde applicationem irritare non potest Superior celebrantis, sicut non potest irritare collationem Baptismi, & Ordinis suscepti à Religioso contra præceptum Superioris irritatiuum, ex quo etiam patet dari posse, licitum præceptum, & decretum irritans illi adiunctum esse illicitum, & nullum, sic in casu præsenti, esto præceptum de celebrando secundum rectam intentionem Superioris sit iustum, iniquum tamen erit adiectum decretum irritans applicationem celebrantis.

Contra est, quia quamuis per Superiorem non possit impediri effectus susceptionis, & collationis Sacramentorum, tamen efficaciter impeditur effectus gratiæ, quam non consequuntur recipientes Sacramentum e.g. Ordinis &c. & in Pœnitentiâ contra præceptum efficax Superioris subditus nullum conficit Sacramentum defectu iurisdictionis, vnde per tale decretum dicitur inhabilitari, quare ergo in Sacrificio missæ non habebit locum huiusmodi decretum irritans applicationem celebrantis? Sicut enim Sacerdos inhabilitatur ad absoluendum, vt patet respectu casuum reseruatorum, & priuationis iurisdictionis, non obstante, quòd à Deo immediatè, directè, & expressè ministerio Episcopi sit illi collata potestas remittendi peccata, per ea verba: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata &c.* ita & celebrans inhabilitari potest, ne efficaciter applicet iniustè applicaturus, & id à fortiori, cum ex formâ Presbiteratus non expressè, sed tantùm implicitè ex illis verbis: *Accipe potestatem offerendi*, quæ magis refertur ad Sacrificandum, colligatur potestas applicandi, ex formâ verò potestatis absoluendi expressè colligatur potestas remittendi peccata. Motiuum inhabilitādi Sacerdotem quò ad absolutionem accipitur ab abusu ministrorum, idem abusus præbuit ansam Superioribus inhabilitādi suos Sacerdotes, qui applicabant pro suo arbitrio dantibus sibi priuatas eleemosynas.

Quod additur de præcepto iusto, & inualido decreto irritante nullo, & illicito e.g. In Religione statutum est, ne quis recipiat Ordines sine expressâ licentiâ Superioris, & nisi habeat tot annos professionis: præceptum sine dubio iustum est, non tamen illi addi potest irritatio, cum id sit contra ius commune, & Episcopum, qui non potest impediri à validâ collatione ordinum per Religionis statutum, cui ille non subditur, quod nec Pontifex facere potest, cum hæc potestas à Deo sit tradita Episcopis in suâ ordinatione. In casu autem, præceptum irritatiuum est solùm contra subditum, ideo totum iustum.

In Sacramento Matrimonij locum habet decretum irritans inhabilitans personas, ne contrahant, nec subinde fiat Sacramentum, *ex Tridentino sess. 24. cap. 1.* ex eo, quòd est contractus, ac proinde ex hoc capite subiectus legibus humanis, ac proinde Pontificijs, vt non contrahatur Matrimonium, nisi cum præsentiâ duorum testium coram proprio Parocho. Ecce quomodo Ecclesia inhabilitat personas ad Matrimonium, & subsequenter ad Sacramentum in totum, itaut nec Sacramentum, nec rem Sacramenti recipiant contrahentes contra formam Tridentini. Cur ergo non poterit Superior irritare applicationem remanente ipso Sacrificio, & Sacramento Altaris?

Quæres 20. An Episcopus, sicut diximus de Superiore Regulari, possit præcipere suis subditis Sacerdotibus, vt suis satisfaciant oneribus missarum apposito etiam decreto irritante cum propriâ applicatione in casu, quo contrarientur eius præcepto?

60 ℟. Affirmatiuè, & probatur iisdem rationibus, quibus præcedens responsum, non enim minus potens est Prelatis Regularibus in ordine ad bonum commune, vt satisfiat oneribus missarum, immo id ad eius officium incumbit *ex sess. 22. cap. 6. & sess. 25. cap. 4.* dum potest testantium vltimas voluntates ex causa commutare, & reducere onera missarum; à fortiori præcipere, vt illis satisfiat. Vide *Pasqual. q. 180.*

Quæres 21. An si applicatio semel facta sit pro vno, possit Sacerdos ad alterius instantiam transferre in alium?

61 ℟. Negatiuè, quando sortita est suum effectum post consecrationem, quia tunc ita est facta propria eius, pro quo fuit facta, vt Sacerdos eam in alterum transferre non possit, cum super eam ius amplius non habeat, multò minus ipse petens e. g. pro Matre volens, vt transferatur in Patrem, cum iam sit acquisitum ius ei, pro quo applicatum fuit. Ante cōsecrationē tamen potest Sacerdos ad instātiam illius mutare applicationem, quia in debito satisfactionis pendet à voluntate dantis eleemosynam. Vide *Pasqual. q. 185.*

Quæres 22. Qualiter peccet Sacerdos non applicando eo ordine, & modo, quo debet?

62 ℟. Sacerdos non applicans Sacrificium iis, quibus tenetur, sine dubio peccat mortaliter cum obligatione restituendi stipendium acceptum, vel alijs missis satisfaciendi, & in hoc nulla est difficultas. Si posteriorem cre- 63

ditorem præferat priori tenet quidem applicatio, licet à priori receperit stipendium, quod nondum recepit à posteriori, pro quo obtulit Sacrificium, quia in huiusmodi satisfactione spirituali attenditur ipsa applicatio, quæ efficaciter sortitur suum effectum vir-
64 tute Sacrificij, quod suum fructum refert in eum, pro quo fuit facta applicatio, quia per promissionem factam Sacerdos non transfert satisfactionem, & fructum missæ, sed solùm per applicationem; infideliter tamen agit, & peccat præferendo posteriorem priori, cui promisit missam, non tamen peccat contra Iustitiam respectu prioris, pro quo prius debebat celebrare, si alio die pro ipso applicet, adeo quòd tunc solùm celebrans facit contra Iustitiam, quando nullo modo celebrat pro eo, pro quo debet celebrare; mora enim, & tarditas, seu negligentia solùm sunt peccata
65 contra Charitatem negligendo occurrere indigentiæ proximi, quod verificatur non solùm respectu satisfactionis retardando celebrationem pro defunctis, verùm etiam respectu impetrationis, in casu, quo quis petit missam pro impetrando aliquo beneficio, quod sperat infra talem diem, differendo celebrationem vltra illum diem, ita quod licet peccet non celebrando tempore congruo,
66 tamen non facit contra Iustitiam, sicut faciunt retardantes soluere debitum temporale vltra præfixum, tempus, ob damnum illatum, si quod est datum ob eam moram, quæ semper clamat contra morosum debitorem, ea ratione inquam, non facit contra Iustitiam, quia debitor est solius celebrationis, non fructus inde pendentis, tam satisfactorij, quam impetratorij, quem consequitur solùm post applicationem qui dedit eleemosynam, & ignoretur an damnum aliquod sit illarum, ideo ad nihil vlterius tenetur, nisi ad celebrandum, præterquam quod hic agimus de Spiritualibus, quorum damnum non prouenit ex Iustitiæ læsione, sed ex negligentià, & infidelitate promittentis. Vide *Pasqual. q. 182.*

Quæres 23. An in dubio missæ Sacrificium sit applicandum fundatori, seu illam petenti simpliciter.

67 ℞. In dubio celebranda est pro eo, pro quo petita fuit, nisi expressè dixerit, se missam velle pro solà commoditate audientium, & in hoc expresso casu solius commoditatis poterit, acceptoalio stipendio celebrare, & applicare pro receptà ab alio eleemosynà.

Prima pars de missà celebrandà pro eo, pro quo fuit petita, probatur, quia petens simpliciter missam, nullà factà mentione de applicatione, nec quòd velit eam pro se, nec pro alio, præsumitur voluisse id, quod includit missa, non enim petijt verbum sine re, sed rem ipsam per eam vocem; sed missa includit Sacrificium, quod est potissimùm in eà, in qua intenditur, ergo petit eius Sacrificium applicandum sibi, aut alteri, pro quo petitur missa. Petens ergo missam ex quàdam necessarià consequentià petit applicationem Sacrificij, quod sine missà non fit, & cum sola missà solet fieri. Simile est id, quo Acolitus petendo Subdiaconatum implicitè petit obseruationem solemnis voti Castitatis, sine quo ordine non solemnizatur votum, sicut non contingit applicatio Sacrificij sine missà, ad cuius petitionem sequitur oblatio Sacrificij, quod ex suà institutione est propitiatorium, & satisfactorium. Ita ferè omnes cum *Bonac. p. 7. §. 2. num. 13. Barbosa Alleg. 24. num. 35. de Lugo disp. 21. num. 23. & 42. Pasqual. q. 908. num. 6.* Meo igitur iudicio expresso verbo *missæ*, aut *Sacrificio*, non video aliquam subsistere rationem dubitandi, cum petitum Sacrificium, seu missa ex suæ institutione sit propitiatorium, & propitiatorium, ergo petitur secundùm quod est institutum.

Secunda pars, quòd petatur missa cum applicatione Sacrificij, quando petens non se declarat velle solùm commoditatem audiendi missam, probatur, quia ex duplici capite tantùm peti potest missa, vel pro applicatione, vel pro commoditate; primum, cum se habeat per se, sequitur petitionem referendam esse ad applicationem, dum Sacrificium per se est institutum ad propitiationem, & satisfactionem, ergo non expressà commoditate, quæ per accidens se habet, & non ex institutione missam audiendi, cum id pendeat à præcepto Ecclesiæ, sequitur omissà huius expressione peti solùm Sacrificij applicationem. Quod si nulla mentio fiat de missa, 68
nec de Sacrificio, nulla est obligatio celebrandi, sed tantùm orandi, & psallendi, quia propositum in mente retentum nihil operatur, *l. cum in plures 63. §. Locator ff. Locat.* & forte id voluit dicere Marchinus, apud *Pasq. num. 3.* non teneri applicare, dic nec celebrare.

Tertia pars, quòd expressà commoditate, & 69
exclusà applicatione, possit recipere aliud stipendium pro applicatione probatur, quia applicatio tunc nulli est debita, ergo eam applicare potest danti eleemosynam pro ea. *Caram in Theol. fund. num. 416. Pasq. q. 908. num. 3. infra cap. 11. num. 16.* respondebo obiectionibus.

Quæres 24. An Sacerdos nouellus tres 70
missas sibi impositas ab Episcopo ordinatore possit applicare, quibus ipse vult? Quæ sunt de Spiritu Sancto, de B. Maria, & pro defunctis, ex Pontificali Gregorij XIII. fol. 23. his verbis: *Ad Presbyteratum verò ordinati, post primam vestram missam in tribus immediatè tunc sequentibus diebus tres alias missas, videlicet, vnam de Spiritu Sancto, alteram de B. Maria semper Virgine, tertiam pro fidelibus*

bus defunctis dicite; *& Omnipotentem Deum etiam pro me orate*. *Quod illi deuotè suscipiunt, & respondent se facturos*. Referente *Pasqual. q.* 860. qui omittit illa verba: *in tribus immediatè tunc sequentibus diebus*, fortassis expuncta in nouo Ceremoniali, & rationabiliter, quia accidere potest, quòd illæ tres missæ dici non possint immediatè post primam, si e. g. primam missam dixit in solemnitatibus Epiphaniæ, Paschatis &c. in quibus illæ tres missæ dici non possunt, sufficit ergo eas dicere quamprimùm, Rubricâ non obstante, & dicendæ sunt præscriptæ aliter peccatur meo iudicio, quia illæ speciali-

71 ter sunt indictæ, & non qualibet, & à Sacerdotibus acceptata est obligatio, non venialiter, vt dicit *Pasqual. q.* 257. *num.* 2. sed mortaliter, cum impositio directè cadat super qualitatem missæ, secundùm quam acceptata fuit impositio; & sicut sunt celebrandæ sub mortali ex eodem *Pasqual q.* 860. *num.* 6. ita, & secundùm dictam qualitatem, in quam formaliter terminat præceptum, non enim missæ indifferenter, sed tales missæ præscribuntur dicendæ, & acceptantur, ergo tota obligatio respicit qualitatem missarum.

72 ℞. Sacerdotem nouellum posse dictas missas applicare, quibus vult, accepto stipendio. Ratio est, quia impositio facta ab Episcopo non fundatur in Iustitiâ, sed in solâ legali obedientiâ, in hoc debitâ, & promissâ Episcopo, qui nec dicit ordinato, vt eas applicet sibi, vt

73 colligitur ex sequentibus verbis: *Deum etiam pro me orate*, per eam dictionem, *etiam* se excludit ab applicatione speciali illarum missarum, contentus solâ oratione, arg. eorum, quæ habet Merlinus *decis.* 800. *num.* 11. *ex eodem Pasqual. q.* 860. *num.* 9. cum ergo teneatur solum celebrare ex obedientiâ, poterit fructum specialem applicare sibi danti stipendium. Nec obstat Pasqual. extremis verbis, quibus tantùm dicit, quòd non possunt ordinantes acceptare eleemosynam pro his missis, ergo ipsi ordinati eas acceptare poterunt. Et licet *num.* 7. dixerit, adesse obligationem applicandi pro mortuis ex vi illorum verborum. *Tertiam pro fidelibus defunctis dicite*. Is modus loquendi nihilominus inter-

74 pretari potest duobus modis. Primò *pro defunctis*, idest, de defunctis ad similitudinem aliarum duarum, quæ imponuntur secundùm qualitatem celebrandæ. Secundò, *pro defunctis*, idest, quo ad fructum generalissimum, non specialem, sicut in die commemorationis defunctorum generaliter applicatur, & tamen accipitur eleemosyna, ergo & hic.

Quæres 25. An missa; quam vocant Conuentualem habeat specialem applicationem?

75 ℞. Si habet specialem applicationem ex suâ fundatione ea seruanda est, aliter erit arbitraria, quia ex hac qualitate conuentualitatis non infertur obligatio ex Iustitiâ, sed tantùm Religionis cultus diuini. Est communis, apud *Rodriq. tom.* 1. *q.* 43. *art.* 8. *Corduba in Compend. Priuileg. V. Moniales num.* 3. *Diana par.* 5. *tract.* 13. *resol.* 51. *ex alys Pasqual. q.* 899.

Quæres 26. An missa conuentualis defunctorum prima die cuiuslibet mensis non impedita applicari possit specialiter, eleemosynâ accepta?

℞. Affirmatiuè, nisi aliàs specialiter sit obligata ex fundatione, vel aliter; ratio est, quia Rubrica Missalis *par.* 1. *tit.* 5. licet dicat: *Dicitur missa principalis generaliter pro defunctis Sacerdotibus, benefactoribus, & alys*, non prohibet specialem applicationem, cum disponat tantùm de generalissimo fructu, relinquendo specialem pro ijs, qui dant eleemosynam. Et hac ratione sat sit, *Pasqual. q.* 900. id neganti, qui tamen id concedit in Ecclesijs Regularium; nobiscum sentit Quartus super dictam Rubr. *dub.* 3. Confirmatur quia in die Commemorationis defunctorum potest eleemosyna accipi etiam pro applicatione speciali, vt mox dicam, ergo à fortiori in præsenti casu. 76

Quæres 27. An in die Commemorationis defunctorum accipi possit eleemosyna applicando specialiter.

℞. Accipi posse ab eo, qui non est obligatus eo die ex Iustitiâ, & applicari generaliter, & specialiter ad præscriptum Rubricæ, & iuxta intentionem dantis stipem, quia obligatio celebrandi eo die est solum ex legali iussione Ecclesiæ, ergo non ex Iustitiâ, ac proinde accipere potest stipendium pro speciali applicatione sine exclusione generalis totius Ecclesię purgantis. Nec puto alios dissentire in re, nam *Pasqual q.* 901. ait teneri applicare generaliter in Catedralibus, & Collegiatis, non in Regularibus, nihil dicendo de applicatione speciali, & ex Iustitia; *q. verò* 1134. ait, Obligationem Capellaniæ non cessare eo die, dum Ecclesia eo die neminem obligat ad celebrandum; contra quosdam asserentes eo die posse recipere stipendium ab alio, quia Capellaniæ obligatio cessat, *vt dicit Alphons. de Leone apud ipsum*, *& Dianam par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 86. qui Diana id negat, & benè, quia nulla ratio suadet hanc vacationem, & dum Ecclesia præcipit celebrandum pro omnibus, pro nullo dat vacationem, ergo volens celebrare dum non potest aliquem excludere, multò minus institutorem Capellaniæ. 77

Quæres 28. An petenti missam stipendio exhibito satisfieri possit generalissimi fructus applicatione?

℞. Negatiuè, quia exhibitio stipendij habet relationem ad fructum medium, ergo Sacerdos applicando generalissimum non satisfacit suæ obligationi. *Vide Pasq. q.* 868. 78

Quæres 29. An accipiens scienter stipen-

dium incongruum teneatur applicare specialiter pro eo, pro quo datum fuit?

79 R. Affirmatiuè, quia ipso iure, quo recepit scienter illius incongruitatem, se obligauit cedens iuri suo petendi iustum stipendium, & hoc verum est, siue Sacerdos sit pauper siue diues. Est communis cum *Bonac p. 7. §. 2. num. 8. Castropal. p. 14. num. 6. Tambur. de iure Abbatum tom. 2. q. 9. num. 11. cum alijs Pasq. q. 942.* & hoc satis clarum est ex Decretis de celebr. missar.

Quæres 30. An differri possit celebratio missæ alicui promissæ?

80 R. Si missa petatur pro imminenti necessitate, tunc celebranda est, vt occurratur indigentiæ quam citius fieri possit, vt infra eandem hebdomadam, & antequam incurratur periculum, cui obuiam esse intendit offerens stipem missæ, vt Deo auxiliante tollatur periculum, vel speretur gratia mediante Sacrificio missæ. Si dans eleemosynam tempus determinauit, non est ab eo recedendum, qui eleemosynam recepit, quia ex hoc promisit tempore determinato satisfacisse. Si nullum determinauit tempus, dsferetus Sacerdos putet infra bimestre se esse obligatum satisfacere, præsertim respectu mortuorum, qui continuò egent suffragijs, vnde dilatio vltra bimestre videtur longum tempus, ac proinde valde nociua defuncto extremè egenti, mora enim cuiq; nociua est. Quod si dans eleemosynam absq; determinatione temporis, dicat Sacerdoti celebres mihi tot missas pro tua commoditate, dilatio trium mensium intra quam celebretur, videtur modicum tempus. Has temporum determinationes ponit *Pasq. q. 965.* interpretando responsum 10. Sacræ Congreg. ad illud dubium. An decretum de celebr. missar. prohibeat absolutè, quo minus accipiantur nouæ eleemosynæ. Non prohiberi; *dummodò infra modicū tempus possint omnibus satisfacere*.

Spatium duorum mensium ponunt *Marchinus de Ord. tract. 3 p. 2. cap. 31. num. 5. de Lugo disp. 21. de Euchar. num. 34. Auersa q. 11. sect. 18. Vers. Quinto, Quartus in Rubr. Missal. in Append. q. 4. p. 1. diffic. 2. Lezana V. Missa 39.* Breue enim, seu modicum tempus dicitur duorum mensium, *ex l. 2. C. de secundis nupt. Glos. V. Breue cap. Praterea 5. de Ætate*. Licet ibidem multis alijs modis accipiatur breuius, & longius, tamen id spatium in re præsenti videtur rationabilius, cum sit medium.

CAPVT DECIMVM.

De Stipendio Missarum.

SVMMARIVM.

1 *Stipendium est debitum ex diuinâ ordinatione.*
2 *Quo contrahitur obligatio celebrandi.*
3 *Sacerdos non tenetur celebrare specialiter pro aliquo.*
4 *Datum ob causam, eâ non secutâ, restituitur.*
5 *Stipendium varijs titulis datur in missâ celebrandâ.*
6 *Primò ex titulo obligationis contrahendæ ad celebrandum.*
7 *Secundò titulo ministerij & laboris.*
8 *Et quo maior est labor, & obligatio, eo maius datur stipendium.*
9 *Labor quantumuis exiguus est pretio æstimabilis.*
10 *Tria spectantur in stipendio, labor ordinarius, & intrinsecus; extrinsecus, cantus, in aurora, in meridie, in festo, & expensa vini, panis, ceræ &c.*
11 *Pro extrinseco labore plus accipi potest.*
12 *Pro missâ cantatâ, & priuatâ diebus festis.*
13 *Item pro expensis, infra 35.*
14 *Tertiò ex titulo Religionis, qui locum hic non habet.*
15 *Quartò ex titulo sustentationis, qui est congruentior.*
16 *Diues capax sustentationis, non subleuationis.*
17 *Tria stipendia recipiuntur pro tribus missis Natalis.*
18 *Diues Sacerdos recipit stipendium missæ.*
19 *Intercedit pactum, & contractus iustitiæ inter vtrumque.*
20 *Oblatio fit Deo gratis sine vlla præcedenti obligatione.*
21 *Sustentatio importat victum, vestitum, & habitationem.*
22 *Sacerdos petere potest fideiussorem à petente missas.*
23 *Et eum obligare in formâ Cameræ.*
24 *Morosus debitor conuenitur coram Episcopo.*
25 *Sacerdos potest vti compensatione contra nolentem soluere.*
26 *Probatur celebratio per iuramentum Sacerdotis.*
27 *Singuli de communitate idonei testes pro communitate.*
28 *Libro Sacristitiæ probatur celebratio.*
29 *Sacristis creditur in suo officio.*
30 *Solutio stipendij licitè accipitur.*
31 *Episcopus stipendium missæ taxat pro omnibus*

nibus etiam Regularibus.
31 *Quo ad vim directiuam, non coactiuam.*
33 *Ea taxatio intelligitur, quando testator non taxauit, vel eius haredes non conueniunt; tunc spectat ad Episcopum.*
34 *Pinguius stipendium oblatum recipere potest, non extorquere.*
35 *Stipendium augetur ex causà extraordinarià* 11. 12. & 13.
36 *Prohibetur vtriq; ne quid minus detur, aut recipiatur.*
37 *Stipendium taxatum ex Iustitià dandum celebranti.*
38 *Episcopus non potest statuere, vt missa dentur tali Ecclesia.*
39 *Lex enim debet esse ad commune bonum, sine exceptione personarum.*
40 *Neque valet statutum, vt pinguius detur aliquibus, & non alijs.*
41 *Salarium taxandū iuxta consuetudinem, vel statutum.*
42 *Arbitrium boni viri, quod ratione regulatur.*
43 *Solitus dare duos Iulios pro missà, non petuntur post mortem, dum nihil dixit de stipendio dando.*
44 *Si enim id voluisset, expressisset.*
45 *Consuetudo enim particularis non habet vim legis, cum tantùm sit actus liberalitatis.*
46 *Si tamen magna sit summa pecunia, vel fundus frugifer, poterunt celebrare missas ad rationem duorum Iuliorum.*
47 *Testator prasumitur minus grauare haredes, quam fieri possit.*
48 *Testator censetur se conformare cum dispositione iuris.*
49 *Heres debet conuenire de iusto salario cum Sacerdote.*
50 *Testatoris bona sunt obligata pro missis.*
51 *Pro eorum iuribus.*
52 *Legitima nullum grauamen recipit, nec opus pium.*
53 *Supplendum non est stipendium iam taxatum.*
54 *Haredem grauare vltra expressum non prasumitur* 47.
55 *Supplendum non est stipendium antiquum auctum statuto.*
56 *Contractus spectatur ex causà prasenti dum fit.*
57 *Leges dant formam futuris non prateritis etiam habentibus tractum successiuum.*
58 *Testator si preuidisset disposuisset, fallax illatio.*
59 *Non expressit, ergo noluit.*
60 *Testamentum non cantat, neq; ego cantabo.*
61 *Augmentatio intrinseca, & extrinseca.*
62 *Auctis redditibus non augetur numerus missarum taxatus.*
63 *Obligatio numeralis est inalterabilis, non recipiens magis, nec minus.*
64 *Fructus alij naturales, alij industriales.*
65 *Taxatus Iulius licet crescat ille dandus est.*
66 *Integrum stipendium non dans alteri Sacerdoti sic contento iustum, siue non iustum; peccat venaliter non contra Iustitiam, sed contra obedientiam legalem.*
67 *Eximuntur Beneficiarij, & Capellani.*
68 *Vnde prohibitio retinendi portionem eleemosyna videtur restringi ad missas manuales.*
69 *Nec ex industrià trasferendi Mediolano Parmam, aut Cremonam potest aliquid retineri ex dictis* 66.
70 *Seruus ex industrià minoris emens retinet quod sibi supercst sed non laudatur.*
71 *Manutenda Sacristia, si expensa non sunt computata in salario conuento, vt non censentur, si datur ad taxam, manutentio sit sex scutorum annuorum pro quotidianà, pro centum manualibus vnus tantum.*
72 *Et tunc diminuuntur missa pro ratà expensarum.*
73 *Decretum celeb. missar. quà ad capitale inuestiendum.*
74 *Interdictum ab ingressu Ecclesia quid importet.*
75 *Ædes Sacra, Ecclesia, Monasterium, Hospitale, Mons pietatis.*
76 *Pecunia missarum inuestienda conseruari potest in Ærario conuentus.*
77 *Inuestitura est noua aquisitio rei stabilis.*
78 *Mentio semper facienda de onere missarum adiuncto stabili.*
79 *Mobile datur vel in solutum, vel ex eo ducitur pretium inuestiendum.*
80 *Inuestitura respicit tantùm onera perpetua.*
81 *Ratio expressa comprahendit tantùm expressa in obligationibus.*
82 *Inuestitura fit in terris, & domibus.*
83 *Item in censibus, qui sunt res immobiles.*
84 *In molendinis fixis, & super nauibus positis.*
85 *Pecunia non potest consumi in fabricà conuentus, vtique in reparandis domibus, qua locantur laicis.*
86 *Monasterium ad hunc effectum non est frugiferum.*
87 *Capitale pingue totum omnino implicandam est.*
88 *Ecclesia non tenetur subministrare Paramenta Capellano.*
89 *Obligatio omnis oritur vel à iure, vel ab homine.*
90 *Testator non prasumitur velle esse onerosus Ecclesia.*
91 *Haredes tenentur prouidere Capellano de Paramentiis, & alijs.*
92 *Stipendium respicit sustentationem, non expensas celebrationis.*

CErtum est, Sacerdotem non teneri gra-
tis celebrare petenti missam pro se, vel
suis, sed requiri stipendium, quo Sacerdos se
obligat ad celebrandum pro alio specialiter,
& id esse licitum nemo dubitat, cum manife-
ste colligatur ex Sacra Scriptura *Matth.* 10.
1 11. *Dignus est operarius cibo suo. Luca* 10.
7. *Dignus est operarius mercede sua. Paulus*
I. ad Corinth. 9. 13. *Qui Altari deseruiunt,*
cum Altari participant, ita & Dominus ordi-
nauit ijs, qui Euangelium annuntiant, de E-
uangelio viuere. Patet ex Dei ordinatione
fundatâ in iure naturali Sacerdotem posse iu-
re merito petere stipem ab exigente missam,
& in pactum deduci, absq; vlla specie simo-
niæ, dum exigitur id quod iure naturæ ex di-
uinâ ordinatione licitum est, nemo enim te-
netur alteri seruire, nisi se obliget, vel gratis,
vel stipendio, & mercede. Non cito Docto-
res, quia in hoc nulla controuersia, quos ma-
gno numero recenset *Pasqual. q.* 903. *Barb.*
Allegat. 24. *num.* 2. *Lugo disp.* 21. *de Eu-*
char. sect. 1. *Auersa q.* 11. *sect.* 17. sed acce-
damus ad quæstiones.

Quæres 1. Quo titulo recipiatur stipen-
dium, vt euitetur simonia? Nam recipi po-
2 test *primò* intuitu obligationis contrahendæ,
nam & si Sacerdos in sua ordinatione se ob-
liget ad celebrandum, vt colligitur ad *Hebr.*
5. *omnis Pontifex ex hominibus assumptus*
pro omnibus constituitur in ijs, quæ sunt ad
Deum, vt dona offerat, & Sacrificia pro pec-
catis. Et propterea debet quemadmodum pro
populo, ita etiam pro semetipso offerre pro pecca-
tis, Ista tamen obligatio restringitur ad po-
pulum, & ipsum celebrantem, pro quibus
applicatur, illi fructus generalissimus, & huic
specialissimus, ita quòd ex vi suæ ordinatio-
nis non contraxit debitum celebrandi pro
hoc, vel illo specialiter petente, vnde ad hanc
obligationem contrahendam inter peten-
tem, & Sacerdotem, vt petens certus sit,
3 quòd pro ipso celebrabit, offert eleemosy-
nam, sic dictam ob quandam honestatem,
ne dicatur vendi missa, & stipendium, quo
accepto, Sacerdos remanet obligatus ex Ius-
titiâ illi satisfacere, & non satisfaciens, tene-
tur restituere stipendium, nam datum ob
4 causam, eâ non secutâ restituendum est, *l.* 1.
ff. de cond. ob causam, cap. 5. *de donat. inter*
vir. Res est certa, quia nullus contradicit.
Secundò, recipi potest intuitu ministerij, la-
boris, & operæ in celebrando. *Tertiò*, acci-
pi potest titulo Religionis. *Quartò*, titulo
sustentationis. *Quintò*, titulo pretij ipsius
celebrationis, missæ, & Sacrificij, quod peti-
tur, quòd sine dubio est simonia.

5 ℞. Omnes isti tituli sunt congruentes præ-
ter tertium, & quintum, qui reddunt simo-
niacum stipendium inter alios honestos vide-
tur congruentior titulus quartus de sustenta-
tione, vt patebit in probationibus.

Primus titulus ex inductione obligationis 6
specialis congruit, & iustificat contractum ne
sit *simoniacus*, in tantùm enim licet recipere
aliquid, in quantùm conceditur iure diuino,
& naturali, quia ita dictat ratio, cum quis su-
is stipendijs non teneatur militare; nullus au-
tem Sacerdos pro alio specialiter ex suâ ordi-
natione obligatur celebrare, ergo cum liceat
illi se obligare, vel gratis, vel mercede; sequi-
tur stipendium accipere titulo contrahendæ
obligationis, cum ergo stipendium det esse
obligationi, & non celebrationi, neq; huic
poterit dare esse simoniacum, dum in eius
existentiam non influit, datur ergo stipendi-
um pro obligatione, non pro celebratione,
licet hæc sequatur ad illam, ex quo nec potest
infici labe simoniæ, quia stipendium, nec ob-
ligatio sint infecta. Ita *Sanch. lib.* 2. *tom.* 1.
consil cap. 2. *dub.* 10. *num.* 6 *quem sequitur*
Gabriel Carmelita de Sacrif. disp. 3. *q.* 6. *Vers.*
Nostra sententia.

Secundus titulus ministerij, operæ, & la- 7
boris congruit, quia nullam simoniæ ratio-
nem in se continet, ergo nec missæ illam tri-
buere potest, ac proinde hoc titulo stipendi-
um iustificatur; immo dato, quòd speciem si-
moniæ haberet, non potest excedere ipsum
ministerium, & transire in Sacrificium, quia
ex parte rei aliud est labor, aliud missa, nec
obstat, quòd non possit dari missa sine labo-
re, & exercitio, quia sicut non potest dari be-
nedictio consequens calicem sine calice, &
tamen venditur calix habens adiunctam be-
nedictionem sine labe simoniæ, quia vnum
venditur non aliud, ita venditur labor inse-
parabilis à missà, quæ sine ea esse non potest,
sine simonià quia vnum venditur, scilicet la-
bor, non missa.

Confirmat id Gabriel, quia augetur sti-
pendium intuitu maioris laboris, vt patet in
missà cantatà, & in celebrando in loco dis- 8
tanti, vel in horà matutinali, aut meridiei,
quæ circumstantiæ sicut arguunt incommo-
dum maius, ita & stipendium exigunt ma-
ius, *ex Pasq. q.* 911. 912. *&* 913. Quòd titu-
lus laboris excludat Simoniam docet *Glos.*
V. Santtatis cap. Qui studet 11. *caus.* 1. *q.* 1.
dictus Gabriel, & alij quos tacito nomine re-
fert de Lugo disp. 21. *num.* 10. vbi impugna-
tiones Suarez, & Sanchez ait esse facilis solu-
tionis, & supra solutæ sunt, ipse verò *num.*
12. sic impugnat, quia labor ille corporalis
secundùm se non sufficit ad iustificandum sti-
pendium vt ex iustitià debitum, quia licet
aliquando, non tamen regulariter est talis,
& saltem de possibili non est dubium, quòd
posset celebrari absq; labore digno tanto sti-
pendio, nam secluso Ecclesiæ præcepto pos-
set celebrare solùm consecrando, & sumen-
do, quod totum in momento fieri potest, qui
labor secundùm se non esset dignus tanto sti-
pendio, quod datur pro missis. Quod con-
firmat,

firmat, quia si pro calice consecrato daretur aliquid plus, quam valeret ipsius materia, præsumeretur datum pro consecratione, sic dando pro labore missę stipendium absq; proportione excedens valorem ipsius laboris, præsumeretur dari pro valore Sacrificij, quod coniungitur labori.

9 Sed contra est, quia vbicumq; labor supponitur siue breuis, siue diuturnus, in quocumq; casu sufficit ad iustificandum stipendium, cùm qualitercumq; sit ille labor, semper sit pretio æstimabilis, omnis enim labor optat præmium, & cum casus de possibili sit, & non de facto secundùm legem, non est considerabilis, quia lex ad ea, quæ rarò eueniunt, non se extendit, multò minus ad possibilia, *l. nam ad ea ff. de legib.* Et ex quo æquale stipendium daretur vtriq; illa præsumptio oriri nō posset, experientia enim cōstat inter celebrantes eundem laborem non reperiri, cum vnus citius altero missam expediat, & in senibus labor est grauior, quàm in iunioribus, & prolixior est labor missarum de Passione Domini in hebdomadâ Sanctâ, quam in alijs, & nihilominus non variatur stipendium ex variatione maioris, vel minoris laboris, qui intrinsecè, vt aiunt, requiritur in celebrando, quod est signum euidens, laborem secundum se iustificare stipendium, dum hoc non alteratur ad mutationem laboris in ordine ad missam, quia assignatur pro labore, sine vllo respectu ad missam longiorem, vel breuiorem, sicut ergo ex pretio excedente materiam calicis arguitur venditio etiam consecrationis calicis, ita argueretur venditio Sacrificij, si plus reciperetur pro missâ de Passione, quàm de aliâ breuiori, & minus de solâ consecratione, & sumptione sine missâ ordinatâ, sicut ergo materia calicis habet determinatum pretium iuxta suum pondus, & artificium, ita labor in celebratione determinatum habet pretium, quicunq; ille sit, siue longus, siue breuis, quia sufficit quòd de se sit pretiabile, quod sola lege, vel consuetudine taxatur, ad excludendam suspicionem simoniæ, & id manifestè patet ex allatis auctoritatibus, dum dicitur, quòd dignus est operarius mercede suâ, opera ergo etiam rei spiritualis, secundùm Dei sententiam, est pretio æstimabilis, quia ipsa venditur, non res spiritualis, ad maiorem autem huius rei claritatem.

10 Aduertendum, quòd in celebratione missæ tria spectari possunt in ordine ad stipendium. *Primò* obligatio, & labor ordinarius idem in omni celebratione, pro quibus constituitur legale stipendium in ordine ad sustentationem celebrantis. *Secundò* obligatio, & labor extraordinarius, qui non competunt omnibus missis, sicut præcedens, vt celebratio in cantu, in aurorâ, in meridie, in loco distanti &c. Stipendium autem ordinarium hæc non respicit, cum sint extraordinaria, & dicuntur esse extra ordinem missæ, cuius celebratio contingere potest sine dictis laboribus, & incommodis, qui dicuntur labores extrinseci, vnde respectu horum laborum extrinsecorum potest augeri stipendium, & de facto augetur sine vllo iniustitiæ scrupulo. Igitur pro extrinseco labore plus accipi potest, *S. Bonau. in 4. dist. 25. art. 1. q. 4. in fine.* 11 *Angelus V. Simonia 2. num. 26. Corduba lib. 1. q. 22. Fraxinel. sect. 4. concl. 1. num. 8. cum alijs Pasqual. q. 911.* qui seq. quæstione ait, pro missâ solemni posse accipi duplicatum, *ex Tambur. de Sacrif. lib. 3. cap. 1. §. 3.* 12 *num. 38.* sic practicatur fere in omnibus locis. Al quid igitur accipi poss. pro solemni missâ vltra ordinarium stipendium docent, *Lessius lib. 2. cap. 32. num. 51. Fraxin sect. 4. concl. 1. num. 8. Lezana V. Missa 23. Cum alijs citatus Pasq.* Etiam ratione diei festi in missis priuatis, quia maior est occupatio, & incommodum propter multitudinem celebrantium, *Bonac. q fin p. 8. num. 13. Tamb. de iure Abbat. tom. 1. disp. 5. q. 9. num. 15. cum alijs idem Pasqual. q. 913. referens statutum Concil. Mediol. 3. par. 2. decr. 16.* Demum *Tertiò* spec- 13 tandæ sunt expensæ vini, ceræ, ministri, fermentis, & manutentionis Sacristiæ, neque enim Sacerdos hæc ponere de suo tenetur, vnde vel extrahendæ sunt de ordinario salario, ac proinde cum diminutione missarum, vel in primâ obligatione in pactum deducendæ, quamquam vt plurimùm recipiens stipendium taxatum sine aliâ conuentione Sacerdos videtur simpliciter se obligare de suo, sed de hac re infra suo loco q. 19.

Tertius titulus Religionis hic locum non 14 habet, dum quidam Doctores ex hac oblatione stipendij comparant Sacerdotem, & dantem eleemosynam in alimentum, quasi eam dans contraxerit filiationem spiritualem cum Sacerdote, ac proinde teneatur illum alere, sicut pater pauper alitur à filio diuite; nam ea non facit ad rem, quia ex huiusmodi oblatione nulla exurgit parentela spiritualis, vt notum est, & multis impugnat *de Lugo num. 6.*

Vnde non placet, quod dicit Gabriel citatus in fine q. 6. nimirùm dari stipendium non titulo Iustitiæ, sed Religionis, in quantùm virtus Religionis obligationem inducit in fidelibus sustentandi illos, qui Altari seruiunt, probans ex allatis Pauli auctoritatibus, & ex communi modo loquendi fidelium, qui non vocant stipendium missæ ius aliquod Iustitiæ, sed eleemosynam, sub cuius titulo recipiunt illud, & non sub titulo Iustitiæ.

Non placet, inquam, quia actus Religionis non oritur ex stipendio, nec hoc ab illa, dum stipendium vti pretium non potest referri ad Religionem, quæ est quid spirituale; Nec ex quo vocatur eleemosyna recipit rationem Reli-

Religionis cum tantùm arguat subleuationem, & sustentationem, celebrantis, non actum Religionis, ideo per hæc non tollitur ius Iustitiæ, sed potius augetur, cum Sacerdos de suo non teneatur expendere in celebratione missæ, vendit ergo Sacerdos suum laborem, & alia requisita ad ministerium recepto stipendio pro suis rebus, vt de illo se sustentet, absq; venditione Sacrificij, sicut pictor à me petendo tabulam, & colores, & donando picturam non dicitur illam vendere, cùm sola tabula cum coloribus veniat in contractum, ex his ergo oritur obligatio, ad quam sequitur donatio missæ, & picturæ.

15 Quartus titulus est, dari stipendium pro sustentatione celebrantis, qui in sententiâ ferè omnium est congruentior, tum quia colligitur ex eo cap. 9. 1. corinth. tum quia titulus sustentationis magis elongat suspicionem simoniæ à missâ, quàm alij tituli, qui præcedunt; vel concomitantur illam, titulus verò sustentationis quò ad effectum est magis remotus, dum fit post celebrationem sine ordine ad illam. Demum ex quouis titulo detur stipendium, illud non arguit simoniam, cum illud de iure naturæ, & diuino sit debitum operanti, ex citatis iuribus, ergo euacuatur omnis suspicio simoniæ, cum hæc nullo iure concedatur, sicut stipendium missæ, non pro missâ, sed ex illis titulis, qui sunt aliud ab ipsâ missâ. Vide *Pasqual. q. 903. de Lugo disp. 21. sect. 1. Suar. disp. 86. sect. 1. Castrens. par. 2. tract. 23. disp. 3. sect. 8. num. 102. Bonac. de Euchar. q. fin. p. 8.*

Gabriel Carmelita q. 6. de Sacrificio tenens stipendium pro obligatione celebrandi, non pro sustentatione impugnat hunc titulum sustentationis. *Primò*, quia sequitur solum Sacerdotem pauperem posse recipere stipem. *Secundò*, quòd in die Natalis non possit recipere tria stipendia celebrando tres missas. *Tertiò*, pariter Parochum pluries celebrando ratione plurium Parochianum, non posse recipere plura stipendia. *Quartò*, beneficiatos diuites non posse recipere eleemosynam pro missis, nam sustentatione non egent.

Vnico responso obliterantur præfatæ sequellæ, nam titulus *sustentationis* communis est tàm diuitibus, quam pauperibus. Omnis enim homo in hac vitâ sustentatur suo labore, vel suo peculio, consequenter etiam diues stipendio missæ celebratæ sustentantur tamquam re suâ dum sustentatur suis redditibus, & prouentibus, inter quos numeratur

16 stipendium. Vnde *Ad primum* vtrumq; esse capacem stipendij, quo etiam diues sustentatur, dum eo vtitur ad suum statum, victum, aut vestitum, aliud enim est sustentationis ratio, aliud subleuationis indigentiæ, illud spectat ad præsentem titulum communem vtrisq; hoc verò refertur ad paupertatem, ratione cuius propriè non datur stipendium. *Ad secundum*, licitè tria stipendia accipiuntur in die Natalis, quia tres sunt obligationes, tres labores, tres impensæ &c. *de Lugo disp. 21. num. 18. Pasqual. q. 906. Ad tertium* idem dicendum de Parocho ob diuersos labores, & impensas. *Ad quartum* diuites eadem stipendia recipere possunt; ita ferè omnes cum *Suar. lib. 4. de Relig. tom. 1. de simon. cap. 46. num. 7. dicto secundo, Rodriquez par. 1. summæ cap. 252. num. 4. de Lugo disp. 21. num. 18. cum alijs Pasqual. q. 905.* Contra S. Antoninum, & alios paucos apud Pasqualigum, negantes Sacerdotem diuitem posse recipere stipendia missarum, probant, *Primò*, quia Ecclesia non permittit diuites ali ex oblationibus Ecclesiæ, *cap. si quis 2. q. 1. cap. ibi autem 12. q. 1. Secundò*, quia stipendium datur in sustentationem, ex quo titulo diues accipere non potest, neq; ex alio. Respondetur *Primò*, locis citatis sermonem esse de oblationibus communibus destinatis pro pauperibus, quarum ius non fauet diuitibus. *Secundò*, sustentationem, cum sit aliud à subleuatione miseriæ, esse vtrisq. communem, & adesse alios titulos, neq; enim tenetur alijs gratis seruire, & de suo expendere in celebratione missæ. 17 18

Idem Carmelita alia duo ibidem dicit contra Cardinalem, quæ in quantùm dictis à me aduersari possunt refero. *Primum*, quòd indignum videtur virum nobilem diuitem animo generoso stipendium velle suæ sustentationis pro breui missæ celebratione; facilius inducentur, vt stipem accipiant pro obligatione, quæ in homine libero magis æstimatur, quam pro sustentatione. *Dico ego*, quòd non minus delectatur lucro diues, quam pauper, immò magis diues ex eo; quòd amor diuitiarum facit illos auaros, & cum auarus semper egeat, mirum non est, si stipendio missarum sustentantur, dum illo tamquam re propriâ post missam celebratam vtuntur, non nisi ad suam sustentationem, dum illud pro se expendunt. *Secundum* quòd ait, omnes supponere, commune stipendium esse adæquatum pro missâ hodierna, ergo frustra accipiuntur tria stipendia in Natali Domini, quoniam vnum correspondet sustentationi illius diei, & alia duo pro sustentatione totius anni, quod subsistere non potest, quia vtriusq; intentio est dandi vnicum stipendium, & illud recipiendi pro tribus illis missis, neque enim dans stipendium intendit illud soluere pro aliqua sustentatione totius anni. *Dico ad hæc*, stipendium non regulari à die, sed à numero missarum, vt tot sint stipendia, quot missæ, vt benè dicitur in Decreto de celebr. missar. ibi: *Vt absolute tot celebrentur missæ, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint.* Quod verò vnico illo eo die sustentari possit, vel non possit, non per-

pertinet ad rationem stipendij relatiuè ad ce-
lebrantem, quia non omnes sunt pares in ex-
pensis sustentationis, quia vnus alio magis
impendit in viuendo non dico lautè, sed re-
gulariter, vt experientia docet, stipendium
enim vix sufficit vni, alteri superfluit, stipen-
dium ergo secundùm numerum non regula-
tur à die, sed à numero missarum. Falsum
quoq; intentionem vtriusq; esse de vno sti-
pendio, cum praxis sit in contrarium apud
omnes etiam huius Ordinis Carmelitas.

Quæres 2. An intercedat contractus ex
Iustitià vtrinq; obligatorius inter promitten-
tem, seu dantem eleemosynam, & promit-
tentem celebrationem missæ, itaut si non ce-
lebret acceptà stipe teneatur ad restitutio-
nem stipendij accepti?

19 ℞. Affirmatiuè, hoc enim ipso, quòd in-
ter vtrumq; intercedit promissio, seu pactum
expressum, vel tacitum de dando stipendio,
& de missà celebrandà, ipso iure oritur obli-
gatio Iustitiæ dandi ex parte petentis mis-
sam, & celebrandi ex parte Sacerdotis. Ita
omnes concedunt, posse in pactum deduci,
***Rodriq par. 2. cap.* 58. *concl.* 6. *Fraxin. sect.*
2. *num.* 2. *&* 5. *Vasq. par.* 3. *disp.* 234. *cap.*
1. *num.* 3. *Nauar. cap.* 23. *num.* 102. *ex alijs
Pasqual. q.* 904.**

Colligitur hinc, & ex præcedentibus, sti-
pendium hoc esse propriè mercedem iure na-
turali, & diuino correspondentem obligatio-
ni, & labori tùm intrinseco, tùm extrinseco,
quæ merces in vtilitatem, satisfactionem, &
sustentationem Sacerdotis refertur, quorum
omnium est pretium, vnde impropriè dicitur
eleemosyna, cum non detur ex motiuo mi-
sericordiæ, sed ex prædictis titulis; sicut &
oblatio, quæ ex proprià suà ratione fit Deo
gratis sine vlla præcedenti obligatione, vt
20 docet Pasqualig. q. 903. num. 13. cuius ta-
men dictum, quòd stipendium quoq; dicatur
impropriè, cum sit actus executiuus obliga-
tionis alendi Sacerdotes; non placet, quia
propriè est pretium executiuæ obligationis,
ad quam sequitur vtilitas, & commodum
sustentationis.

21 Quid autem importet huiusmodi susten-
tatio in ordine ad quam datur stipendium,
non conueniunt Doctores, nam aliqui vo-
lunt eam consistere in alimentis non solum
ipsius Sacerdotis, sed aliorum etiam, qui su-
nt de eius familià, sed non congruenter cum
notum sit stipendium taxatum vix sufficere
pro tenui tantùm victu Sacerdotis, eius quo-
q; labori, & insumptioni vini, panis, cande-
larum &c. & non vltra; alij aiunt, stipendium
missæ debere sufficere pro honestà sustenta-
tione victus, vestitus, & habitationis, sed ex-
perientià constat non sufficere, ergo ab his
stipendium regulandum non est, sed ex la-
bore; & impensis celebrantis pro eo breui
tempore quo celebrat, vnde taxatum vnius
Pauli, seu Iulij stipendium videtur prædic-
tis correspondere, & ex eo sumere aliqua-
lem sustentationem, quam complet postea
ex proprio patrimonio, aut beneficio, si quod
habet: Vide ***Mirand. tom.* 1. *q.* 41. *art.* 23.
concl. 4. *de Lugo disp.* 21. *num.* 23. *Rodr. tom.*
1. *q.* 43. *art.* 17. *Bonac. p.* 8. *num.* 14. *cum
alijs Pasq. q.* 923.**

Quæres 3. An in instrumento obligationis
missæ quotidianæ à Sacerdote peti possit fide-
iussor, qui se obliget in solidum cum princi-
pali promittente solutionem stipendij?

℞. Affirmatiuè, quia creditor cuicumq; 22
obligationi petere potest pro suà securitate fi-
deiussorem *ex tit. de fideiussor.* ergo & in hàc
de pretio soluendo pro celebratione, sicut e-
nim ex huiusmodi instrumentali obligatione
simplici nulla contrahitur suspicio simoniæ,
ita neq; ex additione fideiussionis petitæ, quæ
celebrantem reddit cautionem quò ad exac-
tionem sui stipendij.

Quæres 4. An instrumentum fieri possit in
forma Cameræ vt aiunt, amplissimà cum re-
nuntiatione &c.

℞. Affirmatiuè, quia ista rigorosa obliga- 23
tio, quæ cito secum trahit executionem solu-
tionis, adiungi potest aduersus quoscumque
debitores, vt tempore debito cogantur solue-
re, si in morà sint, in omnibus contracti-
bus licitis, ergo & in hoc de obligatione ce-
lebrandi, cum sit licitus, & liber ab omni sus-
picione simoniæ, & iniustitiæ.

Quæres 5. An Sacerdos possit conuenire
morosum debitorem occasione stipendij mis-
sarum celebratarum?

℞. Affirmatiuè, & coram Episcopo, licet 24
conueniatur laicus, quia in hoc subditur po-
testati Ecclesiasticæ, ratione rei, quod est sti-
pendium in ordine ad missam, respectu cuius
subditur Ecclesiastico Iudici. Ita ***Rebuff. in
tract. Quando seculares num.* 6. *Fragasus de
regim. Christ. respubl. par.* 1. *lib.* 2 *disp.* 4.
§. 4. *memb.* 9. *Alphons. de Leone de offic. ca-
pell. q.* 6. *sect.* 4. *num.* 40. *Garzia in summa
tract.* 3. *diffic* 10. *p.* 1. *num.* 16. *ex illis Pas-
qual. q.* 914. *num.* 6.** id deducens ***ex cap. ad
Apostolicam* 42. *de simon.*** notans ***num.*** 8. vti 25
posse compensatione, si non possit satisfieri.

Modus autem probandi consistit in duo-
bus, in iuramento, vel ex libro Sacristiæ, in
quo notantur missæ.

Primum de probatione missarum celebra- 26
tarum docent pleriq; apud Carenam ***resol.***
41. vbi ait probari per attestationes iuratas
Superioris, & Curati Ecclesiæ, vt antesigna-
nus videtur esse ***Guidop. decis.* 614. *quem se-
quitur Simon de Pretis lib.* 4. *de interp. vlt.
vol. interpret.* 2. *dub.* 4. *num.* 77. *& eius Ad-
dition. P. Mattheus, & Ioannes de Cruce,
Mascard. concl.* 709. *num.* 2. *Borgnin. vol.* 4.
dec. 16. *num.* 12. *Pasqual. q.* 1082. *num.* 6.
Gargiar. lib. 2. *consil.* 18.** qui omnes impu-

gnant opinionem Thesauri *lib. 1. q. 86.* negantis sufficere iuramentum Superioris Monasterij, quia nullus potest esse idoneus testis in propriâ causâ, in quâ agitur de proprio interesse, sed præfati Doctores Carena, & Gar-
27 giar. respondent, tunc interesse habere locum, ne quis sit idoneus in propriâ causâ, quando singuli prout singuli habent singulare interesse, non verò, quando tale interesse illis competit communiter, non diuisim, & singulariter; quia tunc non est interesse proprium, sed communitatis, singuli ergo de communitate sunt testes idonei pro ipsâ communitate, *ex Farinac. q. 60. num. 54. & 61. Menoch. lib. 2. de arbitr. casu 106. num. 5. Rota par. 1. Recent. dec. 136.* supradicti ergo concludunt sufficere iuramentum Superioris ad probandum celebrationem missarum, vt etiam docet Homobonus *par. 7. suorum consil. Resp.* 1 a.
28 Cum Thesauro est Riccius *par. 3. Resol.* 365. qui docet alio medio esse probandam celebrationem missarum, nimirum, per librum Sacristitiæ Officialis deputati, qui quotidie scribit missas. Vel alio modo probari posse, nempe, Ecclesiam esse oneratam tot missis, & quotidie tot Sacerdotes celebrasse, quod tamen redditur difficilius, quæ enim personæ id probare debent, nisi quæ quotidie seruiunt Ecclesiæ, qui sunt proprij illius Sacerdotes, à quibus tandem colligitur probatio, cum impossibile sit per extraneos id probare, idcirco Superior Monasterij, & Collegiatæ idonei erunt testes celebrationis cum
29 suis Sacerdotibus, maxime Sacristis, quibus, adhiberi solet fides, vt ex Felino *in cap. Ad audientiam, de præscript.* docet idem Riccius in fine dictæ resolutionis.

Quæres 6. An liceat exigere anticipatè stipendium ante celebrationem missarum?

30 ℞. Affirmatiuè, quia cautio fideiussionis, & in formâ Cameræ peti potest, ergo & anticipata solutio, quæ loco illarum succedit in effectu, cum tunc illis non egeat, cum debitor soluens anticipatè non sit in morâ, nec de morâ sit suspectus, licita ergo est anticipata exactio stipendij, sicut ipsum stipendium simpliciter promissum, quod inficere non potest ex diligentiâ, & acceleratione, quæ nullum indicant vitium, sed solertiam, & prudentiam. Ita *Layman lib. 4. tract. 10. cap. fin. §. 2. num. 15. fine Sanch. lib. 2. consil. cap. 3. dub. 11. num. 13. alij cum Pasqual. q. 914. num. 2.*

Quæres 7. Ad quos spectat taxare salarium, seu stipendium missarum?

31 ℞. Taxare stipendium missarum spectat de iure vnicuiq; Episcopo in suâ diœcesi tam respectu suorum Clericorum, quàm Regularium, etiam in casu, quòd testator non determinauit in suo testamento, qui tamen debet se conformare consuetudini loci, aut legi, seu statuto episcopali, ita quòd ad hæredes id munus non spectat. Taxatum autem pretium, & stipendium cum pro iusto habeatur, non est mutandum, nec alterandum inter partes, nisi duobus in casibus, primò ex aliquâ speciali causâ non comprehensâ in determinatione stipendij; secundò alterari potest diminutione, vel auctione ex consensu partium, vnde Sacerdos non solùm maius pretium sibi oblatum sponte recipere potest, non tamen extorquere contra petentem missam, sed etiam minus sibi oblatum recipere si velit, in his enim iuri suo cedere possunt. Intellige hoc, nisi legislator expresè prohibeat vtrisq; alterationem secundùm magis, & minus, quod facere potest, ad euitandas quasdã artificiosas diligentias palliandi vitium lucri, & auaritiæ.

Prima pars, quòd taxare stipendium spectet ad Episcopum, ita clara est, vt non egeat probatione, id enim spectat ad regimem suæ diœcesis, ne altercationes oriantur inter Sacerdotes, & populos, & ne testantium voluntates remaneant sine debitis suffragijs ex differentijs inter Sacerdotes, & obligatos ad soluenda legata in assignatione stipendij. Ita *Miranda tom. 1. q. 41. art. 23. Bonac. q. fin. p. 8. num. 8. cum alijs Pasqual. q. 926.*

Secunda pars, quòd taxa afficiat omnes 32 celebrantes etiam Regulares, probatur, quia taxa eiusmodi fundatur in Iustitiâ, à quâ tamquam à iure naturali nemo eximitur; vnde Regulares huic taxæ subijciuntur ex vi directiuâ, licet non ex vi coactiuâ, in quantùm si addatur pœna violantibus taxam, non incurrunt illam. Ita *Tambur. de Sacrif. missæ lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 99. Pasqual. q. 930.*

Tertia pars, testatore non determinante 33 salarium missæ, spectat ad Episcopum, non ad hæredes, vt Sacra Congregat o respondit quærenti his verbis: *Quintò posito, quòd testator relinquat, vt celebrentur pro eius animâ centum missæ absq; vlla præscriptione eleemosynæ. Quæritur, an liberum sit hæredibus eleemosynam solui bene visam præscribere? An vero eadem eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario?* Per hæc verba: *Ad quintum, censuit, vbi nullam certam eleemosynam testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleemosynam congruam, quæ respondeat oneribus missarum celebrandarum secundùm morem Ciuitatis, vel Prouinciæ.* Hoc autem responsum locum habet etiam respectu Regularium, qui in hoc si non conueniant cum hæredibus debent stare determinationi Episcopi, quãdo inter se altercantur in quo casu locum habet dictum Responsum, vt notat *Pasqual. q. 932. num. 3.* Quare si concordant inter se, vt possunt priuatis voluntatibus, non est opus recurrere ad Ordinarium, quod idem dicendum est de Sacerdotibus sæcularibus conuenientibus cum hæredibus defun-

ctì in

cti in taxatione stipendij. In discordia autem Episcopus debet sequi taxam in suo synodo, vel consuetudine inductam in defectum statuti ad formam huius Responsionis.

34 Quarta pars, quòd Sacerdos maius stipendium taxato exigere non possit, probatur, quia iam taxatum censetur iustum, ergo non nisi iniustè maius petitur, & subsequenter tenetur restituere illum excessum exortum, cum illi de iure non sit debitum. Tale quoq; erit peccatum, qualis quantitas excessiua. Est communis cum *Suar. disp. 86. de Euchar. sect. 2. Rodriq. Par. 1. cap. 251. concl. 4. Miranda tom. 1. q. 41. art. 23. cum alijs Pasqual. q. 929. num. 2. 3. & 8.* Dico *extortum*, quia si libenter datur, quod non ita facilè credendum est, non peccat, nec proinde illum excessum restituere tenetur, vt omnes fatentur; sicut & quando stipendium grassius non petitum datur, liberalitas enim non inducit peccatum, vnde nec Episcopus prohibere potest, ne quis det maius stipendium supra taxam, sed solùm, quòd non extorqueatur, cum extorsio arguat iniquitatem, liberalitas verò gratitudinem, & maiorem affectum erga ministerium Sacerdotale, ac proinde cultum maiorem Sacrificij, & fructum ampliorem erga defunctum, cuius eleemosyna grassior quid vlterius meretur. Itaque Ordinarius non potest prohibere, ne maius stipendium accipiatur à sponte dante. Ita *Angelus V. simonia num. 10. Tabiena num. 18. Silu. q. 11. cum alijs Pasqual. q. 926. num. 5.* Contra nonullos, quos pro se citat *Barbos. Allegat. 24. num. 9. apud eundem Pasqual. num. 4.* sed reuerà intelligendi sunt, quòd Episcopus prohibet extorsionem, non liberalitatem.

35 Quinta pars, quòd ex causà extraordinarià, & speciali possit exigere maius stipendium vltra taxatum, probatur in his exemplis, vt quia petitur missa cantata, vel in aurorà, vel in meridie &c. hæ at aliæ similes causæ important maiorem obligationem, & subiectionem, ad quam taxa non extenditur, nam ad ea, quæ sunt extra ordinem, leges & statuta non solent se extendere, *l. nam ad ea ff. de legib.* & extrinseca non habentur in consideratione, sed quæ sunt ex naturà rei, *l. si quis ff. si cert. pet.* certum autem est, adducta exempla esse extra ordinem celebrationis ordinariæ, quæ nec tempori, nec cantui regulariter alligatur; cum ergo taxa ad hæc non referatur, sed ad titulos obligationis, laboris, & sustentationis, ceræ, vini, &c. intelligitur iustum pretium tantùm quò ad hæc.

36 Sexta pars quòd Ordinarius possit prohibere vtriq; ne quid minus detur, aut recipiatur infra taxam, probatur, quia prohibere potest id, quod est contra Iustitiam; sed dare minus iusto pretio est contra Iustitiam, ergo id prohibere potest. Et pariter quòd supra taxam nihil extorqueatur, vt dixi sub num. 34. Ita *Bonac. p. 8. num. 9. Castropal. p. 14. num. 4. Pasqual. q. 927.* contra dantem minus, & *q. 928.* contra recipientem minus. Nonnulli sentiunt oppositum, non posse fieri hanc prohibitionem, & quia stipendium habet rationem eleemosynæ, quæ coactè non datur, nec recipitur; & quia liberalitas non prohibetur. Stipendium est impropriè eleemosyna, cum reuerà sit pretium ex Iustitià, & liberalitas sub specie alienà palliata prohiberi potest.

Septima pars, quòd petens missam teneatur taxatum stipendium dare, certa est, 37 quia & ipse subditur statuto, vel consuetudini receptæ in suo Episcopatu, maximè cum censeatur ab omnibus iustum stipendium ab eo soluendum, aliter peccat, & tenetur ad restitutionem, sicut vice versà Sacerdos excessum supra taxam extortum tenetur restituere, nisi Sacerdos spontè contentus sit. Nullus sentit oppositum.

Quæres 8. An ordinarius statuere possit, vt stipendia missarum dentur determinatæ Ecclesiæ?

℞. Non potest, nec in synodo, nec extrà, 38 & factum nullum est; ratio est, quia de ratione essentiali Legis, & Statutorum est, quòd sint ordinata in bonum Communitatis, & ad vtilitatem subditorum, *cap. erit autem 2.*
dist. 4. ibi: Nullo priuato commodo, sed pro 39
communi ciuium vtilitate conscripta D. Thom. 1. 2. q. 90. art. 2. Scotus in 4. dist. 14. q. 2. num. 7. finis Legis est bonum commune. Deficiente ergo communi bono, deficit Lex, & nulla est, *l. Ambitiosa 4. ff. de decretis ab ordin. fac.* Ita *Fagundez præcepto 1. lib. 3. cap. 7. num. 9. & 10. Sotus lib. 7. de Iust. q. 6. art. 2. Vasq. par. 3. disp. 234. cap. 1. num. 8. cum alijs Pasqual. q. 931.*

Quæres 9. An Episcopus statuere possit, vt detur pinguius stipendium certis Sacerdotibus, & alijs minus.

℞. Negatiuè, quia Leges, & Statuta non 40 admittunt exceptionem personarum, dum debent indifferenter respicere bonum Communitatis. Confirmatur, quia Sacerdotes in eodem labore pares sunt, & in titulo sustentationis par habent ius, ergo par in eis Statutum stipendij missæ. Adde, quòd id arguit iniustitiam stipendij, dum pro eodem titulo diuersitas mercedis ordinatur, quod est contra Iustitiam, alio enim modo Paterfamilias, qui conduxit operarios in vineam suam, Matth. 20. ab iniustitià saluare se non potuit ab operarijs conquerentibus, nisi respondendo, *Nonne ex denario conuenisti mecum.* Fuerunt enim pares in labore ponderis æstus, & diei, ergo debuisset eis parem dare mercedem, si intercessisset conuentio inter illos. *Pasqual. q. 931. num. 4.* limitando, nisi Episcopus haberet iustam causam ta-

Digitized by Google

xandi maiora stipendia pro aliquâ Ecclesiâ, vel quia non haberet expensas pro celebratione missarum &c. Sed certè ista limitatio suum non potest sortiri effectum, quia nullus est tam imprudens in hoc seculo, qui det maius stipendium, si pro minori potest habere missam, ac proinde inutile esset tale statutum, immo fideles per illud auerterentur à seru tio illius Ecclesiæ.

Quæres 10. An stipendium non taxatum à Testatore sed relictum Hæredibus taxandum sit determinandum ad formam taxæ legalis factæ ab Ordinario, quamuis relictum fuerit in eius arbitrio?

41 ℟. Affirmatiuè, quia arbitrium boni viri non importat quamcumq; libertatem, iuxta illud. *Stat pro ratione voluntas*, sed eam, quam regulat ratio, sine quâ arbitrium non
42 dicitur bonum. Et quamuis Testator solùm exprimeret similia verba *pro suo arbitrio*, adhuc intelligendus esset de arbitrio bono, seu boni viri, qui scilicet rectè, & prudenter se gerit in negotio amici, arbitrium enim semper debet procedere à bono viro, *l. si in lege 27. ff. Locati*, quia subintelligitur in eà clausulâ: *Pro suo arbitrio, Menoch. lib. 1. de arbitr. q. 8. num. 29. Felin. in cap. 1. de constit. num. 51. vers. & si dicatur.* Quare stipendium taxare debet ad formam consuetudinis, vel statuti Ordinarij. Vide *Pasqual. q. 933.*

Quæres 11. Benefactor solitus dare duos Iulios pro qualibet missâ, si reliquit quotidianam stipendio non determinato an eius mens præsumatur, vt tale stipendium detur pro missâ quotidianâ.

43 ℟. Quamuis id præsumi possit ex eius consuetudine, dum viueret, tamen ea prodesse non potest Capellano, si enim voluisset hanc pinguiorem eleemosynam esse dandam
44 Capellano, id expressisset, *l. Vn. §. vbi autem, fine C. de cadu. toll. l. si seruum 70. §. Prætor ait, ibi: Non dixit ff. de aquir. hæred. cap. ad audientiam 12. de decim.* Stipendium ergo taxandum est ad formam statuti, non ex
45 ea consuetudine, quæ Lex non erat, sed mera liberalitas, quæ nullam inducit obligationem, cum sit actus meræ facultatis *Rota par. 3. decis. 545. num. 3. Doct. in l. apud Iulianum § si quis, ff. de legat. 1. Fuscbus de Visitat. lib. 2. cap. 13 num. 14.* Et esto esset obligatus sponte, adhuc non esset sequenda ab hæredibus, quia obligatio personalis vnius non afficit alterum. *Rubr. C. Ne uxor pro marito, Surd. decis. 39. num. 4.* Quòd si res frugifera,
46 vel pecunia immediatè legata sit Ecclesiæ illi; poterunt illius ministri, & Sacerdotes prosequi celebrationem, quia in hoc non præsumitur alterata eius consueta voluntas, si hoc modo erat semper regulata cum traditione duorum Iuliorum. Ita intelligo *Pasqual. q. 933. num. 3.* Alter si Hæres soluere teneatur ex bonis hæreditarijs stipendium, non est cogendus ad illud consuetum, vt probant aliæ rationes. Præterquamquòd Testator præsumitur grauare hæredem minus quàm fit possibile, *l. Vnum 69. §. Si rem ff. de legat. 2.* 47
Præterea in dubio censetur se voluisse conformare cum dispositione Iuris taxantis stipendium, ex allegatis per Doctores *in l. Hæredes mei, §. cum ita ff. ad senat. cons. Trebell. Sanch. lib. 5. disp 5. num. 15. Vers. Et confirmatur.* 48

Quæres 12. An hæres debeat taxare stipendium conueniendo cum Sacerdote, quando testator illud non taxauit, sed tantum expressit numerum missarum?

℟. Hæres debet cum Sacerdote conuenire 49
in stipendio currenti, eo tempore, quo contrahit cum ipso, & non iuxta salarium, quod currebat tempore conditi testamenti, quamuis etiam testator id reliquisset in eius arbitrio. Probatur, quia hoc ipso, quòd adijt, & acceptauit hæreditatem contraxit obligationem realem annexam bonis, quia per aditionem omnia iura, quæ erant apud defunctum, & per mortem non fuerant extincta, ipso iure transeunt in hæredem, *l. Cum* 50
hæredes 23. ff. de aquir. vel amitt. hæred l. Nihil 24. ff. de verb. signif. ergo tenetur prouidere de stipendio currenti.

Intellige pro viribus hæreditatis detractis 51
debitis, & legitimâ sibi debitâ, quia bona tantùm propria testatoris sunt obligata, & non aliena, vt docent, *Cancer. Var. resol. cap. 20. num. 306. lib. 3. Bartol in l. cum qui decedens §. Testamento ff. de legat. 3. Alphons. de Leone de offic. Capell. q. 5. sect. 28. nu. 388.* vt enim hæres, & non aliâ ratione se obligauit, ergo secundùm vires hæreditatis.

Legitima autem non potest onerari legatis, & missis, quia illa reijcit omne grauamen, 52
l. Omni modo 30. l. Quoniam 32. C. de inoff. testam. Ruin. lib. 3. cons. 149 num. 13. Natta cons. 145. num. 21. Etiam honestum, & causæ piæ, *Caccus de legit. fol. 330. apud Gratian. cap. 702. num. 18. 19. & 20.* Nam legitima habetur loco æris alieni, & filius in eâ dicitur creditor, *Bald. in l. Si verò, §. 1. ff. de testam. milit. Peregr. de fideicom. art. 4. num. 14. & 15. Gratian. cap. 334. num. 18.*

Quæres 13. An hæres teneatur supplere pro missis numero certo taxatis, quod deest stipendio in pecuniâ, vel fundo designato?

℟. Non tenetur supplere defectum stipendij currentis, licet fuerit insufficiens assignatum à testatore, probatur, quia nulla alia bona, præter assignata, obligauit pro illo onere, vt patet expressis verbis testamenti, vt supponitur, ergo ea tantùm taxauit pro missarum satisfactione. Confirmatur, quia pecunia, vel alia res assignata pro celebratione habet rationem legati, ergo ea tantum soluenda est, neq; enim præsumendum est, te- 53

stato-

tatorem velle grauare suum hæredem vltra expressionem factam, *l. Vnum 69. §. Si rem ff.*
54 *de legat. 2.* Facit, quod in dubio legati, soluitur quod minus est, *l. Idem 41. §. Scio ff. de legat. 1.* hæres ergo non tenetur supplere, sed in hoc casu recurrendum est ad reductionem missarum, dum nullus Sacerdos vult assumere onus celebrandi cum exiguo stipendio. Ita *Marchinus de Ordine tract. 3. par. 2. cap. 22. num. 8. Gratian. cap. 988 num. 17. cum illis Pasqual. q. 1025. num. 3.* Hæc quæstionis resolutio magis roboratur in sequenti.

Quæres 14. An hæres teneatur augere pretium, quod statuto, aut consuetudine auctum fuit? Nam initio huius centuriæ pro qualibet missâ dabantur sex solidi, postea duodecim, nunc viginti quatuor, horum ego testis sum auricularis, & etiam ocularis. Numquid hæres hoc stipendium nunc dare tenetur, quod alias non dedit, nisi conuentum, vel expressum à testatore, quod currebat tempore testamenti, vel conuentum inter hæredem, & celebrantem ab initio.

55 ℞ Non teneri augere stipendium probatur. Tum quia antiqua conuentio inter partes perpetua est, & tractum habet eundem successiuum, de se inalterabilis, cum semper eadem remaneat, ergo non potest, nec debet recipere augmentum. Tum quia omnis contractus intelligitur de causâ præsenti, dum fit, ac proinde eius dispositio non trahitur ad
56 ius superueniens de futuro, *Bart. & Iason in l. quod Seruius 8. ff. de condit. causâ datâ* in stipulationibus enim id tempus spectatur, quo celebratur contractus *l. 187. ff. de reg. iur.* sed tempore conuentionis non erat hoc augmentum, sed post modum super venit, ergo spectandum modo non est, dum non fuit initio contractus. Tum quia consuetudo, seu statutum ficut, & leges futura respiciunt, non
57 præter ta, *cap. 2. & fin. de constit.* quod procedit etiam quò ad effectus futuros prouenientes etiam ab actu præterito, nam nec ad hos lex noua trahitur, *Honded. Vol. 2. cons. 14. num. 28. & 29. Nauar. tom. 4. de Reser. excep. 21. num. 5.* Demum si necessarium esset hoc supplementum, frustratorium esset remedium Tridentini *Sess. 24. cap. 4.* reducendi missas ob exiguum stipendium. Ita *Fraxinel. sect. 4. concl. 4. §. 24. num. 3.*

Contrarium plerique docent, stipendium nempe esse augendum, apud Dianam *resol. 17. de celebr. miss. & Homob. par. 1. Exam. cap. 13. q. 118. Riccius par. 3. resol. 364. Genuens. Tricen. 6. q. 179. Barb. Alleg. 29. num. 7.* Diana probat, quia testator non reliquit simpliciter pecuniam pro eleemosynâ soluendâ, sed pro missis celebrandis, & si præuidisset augmentum stipendij, non diminueret numerum missarum, sed auxisset stipendium, bona enim sunt satis sufficientia, ergo idem præstare debet hæres; pendet ab illo communi dicto. Si testator præuidisset, auxisset stipendium, non diminuisset numerum missarum, 58
de quâ re *Mantica de coniect. l. 3. tit. 11. num. 22.*

Resp. si præuidisset, ergo auxisset, hanc consequentiam esse fallacem, & dubiam, cum sit fundata in conditione, quæ nihil ponit in esse, vnde cum non præuiderit, nec auxit, ergo cum stipendium ex suâ stabilitate sit certum, ex incertitud ne non potest de iure alterari, & augeri. Dictum propterea contrarium verum est. Non expressit, ergo noluit, quia si voluisset, expressisset, *Rota* 59
par. 1. decis. 607. & par. 6. dec. 249. num. 14. non enim sufficit, quod ita voluisset, sed debet in effectu constare de factâ dispositione *l. Licet quidam cum filium ff. de instit. Bald. & Imola apud Decium in cap. super literis 20. de rescr. num. 20.* Vnde hæres potest dicere. Testamentum non cantat, neque ego 60
cantabo *Rubeus in dec. 358. num. 10. par. 3.* vbi probat, quod testator censetur noluisse quod, non dixit.

Riccius verò *par. 3 resol. 364.* probat diuersis exemplis, duo refero, dicit ergo *primò* ad hoc facere *l. si seruitus ff. de seru. urban. prædior.* vbi augmentato prædio dominante, & ipsa seruitus augetur, nam si commisit seruitutem luminum, ne officeretur luminibus domus meæ, tempore, quo non erat ibi, nisi vna fenestra, per quam recipiebam lumen, & postea amplio domum cum alijs fenestris; tu non potes officere luminibus nouis, sicut nec veteribus. *Secundò* ponit doctrinam Baldi, qui consuluit, quendam nobilem teneri reficere pontem, sicut promiserat, & quidem maiorem solito propter incrementum aquæ, si augmentatio aquæ est intrinseca, non verò si est extrinseca; intrinsecam vocat, quando onus refectionis est auctum circa eandem latitudinem aquæ perfodientis pontem, vnde est necessaria maior impensa solito, tunc tenetur; si verò augmentatio est intensiua in maiori pontis latitudine, tunc non tenetur, quia tempus contractus inspicitur. Applicat ergo, & dicit quòd si augetur numerus missarum, augmentum dicitur extrinsecum, si vero augetur solum merces est intrinsecum, & tenetur hæres. Et cum hac distinctione dicit se concordare duas leges, prædictam *si seruitus*, & aliam *Non modus C. de seruit. & aquis*, quæ videntur opponi, vt prior loquatur de augmento intrinseco, posterior de extrinseco. 61

Adducta non faciunt ad rem, quia ponit augmentum, & respectu mercedis vocatum intrinsecum, & respectu missarum appellatum extrinsecum. Quæstio autem præsens est, an augendum pretium, an missæ diminuendæ? Responsum est, esse minuendas missas, non alterandum, nec augendum stipendium. Quod stipendij augmentum ab eo vocatum

catum intrinsecum, tale non fit, sed omnino extrinsecum, patet, quia nouum est, non antiquum, nec innatum cum illo testamenti, aut conuento inter partes, sed à statuto, aut consuetudine proueniens.

Quæres 15. An auctis fructibus prædij relicti pro missis celebrandis, augendus sit numerus missarum licet taxatarum ad talem numerum?

62 ℞. Negatiuè, quia obligatio numeralis consistit in indiuisibili, ergo inalterabilis est,
63 non recipiens magis, nec minus, neq; proinde addi potest, aut diminui, dum testator certum terminum apposuit. Confirmatur, quia in dubio obligationis restringitur *l. 99. ff. de verb. signif.* ergo vbi res est Clara non est augenda, nec restringenda, sed relinquenda in suis terminis.

Genuensis Tricenar. 8. q. 229. ait, auctâ re, augendum esse numerum missarum. *Fraxinel. sect. 4. concl. 4. §. 25. num.* 1. distinguit, numerum missarum esse augendum, si semper mansit idem stipendium. Si verò augetur res, & stipendium ex æquo, numerus missarum non augetur, quia illis respondet iustum stipendium, & citat *Rodriq. par. 4. Summa cap. 12. num. 10. & Roman. conf. 369. num. 31.* Aliam affert distinctionem, si res sit aucta industriâ, & labore, non esse augendum numerum missarum, quia auctio non est ex re, & naturalis, sed ex industriâ patroni, cui fructificat, & non alijs. Si casu vt ex additione fluminis prædium sit auctum notabiliter, augendæ quoq; sunt missæ.

Probat *Fraxinel. num. 3. ex cap. fin. de verb. signif.* vbi fructus præbendarum auctus debet conuerti in vtilitatem Ecclesiæ, ergo & augendus missarum numerus. *Confirmat*, quia contrariorum eadem est disciplina; sed diminutis stipendijs diminuitur numerus missarum, ergo re auctâ, augendus missarum numerus, citando *Perez de Larà de anniuerf. lib. 1. cap. 15. num. 18. & 19.*

64 Sed his non obstantibus persistendum est in decisis, tum quia augmentum prouentuum regulariter prouenit ab industriâ, & labore, non ex naturâ fundi, & cum fructus numquam sint omnino ijdem, sed singulis annis alterationem patiantur, vt experientia docet, nulla ratio suadet, numerum fixum, & certum esse subijciendum incertitudini, maximè cum stipendia subsequantur celebrationem missarum, quarum numerus remaneret incertus, si regulandus esset à quantitate fructuum, essent enim tunc celebrandæ post receptionem fructuum, & sic retardaretur celebratio in præiudicium testantium.

Ad locum *cap. fin. de verb. sign.* respondetur, nihil contra nos, quia aliud est conuertere in vtilitatem Ecclesiæ augmentum naturale, non industriale, vt docet ibi *glos.* aliud in vtilitatem animæ testatoris, de quo nihil ibi, eum ipse non veniat sub nomine Ecclesiæ. Ad confirmationem; illud axioma procedere, quando in vtroq; apparet eadem ratio, ex allatis à *Barb. Axiom. 58. num. 11.* Constat autem diminui missas ob tenue stipendium, quia ita decreuit Sacrum Concilium, vnde in reductione locum habet dispensatio, non autē in augendo numerum missarum, quia augere obligationem, non est eximere ab eâ, ac proinde neq; dispensare, sed onerare.

Quæres 16. An taxatus Paulus pro singulis missis à testatore dandus semper sit Sacerdoti effectiuè, vel æquiualens siue crescat, siue decrescat?

℞. Affirmatiuè, quia satis clara est mens 65
testatoris, ergo ea omnino seruanda est, vt etiam docet *Fraxinel. sect. 4. concl. 4. §. 26.*

Quæres 17. An habens obligationem celebrandi teneatur totum, & integrum stipendium dare alteri Sacerdoti, qui pro ea celebret? Sermo hîc est tantùm de missis manualibus, quia in alijs cum beneficiatus, vel Capellanus sint domini fructuum beneficij, & Capellaniæ; ex conuentione, sufficit illis dare stipem currentem, vel minorem.

℞. Affirmatiuè, si tamen integrum non 66
dat, non peccat mortaliter, nec facit contra Iustitiam. *Primum*, patet ex Decreto de celebr. miss. *Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesiâ remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui missam capit celebrandam cum certâ eleemosynâ, ne eandem missam alteri, parte eleemosynæ sibi retentâ celebrandam committat. Pasqual. q. 968. & 974. Secundum*, quòd non peccet mortaliter, probatur, quia regulariter pars retenta est parui momenti, nam rari sunt, qui reduplicent stipendium, neq; reduplicatio dicitur pars notabilis, quæ inferat peccatum mortale, vt docui *resol. 25. q. 18. Tertium*, huius Decreti violationem non esse contra Iustitiam, sed tantum contra obedientiam legalem, quia ante prohibitionem hanc, licebat *de communi Doctorum quos citat. Bonac. p. 8. num. 18.* dare alteri Sacerdoti currentem eleemosynam, & sibi retinere illud plus, ratio est, quia ambo Sacerdotes sic conuenientes nullius Iustitiam ante Decretum, nec nunc lædunt, cum læsio deberet cadere inter conuenientes, quæ reuera non apparet, cum Sacerdos dans sit dominus receptæ pecuniæ, & alter recipiens minus, licet iustum, consentiat, cum sit iustum stipendium; nec defunctus defraudatur, quia missa à quocumq; dicatur semper est eiusdem valoris; cum ergo hîc nullum appareat signum iniustitiæ, sed solum aliqualis species auaritiæ, non peccat contra Iustitiam, sed tantùm contra obedientiam legalem. Ita tenet *Quartus in Rubr. Missal. in Append. q. 4. p. 1. diffic. 3. vers. Secunda.*

Difficultas est super secundum per nos probatum

batum, scilicet retinentem sibi partem eleemosynæ non peccare mortaliter, vt videntur sentire *Diana resol. 10. & 13. de celebr. missar. de Lugo disp. 21. de Euchar. num. 32. Auersa q. 11. sect. 17. vers. Sexto*, limitando; modo sciat Sacerdos secundus priorem habuisse pinguiorem eleemosynam, & minus dedisse, & sponte recepisse. Nam dictus Quartus citatus tenet, huiusmodi transgressionem esse peccatum mortale, & dicit esse communem sententiam, & veram; probat, quia verba prohibitionis videntur grauia, & sufficientia ad inducendum obligationem sub mortali.

Ex solis tamen verbis non colligitur grauitas, sed etiam ex naturâ ipsius rei prohibitæ, vt transgressio sit peccatum mortale, constat autem ex dictis vix reperiri materia leuis, cum sex, aut decem solidos sibi retineat Sacerdos ex quolibet stipendio, & raro; cum eo sentit *Peyrin. ad 9. constit. Vrbani VIII. Pasqual. q 969.* probans dato, quòd retentum sit materia grauis, quia non habet iustum titulum sibi retinendi partem stipendij, ideo læditur ille, in quem transfertur onus celebrandi. Dico tamen habere iustum titulum, quia factus est dominus illius stipendij cum obligatione celebrandi, & cum non teneatur per seipsum celebrare, quando ad id se expressè non obligauit ad requisitionem dantis eleemosynam, iustè dat stipendium ordinarium alteri retinendo sibi excessum, nec læditur Sacerdos, qui minus accepit, dum accepit stipendium currens, & iustum; siue sciat, siue ignoret pinguius esse stipendium.

Confirmatur id à Cardinali *de Lugo disp. 21. num. 32.* vbi ait, id fieri posse etiam minori stipe de consensu celebrantis, qui sicut potest gratis celebrare condonando eleemosynam totam, ita & partem; loquitur autem de stipe minori taxatâ, à fortiori de stipendio taxato, si quid vlterius datum fuit Sacerdoti celebranti per alium datâ solum portione ta-
67 xatâ. Demum conueniunt omnes, Beneficiarium, & Capellanum sine huius Decreti transgressione posse minori stipe celebrare per alium Sacerdotem. Ita S. C. respondit ad 8. *Non habere locum, sed satis esse, vt Rector Beneficij, qui potest per alium celebrare tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam &c.* Neque enim omnes redditus beneficij ordinantur ad celebrationem missæ, sed etiam ad onus officij, propter quod datur Beneficium. Quod verum est etiam respectu Capellaniarum, quæ verè sunt Beneficia collatiua, de quibus dixi *cap. 2. num. 15. 25. ad 30. Pasqual. q. 970. qui num.* 4. idem dicit de alijs Capellanijs, quas loco citato vocaui laicales, citans *Auersam q. 11. sect. 17. vers. Sexto, de Lugo disp. 21. num. 30. Tambur. de Sacrif. missæ lib. 3. cap. 1. §. 5. num. 10.* Eâ
68 communicatione, quia Beneficiarij, & Capellani sunt domini suorum fructuum, vnde decretum huiusmodi videtur referri solùm ad missas manuales quæ in dies dantur Sacerdotibus, & Sacristis, vnde videtur tale decretum potissimùm emanasse contra collectores missarum, qui eas postmodum cum fœnore, & turpi lucro distribuunt Sacerdotibus celebrandas.

Quæres 18. An ratione industriæ liceat retinere sibi portionem stipendij? E. g. Mediolani pro qualibet missa dantur viginti solidi, & Cremonæ viginti quatuor, sicut etiam Parmæ, viginti autem Mediolani, sunt quadraginta respectu Parmæ, & Cremonæ. Sacerdos Mediolanensis ex viginti solidis retinet sibi quinque ex singulis missis, tradendo Sacerdotibus Cremonensibus, seu Parmensibus quindecim, qui sunt triginta, ac proinde vlterius isti retinent sibi sex solidos, & missas tradunt alijs celebrandas 24. solidis. An liceat talis traditio? Suppono non esse assignatum Altare, nec Ecclesiam pro celebratione, sed Sacrificium esse liberum quò ad locum.

R. Pellix. tract. 6. cap. 3. num. 23. & 69
Tamb. lib. 3. cap. 1. §. 5. num. 16. vers. ad idem, id licere inter primum, & secundum Sacerdotem, sic enim casum proponunt, valet etiam pro tertio; obstat tamen decretum, ideo iuxta superius dicta in præcedenti intelligatur responsio præsentis. Probant, quia
etiam seruus vtens extraordinariâ industriâ 70
emit minoris rem, quàm valeat communiter in foro, ac proinde potest sibi retinere id quod superest pro suâ industriâ, ergo idem facere potest Sacerdos.

Pasq. q. 972. dicit, nihil sibi retinere posse ex quacumq; industriâ, quia totum illud stipendium erogatur à committente missas in virtute obligationis de iure naturali ad subministrandam sustentationem celebranti tamquam sibi debitam ratione ministerij, ita ut in dominium ipsius totum transferatur ius ad stipendium, quod à petente missas fuit celebranti destinatum, ergo non potest habere locum aliqua industria.

Hoc argumentum, quamuis importet, eam industriam nullam mereri mercedem, quia sicut accepto stipendio Sacerdos se obligauit ad celebrationem siue per se, siue per alium, ita eâdem obligatione tenetur vti industriâ, hoc est, celebrare per alium siue ibi, siue alibi, sufficit enim vt satisfaciat, ergo eius industria nihil meretur à primâ obligatione, non tamen inferendum est teneri sub mortali, & ex Iustitiâ, sed tantùm ex lege prohibitionis dare integrum stipendium iuxta dicta sub præcedenti quæstione; sicut non tenetur seruus in opinione illius, quod non ab omnibus laudatur, ita neq; Sacerdos, cum illius stipendij sit dominus magis, quam seruus, qui debet negotia domini sui vtiliter gerere.

Ex

Digitized by Google

Ex dictis colligitur, neminem posse retinere sibi portionem stipendij missarum manualium; quicumq; ille sit, siue Sacerdos, siue collector missarum, siue ex industriâ, siue ex officio, aut alio titulo, dando etiam iustum stipendium celebranti scienti, volenti, & consentienti, ex eâ tantùm ratione, quia prohibetur, non ex Iustitiâ, sed legaliter tantùm ad euitandum nescio quid turpis lucri, iuxta superius dicta, & vide *Pasq. à q. 972. ad 977.*

Quæres 19. An aliquid retineri possit pro manutentione Sacristiæ, quò ad hostias scilicet, vinum, ceram, paramenta tum Altaris, tum celebrantium, & stipendium ministri seruientis missis?

71 ℞. Sacra Congregatio ad septimum. *Permittendum non esse*, vt Ecclesiæ, & loca pia, seu illorum ad ministratores ex eleemosynis missarum celebrandarum vllam, vtcumq; minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in missarum celebratione; nisi cum Ecclesiæ, & loca ipsa non habent redditus, quos in vsum earumdem expensarum erogare licitè possint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantùm missæ Sacrificio necessariò sunt subeundæ; & nihilominus eo etiam casu curandum esse, vt ex pecunijs, quæ supersunt expensis, vt supra deductis, absolutè tot missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas. De quo *Pasqual. q. 968.* qui quantum sit detrahendum relinquit arbitrio prudentis, cum res ad Sacrificium necessariæ non eodem pretio vbique vendantur.

Mihi placet hic duo animaduertere. *Primum*, Sacerdotes dum recipiunt e. g. missam quotidianam celebrandam, & in conuentione computant supradictas expensas exprimendo illas hæredibus, cum quibus conueniunt, ac proinde si salarium excedat taxam vnicuiq; missæ pro stipendio factam, nihil vlterius pro manutentione Sacristiæ recipere possunt, quia id est comprehensum in salario inter partes conuento; si verò salarium deductum sit ex taxa singularum missarum, licet aliquid reseruare Sacristiæ, quia illud salarium respicit tantùm sustentationem personæ, & non beneficium Sacristiæ, quæ detrimentum patitur. Quare pro huiusmodi expensis crederem sex scutos annuos à qualibet missâ quotidianâ extrahere pro manutentione Sacristiæ posse Superiorem. Ex missis quoq; manualibus aliquid posse detrahi si sint in magnâ multitudine, ex quolibet centenario e. g. vnum scutum.

72 Alterum est, per hanc extractionẽ pro manutentione sequi diminutionem missarum pro ratâ, si enim debent seruire pro expensis, non possunt inseruire pro stipendio missarum. Nec his obstant ea verba: *Nihilominus eo etiam casu curandum esse, vt ex pecunijs, quæ supersunt expensis, vt supra deductis absolutè tot missa celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas*. Sed magis confirmant nostrum dictum, nimirum, ex reliquis pecunijs, quæ non sunt pro expensis, omninò tot celebrentur missæ; admittitur ergo diminutio respectu expensarum tantùm.

Quæres 20. Quale debeat esse Capitale, ex quo colliguntur fructus ad stipendium missarum?

℞. Determinauit illud Vrbanus VIII. in Decreto de celebratione missarum his verbis: 73
Præterea, ne in Ecclesijs, in quibus onera missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, vt par est, adimplendis eò tepidiores, & segniores reddantur, quòd onera huiusmodi, cum nullâ, aut paruâ sint vtilitate coniuncta, statuit, atq; decernit, vt pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesijs, Capitulis, Collegijs, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasterijs, Conuentibus, ac locis omnibus tam Secularibus, quam Regularibus, atq; illorum personis, in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo missarum celebrandarum, ab ijs, ad quos pertinet, sub pænâ interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda à die realis acquisitionis statim deponi debeant penes ædem Sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, vel illorum pretium quamprimum inuestiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressâ, & indiuiduâ mentione oneris, quod illis annexum reperitur; ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolicâ deinceps alienare contigerit, eorumdem pretium sub eadem pænâ, vt supra, deponi, atq; in alijs bonis stabilibus itidem fructiferis cum eiusdem oneris repetitione, atq; annexione conuerti debeat.

Constat ex his transgressores incurrere dictam interdicti pænam ipso facto, si non deposuerint capitale relictum pro missis apud idoneum, vel illud non inuestierint.

Dubia hic occurrunt *Primò* quid veniat sub nomine interdicti ad ingressu Ecclesiæ? *Secundò* quid importet *Ædes sacra*, in qua deponenda est pecunia, vel aliud mobile? *Tertiò* quomodo hoc capitale inuestiendum sit, an emptione, & aquisitione noui fundi frugiferi, qui antea non erat in bonis inuestientis? *Quartò*, quomodo contingere possit alienatio fundi onerati obligatione missarum? *Quintò*, quomodo mobile inuestiendum? *Sextò*, an inuestiendum pro oneribus tantùm perpetuis?

Primò, interdictus ab ingressu Ecclesiæ, non potest in eâ audire diuina officia, nec in eâ, nec in cæmeterio sepeliri, neque exercere in eâ ordinis sacri munia, ac proinde nec celebrare, nec ministrare Sacramenta, vtque 74

quæ verò priuatim orare in eâ, & recipere sacramenta, cum horum vsu non sit priuatus. Est communis *ex cap. Is, cui, de sent. excom. in 6. Bonac. de interd. p. 5. num. 11.* Quare poterit celebrare in Oratorio priuato, & in cæmeterio, licet ibi non possit sepeliri, nisi dederit signa pœnitentiæ, & fuerit absolutus, ex dictis.

75 Secundò nomine *Ædis sacræ* venit quilibet locus pius, vt Collegium, Conuentus, Hospitalis, Mons pietatis, vt ait *Tambur. lib. 3. de missâ cap. 1. §. 6. num. 15. ex eo Pasqu. q. 1062. de sacrif. missæ num. 8.* Ergo & Superior Regularis poterit pecuniam apud se retinere in suo Conuentu, est enim *Ædes sacra.* Potest etiam deponi apud Laicum fide, & facultatibus idoneum, vt ibidem dicitur fieri posse alternatiuè.

76 Dices, Superiorem non posse illud apud se, retinere, quia depositum fit apud extraneum. Respondeo in Religionibus adesse Ærarium, in quo sicut conseruantur aliæ pecuniæ inuestiendæ ex alijs causis, ita in eo conseruari possunt, & pecuniæ pro oneribus missarum, siquidem Ærarium Religiosum habet rationem depositi, & hoc sufficit, dum ibidem pecunia bene custoditur.

Tertiò, inuestitura fit aquisitione noui fundi, aut domus, quæ antea non erant in

77 bonis inuestientis. Inuestitura enim fit per aquisitionem noui iuris, quo inuestitus antea carebat, & propriè est emere. Quare male faciunt, & contra verum sensum huius decreti, qui rem, aut pecuniam distrahunt, & loco nouæ aquisitionis substituunt aliquid stabile antiquum iuris ipsius Ecclesiæ, quod est contra mentem Pontificis exigentis nouam aquisitionem.

78 Quartò, si contingat alienatio rei stabilis, vinculatæ hoc onere missarum, de quo facienda est mentio in primâ inuestiturâ, id fieri non potest nisi de licentiâ expressâ Sedis Apostolicæ, & in supplicatione facienda est mentio de huiusmodi onere transferendo in aliud stabile frugiferum, siue aquiratur Ecclesiæ obligatæ ad celebrandum, siue cuicumq; extraneo, ad quem fundus transit cum eo onere, nisi emens se ab illo eximat solutione capitalis.

79 Quintò, datum aliud præter pecuniam mobile vendendum est, & ex pretio emendum est stabile frugiferum, vt expressè dicitur in eodem Decreto ibi: *Ad effectum illa, vel eorum pretium inuestiendum.* Poterit ergo dari mobile in solutum empti stabilis frugiferi, vel eo vendito ex pretio emere frugiferum.

80 Sextò, hæc obligatio implicandi exigitur tantùm in oneribus missarum perpetuis ibidem: *Cum onere perpetuo missarum celebrandarum,* quod verum est siue missa sit quotidiana, siue mensualis, siue hebdomadalis, dummodo sit perpetua. Ita *Lezana V. Missa num. 37. Tambur. de Missâ lib. 3. §. 1. num. 10. Ego resol. 25. num. 26.*

Contrarium, hoc est, inuestituram requiri etiam in oneribus annorum triginta, quadraginta &c. tenet *Pasqual. q. 1063. citans pro se Auersam q. 11. de Euchar. sect. 17. in fine.* Probat quia posset illud supradictum Decretum, & nunquam erigi fundum, nixus opinione quorundam asserentium annua legata non extendi vltra centum annos. Confirmat ex fine dicti Decreti illis verbis: *Ne Sacerdotes in eis adimplendis tepidiores, & segniores sint, quòd onera huiusmodi eum nullâ, aut paruâ sint vtilitate coniuncta, statuit.* Nam hæc ratio locum habet etiam in missis non perpetuis, cum successores reddi possint segniores, si nullam vtilitatem perciperent, præsertim Regulares, qui alimentantur ex eleemosynis missarum, cum ergo hæc ratio expressa reperiatur etiam in oneribus ad tempus, Decretum hoc non solum extenditur, sed comprehendit etiam onera ad tempus. Et verbum *perpetuò* comprehendit etiam, quod habet tractum successiuum diurnum.

Respondetur standum esse prædictis, cum 81 verba satis clara sint, & manifestè loquantur de oneribus perpetuis, & tunc rationi expressæ standum non est pro non expresso, vbi agitur de obligationibus *l. 99. Quicquid adstringendæ obligationis causâ dictum est, id nisi palam verbis exprimatur, omissum esse intelligendum est ff. de verb. obligat.* Sed palam nihil expressum fuit de oneribus ad tempus, ergo non comprehenduntur sub hoc decreto. Quod ait de illusione Decreti, omnino falsa est ea opinio, vt dicam suo loco, cum de cessatione legatorum.

Quæres 21. In quibus bonis inuestiendum est capitale, vt ex eius fructibus soluatur stipendium celebrantibus?

℞. In bonis frugiferis, vt in fundis, domi- 82 bus, censibus, & molendinis. Patet ex textu ibi: *Pretium quamprimum inuestiendi in bonis immobilibus frugiferis.* Prædicta autem omnia sunt frugifera, fundus, domus, census, & molendinum, & sunt stabilia, ac immobilia, cum solo adhærentia non mouentur, vt notum est. Non est dubitandum de fundo; neq; domo quo ad vtrumq; quia sunt immobilia, & frugifera. Census verò non videtur esse omnino immobile, ex quo est redimibilis, & extingui potest: nihilominus id non obstat, quia eius pecunia restituta vlterius inuestiri potest, vel emptione fun- 83 di, aut alterius census constitutione, & hac ratione dici potest immobilis, & computatur inter immobilia in Clem. *Exiui de verb. signif. §. eumque annui redditus,* & clarius idem dicitur in Decreto Vrbani VIII. de reb. Eccles. non alien. Et in terminis ita docent *Tambur. de missa lib. 3. cap. 1. §. 6. num. 8.*

ex eo Pasqual. q. 1070. num. 3. qui quæst. 1072. ait, non posse censum constitui super bonis ipsius Ecclesiæ, seu monasterij quia inuestitura est aquisitio nouæ rei, quæ antea non erat in bonis nostris, *vt dixi supra num. 77. & docui resol. 25. num. 34. Lezana V. missa num. 37. cum alijs.*

84 De molendino fixo solo domus patet cum sit immobile, & frugiferum, *ex Tiraq. de retract. §. 1. glos. 7. numer. 92. Gutier. quæst. 91. num. 2. Tusch. lib. M. concl. 303. num. 4.* in terminis nostris *Pasqual. q. 1071. ubi num. 4.* idem docet de molendinis in nauibus super fluminibus, quia computantur inter immobilia, ex citatis Doctoribus, stant enim, & sunt frugifera, atq; per accidens est, quod aliquando ex nimio aquarum impetu loco moueantur, nec per hoc desinunt fructificare, cum reducantur ad pristinum statum.

Quæres 22. An pecunia inuestienda pro missis possit consummi in fabricâ monasterij, aut reparatione domus minantis ruinam, aut iam ruinæ subiectæ?

85 R. Negatiuè, quia inuestitura importat nouam aquisitionem rei, quæ antea non erat in bonis inuestientis, vt dixi supra num. 77. Ita docui *resol. 25. num. 34. Pasqual. q. 1073. num. 2. citans Auersam q. 11. de Euchar. sect. 17. vers. addmittis verò. Lezana V. missa num. 37. Gabr. à S. Vicentio Carmel. Discal. de sacrif. missæ q. 7. diffic. 6. Tambur. de missâ lib. 3. cap. 1. §. 6. num. 4. vers. quòad septimum. Contra Peyrin. in Formul. lit. A. cap. 11. num. 2.* cuius argumenta solùm probant, posse quidem expendi pecuniam pro reparatione domus, quæ scilicet sit locabilis laicis, vt ex illâ percipi possint fructus pro stipendio missarum, sicut enim potest emi domus, ita & reparari propria domus destructa, vt locari possit. Consummere verò pecuniam pro missis obligatam in fabricâ monasterij, aut reparatione domorum pro suis rusticis, est contra tenorem Bullæ de celebrat. miss. quæ petit nouam implicationem, cui singulis annis correspondeant certi

86 fructus pro missis, neq; enim monasterium est fructiferum, licet immobile, illud enim potissimum attenditur, non hoc.

Quæres 23. An totum Capitale valdè pingue sit implicandum, quando vna pars potest respondere fructus sufficientes pro stipendio Sacerdotis celebrantis.

87 R. Totum capitale à testatore relictum inuestiendum est, etiamsi ex eo colligeretur stipendium duplicatum, & triplicatum iuxta currentem taxam, vel consuetudinem. Ratio; illud totum grauatum est à testatore, & destinatum pro stipendio celebrantis; & id fit eo fine, ne Sacerdotes occasionem habeant quærendi missarum reductionem. Confirmatur, quia in casu, quo non satisfaceret legatarius teneretur totum sibi relictum restituere, Sacerdos enim omittens celebrare, si non satisfacit per alium, nec per se, tenetur totum restituere, cum sit obligatum pro celebratione missarum. Ita *Pasqual. q. 1067.*

Quæres 24. Quis teneatur subministrare paramenta, vinum, hostias, candelas &c. Sacerdoti electo, qui debet celebrare missas in Ecclesia aliena? An Rector Ecclesiæ? An hæredes? An ipse Sacerdos debeat sibi prouidere?

R. Rector non tenetur prædicta ministrare, 88 sed id spectat ad hæreds tantùm, & non ad Sacerdotem electum pro celebratione missæ quotidianæ.

Prima pars de Rectore probatur. Tum, quia nec Ecclesia, nec Rector de suo tenetur ad id, ad quod non est obligata vel de iure, vel ab homine, omnis enim obligatio contrahitur altero ex prædictis modis, *Sanch. lib. 1. disp. 9. num. 5. Vers. Secunda* vbi dicit, quòd 89 omnis obligatio, quæ non est ex lege oritur ex priuatâ hominum voluntate; sed ex nullo iure oritur obligatio subministrandi Paramenta sacerdotalia præfato Sacerdoti, cum tale ius non inueniatur; neq; talis obligatio contracta fuit inter Parochum, & hæredem, neq; illum Capellanum electum, ergo nullo modo accommodare illis tenetur Paramenta, & alia. Tum quia testator non præsumitur velle esse onerosus, & præiudicium afferre Ecclesiæ, cui nihil reliquit ad hunc effectum, 90 vnde neq; vult damnificationem, & consumptionem Paramentorum, sed illam esse indemnem seruandam. Tum quia talis videtur fuisse mens Sacræ Congregationis, quæ ad 7. Dubium extensum supra num. 71. respondit, seruandam esse indemnem Sacristiam, dum dixit, esse manutenendam, quando illa sub t expensas huiusmodi. Et ita docent *Alphons. de Leone de officio Capell. q. 8. sect. 5. num. 27. & ex eo Pasqual. q. 934. de sacrif. missæ.*

Secunda pars, quod hæres debeat ponere 91 Paramenta, & alia, probatur, quia ex dictis manifestum est, non teneri Parochum, ergo id spectat vel ad hæredem, vel ad Capellanum electum, ex sufficienti partium enumeratione, non ad Capellanum, quia stipendium conuentum inter ipsum, & hæredem ad hæc non refertur, sed ad ipsius sustentationem, cum sit stipendium ordinarium, 92 quod solet dari præcisè omnibus indifferenter attentâ sustentatione celebrantis sine vllo respectu ad expensas quæ concurrunt ad actualem celebrationem, remanet ergo obligatio prouidendi de paramentis, & alijs apud hæredem, qui sicut sentit commodum hæreditatis, ita & incommodum prouidendi Sacerdoti, vt possit celebrare missam quotidianam. Quod si pinguius stipendium dedit Sacerdoti ea ratione, vt sibi prouideret de necessarijs ad celebrandum, huic incumbit hoc onus, vt dixi supra sub num. 71.

CAPVT

CAPVT VNDECIMVM.

An vnicâ missâ pluribus stipendijs satisfieri possit opinione, vel Priuilegijs.

SVMMARIVM.

1 *Valor Sacrificij missæ ex se, & in se est infinitus.*
2 *Quò ad applicationem finitus in infinitum quò ad fructum generalissimum, in quo vnus fidelis participans non præiudicat alijs, quia vnicuiq; à Deo est assignata propria portio.*
3 *Fructus verò medius est finitus extensiuè, & quò plures sunt participantes eò minus participant de illo.*
4 *Fructus meddius secundum 22 Doctores est infinitus extensiuè.*
5 *Vnicâ tamen missâ pluribus stipendijs licet in congruis modò satisfieri non potest.*
6 *Quamuis olim licuisset ex opinione 22. Doctorum.*
7 *Quorum opinio probabilis speculatiuè quo*
8 *ad vsum prohibetur per Decretum de celebr. miss.*
9 *Tot missæ ergo sunt celebrandæ, quot præscripta ab offerente.*
10 *Quas non præscriptas ab eo taxare potest Episcopus, vel ipse Sacerdos iuxta consuetudinem extantem alias ab Episcopo.*
11 *Tenetur Sacerdos celebrare pro offerente stipendium exiguum, si illud scienter acceptauit tacendo.*
12 *Missæ vni stipendium vnum respondere debebat etiam tempore publicationis decretorum factæ 22. Semptembris 1625.*
13 Grauiter peccat .i *mortaliter, & tenetur*
14 *restituere non dicens tot missas, quot sunt stipendia.*
15 *Petens missam simpliciter vult integram missam, alijs exclusis.*
16 *Nisi petat pro solâ commoditate audiendi illam, exclusâ expressè applicatione, tunc enim potest pro hac petere stipem, non obstante stipendio pro commoditate exhibito.*
17 *Fructum suum Sacerdos donare potest sed sine stipendio, nisi petens missam pro se consentiat edoctus, nisi petat obligatus pro alio.*
18 *Lezana ponit quatuor modos satisfaciendi vnicâ pluribus, si petens consentiat edoctus; si Sacerdos se declaret, oro pro te, & aquiescat; pro commoditate tantùm; positâ extrema necessitate, intellige si petat pro se, non ad instantiam alterius.*
19 *Ex nullâ ergo aliâ causâ, vnicâ satisfit pluribus oneribus.*
20 *Pro generalissimo non datur stipendium pro aliquo.*
21 *Fructus medius triplex, satisfactorius, propitiatorius, & impetratorius.*
22 *Missam petens intendit totam, & integram, ac proinde omnes illos tres effectus, licet vnum expressè tantùm petat.*
23 Absolute .i. *indifferenter.*
24 *Pro collectis tantùm dicendis potest recipi eleemosyna.*
25 *Minimi cum nouem collectis vnicâ missâ satisfaciebant nouem stipendijs, etiam congruis, receptis etiam post concessionem factam à Iulio II.*
26 *Minores vnicâ missâ pro pluribus stipendijs non accedentibus singulis ad Iulium satisfaciebant cum generali commemoratione, etiam post concessionem eiusdem Pontificis.*
27 *Idem concessit Carmelitis Siculis, addito anniuersario in fine cuiuslibet anni.*
28 *Cassinenses habebant priuilegium recipiendi missas, & satisfaciendi per participationem.*
29 *Probatur priuilegium Iulij pro Minoribus non fuisse subreptitium.*
30 *Priuilegia concessa vni domui, alijs quoq; omnibus.*
31 *Communicatio in his priuilegijs inter omnes.*
32 *Reuocationis horum priuilegiorum decretum refertur.*
33 *Responsa in his S. Congr. sunt de mandato Papæ.*
34 *Imperat nemo sibi sed subditis.*
35 *Interpretatio legum doctrinalis non prohibetur.*
36 *Reuocantur hæc priuilegia simpliciter, non quò ad decreta reductoria missarum executiua facta ante.*
37 *Lex respicit futura, non præterita etiam quorum effectus pendent continuo in futurum.*
38 *Papa nulli reuocando tollit ius quæsitum, nisi id dicat.*
39 *Loca decretorum sub num. 12. & 32. de missis receptis ante publicationem Bullæ; dicendis ad eius formam, intelliguntur, nisi præcesserit decretum reductorium in vim priuilegiorum.*
40 *Reuocatio odiosa, ideo interpretandâ, vt minus lædat.*
41 *Bona fides excusat, vt non teneatur restituere missas, qui ex opinione probabili vnicâ pluribus satisfecit, stipendium enim fecit suum.*
42 *Ignorantia iuris inuincibilis excusat in foro conscientiæ.*
43 *Scire obligatus excusatur, si non præuidit obligationem.*

1 DIxi *cap.* 8. *q.* 10. valorem missæ ex se esse infinitum, quotidie enim fere infinitis fidelibus tum viuis, tum defunctis, impertitur, & nihilominus non exhauritur, sed vlterius remanet alijs applicandus sincategorematicè, scilicet finitè in infinitum, finitè quidem quò ad applicationem, in infinitum verò, quia remanet vlterius alijs applicandus. Si autem is valor spectetur ex parte applicationis respectu eorum, qui eius fructum recipiunt est magna differentia, nam fructus
2 generalissimus, qui toti Ecclesiæ militanti fidelium viuentium siue in corpore, siue in animà extra corpus distributiuè applicatur, & communicatur, talem habet infinitatem in quantùm distribuitur, vt tantum prosit vni, quantum prodesset applicatus pluribus, ex huiusmodi enim consortio vnus non præiudicat alteri, quia vnusquisq; fidelis capax recipit suam portionem sibi à Deo prefixam, distributiuè ergo applicatio fit modo finito, collectiuè verò rationem habet infiniti, quia non exhauritur, nec finitur, siue spectetur extensiuè, & distributiuè, siue intensiuè, & collectiuè. Est communis sententia *cum S. Thoma in 4. dist. 41. q. 2. art. 4. quæst. 2. Scot. quolib. 20. vers. de primo; Corduba lib. 1. q. 3. opin. 5. concl. 3. vers. tertio. Caiet. tom. 2. opusc. tract. 3. q. 2. §. Et confirmatur, Beia par. 1. casu 12. Fraxinel. sect. 3. p. 4. §. 7. ex alijs Pasqual. q.* 122.

3 Fructus verò medius respiciens petentes siue gratis, siue ex stipendio missam, non est infinitus extensiuè, adeo quòd, quò plures sunt in eo participantes, eò minus de illo recipiunt, cùm is fructus in plures partes vti finitus in applicatione distributus diminuatur, vt patet in alijs totis, in quibus eò minores sunt partes, quò plures sunt communicantes in illis. Hæc opinio est magis communis, & proximior veritati cum S. Thoma in 4. *dist. 45. q. 2. art. 4. q. 3. ad 2. Scoto quolib. 20. vers. de tertio; S. Bonau. art. 2. q. 3. Miranda tom. 1. q. 41. art. 20. Angles par. 1. Florum de valore missæ art. 2. concl. 2. de Lugo disp. 19. num. 146. cum alijs Pasqual. q.* 123.

4 Contrarium, quòd sit infinitus extensiuè, ac proinde si offeratur pro pluribus etiam in infinitum, semper retinere eandem efficaciam, & vnum participantem non præiudicare alijs, docent *Caiet. tom. 2. opusc. tract. 3. q. 2. & 3. par. q. 79. art. 5. Angel. Silu. V. Missa ille num. 52. iste q. 9. cum alijs* 19. quos citat contra se Pasqualigus ibidem, cum quibus aliquando sensi; & horum argumentis ibidem respondet, vnde non oportet illis respondere.

5 Colligitur ex priori opinione, vnicà missà non posse satisfieri pluribus obligationibus ex fructu medio, quia is finitus est extensiuè, vnde petens missam intendit totum fructum medium, ergo eidem promissus alij communicari non potest eadem missa, duobus enim creditoribus vnicà solutione, & satisfactione satisfieri non potest, cum ea sit indiuisibilis, tot ergo debent esse missæ, quot sunt obligationes, vt decreuit Bulla de celebr. miss. cuius verba mox referam sub num. 8.

6 Colligitur ex posteriori opinione, olim licuisse recipere plura stipendia, & eis satisfacere vnicà missà, quia vnus creditor non præiudicabat alijs, ex quo fructus medius ab illis Doctoribus habebatur pro infinito etiam extensiuè. Verum quidem est, quòd licet hæc opinio speculatiuè accepta non sit
damnata pro improbabili, vt dixi *Resol.* 25. 7
de celebr. miss. eius tamen vsus prohibitus fuit itaut non possit amplius vllus Sacerdos vnicà missà pluribus satisfacere stipendijs, siue congruis, siue incongruis, vt expressè prohibetur loco citato his verbis.

8 Deinde vbi pluribus missis etiam eiusdem qualitatis celebrandis, plura stipendia quantumuis incongrua, & exigua, siue ab vnà, siue à pluribus personis collata fuerint, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesijs &c. S. Congregatio sub obtestatione diuini Iudicij, mandat, & præcipit, vt absolutè tot missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, itaut alioquin ij, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimmò grauiter peccent, & ad restitutionem teneantur.

9 Pro intelligentià huius decreti, quod est secundum super duobus interrogata S. Congr. his verbis: *Secundò, super secundo eiusdem Congregationis decreto, quo cauetur, ut celebrentur tot missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint. Quæritur an illa verba:* Præscriptæ fuerint, *intelligenda sint de præsciptione facta ab Ordinario, an ob offerente?* Respondit. *Ad secundum esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quòd si tribuens eleemosynam numerum missarum celebrandarum, non præscripserit, tunc tot missæ celebrari debent, quot præscripserit Ordinarius secundùm morem suæ ciuitatis, vel*
prouinciæ. Addo ego, quod ipse sacerdos 10
potest determinare numerum missarum, quando Synodus, vel consuetudo præfixit taxam, vnde responsum Sacræ Congregationis videtur intelligi, quando taxa eleemosynæ est ambigua.

11 Secundò interrogata fuit super idem decretum his verbis: *Tertiò an cum Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam iuxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo teneantur missas sibi ab offerente præscriptas celebrare?* Respondit *Teneri*. Rationem addo, quia cum stipendium tenue scienter receperit, non recusando illud, consensit, & volens con-

contraxit obligationem, vt probaui *cap. 9. quæst. 29.*

12 Super dictum Decretum tria noto. *Primò* tempore eius publicationis 22. Septembris 1625. qui habebant in capsâ stipendia incongrua, non posse illis satisfacere vnicâ missâ, quia obstant illa verba: *Collata fuerunt, aut conferentur in futurum* Decretum enim prohibet, vnicâ missâ satisfieri pluribus stipendijs etiam incongruis non solum conferendis post publicationem Bullæ, sed etiam collatis ante nondum satisfactis. *Secundò*, Sacerdotem vnicâ missâ attentantem satisfacere, pluribus stipendijs peccare mortaliter, vt in-

13 dicant illa verba *Grauiter peccent*, nam mortale specificatur à grauitate transgressionis, sicut veniale à leuitate. *Tertiò* sic celebran-

14 tem, si non suppleat missas alias, teneri ad restitutionem aliorum stipendiorum, vt clarè dicitur in Bulla.

15 Concludendum est ex his in nullo casu, in quo exigitur missâ quò ad fructum medium, vnicâ satisfieri posse pluribus stipendijs siue congruis, siue incongruis ex quauis causâ, cum id sit expressè hic prohibitum, vt patet supra, ea ratione, quia idem fructus vni promissus non potest concedi alteri, cum sit de se finitus, ac proinde missam petens, eam totam pro se quærit respectu illius fructus, qui medius dicitur. Quòd verum est, non solùm respectu diuersorum stipendiorum, sed etiam respectu cuiuscunq; alterius obligationis gratis, seu aliâ ratione contractæ sine titulo Iustitiæ, quia primus petens dum intendit integrum Sacrificium quo ad fructu medium pro se, excludit alios.

16 Dixi, in casu, quo exigitur missa quo ad fructum medium, quia puto pro eâdem missâ peti posse duo stipendia, quando scilicet Sacerdos expressè obligatus à volente missam præcisè quò ad auditionem, non quò ad applicationem, tunc enim ab alio recipere potest secundam stipem pro applicatione Sacrificij, tunc enim ipse dans stipem totum aquirit fructum medium, cum nullo modo fuerit applicatum petenti missam quo ad commoditatem audiendi illam, vt dixi *cap. 9. q. 23.* Et id est conforme Responsio Sacræ Congregat. dato 13. Iulij 1630. apud Barbosam *in decis. A postol. V. Capellanus num. 23.* his verbis: *Capellanus qui tenetur quotidie celebrare non potest nouam eleemosynam accipere, & duabus obligationibus vnicâ missâ satisfacere, nisi in fundatione expressè cautum sit quòd non teneatur sacrificium applicare.* Nescio quo pacto *Pasqual. q. 908. num. 3.* eam non admittat, cum probet eius dictum.

17 Dixi quoq; quò ad fructum medium, quia vt probaui *cap. 8. num. 40.* Sacerdos suum fructum donare potest suo amico, sine tamen stipendio, à quâ sententiâ non videntur alieni *Pasqual. q. 948.* & alij ab eo citati, qui expressè loquuntur de stipendio, vnicâ enim missâ vtriq; stipendio satisfieri non potest à Sacerdote applicante alteri fructum medium, & alteri specialissimum sibi proprium, obstante Decreto de celebr. missarum, & sic corrigo me de dictis resol. 25. de celebr. missarum, sicut correxi decis. M scell. cum stipendio autem non licet, quia decipitur petens missam putans sibi præstari fructum ordinarium, & medium; Quare vt possit iustè recipere debet se declarare non posse applicare illi, nisi proprium fructum specialissimum, & non medium iam alteri debitum. *Vide Lezanam V. Missa num. 22.* vbi refert quatuor casus, in quo vnicâ missâ adhuc satisfieri potest pluribus obligationibus.

Primus, si id fiat de consensu partium. 18
Secundus, si Sacerdos dicat, orabo pro te, quia iam obligatus sum, *Tertius*, si celebret pro commoditate eorum, qui petunt solùm missam audire. *Quartus*, quando est positus in extremâ necessitate. *Tertium* casum probo, vt dixi supra. Pro primo, & secundo. Si petens eleemosynâ missam obligatus de mente testatoris, vel alterius, non potest conuenire cum Sacerdote, quia principalis, pro quo intendit missam, vult eam regulari modo, hoc est, integrum fructum medium, ac proinde excludit quemlibet alium; in quo etiam sensu intelligo, quando Sacerdos offert proprium fructum danti eleemosynam, nam si dat ex commissione alterius, non potest ipse pacisci cum Sacerdote, ob adductam rationem. Quare primi duo modi cum nostro intelligendi sunt, quando petens missam non habet aliunde obligationem, vt quando missam pro se, aut pro alijs voluntariè, & liberaliter sine illorum commissione, tunc enim potest consentire Sacerdoti, vt applicet pro suo arbitrio. Quartus modus est merè speculatiuus in re non dabilis, cum quilibet Sacerdos debeat habere proprium patrimonium, & loco stipendij missæ quærenda esset tunc eleemosyna.

Quare exceptis præfatis casibus modo ex- 19
plicatis, non licet Sacerdoti pro vnicâ missâ recipere plura stipendia licet etiam incongrua, adeo quòd nec paupertas excusat, aut quælibet alia causa, dum primus petens missam tradito stipendio sibi obligat Sacerdotem pro integro Sacrificiò missæ quo ad fructum medium, proinde nulli alteri illud idem applicare potest; nec proprium, nisi eo modo, quo supra dixi; nec generalissimum, cùm sit totius populi Christiani ex institutione Chri- 20
sti, & praxi Ecclesiæ, cui nullum debet correspondere stipendium, sicut medio fructui ex eâdem Christi institutione, & Ecclesiæ obseruatione, vt dixi *cap. 9. Vide Pasqualig. à q 937. & seq.* vbi rem distinctius proponit, & resoluit, non posse vnicâ missâ satisfieri pluribus stipendijs.

Ad

21 Aduertendum autem est hic fructum medium, cui potest correspondere stipendium, esse in triplici differentiâ, *Primus* importat *satisfactionem*, vt cum petitur missa non solùm pro mortuis, sed etiam pro viuis in ordine ad remissionem pœnarum soluendarum in Purgatorio. *Secundus* refertur ad fructum *propitiationis*, vt Deus dignetur medio Sacrificio remittere culpas, ex quo dicitur Sacrificium propitiatorium, iuxta dicta *cap.* 8. ferè per totum. *Tertius* dicit fructum *impetratorium*, cum quis dat Sacerdoti stipem, vt pro se dicat se missam de Spiritu Sancto, vel de aliquo Sancto, sperans se gratiam consecuturum &c. Non potest Sacerdos obligatus ad offerendum vnum ex illis fructibus v. g. satisfactorium, recipere aliud stipendium pro fructu propitiatorio, aut impetratorio, & vtrisq; vnicâ satisfacere missâ, quia quilibet petens vult totam missam pro se, licet eam petat in ordine ad vnum effectum, & non ad alios. Et id prohibetur in eodem decreto
22 non solùm ex illis verbis. *Pluribus missis etiam eiusdem qualitatis celebrandis*. Quæ studiosè ponderanda sunt, propter illam dictionem. *Etiam*, quæ ampliatiua est, inferens hunc sensum, quòd vnicâ missâ non potest satisfieri pluribus missis non solum diuersæ qualitatis, sed nec eiusdem qualitatis, Pontifex ergo suam prohibitionem, ne vnicâ missâ pluribus satisfiat, retulit ad qualitatem missarum, qualitas autem missarum refertur ad missas, vel sanctorum, vel Defunctorum, in his petitur fructus *satisfactorius*, in illis verò fructus aut *propitiatorius*, aut *impetratorius*, qui potissimùm spectant ad viuentes, vnde missæ Sanctorum quò ad hos duos fructus dicuntur viuorum, quamuis etiam earum fructus satisfactorius applicetur etiam defunctis in Domino, ergo prohibitio, ne pro vnicâ missâ recipiantur plura stipendia, refertur ad quemcumq; ex illis fructibus. Non solùm ex præfatis verbis id prohibetur,
23 sed etiam ex illa dictione: *Absolutè tot missæ celebrentur, quot ad rationem attributa eleemosynæ præscripta fuerint*. Vrget enim, & importat prohibitionem habere locum respectu cuiuscumq; fructus, tollens omnem exceptionem, verbum enim *absolutè* importat indifferentiam, ac proinde inclusionem omnium fructuum sine vllâ differentiâ, *Glos. V. absolutè cap.* 3. *de Baptismo*. Ita *Bonac. p.* 8. *num.* 15. *Rodriq. par.* 1. *cap.* 252. *num.* 6. *Aversa q.* 11. *sect.* 17. *vers. item quia*. *Ex eis Pasqual. q.* 949. *num.* 4. *& 5. vbi num.* 11. *citat Silu. V. missa q.* 11. *& Scotum quolib.* 20. *art.* 9. vbi quòd petens missam intendit eam secundum omnes fructus.
24 Notandum etiam est, aliud esse petere missam, aliud petere collectam, & orationem in missâ, vnicâ missâ pluribus missis satisfieri non potest, nec stipendijs, & hoc prohibetur in decretis, non verò interdicitur receptio alterius eleemosynæ pro dicendis collectis, & applicandâ indulgentiâ non promissâ ei pro quo celebranda est missa, vt docet *Pasq. q.* 957. vbi me corrigit benè, quòd dixerim contra decretum de celebr. missarum, posse Sacerdotem celebrando in Altari Priuilegiato duplex recipere stipendium, fortè quia talis celebratio æquiualeat duabus missis, in hoc sensu valet correctio.

Demum videndum est, an respectu priuilegiorum vnicâ missâ pluribus stipendijs saltem incongruis possit etiam nunc satisfieri. Priuilegia refero ad perpetuam rei memoriam, non ad vsum, quia iam omnia sunt reuocata, vt infra sub num. 32. referam reuocationem.

Iulius II. in sua Bulla 7. apud confect. fol. 25
127. incip. *Sacer Ordo*. Concedit Generali Ordinis Minimorum, quòd possit cum suis Fratribus dispensare, vt Sacerdotes in vnâ quaque missâ nouem, vel septem collectas recitare valeant pro totidem integralibus missis non distinguendo inter eleemosynas exiguas, vel non exiguas, tam ante, quam post priuilegij concessionem receptas. Quod priuilegium eisdem firmauit Leo X. in sua incip. *Exposcit dilectorum* 8. *apud eundem fol.* 142. Itaq; nouem collectis, & non vltra vnicâ missâ satisfaciebant nouem missis, receptis nouem stipendijs etiam congruis; etiam prima oratio ordinaria missæ currentis venit sub nomine collectæ, cum verè sit collecta, licet non dicatur commemoratio, sed simpliciter oratio. Vide eius significationes apud Rubeum de diuinis officijs *lib.* 2. *cap.* 27.

Leo X. in sua incip. *Cum sicut accepimus* 7. 26
apud eundem *fol.* 141. concedit Minoribus de Obseruantiâ, non specificando aliquem ex eorum Superioribus Sacerdotibus, vt vnicâ missâ pro multis satisfacere possint, faciendo commemorationem in genere respectu eleemosynarum, quæ vni Iulio non æquiualent, tam præteritarum, quam post priuilegium recipiendarum.

Iulius II. in sua incip. *Exposcit*, apud Au- 27
gustinum à Virgine Maria Carmelitam Strictioris Obseruantiæ Rhedonensis in Prouincia Turonensi *V. Missa num.* 8. Carmelitis Siculis, qui propter eorum paupertatem tenues eleemosynas pro missis in dies recipiebant, non valentibus singulas in particulari celebrare, concessit, quòd in suis missis continuè commemorationem generalem pro benefactoribus viuis, & defunctis, & in fine cuiuslibet anni anniuersarium pro eis faciendo, tantum eisdem fidelibus prosit, ac si pro singulis particulariter celebrassent, exonerando sic eorum conscientias. Priuilegium est pro receptis ante priuilegium datum anno 1506. & solùm respectu eleemosynarum tenuium.

Eisdem Carmelitis in Lombardiâ eandem fecit

fecit gratiam anno 1508. per Bullam incip. *Exponi nobis*, apud dictum Augustinum *num.* 11. eo motiuo, quòd habeant Capellanias in suis Ecclesijs quotidianas tenuibus dotibus, quarum nulla sufficit pro sustentatione vnius religiosi &c.

28 Cassinensibus vt legitur in calce eorum Bullarij Sixtus IV. concessit, quòd quibuscunq; verbis vtantur legantes, vel testantes, seù alij imponentes, & acceptantes missas, intelligantur ij tales ad participationem tantùm admitti, & non ad totum missæ effectum. Parum differt, quod idem Sixtus, vt legitur Bulla 46. apud Rodriquez, concessit viuæ vocis Oraculo Religiosis S. Benedicti Vallisoletanæ, per indultum factum à Nicolao Franco Nuntio anno 1478. his verbis. Item, *vt quasunq; eleemosynas, vel quæcumque legata etiam pro tempore per quasunq; personas supradictis monasterijs huius Obseruantiæ pro perpetuis Capellanijs, vel aliàs, liberè, & licitè possint ea recipere, habere, & retinere sine prædicto onere, ipsi tamen benefactores, vel defuncti participes sint benefactorum communium in dictis Monasterijs fiendorum.* Ex vtroq; priuilegio Cassinenses tenentur solùm recipere missas commendantes ad participationem, & non ad aliquam aliam obligationem; & hoc verum est, non solùm respectu missarum receptarum ante illud priuilegium, siue sint manuales, siue ex legatis, vt insinuant ea verba *pro tempore*, quæ omne tempus comprehendunt præsens, & futurum Barb. claus. hàc.

Nescio an iure, an iniuriâ Compend. Priuileg. Minorum *V. missa 3. num.* 14. dicat supradictum priuilegium à Leone X. concessum Minoribus de obseruantiâ esse subreptitium. Inquit enim, cauendum est omnino, ne quis vtatur huiusmodi concessione, quia reuera est nullius valoris, prout multi viri famosi Theologi, & iurisperiti super hac consulti responderunt, nam vltra multa, quæ contra huiusmodi concessionem dici possent, constat benè intuenti relationem, quod subreptitiè obtenta est, vnde subiungit Procuratorem Ordinis promisisse illius reuocationem, seu declarationem nullitatis procurare, sed de eà non constat. Eum sequitur Carmelita Discalceatus *in suo Directorio Regular. par.* 1. *tract.* 2. *disp.* 1. *num.* 138. *citans Castillum*, & addens, hoc, & alia priuilegia fuisse concessa pro aliquâ particulari Prouinciâ, vel domo pauperiori, vnde non sunt communicabilia alijs eiusdem Ordinis, vel aliorum ordinum locis, quia ex Lezana *V. missa num.* 31. *& Basseo V. missa* 7. *num.* 11. gratiæ concessæ per breuia particularia alicui conuentui non solent communicari alijs etiam eiusdem Ordinis, cum quibus est *Pasqualigus quæstione* 959.

29 Ego autem dico, præfatum priuilegium in primis non fuisse subreptitium, quia verum narratum fuit, nimirum illis dari eleemosynas exiguas peruenientes minimè ad Iulium, nam initio præsentis centuriæ dabantur tantùm sex solidi, & minus antecedenter, quod nec erat semi iulius, ergo narrata fuit veritas, ac proinde sublata obreptio, seu subreptio, quæ locum non habet, vbi verum narratum. Deinde ex opinione valde probabili, & practicatâ olim, vnicâ missâ pluribus stipendijs satisfiebat, quia valor Sacrificij etiam extensiuè est infinitus in opinione viginti duorum Doctorum, quos refert *Pasqual. q.* 122. vt retuli initio huius capitis, cum quibus est Caiet. qui viuebat tempore Leonis X. qui ideo hanc gratiam facere poterat. Demum Bulla Leonis directa fuit Generali, & vniuersis Fratribus Ordinis Minorum de Familiâ, seu Obseruantiâ, nunc, & pro tempore vbicumq; degentibus, ita se habet eius inscriptio apud Confectum fol. 141. & Vadingum tom. 8. Bulla 25. nec in Historià ad finem anni 1517. quo ea Bulla data fuit quidquam dicit de subreptione. Quare Carmelita non bene dicit, hanc Bullam esse peculiarem, cum constet ex titulo fuisse concessam toti Ordini.

Lezana loco citato nihil dicit contra ista priuilegia, nisi quòd sunt reuocata per decreta de celebr. missarum, ex num. 15. Bassæus loco citato nihil, sed ambo dicunt priuilegia concessa vni domui concedi etiam alijs, *Lezana tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 52. *Bassæus V. Priuilegium* 7. *num.* 12. ergo ille non loquitur congruenter quò ad hoc, nec quò ad alia, numquam ergo ea priuilegia fuerunt subreptitia; quod magis confirmatur, quia Sacra Congregatio illa reuocauit, ergo pro firmis antecedenter habuit. 30

Demum nulli dubium est, dari communicationem horum priuilegiorum inter Mendicantes, & non Mendicantes, vt respectu Mendicantium patet ex Bulla 32. incip. *Dudum per nos* Leonis X. etiam apud Confect. fol. 160. respectu verò non Mendicantium ex Bulla 41. *Pij V.* incipit. *Ex superna dispositionis*. Sed referamus reuocationem horum priuilegiorum, quibus nunc nullus vti potest vnicâ missâ pluribus satisfaciendo stipendijs. 31

In tertio igitur decreto de celebr. missar. reuocantur præfata priuilegia, & alia quæcumq; sub his verbis. 32

Id verò vt deinceps obseruetur exactius S. Congregatio eâdem auctoritate reuocat priuilegia, & indulta omnia quibusuis personis, Ecclesijs, & locis pijs, tam Secularibus, quam Regularibus, cuiuscumq; Ordinis, Congregationis, instituti, quamcumq; ob causam concessa, quibus indulgetur, vt certarum missarum, vel anniuersariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus

nibus plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat

Dubitatum fuit super his postremis verbis, prout refertur in declarationibus eiusdem Sacræ Congregationis, eius tenoris: *Sextò*, super tertio Congregationis decreto, in quo eadem Congregatio reuocat priuilegia, quibus indulgetur, vt certarum missarum, vel anniuersariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu Orationibus, plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat. Quæritur, an verba (*in futurum suscipiendis*) intelligenda sint de oneribus suscipiendis post priuilegium? *Respondit* ad sextum, ita esse intelligendum.

Hinc oriuntur duæ difficultates. *Prima est*, an reuocatione non obstante dictorum priuilegiorum, nunc vti possint dictis priuilegijs, vnicà missà satisfaciendo pluribus ad formam illorum respectu missarum receptarum ante vigesimum secundum diem Septembris anni 1625. quo Bulla de celebr. missar. publicata fuit? *Secunda*, an responsa Sacræ Congregationis super huiusmodi decreta de celebr. missar. habeant vim legis, facta scilicet de conscientià, & mandato Pontificis? Affirmatiua responsio ad hanc posteriorem certissima est, vt clarè patet initio eo-
33 rum responsorum his verbis: ***Declarationes aliquot S. Congr. Concilij S. D. N. Vrbani Papæ VIII. auctoritate editæ super decretis eiusdem Congregationis de celebratione missarum.***

Obiecit nobis quidam Abbas Cassinensis vir doctissimus ea verba Bullæ sub §. Porro ne vllo. ***Omnibus tam Ecclesiasticis personis, cuiuscumq; sint ordinis, conditionis, & gradus quam laicis, quocumq. honore, ac potestate præditis præsentia decreta declarandi, vel interpratandi facultate penitus interdictà.*** Putabat hanc interdictionem interpretandi comprehendere etiam ipsam Sacram Congregationem, ac proinde supradicta verba tituli declarationum importare licentiam datam Cardinalibus interpretandi doctrinaliter, & iudicialiter non autem auctoritatiuè, & legaliter.

Sed reuerà dicendum est illa verba tituli esse referenda ad auctoritatem explicandi ea decreta legaliter ac si ipse Pontifex ea declarasset. Quare respondendum est pro veritate eam prohibitionem non comprehendere Sacram Congregationem, quæ reuerà fuit illorum legislatrix vnà cum Papà, nemo autem sibi imperare potest, nec prohibere,
34 *Glos. V. cessauerint à diuinis cap. 13. de offic. ordin. iuribus citatis*, actas enim imperij, sunt erga subditos; ea ergo interdictio est contra alios, qui nec iudicialiter, nec aucto-
35 ritatiuè ea decreta interpretari possunt, vtique verò doctrinaliter, quia hæc declaratio non prohibetur, immo est necessaria, cum dubia facile occurrere possint, *Rodriq. tom. 1. q. 11. art. 3.*

Ad primam difficultatem respondetur, 36
etiam nunc vti posse, si superiores in effectu fecerunt decretum reductorium missarum ad formam illorum priuilegiorum, prosequendo celebrationem missarum illarum, sicut ante faciebant.

Probatur, quia per Bullam hanc de celebratione missarum, non reuocatur decretum reductorium, si quod à superioribus factum fuit, sed solum reuocantur ipsa priuilegia ad eum effectum, ne Superiores deinceps vti possint dictis priuilegijs, tam decernendo, quam simul exequendo decretum modum celebrandi; & hoc est certum, quod sola priuilegia reuocantur, non verò eorum vsus decreti executiuus, cum de his non fiat mentio in Bullà sed de simplici reuocatione priuilegiorum, quæ deinceps nullam vim habent ad decretandum in futurum, vt vnà missà cum pluribus collectis satisfiat pluribus stipendijs.

Confirmatur, quia lex futuris dat formam 37
negotijs, non ad præterita facta trahitur, nisi nominatim in ea de præteritis caueatur *cap. 2. & fin. de constit.* adeo quòd, nec in dubijs ad præterita extenditur, *Bossius in append. de confess. solicit. num. 62.* licet futurus effectus ab actu iam perfecto pendeat, *Nauar. consil. 1. qui filij sint leg. Honded. vol. 2. cons. 14. num. 28. & 29.* vt hic de celebratione missarum, qui semper, & continuò pendet ab illo decreto, cuius virtute celebratur, & satisfit vnicà missà pluribus stipendijs cum tot orationibus. Dum ergo priuilegium antecedenter ad sui reuocationem sortitum fuit suum effectum, æquitas postulat, ne reuocetur quo ad hunc effectum, nisi per expressam mentionem sortiti effectus, quia per hanc sortitionem priuilegiatus habet ius hoc quæsitum, & dominium illius, neq; enim Princeps, qui suis subditis iura quæsita conseruare intendit, præsumitur ea illis auferre, nisi id in terminis exprimat, *cap. licet 12. de offic.*
ordin. cap. ex suarum 5. de auctor. cap. su- 38
per eo 15. de offic. deleg. Cum ergo Bulla reuocet præcisè priuilegia, & non eorum effectus, & executiones iam decretatas, sequitur adhuc vigere eorum vsum celebrandi etiam nunc pro satisfactione antiquarum missarum, inter quas forsan aliquæ erunt perpetuæ, quibus solent correspondere ex antiquitate duo aut tres solidi verisimiliter, cum initio huius centuriæ darentur tantùm sex solidi.

Sed prædictis duo videntur obstare, in primis decretum ipsum, quod retuli sub num. 12. illis verbis: ***Plura stipendia quantumcumq; incongrua, & exigua collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus.*** Nam verba illa, *collata fuerunt.* referuntur ad præterita recepta ante publicationem Bullæ. Alterum est responsum ad 6. supra rela-

relatum sub num. 32. vbi S. Congr. respondet illa verba: *Plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis.* Referri ad onera in futurum recipienda non solùm post publicationem Bullæ, sed etiam recepta post concessionem piruilegij, quòd scilicet intelligatur reuocatum etiam respectu missarum receptarum post concessionem illius.

39 Respondeo, ea loca intelligenda esse de missis, super quibus nullum adhuc factum fuerat decretum reductorium, non verò de illis, super quibus fuerat decretum, cuius effectus habet tractum successiuum celebrationis, vt patet ex supra dictis. Confirmatur id quia vbi agitur de reuocatione vti odiosâ, ea interpretanda est, vt minus lædat quam

40 sit possibile, *Gonzal. glos. 36. num. 7. Tamb. tom. 2. disp. 2. q. 17.* A ldo prædictis quæsitum fieri in numero plurali de priuilegijs, & postea finiri in numero singulari ibi: Quæritur, *an verba in futurum suscipiendis intelligenda sint de oneribus suscipiendis post priuilegium?* Quasi Patres legerint diuersa priuilegia, & inuenerint aliqua amplissima ad onera tam recepta, quàm recipienda post concessionem, alia non, ac proinde variauerint numerum quodam modo volentes comprehendere illud, quod non extenditur ad recepta post concessionem, si de facto receperint, quia non potuerunt satisfacere, dum priuilegium ad illa non se extendebat.

Dubitatur hic, an qui bona fide vnicâ missâ satisfecit pluribus teneatur vel reficere missas, vel restituere stipendia, postquam deuenit in cognitionem adesse decreta in contrarium quæ expresse prohibent vnicâ missâ posse pluribus satisfacere, sed vnicuiq; stipendio debere respondere propriam missam.

41 ℞. Ad nihil tenetur, quia nihil habet, quod sit alienum, nam cum satisfecerit omnibus stipendijs, alienum retinere non dicitur, cum omnia stipendia fecerit sua, dum omnibus obligationibus satisfecerit, secundùm probabilem opinionem vigintiduorum Doctorum, quos contra se citat *Pasqual. q. 223.*

Confirmatur ex ijs, quæ dixi *resol. 25. num. 22.* immo hic supponitur, quòd celebrans, à bonâ fide transeat ad malam, quod non potest verificari in eo, qui secundùm opinionem probabilem vnicâ missâ pluribus satisfecit stipendijs, aliud enim est mutare opinionem, aliud bonam fidem in malam, hoc enim restringitur ad actum conscientiæ, quæ cum operetur prudenter non potest dici operatam fuisse cum malâ conscientiâ.

Nec idem *Pasqual. q. 1199.* dissentit dum ait, eum qui vnicâ missâ satisfecit pro pluribus stipendijs bonâ fide, eâ cessante teneri restituere id tantùm, in quo factus est ditior, consumptâ pecuniâ. Rationem reddit, quia dum permanet in bonâ fide nihil scit se habere alieni, dum verò est in malâ fide incipit scire se habere alienum, nimirum, id, in quo factus est ditior, & locupletior. Sed ego loco citato dixeram, in nullo factum fuisse ditiorem, quia celebrando iuxta eam opinionem probabilem, cum stipendium fecerit suum, non dicitur factus ditior de alieno, sed de suo. Et hoc procedit respectu eius, qui eam sequendo opinionem celebrauit non solùm ante Decreta de celebr. missar. sed etiam post, quamdiu ignorauit prohibitionem, non posse vnicâ missâ pluribus stipendijs satisfacere, quia vt probaui loco citato, non fuit damnata opinio satisfaciendi vnicâ missâ pluribus stipendijs, sed tantùm fuit interdictus eius vsus; nec obstat, quod subiungit Pasqual. post Decreta de celebr. missar. non habere locum bonam fidem in accipiente plura stipendia pro vnâ missâ, quia monente lege ignorantia iuris neminem excusat, cum teneatur hanc legem Sacerdos scire, cum ignorātia iuris habeatur pro latâ culpâ, vt ibi multis probatur. Id inquam non obstat, quia etiam ignorantia iuris excusat in foro conscientiæ, quando est probabilis, *Sanch. lib. 9. disp. 32. num. 10. Megal. consf. 31. num. 4. Homobon. Cosult. par. 2. R. 104.* quæ in casu nostro dabilis est. Neque obstat, quòd ignorantia eorum, quæ quis tenetur scire, non excusat, *cap. fin. de iniur. iuncta glos. V. ignorantia, Nauar. cons. 10. de Panit. num. 2.* Quia id intelligitur, si præuidet dubitationem, & non adhibuit diligentiam, nulla enim positâ præuisione, aut dubitatione sciendorum, excusatur, vt docent communiter omnes *cum Sanch. lib. 1. cap. 16. num. 24. & lib. 9. cap. 8. num. 44. Bonac. de peccatis p. 3. num. 18. & 27.* Et ex his patet responsio ad argumenta Pasqual. 42 43

CAPVT DVODECIMVM.

De Capellanijs, & Capellanis.

SVMMARIVM.

1 *Capella profanè idest parua Capra.*
2 *Catolicè idest casa parua, seu Oratorium, in quo celebratur missa.*
3 *Capellania est onus anniuersarium celebrandi ad Altare designatum cum iure percipiendi stipendium pro labore ad sui sustentationem.*
4 *Ecclesiastica Capellania est illa, quæ erigitur in beneficium auctoritate Episcopi, à quo, vel alio Prælato solùm confertur.*
5 *Laicalis verò, quæ fundatur à testatore, vel aliâ personâ priuatâ, nullâ Episcopi interueniente auctoritate.*
6 *In dubio qualis sit, attendendus est vltimus statut, vnde si confertur ab Eccle-*

siastico censetur Ecclesiastica.
7 *Testator opponere potest conditionem, ne in eà Episcopus se ingerat, vel conuertat in Beneficium.*
8 *Rei suæ quilibet apponere potest conditionem, quam vult.*
9 *Ordinari Acolitus potest in Subdiaconum ad titulum Capellaniæ.*
10 *Laicalis ab Episcopo conuerti potest in Beneficiū, nisi adsit testatoris expressa prohibitio.*
11 *Beneficium perpetuò confertur, Capellania laicalis ad nutum dari potest.*
12 *Beneficium de sui naturà est perpetuum.*
13 *Capellania nulla requirit residentiam personalem, sed sufficit celebrare.*
14 *Est enim Beneficium, non solùm Ecclesiastica, sed etiam laicalis.*
15 *Capellanus eligendus debet esse actu Sacerdos, si id expressit testator.*
16 *Infirmus Capellanus vterq; excusatur à missâ per bimestre.*
17 *Capellaniæ fundantur etiam in Ecclesijs Regularium, & tunc dantur Sacerdotibus regularibus; laica Ecclesiastica Clericis.*
18 *Hæredes tenentur ministrare paramenta, & alia pro Capellano beneficiario, seruantes indemnem Sacristiam Regularium, nisi à testatore prouisum sit Sacristiæ.*
19 *Capellani transgressores in suo officio puniri possunt à patronis Ecclesiarum.*
20 *Capellanus eligitur vel à testatore, vel à suo hærede, nisi fuerit Rectorem Ecclesiæ suum executorem, quia tunc ad hunc spectat. Ista nominatio non est necessaria apud Regulares.*
21 *Ius nominandi, quod habet testator transit in eius hæredem vniuersalem.*
22 *Omnia sua iura, quæ habet tempore mortis, transfert in hæredem.*
23 *Est enim hæres vniuersalis eiusdem potestatis, ac defunctus dum viueret.*
24 *Hereditas est successio in vniuersum ius defuncti.*
25 *Testator potest nominare suū Capellanum.*
26 *Ius nominandi Capellanum non est de iuribus Parochialibus.*
27 *Testator legando missam perpetuam quotidianam non dicitur contemplari Ecclesiam, nec Sacerdotem, sed solùm intendit prodesse animabus suæ, & suorum.*
28 *Capellaniæ in Ecclesijs regularium, si sunt Beneficia, dicuntur seculares, aliter regulares.*
29 *Rector alicua Ecclesiæ ius non habet.*

Capella secundum profanum sensum significat paruam capram, iuxta illud *Virgil. Eglog. 3. Tytire pascentes à flumine reijce Capellas*, id est paruas capras. Biblicè verò, & catholicè significat casam paruam hoc est Oratorium paruum, & priuatum; in primitiuâ Ecclesiâ solùm in domibus, & cryptis Martyrum, in quo fideles orabant, & Sacrificia Deo offerebant. Nostris autem temporibus, nomine Capellæ veniunt non solùm prædicta Oratoria, *ex cap. concedimus 30. dist. 1. de consecrat. iunct. glos. V. in Capellis cum iuribus ibi citatis*; sed etiam Oratoria publica, quæ construuntur in Parochijs, *cap. 1. de Noui operis nunt.* quæ sine Parocho erigi non possunt. *Tertiò*, pro Capellis intra Ecclesiam constructis, quæ vulgariter Altaria vocantur. *Quartò*, alicubi Capellæ vocantur Parochiales subiectæ Archipræsbitero in villis, sic vocantur in diœcesi Parmensi. *Quintò*, eodem nomine venit omnis Ecclesia, vt dixi *cap. 6. num. 26.* In præsenti autem materiâ nomine Capellæ sumimus quodlibet Altare siue Ecclesiæ, siue Oratorij publici, in quo de mente testatoris, seu alterius missæ sunt celebrandæ, vnde exercitium celebrationis, & ius celebrandi vocatur Capellania, & Sacerdos celebrans appellatur Capellanus. Interim vide plura, quæ dixi de Capellanis *cap. 6. à num. 15. & seq.* Sed accedamus ad quæstiones. 1 2

Quæres igitur primo quid sit Capellania? ℞. Est onus celebrandi annuatim missas ad certum Altare regulariter designatum à testatore, vel alio institutore, cum iure recipiendi stipendium pro labore ad sustentationem Capellani. Dico *annuatim*, quia Sacerdos celebrans aliquot missas pro vnâ vice, & non singulis annis, non est propriè Capellanus, quia eius obligatio non est anniuersaria, sed transiens eodem anno. Dixi *ad certum Altare*, quia solent testatores habere deuotionem magis ad vnum locum Sacrum, quam ad alium, & ad proprias Capellas suis sumptibus extructas. Dixi, *A testatore, vel alio institutore*, quia duobus modis institui possunt, vel per testamentum, vel per contractum inter viuos. Dixi *cum iure recipiendi stipendium*, dignus est enim operarius mercede sua. De stipendio missarum plura dixi *cap. 10.* per totum. 3

Quæres 2. Quotuplex sit Capellania? ℞. Duplex Ecclesiastica, & laicalis, iuxta dicta *cap. 6. num. 15.*

Capellania Ecclesiastica est illa, quæ à patrono proposita pro celebratione missarum auctoritate Episcopi erigitur in Beneficium ab eodem, vel alio Prælato conferendum Clerico apto ad celebrandum, vnde eidem confertur in titulum alicuius Sancti, & talis Capellanus tenetur ad Diuinum Officium recitandum, quia Capellania huius generis 4

est

est propriè Beneficium. Ita omnes cum *Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. glos. 5. num. 6. ad 20. Nauar. cons. 5. & 7. de preabend Garzias de benef. cap. 2. num. 81. par. 1. Castropal. tract. 13. de benef. disp. 1. p. 6. initio. Ego supra cap. 6. num. 27. Portell. par. 2. Resp. casu 75.*

5 Capellania verò laicalis est illa, quæ à testatore, vel alio instituta traditur ab illis, vel eorum hæredibus aut alijs Sacerdoti, qui assumit onus, & obligationem celebrandi missas secundùm mentem testatoris, & in hac nulla interponitur au&oritas Episcopi, ex quo dicitur carere qualitate Beneficij, ita docent præcitati, *Gonzal. glos. 5. à num. 20. Ego cap. 6. num. 31. vbi plura de hac re. Rota par. 2. dec. 254. & par. 4. dec. 571.*

Quæres 3. In dubio quid dicendum, an Capellania sit Beneficium, an solum legatum?

6 ℞. Si non constat qualiter initio fuerit instituta, attendendus est vltimus status, si enim confertur ab Episcopo, pro Ecclesiastica est habenda quia non est præsumendum, Prælatum sibi vsurpasse ius alienum. Ita *Merlinus dec. 501. num. 7. cum alijs à me citatis cap. 6. num. 39.*

Quæres 4. An testator, vel institutor apponere possit in suo instrumento, ne Episcopus suam Capellaniam conuertat in Beneficium Ecclesiasticum, quia vult eam perpetuò esse merè laicalem?

7 ℞. Affirmatiuè, quia conditionem, & modum quilibet potest apponere rei suæ *l. in*
8 *traditionibus ff. de pactis glos. V. concessa Clem. 2. de sepult.* qu sq; enim in re sua est moderator, & arbiter, *l. in re mandata C. Mand.* Neque enim tale pactum, seu conditio est turpis, neq; ipsi Episcopo est iniuriosa, & præiudicialis neq; lex aliqua resistit, siquidem, cum dentur huiusmodi Capellaniæ laicales, ratio dictat, vt perpetuò tales conseruentur, quales ab initio fuerunt institutæ. Ita nonnulli colligunt *ex sess. 22. cap. 9. Couar. Castropal. Gonzal. cum alijs à me citatis dicto cap. 6. num. 35. Seraph. dec. 611.*

Quæres 5. An Clericus, cui data fuit Capellania laicalis, ordinari possit Subdiaconus ad eius titulum, sine alio patrimonij titulo?

9 ℞. Affirmatiuè, si illi tradita fuit irreuocabiliter, & ad formam patrimonij, iuxta *cap. 2. sec. 21.* iuxta quod dixi eodem *cap. 6. num. 36.* siquidem Clericus eam adeptus non cogitur mendicare, dum ex ea honestè viuere potest. Necessarium quoq; est, vt tot sint annui redditus, quot tribuit taxarum patrimonium in synodo.

Quæres 6. An Capellania laicalis per Episcopum conuerti possit in Ecclesiasticam?

10 ℞. Posse, quando testator non prohibuit expressè, & hoc de consensu hæredis, tùm quia id est fauorabile Ecclesiæ; tum quia est honorabilior Capellania ecclesiastica, quam laicalis; tum quia melius conseruatur in sua perpetuitate. Ita *Gonzal. Glos. 5. num 58. Castropal. tract. 13. de Benef. dis. 1. v. 6. num. 3. Dixi cap. 6. num 38. Pasq. q. 1041.*

Quæres 7. An vtraq; Capellania conferatur perpetuò, an ad nutum amouibilis?

℞. Ecclesiastica cum sit Beneficium confertur non ad tempus, neq; ad nutum reuocabilem, sed perpetuò, quia propriè est Beneficium, *cap. Sanctorum dist. 70. Vivian. lib. 1. cap. 1. num. 61. ad 66. Abbas par. 2. cons. 47.* Laicalis assignatur ad libitum hæredis, vel perpetuò, vel reuocabiliter, & nullà limitatione expressà, est reuocabilis, quia Sacerdos in hoc æquiparatur colono partiario, qui sicut potest pro suo libito recedere à colonia, ita & dominus illum licentiare. Confirmatur, quia Capellanus assimilatur quoq; famulo, locando suas operas, *extr. Vndecim. Riccius par. 2. dec. 220. num 10.* & hæres comparatur conductori, qui pro suo libito conducit vel ad tempus, vel perpetuò Sacerdotem ad celebrandum missas pro testatore, *Nauar. cons. 6. de Prabend. ex eo Portell. par. 2. Respons. casu 75. num. 3.* vbi quòd si eam concessit perpetuò, non potest auferre, quia quod semel placuit, amplius displicere non debet nec licet mutare consilium, in detrimentum alterius. Quòd si Beneficium ta e non sit simpliciter, sed dicatur manuale, tunc à Superiore est reuocabile ad eius nutum, etiam nullà subsistente causà, quia talis est eius natura, vt docent communiter *Gonzal. glos. 5. §. 6. num. 46. Sanch. lib. 7. cap. 23. num. 112. cum alijs Castropal. de Benef. disp. 1. p. 5. num. 3.* 11 12

Quæres 8. An Capellania requirat residentiam in Capellano electo ad celebrandum, itàut per alium supplere non possit?

℞. Non est necessaria residentia personalis, quando testator non expressit in sua dispositione, quòd Sacerdos electus debeat celebrare perseipsum, ratio est, quia celebratio missarum expediri potest per alium Sacerdotem, non enim obligatio est personalis, nisi id exprimatur, sed tantum realis, quia qui per alium facit, per seipsum facere videtur, *cap. 72. de reg. iur. in 6. cap. Mulieres 6. §. illi verò, de sent. excom. l. 1. §. omnia C. de iure veter. enucl. Ita Riccius par. 1. resol. 348.* 13

Idem docui *cap. 6. num. 72.* Quia residentia non est opus in Beneficijs simplicibus, cuiusmodi est Capellania tam beneficialis, quam laicalis, quibus per alium satisfieri potest, dum Sacerdos aliud onus non habet nisi celebrare missam ad differentiam Beneficij Curati, cuius Parochus residere personaliter debet, cum quotidie occurrere possit casus administrandi Sacramenta omnibus sibi commissis. Quæ necessitas non inuenitur in Beneficijs, & Capellanis tantùm obligatis missas 14

ſas celebrare, quorum onus expeditur per ſem horam. Immo Capellanus obligatus per ſeipſum celebrare, non tenetur reſidere, & moram trahere prope Eccleſiam, in qua debet celebrare, quia illi ſufficit comparere ad celebrandum, eſto Eccleſia eſſet extra ciuitatem, & Sacerdos Capellanus domum haberet in ciuitate, quia adhuc ſatisfacere poteſt ſuæ obligationi. Quod verum eſt, etiamſi teſtator pro ipſo domum reliquiſſet prope Eccleſiam, ſi ibi aliud munus exercere non tenetur, niſi celebrare, quia teſtator præſumitur non ſibi, ſed Capellano voluiſſe prodeſſe, ac proinde cum huic beneficio renunciare poſſit, & per hoc non noceat teſtatori, liber eſt ab habitatione deſignatà, & domum alijs locare poteſt, ſi ſibi relicta fuit ad habitandum.

Quæres 9. An Capellanus eligendus debeat eſſe actu Sacerdos, an ſufficiat, quòd talis ſit in habitu, & proximà potentià, itaut infra ſex menſes poſſit promoueri ad Sacerdotium?

15 ℞. Vtique, quando teſtator id expreſſit in ſuà diſpoſitione, aliter ſufficit, quòd infra ſex menſes poſſit promoueri ad Sacerdotium, & tunc per alium celebrare debet, & id probatur, quia ſicut beneficium curatum conferri poteſt recepturo Sacerdotium infra illud tempus, iuxta quod dixi *cap. 6. q. 6. à num.* 43. qui maiorem habet obligationem, ita & ſimplex Capellania eidem conferri poteſt, quæ aliam non habet obligationem, quàm celebrandi miſſas. Ita Doctoribus citatis ibidem docui, quibus adde *Ricciumpar.* 1. *reſol.* 350. *Ciarlin. cap.* 38. *num.* 15. Immo, & dari poteſt laicalis carenti etiam primà tonſurà, quia ſolùm Eccleſiaſtica requirit Clericatum.

Quæres 10. An Capellanus infirmus debeat ſupplere miſſas omiſſas, & ſi ſunt quotidianæ ſupplere per alium?

16 ℞. Beneficiarius non tenetur, nec Capellanus laicalis infra bimeſtre vt probaui *cap.* 6. *q.* 8. *num.* 64. Illuc remitto lectorem, ne idem fruſtra repetam. Vide Ricciumpar. 1. *reſol.* 351. multa congerentem pro vtràque parte. *Fraxinel. ſect.* 4. *concl.* 4 §. 13. ait, infirmitate præpeditum, poſt octo, vel decem dies, aut circiter, teneri per alium celebrare, quia datum ob cauſam repetitur, ſi ex infirmitate recipientis non potuit adimpleri, expreſsè *l. ſi pecuniam* 5. *ff. de condict. cauſa data*. Textus ille non obſtat, quia loquitur de eo, qui acceptà pecunià promiſit ſeruitium, ſed infirmitate præuentus non potuit negotium aggredi, certum enim eſt, quòd tenetur reſtituere acceptum, promiſsà causà non ſecutà. Re ergo integrà, vt ibidem in ſummario dicitur, receptum reſtituitur. In caſu autem noſtro res integra non eſt, cum aliàs pluries celebrauerit, & ſtipendium datur pro ſuſtentatione celebrantis, quo tunc tempore infirmitatis magis indiget, ergo illo ſe priuare non tenetur tradendo ſupplenti miſſas.

Quæres 11. An Capellania tum Eccleſiaſtica, tum laicalis inſtitui poſſit in Eccleſijs etiam Regularium?

℞. Capellaniæ paſſim fundantur in Eccleſijs Regularium quidem laicales, quibus 17
Superiores Regulares inſeruiunt per ſuos Sacerdotes Regulares, & quandoque per Seculares Sacerdotes, vel ex diſpoſitione teſtatorum, vel ex defectu Sacerdotum Regularium. Cum autem Seculares officiaturam, vt aiunt, in Eccleſijs Regularium inſtituunt; tenentur hæredes ſubminiſtrare Capellano Seculari 18
omnia neceſſaria ad celebrandum, nempe, paramenta, calicem cum adnexis, candelas, Clericum, Hoſtias &c. neque enim Sacriſtia hoc incommodum pati debet, niſi pro hoc habeat correſpondens emolumentum. *Latius ſub cap.* 10. *num.* 83.

Paſqual. centur. 3. *q.* 293. ait Rectores 19
Eccleſiarum Secularium, & Regularium habere vim coercitiuam etiam per cenſuras in Capellanos etiam Seculares, qui tenentur obſeruare ordinationes factas ſuper horas, quibus Capellani debeant celebrare, vt cultus Dei ordinatim, & rectè diſtribuatur; & excerceatur in Eccleſià, in hoc enim ſubiecti ſunt ordinationibus pro rectà celebratione in Eccleſià ad commodum fidelium miſſas audientium, vnde tranſgreſſores ratione delicti in Eccleſià perpetrati ſubduntur Rectoribus Eccleſiarum etiam Regularium, cum delinquant ſub eorum iuriſdictione, ac proinde ſint ſubiecti ratione delicti.

Quæres 12. Ad quem ſpectet nominare Sacerdotem, qui miſſas celebraturus eſt pro teſtatore in Capellanià ſiue Eccleſiaſticà, ſiue laicali?

℞. Reſpectu vtriuſque ſpectat ad eos, quos 20
teſtator expreſsè voluit nominare Sacerdotem poſt eius mortem, & in hoc nulla eſt difficultas, quia eius voluntas omnibus modis ſeruanda eſt, & deducitur *ex cap. nobis* 25. *de iurepatr.* ibi: *In Capellà, in quà vnus à Patrono Presbiter eligitur*. In caſu verò, quo teſtator nullam mentionem faciat de electione Sacerdotis, ſed dicat, quod celebrentur miſſæ in tali Altari, tunc ſi Rector Eccleſiæ Secularis ſit relictus executor teſtamentarius, ad eum pertinet eligere, & nominare Capellanum, ex quo eſt executor eius voluntatis, ac proinde etiam electionis Capellani, vt in his terminis docet *Rota par.* 9. *decis.* 294. & 338. in eadem causà, dixi *Eccleſia Secularis*, quia in Eccleſijs Regularibus adſunt Sacerdotes, quibus Superior committit celebrationem. Quòd ſi Rector, in cuius Eccleſià miſsa eſt celebranda, non eſt executor teſtamentarius, tunc ad hæredem pertinet nomi-

minato Sacerdotem Capellanum. Tum quia laici non sunt incapaces iuris nominandi, & eligendi ad celebrandum, vt patet, dum eligunt, & præsentant laici patroni Sacerdotem ad celebrandum, *ex tit. cap nobis 25. de iurepatr. Feder. de Senis conf. 45. num. 1. vers. super eo. Lambert. de iurepatr. lib. 2. par. 1. q. 5. art. 5. num. 5.* Vnde hoc ius
21 transit in hæredem vniuersalem, *Abbas in cap. cum seculum, de iurepatr. Vgolin. de potest Episc. cap. 9. num. 6. apud Rotam par. 9. tit. decis. 294. num. 7. & 8.* Tum quia omnia iura quæ habet testator transfusit in suum
22 hæredem vniuersalem; *l. hæredes 24. ff. de aquir. vel amitt. possess. l. nihil. 24. ff. de verbor. signif.* Est enim hæres eiusdem potestatis, & iuris, cuius fuit defunctus, dum viue-
23 bat, *l. 60. ff. de reg. iur.* cum hæreditas sit successio in vniuersum ius defuncti, quod habuit tempore mortis, *reg. 63. ff. de reg. iur.* Certum autem est, quod testator habebat ius
24 nominandi in suo testamento certum Sacerdotem, qui pro ipso esset celebraturus, *ex adductis à Rota par. 8. decis. 196.* ergo hoc idem
25 ius transfusit in suum hæredem vniuersalem; hoc ipso, quòd non fecit Rectorem executorem sui testamenti. Confirmatur, quia hæres dat salarium Capellano, ergo ratio dictat, ipsum debere eligere Sacerdotem, qui celebret missas in testamento relictas.

Dices deputatio Capellani videtur vnum de præcipuis iuribus Rectoris, & administratoris suæ Ecclesiæ, *Rota par. 2. diuers. decis. 264.* ac proinde nō ad hæredes, sed ad Rectorem, maximè cum testator videatur contemplatus fuisse Ecclesiam, non Sacerdotem, cum respexerit cultum illius, & non commodum Sacerdotis, quæ sunt rationes illarum decisionum, *item. par. 5. dec. 45.*

26 R. *Ad primum*, id non pertinere ad ius Parochiale, cum sine Capellanis esse possint iura Parochialia, eius partes tamen solum erant, vt Capellanus celebret iuxta horas à Rectore determinatas, cum illi subsit, dum in eius Ecclesiâ celebrat, iuxta, dicta sub q. 11. *Ad secundum*, testatorem non fuisse con-
27 tatum contemplatione Ecclesiæ, neq; Capellani, sed intentionem suam fuisse consulere animæ, demonstrando Ecclesiam, quia extra non contingit celebratio, & ne relinqueret Sacerdotem eligendum liberum quò ad Ecclesiam, Vide *Riccium par. 4. dec. 210.*

Quæres 13. In dubio an Capellania sit regularis, an secularis fundata in Ecclesiâ regulari?

28 R. Si illi inseruiat Sacerdos Secularis, habenda est pro Seculari, secus si celebret regularis, vt docet *Garziat. in addit. ad tract. de benef. par. 7. cap. 10. num. 37. vers. sed hoc non obstante, Sanch. lib. 7. cap. 29. num. 27. ex eis Barb. lib. 3. de iure cap. 5. num. 14.* vbi, quòd sit Regularis, ait *Rodriq. tom. 1. q. 34. art. 3.* Die vlterius, tunc esse Regularem, si collatio fiat à Superiore Regulari, & non aliter; sicut censetur Secularis, si conferatur ab Episcopo siue in Ecclesiâ Seculari, siue Regulari, quatenus est Beneficium, quia Regulares non sunt capaces Beneficiorum.

Quæres 14. Rector Beneficij an, & quomodo possit celebrare in alienâ Ecclesiâ. Ratio dubitandi habetur ex sequenti dispositione, nam Basilius Borghetus ciuis Parmensis fundauit Beneficium patronale ad Altare maius Catedralis sub inuocatione S. Herculani sub his obligans Rectorem verbis: 29
Quod Rector dicti Beneficij teneatur, & obligatus sit celebrare, seu celebrari facere ad Altare prædictum missas tres singulâ hebdomadâ, & vnum anniuersarium singulo anno in perpetuum missarum 30. die sequenti post festiuitatem S. Herculani si fieri potest, sin autem quàm citius fieri possit. Dubitatum fuit super duobus prædictis qualiter intelligatur dicta obligatio; an debeat habere executionem suam independenter à Venerabili Consortio Sacerdotum insigni in Catedrali Parmensi, an verò debeat in hoc dependere ab eodem Consortio?

R. Constat, obligationem esse quidem Rectoris, qui dum scribo est D. Hieronymus Boschus Sacerdos, executionem verò esse Consortij, maximè quò ad anniuersarium cum suis missis, nam quò ad hebdomadales missas nullum est litigium inter partes, sed tantùm respectu anniuersarij cum suis missis, quorum executio spectat ad Consortium. Tum quia Rector nullum ius habet in Catedrali, cum non sit membrum Consortij. Tum quia non potest comparere in Choro cum cottâ, nec alios inuitare ad celebrationem anniuersarij. Tum quia Consortium habet suos Clericos deputatos Choro non solùm pro missis viuorum, sed etiam defunctorum. Quare ex his sequitur executionem anniuersarij spectare ad Consortium, & non ad Rectorem, cuius est tantùm obligatio iustandi, vt exequatur mens testatoris; vnde ipse testator videtur hoc expressisse illis verbis: *Seu celebrari facere* idest procurare, vt celebrentur missæ per Consortium. Neque aliter mens testatoris interpretari potest, aliter suum testamentum quo ad hanc partem non prudenter, nec iustè disposuisset, si Rector posset exequi hoc anniuersarium in Catedrali independenter à Consortio in præiudicium iurium Consortij, quod dicendum non est, quia verba testatoris ita intelligenda sunt, vt non fuerit peccatum in eius factione, *l. Plautius 9. ff. de auro, & arg. legato* sciebat enim Basilius testator se id facere non posse, vt Rector sibi vsurparet huiusmodi executionem in alienâ Ecclesiâ, erat enim dictus testator Præsbiter, ac proinde informatus de modo officiandi in Catedrali.

Con-

Concludendum ergo est, dictum Rectorem debere tantùm instare, quod Consortium debeat exequi dictum anniuersarium etiam cum missis, vt aiunt, bassis, quæ cum sint accessoriæ cantatæ debent sequi naturam sui principalis *Reg. 42. in 6.* & dare Consortio solitam, & congruentem eleemosynam, seruatio vtrinque per Consortium, & Rectorem, quod dispofuit testator illis verbis: *Si fieri posset, sin autem quam citius fieri posset* idest, receptis eleemosynis à Rectore debet Consortium celebrare anniuersarium cum suis triginta missis, illa enim dilatio refertur ad fructus beneficij perceptos respectu vtriusq; *arg. cap. cum in sua 30. de decim. l. cum qui 33. ff. de vsu capt.* cum idem diuerso iure censeri non debeat.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

De Legatis Caducis, & Nullis.

SVMMARIVM.

1 *Nullitas Caducitas, & Reuocatio legatarum differunt, quia nullitas procedit ex testamento initio inualido. Caducitas*
2 *supponit ruptum testamentum, quod enim*
3 *cadit antea stabat, demum reuocatio legati procedit à voluntate testatoris mutatâ.*
4 *Prædicta non præsumuntur, sed probanda sunt ab asserente.*
5 *Legatum nullum ex nullitate testamenti.*
6 *Nihil existens obligationem inducere non potest.*
7 *Etiam in foro conscientiæ.*
8 *Legatum fit caducum multis modis.*
9 *Primò, si fuit solutum viuente testatore.*
10 *Secundò, si legatarius præmoriatur testatori.*
11 *Tertiò, si moriatur ante existentiam conditionis.*
12 *Quartò, grauis inimicitia facit legatum caducum.*
13 *Quintò, cadit re alienatâ à testatore.*
14 *Sextò Præteritione filiorum etiam posthumorum cadit.*
15 *Septimò, repudiatione non cadit si adit ab intestato.*
16 *Octauò, pereunte re numero legata, cadit legatum.*
17 *Cessante causâ finali, legatum profanum cadit, non pium, cuius causa finalis, amor Dei, salus animæ, & charitas erga proximum, nunquam cessat.*
18 *Causa finalis est illa quæ mouet agentem. Impulsiua, quæ faciliùs, vel difficiliùs mouet, huius expressio vel taciturnitas non vitiat, sicut non dat esse, vt facit finalis.*
19 *Legata reuocatione testamenti extinguuntur.*
20 *Prius testamentum reuocabile per posterius, cum illud non sit amplius vltima voluntas.*
21 *Imperfectum non rumpit perfectum.*
22 *Clausula necessaria ad reuocationem sunt exprimenda.*
23 *Minus solemne non rumpit magis solemne, vtique Canonicum Ciuile.*
24 *Oretenus reuoca i potest legatum, probandum tamen testibus.*
25 *Reuocatio est quid odiosum; non præsumitur.*
26 *Pia legata sunt nulla ex testamento nullo, rupto, aut reuocato.*
27 *Legatum pium licet impossibile valet, & commutandum est, modò testamentum sit validum.*
28 *Res legata ex nullitate legati est eius, qui succedit ab intestato.*
29 *Prædicta locum habent etiam in foro conscientia.*
30 *Argumento valet à foro externo ad forum internum.*
31 *Repudiatum legatum adhuc adimplendum ab hærede.*
32 *Legatum non dicitur caducatum, quando testator ipse ad impleuit onus ex aliâ causâ.*
33 *Factum non præsumitur gestum voluntariè, sed necessariò.*

PRemitto, hæc tria, Nullitatem, Caducitatem, & Reuocationem legatorum differre inter se. Nullitas namque importat, legatum nunquam recepisse esse, quod illi contingit, quando; umq; testamentum fuit ab initio nullum, & inualidum, legatum enim existit per existentiam testamenti, vt multis probaui cap. 5. vbi de legatis ex testamento imperfecto .i. nullo, & inualido. Caducitas verò supponit, legatum aliquando valuisse, quia testamentum subsistebat, & casu cadit cum ipso legatum. Id ergo cadit, quod ante stabat, iuxta illud ad *Roman* 14. 4. *Domino suo stat, aut cadit.* Stare ergo supponitur ad cadere, obiectum ergo caducitatis est id quod stat, sed casurum, transiens de esse ad non esse. Reuocatio verò pariter supponit esse legati, quod per reuocationem testamenti factam à testatore desinit esse per eius contrariam voluntatem, vnde caducitas non à voluntate testatoris, sicut reuocatio procedit, sed ex alio capite, vt infra patebit. Nullitas ergo procedit ex testamento imperfecto, caducitas ex testamento rupto, & reuocatio ex mutatione volutatis testatoris. Hic de singulis agendum, & præsertim de caducitate legatorum.

Quæres igitur primò, an prædicta tria præsumantur, an verò probanda sint ab eo, qui illa asserit?

R. Non

4 ℞. Non præsumuntur, sed probanda sunt, hæenim qualitates præsupponunt in eis aliquod esse, vnde eorum negatiua probanda est ab asserente. Confirmatur, quia facultas adimendi legata est odiosa, ac proinde strictè interpretanda quò ad prædicta, & cum ipsa legata sint fauorabilia legatarijs, pro ipsis interpretanda sunt existere. Ita omnes cum *Alex. lib. 5. consf. 169. num. 3. Natta consf. 483. num. 14. Cephal. consf. 62. num. 8. Menoch. consf. 254. num. 50. Mantica de coniect. lib. 7. tit. 2. num. 2. ex eis Rota par. 6. dec. 269. num. 7. Peregr. de fideicom. art. 18. num. 29. vers. & quia in hac. Rota par. 7. dec. 190. num. 19. Ciarl. cap. 59. num. 9.*

Quæres 2. Quomodo legatum fit nullum ex inualiditate testamenti imperfecti?

5 ℞. Nullum esse, quia in suo existere dependet ab existentiâ testamenti, ergo nullo existente testamento, non existit legatum, est enim sicut formalitas in Physicis, quæ sine entitate non est, cum ab eâ dependeat in existere: Vide cap. 5. vbi de nullitate testamenti, ac proinde legatorum. Vnde Gregor. XI. *decis.* 271. dicit legata non conseruari, nec deberi, nullo existente testamento ex præteritione fratris, institutâ turpi personâ ex communiori opinione. Ratio est, quia quod nihil est, nullum potest producere effectum obligationis in hæredem. Ita Doctores colligunt *ex l. hàc consultissimâ §. ex imperfecto C. de testam. l. 1. ff. de iniusto rupt. & l. si nemo, ff. de reg. iur. Ciarlin. cap. 109. num.* 40. etiam in foro conscientiæ, *ex*

6 [sic: margin number beside "effectum"]

7 *Carpano ad stat. Mediol. cap. 295. num. 194. & 195. idem Ciarlin. cap. 91. num. 20. Bonac. disp. 3. de restit. q. 17. p. 3. num. 18. Vasq. cum de Lugo Cardin. disp. 22. num. 274. vers. alij tamen.*

Quæres 3. In quibus casibus legatum caducatur, & ad nihilum redigitur, esto antea validum fuisset?

8 Respondetur in multis casibus legatum fieri caducum, qui subijciuntur.

9 Primò, quando in vitâ testatoris solutum fuit legatario, quod enim semel solutum fuit, non est amplius debitum *l. Lucius 22. ff. de legat. 2. Rota par. 3. dec. 207. in fin. & par. 6. dec. 336. num. 9. infra q.* 10. proponitur casus.

10 Secundò, legatum caducatur, si legatarius moriatur ante testatorem, *l. 1. §. & cum, C. de caducis toll. Seraph. dec. 471. Rota par. 9. dec. 217. num.* 200. Etiamsi legatum fuerit conditionale pendente conditione, *l. intercidit 58. ff. de condit. & dem.* Fit quoq; caducum, si primus legatarius viuo testatore, moriatur, vel mortuo substituto, *Rota par. 4. tom. 1. dec. 432. num. 13. ex l. Vn. §. profecundò C. de caduc. tollend.* Ratio est, quia legatarius non aquirit ius ad legatum, nisi post mortem testatoris, ergo necesse est, quòd euanescat, si præmoriatur legatarius, dum nondum est firmatum testamentum morte testatoris.

Tertiò legatum fit caducum, si legatarius moriatur ante existentiam conditionis possibilis, secus si decedat ante existentiam conditionis impossibilis, cum pro non adiectâ habeatur, *l. ab omnibus 107. §. in testamento ff. de legat.* 1. 11

Quartò, cadit per superuenientem inimicitiam inter testatorem, & legatarium, vt mors, seu grauis inimicitia, *l. si inimicitia 9. ff. de his, quib. vt indign. Riccius par. 3. resol. 75. Gratian. cap. 771. de Lugo disp. 247. num. 77.* Legatarius verò, si inimicitiæ auctor non est, nec in causâ, non cadit, quia non meretur pœnam, qui culpam non commisit. *l. cum secundis tabulis 15. §. quoniam, eod.* 12

Quintò, alienatâ re à testatore, quæ erat legata, cadit legatum, & illud hæres soluere non tenetur, *l. rem legatam 18. ff. de legat. adim. Ottob. decis. 162. alijs citatis, Ciarlin. cap. 79. num.* 4. vbi subsequenter docet de coniecturis mutatæ voluntatis, quæ præsumitur in alienatione factâ. Vide etiam *Gratian. cap. 251. num. 49.* 13

Sextò, rupto testamento per præteritionem posthumi cadunt legata, & non debentur, *l. 1. C. de posthum.* non autem ex præteritione filiorum extantium viuente patre cum ipsis, *Auth. ex causâ, dixi cap. 5. q. 3.* 14

Septimò, qui ex alio titulo, quam intestati adit hæreditatem, non tenetur ad fideicommissa, & legata, vt expressè dicitur *l. fin. ff. si quis omissâ causâ testam.* & hoc in casu verificatur illa regula. Si nemo hæreditatem subit, soluitur omne ius testamenti 142. *de reg. iur.* Qui verò hæreditatem adire non vult ex testamento sibi relictam, sed ad eam vult venire ab intestato, adhuc tenetur ad legata, & fideicommissa, *ex l. 1. §. fin. & l. 2. ff. si quis omissa &c.* quia præsumitur id fecisse in fraudem legatariorum, & fideicommissariorum, quibus nihilominus debentur, quia succedunt immediatè testatori, non hæredibus, vt de hac successione immediatè docet *Gratian. cap. 661. num.* 2. 15

Octauò, pereunte re numero destinatâ legatario, cadit legatum, & nihil illi debetur, *l. quidam 99. §. si tibi ff. de legat.* 1. Vide *Rotam par. 5. tom. 1. dec. 365. num. 35. & seq.* rem hanc explicantem. Dixi *Re numero destinatâ*, quia si res in specie sit legata, & indiuiduũ eius pereat, non perit legatum, vt ibidem dicitur, quia semper vnum indiuiduum ex speciebus est debitum, nisi omnia indiuidua ex specie legatâ pereant. Vide *cap. 1. q. 27. & 44.* 16

Nono, cessante causâ finali, cessat, & cadit legatum, nisi ex verbis testatoris aliud colligatur *l. Generli 32. ff. de vsu, & vsufr. leg.* Vide *Rotam par. 3. dec. 233.* vbi de duplici 17

plici causâ, finali, & impulsiuâ, de illa est sermo, non de hac. Vnde in legatis pijs nunquam deficit causa finalis, amor scilicet Dei, salus animæ, & subleuatio pauperum, ideo nunquam cadit legatum pium ex hoc capite.

18 Notandum hic, quòd causa finalis est illa, quæ simpliciter mouet agentem ad operandum, quæ si ei non proponeretur, nihil faceret. Impulsiua verò est illa, quæ facilius, vel difficilius mouet ad agendum, sed non simpliciter, vnde siue sit vera, siue falsa, siue taceatur, siue exprimatur, actum non vitiat, sicut illi nec dat esse, cum id habeat formaliter à causâ finali. *Marcus Paulus de Leone Romanus Iesuita in suâ Praxi ad literas Maioris Panit. fol.* 59. *&* 60. Quare magis attenditur causa finalis, quam impulsiua, *Megal. cons.* 23. *num.* 12.

Quæres 4. An legata reuocatione testamenti, adhuc valeant, & debeantur?

19 ℞. Legata testamenti reuocatione extingui, immo remanente testamento, reuocari possunt legata quæcumq; non solùm scripturà, sed etiam ore tenus.

Primum ad reuocationem testamenti, extingui legata, probatur ex *l. Taberna* 7. *ff. de fundo instr.* Ratio est quia existunt sola testamenti existentiâ vt probaui cap. 5. per totum, præsertim *q.* 10.

20 Nulli autem dubium est, prius testamentum reuocari posse per secundum, *l. si quis* 29. *ff. ad Senatus conf. Trebell. Instit. quibus modis test am.* §. *Posteriore*, *Rota par.* 4. *tom.* 3. *dec.* 581. *initio*, *dec.* 652. *&* *par.* 5. *tom.* 1. *dec.* 233. *num.* 4. Debet autem posterius testamentum esse perfectum sicut prius, aliter hoc non tollitur per illud, quia imperfectum

21 non potest agere in perfectum, *ex l. si iure* 18. *de legat.* 3. vbi relictum in voluntate solemni, per voluntatem minus solemnem non in-

22 telligitur tacitè reuocatum, & tradit *Rota cit. dec.* 652. *num.* 7. *&* 11. Et si in primo sint aliquæ clausulæ repetendæ in secundo, vt per eorum expressionem sit primum reuocabile, sine dubio sunt in eo exprimendæ, aliter primum vlterius viget, *ex l. si quis* 22. *de*

23 *legat.* 3. *Corneus vol.* 3. *conf.* 86. *num.* 7. *Alex. lib.* 1. *conf.* 134. *num.* 1. *Rota par.* 5. *tom.* 1. *dec.* 233. *num.* 9. Verum quoq; est, quòd solemne minus, non reuocat solemne primum, si fiat comparatio inter minorem, & maiorem solemnitatem iuris ciuilis; si verò fiat comparatio inter ius ciuile, & Canonicum, tum minus solemne testamentum ad formam iuris Canonici factum scilicet ad præsentiam duorum, aut trium testium coram Parocho, vti validum reuocat primum factum etiam cum omni solemnitate iuris ciuilis, dum enim est perfectum sicut primum, nihil prohibet, quin primum tollat, dum per confectionem posterioris, prius non amplius dicatur vltima voluntas, dum alia superuenit, quæ dicitur vltima priorem constituens penultimam annihilatione eiusdem. Et hoc multis probat *Pasqual. q.* 257. *moralium num.* 2. *&* 3. Destructo igitur testamento priori per factionem secundi validi, extinguuntur legata in eo scripta, non repetita in secundo, cum enim aliam non habeant existentiam nisi testamenti prioris, eo extincto, necesse est expirare legata in eo scripta.

Secundum quòd legata ore tenus reuocari possint, probatur per textum *in l. in ipsius* 5. *C. familiæ Ercifcundæ*, vbi ex duobus legatis alterum probatur reuocatum per testes deponentes, testatorem ore tenus ad eorum præsentiam reuocasse vnum legatum, & non alterum in suo testamento, quòd voluit in reliquis sortiri suum effectum. 24

Obseruandum autem est, quòd reuocatio, testamenti, aut legatorum non præsumitur, cum actus reuocationis sit odiosus, vt docui *cap.* 7. *num.* 61. *Parif. lib.* 9. *de resignat. q.* 25. *num.* 75. *Tambur. tom.* 2. *disp.* 3. *q.* 17. *num.* 3. Asserenti ergo reuocationem testamenti, aut legati incumbit probatio. 25

Quæres 5. An legata pia etiam missarum in testamentis nullis, aut ruptis, aut reuocatis expressà, sint inualida, & non debeantur, sicut non debentur legata caduca *ex q.* 3. hic.

℞. Affirmatiuè, ex eà ratione sepius repetità, quòd legata, quæcumq; illa sint, aliam non habent existentiam, quam illius testamenti, in quo exprimuntur, cum legatum sit donatio relicta in testamento, ergo sublato testamento, necessariò euanescit legatum in eo scriptum, sublato enim principali tollitur, & destruitur accessorium, quod est legatum expressum in testamento, quod respectu illius dicitur principale. Ita *Butrius in cap. quod Clericis de foro compet. num.* 10. *Gulielmus Bened. in repet. cap. Raynutius par.* 1. *verf. testamentum* 1. *num.* 20. *Crassus de success. V. testamentum q.* 18. *num.* 6. *Salicetus in Auth. Cassa C. de Sacros. Eccl. num.* 7. *Bartol. in l. fin. ff. de his, quæ pro non scriptis initio. Iason in l. Marcellus ff. ad Sen. Trebell. num.* 36. *Marta de success. par.* 4. *q.* 8. *art.* 2. *num.* 3. *verf. nec legatis. Alexander lib.* 2. *conf.* 277. *num.* 6. *verf. sed vbi; Socinus lib.* 3. *conf.* 5. *fine*, *Menchaca de success.* §. 22. *num.* 12. *Barbosa lib.* 3. *de iure cap.* 27. *num.* 95. quos contra se citat *Pasqual. q.* 990. de Sacrificio missæ, cuius obiectionibus satisfeci *cap.* 5. *q.* 3. lege totum illud caput, quod facit ad intelligentiam huius quæstionis. 26

Quæres 6. An legatum pium, cuius adimplementum factum est impossibile, sit caducum, testamento subsistente? 27

℞. Non esse caducum, sed esse debitum commutandum in aliud opus pium auctoritate Episcopi, de piâ re infra sequenti capite. Colligitur *ex l. legatū* 16. *ff. de vsu, & vsufr. legato, Tiraquel. de causâ piâ priuileg.* 38. *Peregr.*

regr. de fideicom. art. 11. *num.* 64. *Ruinus vol.* 2. *cons.* 75. *num.* 5. & 8. *cum alijs Ciarlin. cap.* 5. *num.* 58. *Gratian. cap.* 255. *num.* 47. Legata ergo pia, immo & profana cum onere licet caduca, non extinguuntur, sed conuertenda sunt in aliud opus,& in hoc sensu legata pia nunquam caduca fiunt,dum in aliud opus sunt conuertenda, subsistente testamento.

Quæres 7. Cuiusnam sunt res ex legato deficiente testamento?

28 ℞. Sunt eius, qui de iure succedit in vniuersum ius defuncti, nam testamentum, & legatum in eo scriptum pro nihilo habenda sunt, ergo bona sunt eius, qui succedit ab intestato, non enim præstat impedimentum, quod de iure suum non sortitur effectum, *Reg.* 52. *in* 6. vt non fuerunt fortita testamentum, & legatum. Ita *Ciriacus contr.* 204. *lib.* 2. *num* 5. *Rimin. iun. cons.* 363. *num.* 338. *ex illis Ciarlin. cap.* 109 *num.* 23.

Quæres 8. An prædicta habeant locum non solùm in foro externo, sed etiam in foro Conscientiæ?

29 ℞. Affirmatiuè, ac proinde succedens in bonis, quæ videbantur grauata legato etiam missarum, ad nihil tenetur in foro Conscientiæ, si nec obligatur in foro externo; quia valet argumentum à foro externo ad forum

30 Conscientiæ, & è contra, *Valer. in Differ. vtriusq; iuris in Prælud. V. forus. Sanch. lib.* 1. *disp.* 5. *num.* 20. *Bonac. q.* 2. *de restit. p.* 2. *num.* 6. §. *verum* Ita in terminis nostris *Grilenz. cons.* 21. *num.* 9. *Sanchez lib.* 1. *disp.* 7. *num.* 16. & *disp.* 38. *lib.* 6. *num.* 20. *vers. Tertio, ex illis Ciarlin. cap.* 33. *num.* 135. & *cap.* 91. *fine, cum Carpano ad statuta Mediol. cap.* 295. *num.* 194. & 195. *Diana resol.* 75. *cum multis alijs, quos citat de Lugo disp.* 22. *de iust. num.* 250.

Quæres 9. An legatum repudiatum à legatario cum onere missarum, vel alterius ei debeatur ab hærede?

31 ℞. Affirmatiuè, *l. celsus* 29. *de legat.* 2. vbi, quod legata caduca remanent apud hæredem cum onere suo. Ratio est, quia testamentum validum est, ergo & legatum sustinendum est cum per repudiationem non fuerit extinctum. Confirmatur, quia res transit cum onere suo, ex vulgatis iuribus, bona enim testatoris in eo casu remanent obligata pro illo onere adimplendo.

Quæres 10. An legatum factum pro reparatione Ecclesiæ, caducetur, si ipse testator dum viuit, reparet Ecclesiam?

32 ℞. Esse caducum, si testator eam reparauit eo animo, & ex eadem causâ, quâ ipse legauit, vt probat textus allegatus supra num. 9. aliter debetur, non obstante reparatione factâ ab ipso testatore, vt si eam reparauit ex necessitate, seu decreto facto, vt repararetur, tunc enim reparatio non censetur facta ex causâ legati, quæ erat voluntaria, non necessaria, nam legatum est donatio, quæ fit liberè, & voluntariè, vt patet ex definitione ipsius legati datâ sub *cap.* 1. *q.* 1. reparatio autem facta ex necessitate, & decreto Superioris, non est voluntaria, sed necessaria, aliquid enim factum præsumitur potius ex causâ necessariâ, quam ex voluntariâ, *Castr. lib.* 2. 33 *cons.* 133. *num.* 3. *Corn. lib.* 1. *cons.* 316. *num.* 7. *Aymon. cons.* 106. *num.* 84. Legatum ergo hoc non dicitur impletum ex priori causâ expressâ in testamento, in quo erat voluntaria ratione legati, quod est donatio, ac proinde voluntaria, sed reparatio Ecclesiæ fuit facta ex necessitate, ergo non animo caducandi illud, sed recurrendi ei necessitati. Ita probat *Ludouis. dec.* 236.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

De Commutatione Legatorum.

SVMMARIVM.

1 *Commutatio est conuersio vnius Legati in aliud quãdo designatũ nõ potest impleri.*
2 *Quinam Superiores possint commutare.*
3 *Pontifex Romanus per vniuersum orbem.*
4 *Episcopi in suis diœcesibus pro suis subditis iure communi.*
5 *Commutatio fit etiam testatore eam prohibente.*
6 *Iure Tridentini Episcopus vti delegatus Papæ ex causâ necessariâ.*
7 *Quod non tollit facultatem iure communi concessam illi, potest enim quis vti duabus facultatibus ad agendum.*
8 *Capitulum Sede vacante.*
9 *Abbates & Prælati nullius.*
10 *Veniunt enim sub nomine Episcopi.*
11 *Cardinales quoq; in suis Titulis.*
12 *Superiores Regulares habentes potestatem quasi Episcopalem.*
13 *Abbates Seculares, & Regulares locales.*
14 *Possunt commutare legata.*
15 *Causa iusta est necessaria ad validam commutationem.*
16 *Papa verò etiam sine causâ validè commutat.*
17 Non nisi *certam dat formam.*
18 *Papa sine causâ commutat legata.*
19 *Alij Superiores inferiores solùm cum causâ.*
20 *Causa necessaria, iusta, & impossibilitas fere idem in legatorum commutatione.*
21 *Impossibilitas Physica, quâ aliquid nullo modo fieri potest.*
22 *Impossibile moraliter quod est contra bonos mores.*
23 *Secundò, quod lædit famam, & existimationem.*

24 *Tertiò, quod pendet à voluntate Principis non solitum concedi.*
25 *Quartò, quod non potest fieri per remedium ordinarium.*
26 *Quintò quod pietatem lædit.*
27 *Sextò, quod à lege prohibitum est.*
28 *Septimò, difficile valde factu est impossibile.*
29 *Impossibile ergo triplex, inhonestum, iniustum, & incommodum.*
30 *Impossibile dicitur quod impeditur à iure, vel ab homine.*
31 *Impedimentorum duorum maius vrget.*
32 *Obligatio maior tollit minorem.*
33 *Impossibilium nulla est obligatio.*
34 *Impossibile triplex à naturâ, à iure, & ab homine.*
35 *Commutatio legati est conuersio eius ab vsu impossibili ad vsum possibilem.*
36 *Prima causa commutandi Legata est insufficientia pecuniæ.*
37 *Secunda impossibilitas exequendi illud.*
38 *Tertia impossibilitas ædificandi ædem Sacram.*
39 *Quarta, si relictum non sit ita necessarium sicut reparatio.*
40 *Quinta, negligentia exequendi facit transferre.*
41 *Commutatio in minus sufficit.*
42 *Hæredis, & alterius habentis interesse quærendus est consensus, quando ille debet pecuniam vel rem dare.*
43 *Episcopus commutat Legata suæ Catedralis.*
44 *Episcopus non commutat vltimas voluntates relictas Ecclesijs aliorum Prælatorum sibi inferiorum ipsis recusantibus.*
45 *Non commutatur Legatum missarum in dotem Puellarum.*

1 COmmutatio in legatis est conuersio oneris legati ab vno vsu in alium ex causâ iustâ, & necessariâ factâ à legitimo Superiore, vt mens testatoris aliquo modo adimpleatur, quando adæquatè adimpleri non potest, iuxta tenorem suæ voluntatis, quando scilicet vsus à testatore determinatus exequi non potest ob aliquod impedimentum vel iuris, vel facti interpositum. Ita omnes infrà citandi in quæstionibus.

Quæres igitur primò quisnam sit legitimus Superior in commutandis oneribus legatorum?

2 ℞. Romanus Pontifex, Episcopus Capitulum Sede vacante, Cardinales in suis Titulis, & Superior regularis, vnusquisq; eorum respectu suorum subditorum, nam necessarium est, quòd in Ecclesiâ Dei sit hæc potestas commutandi pias testantium vltimas voluntates, quando adimpleri non possunt in formâ specificatâ à testatore, ne in totum pereant, sed ministerio commutationis redundent in vtilitatem tùm testantium, tùm aliorum fidelium, ad quorum commodum dicuntur relicta.

Pontifex ergo Romanus onera legatorum 3
commutare potest, vt supponitur in *Clem. quia contingit, de relig. domib. ibi: cum tamen ea, quæ ad certum vsum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium, saluâ quidem Sedis Apostolicæ auctoritate, conuerti.* Eius autem potestas cum extendatur per vniuersum orbem, omnium fidelium, immo etiam infidelium vltimas voluntates, causâ exigente ab vno vsu in alium conuertere potest, maximè legata pia, cum per hanc conditionem, & qualitatem facta sint bona Ecclesiastica specialiter subiecta potestati Spirituali Ecclesiæ.

Episcopus pariter idem præstare potest res- 4
pectu suorum subditorum, & ex officio suo, vt colligitur *Act. 20. 28. attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopus regere Ecclesiam Dei, quam aquisiuit Sanguine suo.* Regit ergo oues suas, dum solicitus est, vt pia legata, si non possunt exequi iuxta vsum à testatore destinatum, adimpleantur ab hæredibus secundùm alium vsum eis ab Episcopo propositum. Et quod id eis competat ex officio, & propriâ auctoritate colligitur etiam ex *cap. nos quidem 3. de testam.* vbi, quòd si intra annum a die monitionis hæres non exequitur voluntatem testatoris, officium est Episcopi exequi eius voluntatem in vsu destinato à testatore, vel in alio, si ille adimpleri non potest, vt colligitur ex illis verbis: *quod si infra dictum tempus, siue in loco, quo constitutum fuerat, seu si ibi non potest, & alibi placet ordinari.* Ecce, quòd manifeste patet, posse auctoritate propria vt insinuat illud verbum *placet*, Monasterium illud, de quo ibi, facere fabricare in alio loco, si non potest ædificari in loco designato à testatore. Idem colligitur *ex cap. tua nobis 17. de testam.* expressis verbis: *cum igitur in omnibus pijs voluntatibus sit per locorum Episcopos prouidendum, vt secundùm defuncti voluntatem vniuersa procedant, licet etiam à testatoribus id*
interdici contingeret. Si ergo vniuersa de- 5
functi benè procedere debent, si non potest exequi eius voluntas quò ad vsum destinatum, procedet quò ad alium possibilem ab Episcopo determinandum. Confirmatur. quia iure ciuili *l. legatum 16. ff. de vsufr. legato*, hæredes cum primoribus ciuitatis possunt conuertere legatum in alium vsum; quod etiam supponitur in *l. fin. ff. de operib. publicis*; vbi non facile exequi potest opus præscriptum; à fortiori id poterit Episcopus in legatis pijs pro salute animarum, cum ex eorum pietate subijciantur potestati Ecclesiæ.

Dices, Tridentinum *sess. 22. cap. 6.* præ- 6
dictis obstare videtur ibi namq; sic scribitur:

In

In commutationibus vltimarum voluntatum Episcopi tamquam delegati Sedis Apostolicæ summariè, & extraiudicialiter cognoscant. Ergo in his non procedunt ex officio, & iure proprio. Et huius opinionis plures citat Barbosa *allegat. 83. num 2.* vbi ex Martà *de iurisd. par. 2. cap. 10. num. 35.* quòd Episcopus non potest mutare vsum eleemosynarum de vnâ in aliam rem, seu personam.

Non obstat obiectio, quia Pontifex delegando non abstulit Episcopis potestatem ordinariam commutandi vltimas voluntates, circa quas procedere potest altero ex dictis modis, potest enim quis procedere in causis
7 duplici potestate, si eam habet, *Nauar. tom. 2. q. 3. de Reddit. Eccles. Monit. 7. num. 3.* Et quòd potestas delegata à Pontifice Episcopo non auferat ordinariam, quam antea habebat, nec arguat eà carere habetur *cap. Per hoc 17. de haret. in 6.* vbi de duplici potestate ordinatiâ, & delegatâ in causis Fidei.
8 Sub nomine Episcopi in commutationibus legatorum veniunt omnes alij Prælati habentes territorium, & locum nullius, si quidem cum isti habeant iurisdictionem quasi Episcopalem, venientes sub nomine Epis-
9 copi, ex adductis à *Barb. V. Episcopi num. 18.* nihil prohibet, quin possint commutare legata suorum subditorum, quando non potest adimpleri voluntas determinata testatoris. De qua re *Barb. ad cap. 6. eiusdem sess. num. 10. citat Monetam.*
10 Capitulum Sede vacante Episcopali potest commutare legata in omnibus casibus, in quibus de iure communi potest Episcopus, vt docet *M. Anton. Cuebus lib. 2. instit. Moralis tit. 9. num. 82. Moneta de vltim. volunt. cap. 5. num. 427. ex illis Barb. allegat. 83. num. 16. vers. capitulum.* Quia succedit in omnia iura Episcopis concessa de iure communi.
11 Cardinales quoq; in suis Titulis possunt legata commutare, quia in illis habent iurisdictionem quasi Episcopalem, ergo si possunt Episcopi, etiam illi. Ita Moneta *cit. cap. 5. num. 452. ex illo Barb. allegat. 83. num. 16. vers. Capitulum.*
12 Superiores demùm Regulares maiores, scilicet Prouinciales, & Generales, ac Abbates locales ex officio suo possunt commutare legata eorum Monasterijs relicta. Probatur, quia, & ipsi dicuntur habere potestatem quasi Episcopalem, & Episcopis comparantur, *Glos. V. Regularis cap. ne pro defectu 41. de elect. Rodriq. q. 17. art. 17. & q. 20. art. 10. Portellus V. Prælatus, initio, vbi citat D. Thomam 2. 2. q. 23. art. 7. ad 5. & cap. Episcopus, §. si ergo 11. q. 3.* Ergo per eam possunt, quicquid potest Episcopus erga suos subditos; sed Episcopus potest commutare legata suorum subditorum, ergo & Prælatus regularis erga suos. Confirmatur id, quia apud laicos adest hæc potestas commutandi legata, posito casu necessitatis *ex citatis leg. Legatum 16. ff. de vsufr. & l. fin. ff. de operib. publicis*, ergo non est deneganda Superioribus regularibus, sed eo magis assérenda est in eis, cùm ampliorem potestatem debeant habere, vbi tractatur de salute animæ, & executione mentis testatoris. Ita *Capucin. in compend. priuileg. V. legata citans Bartolum in Minor. lib. 2. dist. 2 cap. 3. fol. mihi 193. eiusdem Sorbi vers. & idem dicendum esse, & vers. sed dices.* Olim Sixtus IV. & Leo X. viuæ vocis oraculo concesserunt Prælatis regularibus huiusmodi legatorum commutationem, modo fiat absq; scandalo hæredum. Quæ modo non sunt attendenda, cum viuæ vocis oracula iam fuerint reuocata. Neque ex illorum concessione arguitur, Prælatos regulares antea non potuisse ex officio commutare legata ab vno vsu ad alium. Quia habenti iam facultatem, & potestatem agendi de iure, & ex officio non prohibetur Princeps à concessione priuilegiorum, cum proprium illius sit facere gratias, & priuilegia concedere. Papa enim quandoq; concedit specialiter, quod iure communi competit, *Glos. V. ante sententiam cap. vt debitus honor 59. de appellat.*

Abbates non solùm seculares, seu alij habentes plenam iurisdictionem in populum possunt commutare legata, vt dixi supra sub *num. 9.* vt colligitur *ex cap. cum, & plantare §. 1. & cap. quoniam de priuileg. & cap. Abbas eod. in 6. docent Moneta de commutat. vltim. volunt. cap 5. num. 568. & seq.* quod ampliat etiam quò ad reductionem missarum, de qua re infrà suo loco, *referente Petro Bellasio Florentino Ordinis Fesulani in suo Promptuario Regulari V. Abbas num. 31.* sed etiam Regulares locales ex officio possunt commutare legata suis Monasterijs, aut Ecclesijs facta, quando non possunt exequi ad eum vsum, ad quem illa testator destinauerat, habent enim & ipsi, licet sint locales, iurisdictionem quasi Episcopalem, *Glos. in Clem. 1. de reb. Eccles. non alien. Innoc. in cap. 1. de cler. Peregr. Arctius cons. 63. ex illis Tambur. tom. 1. de iure Abbat. disp. 1. q. 5.* 13 14

Quæres 2. An ad commutationem legatorum requiratur iusta causa, & quænam ea sit?

℞. Ad commutationem legati validè faciendam necessaria est iusta causa in Episcopo, & alijs volentibus commutare; non verò in Pontifice Romano. Iusta autem causa fundatur, & specificatur ab impossibilitate Physica, aut morali, quâ non ita facile potest adimpleri mens testatoris iuxta vsum ab eo destinatum. 15

Prima pars, quòd commutatio legati facta sine iustâ causâ sit nulla, probatur, quia cum id non fiat potestate dominatiuâ, sed 16

ſpirituali iuriſdictione, concesſa ſub hac formâ iuſtæ cauſæ, eâ non ſubſiſtente attentata commutatio ſuum non ſortitur effectum, cum deficiat forma in agendo. Et id patet etiam ex Tridentino *ſeſſ. 22. cap. 6. quæ non niſi ex iuſtâ, & neceſſariâ causâ conceſſa fieri*
17 *debent.* Ea enim particula: *Non niſi*, dat certam formam, *Mar. Anton. lib. 1. reſol. 94. num. 2. ex Menoch. remed. 4. Adipiſc. poſſeſſ. num.* 710. ac proinde eâ non ſeruatâ, pro infectâ habetur commutatio.

18 Pars ſecunda, quòd in Pontifice Romano non ſit neceſſaria iuſta cauſa quò ad valorem commutationis, probatur *ex Clem. quia contingit, de relig. domib.* vbi Papa mandat Rectoribus Hoſpitalium, vt bona eis relicta per teſtatores, recuperent pro infirmorum, & leproſorum alimentis ab vſurpatoribus, qui ea in vſus proprios damnabiliter conuerterant, ſubdendo hæc verba: *cum tamen ea, quæ ad certum vſum largitione ſunt deſtinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium, ſaluâ quidem Sedis Apoſtolicæ auctoritate conuerti.* Ex quibus infertur, quòd diximus, nimirùm, Pontificem legata teſtatorum conuertere poſſe in alium vſum, etiam ſine causâ, ſicut fecerant præfati ſed iniuſtè vſurpatores bonorum Hoſpitalium. Quibus Papa potuiſſet gratiam facere ſuper dictis bonis.

Confirmatur, quia Pontifex abſolutum habet dominum ſuper bonis teſtatorum relictorum Eccleſijs, & pijs locis, cum in his quoq; poſſit etiam contra voluntatem teſtatorum diſponere, nemo enim poteſt facere, quò minus leges in ſuo teſtamento locum habeant, *l. teſtandi 13. C. de teſtam. cap. relatum 15. de teſtam.* ſi ergo Legiſlator poteſt reddere ineptam voluntatem teſtatoris, ſeu eam moderari, ita & ab eo relictum ad vnum vſum adimplebilem pro ſuo prudenti arbitrio ſine neceſſitate conuertere in alium etiam contra voluntatem ipſius, *ex cap. tua nobis 17. de teſtam.* cum eius poteſtas vti libera & efficax à nullâ causâ dependeat in operando. Et ita videtur ſentire *Rodriq. tom. 1. q. 27.* dum initio art. 5. contra Baldum Angelum, & Salicetum negantes, licere Papæ alterare vſum à fidelibus deſtinatum, reſpondit, id intelligendum eſſe de poteſtate ordinariâ, & de legatis non pijs, ſecus de legatis pijs, ſubdendo, & ſic voluntas, & legata teſtatoris circa pias cauſas poſſunt per Papam mutari in alium pium vſum, etiam ſine causâ ſe tenente ex parte rei, non autem ſine causâ ſe tenente ex parte ipſius Papæ, quia ab eo factum bona fide, & omnis ratio motiua Principis habetur pro causâ ſecundũ Baldum apud ipſum. Ita tenet *Verićell. tract. 1. quæſtion. Moral. q. 17. initio.*

19 Tertia pars, quòd Superiores ex iuſtâ causâ commutare poſſint, probatur ex verbis Tri-
20 dentini: *Ex iuſtâ, & neceſſariâ causâ,* omnis autem cauſa neceſſaria eſt etiam iuſta, & omnis cauſa iuſta eſt etiam neceſſaria in eo ſpecificata, & iuſtificata, quòd Superior poteſt legatum à teſtatore ad vnum vſum deſtinatum commutare in alium, quandocumq; non poteſt Phyſicè, aut moraliter adimpleri, impoſſibilitas ergo exequendi mentem teſtatoris eſt cauſa iuſta, & neceſſaria commutandi vſum legati, ſiue ſit impoſſibilitas phyſica, ſeu moralis, ſiue iuris, ſiue facti. Et pro intelligentiâ horum.

Notandum eſt, illud eſſe Phyſicè impoſſibile, quod nullo modo fieri poteſt, vt fabricare Eccleſiam in aere. Moraliter verò impoſſibile dicitur illud, quod licet potentiâ phyſicâ fieri poſſit, moraliter tamen quandoq; fieri non poteſt, & hoc dicitur multis modis. 21

Primò illud dicitur impoſſibile ex cuius factione lęditur fama, honor, & exiſtimatio alterius, *l. Filius 15. ff. de condit. inſtit. l. Nepos Proculi 125. de verb. sig.* ibi: *cum ſaluâ dignitate meâ potero Megal. conſ. 33. num. 7.* 22

Secundò, illud dicitur impoſſibile fieri, quod eſt contra bonos mores *Gloſ. V. habere non poteſt cap. faciat homo 3. 22 q. 2.* Et quod non eſt honeſtum dicitur impoſſibile, *Gloſ. V. 1. cap. Caſinenſis 15. diſt. 61.* vbi & quod iuſte fieri non poteſt dicitur impoſſibile, *cap. Sanè 3. 24. q. 2.* 23

Tertiò, illud dicitur impoſſibile, quod pendet à voluntate Principis *l. idem Iulianus §. conſtat. ff. de legat. 1. Barboſ. Axiom. 118. num. 2.* intellige ex citatis ab eo, quando non ſolet concedere. *Sanch. lib. 5. diſp. 5. num. 4. Genuenſ. cap. 44. num. 3. & cap. 88. num. 4. in Praxi Neapol.* 24

Quartò illud cenſetur impoſſibile, quod non poteſt fieri per remedium ordinarium, ſed per extraordinarium tantùm, *Innoc. in cap. Paſtoralis, de causâ poſſeſ. num. 1. cum alijs Sanch. lib. 5. diſp. 5. num. 4. verſ. & confirmatur.* Procedit, vt præcedens, quando concedi non ſolet, *ex eodem Sanch. cit. verſ. ad argumenta.* 25

Quintò, illud dicitur impoſſibile, quod pietatem lædit, *Megalius 1. 2. lib. 2. cap. 11. num. 42.* iuxta dicta primo, & ſecundo modis. 26

Sextò, illud dicitur factu impoſſibile, quod à lege prohibetur fieri *l. Conditiones ff. de cond. inſtit. cap. Faciat homo 15. 22. q. 2. Gloſ. in Reg. 78. in 6.* 27

Septimò illud dicitur impoſſibile, quod factu eſt valde difficile, & magnum incommodum præfefert, *l. Idem Iulianus 41. §. Conſtat. ff. de legat. 1. l. fin. ff. de operis public.* ibi: *Et non facile ad reficiendum pecunia inueniatur*, legatum in aliud conuertitur, vt ibi dicitur, quia pro impoſſibili habetur. Quod ergo eſt valde difficile factu eſt impoſſibile, *Sanchez lib. 6. cap. 2. num. 13.* Vnde impoſſibilium, 28

Digitized by Google

bilium, & valde difficilium idem est iudici-
um, *Barbosa Vas V. Impossibile num.* 15. & æ-
quiparantur impossibile, & valde difficile,
*Graff. tom. 1. consil. 5. de celebr. missar. num.
fin.* Et impossibile dicitur, quod commodè
fieri non potest, *Glos. V. Impossibile cap. Casi-
nensis 17. dist. 61. Silu. & Tabiena V. eodem* di-
29 stinguunt triplex impossibile nempe incom-
modum, iniustum, & inhonestum.
30 Octauò, impossibile dicitur, quod impe-
ditur iure, vel homine fieri, præceptum igi-
tur iuris, vel contradictio hominis aliquid fa-
ciendum reddunt impossibile, quibus subla-
tis impedimentis fit, quod fieri non poterat,
31 *Glos. V. Transire cap. fin. 33. q. 2.* Vnde duo-
bus impedimentis concurrentibus vno con-
trariante alteri, minus dicitur impossibile im-
peditum ab vrgentiori, e. g. seruitus infirmi
præfertur missæ auditioni, quæ censetur im-
possibilis impedita à seruitute faciendà infir-
mo, nam obligatio maior tollit minorem,
32 *arg. cap. 1. de sponsà duorum, Beis par. 4.
casu 23 initio.*
33 Demum omnia iura clamant, impossibi-
lium nullam esse obligationem, *l. Si quis 3.
ff. ad sen. Syllanum, l. 145. ff. de regul. iur. &*
34 *reg. 6. in 6.* Procedit siue impossibile sit à na-
turà, siue à iure, siue ab homine, vt Docto-
res explicant præfatas regulas.
35 Positis ergo prædictis modis, & eorum sin-
gulis, Superior dicitur habere iustam causam
conuertendi legatum ab vsu impossibili desti-
nato à testatore ad alium possibilem, quod
magis patebit infra afferendo varias causas,
per quas commutari possunt legata facta im-
possibilia, vt adimpleantur iuxta vsum à tes-
tatore expressum in suo testamento.

Quæres 3. Quænam sint causæ in specie,
quibus licet commutare vnum legati vsum in
alium? ℞. sunt sequentes.
36 Prima est insufficientia pecuniæ designatę.
Ita *Bertach. lib. 4. de Episcopo par. 4. num. 71.
cum alijs. Barbos. Alleg. 83. num. 7. & ad cap.
6. sess. 22. num.* 3. Colligitur etiam *ex l. fin.
ff. de operis public. citata impossib.* 7.
37 Secunda, impossibilitas adimplendi lega-
tum ad vsum destinatum. Ita *Guidopapa de-
cis. 556. Moneta de Commut. vltim vol. cap.
5. num. 322. Perez de Larà lib. 1. de Anniuers.
& Capell. cap. 14. num. 27. Barb. Allegat. 83.
num. 8. & ad sess. 22. cap. 6. num. 4.*
38 Tertia, impossibilitas ædificandi Monaste-
rium, seu Ecclesiam, aut Altare in loco à te-
statore designato, potest Episcopus alium lo-
cum designare. Ita *Rodriq; tom. 2. q. 125.
art. 10. cum alijs. Barb. ad cap. 6. num. 5. &
ea allegat. num. 10. & num. 11.* de Monaste-
rio in campestri loco fabricando in alio loco
vtiliori fidelibus, & Monachis, quia locus
minus vtilis censetur impossibilis impeditus
ab vtiliori, ergo eorum quæ dixi 7. & 8. Im-
possib. Vide Vericellum *tract. 1. quæst. mo-
ralium q. 18. initio.*

Quarta, si relictum non sit ita necessarium, 39
sicut vsus illius pro Ecclesiæ reparatione, tunc
conuerti potest in vsum magis necessarium,
præcipue quando annuatim soluitur, pro vnâ
vice commutari potest, etiam si sit missarum.
Ita *Genuens. in praxi cap. 19. & in Practic.
Eccles. q. 213. cum alijs Barbos. ad Trident. nu.
6. & Allegat. 83. num. 14. & seq. Diana par. 2.
tract. 3. resol. 26.*

Quinta, potest Episcopus ob negligen- 40
tiam exequendi voluntatem defuncti lega-
tum transferre de loco ad locum, vbi satisfiet.
Ita *Lapus Alleg. 87. num. 4. Moneta cit. cap.
5. num. 335. ex illis Barbos. in Trid. num. 8.
& Alleg. 83. num. 16.* Ea enim negligentia est
sufficiens causa transferendi obligationem,
cum ea negligentia faciat de facto impossibi-
lem executionem legati.

Quæres 4. An Superior commutaturus le-
gatum debeat illud semper conuertere in me-
lius, vel saltem in æquale.

℞. Non solùm potest illud commutare in 41
æquale, seu in melius, sed etiam in minus,
datâ iustâ causâ. Ratio est, quia iusta causa
sufficit, cum adimpleri non potest iuxta v-
sum designatum à testatore, ne huius mens
pia pereat vt quandoq; posset perire, si non
conuerteretur in minus e. g. legauit Calicem
argenteum, sed in bonis testatoris non inue-
nitur sufficiens peculium pro eo calice, tunc
Episcopus rationaliter commutat in minus
nempe in Calicem ex materiâ auricalchi.
Peculium relictum pro fabricandâ Ecclesiâ
insufficiens conuertitur in Oratorium, seu
Capellam. Legatum relictum pro paupere
puellâ in ordine ad matrimonium Spirituale
conuertitur ex causâ in matrimonium car-
nale, non enim puellis semper expedit ma-
trimonium spirituale.

Qui verò sustinent Episcopum non posse
facere commutationes legatorum, simplici-
ter id negant siue commutatio referatur ad
minus bonum, siue ad maius, qui multi sunt
apud *Barbos. allegat. 83. num. 2.* Quod esse
falsum supra ostendimus. Alij tenent, posse
Episcopum commutare legata solùm in æ-
quale, & in melius, *Silu. V. Legatum 4. q. 12.
Beis par. 4. casu 22. cum alijs ibidem citatis,
& à Diana par. 1. tract. 7. resol. 26.* Susti-
nenda ergo est responsio ad quæstionem,
posse Episcopum commutare legatum in mi-
nus, & non tantùm in æquale, & maius, da-
tâ iustâ causâ, quæ cum fundetur vt pluri-
mùm in impossibilitate exequendi mentem
testatoris, arguere potest iustam esse muta-
tionem in minus, aliter sæpe periret pia mens
testatoris.

Quæres 5. An Superior in commutatione
legatorum debeat requirere consensum
hæredis?

℞. Superior debet requirere consensum 42
hære-

hæredis,seu executoris testamentarij,& Rectoris Ecclesiæ, ad quam legatum pertinet, quòd si hæres, aut Rector nolint præstare consensum, Superior nihilhominus procedet ad commutationem in casu quo legatum non potest adimpleri in formâ specificatâ à testatore. Id autem procedit, quando peculium, expendendũ ad formam commutationis est apud hæredem, seu Rectorem, & non aliter.

Prima de consensu requirendo probatur *ex cap. nos quidem 3. de testam.* ibi: *Tecum implere neglexerit, tunc per te ædificetur* nota duo hic, *Primum* Monasterium fuisse ædificandum alio in loco, si non poterat in determinato à testatore, vocandus erat hæres, quia debebat ipse ponere pecuniam; *Secundum*, quòd Episcopus poterat procedere in fabricatione Monasterij negligente, vel renuente hærede, sufficit ergo petere consensum, non enim requiritur in Episcopo obtentio consensus, vt patet ex textu, & ratio quoq; est quia potestas commutandi legata vti spiritualis, & competens illi ex officio non dependet à laicis, nec ab alijs. De consensu requirendo ita *Canonistæ ibi, Barb. allegat. 83. num. 6. de Lugo disp. 24. num. 306. ex illis Vericell. quæstion. Moral. tract. 1. q. 17. num. 4.*

Secunda, quòd non sit requirendus hæredis consensus, quando per ipsum non est pecunia expendenda, vt cum rem legatam iam designauit Ecclesiæ, probatur, *ex cit. cap. nos quidem*, ideo enim requisitus ille fuit, quia ex pecunijs hęreditatis debebat fabricare Monasterium, ergo qui satisfecit suæ obligationi, cum iam functus sit officio suo, nullum potest habere interesse in commutatione legati, quo sit requirendus.

Quæres 6. An Episcopus possit commutare legata spectantia ad suam mensam vel ad Capitulum, seu Ecclesiam Catedralem?

43 ℞. Affirmatiuè, quando ea non potest adimplere in specie relictâ à testatoribus, nam adest causa impossibilitatis. *Moneta cap. 5. num. 378. & ex eo Barb. allegat. 83. num. 16. vers. pro complemento.*

Respondent alij negatiuè ex cap. possessiones 10. de reb. Eccles. non alien. Vbi Episcopus non potest alienare possessiones, quæ sunt de mensâ Episcopali, vel capituli. Sed meo iudicio is textus non facit ad rem, cum aliud sit alienare possessiones, aliud commutare legata.

Quæres 7. An Episcopus possit commutare vltimas voluntates relictas Ecclesijs aliorum Prælatorum inferiorum?

44 ℞. Non posse, ipso recusante, nisi in casu negligentiæ Ita *Quar. de Auctor. Archiep. num. 21. Rota par. 2. Diuers. dec. 159. num. 1. Moneta cap. 5. num. 382. Barb. allegat. 83. num. 16. vers. Episcopus.* In hoc enim potissimus est delegatus Sedis Apostolicæ, *ex Sess. 2. cap. 6.*

Quæres 8. An commutari possit legatum missarum in dotem puellarum?

℞. Negatiuè, quia esto propter exiguitatem stipendij non possint celebrari tot missæ, quot petit testator, non ideo conuerti debent missæ in dotes puellarum, quia causa iusta hìc non reperitur fundata in impossibile, cum possint missæ de maiori numero commutari in minorem; præterquam quod ea conuersio esset præiudicialis testatori, cuius animæ non amplius posset suffragium præstari celebratione missarum. 45

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

De Reductione Missarum.

SVMMARIVM.

1 *Reductio est diminutio missarum ex iustâ causâ, secundum earum numerum facta à Superiore.*
2 *Exiguitas redditaum est causa diminuendi numerum missarum.*
3 *Dispensatio omnis facta ab inferiore eius causâ est inualida.*
4 *Causæ reductionis duæ assignantur, magnus missarum numerus, & exiguitas eleemosynarum.*
5 *Episcopus iure antiquo, & Tridentini reducit missas.*
6 *Episcopus confirmatus, & in possessione existens, & non ante reducere potest missas suæ diœcesis, iuxta quod dico num. 20. 21. 22.*
7 *Electio ei non dat iurisdictionem, sed confirmatio.*
8 *Potestate iurisdictionis reducit missas.*
9 *Episcopi quatuor sunt, electio, confirmatio, possessio, & consecratio.*
10 *Cardinalium potestas in reducendis missis.*
11 *Capitulum sede vacante reducit missas.*
12 *Abbas pariter nullius.*
13 *Abbas Regularis localis.*
14 *Abbas item Generalis.*
15 *Prouinciales Ordinum.*
16 *Generales Ordinum reducunt missas, iuxta quod dico num. 20. 21. & 22.*
17 *Tridentinum cap. 4. sess. 25. non derogauit Iuri communi reducendi missas, nec quò ad Episcopos, nec quò ad alios supradictos.*
18 *Concilium Tridentinum promulgatum 24. Ianuarij cœpit obligare à Calendis Maij 1564.*
19 *Extenditur caput Tridentini de reductione missarum.*
20 *Reductio fit in synodo, & Capitulo, non extra.*
21 *Tantùm de missis impositis ante Tridentinum.*

22 Per

22 *Per legata simplicia, non ex conuentione, nec in limine.*
23 *Informatio datur super præteritis, non futuris, quæ ignorantur.*
24 *Concilium quod loquatur de missis etiam impositis post Concilium est opinio probabilis.*
25 *Causa finalis non extendit legem, vbi varij nascuntur effectus.*
26 *Prohibitio prohibitioni additur.*
27 *Tridentinum non loquitur de legatis conuentionalibus.*
28 *Neque de impositis in limine fundationis contra aliquos.*
29 *Hodie reducuntur missæ ex legatis tantùm simplicibus, solùm tamen impositis ante Calendas Maij 1564.*
30 *Ius commune de missis reducendis sublatum sicut Tridentinum.*
31 *Prohibitum vnâ viâ, aliâ non permittitur. Prohibitum directè, indirectè non permittitur. Prohibitum non licet omnino facere.*
32 *Anniuersarium cum missâ est reducibile, vt supra.*
33 *Anniuersarium est missa cantata cum officio vel sine illa.*
34 *Anniuersarium sine missâ quoquis tempore est reducibile.*
35 *Missæ in aliud opus bonum conuerti non possunt.*
36 *Anniuersarium conuerti potest in missam etiam Conuentualem.*
37 *Missa perpetua non potest reduci in temporalem.*
38 *Accessorium sequitur principale in fauorabilibus, non in odiosis.*
39 *Loci distantia dat causam commutationi legatorum.*
40 *Solemnitas cantus in limine posita non mutatur.*
41 *Missa quotidiana carens applicatione est reducibilis.*
42 *Quid prius reducendum? missa, an alia legata?*
43 *Eleemosynarum reductio potest fieri quouis tempore.*
44 *Episcopus quis dicatur in Tridentino de reductione missarum.*
45 *Abbatis nomine venit qui potest congregare synodum, non localis regularis carens populo sæculari.*
46 *Tempus Capituli, & synodi est de formâ validæ reductionis.*
47 *Tempus assignatum ad agendum est de formâ & valore actus.*
48 *Synodi, & Capituli nomine in reductione veniunt Canonici, & assistentes Superiori.*
49 *Episcopus, & Generalis debent petere consilium in reducendis missis.*
50 *Conscientiæ commissum non est delegabile.*
51 *Consilium petens non tenetur illud sequi, nisi consiliantes sint collegæ illud petentis.*
52 *Reductio ex Tridentino non restringatur ad primum synodum, vel Capitulum Generale.*
53 *Prohibitio est stricti iuris.*
54 *Missæ sunt reducibiles apud quemcumq; sit fundus frugifer.*
55 *Causa expressa in Tridentino reducendi missas sunt aut magnus missarum numerus cui non possit satisfieri, aut exiguitas eleemosynæ.*
56 *Sacristiæ manutentio est occatio minuendi missas si non habet proprios redditus.*
57 *Expensæ pertinent ad eum, de cuius interesse agitur.*
58 *Expensæ litis, &c. sunt causa reducendi missas.*
59 *Paucitas Sacerdotum causa est reducendi missas.*
60 *Causa incidens est reductiua missarum.*
61 *Consuetudo non celebrandi non est causa diminuendi missas.*
62 *In missis omissis, & manualibus datur reductio.*
63 *Stipendium vbi est iustum non datur reductio.*
64 *Sine legitimâ causâ facta nulla est.*
65 *Dispensatio sine causâ ab inferiori facta est nulla.*
66 *Intentio est de substantiâ actus moralis.*
67 *In dubio non est obligatio missarum.*
68 *In dubio nemo obligatur.*
69 *Delegabilis non est reductio missarum ex vi Tridentini.*
70 *Conscientia est testimonium iudicans bonas, & malas actiones.*
71 *Iurisdictio ordinaria quandoq; non est delegabilis si ex conscientiâ exercenda est.*
72 *Agens numquam habet rationem formæ, & solemnitatis in actu.*
73 *Solemnitas respicit circumstantias actus.*
74 *Princeps laicus nullo modo potest reducere missas.*
75 *Laicus iurisdictionem Spiritualem exercere non potest.*
76 *Episcopus reducit ex priuilegio etiam missas Regularium.*
77 *Priuilegium factum Episcopo Parmæ reducendi missas.*
78 *Sacerdos propriâ auctoritate minuit missas ad rationem stipendij currentis.*
79 *Stipendijs proprijs nemo alijs seruit.*
80 *In factione testamenti peccatum non præsumitur.*
81 Si præuidisset, prouidisset.
82 *Voluntas testatoris recipit interpretationem à Charitate.*
83 *Thesaurus Ecclesiæ est spiritualis cumulus compactus ex passionibus Christi, & iustorum infiniti valoris.*

84 In

84 *In operibus bonis meritum, & satisfactio spectatur.*
85 *Christus solus nobis meruit, & cum alijs satisfecit.*
86 *Reductio missarum fit sine dispensatione Thesauri.*
87 *Thesaurus duobus modis applicatur, per Sacramenta ex passionibus solùm Christi, & per Indulgentias etiam ex passionibus iustorum.*

PRecedenti capite actum est de commutatione Legatorum extra rationem missarum, modo hic agendum est de reductione missarum, quæ est species commutationis legatorum.

In primis autem quærendum est, quid sit reductio missarum? Sub quo nomine veniunt etiam Anniuersaria, quæ sine missis non fiunt.

1 ℞. Est diminutio missarum, ex iustâ causâ, secundùm numerum facta à Superiore.

Dixi primò, quod est *diminutio missarum*, quia non restringitur legatum, seu fructus, qui habentur ex legato, sed ipsarum missarum numerus cum relatione ad ipsos fructus iam diminutos, vnde factâ missarum restrictione ad minorem numerum, non inde inferendum est, esse diminutum salarium dandum celebranti, vt in facti contingentiâ firmauit *Ianuar. par. 1. resol. Moral. 42. num. 11.* Gratia enim reductionis facta à Superiore non intelligitur circa pretium, quia non intendit præiudicare Sacerdoti, immo nec hæredi, qui non tenetur soluere nisi illud salarium quod reliquit testator, aut lege, vel consuetudine inductum fuit. Reducitur ergo numerus missarum, non salarium debitum, immo exiguitas redditum, & fructuum

2 est causa, ob quam fit missarum reductio à maiori numero ad minorem.

3 Dixi 2. *ex causâ iustâ*, nemo enim, præter Papam, vt dixi *cap. praced. num. 16.* sine iustâ causâ potest commutare vltimas testatorum voluntates, etiam quò ad reductionem missarum, cum enim reductio huiusmodi sit quædam species dispensationis, in fauorem legatarij, necesse est, vt fiat ex iustâ causâ, aliter dispensans præter peccatum inualidè ageret inferior, vt omnes docent, requirentes in dispensante iustam causam, *cum Sayro in Claui lib. 3. cap. 10. num. 5. & 6. Nuar. Pralud. 9. num. 15. Suarez lib. 6. de legib. cap. 10. Castropal. par. 1. de dispens. p. 8. §. 2. num. 2.* In præsenti autem materia, iusta causa maximè est necessaria, cum agatur de alterandâ mente testatoris in gratiæ præiudicium animæ illius, cum iura clament, vltimas hominum voluntates omnibus modis esse seruandas *4. 13. q. 2. cap. tua nobis, de testam.* & pro lege habenda est, *Auth. de nupt. §. disponat.*

Causâ autem iusta reducendi missas est impossibilitas moralis, iuxta dicta præced. capite, & à Tridentino *sess. 25. cap. 4.* duplex assignatur. *Prima*, si numerus missarum sit ita magnus vt ei non possit satisfieri. *Secunda*, si fructus ita exigui sint, vt nullus velit satisfacere ex paruâ eleemosynâ. Et aliæ similes. His ergo positis Superior missas reducendo, quodammodo declarat mentem testatoris fuisse, ne hæredes, nec Capellanus grauarentur, quia præsumitur de iure noluisse, vt hæres nec Capellanus gratis seu iniusto stipendio pro ipso celebrarent, sed iuxta stipendium congruum pro tempore currens, neq; enim potest testator Sacerdotem obligare, vt suis stipendijs militet, iuxta illud D. Pauli *1. corinth. q. 7.* nec famulus, nec familiaris gratis seruit, sed iusto st pendio eius, cui inseruit, ergo testator ex his intendit diminutionem missarum ad congruitatem stipendij. 4

Dixi 3. *reductio facta à Superiore* potestate scilicet sibi factâ à iure communi, tam veteri, quam nouo, vt mox patebit, & iuxta inferius dicenda.

Quæres 2. An Episcopus iure communi antiquo possit reducere missas ad minorem numerum: Vide *q. 5.*

℞. Affirmatiuè, vt colligitur *ex cap. cum accessissent 8. & cap. ex par. 12. de constit.* In priori namq; capite narratur, quod capitulum suppressit Primiceriatum, & in posteriori Præbendam, quib. stantibus, secuta fuit quoq; diminutio missarum, quarum onus erat annexum dictis Beneficijs, ac proinde ex necessitate arguitur in Episcopo potestas minuendi numerum missarum sicut diminuuntur Præbendæ ex diminutione redditum. Confirmatur, quia Episcopus ex officio suo, quo habet regere Ecclesiam suam, legit mà subsistente causâ, sicut potest commutare legata alia ab vno vsu in alium, iuxta dicta cap. præced. ita & missas reducere. Et hanc sententiam tenet *Nauar. cap. 25. num. 138.* posse Episcopum etiam extra synodum reducere missas quem sequuntur *Rodriq. in summa cap. 251. fine, Miranda tom. 1. q. 41. art. fin. fine, Sorbus V. missa § vbi primò. Antonellus de regim. Eccles. Episc. lib. 1. cap. 14. Pasqual. de sacr. missa q. 1162. Diana Par. 1. resol. 4. de celebr. miss.* sequitur nouissimè Fagnanus ad dictum *cap. 12. num. 23.* Vide tamen infra *q. 5.* 5

Quæres 3. An Episcopus statim ac est electus possit reducere missas eius Ecclesiæ, cui fuit præfectus.

℞. Negatiuè, sed solùm post confirmationem, & adeptam suæ Ecclesiæ possessionem, quia per confirmationem, & non per electionem aquirit iurisdictionem, *cap. Nosti 9. cap. transmissam 15. de elect. cap. inter corporalia de translat. Pralat. cum alijs Barb. de* 6 7

de offic. Episc. par. 1. tit. 1. cap. 4. num. 9.
8 Per quam potest missis reducere, is enim est actus iurisdictionis. Vnde sciendum est, quòd
9 in Episcopo quatuor spectantur, Electio, Confirmatio, Possessio, & Consecratio, ratione primi acquirit ius ad rem, hoc est, ad suam Catedralem, per Confirmationem verò ius in re, & potestatem iurisdictionis, quam tamen exercere non potest, nisi immissus sit in Possessionem suæ Ecclesiæ; iurisdictio enim exercetur in subditos, qui acquiruntur per possessionem Ecclesię, demum per Consecrationem consequitur potestatem Ordinis, per quam exercere potest ea, quæ sunt Ordinis, vt consecrare Ecclesias, conferre Ordines &c. *cap. transmissam 15. de elect. Barb. cit. cap. 5. per totum*.

Quæres 4. An potestas reducendi missas iure communi competens Episcopis conueniat etiam alijs habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem respectu suarum Ecclesiarum? Vide *q. 5.*

℟. Competit in primis Cardinalibus etiam non Episcopis; Capitulo sede vacante; Abbatibus secularibus nullius; Abbatibus Regularibus localibus, & eorum Præfectis Generalibus; demum Prouincialibus, & Generalibus Ordinum, iure communi.

10 *Primum* de Cardinalibus probatur, quia in suis titulis tantam habent potestatem, quantam Episcopi in suis diœcesibus, *ex cap. his qui, de maior. vbi Canon. cum Fagnano num* 15. Confirmatur, quia possunt derogare fidecommissis pertinentibus ad suas Ecclesias, *ex Moneta de commut. vltim. vol. cap. 9. concl. 22. num* 634. & commutare vltimas voluntates, sicut possunt Episcopi, *ibidem num.* 452. *referente nostro Cotonio lib. 3. controu. 8. cap. 3 num.* 55. ergo & reducere missas, quod est minus, quàm mentem testatoris tollere.

11 *Secundum* de Capitulo probatur, quia omnis potestas ordinaria, quæ erat in Episcopo, dum viueret, transit in Capitulum post illius mortem, & quò ad spiritualia, & quò ad temporalia, vt iuribus citatis docet *Diana par. 8. resol. 1. vbi resol.* 34 ait, posse commutare vltimas testatorum voluntates, sicut poterat Episcopus iure communi ordinario, ergo & reducere missas, quæ est species commutationis.

12 *Tertium* de Abbatibus secularibus nullius, probatur, quia isti habent potestatem iurisdictionis quasi Episcopalem, qualem habent Episcopi, *Glos. V. Diœcesanis Clem. 1. de foro compet. in 6. Seraphin. dec.* 1386. *fine. Ciarlin. cap.* 67. dicit Archipresbiterum Carpi cum habeat iura Episcopalia posse cognoscere causas criminales, & matrimoniales. Abbas pariter habens iura quasi Episcopalia venit sub nomine Episcopi, *ex eodem Ciarlino cap.* 220. *num.* 68. & Diœcesani *ibidem num.* 72. vbi multa alia dicit de his Prælatis nullius, & exemptis eum suis territorijs ab Episcopis, scitu digna. Ergo Abbas, & quiuis alius quouis nomine appelletur habens iura quasi Episcopalia cum suo territorio potest missas reducere de iure communi.

Quartum de Abbate regulari locali probatur, quia is habet iurisdictionem quasi Episcopalem in suâ Ecclesiâ, vt dicitur *in cap. Abbates 3. de priuileg. in 6. Tamb. tom. 1. de iure Abbat. disp. 1. q. 4. & 15.* Facit *cap. nullam 9. 18. q. 2.* vbi dicitur totam potestatem Monasterij pertinere ad Abbatem, ergo & hæc reducendi in illas suæ Ecclesiæ. 13

Quintum de eorum Præfectis, seu Abbatibus Generalibus probatur, quia isti vti supprem. Superiores in Ordine suo non minoris sunt potestatis, immo maioris ex eorum superioritate, quæ id expostulat in illis, quæ enim, secundum Philosophum, sunt dispersa in inferioribus, potior:, & perfectiori ratione intelliguntur vnita in Superioribus, ne dicantur illis imperfectiores. 14

Sextum de Prouincialibus, respectu Ecclesiarum suæ Prouinciæ probatur, quia isti habent, & ipsi iura quasi Episcopalia *Rodriq. tom. 1. q. 12. art 5. q. 17. art 6. q. 20. art. 10. Portell. V. Prælati iurisdictio; Lezana tom. 2. cap. 13. num. 26. Miranda tom. 1. q. 14. art 2. Peyrin. de Prælato q. 1. cap. 4. num. 3. fine*, vnde Episcopatus, & Prælaturæ regulares æquiparantur, *Glos. V. Regularis, cap. ne pro defectu 41. de elect.* Vnde Prælati maiores vt Prouincialis, & Generalis, æquiparantur Episcopis, *Glos. V. Proprij, Clem. 1. de reb. Eccles. non alien.* apud præcitatos, ergo possunt eâdem potestate reducere missas in suis Ecclesijs, sicut valent Episcopi in suis. 15

Septimum de Generali probatur, quia non est minoris potestatis suorum Prouincialium, immo maioris, vnde *Rodr. cit. tom. 1. q 12. art. 5.* Generalem assimilat in iurisdictione Patriarchis, & Primatibus, Prouinciales Archiepiscopis, & Custodes Episcopis, ergo potest missas reducere in suo ordine. 16

Quæres 5. An per decretum Tridentini *cap. 4. de reform. sess. 25.* de reductione missarum, sublata fuerit potestas huius generis Episcopis, & alijs Prælatis de iure communi concessa reducendi missas? Ratio dubitandi est, quia *Nauar. cap. 25. num.* 138. ait solos Episcopos, & non alios habere à iure communi potestatem reducendi missas, vnde respectu Episcoporum Tridentinum non facit ius nouum, sed solùm respectu Abbatum, & aliorum, qui antea nullum ius habebant reducendi missas, acquisitum solùm per Tridentinum. Ex quo sequitur ruere ea, quæ diximus in præcedenti quæstione, nimirùm Abbates, & Generales Ordinum, & alios Superiores maiores iure communi antiquo nullam

Iam habuisse potestatem reducendi missas, sed hanc potestatem à Concilio accepisse, subsequenter reuocatam per Decreta de celebrat. missarum. ibi; *Ac primò destricte probibet, ac interdicit, ne Episcopi in diæcesanà Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquomodo reducant onera vlla missarum celebrandarum aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis.*

17 R. Decretum Tridentini nulli Prælato abstulisse potestatem reducendi missas, quã habebant iure communi, immò eam non solum Episcopis, sed etiam alijs Prælatis confirmasse, & stabilisse exercendam in Synodo respectu Episcoporum, & in Capitulis Generalibus respectu Regularium. Vtriusq; verò eam limitatam fuisse exercendam (respectu
18 onerum impositorum post ipsum Concilium, quod publicatum fuit anno 1564. die 24. Ianuarij à Pio IV. eius Bullà 73. incip. *Benedictus Deus*, & cæpit obligare à Calendis Maij eodem anno) per supradictum primum Decretum de celebr. missar. ita quòd deinceps nihil possunt Episcopi, & multò minus alij inferiores Prælati circa reductionem onerum receptorum post Tridentinum, respectu quorum recurrendum est ad Sedem Apostolicam.

Primum, quòd Tridentinum nulli abstulerit facultatem reducendi missas immo eis confirmarit, probatur referendo Decretum ipsius Tridentini *seß. 25. cap. 4. de reform.*

19 Contingit sæpè in quibusdam Ecclesijs, vel tam magnum missarum celebrandarum numerum ex varijs defunctorum relictis impositum esse, vt illis pro singulis diebus à testatoribus præscriptis nequeat satisfieri; vel eleemosynam huiusmodi pro illis celebrandis adeo tenuem esse, vt non facilè inueniatur, qui velit huic se muneri subijcere; vnde depereunt testantium voluntates, & eorum conscientias, ad quos prædicta spectant, onerandi occasio datur.

Sancta Synodus cupiens, hæc ad pios vsus relicta, quò plenius, & vtilius potest, impleri, facultatem dat Episcopis, vt in Synodo Diæcesana, itemq; Abbatibus, & Generalibus Ordinum, vt in suis Capitulis Generalibus, re diligenter perspectà possint pro suà conscientià in prædictis Ecclesijs, quas hac prouisione indigere cognouerint, statuere circa hæc, quicquid magis ad honorem Dei, & cultum, atq; Ecclesiarum vtilitatem viderint expedire. Ita tamen, vt eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ea ad pios vsus reliquerunt.

20 Sacrum igitur Concilium dum dat facultatem prædictis, non insinuat illos caruisse eàdem, sed eandem confirmasse exercendam per illos in Synodo, & Capitulo. Quicquid dicat Nauar. esse ius nouum quò ad Prælatos inferiores, antiquum verò confirmatum per Tridentinum quò ad Episcopos cum alijs allegatis à *Barbosà allegat. 29. num. 15. Lezanà V. missa num. 30.* asserentibus posse Episcopum extra Synodum missas reducere, quod tamen est expresè contra Tridentinum præscribens, reductionem missarum esse faciendam in Synodo, quò ad hoc enim moderatum fuit ius antiquum, quo Episcopi tenebantur adhibere consensum Capituli *ex cit. cap. hic sub q. 2.* vnde loco Capituli successit Synodus, & docet *Bonac. de Sacram. disp. 4. q. fin. p. 7. §. 2. num. 9.* Non posse Episcopum absq; consensu Synodi reducere missas, quem plures sequuntur, *apud Dianam par. 1. tract. 14. resol. 3.*

Secundum, quod modo reducere non pos- 21
sint onera missarum nisi quæ fuerant relicta ante promulgationem Tridentini, clarè patet ex prædictis verbis, vnde alià non eget probatione. Vnde omnibus abrogata fuit facultas reducendi missas post Concilium receptas, pro quà re est recurrendum deinceps ad Sacram Congregationem, vt expresè dicitur in eisdem Decretis de celeb. missarum.

Quæres 6. Quænam onera missarum ex Tridentino sint reducibilia? Legata missarum spectari possunt, vel ratione temporis, ratione cuius alia sunt perpetua, alia ad certum tempus. Alia item imposita ante Tridentini promulgationem, quæ fuit facta anno 1564. vt dixi supra in præcedenti quæstione, & in alia Bulla 80. incip. *Sicut ad Sacrorum*, in qua dicitur ius positiuum incipere à Calendis Maij eiusdem anni. Alia verò imposita post Calendas Maij. Ratione verò qualitatis alia sunt legata simplicia, alia ex conuentione, alia in limine fundationis, quæ propriè Beneficia sunt, & de hoc triplici genere legatorum latè dixi *cap. 6. à num. 6.* De his omnibus est quæstio loquendo præcisè respectu Concilij, præscindendo à Decreto primo de celebr. missar.

R. In Tridentino sermonem esse de lega- 22
tis tum ad tempus, tum in perpetuum relictis ante Concilium hoc est, ante Calendas Maij 1564. legatis scilicet simplicibus, non conuentionalibus, nec in limine fundationis; Tridentinum ergo concedit reductionem onerum missarum impositarum ante Calendas Maij, quæ scilicet sunt legata tantum simplicia.

Prima pars de legatis simplicibus probatur ex verbis ipsius Tridentini: *Contingit sæpe in quibusdam Ecclesijs vel tam magnum missarum celebrandarum numerum ex varijs defunctorum relictis impositum esse.* Missæ autem relictæ defunctorum dicuntur legata simplicia, dum à testatoribus relinquuntur celebranda in suis testamentis.

Secunda pars, quòd hæc legata simplicia imposita ante Calendas Maij 1564. & non

post

post relicti, sint reducibilia, probatur, tunc ex citatis verbis: *Ex varijs defunctorum relictis impositum esse* Nota illud *impositum esse* item *relictis*, quæ referuntur ad præteritum, non ad futurum; non enim dixit; *relinquendis, nec imponendis*. Et infra: *Sancta Synodus cupiens hæc ad pios vsus relicta*. Et infra. *Qui pro suarum animarum salute legata ad pios vsus relinquerunt*. Manifestè ergo patet Tridentinum loqui de legatis relictis ante Concilium, & non relinquendis post ipsius promulgationem. Confirmatur, nam Patres in Synodo erant informati de ingenti numero missarum iam relictarum, quibus non poterat satisfieri, vel propter tenuitatem prouentuum, vel propter nimium earum numerū, qui Sacerdotes excedebat, ideo ne mentes testatorum defraudarentur statuit earum reductionem esse faciendam ab Episcopis, Abbatibus, & Generalibus in suis respec-
23 tiue Ecclesijs; informatio autem non datur de oneribus suscipiendis, cum ignorentur, sed de iam impositis, vt de illis remedium adhibeatur, ergo Concilium loquitur de impositis ante illud tempus. Ratio præterea est, quia Tridentinum intendit occurrere præteritis, & non dare occasionem in futurum succumbendi oneribus importabilibus cum periculo non satisfaciendi, vt facile solet accidere. Et hæc veritas apertè colligitur ex primo Decreto de celebr. missar. illis verbis: *Interdicit, ne Episcopi in diœcesanâ Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquomodo reducant onera vllamissarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur*. Per quod Decretum decernitur Episcopum, & Generales non posse reducere missas post Concilium receptas, nec in limine fundationis, non alià ratione, nisi quia Concilium eis non dederat hanc facultatem, sed solùm reducendi simplicia legata ante Concilium imposita, adeo quòd Sacra Congregatio de mandato Sanctissimi potestatem eis concessam reliquit intactam propter honorem, & reuerentiam, quam solent defferre Tridentino.

Hanc sententiam, quòd Concilium loquatur de oneribus impositis ante illius promulgationem, docent *Rodriq. tom. 1. q. 43. art. 13. Miranda tom. 1. q. 41. art. 24. cum alijs Barb. allegat. 29. num. 5. Pasqual. de sacrif. missæ q. 116. num. 3. Diana resol. 2. de celebr. missar. Lezana V. missa num. 30.*

24 Contrarium, quòd Concilium loquatur etiam de legatis impositis post Tridentinum, docent pleriq; apud Pasqual. & Dianam, quia ratio finalis Concilij dantis talem facultatem Episcopis æque militat etiam quò ad onera missarum imposita post Concilium. Et confirmatur, quia vt dictum fuit, Sacra Congregatio deinceps prohibuit reductionem missarum post Tridentinum receptarum, ergo signum est, quod hanc facultatem Episcopi, & Generales antea habebant ex eodem Concilio, prohibirio enim superueniens arguit antea factum licuisse, ergo ex vi Tridenrini poterant Episcopi ante hanc prohibitionem reducere onera missarum post Tridentinum receptarum.

Respondetur, rationem finalem non extendere legem, quando apparet diuersitas effectuum, esto enim æque militet eadem ratio in oneribus futuris, quæ in præteritis, diuersi tamen sunt effectus, nam quò da præterita non datur occasio auaritiæ, & recipiendi onera sub spe reductionis, sicut in futuris. Ad confirmationem dico, eam prohibitionem esse directè contra eam opinionem quæ proinde nunquam licuit, nam prohibitio prohibitioni additur, & vna per aliam forti- 25
ficatur, vt docet *Pyrrus Corradus lib. 9. Praxis dispens. cap. 7. num. 2.* 26

Tertia pars, quòd Tridentinum non loquatur de conuentionalibus, probatur, quia legata conuentionalia fiunt inter viuos ex spontanea actione, & contractu independenter à dispositione testatoris, vt multis docui *cap. 6. num. 7.* Sed in Tridentino sermo est tantum de relictis defunctorum, vt patet supra *num. 22.* ergo de conuentionalibus nihil disponit. 27

Quarta pars, quòd idem Tridentinum nihil disponat de legatis in limine fundationis, probatur quia illa adiunctam habent rationem Beneficij initio suæ erectionis, iuxta dicta *cap. 6. num. 14.* vnde voco illa *Legata beneficiaria* auctoritate Episcopi erecta; sed in Tridentino nulla fit mentio de legatis habentibus annexum Beneficium, ergo de his nihil disponit. Ita *Sorbus V. missa vers. notandum, cum alijs Barb. allegat. 29. num. 12. Pasqual. q. 1163. referens sexdecim Doctores, Diana resol. 1. de celebr.* 28

Contrarium, quòd Tridentinum disponat etiam de legatis in limine fundationis, docent *Miranda tom. 1. q. 41. art. 24. Trullenchus, Ledesma, Caspensis, & Garzia apud Pasqual. q. 1163.* Quia militat eadem ratio, quæ in legatis simplicibus; & Tridentinum loquitur generaliter respectu omnium legatorum defunctorum, quæ solent etiam fieri in limine erectionis Beneficiorum.

Respondetur, non sufficere eandem militare rationem, quando variantur effectus, vt dixi supra, & præterea adest specialis ratio, nimirum canonica institutio in his Beneficialibus legatis, quæ vti specialis abhorret genericam, quam non admittit, vnde Concilium non loquitur generaliter de omnibus legatis, sed tantùm de simplicibus habentibus esse à testatoribus personis priuatis.

Quæres 7. An hoc tempore possint reduci onera missarum ex vi Tridentini ab Episcopis, Abbatibus, & Generalibus non obstante illo Decreto de celebr. missar.?

29 ℟. Affirmatiuè, sed tantùm onera missarum ex legatis simplicibus imposita ante Concilium Calendis Maij 1564. iuxta dicta, & probata in præcedenti quæstione. Ita docent omnes *cum Bonac. de Sacram. disp. 4. q. vlt. p. 7. §. 2. num. 11. Auersa q. 11. de Sacr. Euchar. sect. 18. vers. tertio, fine, Pasqual. q. 1162. num. 6. Diana resol. 10. par. 6. tract. 6. Pelliz̧ar. tract. 5. cap. 9. num. 91. & tract. 6. cap. 3. num. 16. de Generalibus Pasq. q. 1166. cum alijs.* Et res clara est, quia Decretum de celebr. missar. prædictis interdicit tantùm reductionem missarum in limine fundationis, & receptarum post Concilij promulgationem, ergo eis relinquit facultatem reducendi relictas ante ipsum Concilium, quod eis hanc facultatem dedit super legatis simplicibus.

Quæres 8. An sublatum sit illis ius antiquum reducendi quascumq; missas ex quibuscumq; legatis siue simplicibus, siue conuentionalibus, siue in limine fundationis impositis, siue ante, siue post Tridentini promulgationem.

30 ℟. Vtique omnibus superioribus tum Episcopis, tum Abbatibus, tum Generalibus, & alijs, de quib. supra q. 2. & 4. Ratio est, quia in illo Decreto de celebr. miss. sub num. 23. relato, interdicitur Episcopis, & Generalibus ne reducant onera missarum post Concilium, aut in limine fundationis imposita, ne ergo hoc interdictum sit vanum, frustatorium, & inefficax, necessariò sequitur, sublatum fuisse ius antiquum reducendi onera

31 missarum. Confirmatur, quia prohibitum vnâ viâ, non debet aliâ admitti, *Reg. 84. in 6. l. Iulianus 6. §. Minor, ff. qui & à quibus manum Barb. Axiom. 193. num. 1.* Prohibitum enim directè, indirectè fieri non potest, *l. secus ff. ad leg. Falcid.* Vnde prohibitum non licet omnino fieri, *cap. Iam nunc 8. 28. q. 1.* cùm negatiua vti malignantis naturæ omnia destruat, quæ sibi aduersari possunt, Vide Pasq. q. 1167.

Quæres 9. An ab Episcopo, & alijs possit fieri reductio missarum etiam post Tridentinum relictarum, si testator id expressit in suo testamento respectu quorumcumq; legatorum etiam in limine fundationis?

32 ℟. Affirmatiuè S. Congreg. ad primum quæsitum de celebr. missar. his verbis: *Veruntamen si in ipsa Beneficij erectione expressè cautum fuerit vt liceat Episcopo iniunctum onus reducere, aut moderari, legem hanc fundationis, quam Decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam, & obseruandam.* Et id docuerat *Azor. par. 2. lib. 6. cap. 24. q. 6. cum alijs Pasqual. q. 1167.* qui idem ait esse dicendum etiam de alijs legatis quibuscumq; quando testator expressè dixit, se contentum esse, vt Episcopus reducat, quia Decretum hoc de celebr. missar. non sustulit speciales testatorum leges quo ad hoc.

Quæres 10. An Anniuersaria defunctorum sint reducibilia ex tenore Tridentini, & eo modo, quo legata missarum?

℟. Affirmatiuè, nimirum Anniuersaria 33 ex legatis tantùm simplicibus, & impositis ante Concilium alterius verò generis legata non, iuxta superius dicta. Ratio desumitur ex definitione Anniuersarij, quod est missa cantata cum officio defunctorum integro, vel diminuto, vel etiam sine officio, iuxta vsum Ecclesiarum. Et deducitur id ex S. Hieronimo relato cap. Non mediocriter 24. *dist. 5. de consecr.* ibi: *cum pro cunctis animabus Psalmus, vel missa dicitur.* Etimologia autem nominis *Anniuersarij* dicitur, quia pro defuncto fit oblatio reuoluto anno à die mortis suæ, *Glos. V. pro Anniuersarijs cap. cum creatura 11. de celebr. missar.* Quare cum non detur Anniuersarium sine missâ, licet dari possit sine officio, & cum solâ missâ cantatâ, sequitur Decretum Concilij de reductione missarum comprehendere etiam Anniuersaria, quæ sine missa non fiunt. Ita omnes apud *Dianam resol. 5. de celebr. miss. Barbos. allegat. 29. num. 4. Fagnanus ad cap. ex parte, de constit. num. 30.*

Quæres 11. An si Anniuersarium irregulariter loquendo, non constet ex missâ, sed tantum officio defunctorum possit ab Episcopo, & alijs reduci, non obstante Decreto de celebrat. missarum.

℟. Affirmatiuè, relictum siue ante, siue 34 post Tridentinum, non virtute Tridentini, quia de his nihil disponit, sed solùm de celebratione missarum, secundum *Ioan. Franc. de Leone par. 2. cap. 11. num. 33. & Fagnanum in dictum cap. ex parte de constit.* sed virtute iuris communis ex dictis q. 1. cui proinde non obstat Decretum illud de celebr. missar. quod prohibet Episcopis, & Generalibus reductionem missarum tantùm ex dispositione Concilij, receptarum post illius promulgationem, nihil dicendo de officijs defunctorum. Ita *Tambur. de missâ lib. 3. cap. 1. §. 2. num. 5. quam approbat Pasqual. q. 1170. num. 2.*

Quæres 12. An missæ commutari possint in Anniuersaria? Et hæc in missas?

℟. Conuersio primi non est rationabilis; 35 nec proinde fieri potest, sicut posterioris. Ratio est, in reductione missarum minuitur earum numerus ad rationem stipendij, remanente obligatione earumdem missarum quò ad numerum diminutum, hoc enim est proprium reductionis exercitium, vt restringatur earum numerus, non verò vt missæ conuertantur in aliud bonum opus, multò enim

enim salubrius est Sacrificium missæ, quàm sint aliæ deprecationes, orationes, & officia defunctorum. Confirmatur, quia per reductionem solius numeri sine mutatione rei legatæ saluatur mens testatoris in re legatâ, & solùm numerus restringitur, ergo ita faciendum est. Potest verò Anniuersarium requirens maiorem eleemosynam vtilius conuerti in tot missas quibus respondeat competens salarium.

Pasqual. q. 1188. dicit missas priuatas esse reducibiles in Anniuersaria. Probat ex naturâ reductionis, quæ habet reducere opera excedentia ad terminos æquitatis, fieri enim potest, quòd vnicum Anniuersarium correspondeat prouentibus, qui supersunt ex destinatis pro notabili quantitate missarum, qui alioquin non sufficerent pro iisdem missis priuatis. Constat ex praxi, quia S. C. frequenter reduxit magnum numerum missarum in Anniuersaria. Et hæc quoq; iu missas priuatas. Adde, quod ex Tridentino missæ commutantur in commemorationes; & ex priuilegijs, de quibus dixi *cap.* 11. *num.* 25. missæ conuertebantur olim in collectas; ergo huiusmodi reductio vnius oneris in aliud fieri potest.

℞. Missas non esse reducibiles in Anniuersaria, neq; enim natura reductionis consistit in conuersione vnius oneris in aliud, sed propriè consistit in diminutione missarum regulatâ ad stipendium congruum, hoc enim modo reducuntur onera excedentia ad terminos æquitatis. Neq; verum est, quod subdit, fieri nimirum posse, quod vnicum Anniuersarium correspondeat prouentibus, qui supersunt ex destinatis pro notabili quantitate missarum, qui alioquin non sufficerent pro eisdem missis priuatis. Hoc, inquam verum non est, quia experientia docet, vnico etiam Anniuersario respondere tale stipendium, quod sufficeret pro pluribus missis, nimirum pro sex, aut octo missis. Non expedit ergo animabus defunctorum missas conuertere in Anniuersaria, sed hæc in missas, quæ augentur respectiuè ad illa. Confirmatio ex autoritate S. Congr. Tridentini, & priuilegiorum non obstat, quia ea dependent ab auctoritate Pontificis, qui habet plenitudinem potestatis, & qui potest non solùm missas reducere ad minorem numerum, sed etiã conuertere in aliud bonum opus, quod facere non possunt inferiores, quibus concessa est potestas reducendi missas tantùm, & non commutandi eas. Et quantùm ad Tridentinum, Commemoratio facienda pro defunctis supponit reductionem, vnde missæ non dicuntur commutatæ in Commemorationem, neq; æquiualere missis reductis, aliud ergo est reductio, aliud Commemoratio, quæ supponit reductionem, vt obseruat ipse *Pasqual. q.* 1175. *num.* 8.

Quæres 13. An Anniuersarium reduci possit in missam conuentualem?

36 ℞. Affirmatiuè, quando deest stipendium pro eo celebrando, quod sufficit pro missâ Conuentuali, aliter non. Ita *Garzia in sum tract. 3. diffic.* 10. *dub.* 9. *p.* 7. *num.* 13. *Pasqual. q.* 1187. sine causâ ergo non datur huiusmodi reductio.

Quæres 14. An onera perpetua missarum conuerti possint in temporalia?

37 ℞. Negatiuè, dum enim singulis annis respondet aliqualis fructus, secundum quem singulis quoq; annis possunt moderari missæ, nulla ratio suadet hanc conuersionem, quia in tantùm durat obligatio celebrandi, in quantùm perseuerat annua fructuum perceptio, ergo hac perpetuò durante, continuò etiam, & perpetuò durare debet obligatio celebrandi; Confirmatur, quia reductio fit secundùm numerum, non secundùm temporis limitationem, quod non regulat moderationem missarum. Vide *Pasqual. q.* 1185. referentem Marchinum, qui tract. 3. de ordine *par.* 2. *cap.* 19. *num* 7. affirmat posse reduci de perpetuis in temporalia, cuius rationes id certè non probant; & Garziam, *qui in sum. tract.* 3. *diff.* 10. *dub.* 9. *p.* 4. *num.* 11. dicit, moderari onera remanente perpetuitate, nisi adsit periculum, quòd pereat totus prouentus pro missis, quia tunc potest onus perpetuum commutari in temporale. Sed hoc posterius mihi non placet, quia pereuntibus inculpabiliter omnibus prouentibus cum fundo, liber est Sacerdos ab obligatione celebrandi, vt infra probabo suo loco.

Quæres 15. An moderari possint legata missarum quò ad tempus, locum, solemnitatem, & alias circumstantias? & quo iure id fieri possit?

℞. Affirmatiuè, & quidem respectu quorumcumq; legatorum siue ante, siue post Concilium impositorum, siue simplicium, siue conuentionalium, non autem beneficialium, quò ad qualitates onerosas, data semper iustâ causâ; & hæc vocatur commutatio vnius vsus in alium, remanente celebrationis obligatione; & id fit non iure Tridentini huius capitis 4. *sess.* 25. sed iure communi, & ex officio Superioris, & iure quoq; delegato Tridentini *sess.* 22. *cap.* 6.

Primum de moderatione, seu commutatione vnius vsus in alium probatur ex dictis præced. cap. de commut. iure communi, & delegato Tridentini *cap.* 6. *sess.* 22. Non obstante Decreto de celebr. missar. quod Episcopis, & alijs interdicit solùm reductionem missarum, non moderationem circumstantiarum, sine quibus potest subsistere Sacrificium, per huiusmodi enim conuersionem temporis, loci, & alterius circumstantiæ, & solemnitatis defunctis nihil detrahitur de suffragio Sacrificij, quod potissimum intendunt.

dunt. Ita *Felin. in cap. cum accessissent, de constit. num* 19. *Azor. par. 2. lib. 6. cap. 24. q. 6. cum alijs Pasqual. q.* 1186. *num,* 3.

Secundum, quòd non possint moderari legata benefitialia, quò ad suas qualitates, cum quibus fuerunt instituta, probatur expressè prohibitum per *Trident. sess. 25. cap. 5.* illis verbis: Ratio postulat, vt illis, quæ benè constituta sunt, contrarijs ordinationibus non detrahatur: Quando igitur ex Beneficiorum quorumcumq; erectione, seu fundatione, aut alijs constitutionibus qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt iniuncta in Beneficiorum collatione, seu in quacumq; alià dispositione eis non derogatur. Idem in Præbendis Theologalibus &c. Etiam accedente patronorum consensu, vt notat hìc Barbosa num. 11. & extat declaratio S. C. quam refert *Pasq. q.* 1186. *num.* 2. referens ad hoc Rotæ decisiones.

Commutari ergo potest locus legati in alium locum ex causà alicuius impedimenti, vt si Ecclesia sit violata, vel Altare occupatum &c. Ita *Azor. par. 2 lib.* 10. *cap.* 24 *q.* 4. *Fraxin. de obligat. concil.* 4. *§.* 11. *cum alijs Barb. ad cap. nos quidem* 3. *de testam. num.* 5. *Vide dicta cap. 6. q.* 17. *&* 18.

Tempus quoq; ex causà transfertur, vt si celebrandum sit Anniuersarium die prima Februarij præueniri potest, si sit dies Dominicus. Obligatio quoq; celebrandi tali horà incommodà mutari potest in aliam commodiorem. *Pasqual. q.* 1186. *num.* 8. *&* 9. 1169. *num.* 4.

Solemnitas quoq; variari potest, vt si missa sit cantanda, & non adsint cantores defectu stipendij, seu alterius impedimenti, recitatur sine cantu. Quicquid dicat *Pasq. q.* 1169. *num.* 2. *&* 3. non posse mutari solemnitatem cantus eo argumento quòd solemnitas tamquam accessorium sequitur naturam sui principalis quod est missa non reducibilis, ergo nec solemnitas omissibilis. Respondetur enim, accessorium sequi suum principale, quando diuersa ratio non militat, *Barb. hoc Axiom. num.* 10. diuersa autem ratio hìc militat, quia nihil impedit celebrationem missæ, vtique eius solemnitatem. Deinde missa quotidiana cum certis missis in cantu
38 potest reduci, ergo & cantus earum, accessorium ergo sequitur principale in fauorabilibus, non in odiosis.

39 Ratione loci mutandi refero exemplum. Regulares non solent officiare nisi in Choro, non accedendo personaliter ad Capellam, vbi cantanda est missa, vt faciunt clerici in suis Ecclesijs; in Choro existentes non possunt correspondere celebranti in Capellà nimis remotà ob magnitudinem Ecclesiæ, & distantiam inter Capellam, & Chorum? Numquid Superior poterit dispensare, vt missa, quæ de mente testatoris erat cantanda in Capellà designatà, cantetur ad Altare maius, vt commodè, & congruenter respondere possint in Choro, posito tantùm feretro ante illam Capellam, si cantanda erat missa defunctorum?

℞. Id fieri posse pro missis defunctorum cantandis, quia illa distantia est sufficiens causa commutandi Altare minus in maius. Si verò Capella sit iuspatronatus, & in die titularis eius cantanda sit missa, illuc omninò accedendum est pro solemni missà eius Sancti, cui dedicata est Capella, hoc enim dici- 40
tur esse in limine fundationis, & hæc qualitas indispensabilis est iuxta *cap. 5. sess. 25. citatum*.

Quæres 16. An reducibilis sit missa quotidiana, quæ nullam habet obligationem applicationis?

℞. Est quidem reducibilis propter exigui- 41
tatem stipendij, intellige de missà ante Tridentinum impositâ, non verò reduci potest imposita post Tridentinum, obstante Decreto de celebr. missar. quod interdicit reductionem quarumcumq; missarum post Tridentinum receptarum, vel in limine fundationis, siue habeant applicationis obligationem, siue non, cum ea prohibitio sit vniuersalis, & absq; vllà limitatione, ergo comprehendit onera quarumcumq; missarum siue cum applicatione, siue sine illà imposita. Ita *Tamb. lib. 3. de missà cap.* 1. *§.* 2. *num.* 4. *ex eo Pasqual. q.* 1169. *num.* 1. *&* 2.

Quæres 17. An quando legatum est ex Missis, Anniuersarijs, eleemosynis, seu dotibus dandis pauperibus, datà fructuum diminutione facienda sit reductio missarum, eleemosynarum, & dotium ex æquo, seu alio modo?

℞. Si singulis oneribus præscripti sint, & 42
assignati prouentus ex certis fundis, tunc singula onera reducenda sunt ad rationem currentis stipendij, respectiuè ad missas; & respectu eleemosynarum diminutio facienda est super ipsis, sine diminutione numeri personarum, ita quòd singulis ex æquo distribuendæ sunt eleemosynæ ex assignatis fructibus diminutis. Hoc enim modo seruatur voluntas testatoris in omnibus legatis, & oneribus, quantùm patitur distributio prouentuum, & assignatio facta à testatore. Quod si singulis oneribus permixtim, & in confuso annuatim sint assignati tot redditus, quibus singulis oneribus sit satisfaciendum, in reductione procedendum est ab eleemosynis, adeo quòd restringi etiam debet numerus pauperum, vt saluetur integrè missa sine diminutione; nam talis præsumitur esse mens testatoris, vt in reductione minus lædatur, quam fieri potest, ergo reductio prius facienda est in eleemosynis, quam in missis, quia missæ Sacrificium plus illi prodest, quàm datio eleemosynæ, seu etiam recitatio officij de-

defunctorum, illud enim impertit satisfactionem ex opere operato, hæc verò tantùm ex opere operantis. Ita *Fagnanus ad cap. Ex parte, de constitut. num. 34. Pasq. de Sacrif. q. 1070. num. 3. Garz. par. 7. de benef. num. 131. ex illis Passer. ord. Prædicat. de statib. homin. q. 187. num. 1095. tom. 2.*

43 Nota quòd reductio missarum, & Anniuersariorum, his temporibus facienda, intelligenda est, de impositis ante Concilium. Respectu verò eleemosynarum, seu dotium dandarum pauperibus, quouis tempore Episcopus de iure communi, & de iure delegationis Tridentini *sess. 22. cap. 6.* hæc reducere potest, licet legatum missarum post Tridentinum receptum in eodem testamento cum dotibus expressum non possit reduci obstante Decreto de celebr. missar. quia dotium legata nihil habent accessorij cum missis, cum sint diuersa legata, & inter se disparata.

Quæres 18. Quid veniat nomine Episcopi, Abbatis, & Generalis in Tridentino in Decreto de reductione missarum.

44 ℟. Nomina Episcopi, & Generalis satis nota sunt in Concilio illis verbis: *Facultatem dat Episcopis, vt in Synodo diœcesanâ, itemq; Abbatibus & Generalibus Ordinum, vt in suis Capitulis Generalibus.* Restat difficultas quinam Abbates veniant sub illis verbis: *Itemq; Abbatibus* nam alij sunt seculares, alij sunt regulares, & vtriusq; generis alij habent populum, & territorium cum iurisdictione quasi Episcopali potentes congregare Synodum, *Ciarlin. cap. 120. num. 123. Tambur. tom. 1. disp. 24. q. 7.* Alij nullam habet iurisdictionem, sed solùm dignitatem abbatialem sine populo, qui subsunt Episcopis, vel Abbatibus iurisdictionis, vt Abbates regulares titulares. Demum sunt Abbates regulares iurisdictionis super suos monachos, vel Canonicos Religiosos; inter quos aliqui habent etiam populum secularem, & territorium.

45 Ego puto Concilium loqui de solis Abbatibus tum secularibus, tum regularibus habentibus etiam secularem populum, & territorium; non autem de Abbatibus dictis localibus sine populo cum solis monachis, vel Canonicis regularibus sibi subiectis. Ratio est, quia facultas tributa in Tridentino Episcopis, & Generalibus exercenda est ab illis in Synodo, & ab his in Capitulo Generali; sed Abbates territorium habentes congregare possunt Synodum, & non alij Abbates, ergo illis tantùm competit hæc facultas, non istis, aliter sine Synodo, sine Capitulo, quibus caret contra Tridentinū possent reducere onera missarum, ac proinde illis tribuisset ampliorem facultatem nullo tempore coarctatam.

Quæres 19. An reductio facienda in Synodo ab Episcopo, & in Capitulo Generali à supremo Ordinis Superiore ita sit de formâ, vt non valeat facta extra illud tempus?

46 ℟. Illud tempus esse de formâ, itaut si extra fiat reductio non valeat, si fiat virtute Tridentini, non autem si fiat iure communi. Probatur, quia illud tempus assignatum habetur pro formâ substantiali, quâ omissâ ruit attentatum. *Iason. cons. 191. num. 6. lib. 2. Hipollit. Rim. lib. 1. cons. 87. num. 16. Surd. cons. 97. num. 25.* In terminis *Pasqual. q. 1165. num. 2. cum Bonac. de Sacr. disp. 4. q. vlt. p. 7. §. 2. num. 9. Tamb. de missâ lib. 3. cap. 1. §. 2. num. 6.* Dixi, si fiat ex vi Tridentini, non verò si fiat de iure antiquiore, quia in cap. 8. & 12. de consti. t. ex quibus deducitur hæc potestas, nulla fit mentio de Synodo, nec Capitulo regulari. 47

Quæres 20. An negotium reductionis discutiendum sit coram omnibus in Synodo, & in Capitulo Generali congregatis clericis secularibus, & regularibus? An solùm coram præcipuis?

48 ℟. Sufficit negotium discurrere cum principalibus de Synodo, hoc est coram Canonicis, & de Capitulo, hoc est, coram definitoribus, seu assistentibus, vel Consiliarijs ipsius Generalis. Ratio id suadet, quia in Synodis, & Capitulis plures personæ conueniunt, ex quarum multitudine, & aliquorum imperitiâ potius confusio, quam recta negotij discussio generaretur, in his enim non simplex suffragium iacitur in vrnam, nec scribitur in cædulâ, sed necessarium est discurrere, & ratiocinari circa difficultatem, & modum reducendi missas, omnia tandem resoluendo ad honorem Dei, cultum Ecclesiæ, & salutem animarum defunctorum, ergo non omnes de Synodo, vel Capitulo sed principaliores consulendi sunt.

Quæres 21. An Episcopus, item Generalis debeant ille in Synodo, hic in Capitulo petere, & sequi consilium congregatorum, ad hunc effectum?

49 ℟. Debent petere consilium, non tamen illud sequi tenentur; primum probatur, quia hoc insinuat forma præscripta in Tridentino de reductione faciendâ in Synodo ad eum finem, vt consulat peritos de Synodo, non enim otiosa debet esse congregatio Synodi respectu negotij huiusmodi de reductione missarum. Secundum, quòd non teneatur sequi eorum consilium, colligitur ex illis Tridentini verbis: *Possint pro suâ conscientiâ statuere quicquid viderint expedire,* vbi enim agitur de conscientiâ res determinanda est ab eo, qui propriam conscientiam regulare debet in negotio, in quo aliorum sententiam non tenetur sequi, quia propria conscientia vniuscuiusq; à se mensuratur, & non à conscientijs aliorum. 50

Confirmatur, quia licet quis teneatur alterius consilium petere, non tamen tenetur illud

illud sequi, nisi consulentes sint collegæ, & participes officij, *l. Titium* 48. *ff. de admin. & pericul. tutor.* Quia consilium non inducit
51 obligationem in consiliato, 48. *de regul. iur. in 6.* Ita *Pasqual. q.* 1165. *num.* 6.

Quæres 22. An facultas in Tridentino concessa Episcopis, & Generalibus reducendi missas restricta fuerit exercenda in primis Synodo, & Capitulo factis immediate post Tridentini promulgationem?

52 ℞. Negatiuè, sed habet tractum successiuum, accidere enim solet, quòd processu temporis fructus, & prouentus paulatim minuantur; & præterea, quòd augeatur stipendium, vt experientiâ comprobatum est, ac proinde prouentus, non posse correspondere iustis eleemosynis auctis, ex quorum alterationibus tamquam iustis causis successiuè contingentibus arguitur, facultatem reducendi missas non restringi ad primam Synodum, nec ad Capitulum primum immediatè factum anno 1564. post Calendas Maij promulgationis Tridentini, sed habere tractum successiuè.

Confirmatur, quia Decretum primum de celebr. missar. interdicendo Episcopis, & Generalibus in eorum Synodis, & Capitulis, ne reducant missas impositas vel post Tridentinum, vel in limine fundationis, concedendo reductionem in alijs legatis simplicibus impositis ante Concilium, apertè insinuat Tridentinum illis dedisse eam facultatem etiam nostris temporibus exercendam.

Quibus positis, nescio, quâ ratione *Pasq. q.* 1175. initio referat adesse responsum S. C. sub 15. Decembris 1629. declarans, facultatem à Tridentino concessam, fuisse coarctatam ad primam Synodum, & Capitulum Generale. Videtur enim id pugnare cum verbis Tridentini indefinitè expressis, attento quoq; Decreto de celebr. missar., dum enim prohibet reductionem missarum post Tridentinum, vel in limine fundationis impositarum, & non interdicit reductionem impositarum ante Concilium, manifestè patet remanere eiusdem Tridentini facultatem etiam nunc moderandi impositas ante promulgationem Tridentini, dum enim vnum prohibetur, aliud censeturremanere in suo robo-
53 re, cum prohibitio sit stricti iuris, *Farinac. decis.* 429. *num.* 2. *Vol.* 4. ex collectis per ipsum.

Quæres 23. An reducibiles sint missæ legatorum existentium quò ad proprietatem, & fructuum apud hæredes, & non in bonis Ecclesiarum? Ratio dubitandi est, quia in Tridentino habentur hæc verba: *Contingit sæpe in quibusdam Ecclesijs.* Et infra. *In prædictis Ecclesijs.* Item. *Atq; Ecclesiarum vtilitatem viderint expedire.* Quæ videntur referri ad onera missarum, quarum onerum proprietas, & fructus sunt penes Ecclesiam, in quâ missæ sunt celebrandæ.

℞. Missæ sunt reducibiles apud quemcumq; sit fundus, ex quo colliguntur fructus pro stipendio dando celebranti, dummodo fundus frugifer assignatus pro satisfactione celebrantis non sufficiat pro currenti stipendio celebrantis, siue sit apud Ecclesiam, siue apud hæredem. Ratio est, quia reductio fundatur super tenuitate fructuum, quorum diminutio accidere potest, siue fundus sit apud Ecclesiam, siue apud hæredes. 54

Ad rationem dubitandi respondetur, quòd cum legata missarum sint exequenda in Ecclesijs, extra quas non contingit celebratio missarum ex legatis, ideo de Ecclesijs fit mētio; à quibus autem sint danda stipendia nullum fit verbum, siue dentur annuatim ministris Ecclesiæ, siue semel, & deinde per ministros Ecclesiarum distribuantur celebrantibus.

Quæres 24. Quænam causæ debeant mouere Superiorem ad licitè, & validè faciendam reductionem missarum?

℞. A Tridentino *sess.* 25. *cap.* 4. *tit.* assignantur duæ, magnus numerus missarum, & exiguitas fructuum, illis verbis: *Contingit sæpe in quibusdam Ecclesijs, vel tam magnum missarum celebrandarum numerum ex varijs defunctorum relictis impositum esse, vt illis pro singulis diebus à testatoribus præscriptis nequeat satisfieri: Vel eleemosynam huiusmodi pro illis celebrandis adeo tenuem esse. vt non facile inueniatur, qui velit huic se muneri subijcere.* 55

Magnus numerus missarum intelligitur, quando illæ sunt addictæ certo diei, quo non potest satisfieri, vel defectu Sacerdotum, vel adsunt aliæ missæ priores, quibus de iure est prius satisfaciendum. In his ergo facienda est reductio, cum adæquata satisfactio sit tunc impossibilis. Sed hæc amplius fieri non potest per Tridentinum, cum supponantur missæ potius manuales, & receptæ post Tridentinum, vnde recurrendum est pro illarum reductione ad Sedem Apostolicam.

Secunda causa de exiquitate, & tenuitate eleemosynarum causatâ ex diminutione redditum est vsitatior, vnde super ea discurrendum est, notando, quòd diminutio redditum pro missis celebrandis oriri potest, vel à causâ intrinsecâ rei fructiferæ, quæ in se patitur diminutionem; vel ab extrinseco contingit attenuari redditus, licet in se non diminutos.

Priori modo diminutio fructuum accidit, cum res non reddit solitos fructus, qui aliàs colligebantur sufficientes ad satisfaciendum Sacerdoti celebranti; & hoc contingere potest ex varijs accidentibus, vel quia fundus non colitur ex pigritiâ; vel quia dissipantur grandine; vel quia segetes, & fructus pendentes, à militibus, vel furibus alijs diripiuntur etiam in horreo extantes; aut ab alijs incenduntur, vel domus incendio vastatur, vel

eget

eget reparatione, quia minatur ruinam; vel quia fundus alluuione minuitur, vel redditur infrugifer; vel molendinum est reparandum &c. vel quando fiunt aliæ expensæ pro anchiorando fundo, quæ sint extraordinariæ, vel pro lite motâ super bonis subiectis oneri missarum, & similia, vt docet *Tambur. de missâ cap. 1. §. 1. Marchin. de ordine tract. 3. par. 2. cap. 19. num. 26. Lezana V. missa num. 30. Pasqual. q. 1177.* Defectus quoq; capitalis alienati siue iustè, siue iniustè, sufficiens est causa mouens Pontificem ad concedendam reductionem, non extantibus fructibus, quibus forent alendi Sacerdotes celebrantes.

Posteriori modo, ab extrinseco quoq; attenuantur stipendia quæ aliàs erant congrua facta incongrua ex temporum varietate, quibus augetur salarium, vel ex consuetudine, vel ex taxâ factâ ab Episcopis, vnde Sacerdotes nolunt stare antiquo stipendio nimis exiguo attentis præsentibus temporibus. Legi ego in quibusdam testamentis de annis 1300. 1400. circumcirca, quod duo dabantur solidi pro vnâ missâ, & sub hac centuria 16. initio dabantur sex soldi celebrantibus, postea auctâ paulatim monetâ, duodecim solidi, nunc verò viginti quatuor solidis satisfit Sacerdoti pro vnâ missâ.

Quæres 25. An in causâ tenuitatis fructuum habenda sit ratio expensarum sacristiæ in reductione missarum?

56 ℟. Affirmatiuè, quando Sacristia non habet proprios redditus, quia Sacristia de suo expensas facere non tenetur, ergo deducendæ sunt ex redditibus legatorum, vnde ex illis deductis missæ reducuntur iuxta proportionem fructuum remanentium. Ita colligitur *ex 7. Responso S. Congreg. relato cap. 10. num. 71. dixi resol. 25. num. 51. Pasqual. q. 34. & 1176.* Quia expensæ semper pertinent ad eum, de cuius vtilitate, seu interesse agi-

57 tur, *Bald. in l. si aliquando ff. de offic. Proconsf. Angel. in l. Turres C. de operib. pub. Grammat. conf. 17. Garzias de expens. & melior. cap. 21. num. 30.*

Quæres 26. An expensæ factæ in lite pro recuperando fundo, vel pro reparanda domo, fundo &c. alluuione damnificatis, &c. an sint causæ sufficientes pro reductione missarum?

58 ℟. Sic, quia factæ fuerunt pro ipso testatore, ergo in eum referendæ sunt, non in Ecclesiam, quæ de suo ponere non debet, neq; gratis seruire. Ita *Tambur. de missa cap. 1. §. 2. num. 11. ex eo Pasqual. q. 1177. num. 8.* Intellige, si relictum non sit pingue, nam si colligantur fructus abundantiores, expensæ non debent diminuere missas, cum omnes fructus annui sint obligati pro missis.

Quæres 27. An paruus numerus Sacerdotum sit causa legitima reducendi missas, quando ex defectu prouentuum Monasterij non possint alimentari tot Sacerdotes, qui satisfaciant oneribus missarum?

℟. Sic, quia satisfactio omnium missarum adæquata est facta impossibilis. Ita *Marchinus de ordine tract. 3. par. 2. cap. 19. num. 26 Lezana V. missa num. 30. Tambur. de missâ cap. 1. §. 2. num. 11. ex illis Pasqual. q. 1177. num. 9. Azor. par. 3. lib. 12. cap. 6. q. 5. Barb. allegat. 29. num. 3. Riccius par. 4. decis. 25.* Nostris temporibus diminutus valdè est numerus Sacerdotum, in graue præiudicium Religionum, vt experientia in dies comprobat, quod dico. 59

Quæres 28. An causa incidens, & casualis sufficiat ad legitimam missarum reductionem: non perpetua, sed temporanea?

℟. Affirmatiuè licere in vtroq; casu, sed diuersimodè, nam ex causâ temporaneâ pro eo anno licet reductio, vt accidit in casibus sterilitatis, grandinis, incursionis militum &c. Ex causâ verò perpetuâ reductio continuatur, cum causa durante. Ita *Rodriq. par. 4. sum. cap. 52. Perez. de Larâ lib. 1. de Capell. cap. 15. num. 15. Fraxin. de obligat. Sacerd. sect. 7. num. 9. Ianuar. par. 1. resol. 47. num. 13. Vers. tamen.* Intellige nisi prouentus fundi specialiter designati sint opulenti excedentes stipendium ordinarium, quia tunc conpensantur anni boni cum malis, omnes enim fructus fundi designati sunt obligati pro missis indifferenter quolibet anno. 60

Quæres 29. Quid si numerus Sacerdotum sit sufficiens, sed habeant antiquam consuetudinem non celebrandi quotidie, sed per hebdomadas singulis assignatas. Numquid in hoc casu locus est reductioni missarum? an verò omnes teneantur quotidie celebrare, vt satisfaciant oneribus, cedendo huic consuetudini?

℟. Si fructus annui colliguntur ex fundis designatis pro satisfactione onerum correspondentes stipendijs currentibus, debent omnino satisfacere, quia nulla hîc est causa reductionis, cum stipendium sit iustum; nec illis potest suffragari ea consuetudo non celebrandi, cum sit contra iustitiam, quâ tenentur Sacerdotes vel celebrare per se ipsos, vel per mercenarios. 61

Quæres 30. An detur reductio in missis omissis, & manualibus?

℟. Affirmatiuè, positâ tenuitate stipendij. Verum quidem est, quod difficilius reducuntur missæ manuales, cum regulariter supponantur earum eleemosynæ receptæ secundum currentem taxam, distractio tamen pecuniarum illarum pro indigentijs Monasterij, suæ Ecclesiæ videtur sufficiens causa reductionis. Vide Pasq. 1178. 62

Quæres 31. An sint reducibiles missæ, quibus annuatim correspondet stipendium currens iustum, & legitimum?

63 ℞. Negatiuè, quia reductio locum habet,
vbi vel satisfieri non potest ex penuriâ Sa-
cerdotum, vel ex defectu salarij currentis;
sed in casu præsenti adest legitimum stipen-
dium, ergo non est locus reductioni.

Quæres 32. An reductio sine legitimâ
causa facta sit valida?

64 ℞. Negatiuè, quia dispensatio sine cau-
65 sà facta est nulla, de communi *Castropal. de
dispens. p. 8. §. 2. num. 2. Carb. allegat.* 33.
num. 3. sed reductio est species dispensatio-
nis, ergo sine causà non subsistit. Tum quia
reductor non intendit eas reducere, nisi ad
formam Tridentini requirentis iustam cau-
sam, præsumitur enim habere rectum inten-
tionem, ergo si abest causa, non habet inten-
tionem reducendi, ac proinde reductio pro
non factà habetur. Intentio enim est subs-
tantiale fundamentum validitatis actus, *l.*
66 *multum interest C. si quis alteri, Glos. in l. si
facta C. de donat. ante nupt. & in cap. super
Abbatiâ, ff. de offic. deleg. Roland. cons.* 10.
num. 8. *lib.* 3. *Menoch. lib.* 1. *præsumpt.* 80.
num. 1. Ita docent *Graff. par.* 1. *decis. lib.* 2.
cap. 45. *num.* 19. *Leo par.* 2. *Thesauri cap.* 11.
num. 19. *Pasq. q.* 1179. *num.* 1.

Quæres 33. An reductio sit necessaria,
vbi in dubium reuocatur obligatio celebran-
di missas. Casus ocurrere potest in antiquis
oneribus, vt si non constet de incorporatio-
ne legati factà Ecclesiæ, seu Monasterio; vel
quid acciderit, si mota fuerit lis super fundo
onerato missis, & de eius fine non constat
Item si ex libris rationum constent aliquæ
solutiones expensarum, vel receptiones so-
lutionum inæquales, & diuersæ; vel quod
deinceps nihil reperiatur in libris registra-
tum.

67 ℞. Post adhibitam sufficientem diligen-
tiam, dubio adduc remanente, ad nihil te-
netur Superior, quia intrat illa regula: In
dubio potior est pars possidentis suam liber-
tatem, & in dubio nullus censetur obligatus,
68 *l. quicquid 99. ff. de verb. obligat.* Obseruan-
dum tamen est, quòd si constat de obligatio-
ne, & nihil reperitur in scriptis de annuis so-
lutionibus, nec de capitali soluto, & incor-
porato Monasterio, seu Ecclesiæ, adhuc sa-
tisfaciendum est oneri missarum, quia dum
constat de receptione oneris celebrandi, tunc
præsumitur de annuà solutione, licet non sit
registrata in libris. In casu verò, quòd cons-
tet de aliquibus solutionibus siue similibus,
siue varijs, & deinceps aliæ non appareant,
præsumendum est, hæredes cessasse à solu-
tione siue ex causà, siue ex incuriâ, parum
refert, in quo casu Ecclesia ad nihil tenetur,
quia in tantùm obligatur celebrare, in quan-
tum recipit stipendium. In priori ergo casu
reductio fieri potest, reducendo missas ad
tres Iulios, vnde si eo antiquo tempore da-
bantur solidi quatuor pro qualibet missâ,
vnicâ missà satisfit viginti obligationibus;
attentis præfatis circumstantijs.

Quæres 34. An reductio missarum sit de-
legabilis ab Episcopo seu Generali?

℞. Negatiuè ex vi Tridentini, quia vbi 69
causa est commissa conscientiæ alicuius, ea
non est delegabiles, delegatio enim commit-
ti non potest, dum eligitur industria perso-
næ, *cap. fin. §. is autem, de offic. deleg. cap.
is cui, eod. in 6. Sanch. lib. 3. disput. 7. num.*
18. *& ex l. hæc quidquam 9. §. vbi ff. de off.
pro cons.* delegabiles non sunt causæ, in qui-
bus est habenda plena cognitio, & decretum
interponendum; sed causa reductionis missa-
rum committitur à Tridentino conscientiæ
illorum, & cognitioni, ac discussioni eorun-
dem, ibi: *Re diligenter perspectâ possint pro
suâ conscientiâ* ergo non est delegabilis, dum
reductionis actus dependet à iustitiâ vtrius-
cuiusq; nam conscientia est actus iudicialis
vnicuique iudicanti proprium, & personalis
circa agendum benè, vel malè, adeo quòd
singulorum est testimonium pro, vel contra
seipsum, Paulus *ad Rom.* 2. 15. *testimonium* 70
reddente illis conscientiâ ipsorum & cap. 9.
*initio. Testimonium mihi perhibente conscien-
tiâ meâ*. Conscientia ergo est testis, hoc est,
Iudex bonorum, & malorum actuum. Cum
ego conscientia non sit delegabilis cum non
excedat personam conscientientis, non po-
terit Episcopus delegare reductionem missa-
rum, quam ex propriâ conscientiâ facere de-
bet ex præscripto Tridentini.

Est contra *Tambur. lib. 3. de missâ cap.* 1.
§. 2. *num.* 6. vbi probat, quia cum huiusmo-
di causa sit commissa, sub nomine dignitatis
tàm Episcopis, quàm Generalibus, non est
electa industria personæ; citat *Sanch. lib.* 2.
disp. 40. *num.* 17. Deinde ista potestas est
ordinaria cum sit concessa omnibus successi-
uè existentibus pro tempore Episcopis, &
Generalibus, ergo delegabilis.

℞. Vtramq; Tamburini rationem proce- 71
dere vbi in commissione, & facultate datâ
non fit de conscientiâ mentio, tunc enim lo-
cum habet delegatio, nec censetur electa in-
dustria personæ, vt in casu præsenti, in quo
Episcopi, & Generales debent facere reduc-
tionem pro suâ conscientiâ, quam cum non
possint alijs communicare, nec causam dele-
gare. Ita *ex l. nulli*, ibi: *Pro suâ conscien-
tiâ C. de Episcop. & Cleric.* ibidem *Baldus
num. 4. Iason. num. 12. vers. quinto limita.
Monach. num. 12. Sanch. lib. 8. disp. 27.
num. 43. cum alijs Barbos. clausf. 24. num. 8.*

Pasqual. q. 1180. probat nostrum respon-
sum hac ratione, quia hoc complexum.
Episcopus, & Synodus habet rationem for-
mæ, secundum quam operandum est, ergo
Episcopus per seipsum cum Synodo debet
missas reducere.

Non placet hæc ratio, quia Superior, qui 72
est

est caput, & principalis agens non potest venire sub ratione formæ, quia etiam in moralibus forma solemnitatis respicit modum, quo agens operari debet, iuris enim solemnitas consistit in circumstantijs, secundùm
73 quas agens operari debet, cum ergo agens non includatur in formâ, nec rationem formæ habeat, frustra ponitur pro formâ, quæ in casu nostro in eo consistit, vt reductio non quouis modo, sed tantùm in Synodo fiat, quod non tollit, nec ponit delegationem, quæ pendet à personâ sub ratione, quâ illi facta fuit commissio, nempe pro conscientiâ suâ, nam ratio Synodi respicit solùm tempus, quò facienda est reductio, non conditionem Superioris, an per se, vel per alium possit agere.

Quæres 35. An Princeps laicus possit reducere missas, quæ non sunt ex Beneficio, sed ex Capellaniâ laicali?

74 ℞. Nullatenus posse, quia is actus est potestatis spiritualis, cum habeat pro obiecto missam ipsam, quem facere non potest laicus, qui nullam potestatem super spiritualia ha-
75 bet, *cap. decernimus* 2. *de iudic. cap. tua de decim. Rota decis. 9. vers. prima. apud Dianam par. 6. cap. 1. cap. si Imperator* 11. *dist. 96 cap. non placuit* 23. *cap. Laicis* 24. 16. *q.* 7. *cap. Ecclesia* 10. *de constit. cap. cum Laicis* 12. *de reb. Eccles. non alien.* Vide *Pasqual. q.* 1172. rem hanc probantem.

Fagundez super præceptum primum Eccles. *lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 16. & 17. probat Principem laicum posse reducere missas Capellaniarum laicalium, quem reijcit *Castropal. par.* 4. *tract.* 22. *disp. vn. p.* 15. *num.* 6. & 7. dicens illius rationes esse leuissimas, & reuerâ tales sunt, quia aliud est procurare, quod vltimæ testantium voluntates executioni mandentur, quò ad solutiones scilicet legatorum, aliud est reducere missas ex tenuitate stipendiorum, illud conceditur laicis, hoc solùm Prælatis Ecclesiarum.

Quæres 36. An Episcopus habens facultatem reducendi onera missarum in Ecclesijs suæ diœcesis, possit reducere eadem in Ecclesijs Regularium existentibus in suâ diæcesi?

76 ℞. Affirmatiuè *resol.* 25. *num.* 33. *ex me Lezana V. missa num.* 31. & *Pasqual. q.* 1180. limitat in casu, quo priuilegium Episcopo concessum sit reducendi missas *de diæcesi*, tunc non extendi ad regulares, vtique si vtatur verbo *in diæcesi*. Sed ego vtrumq; admitto, quia onera missarum à Regularibus recepta in suis Ecclesijs dicuntur esse diæcesis Episcopalis, hærent enim loco, & personis, quæ sunt in diæcesi, & de diæcesi, seculares enim, qui reliquerunt huiusmodi onera vtroq; modo suberant Episcopo, cui actu subsunt hæredes viuentes. Et licet hi modi loquendi *in diæcesi*, & *de diæcesi* faciant diuersum sensum in odiosis, ita ut Regulares dicantur in hoc in diæcesi quò ad situm, & non de diæcesi, quia non subsunt eius iurisdictioni contentiosæ, quò ad fauorabilia verò sunt in diæcesi, & de diæcesi, quia possunt se submittere eius iurisdictioni gratiosæ quò ad absolutionem à censuris reseruatis *Sanch. lib.* 4. *cap.* 39. *num.* 32. ergo & in his.

Tale priuilegium concessit Sacra Congregatio approbatum ab Alexandro VII. Episcopo nostro Parmensi Illustr. D. D. Carlo Nembrino sub his verbis: *Die quinta Iunij 1655. Sacra Congregatio Emin.* Cardinalium Concilij Tridentini interpretum censuit, referendum S. D. N. Sacram Congregationem inclinare, vt facultas Episcopo concedatur reducendi onera missarum ad rationem vnius Iulij pro singulis missis celebrandis ex simplicibus tantùm legatis pijs, non autem onera missarum in fundatione Beneficiorum seu Capellaniarum, vel ex contractu prouenientia. Die 9. Iunij 1655. S. D. N. auditâ sententiâ eiusdem Sacræ Congregationis annuit supradictæ petitioni. Habetur in eius Synodo fol. 189. 77

Prædictis à nobis non obstat, quòd in supplicatione in eodem folio extensa fiat mentio de visitatione factâ ab Episcopo, quæ solum fit super clericis, & eorum Ecclesijs, & non super Religiosis exemptis. Quia visitatio fuit solùm causa cognoscendi necessitatem reductionis onerum, non verò motiuum concedendi facultatem, pendens ab eo, quòd exoneratur conscientia Sacerdotum, & satisfit menti legantium, quæ causa cum sit communis Clericis, & Religiosis ad vtrosq; facultas reducendi missas se extendit. Et certè quò ad Religiosos, qui subsunt Episcopo ratione paruorum Conuentuum nulla est difficultas, cum sint subditi, sicut clerici seculares.

An dictum priuilegium primò actu sit finitum, an habeat perpetuitatem? Dico esse perpetuum, cum tempore, vel actu primo non limitetur, decet enim Principis beneficium esse mansurum, *reg.* 16. *in* 6.

Quæres 37. An dari possit diminutio missarum per ipsum Sacerdotem Capellanum, quadam auctoritate priuatâ, quando manifestè constat de iniustitiâ stipendij, seu de eius incongruitate? E. g. Anno 1600. testator reliquit quotidianam assignando solùm sex, aut octo solidos pro singulis missis, & tale onus receptum fuit cum eâ eleemosynâ. Numquid poterit tutâ conscientiâ Superior Monasterij dicere tantùm tot missas, quot sunt Iulij, qui solent recipi annuatim pro eo onere? Clarum enim est, nostris temporibus dari vnum Iulium pro qualibet missâ.

℞. Datur, & sufficit, vt celebrentur tot missæ, quot Iulij singulis annis recipiuntur ex redditibus. Probatur: Tum quia nemo gratis seruire tenetur, siquidem nullus suis sti- 78

pendijs militat, Paulus ad Corinth. 9. 7. *quis
militat suis stipendijs vnquam*, ergo sufficit
celebrare tot missas, quot possunt illis cor-
respondere stipendia ad taxam tempore cele-
79 brationis. Tum quia si testator preuidisset,
seu cogitasset stipendium esse in futurum au-
gendum, si fuisset super hoc interrogatus, ve-
risimiliter respondisset, se velle indemnita-
tem celebrantis, nec velle, vt pro ipso gratis,
aut stipendio iniusto celebraret, id enim es-
set irrationabile, & iniquum, quod præsu-
mendum non est in testatore, ita enim mens
eius est intelligenda ne sit peccatum in fac-
80 tione testamenti, *l. Plautius 9. ff. de auro, &
arg. legato*. Si ergo preuidisset, ita disposuis-
81 set, *Dec. cons. 227. num. 11. & cons. 189. vers.
ad hoc facit*, *Signor. cons. 183. num. 10. &
cons. 296. num. 3. Bariola cons. 14. fine, Spe-
rell. dec. 144. num. 3. Rota par. 8. dec. 134.
num. 5.* Vbi, quòd si testator cogitasset suos
descendentes ingressuros Religionem exclu-
sisset substitutos, Doctoribus allegatis. Qua-
re in casu nostro, si præuidisset augmentum
stipendij, certè non onerasset celebrantem
tot missis, sed missas præscripsisset ad ratio-
nem iusti stipendij pro tempore currentis.
82 Tum quia voluntas testatoris recipit inter-
pretationem à Charitate, *l. cum alimenta. ff.
de alim. legat. Bald. cons. 150. num. 1. fine
Vol. 2. Mantica lib. 6. de coniect. vlt. volunt.
tit. 11. num. 5.* ergo potiori ratione etiam à
Iustitià, quæ ponit æqualitatem inter locato-
rem, & conductorem, nam testator, & eius
hæredes dicuntur conducere Sacerdotem su-
as operas locantem. Tum quia testatoris
mens debet esse rationabilis, & eius voluntas
velle, quod est Iuri consonum; sed rationa-
bile est, & iuri consonum, quòd stipendium
sit iustum, quod esse non potest, nisi minua-
tur numerus missarum, aut augeatur stipen-
dium ab hærede, qui tamen non tenetur ex
probatis *cap. 10. num. 53. & seq.* Tum de-
inum, quia ad diminutionem legati, dimin-
uitur eius onus, vt probo *cap. 17. q. 2.* ergo
tot missæ sufficiunt, quot stipendia secundum
argumentum.

Prædictis videntur obstare responsa Sacræ
Congregationis his verbis: Quæritur, quid
si legatum sit ita tenue, vt non sit, qui velit
onus illi iniunctum subire; & si recurrendum
sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione
oneris, totum, aut fere totum insumendum
sit pro expensis ad id necessarijs? ℟. Et si
legatum sit adeo tenue, nihilominus pro re-
ductione oneris, vt supra impositi, ab ijs ad
quos pertinet, Sedem Apostolicam esse ad-
eundam, quæ absq; vllà impensà id statuet,
quod magis in Domino è re iudicauerit esse.

Secundò super secundo eiusdem Congre-
gationis Decreto, quo cauetur, vt celebren-
tur tot missæ, quot ad rationem tributæ ele-
mosinæ præscriptæ fuerint. Quæritur an
verba illa: *Præscriptæ fuerint*, intelligenda
sint de præscriptione factà ab offerente, vel
ab ordinario? Ad secundum, esse intelligen-
da de præscriptione factà ab eo, qui eleemo-
synam tribuit, non autem ab Ordinaio.
Quod si tribuens eleemosynam numerum
missarum celebrandarum non præscripserit,
tunc tot missas celebrari debere, quot præs-
cripserit Ordinarius, secundum morem suæ
Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Tertiò, an cum Ordinarius præscripserit
eleemosynam congruam iuxta qualitatem
loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes
accipientes stipendium minus congruo, te-
neantur missas illis ab offerente præscriptas
celebrare? Ad tertium teneri.

Ex quibus responsis manifestè patet re-
currendum esse ad Sedem Apostolicam,
quantumuis stipendium sit adeo exiguum,
& tenue, vt nulls vellet celebrare. Munus
est ergo solius Sedis Apostolicæ reducere
missas, & nullius alterius nisi delegetur ab
eàdem Sede.

Confirmatur, quia celebrantes oneri mis-
sarum recipientes se obligant iuxta conuen-
tionem factam salarij, siue tenuis, siue suffi-
cientis, vt habet tertium responsum, ergo
datà tenuitate eleemosynæ missæ non pos-
sunt æquari stipendijs auctis.

Respondeo hanc diminutionem non esse
propriè reductionem, quam Sedes Apostoli-
ca sibi reseruat, sed æqualitatem seruandam
inter numerum missarum, & stipendium iu-
tum pro tempore spectatum, quam ipse tes-
tator interpretatiuè facit, in quantùm inten-
dit numquam voluisse celebrantem, pro se
missam esse celebraturum gratis, aut cum
stipendio iniusto contra Iustitiam, vt pro-
bant argumenta superius formata.

Nec obstat Responsũ Sacræ Congregatio-
nis, quod intelligitur, quando celebrans ac-
ceptauit onus cum exiguo stipendio, quod
non erat conforme currenti iusto, taxato ab
Ordinario, vel consuetudine introducto, in
hoc enim sibi præiudicauit, vnde hanc æ-
qualitatem missarum, & stipendij seruare
non potest; & id satis comprobatur per ter-
tium responsum, in quo decernitur, quòd
Sacerdotes accipientes stipendium incon-
gruum tenentur ad missas præscriptas. Qua-
re quod missæ numerentur ad rationem sti-
pendij iusti, intelligitur respectu augmenti
facti post contractam obligationem.

Quæres 36. An in reductione missarum
fiat dispensatio Thesauri Ecclesiæ? Thesau- 83
rus autem Ecclesiæ est Spiritualis cumulus
omnium bonorum, & passionum Christi, &
Sanctorum eius, infinitus, cum immediatè
procedat à personà Verbi simpliciter infinità,
quod dignificauit omnia opera naturæ hu-
manæ à se assumptæ per vnionem hypostati-
cam, scilicet duarum naturarum diuinæ, &
hu-

humanæ in subsistentiâ Verbi, ac proinde vti infinitus exhauriri, nec ad nihilum redigi potest, cũ ex sua infinitate sit indefectibilis, dũ ex eo quid quid accipiatur vlterius aliud, & aliud finitè in infinitum remanet accipiendum. Quòd autem iste Thesaurus indeficienter perseueret in Ecclesiâ Dei patet ex eo, quòd Christus pro omnibus passus est, ergo vsq; ad finem seculi perseueraturus est, vt ex eo omnes percipere possint suam portionem, quam Deus ex se nulli negat bene disposito. Huius autem dispensatio spectat ab Romanum tantùm Pontificem vti patronum, & custodem huius Thesauri, cuius distributionem quandoq; committit Episcopis, & alijs, vt accidit in concessione Indulgentiarum, quæ hauriuntur ex hoc Thesauro.

Ad hunc Thesaurum spectant etiam passiones sanctorum, quæ illis superfuerunt, in quantùm plus passi sunt in hac vitâ, quàm eorum peccata meruerant, aliquorum enim sanctorum passiones excesserunt eorum debitum, ideo ne prodigerentur, fuerunt reseruatæ in hoc Thesauro, vt patet in Apostolis, Sancto Francisco, & alijs Dei eximijs seruis, qui plus passisunt, quam indigerent pro satisfactione suorum peccatorum à Deo illis remissorum. Quod clarius probatur in Virgine Gloriosâ, quæ nullo actuali peccato, nec originali, subiecta fuit, & in Ioanne Dñi Præcursore antequã nasceretur sanctificato, & cum bona opera Virginis fuerint quasi immensa, & Præcursoris eximia, & illis non indiguerint pro peccatorum remissione, quibus carebant, sine dubio cum passionibus Christi reseruata fuerunt in eodem Thesauro Ecclesiæ. Et licet passio Christi pro suâ infinitate sit sufficiens pro omnibus, Sanctorum tamen passiones non sunt dicendæ vanæ, & inutiles, sed honorificæ, & vtiles, dum à passione Christi suum recipiunt valorem.

84 Demum in bonis operibus Christi, & iustorum duplex spectatur valor, meriti scilicet, & satisfactionis, nam in eodem bono opere consideratur meritum, cum scilicet fit ab homine existente in gratiâ, à qua opus bonum denominatur meritorium vitæ æternæ, & præterea dicitur satisfactorium, quatenus laboriosum, & pænale est. Differunt autem in eo, quòd meritorium alteri non applicatur, sicut satisfactorium, ex quo vnus debi-
85 tum alterius de suo soluere potest. Christus autem propriam passionem nobis applicauit non solùm satisfactoriè, sed etiam pro nobis meruit; quia ipse solus habuit gratiam capitis ad aliorum bonum ordinatam, dum ipse solus à Deo deputatus fuit ad redemptionem generis humani. Hæc colliguntur ex *Extrauag. Com. 2. Vnigenitus de Pænit. Sanct. de Iubileo anni Sancti cap. 3. dub. 4. Couar. in cap. Alma mater par. 1. §. 4. num. 7. Becan. cap. 28. de Sacram.*

℞. In reductione missarum non habere 86
locum dispensationem Thesauri Ecclesiæ, quia earum moderatio fit ad seruandam æqualitatem inter Sacerdotem, & onus suseptum, quod regulatur ad Iustitiam stipendij, testator enim præsumitur velle tantum suffragium, quantum exigit stipendium iustum.
Confirmatur, quia Thesaurus duobus mo- 87
dis applicatur, primò per Sacramenta, quorum receptione fideles recipiunt primam gratiam per Baptismum, & Pænitentiam, & illius augmentum per reliqua, sed etiam solutionem totius pænæ per Baptismum, & per alia Sacramenta partis peccatorum ritè remissorum; Secundò concessione indulgentiarum factâ regulariter à Papa, & ab alijs, communicatâ eis facultate. In receptione autem Indulgentiarum applicatur Thesaurus satisfactionum Christi, & Sanctorum, in receptione verò Sacramentorum applicatur solùm passio Christi, quia ab eo solo Sacramenta suam vim recipiunt, non à passione Sanctorum, & ideò eorum satisfactiones non concurrunt in vsu Sacramentorum, quia hæc operantur ex opere operato idest ex passione operatâ à Christo institutore illorum *Becan. cap. 28. de Sacram. q. 1. num. 13.* sed neutra applicatio reperitur in reductione missarum, vt patet, cum defunctis nullum possit conferri Sacramentum, & licet Papa possit illis conferre Indulgentias, id tamen non facit in reductione missarum, cum illis nihil applicetur, immo auferatur diminutione missarum.

CAPVT DECIMVMSEXTVM

De Præscriptione Legatorum.

SVMMARIVM.

1 *Præscriptio est ius aquirendi alienum putatum proprium.*
2 *Ius hoc à lege inductum fuit ad sedandas lites, & in odium Domini negligentis res suas.*
3 *Longum tempus decennium inter præsentes vicennium inter absentes.*
4 *Longissimum tempus est spatium 30. vel 40. annorum.*
5 *Immemorrabilis præscriptio, cuius initium ignoratur; varij sunt eius effectus.*
6 *Centenaria nõ est efficacior immemorabili.*
7 *Vsucaptio tribuit mobilia, præscriptio immobilia. Illa refertur ad initium possessionis captæ, hæc ad finem.*
8 *Consuetudo respicit communitatem, præscriptio priuatos.*
9 *Odiosa valde est materia præscriptionis.*
10 *Tantum præscriptum, quantum possessum.*
11 *Iuramentum locum habet in præscriptione cum*

cùm probatur ignorantia per illud pro restituendo spoliato.

12 *Præscriptio habet locum in vtroq; foro.*

13 *Conditiones eius sunt quatuor. Possessio, Bona fides, Titulus, & lapsus temporis.*

14 *Possessio naturalis, & ciuilis necessaria ad præscribendum, quæ est apprehensio, & detentio rei facta adminiculo animi, corporis, & iuris non resistentis, nomine proprio possidentis.*

15 *Possessio necessaria ad præscribendum.*

16 *Continuari debet saltem animo.*

17 *Possidere oportet nomine proprio.*

18 *Res præscribi non potest si prohibeatur.*

19 *Quis prohibeatur præscribere? Carens vsu rationis.*

20 *Seruus pro domino tantùm præscribit.*

21 *Religiosus non sibi, sed Religioni.*

22 *Homo liber non præscribitur.*

23 *Religio non præscribit sibi Religiosum.*

24 *Præscriptio habet tractum successiuum.*

25 *Obedientia præscribi non potest.*

26 *Visitatio, neque procuratio.*

27 *Celebratio præscribi non potest tempore interdicti.*

28 *Ecclesia, & Oratoria publica non præscribuntur.*

29 *Res publicæ non præscribuntur.*

30 *Ius decimarum, & primitiarum laicus sibi præscribere non potest.*

31 *Beneficia ecclesiastica non præscribuntur excepto Patronatu.*

32 *Iura spiritualia non præscribuntur à laicis.*

33 *Res sacræ non præscribuntur, &*

34 *Fines Prouinciarum, Episcopatuum, & Parochialium.*

35 *Tributorum regalium exemptionem subditi non præscribunt.*

36 *Prohibita absolutè alienari non possunt præscribi.*

37 *Res furtiua non potest à fure, nec ab emente etiam bona fide, nisi post 30. annos.*

38 *Bona fides necessaria ad præscribendum.*

39 *Bona fides .i. bona conscientia, iuxta illud:* Quod non est ex *fide .i. quod fit contra conscientiam bonam*, est peccatum.

40 *Bona fides debet esse cùm res apprehenditur, & incohatur possessio.*

41 *Conscientia dubia ab initio impedit præscriptionem, non post, si deponat dubium.*

42 *Error inuincibilis iuris clari tollit bonam fidem in foro tantùm externo.*

43 *Iuris verò dubij in neutro foro tollit bonam fidem.*

44 *Ignorantia facti non tollit bonam fidem.*

45 *Ignorantia iuris etiam clari non impedit præscriptionem fructuum.*

46 *Hæres vniuersalis ex malâ fide testatoris non præscribit.*

47 *Vtiq; successor particularis incipiendo à se.*

48 *Heredi vniuersali tantùm immediato nocet mala fides testatoris.*

49 *Qui non potest præscribere, nisi per lapsum 30. annorum.*

50 *Mala fides non legalis, sed tantùm peccaminosa impedit præscriptionem.*

51 *Mala fides testatoris non nocet legatario bonæ fidei.*

52 *Mala fides vnius personæ, vel rei non nocet respectu alterius.*

53 *Interrumpitur defectu bonæ fidei.*

54 *Interruptio alia naturalis, si desint conditiones, alia ciuilis contingens per citationem, seu litis contestationem.*

55 *Dormit, cum legitimè impeditur, ne currat.*

56 *Bona fides necessaria est etiam in immemorabili.*

57 *Bona fides requiritur etiam in præscriptione actionum, & obligationum.*

58 *Ad præscribendum pœnam delicti requiritur bona fides.*

59 *Ad seruitutes quoq; pariter requiritur.*

60 *Emens ab Ecclesiâ sine solemnitatibus rem facit suam.*

61 *Titulus saltem præsumptus. Tertia cōditio ad præscribendum.*

62 *Titulus verus dat rem sine præscriptione.*

63 *Titulus est radix, & causa aquirendi aliquid.*

64 *Titulus præsumitur, & non probatur post 30. aut 40. annos.*

65 *Nisi ius resistat, quia tunc probatur titulus, qui tamen non probatur si præscriptio sit immemorabilis.*

66 *Vnde magis necessaria est bona fides, quæ debet comitari omne tempus, non autem titulus.*

67 *Res mobiles priuatorum etiam Ecclesiæ inter præsentes præscribunt cum titulo, & bona fide triennio, inter absentes quadriennio.*

68 *Immobiles verò decennio inter præsentes, viceennio inter absentes, bonâ fide cum titulo.*

69 *Immobiles Ecclesiæ præscribuntur spatio 40. annorum, sine titulo, si ius resistat requiritur centenaria loco tituli.*

70 *Centenaria est necessaria pro Romanâ Ecclesiâ in immobilibus tantùm, mobiles requirunt tempus sub num. 67.*

71 *Monasteriorum requiritur 40. in rebus immobilibus.*

72 *Idem respectu Hospitalium, & locorum piorum.*

73 *Idem respectu legatorum piorum.*

74 *Fideicommissum in duobus differt à legato.*

75 *Missarum legata præscribi non possunt contra defunctum.*

76 *Hæres sibi non potest præscribere legatum missarum contra Capellanum.*

77 *Præ-*

77 *Præſcriptio eſt actus voluntarius, non neceſſarius.*

78 *Ignorantia probabilis excuſat heredem, & Capellanum à refectione miſſarum, & reſtitutione fructuum legati dum durat bona fides; poſt tenetur proſequi miſſas.*

79 *Præſcriptio non currit contra impeditum.*

80 *Minor numerus miſſarum præſcribitur contra defunctum.*

81 *Maior numerus præſcribitur fauore defuncti dum durat ignorantia.*

82 *Actus geſtus per errorem non nocet erranti.*

83 *Conſuetudo obligatoria non inducitur à ſingularibus perſonis.*

84 *Conſuetudo non inducitur ex errore.*

85 *Seruitus procedens ex actibus merè facultatiuis non præſcribitur.*

86 *Seruitutes mixtæ, & reales præſcribuntur decennio inter præſentes, viceennio inter abſentes, diſcontinuæ requirunt tempus immemorabile.*

87 *Officium præſcribitur ſpatio decennij inter præſentes, & vicennij inter abſentes, ſine titulo ſpatio tricennij, ſi Eccleſiaſticum ſpatio 40. annorum.*

88 *Beneficium triennio præſcribitur.*

89 *Iuspatronatus decennio, & vicennio, ſine titulo requiritur tricennium.*

90 *Actiones ciuiles, & debita laicorum triennio, Eccleſiæ quadragennio.*

91 *Principis bona ſunt in quintuplici differentià.*

92 *Bona ratione ſupremi dominij non præſcribuntur.*

93 *Neque reſeruata ſuæ dignitati.*

94 *Vtique competentia Coronæ ratione hereditatis, legati &c. centenaria præſcribuntur.*

95 *Bona fiſco incorporata centenaria, ... vicennio præſcribuntur.*

96 *Bona eidem competentia vti priuato præſcribuntur, vt alijs priuatis.*

97 *Feuda, & emphiteuſes præſcribuntur.*

98 *Facultas eſt poteſtas agendi, vel non agendi independenter, vnde eius actus ſunt voluntarij, non neceſſarij, ſed independentes à quocumq; alio.*

99 *Facultatiua non mixta actioni, ſed approbationi, aut alterius patientiæ non præſcribuntur.*

100 *Mixta verò, & pendentia ab alio præſcribuntur.*

101 *Non autem facultatiua à lege, vel priuilegio pendentia.*

102 *Religio Tertij Ordinis præſcripſit viſitationem paſſiuam à Generali Minorum.*

103 *Præſcriptio paſſiuæ viſitationis &c. habetur ſine poſſeſſione ſolo temporis curſu non agente Superiore.*

104 *Tempus præſcriptionis à die prohibitionis incipit.*

105 *Non currit præſcriptio contra iuſtam ignorantiam.*

106 *Lex etiam eccleſiaſtica decennio præſcribitur.*

107 *Præſcriptio in quibus caſibus currat, vel non currat.*

108 *Præſcriptio non datur contra actum habentem decretum irritans.*

109 *Præcedentia inter Regulares quinquennio præſcribitur.*

110 *Peccatum actuale eſt illa traſgreſſio legis tranſiens cauſans peccatum habituale, quod eſt macula relicta cum reatu pænarum.*

111 *Peccata quo ad culpam, & pænam gehennæ & cenſurarum non præſcribuntur.*

112 *Vtique quò ad accuſationem, & inquiſitionem, & pænas legales ſpatio 20. annorum. Exceptis nonnullis.*

113 *Contra Bullam Cœnæ non præſcribitur, ſed ea omnem interrumpit præſcriptionem.*

114 *Præſentia inter præſcribentem, & præſcriptum importat domicilium in eodem loco.*

115 *Currere debet de momento ad momentum.*

116 *Tutus eſt in conſcientià licet poſt lapſum temporis veniat in cognitionem rem non fuiſſe ſuam.*

IN hoc capite agendum eſt, an legata tum profana, tum pia etiam miſſarum præſcribi poſſint, ideo pro eius reſolutione præmittenda eſt exacta cognitio de materia præſcriptionis.

Quæres igitur primò quid, & quotuplex ſit præſcriptio?

℟. Ad primum, præſcriptio eſt ius vſucapiendi, & poſſidendi rem alienam capacem præſcriptionis propriam putatam bona fide, & titulo ſaltem præſumptiuè iuſto, ab eo ſcilicet, qui credebat eſſe ſuam, quam à ſe abdicare non tenetur, licet poſt tempus neceſſarium ad præſcribendum deueniat in malam fidem hoc eſt, cognoſcendo rem eſſe alienam. Quæ autem non poſſunt præſcribi referuntur à *Glos. in cap. Cum non deceat 12. de preſcript.*. & à me infra q. 9. In quæſtionibus ſequentibus explicabitur hæc definitio. Vide quæ dixi in tract. de præcedent. à num. 52. 1

Hoc autem ius præſcribendi alienum vt tale nō cognitum, ſed proprium putatum, introductum fuit iure poſitiuo ad euitandas lites, & in odium eorum, qui negligunt res ſuas, vt dicitur *in Rub. & in textu l. 1. de Vſucap. Caſtropal. de inſtit. in genere p. 22. per totum, Leſſ. lib. 2. cap. 6. Sagr. lib. 9. Clauis cap. 12. de Lugo diſp. 7. de Iuſtitià.* 2

℟. Ad ſecundum. Præſcriptio in ordine ad tempus reſpectu cuius completur, & perficitur, triplex eſt. Longi temporis. Longiſſimi

reſtringitur enim perſcriptio ad actus, per quos exercetur, & proprios facti terminos non excedit, *Bald. in l. fin. Vnum C. commun.*
10 *vtriusq. iud. num.* 8. *Iaſon ibid. num.* 37. Vnde ortum habuit hæc regula: *Tantum præſcriptum, quantum poſſeſſum*. Deducta ex *l. 1. §. Iulianus ff. de itin. & actu priuato*. Idem Rubeus loco citato.

Quæres 4. An iuramentum habeat locum in præſcriptione?

11 ℞ Iuramentum in litem non conceditur, quia qui ſe defendit tempore vtitur circumuentione, ex allatis ab eodem Paulo Rubeo *num.* 16. In caſu reſtitutionis in integrum ignorantia probatur iuramento, vt poſſit præſcriptus agere ad reſtitutionem *Rota par. 1. recent. dec. 621. num. 4. Merlin. dec. 811. fine.*

Quæres 5. An præſcriptio habeat locum non ſolum in foro externo, ſed etiam in foro conſcientiæ.

12 ℞ Affirmatiuè, quia poſſidens rem bonâ fide facit ſuam ex legitimâ iuris causâ, vnde eam in conſcientiâ ſibi retinet, & non tenetur reſtituere alteri, qui amplius dominus non eſt ex diſpoſitione legis, eſto poſt lapſum temporis à lege definiti deuenerit in cognitionem rem ſemper bonâ fide antea poſſeſſam fuiſſe alienam. Eſt communis *D. Thomas quol. 12. q. 3. & 4. ex Scoto Faber. diſp. 44. de reſtit. num. 11. Hiquæus in 4. diſt. 15. q. 2. num. 36. & 37. Barboſa ad cap. Vigilanti 5. de præſcript. num. 4. de Lugo diſp 7. num. 5. Bonac p. 2. §. 2. num. 32. Caſtropal. p. 22. §. 2. num. 3.*

Quæres 6. quot conditiones requirantur, vt præſcriptio ſit legitima in vtroque foro, & rem de alienâ faciat propriam poſſidenti eam?

13 ℞ Quatuor conditiones copulatiuè ſunt neceſſariæ. Poſſeſſio, bona fides, titulus probabiliter præſumptus, & lapſus temporis lege præfiniti. Singulæ conditiones ſunt explicandæ in ſequentibus quæſtionibus.

Quæres 7. An, & qualis poſſeſſio neceſſaria ſit ad legitimam præſcriptionem.

14 ℞ Certum eſt ad præſcribendum requiri poſſeſſionem, ita quòd non ſufficit ſolùm naturalis poſſeſſio, ſed neceſſaria eſt ciuilis cum retentione rei nomine proprio, non prohibitæ poſſideri. Nam poſſeſſio in ordine ad præſcribendum eſt appræhenſio, & detentio rei facta adminiculo animi, corporis, & iuris non reſiſtentis, per eum nomine proprio poſidentem. Itaque quatuor requiruntur ad huiuſmodi poſſeſſionem, primò apprælienſio naturalis rei, retentio ſaltem ciuilis ſecundò, tertiò nomine proprio; quartò iure non reſiſtente.

15 Prima pars de appræhenſione rei patet, quia ſine appræhenſione non contingit poſſeſſio, cuius initium ab eâ habetur per actum corporis, ponendo ſcilicet pedem ſuper rem immobilem, vel manucapiendo rem mobilem, vel verbo, aut alio actu ſenſibili inſinuante, & præferente poſſeſſionem rei non ſolùm corporalis, ſed etiam incorporalis, incorporalia enim quaſi poſidentur, immo reuerà ſimpliciter dicuntur poſſideri, dum ſolo animo verbo expreſſo fiunt ſub alterius poſſeſſione, & in hoc nulla eſt difficultas.

Quod autem poſſeſſio neceſſaria ſit ad præſcribendum, expreſsè dicitur *in l. fine 25 ff. de vſucapt. Reg. 3. in 6.* & non ſufficit naturalis quæ conſiſtit in reali appræhenſione rei corporis adminiculo, ſed neceſſaria eſt ciuilis, legalis, & iuridica, per quam res ſolo animo licet abſens poſſidetur, ita omnes *cum Barb. ad dictam reg. Caſtrop. p. 22. §. 4. num. 2. de Lugo diſp. 7. num. 12. Faber. diſp. 44. num. 19.*

Secunda pars de retentione rei apprehenſæ 16 patet, quia huiuſmodi poſſeſſio debet habere tractum ſucceſſiuum, vt præſcribi poſſit res poſſeſſa, præſcriptio autem currere debet ſuper tempus à lege præſcriptum, ergo non ſufficit momentanea poſſeſſio, ſed durare debet, vt poſſit perfici præſcriptio, quæ menſuratur poſſeſſione iuxta illius Regulam. *Tantum præſcriptum quantum poſſeſſum*, cum ſine poſſeſſione diuturnâ non detur præſcriptio, ex dictis ſupra.

Tertia pars, quòd nomine proprio poſſi- 17 deat, probatur, quia poſſidens alieno nomine, non ſibi, ſed alteri, cuius nomine poſſidet, quærit. Confirmatur, quia poſſidens alterius nomine tantùm naturaliter poſſidet, & non ciuiliter, cum poſſeſſio ciuilis ſit illius, cuius nomine alter poſſidet. Hinc eſt, quòd Procurator, Tutor, Seruus, Filiusfamilias, Colonus, Conductor, Depoſitarius &c. non poſſunt præſcribere res, quas apud ſe habent, quia in ſe non transtulerunt dominium, nec poſſeſſionem ciuilem, ſed tantùm naturalem, quæ excludit dominium, ſine quo, & ciuili poſſeſſione non datur præſcriptio. Ita *Caſtropal. p. 22. §. 4. num. 4. & 5. de Lugo diſp. 7. num. 13. Baſſæus V. præſcriptio num. 3. verſ. Secundo.*

Quarta pars, quòd poſſunt præſcribi, quæ 18 iure non prohibentur, & cum vnum contrarium ex alio cognoſcatur, videndum eſt quinam prohibeantur præſcribere, & quænam res inter dicantur præſcribi, id autem ſupponitur ex definitione poſſeſſionis, quæ eſt detentio rei adminiculo Corporis, animi, & iuris non reſiſtentis, cum ergo ius reſiſtit, & prohibet, poſſeſſio exerceri non poteſt ſiue actiuè, ſiue paſſiuè, ac proinde præſcriptio tùm locum habere non poteſt, quia ſine poſſeſſione non contingit præſcriptio. *Vnde Bonac. q. fin. p. 2. §. 2. num. 5.* id ponit pro ſecundâ conditione, quam nos coniunximus cum primâ, dum dicit ad præſcribendum requiri capacitatem actiuam reſpectu poſſiden-

tis, & paſſiuam reſpectu rei poſſidendæ. Pro cuius intelligentiâ.

Quæres 8. quis prohibeatur poſſidere, & præſcribere?

19 ℞. Ille prohibetur poſſidere, & præſcribere, qui animo caret, & inſanæ mentis eſt, dum inchoat rem appræhendere, ratio eſt, quia ad præſcribendum requiritur non ſolùm corporalis actus, ſed etiam animus, in quo conſiſtit ciuilis poſſeſſio. Dixi, *dum inchoat* nam habens vſum rationis dum rem appræhendit, & poſtea fiat amens, ſeu furioſus continuat poſſeſſionem, quia prior voluntas
20 ſibi vtilis præſumitur durare *l. iuſto 44. §. Eum, qui ff. de vſucap. l. ſi is qui 27. ff. de aquir. poſſ.* Pariter ſeruus præſcribere non poteſt, quia poſſidere non poteſt, ſed poſſidetur *ex l. ſequitur 4 § ſeruus de vſucapt. Caſtropal. § 3. num. 1. & 2.* Poteſt tamen pro ſuo domino præſcribere, *Sayr. lib. 9. cap. 12. num. 9.* Religioſus quoq; præſcribere non poteſt, dum poſſidere non poteſt nomine proprio, *Bonac. num. 7.* cum ſit incapax dominij. Sed
21 quoniam eſt communis regula, quicquid aquirit Monachus ſuo Monaſterio aquirit, ſequitur, quòd ſicut poſſidere poteſt pro Monaſterio, ita & illi præſcribere, licet ſibi neutrum agere poſſit, cum reſpectu ſui ſit horum actuum incapax.

Quæres 9. quænam res prohibeantur præſcribi? Plures quidem ſunt, & de ſingulis aliquid dicemus;

22 ℞. Primò, homo liber præſcribi non poteſt, *l. vſucaptionem 9. de vſucapt.* quia homo liber ſub nullius dominio eſſe poteſt, *Inſtit. eod. tit. §. 1.* ita omnes docent *Sayrus lib. 9. clauſ. cap. 12. num. 3. verſ. primo, Caſtropal. §. 15. num. 1.* Dixi homo liber, quia ſeruus præſcribi poteſt, *l. fin. de vſucapt.*

Dices, Religioſus eſt homo liber, neq; enim profeſſione perdit libertatem, cum non fiat ſeruus, & tamen à Religione, in qua profitetur, præſcribitur, vt colligitur ex *Trident. ſeſſ. 25. cap. 19.* & probatur, quia in eo concurrunt quatuor conditiones, nam profeſſus à Religione poſſidetur, *Gloſſ. V. poſſidere cap. non dicatis 11. 12. q. 1.* & quidem bona fide, dum putat eſſe validè profeſſum, iuſto quoq; titulo profeſſionis, ergo quinquennio lapſo illum ſibi præſcribit, ex quo poſt illud tempus volens reclamare non auditur, cum præſumatur iuſtè poſſeſſus à Religione, non obſtante nullitate profeſſionis.

23 ℞. In textu ne verbum quidem de præſcriptione fieri, per quam dominium prætio æſtimabile ab vno transfertur rei in alium; ſed translatio profeſſi à ſtatu laicali, ſeù medio ad ſtatum Religioſorum fit ſine prætio mediante profeſſione, & in ipſo actu profeſſionis perfectè aquiritur Religioni, ergo non habet locum præſcriptio, quæ in aquirendo habet tractum ſucceſſiuum, ita quòd inchoatione poſſeſſionis non aquirit perfectè præſcribens dominium rei, ſed tunc cum tempus lege præſcriptum labitur. Ad argumentum reſpondetur, deficere primam conditionem, quia in ipsâ inchoatione poſſeſſionis per titulum profeſſionis in momento aquirit Religio dominium profeſſi, ſi fuit valida profeſſio, & etiam ſi non fuit valida præſumitur perfecta aequiſitio eius etiam in momento. Tridenti- 24
num autem negat audientiam, non quia ſit præſcriptum illius dominium Religioni, ſed quia præſumit, illum ratificaſſe profeſſionem apud Deum, vt docet *Sanch. lib. 7. diſp. 37. num. 9. vide de Lugo diſp. 7. num. 9.* vbi ait contra nulliter profeſſum non poſſe in conſcientiâ præſcribi, quia ad aquirendum verè hunc ſtatum Religionis requiritur perſonalis conſenſus profeſſi, qui abeſt ex nullitate profeſſionis. Vnde præſumptio validæ profeſſionis locum habet tantùm in foro externo ex quo reſpondet ad obiectionem, quam ſibi fecit, præſcriptionem habere quidem locum in vtroq; foro, ſed ex Tridentino non haberi, Religioſum nulliter profeſſum præſcribi à Monaſterio poſt quinquennium, ſed ſolùm ipſum præſumi ratificaſſe profeſſionem, non Monaſterium illam ſibi præſcripſiſſe, cum de nullâ non poſſit fieri valida ſolo lapſu quinquennij, dum requiritur formalis conſenſus profeſſi in eam, & non ſufficiat præſcriptio, quæ hìc locum non habet.

Secundò ſubditus ſibi præſcribere non po- 25
teſt exemptionem à ſuo Prælato regulari, vel Epiſcopo, quia iure naturali illis promiſerunt obedientiam contra quam præſcriptio nihil poteſt, *cap. cum non liceat 12. de præſcript.* ius enim publicum præſcribi non poteſt cuiuſmodi eſt poteſtas Superioris in ſubditum, qui nullo pacto ab ea ſe eximere poteſt. Nihilominus à ſubditis præſcribi poteſt obedientia per traslationem ad alium Superiorem, in quo caſu licet, quia non perdunt ſubiectionem, ſed mutant Superiorem, *cap. cum olim 18. de præſcript.* Eſt communis *apud Sayr. num. 5. §. ſecundò. Caſtropal. §. 15. n. 1.*

Tertiò, viſitatio, & procuratio debita 26
Epiſcopo, ſeu alij Superiori à ſubditis præſcribi non poteſt, obſtante *cap. cum ex officij 16. de præſcript. vbi Barb. num. 2. citat. Doctores, Sayr. cit. Caſtropal. num. 2.*

Quartò, Sacerdos non poteſt præſcribere 27
celebrationem miſſæ pulſatis campanis in Eccleſiâ tempore interdicti. Deducitur *ex cap. Alma mater, de ſent. excom. in 6. Gloſ. V. Conſuetudine. cap cum inter. de conſuet. Sayrus cit. verſ. Tertio, Caſtropal. num. 1.*

Quintò, Eccleſiæ, Oratoria publica, Mo- 28
naſteria, & alia loca pia præſcribi non poſſunt, cum ſint loca publica *l. Vſucaptorum 9. ff. de vſucapt. Sayr. cit. verſ. quarto.*

Sextò, res profanæ ad publicam vtilita- 29
tem deſtinatæ, vt viæ, pontes, plateæ &c.

præ-

præscribi non possunt, *l. Vsucapionem 9. ff. de Vsucap. l. Præscriptio C. de operib. publicis*, etiamsi populus desinat eis vti, *l. viam ff. de vià publicà Castropal. §. 15. num. 1. de Lugo num. 145. Sayr. num. 3. vers. quinto.*

30 Septimò, ius percipiendi decimas, primitias, oblationes &c. laicus præscribere non potest, *cap. causam 7. de præscript.* quia non potest possidere spiritualia, cuiusmodi est hoc ius, ergo nec præscribere; ratio quoq; est, quia hæc dantur ministris tantùm ecclesiasticis propter administrationem Sacramentorum. Ita *Barb. ibid. cou. lib. 1. variar. cap. 17. n. 5. Sayr. nu. 4. vers. quartò* quamuis laici sint incapaces iuris percipiendi decimas, *ex citato cap. & ex cap quamuis 17. de decimis.* Potest tamen Episcopus ex iustâ causâ concedere etiam ad vitam alicui fructus, non tamen ius percipiendi illas, ex communi Barbosa *ad hoc cap. 17. num. 4.* & ad aliud, vbi alia dicit. Dico ius percipiendi decimas, quia potest sibi præscribere ius non soluendi illas ex tolerantià, & patientià Parochi, hoc enim ius cum se teneat ex parte laici Spirituale non est. Dixi, laicum non posse præscribere ius actiuum, quia Parochus contra Parocum potest præscribere, cum sit capax iuris spiritualis, *cap. ad aures 6. de præscript.* requirens spatium quadraginta annorum, ibidem Barbosa.

31 Octauò, Beneficia ecclesiastica, excepto Beneficio Iuspatronato, non præscribuntur nisi per clericos, cum ea possederint pacificè per triennium *ex Reg. 33. Cancell.* quam latè explicat de *Lugo disp. 7. num. 103. vsq. 137.* non autem per laicos, cum sint incapaces iuris spiritualis. Prescribere verò possunt Laici Iuspatronatum, ex quo possessores esse possunt huiusmodi, ac proinde præscribere, solent enim originem trahere à bonis laicalibus, ideo illis permittitur præscriptio ob bonum publicum. Ita *Conar. in Reg. possessor par. 2. §. 10. num. 2. Roland. à Valle lib. 1. cons. 47. num. 31. cum alijs Barbosa ad cap. causam 7. de præscript. num. 9. Castropall. §. 13. num. 12.* requirit quadragenariam, vt dicunt ibidem. Permittitur ergo præscriptio, quia Ecclesiæ parùm refert habere hunc, vel illum in patronum, vnde præiudicium fit solùm vero patrono. Quare in re præstandi, & nominandi datur præscriptio, dum non Ecclesiæ, sed tantum patrono sequitur præiudicium.

32 Nonò iura spiritualia dependentia à potestate Ecclesiasticà nullatenus præscribi possunt à laicis, quia sunt incapaces huiusmodi iuris. Ita omnes cum *Sayro cap. 12. num. 4. de Lugo num. 144.* Immo nec Sacerdos simplex sibi præscribere potest ius conferendi Ordines, & confirmationis Sacramentum, cum dependeant à potestate ordinis, quæ ab vno ad alium transferibilis non est per præscriptionem sed tantùm per collationem ordinis, aut id fiat ex supremà Pontificis potestate. Vide præcitatum de Lugo.

Decimò, res sacræ prohibentur præscribi, 33
ex l. Vsucaptionem, 11. ff. de Vsucap. intellige per laicos, cum Deo omnino sint dedicatæ. *Sayr. num. 8. Angel. V. Præscriptio num. 21. Panor. in cap. cum non liceat, de præscrip.* Quare laicus non potest præscribere calicem, paramenta, & huius generis existentia in dominio Ecclesiæ; hæc verò, & alia vna Ecclesia contra aliam præscribere potest, *cap. ad aures 6. de præscript. vbi Barb. citat. Doctores num. 3.*

Vndecimò, fines Prouinciarum, Paro- 34
chialium, & Episcopatuum cum suis inhærentijs à nullo præscribi possunt, quando de eis certò constat, *cap. Euicumq. ibi Glos. V. Prouinciam, cap. licet in regulis, cap. inter memoratos 16. q. 3. cap. super eo 4. de Paroch.* vbi Barbosa citat Doctores, quibus addo *Castropal §. 15. num. 1. de Lugo num. 143.*

Duodecimò, subditi non possunt sibi præ- 35
scribere exemptionem à solutione tributorum, & censuum debitorum Principi in recognitionem supremæ potestatis, & propriæ subiectionis, *l. competit. C. de præscript. trig. est communis apud Sayr. lib. 9. cap. 12. num. 5. vers. sexto, de Lugo disp. 7. num. 137.* Dixi subditi, quia alij præscribere possunt.

Decimotertiò, prohibita absolutè aliena- 36
ri, vt feudalia, maioratus, fidei commissum, in præiudicium vocatorum vllo vnquam tempore præscribi possunt. Ita *Conar. in Reg. Possessor par. 3. §. 3. concl. 3. cum alijs Castrop. §. 15. num. 3.* Nisi obstet immemorabilis, quæ habet vim tituli, & præsumptionis adfuisse omnia requisita ad iustam aquisitionem, *ex adductis ab eodem Castropal. num. 5. & suprà hic num. 5.*

Decimoquartò, res furto, vel rapinà abla- 37
ta, siue mobilis, siue immobilis præscribi non potest à fure, vt certum est, cum sit ab initio possessor male fidei. *Instit. de vsucap. §. Furtiua quoq; res l. Sequitur 4. §. quod autem ff. de vsucapt.* Immo nec ab emptore immediato, nec mediato, licet bona fide immediatus emat à fure, & mediatus ab immediato eadem bonà fide, vt colligitur ex *Instit. cit.* ibi: Quod autem dictum est, furtiuarum, & vi possessarum rerum vsucaptionem per leges prohibitam esse, non eo pertinet, vt ne ipse fur, quiue per vim possidet, vsucapere possit; nam his alia ratione vsucaptio non competit, quia scilicet malà fide possident, sed ne vllus alius, quamuis ab eis bona fide emerit, vel ex alià causà acceperit vsu capiendi ius habeat. Pondera ea verba: *Sed ne vllus alius, quamuis ab eis bonà fide emerit* quæ insinuant, quod dixi, nimirum nec mediatum emptorem bonæ fidei vsucapere pos-

se, est enim vniuersalis negatiua excludens quemcumq; emptorem. Sic docet de *Lugo disp. 7. num. 139.* quod numero 143. intelligit non posse præscribere intra tempus ordinarium scilicet intra decennium, aut vicennium, vtiq; per lapsum triginta annorum, vt docet *Glos. dicta Instit. V.* prædicto, iuribus ibi citatis.

Quæres 10. In quo consistat bona fides necessaria ad præscribendum?

38 ℞. Certum est, bonam fidem esse necessariam ad præscribendum expresse *cap. vigilantis 5. cap. fin. de præscript. Reg. 2. in 6.* vbi, quòd possessor malæ fidei vllo tempore non præscribit. Et cum hæc propositio sit negatiua vniuersalis, & includat omne tempus, necessariò sequitur, quòd mala fide possidens per quodcumq; tempus, etiam per mille annos, rem possessam non potest præscribere, nec rem alienam semper talem facere suam, talis enim retentio furtiua est contra diuinum præceptum negatiuum. *Furtum non facies*, quod semper, & in perpetuum obligat ad non furandum, & ad restituendum alienum retentum, furtum enim committitur non solùm auferendo, sed etiam detinendo alienum, *Scotus in 4. dist. 15. q. 2. num. 28. vers. de primo, tom. 9.*

39 Bona autem fides est bona conscientia, sicut mala fides est mala conscientia, fides autem sumitur pro conscientia iuxta illud ad *Roman. 14. fine: Omne quod non est ex fide* .i. quod fit contra conscientiam, *peccatum est*, quia obligatio est operandi secundùm rectam conscientiam, quæ bona conscientia dicitur. Fides autem bona in re hac, est prudenter credere, rem à se possessam esse propriam, & non alienam, seu probabiliter ignorare esse alienam. Est communis, *Faber disp. 44. num. 21. Castropal. §. 6. de Lugo disp. 7. sect. 3. à num. 16. Bonac. disp. 1. de restit. 9. fin. p. 2. §. 2. num. 14. Sayr. lib. 9. Clauis cap. 12. num. 12.*

40 Ista autem bona fides debet adesse cum inchoatur possessio rei, & perseuerare in possidente vsq; ad lapsum temporis præfiniti à lege, aliter adueniens mala fides interrumpit cœptam præscriptionem, & eàm omnino destruit, itaut amplius continuari non possit, nisi mala fides contingat ex errore, quo cognito, cessat mala fides conuersa in bonam, ac proinde continuatur præscriptio. Ita *Sayrus cap. 12. num. 12. vers. quando autem. Bonac. cit. num. 17.*

Quæres 11. An conscientia dubia impediat præscriptionem, & eam interrumpat?

41 ℞. Cõscientia dubia initio possessionis rei impedit præscriptionem, quia incipiens possidere cum dubio an res sit sua non habet bonam, sed malam fidem, ergo præscribere non potest, *ex l. bona fidei 48. ff. de aquir. rerum dom. Castropal. §. vlt. num. 1. Lessius lib. 2. cap. 6. dub. 3. Fachin. cap. 65. lib. 1. controu.*

Si verò dubium superueniat post inchoatam possessionem, præscriptio non interrumpitur; sed vlterius durat, quia bona fides non interrumpitur, ergo vlterius durat præscriptio, cum enim possidens adhibet debitam diligentiam ad videndum an res sit sua, an aliena, & dubium vincere non potest, subintrat regula: In dubio melior est conditio possidentis. Ita *Faber. disp. 44. num. 23. & 24. Castropal. §. 7. num. 1. vers. sed ob prædictum. Sayrus cap. 12. num. 14. Bonac. num. 20.* Contra nonnullos apud dictum Castro, palaum.

Sed quid dicendum, si post adhibitam diligentiam possidens credat se esse obligatum rem dimmittere? Dico, in hoc casu amittere bonam fidem, & non posse vlterius præscribere, sed cessare ab ea, quia talis conscientia destruit bonam conscientiam, dum noluit dimittere conscientiam dubiam persuasione illius axiomatis. *In dubio melior est conditio possidentis.* Ita *de Lugo num. 27. Castropal. §. 7. num. 3.* dicentes spectato iure non solùm ciuili, sed etiam naturali, & Canonico præscriptionem interrumpi, quia illud iudicium quamuis erroneum reddit malam conscientiam, & peccaminosam, *ex l. si fur §. 1. de vsucapt.*

Quæres 12. An error inuincibilis iuris tollat bonam fidem, & præscriptionem?

℞. Affirmatiuè, quando ius est clarum, & quidem in foro externo tantùm, non in foro conscientiæ. 42

Prima pars clara est in *l. 4. ff. de iuris, & facti ignor.* his verbis: *Iuris ignorantiam in vsucaptione negatur prodesse, facti verò ignorantiam prodesse constat.* Vide *Castropal. §. 8. per totum, Bonac. §. 2. num. 19. Fabrum disp. 44. num. 26. de Lugo num. 23. vers. communior. Sayr. num. 22.*

Secunda, quod procedat in foro externo tantùm, probatur, quia in *cap. Vigilanti 5. & cap. fin. de præscript.* dicitur, solùm malam fidem, quæ peccatum mortale constituit, excludere bonam fidem, ergo cum ignorantia inuincibilis huiusmodi non sit peccatum mortale, non destruet bonam fidem, neq; præscriptioni nocebit. Ita *Medina C. de restitut. q. 17. prope finem, Molina cum Lessio lib. 1. cap. 6. num. 17.* quorum opinionem reputat probabilem *Castropal. §. 8. num. 7. de Lugo num. 29.*

Quæres 13. An error inuincibilis iuris obscuri, & dubij tollat bonam fidem, & præscriptionem?

℞. Negatiuè, quia talis ignorantia non dicitur iuris, cum de ratione legis sit quod sit clara, & manifesta, cum non consistat in opinione Doctorum, hæc ergo ignorantia non constituit possessorem in malâ fide, sed adhuc dicitur habere fidem bonam. Ita omnes 43

apud

apud *Castropal §. 8. num. 3. Bonac. num. 19. vers. resp. 2. de Lugo num. 29. Faber. disp. 44. num. 26. Bassus num. 6. Sayr. num. 23.* Sequendo enim in hoc opinionem Doctoris asserentis legem non habere locum in eo casu, prudenter agit, ac proinde bonam fidem habet.

Quæres 14. An ignorantia facti tollat bonam fidem?

44 ℞. Negatiuè, ita expressè *cit. l. iuris 4. de ignor.* iuris relata sub *q. 12.* Est communis apud mox præcitatos. Quare emens rem ab Episcopo, vel alio Prælato credens præstitum fuisse consensum ab eius Capitulo; vel à minore, quem putabat maiorem, ritè præscripsisset, quia in his casibus ignorantia cadit super factum, non super ius. *Bonac. num. 19. vers. hinc sequitur.*

Quæres 15. An ignorantia iuris licet clari impediat vsucaptionem fructuum eius rei, quæ vsucapi non potest, & tollat bonam fidem?

45 ℞. Non, quia hæc ignorantia non cadit super ipsum ius præcisè, sed super receptionem ipsorum fructuum, & sic est ignorantia potius facti, quam iuris. Ita *ex l. bonæ fidei 48. ff. de aquir. rer. dom. Bonac. num. 19 Castropal. §. 8. num. 4.* Et alij apud præcitatos.

Quæres 16. An mala fides testatoris noceat hæredi succedenti cum bonà fide, ita ut non possit vsucapere, & præscribere rem alienam?

℞. Hæres vniuersalis siue suus, siue extraneus; immediatus, quamuis habeat bonam fidem non potest præscribere bona testatoris, quæ malà fide possidebat, intellige præscriptione ordinariâ, posse verò præscribere extraordinariâ lapsu triginta annorum, mediatus verò hæres præscribere potest stante eius bonà fide ab ipso incipiendâ, & finiendâ tempore ordinario. Intellige in foro externo.

46 Prima pars, quòd hæres vniuersalis non præscribat cum suâ bonà fide, probatur per *tex. in l. cum hæres 11. ff. de diuers. & tempor. præscript. l. nec vsufructuarium C. de vsufr. instit. de vsucapt. §. Diutina* Ratio est, quia cum hæres repræsentet eandem personam cum defuncto, participat etiam eandem eius malam fidem, & sic cum eo non potest vsucapere, nec præscribere. Est communis *Canon. in cap. si diligenti de præscript. vbi Abbas Anton. & Felin. Andreas Facbin. lib. 1. contr. cap. 66. cum alijs Castropal. §. 9. initio, Rodriq. par. 2. cap. 23. num. 2. Bassaus num. 7. Faber. disp. 44. num. 27. de Lugo disp. 7. num. 59.*

47 Secunda pars, quòd successori non noceat particulari &c. probatur *ex cit. cap. cum hæres ff. de diuersis, & tempor. præscript.* illis verbis *cum hæres in ius omne defuncti succedat* & infra. *Tamen vsucapere non poterit, quòd defunctus non potuit.* Hæres autem particularis non dicitur succedere in omne ius defuncti, ergo negatio vsucaptionis afficit solùm hæredem vniuersalem, non particularem. Ita præcitati.

Tertia pars, quòd mala fides testatoris noceat solùm immediato hæredi, & non hæredi primi hæredis, probatur, quia ex vno eodemque capite duplex fictio reprobatur, *ex Bartolo in l. is, qui pro emptore, de vsucapt. q. fin.* ergo & in casu isto, consequenter nihil prohibet, quin mediatus hæres cum suà bonà fide possit inchoare vsucaptionem. Ita *Crotus in l. Pomponius §. cum quis, ad finem ff. de aquir. possess. Couar. par. 2. §. 9. num. 6. Castropal. §. 9. num. 5. Bonac. num. 21.* 48

Quarta pars, quòd vniuersalis hæres immediatus non possit præscribere ordinariâ præscriptione decennij, vel vicennij, sed vltra triginta; probatur ex textu dictæ legis *cum hæres 11.* in fine enim dicitur: *Idem iuris est, cum de longà possessione quæritur; nec enim rectè defendetur, cum exordium rei bonæ fidei ratio non tueatur.* Longa autem possessio ad præscribendum est decennium inter præsentes, & vicennium inter absentes, iuxta *tit. C. de præscriptione longi temporis decem, aut viginti annorum.* Relatiuè ad sequentem titulum. *De præscriptione triginta, vel quadraginta annorum.* Horum enim annorum præscriptio vocatur extraordinaria, illorum verò longa, & ordinaria, & dixi sub *q. 1. hic.* Ita *Glos. in reg. cum quis in 6. Bald. in l. nihil C. de vsucapt. Aretinus, & Crotus in l. Pomponius §. cum quis ff. de aquir. possess. Lessius lib. 2. cap. 6. num. 42.* 49

Contrarium tenent alij, numquam scilicet huiusmodi hæredem posse præscribere, quos sequitur *Castropal. §. 9. num. 3.* Quia à malà fide defuncti continuò impeditur, cum eius repræsentet personam, & continuat eius possessionem infectam, quæ purgari non potest per longissimum tempus, ergo numquam præscribere potest, dum perpetuò manet ea mala fides testatoris. Sed respondetur, quòd cum mala fides sit tantum ex parte testatoris, non ex parte hæredis nisi legalis, non autem peccaminosa, quam requirit lex Canonica *ex cap. Vigilanti 5. & cap. fin. de* 50
præscript. ideo non potest impedire vsucaptionem nisi legalem, non autem Canonicam, dum hæres incipit possidere bonà fide suà, cui in hoc non habet nocere mala fides testatoris, qui suum peccatum communicare non potest successori. Præterea falsum est, possessionem infectam continuari in successore siue vniuersali, siue particulari, vt probaui *cap. 1. num. 72.*

Quare ex his infertur, hæredem, & successorem siue vniuersalem, siue particularem stante eius bonà fide in foro conscientiæ vsucapere, & præscribere illud, quod malà fide pos-

Digitized by Google

poſſidebat eius auctor, ex quo ad hunc forum animæ in hoc neceſſaria eſt mala fides non legalis, ſed Canonica, ſecundùm quam poſſidebat cum peccato ſciens eſſe rem alienam.

Quæres 17. An mala fides teſtatoris noceat legatario exiſtenti in bonâ fide, ita quòd non poſſit vſucapere, & ſibi præſcribere legatum?

51 ℞. Non nocere, ſed poſſe ſibi vſucapere, & præſcribere legatum ſtante eius bonâ fide, quia eſt hæres ſolùm particularis, & non vniuerſalis, cui ſoli lex, de qua initio præcedentis quæſtionis prohibet vſucaptionem, & non ſingulari, vt probaui ſub num. 43. ergo præſcribere poteſt, ſtante eius bonâ fide, quæ non poteſt infici à malâ fide teſtatoris. Ita *Bonac. num.* 21. *de Lugo num.* 59. *Faber. num.* 27.

Quæres 18. An mala fides reſpectu vnius perſonæ, vel rei impediat præſcriptionem reſpectu alterius perſonæ, vel rei?

52 ℞. Negatiuè, quia ad impediendam præſcriptionem requiritur mala fides, & quidem peccaminoſa ex probatis q. 16. ſub verſ. Contrarium, ſed mala fides vnius quò ad peccatum transfundi non poteſt in habentem bonam fidem, vt patet, ergo mala fides vnius non impedit alterius præſcriptionem. Vide *Caſtropal.* §. 10. diſtinguentem. Sed ratio vniuerſaliter probat.

Quæres 19. Quomodo præſcriptio interrumpatur defectu bonæ fidei, ſeu etiam defectu tituli?

53 ℞. Bene capta poſſeſſio rei alienæ ad ſui præſcriptionem requirit, vt poſſidens continuò maneat in bonâ fide, & titulo quouſq; lapſum ſit tempus neceſſarium de iure ad præſcribendum, aliter ſi bona fides ceſſat adueniente malâ fide, ſtatim præſcriptio ceſſat, & extinguitur, dum ei deficit vnum ex ſubſtantialibus; vnde Doctores dicunt, quòd
54 præſcriptio interrumpi poteſt duobus modis, naturaliter, *ex l. naturaliter* 5. *de Vſucap.* & ciuiliter, ſcilicet citatione, aut litis conteſtatione. Ita omnes cum *Couar.* §. 12. *num.* 4. *concl.* 1. *Molina diſp.* 78. *Leſſio lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 49. *Caſtropal.* §. 16 *num.* 2. & 3. *Lugo num.* 150. *Barb. ad cap. illud* 8. *de præſcript.* ait interrumpi etiam extraiudicialiter, quando proteſtationes tales ſunt, quæ poſſint inducere malam fidem quod meo iudicio eſt interrumpere naturaliter, defectu ſcilicet bonæ fidei.

Quæres 20. Quid ſit præſcriptionem dormire?

55 ℞. Tunc præſcriptio dormit, & non currit contra præſcriptum, quando impeditur benè capta poſſeſſio ab initio, e g. tempore hoſtilitatis, ſchiſmatis, peſtis &c. *ex cap. ex transmiſſa* 10. *de præſcript. ibi Barb. Caſtropal.* §. 16. *num.* 1. *de Lugo num.* 149. infra q. 51.

Quæres 21. An bona fides neceſſaria ſit in præſcriptione immemorabili? De immemorabili ſupra num. 5.

56 ℞. Affirmatiuè, & colligitur *ex cap. Vigilantis* 5. *de præſcript.* ibi: *Quoniam nulla antiqua dierum poſſeſſio iuuat aliquem malæ fidei poſſeſſorem. Reg.* 2. *in* 6. *Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit.* Negatiue enim expreſſa in his legibus perpetuum tempus compræhendit, ergo & præſcriptionem immemorabilem, quæ non admittitur cum malâ fide. Ratio eſt, quia iure naturæ prohibetur furtum, qualis eſt retentio rei alienæ vt talis cognitæ, & ſic cum malâ fide. *Caſtropal.* §. 6. *num.* 1. *citanſ. Gloſ. V. niſi de præſcriptionib. cap.* 1. *in* 6. *vbi de communi Doctorum Barb. num.* 15.

Quæres 22. An bona fides requiratur in præſcriptione actionum, & obligationum, ſicut in præſcriptione rerum?

57 ℞. Affirmatiuè, quando actiones, & obligationes ex ſuâ naturâ referuntur ad agendum, vel non agendum, vt ad ſoluendum debitum ex contractu, vel alter contractum. Item ad abſtinendum à venatione; piſcatione, paſtu beſtiarum, ab electione &c. circa quæ nullum habetur ius, in his ergo aquirendis neceſſaria eſt bona fides. Ratio eſt, quia iura, de quibus in præcedenti quæſtione, abſolutè, & indifferenter requirunt bonam fidem in quauis aquiſitione, & vſucaptione, ſiquidem loquuntur de poſſeſſione, quæ compræhendit non ſolum res, ſed etiam actiones, & obligationes rerum, illæ enim ſunt capaces paſſiuæ poſſeſſionis, ſicut res corporales; Ita *Couar. par.* 2. §. 11. *Fachin. lib.* 1. *contr. cap.* 63. *cum alijs Caſtrop.* §. 6. *num.* 3. *Layman lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 1. *cap.* 8. *num.* 12. *ex eodem Caſtrop. num.* 4. *de Lugo diſp.* 7. *num.* 49.

Quæres 23. An requiratur bona fides ad præſcribendam pœnam debitam ex delicto? Vide infra q. 54.

58 ℞. Requiri, & in eo conſiſtere, dum iudicat, ſe non teneri ad eam ſoluendam, niſi poſt condemnationem, & exactionem faciendam per eos, ad quos ſpectat illam exigere, vnde ſi non exigatur, dicitur illius debitor illam ſibi vſucapere, & præſcribere, non obſtante, quòd ſciat, ſe illius eſſe debitorem, quia ſcientia hæc non tollit bonam fidem, eo quòd non inducat obligationem ad ſoluendum, ſed tantùm ad ſoluendam executionem contra ſe faciendam. Ita *Couar. par.* 2. §. 11. *num.* 5. *Molina diſp.* 66. *tract.* 2. *Leſſius lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 6. *ex illis Caſtropal.* §. 6. *verſ. aliud. de Lugo diſp.* 7. *num.* 50. Excipitur caſus hæreſis, nam hæredes non poſſunt præſcribere, ſi habeant cognitionem hæreſis, vtiq; verò ſpatio 40. annorum, ſi ignorauerint hoc tempore, *cap.* 2. *de præſcript in* 6. & *cap. Accuſatus* §. *penul. de hæret. in* 6. vtrobique Barboſa, *de Lugo*, &

Caſ-

Caſtrop. cum alijs.

Quæres 24. An ſine bonâ fide præſcribantur ſeruitutes ruſticales?

59 ℞. Requiri etiam in his bonam fidem, quæ cenſetur eſſe, dum patiens ſeruitutem nihil obſtat; ſed patitur, & tolerat alium tranſire per ſuum fundum, ducere aquam, venari, piſcari, paſcere aliena animalia. Ita *citatis q. 22. Caſtropal. §. 6. num. 5. de Lugo diſp. 7. num. 51. ad 55.* Sed præſcriptio huiuſmodi non eſt ſecura quia patiens videtur ex gratiâ permittere prædictos actus, licet ſint ſibi præiudiciales.

Quæres 25. An emens a Rectore Eccleſiæ ſiue ſecularis, ſiue regularis ſine requiſitis ſolemnitatibus ſcienter, emptum faciat ſuum, & præſcribat, non obſtante contractus nullitate ex extrauag. Ambitioſæ de rerum alien. & Decreto contra Regulares alienantes ſine licentiâ Congregationis?

60 ℞. *Leſſius lib. 21. cap. 6. dub. 5.* in fine, quod ſi emat à Prælato rem Eccleſiæ, putans Capitulum coſenſiſſe, poteſt præſcribere, quia eſt error facti, reſpectu cuius præſcriptio locũ habet, iuxta dicta hic *q. 14. n. 44.* Si verò putaſti non requiri cõſensũ Capituli eſt error iuris, ac proinde non præſcripſiſti, niſi fructus, ſecundùm *Couar. §. 7. num. 6.* intellige tempore ordinario. Quare in caſu noſtro cum habeat malam fidem, in quantum ſcit requiri ſolemnitates à dictis iuribus preſcriptas nõ præſcribit.

Ego autem dico, emptorem rem Eccleſiæ feciſſe ſuam, ſi iuſtum pretium ſoluit, non obſtante nullitate contractus, quia alienatio ſine ſolemnitatibus facta, eſt ſolùm nulla, ſi Eccleſia velit; ſecus ſi Eccleſia velit ſtare alienationi, emptor eſt verus dominus rei emptæ, ſiue bonâ, ſiue malâ fide. Ita fere omnes cum deciſionibus Rotæ apud Theodoſium Rubeum de alienat. *num. 2. fol. 243.*

Quæres 26. An, & qualis titulus ſit neceſſarius ad præſcribendum? Eſt autem tertia conditio ad validè præſcribendum.

61 ℞. Requiritur titulus, non eſt tamen neceſſarius verus, & iuſtus, ſed ſufficit præſumptus, non eſt autem probandus, ſed præſumitur poſt lapſum triginta annorum, duobus ſuppoſitis; s. bonâ fide, & non reſiſtentia iuris prohibentis alienationem, quòd ſi ius reſiſtat, & adſit bona fides, requiritur præſcriptio immemorabilis, vt titulus præſumatur.

62 Prima pars de titulo vero non neceſſario, probatur, quia quando titulus eſt verus, iuſtus, & validus ex parte rei e. g. ſi vera eſt emptio, donatio, &c. non eſt neceſſaria præſcriptio ad aquirendum dominium, cum habeatur ex verà venditione, *Gloſ. V. Iuſtus titulus cap. cum olim 18. de præſcript.* habens enim iuſtum titulum ſecurus eſt, & non eget præſcriptione *de Lugo diſp. 7. num. 13. Caſtropal. §. 5. num. 2. verſ. ad vſucaptionem. Leſſius lib. 2. cap. 6. num. 8. Bonac. p. 2. §. 2. num. 22.* Et alij omnes requirentes titulum apparentem iuſtum, probabiliter talem reputatum propter bonam fidem, ſi enim appareret falſus, & nullus; nihil præſcribi poſſet ex malâ fide.

Titulus autem dicitur radix, & cauſa ex qua oritur ius ad aquirendum aliquid. Eius generis ſunt omnes contractus, donatio, hæreditas, legatum &c. pariter inuentio rei in domo eſt ſufficiens titulus, quòd res ſit ſua, vnde in iure reperitur *is tit. Pro ſuo*, qui dici poteſt titulus generalis ad quamlibet aquiſitionem, aquirens enim rem, facit ſuam. Vide *Caſtropal. §. V. num. 2.* 63

Secunda pars, quòd titulus præſumatur adfuiſſe initio vſucaptionis poſt lapſum triginta aut quadraginta annorum in reb. Eccleſiæ, probatur *à Couar par. 2. §. 5. & 8. apud Caſtropal. §. 5. num. 5. & §. 12. num. 7. Bonac. num. 24. de Lugo num. 13.* Vide *Barb. ſuper primum cap. de præſcript. in 6.* vbi multa congerit, & quando probandus titulus etiam poſt longiſſimum tempus. 64

Tertia pars, quòd requiratur immemorabilis, quando ſuppoſitâ bonâ fide ius reſiſtit, probatur, quia ipſa tanti temporis, cuius initij memoria non extat, rationem habet tituli. Ita *Couar. par. 2. §. 3. Silu. V. præſcriptio 1. num. 3. apud Bonac. num. 25. de Lugo num. 13. Caſtropal. num. 11. Paſqual. q. 1191. num. 3.* 65

Quæres 27. An magis ſit neceſſaria bona fides, quam titulus?

℞. Vtique, quia ſine bonâ fide numquam præſcribitur, etiamſi per mille annos fuiſſet in poſſeſſione cum malâ fide, quæ per nullum tempus etiam infinitum purgari poteſt, cum foueat iniquitatem; ſed ſine titulo poſt poſſeſſionem 30. annorum, aut quadraginta reſpectu rerum Eccleſiæ, præſcribitur. Ad præſcribendum verò tempore ordinario longi temporis decem, aut viginti annorum præter bonam fidem requiritur etiam titulus. Ita *Bonac. p. 2. §. 2. num 24. de communi.* 66

Quæres 28. Quoti anni requiruntur ad præſcribendum res mobiles? Res mobiles quò ad hoc ſunt non ſolùm res, quæ loco mouentur, corporales, ſed etiam incorporales, vt ius, & actiones ad eas comparandas, & obligationes ad eaſdem ſoluendas?

℞. Res mobiles ſiue priuatorum, ſiue Eccleſiarum cum titulo, & bonâ fide, ſpatio trium annorum præſcribuntur inter præſentes, ſpatio verò quatuor annorum inter abſentes. *Ita ex l. Vn. C. de vſucapt. transform. inſtit. de vſucapt. §. 1. Auth. quas actiones C. de Sacroſ. Eccleſ.* Ita omnes cum *Couar. par. 2. §. 2. num. 5. Caſtropal. §. 11. num. 2. Fabro diſp. 44. num. 35. Sayro lib. 9. cap. 12. num. 25. Bonac. diſp. 1. de reſtit. q. fin. p. 2. §. 2. num. 28. Baſſeo V. præſcriptio. num. 11. de Lu-* 67

go

go disp. 7. num. 69. Si verò res mobiles caret titulo, vel sit furtiua, stante semper bonâ fide, non præscribitur, nisi spatio triginta annorum, etiam si sit res Ecclesiæ, quia in hoc nullam habet priuilegium res Ecclesiæ diuersum à re profanâ, licet res mobilis esset Ecclesiæ Romanæ, *ex allatis à Castropal. num. 1. 4. 5. & 6. Barb. ad cap. 14. de præscript. num. 4.* infra nonnullos.

Quæres 29. Quoti anni requiruntur ad præscribendas res immobiles priuaturum? Nomine rerum immobilium hìc veniunt non solùm fundi, domus &c. sed etiam census, annui redditus, vsufructus, seruitutes, iura, & actiones ad ipsa immobilia.

Notandum est, quod annui redditus, & annua legata alio modo præscribuntur quàm semel soluenda, nam hæc præscribuntur totaliter lapso tempore præscripto, illorum verò tot debent esse præscriptiones quot sunt anni e. g. si teneris mihi ad annuam præscriptionem, & per annos 30. non soluisti, tibi præscripsisti solum vnàm præscriptionem, illam scilicet, quam debebas facere præterito anno primo à cessatione, & nullas alias subsequenteseam, quia ad præscribendum in his requiritur, quod cessaueris per annos 30. lapsos retro numerandos vsq; ad vltimam solutionem, ita præscriptio incipit singulis annis. Ita *Castrensis in l. plures 18. C. de fide instr. num. 6.* & eum omnes sequuntur. Singulis ergo annis post tempus lapsum aquiritur vnà præstatio non soluta à parte anteriori, successiuè semper prosequendo, dummodo non impediatur temporis cursus.

68 ℞. Requiritur cum bonâ fide, & titulo decennium inter præsentes, & vicennium inter absentes. Ita *l. Vn. C. de Vsucapt. trans for. instit. de Vsucapt. §. 1.* Est communis, *Castropal. §. 12. initio, de Lugo num. 70. Sayrus lib. 9. cap. 12. num. 26. Faber num. 35. Lessius lib. 2 cap. 6. num. 23. Bonac. num. 28. vers. Dixi.* Si verò res immobiles careat titulo, adsit tamen bona fides, requiritur lapsum triginta annorum, ex eisdem.

Quæres 30. Quoti anni requirantur ad præscribendum res immobiles Ecclesiæ cum suis iuribus?

69 ℞. Requiritur spatium quadraginta annorum cum bonâ fide sine titulo, quando ius commune non resistit, resistente verò necessaria est immemorabilis præscriptio, vt non sit probandus titulus.

Prima pars, de quadragenaria sine titulo iure non resistente Canonico probatur *per tex. cap. de quartâ 4. cap. ad aures C. cap. illud 8. cap. auditis 15. de præscript.* Nulla factà mentione de titulo. Ita docent citandi mox.

Secunda pars, quòd quadragenaria sine titulo non sufficiat, sed requiratur immemorabilis, colligitur *ex cap. 1. de præscript. in 6.* Ita *Paris. in cap. si diligenti, de præscript. num. 46. Couar. §. 5. num. 2. & lib. 1. var. cap. 37. num. 6. cum alijs Barb. ad cap. 1. de præscript. in 6. num. 8. de Lugo num. 15. Castropal. §. 12. num. 6. & 7. Lessius lib. 2. cap. 6. num. 23. vers. Vbi aduerte. Bonac. num. 28. vers.* Dixi contra vbi, quòd ad præscribendum contra rem immobilem Ecclesiæ, extra Romanã, requiritur quadragenaria, siue adsit titulus, siue non, tam inter præsentes, quam inter absentes, siue præscribens sit priuatus, siue Ecclesia contra aliam Ecclesiam.

Quæres 31. Quantum temporis spatium requiritur ad præscribendum contra Ecclesiam Romanam?

℞. Respectu mobilium requiritur tantum 70
tempus quantùm in mobilibus mobilibus aliarum Ecclesiarum; respectu immobilium requiritur centenaria, quæ sufficit sine alio titulo.

Prima pars de præscriptione mobilium patet ex q. 28. quò ad hoc enim nullum habet speciale priuilegium, nisi quòd habent aliæ Ecclesiæ. Ita *Glos. & Doct. in auth. quas actiones C. de Sacros. Eccles. Sanch. lib. 2. cap. 23. num. 96. cum alijs Castropal. §. 11. num. 5.* contra Panormitanum, Siluestrum, Lessium ab eo citatos.

Secunda pars de centenarià immobiliũ auctorem habet dictam Auth. quas actiones quam acceptat ius Canonicum *cap. nemo 17. 16. q. 3. cap. ad audientiam 13. cap. cum vobis 14. de præscript.* Ita docent omnes *cum Castropal. §. 12. num. 2. de Lugo disp. 7. num. 73. Barb. ad cap. ad audentiam num. 5. Sayr. lib. 9. cap. 12. num. 28. Lessius lib. 2. cap. 6. num. 25. Bonac. num. 28. vers. addo.*

Quæres 32. Quoti anni requiruntur ad præscribendum contra res Monasteriorum?

℞. Quò ad res mobiles, tot anni requi-
runtur, quoti requiruntur ad præscribendum 71
contra laicos priuatos, *ex q. 28.* Quò ad immobiles requiritur spatium 40. annorum iure ordinario, *ex q. 29.* Iure verò priuilegij, Monasterium S. Pauli extra Vrbem gaudet centenarià *ex Bullà 15. Pauli III.* Canonici Regulares Lateranenses præscriptione 60. annorum, *ex Bullà 10. Sixsti IV.* Oliuetani quoq; *ex Bulla 12. Iuli II.* Quibus præscriptionibus etiam centenarià gaudent cæteri Regulares tam non Medicantes, quam Medicantes, vt docent *Confectius in sum. Priuileg. tit. 12. cap. 1. de Lugo disp. 7. num. 73. Castropal. §. 12. num. 4. Lessius. lib. 2. cap. 6. num. 25.*

Quæres 33. Quoti anni requirantur ad præscribendum res Hospitalium, & aliorum locorum piorum?

℞. Totidem, quotidem requirũtur in præ- 72
scriptione rerum Ecclesiarum inferiorum, iuxta dicta *q. 30.* Ita *Lessius lib. 2. cap. 6. n. 25. Castropal. §. 12. num. 3. de Lugo n. 73.*

Quæ

Quæres 34. Quoti anni requirantur ad præſcribenda legata tùm profana, tùm pia extrà miſſas?

73 ℞. Legata vtraq; ſunt præſcriptibilia ab hærede aduerſus legatarios; profana quidem ſpatio trium annorum inter præſentes, & quatuor inter abſentes, de rebus mobilibus; de immobilibus verò ſpatio decennij inter præſentes, & vicennij inter abſentes; ſi ſint annua legata requiritur tricennium cum tot præſcriptionibus quot ſunt anni. Pia verò ſolùm quadragenariâ præſcribuntur, ſiue ſint vnicâ vice ſoluenda, ſiue ſingulis annis, ad formam aliorum legatorum ſingulis annis ſoluendorum. Vltra tempus requiritur quoq; vt admoneatur legatarius an velit illud acceptare, nec ne, lapſo enim tempore ſi non exegit, contra illum præſcribitur ab hærede, cui ſufficit, vt legatarius habeat notitiam legati.

Prima pars, quòd legata ſint præſcriptibilia, probatur, quia præmiſsâ admonitione, & non exactâ à creditore intra præfixum tempus ad præſcribendum ipſo iure aquiruntur hæredi, ac ſi renunciata fuiſſent hæredi, præſumitur enim creditor negligere ſuum creditum, & legatum.

Confirmatur, quia præſcribi poteſt ius adeundi hæreditatem, *l. licet 8. C. de iure deliber.* poſt longum tempus, ergo & legata, cum dependeant ab hæreditate. Eſt communis *Couar. lib. 1. var. cap. 9. num. 5. Dec. conſ. 554. num. 2. Pariſ. lib. 3. conſ. 92. num. 34. cum alijs Paſqual. q. 1047. num. 3.* Ratio procedit in vtroq; genere legatorum, quæ poſſunt negligi à legatarijs quibuſcunque.

Intellige reſpectu piorum, quæ relicta ſunt pauperibus certis, & nominatis à teſtatore, nam ſi ſermo ſit de legatis diſtribuendis perſonis incertis pauperibus numquam præſcribuntur ſed ſoluenda ſunt pauperibus electis, dum enim legatarij ſunt incerti, admoneri non poſſunt, neq; proinde poſſunt dici negligentes, dum ignorant, nec ius habent niſi factâ illorum electione.

Secunda pars, de triennio, & quadriennio in legatis vtriuſq; generis, colligitur ex dictis *q. 27.* de præſcriptione rerum mobilium tùm priuatorum, tùm Eccleſiæ.

Tertia pars, de quadriegennio reſpectu legatorum piorum ſiue ſint Eccleſiarum, ſiue pauperibus factorum, de rebus immobilibus, & annuis redditibus, probatur, quia legata habent rationem cauſæ piæ, quæ non niſi ſpatio 40. annorum præſcribitur *Auth. quas actiones in fine C. de Sacroſ. Eccleſ.* Ita omnes *cum Panorm. in cap. de quartâ cap. Sanctorum, de præſcript. Couar. §. 1. num. 3. Caſtropal. §. 12. num. 3. fine Paſqual. q. 1048. num. 6.*

Quarta pars, quòd tot debeant eſſe præſcriptiones, quot ſunt anni, patet ex dictis ſub *q. 29.* Quare præſcriptio in profanis regulatur ſpatio 30. annorum, itaut ſingulis annis vnica fiat aquiſitio cum præcedentibus, ſemper numerando à parte anteriori, quò legatarius ceſſauit exigere annuos redditus, nam ſubſequentes præſtationes hæres nondum fecit ſuas, cum debitum tempus nondum præterierit ad preſcribendum, dum vnam præſtationem ſingulis correſpondentem annis ſibi aquirit. Ita colligitur *ex l. 3. ff. de annuis legat. benè Caſtrenſis in l. Plures 18. de fide inſtr. num. 6. Corneus lib. 2. conſ. 43. num. 3. cum. alijs Paſqual. q. 1048. num. 5.*

Quinta pars, de præmonitione faciendâ legatarijs probatur, quia ad ſaluandam bonam fidem debitoris ſe eximendo ab obligatione ſoluendi legata, requiritur ſcientia, & negligentia legatarij, ex qua ſequitur bona fides hæredis putantis nolle legatum, ex quo tanto tempore negligit illius exactionem. Ita *Couar. lib. 1. var. cap. 9. num. 5. Cumanus conſ. 47. 67. & 91. Gutier. lib. 2. canon. cap. 26. cum alijs Paſqual. q. 1047. num. 5.*

Dices, fideicommiſſa non poſſunt præſcribi in præiudicium vocatorum ex dictis *q. 9. Verſ. decimo tertio*, ergo neq; legata, coæquantur enim legata, & fideicommiſſa, ex vulgatis iuribus.

Reſponſum eſt, non coæquari, quando lata eſt differentia, vt hic; nam non præſcribuntur fideicommiſſa, ne vocatis in teſtamento præiudicetur, in legatis autem, in quibus ſoli vocantur legatarij, nulli præiudicatur, dum negligunt exigere, quod ſuum eſt. Adde, quòd hoc eſt ſpeciale in legato, vt dominium rei legatæ tranſeat in legatarium ipſo iure, quod non procedit in fideicommiſſo, *Rota par. 7. dec. 189. num. 25.* Hinc eſt, quòd præſumi poteſt, legatarium renuntiaſſe iuri ſuo, dum negligit eius exactionem; hoc autem præſumi non poteſt in fideicommiſſo, præſertim in vocatis omnibus, qui ſuccedere habent primo fideicommiſſario. 74

Quæres 35. An præſcribi poſſiat ab hærede legata miſſarum, & anniuerſariorum?

℞. Non poſſe præſcribendo ſibi rem legatam, & eximendo ſe ab obligatione oneris faciendi celebrare, ratio eſt, quia heres vnum ſine altero ſibi præſcribere non poteſt, ſunt enim indiuiſibilia, ita quòd ſentiens emolumentum rei legatæ debet etiam ſentire incommodum celebrationis, quæ ſine ſtipendio non dicitur; ſed hæres non poteſt præſcribere exonerationem oneris celebrandi aduerſus teſtatorem, ergo neq; legatum ipſum obnoxium ſtipendio miſſarum. Minor probatur, quia præſcriptio fundatur in negligentia creditoris non curantis de re ſuâ, vt omnes docent, quos citaui in præcedenti quæſtione de negligentibus exactionem ſuorum legatorum ſine onere eis relictorum; ſed teſ- 75

tator post mortem non potest dici negligens, cum non possit amplius agere, experiri, & exigere celebrationem missarum, quod onus clarè reliquit sustinendum ab hæredibus, & alijs, quos nominauit in vltimâ suâ voluntate, ergo contra eum neutrum præscribi potest. Ita *Pasqual.* ex parte *q.* 1047. *num.* 6. & *q.* 1048. *num.* 7. dicens, hæredem non posse præscribere contra defunctum, vtiq; contra legatarium scientem ius suum, & negligentem exigere suum creditum.

Quæres 36. An hæres possit præscribere sibi legatum cum onere missarum aduersus Capellanum, vel Ecclesiam, in qua erat celebrandum, procurando celebrationem ab alio Capellano exercendam, vel ab vnâ Ecclesiâ ad aliam absq; præiuditio testatoris?

76 ℞. Non potest hæres propriè sibi præscribere legatum annuum missarum nec quò ad emolumentum stipendij decursi, nec quò ad exemptionem missarum, dum enim non præscribitur contra defunctum respectu missarum, nec contra celebrantem respectu legati decursi si missas non celebrauit, & stipendium annuum non petierit, quia hoc tamquam accessorium sequitur naturam principalis, nimirum missarum celebrandarum, propter quas est debitum. Quòd si missas celebrauit, & stipendium neglexit, debitor in hoc casu potest illud sibi præscribere annuatim secundum naturam annuorum legatorum decursorum regulando tempus ad spatium 40. annorum, cum sit pium legatum, acquirit ergo singulis annis vnam pensionem ex decursis, & maturatis annis antecedentibus quadragenariam successiuè. Et ita intelligendus est *Pasqual q.* 1048.

Vlterius in casu, quo Capellanus, seu Ecclesia negligat celebrationem missarum, hæres, seu Commissarius testatoris sibi ius quodammodo præscribit fauore testatoris, vt missæ alibi celebrentur, facto verbo cum illis, an velint prosequi celebrationem, à quibus recusantibus missarum celebratio transfertur ad aliam Ecclesiam, etiam nullo temporis lapsu spectato ad præscribendum, cum teneatur hæres, vel executor testamentarius quamprimùm consulere menti testatoris, cùm enim id ex debito Charitatis facere debeat, non est propriè præscriptio, quæ est actus voluntarius, sed obligatio, quæ est actus necessarius. In hoc autem casu negligentiæ executor, Ecclesiâ seu Capellano laicali re-

77 cusante onus in posterum, auctoritate propriâ potest transferre onus ab vnâ in aliam Ecclesiam, si in priori destinatâ à testatore, non inueniatur Sacerdos, qui velit celebrare, sicut mutare potest Sacerdotem.

Quæres 37. An ignorantia probabilis sit causa præscribendi legatum cum onere missarum tàm ex parte hæredis, quàm ex parte celebrantis eorum fauore aduersus defunctū?

℞. Præscriptio hic locum habet, ita quòd 78 præscribens suum facit legatum cum suis fructibus, & exemptionem à celebratione respectu missarum correspondentium illis fructibus, ita quòd non teneatur illas reficere hæres, nec legatarius, pro eo tempore, quo erat in bona fide lapsu quadragenarij temporis præscripti pro causis pijs, fructibus scilicet decursis cum missis non celebratis.

Quòd hìc locum habeat præscriptio probatur, quia eius quatuor conditiones huic casui applicantur, nam ambo sunt in possessione ex titulo hæreditatis, & legati, cum bonâ fide ignorantes onus missarum adiunctum, ergo præscriptio locum habet, posito præfixo temporis lapsu, nam ignorantia facti non tollit bonam fidem, sed præscriptioni prodest, *l.* 4. *ff. de iuris, & facti ignor. supra num.* 42. & 44.

Dices præscriptio non currit contra non 79 valentem agere, & impeditum, *in l.* 1. §. *vlt. ff. de Annal. except. cap. quia diuersitatem, de concess. præbend. Rota par* 6. *dec.* 270. *num.* 2. & *par.* 7. *dec.* 21. *num.* 14. *ex Baldo lib.* 1. *consl.* 342. *vers. sed in contrarium.* Sed defunctus agere non potest, ergo nec contra eum currit præscriptio, vt pro ipso non sint reficiendæ missæ ab ijs, qui legatum acceperint. Confirmatur id, quia vt dictum fuit *q.* 35. & 36. contra defunctum præscribi non potest, cum non possit agere, quod verum videtur ex æquo respectu vtriusq; casus.

℞. Argumentum procedere contra eos, qui præscribunt, & præscribuntur ex scientiâ in vtrisq; suppositâ, in hoc enim casu debet esse potentia ex parte patientis, vt constare possit de eius negligentiâ, per quam præscribens dicatur habere bonam fidem, quòd suum reliquerit negligens. Id autem necessarium non est in præscribente cum bonâ fide antecedente initium possessionis causatâ ab illa ignorantiâ, dum enim iam bonam habet fidem, non est opus, quòd eam emendicet à potentiâ alterius contra quem præscribit. Statim autem ac deuenerint in malam fidem, tenentur deinceps satisfacere menti testatoris, cum enim legatum, & obligatio celebrandi habeant tractum successiuum, illi non præscripserunt sibi nisi decursas præstationes, & exemptionem missarum; futuris autem sine dubio debent missæ correspondere.

Difficultas nihilominus est, an missæ incipiendæ sint retro numerando à die malæ fidei ceptæ vsq; ad 39. annum, quo nondum est lapsum tempus quadragenariæ requisitum in præscriptione legatorum piorum? Ratio dubitandi est, quia in præscribendis annuis legatis, tot debent esse præscriptiones, quot sunt anni ex dictis sub *q.* 29.

Puto, sufficere missas inchoare à die malæ fidei, & non ante, quia bona fides purgauit, & extinxit omnem obligationem vsq; dum

vi-

viguit post lapsum tempus 40. annorum, perfecta enim præscriptio in omnibus prodest præscribenti, vt ad nihil teneatur, aliter non esset perfecta. Ad rationem dubitandi respondeo, quòd annuæ præstationes petunt tot præscriptiones, quot sunt anni, quando bona fides oritur ex negligentiâ præscripti, non autem ex ignorantia præscribentis.

Quæres 38. An minor numerus missarum præscribi possit à Sacerdote contra defunctum?

80 ℞. Affirmatiuè, suppositâ inuincibili ignorantiâ bonam producente fidem, nam bona fides dat ius ad præscribendum præscripto tempore, quod hic est annorum quadraginta, iuxta dicta in præcedentibus. Ita *ex Tambur. lib. 3. de Missâ cap. 7. §. 1. num. 1. Pasqual. q. 1192.* hic autem illum impugnat, in eo, quòd requirit vicennium, supponit præscriptionem versari inter absentes, nimirum, inter Sacerdotem, & defunctum, respondendo esse inter præsentes, nimirum inter Capellanum, & hæredem repræsentantem personam defuncti. Sed quicquid sit de hoc, dic tu, hoc non attendi, sed quadragenariam cum agatur de causâ piâ.

Procedit responsum primò respectu cuiuscumq; Capellaniæ siue laicalis, siue Ecclesiasticæ, nam quò ad lapsum temporis in vtrisq; attenditur ratio causæ piæ, quæ requirit quadragenatiam. Ita *Azor. par. 1. lib. 10. cap. 3. q. 5. vers. Hoc vt Clarius, Garz. de benef. par. 1. cap. 42. num. 116. cum alijs Pasqual. q. 1193.* Contra Pærez de Larâ, & alios cum Tambur. dicentes sufficere tempus ordinarium, quo præscribitur contra res laicas, qualis est Capellania laicalis. Dicas tu, tempus non desumi ab hoc, sed ex causâ piâ celebrationis, minuuntur enim missæ, non stipendium, non legatum, & Capellania dicitur laicalis per respectum ad Ecclesiasticam, non per respectum ad actum celebrationis, respectu cuius est causa pia, non laicalis, nec profana. Procedit secundò durante bona fide, nam ea transeunte in malam, deinceps tenetur celebrare ad mentem testatoris requirentis missam e. g. quotidianam, iuxta dicta in præcedenti quæstione.

Quæres 39. An è contra maior numerus missarum præscribi possit contra Sacerdotem fauore defuncti? V. G. si ex ignorantiâ inuincibili, vel inertiâ etiam celebrauit missam quotidianam loco quatuor, aut quinq; singulis hebdomadibus. An teneatur prosequi quotidianam?

81 ℞. Nihil in futurum fuit præscriptum contra celebrantem, quia bona fides, & ignorantia prodest tantùm pro eo tempore, quo durat in his, quæ habent tractum successiuum. Sicut ergo in contrario casu præcedentis quæstionis ignorantia profuit celebranti, & nocuit defuncto, ita in præsenti profuit defuncto, & nocuit celebranti. Vnde intrat illud axioma: *Quod operatur propositum in proposito, operatur oppositum in opposito. Bars. Axiom. 171.* Ratio verò, quare celebrans veniens in cognitionem sui erroris non amplius tenetur ad quotidianam ea est, quia actus gestus per errorem non nocet erranti, *l. si per errorem ff. de iurisd. om. iud.* immo erant habetur pro contradicente, *Bald. in l. error. C. ad leg. Falcid.* cum ergo non consenserit in obligationem missæ quotidianæ, non tenetur vlterius eam celebrare. Ita *Tamb. lib. 3. cap. 7. §. 2. num. 6.* contra Fraxinellum *sec. 4. concl. 4. §. 17. initio apud Pasqual. q. 1195.* qui probat, quia fauore Ecclesiæ, & piæ causæ laudabilis consuetudo decennalis obligat in futurum, *cap. ad Apostolicam, de Simon.* Sed hæc ratio nihil, quia consuetudo non à singularibus personis, sed à communitate inducitur, nec per errorem, & ignorantiam recipit esse, ex adductis à *Diana resol. 14. de consuet. par. 6.* Clarum autem est in casu nostro, celebrationem missæ quotidianæ accidisse ex errore, & ignorantiâ, non ex actu voluntario volendi se obligare ad id, ad quod non tenebatur; nemo enim tam liberalis Sacerdos inuenitur, qui velit gratis celebrare. Quare argumentum Fraxinelli supponit falsum, nempe adesse in casu nostro consuetudinem, quod verum non est, quia consuetudo obligatoria non inducitur ex errore, *l. quod 39. ff. de legib.* 82 83 84

Quæres 40. Quoti anni requiruntur ad præscribendum seruitutes? Dixi *sub. q. 24.* in aquirendis seruitutibus requiri etiam bonam fidem, dum patiens nihil obstat, tunc enim censetur donare illam proximo suo. 85

Aduerte autem, quòd nulla seruitus procedens ex actibus merè, & purè facultatiuis præscribi potest, quia ex illis nulla obligatio nascitur, vt colligitur *ex l. Proculus ff. de damno infecto l. si in meo fundo ff. de aquâ pluuial. Couar. §. 4. num. 6. Castropal. §. 13. num. 4. dicam infra q. 47.* in reliquis procedit quæstio.

℞. Primò seruitutes mixtæ, quæ ex re debentur personæ, vt vsusfructus, pensiones, annui redditus, præscribuntur cum titulo inter præsentes decennio, inter absentes vicennio, sine titulo tricennio, *ex l. fin. C. de præscript. Castropal. §. 13. num. 5. de Lugo num. 75. Sayr. lib. 9. cap. 12. num. 30. vers. quarto.* 86

℞. Secundò, seruitus realis, quæ scilicet adhæret rei continua, vel quasi continua, vt signi immittendi, oneris ferendi, stillicidij, aquæductus &c. eodem modo præscribitur, sicut seruitus mixta, *l. fin C. de præscript. l. si quis diuturno ff. si seruit. vend. Gomez. 2. var. resol. cap. 15. num. 26. & 27. Couar. lib. 1. cap. 17. num. 11. Castropal. p. 22. §. 13. num. 6. de Lugo num. 76.*

℞. Tertiò seruitus realis discontinua requirit tēpus immemoriale, *l. hoc iure §. ductus aquæ ff. de aqua quotidiana, & æstiua. l. seruitutes ff. de seruit.* Non requiritur scientia, & patientia aduersarij, sicut nec in alijs habentibus titulum. *Couar. lib. 1. cap. 17. num. 11. Anton. Gomez. cit. cum alijs Castropal. §. 13. num. 7. de Lugo num. 77.* In carente ergo titulo requiritur scientia, & patientia in seruitutibus realibus continuis, vel quasi continuis inter præsentes, & absentes, in lapsu verò tricennij ea patientia non requiritur, nec in immemoriali respectu discontinuæ seruitutis, vt præcitati docent. Seruitus autem discontinua consistit in itinere per alienum agrum, ducendi currum, pascendi animalia, venandi &c.

Quæres 41. Quotum tempus requiratur ad præscribendum officium, & iurisdictionem siue Ecclesiasticam, siue laicalem?

87 ℞. Requiritur decennium inter præsentes, & vicennium inter absentes cum titulo, & sine titulo tricennium. Respectu iurisdictionis Ecclesiasticæ quadragenium *Castropal. §. 13. num. 10.*

Quæres 42. Quoti anni requirantur ad præscribendum beneficium?

88 ℞. Præscribitur triennio bonâ fide, & pacificè possessum. Ex Reg. Cancellariæ. Ita quòd securus est in conscientiâ retinendo illud post triennium, etiamsi deueniat post in malam fidem. Ex opinione probabiliori relata *Castropal. de Benef. tract. 13 disp. 2. p. 33. & hic de præscript. §. 13. num. 10. vers. ab hac.*

Quæres 43. Quot anni requiruntur ad præscribendum ius patronatum cōtra priuatum?

89 ℞. Inter præsentes decennium, inter absentes vicennium, si adsit titulus; aliter requiritur vicennium. Ratio est, quia licet ius præsentandi habeat nescio quid spiritualitatis, tamen quia Ecclesiæ non præiudicatur, nihil enim refert, habeat ne hunc, vel illum patronum præsentatorem, sed tantùm homini priuato, ideo hoc tempus sufficit, non requiritur quadragennium. Ita *Molina disp. 70. & 75. Lessius lib. 2. cap. 6. num. 33. ex illis Castropal. §. 13. num. 11. contra Couar. §. 10. num. 8.* requirentem quadragennium. Aduersus Ecclesiam præsentantem requiritur quadragenarium cum titulo, sine illo immemorabilis, *ex eodem Castropal. num. 12. de Lugo disp. 7. num. 89. & 90.*

Quæres 44. Quotum tempus requiratur ad præscribendas actiones ciuiles, & debita, quæ exigi poterant?

90 ℞. Respectu priuatorum præscribuntur spatio triginta annorum nisi actiones breuius tempus postulent. Respectu Ecclesiæ, & locorum piorum petit quadragenariam. *De Lugo disp. 7. num. 80.*

91 Quæres 45. An præscribi possint ea, quæ sunt Principis, & quantum tempus requiratur? Bona Principis *Couar. §. 2. num. 7.* diuidit in quinque species. *Sub primâ* sunt, quæ illi competunt in recognitionem suæ supremæ potestatis, vt iurisdictio, obedientia, vectigal, & census. *Sub secundâ*, quæ reseruantur eidem ratione suæ dignitatis, inter quæ alia sunt, quæ numquam communicat, vt ferre leges per vniuersum Regnum, monetam nomine suo cudere; recipere vltimò appellationes, reuocare sententiam, quæ transiuit in rem iudicatam. Alia sunt, quæ quandoque concedit, imponere tributa, tabelliones creare, veniam ætatis dare minoribus, legitimare, restituere famam, & statum pristinum, remittere pœnam delicti, dum pars non est læsa, malefactores ad mortem sententiare. *Sub tertiâ* numerantur Spectantia ad coronam Regni, & ad ipsum Principem, vt prata pascuorum, saltus ferarum, viuaria, prædia rustica, & vrbana &c. *Sub quartâ* continentur bona propria illi competentia vt persona priuata. *Sub quintâ* demum bona confiscata ex delictis subditorum. Quæ etiam refert *Castropal. §. 14.*

℞. Bona primi generis non possunt præscribi, quia cum à iure Principis procedant leges præscriptionis, non est verisimile velle concedere leges, per quas subditi ex mantur à recognitione sui supremi dominij, & potestatis. Ita *Couar. §. 2. num. 8. Lessius lib. 2. cap. 6. num. 41. Castropal. §. 14. num. 4. de Lugo disp. 7. num. 85. & 88.* 92

℞. Bona secundi generis primæ speciei non possunt præscribi, quia si ea non concedit verbo gratiæ suæ, multò minus lege præscriptionis eidem subditis indulget. Ita *Molina disp. 75. Castropal. num. 7. de Lugo num. 85.* Secundæ speciei iurisdictionis præscribi possunt spatio temporis immemorabilis, sicut & tributa, quæ ob necessitates imponuntur non nascentia cum principatu, *de Lugo num. 88.* vel centum annorum cum titulo, *cum alijs Castropal. num. 7.* 93

℞. Bona tertij generis competentia Coronæ ex hæreditate, legato, donatione, fideicommisso, aut emptione præscribuntur cum titulo spatio centum annorum, *Castropal. num 8. de Lugo num. 87. ex l. vt inter diuinum C. de Sacrosf. Eccles.* 94

℞. Bona quarti generis pertinentia ad fiscum ante sententiam vicennio regulariter præscribuntur, etiam post sententiam nondum fisco incorporata, modò adhuc reperiantur apud delinquentem, vel tertium possessorem; incorporata verò præscribi non possunt, nisi per centenariam, *ex l. omnes C. de præscript. 30. ann. Castropal. §. 14. num. 2. de Lugo aliter sentit. num. 82. & 83.* 95

℞. Bona quinti generis ei competentia vti priuato, præscribuntur eodem spatio temporis, quò vsu capiuntur bona aliorum priuatorum, 96

torum, *de quib. quæst.* 28. *& 29.* Ita *Couar.* §. 2. *fine*, *Castropal.* §. 14. *fine*, *de Lugo num.* 86.

Quæres 46. An possit præscribi feudum, vel emphiteusis contra Ecclesiam, aut alios priuatos?

97 ℞. Affirmatiuè, dummodo notitiam habeant noui successores, & non contradicant, præscribitur autem contra Ecclesiam spatio 40. annorum, contra priuatum spatio annorum decem inter præsentes, viginti inter absentes iuxta dicta *q. 29.* Ita *ex Bartolo Molina disp. 70. de Lugo num. 90.*

98 Quæres 47. An detur præscriptio in facultatiuis? Facultas autem est potestas agendi, vel non agendi, & sic actus ob ea procedens dicitur voluntarius, non necessarius, vnde si misceatur, & probetur coactiuus amittit rationem facultatis propriè acceptæ, cuius actus pendent à solo arbitrio agentis, vt ire per viam publicam, optare, molendino vti &c. *Eugen. lib. 1. conf. 29. num. 32.* Mera facultas est illa, ex qua nulla actio, aut exceptio oritur, vt hospitari amicum, militem, ire per viam publicam, &c. *Gabriel. de præscript. concl. 10.* Facultatiuus actus est ille, qui non pendet à consensu, & approbatione alterius, *Innoc. in cap. querelam de elect. num. 6. Afflict. dec. 67. num. 1. Puteus lib. 1. dec. 269. Rota par. 4. tom. 1. decis. 396. num. 7.* Ius facultandi aliquando competit ex natura rei, vt potestas eundi per viam publicam, molendi apud quemcumq; hospitandi ad suum placitum quemcumq; &c. aliquando ex lege, & priuilegio.

99 ℞. Ius facultatiuum meræ libertatis non mixtum actioni, approbationi, nec alterius pati entiæ non potest præscribi, vtique verò à prædictis pendens, aut à lege, seu priuilegio ortum habens.

Prima pars de merâ facultate inpræscriptibili probatur, quia nulli apta est inferre obligationem, nec ius ad acquirendum in præiudicium alterius. Ita allegati *à Rota par. 3. decis. 389. num. 4. Seraph. dec. 716. num. 10.* etiam si per mille annos quis egerit, *Abbas in cap. ex parte, de conceß. prebend. Boerius decis. 125. Surd. conf. 127. num. 20. Caputaq; par. 1. decis. 306. num. 7. ex illis Rota par. 4. dec. 400. num. 3. Pasq. q. 1081.*

100 Secunda pars de præscriptione in facultatiuis pendentibus à consensu, & approbatione vel à patientiâ alterius probatur *per Doctores allegatos supra par. 4. decis. 396. num. 7. tom. 1.*

101 Tertia pars, de præscriptione facultatis passiuæ ortum habentis à lege, seu priuilegio, probatur per *Crauetam conf. 111. num. 23. Hond. lib. 1. conf. 82. num 9. Cancer. par. 2. cap. 24. num. 144. Menoch. lib. 2. conf. 201 num. 62. Rota par. 2. decis. 11. num 9.* Hac ratione aliàs probatum fuit, Religionem Tertij Ordinis S. Francisci, cuius ego indignus sum alumnus, præscripsisse contra Generalem Minorum de Obseruantiâ Confirmationem proprij Generalis, & visitandi facultatem sibi concessam per Sixtum V. Nam à Sixto V. vsq; ad annum 1645. Generalis Obseruantiæ non confirmauerat nostrum, neq; visitauerat Ordinem tentans prædicta facere, vnde probata fuit præscriptio vltra quadragenariam, & sic frustratoria fuit eius intentio, cum nihil obtinuerit. 102

Et licet præscriptio non procedat sine possessione ex di. 1 § q. 7. tamen in præsenti casu currit præscriptio sine possessione, quæ tunc necessaria est, quando quis eà mediante vult aquirere nouum ius, non autem quando quis præscriptionem inducit ad se defendendum contra actionem, & visitationem alterius, quia tunc præscriptio perficitur absq; vlla possessione ex solo temporis cursu, alter nunquam contra actiones præscriberetur, si necessaria esset possessio, præscriptio igitur longissimi temporis inducitur ex solâ negligentiâ non facultatis, quod agere potest, absq; aliquo facto, & ministerio præscribentis. Ita *ex Crauetâ conf. 111. num. 20. Surd. conf. 73. num 48. & conf. 111. num. 20. Rota par. 4. tom. 3. decis. 547. à num. 12. ad 15.* 103

Quæres 48. Quandonam præscriptio incipit in negatiuis?

℞. Incipere à die prohibitionis cum aquiescentia partis aduersæ. Ita *omnes cum Seraph. decis. 1086. num. 1. Rota Recent. par. 5. tom. 1. decis. 265. num. 36. & par. 8. decis. 11. num. 10.* Prohibitio autem in eo consistit, quòd vnus conatur aliquid facere, & alter vetat agere. *Vide Castropal. §. 13. num. 8. & 9.* 104

Quæres 49. An præscriptio currat contra ignorantem præscriptum?

℞. Non currit, quando ignorantia est iusta, seu probabilis, vtiq; quando est culpabilis, aut procedit ex negligentiâ, sic Doctores *allegati à Paulo Rubeo ad decis. 3. part. 3. num. 26. & par. 6. dec. 270. num. 6.* Nam cum præscriptio fundetur in negligentiâ domini non curantis suum recuperare, post lapsum temporis non potest se tueri allegando ignorantiam fundatam in negligentiâ, iura enim non subueniunt negligentibus, sed tantum diligentibus, *l. Non enim 16. ff. Ex quibus causis maior.* Itaq; *l. Sicut 3. fine C. de præscript. 30. annor.* quòd actiones non dentur ignorantibus post præscriptionem 30. annorum, intelligitur de ignorantiâ culposâ. Lege dictum Rubeum *cit. decis. 3.* vbi de restitutione præscripti contra præscribentem quando concedatur. 105

Quæres 50. An, & quomodo præscriptio inducatur contra Legem?

℞. Lex tam ciuilis, quam ecclesiastica spacio decennij consuetudine ei contrariâ præscribitur, & abrogatur. Probatur ex cap. 106

fin.

fin. de consuetud. *Licet etiam longeuæ consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usq; adeo valitura, vt vel iuripositiuo debeat præiudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitimè sit præscripta.* Tria ergo sunt necessaria ad præscriptionem, & derogationem Legis, primò, quòd consuetudo sit rationabilis, hoc est, expediens bono communi, & non nutritiua peccati, quod in dubio relinquitur discutiendum à Iudice, *Barb. hic num. 11. Diana par. 6 resol. 1. de consuet.* Secundò, quòd consuetudo sit legitima, siue legitimè præscripta importat, quòd sit inducta actibus vniformibus cum intentione abrogandi legem. Tertiò positis legitimis actibus subsequens decennium tandem præscribit, tollit, abrogat, & destruit legem. Tota difficultas stat in hoc tempore respectu legis Ecclesiasticæ, nam respectu ciuilis omnes conueniunt sufficere decennium, *ex l. sed ea 3. ff. de legib.* vbi longa consuetudo legem inducit, longa autem consuetudo est decennium expressè *instit. de vsucapt.* §. 1. *& Glos. in Rubr. C. quæ sit longa consuetudo.* Proponitur is titulus, & non resoluitur in tribus, legibus, quibus ille constat.

Sed probatur etiam legem Ecclesiasticam decennio abrogari. Nam id ex textu allato colligitur illis verbis: *Licet etiam longeuæ consuetudinis non sit vilis auctoritas.* Quæ Pontifex Gregorius IX. accepit à *l. 2. tit. C. Quæ sit longa.* dicens longam consuetudinem, quæ scilicet decennio perficitur non esse vilis auctoritatis est, vt operari possit abrogationem legis introductione alterius sibi contrariæ. Deinde illa verba: *legitimè præscripta* facit sensum diuersum ab his *canonicè præscripta*, nam illa referuntur ad legem Ciuilem, hæc ad Canonicam, ergo consuetudo præscribitur contra legem tempore à lege præscripto, non à canonibus.

In super, vt quis præscribat contra Ecclesiam Romanam requiritur centenaria ex probatis *q. 31.* necessaria etiam contra Principem, immo eius iurisdictio est imprǽscriptibilis *ex q. 45.* sed nullus vmquam dixit ad præscriptionem legis Ecclesiasticæ, requiri centenariam, ergo sufficit decennium, cum quadragenitum sit tantùm pro præscriptione bonorum Ecclesiæ, inter quæ non computatur lex, quę est in vtilitatem subditorum, & eorum bonum, non legislatoris, cuius est iurisdictio. Ita *Ioan. Præpositus in 2. D. Thomæ q. 97. dub. 1. num.* 10. *dub. 2. num. 14. Iacobi Gordoni lib. 2. summa q.* 14. *cap. 4. num. 14. & 15. Megal. in prompt V. consuetudo num. 5. & 8. cum Bonac. & alijs cum Castropal. tom. 1. tract. 3. disp. 3. p. 2. §. 2. num. 5.* quos refert, sed non sequitur *Diana par. 6. resol. 2. de consuetud. vers. secunda*, illos sequitur *de Lugo disp. 7. num. 94.*

Contrarium, quòd in præscriptione legis Ecclesiasticæ requiratur quadragenaria, docent *Sayrus lib. 3. Clauis cap. 11. num. 8. Diana resol. 2. vers. sed quicquid*, vbi plures citat, *Barbos. ad cap. fin. de consuet. num. 13. Glos. V. legitimè præscripta*, quia ad res Ecclesiasticas requiritur quadragenaria præscriptio. Sed cum id sit verum respectu bonorum ipsius Ecclesię tantùm, & iurisdictionis auferendarum, non est recedendum à priori opinione. Cœpta autem præscriptio continuari debet, quia vnicus actus interrumpit eius possessionem, *ex Ludouis. dec. 162. num. 9. & 15. alijs citatis à Diana par. 6. resol. 4. de consuet.* Procedit etiam in foro conscientię, vt post decennium non peccent agentes contra legem Canonicam, quia non amplius est, nec viget, nec obligat.

Quæres 51. Contra quos præscriptio currat, vel non currat?

107 ℞. Non currit primò tempore hostilitatis belli pestis, & schismatis, *cap. ex transmissà 10. de præscript.* Ita *Honded. lib. 1. cons. 83. num. 18. Paris. lib. 3. cons. 9. num. 38. Gratian. cap. 403. num. 24.* Secundò filijs existentibus in potestate patris non currit tempus, sed dormit. Ita *Bartol. in l. 1. §. si quis propter ff. de itiner. actuq; priuato, Honded. lib. 1. cons. 83. num. 56. Surd. dec. 151. num. 3. & 4. cum alijs Gratian. cap. 433. num. 86.* Tertiò, contra pupillum non currit, etiam longissimi temporis, *l. sicut, C. de præscript. 30. vel 40. an. Rota par. 7. dec. 61. num. 13. & par. 8. dec. 28. num. 40.* Vbi, quòd non à morte patris, sed à die, quo ille maior fuit effectus incipit currere contra pupillum. Quartò, præscriptio in debito conditionali non incipit currere nisi post aduentum diei, quia mora, seu negligentia non consideratur nisi post aduentum diei, *ex adductis à Rota par. 8. decis. 3. num. 6.* Quintò, stante malâ fide numquam currere potest, *ex cap. si diligenti 5. de præscript. Afflict. dec. 13. num. 6. Gratian. cap. 78. num. 44.* Sextò, non currit contra prodigum, & furiosum. Ita *ex Sforzà de restit. in integr. q. 90. art. 2. num. 10. Donatus Anton. de Marinis lib. 1. cap. 299. num. 3.* Septimò, vt currat in iurisdictionalibus absq; probatione veri tituli requiritur tempus immemorabile. Ita *Abbas lib. 2. cons. 62. num. 18. Bartol. lib. 1. cons. 139. num. 6. cum alijs Gratian. cap. 441. num. 11.* Octauò excommunicato existenti in morâ petendi absolutionem currit tempus. Ita *Bald. in cap. 1. fine, de præscript. Gratian. cap. 223. num. 29.*

Quæres 52. An inducatur præscriptio contra actum habentem decretum irritans?

108 ℞. Negatiuè, quia introduci non potest consuetudo, quę refertur ad actum factum contra legem habentem decretum irritans, hoc enim tollit omnem consuetudinem in contrarium *Beer. decis. 1. num. 49. & 50. Cæ-*

uir. par. 4. cap. 6. §. 10. num. 35. Rota par. 4. tom. 3. dec. 574. num 26. & 27. lex enim irritans facit personam inhabilem; consuetudo autem non potest tollere incapacitatem, *Decius in c. p. Nouit. de iudic. num. 84. Felin. & Aymon. cum Suar. lib. 7. cap. 19. num. 13.* Apud eandem Rotam num. 28. Decretum irritans inficit titulum, & possessionem, & operatur nullitatem vsq; ab initio, *cap. si eo tempore, de elect. in 6. Cassador. dec. 1. de restit. spoliat. num. 7. Puteus lib. 1 dec. 386. Rota par. 4. tom. 2. dec. 312. num. 39. & 40. & Par. 7. dec. 279. fine*, vbi, quòd præscriptio impeditur per clausulam: *Sublata*, & per decretum irritans. Talis autem naturæ est decretum irritans, quòd inficit, & destruit omnem contrariam consuetudinem, non solùm preteritam, sed etiam futuram impedit, ne introducatur, *Felin. in cap. cum accessissent, de constit. num. 30. versu Quartò limit. Ruin. lib. 2 cons. 13. num. 13. cum alijs Rota par. 5. tom. 2. decis. fin. num 24.*

Queres 53. An in præcedentiâ præscriptio locum habeat?

109 ℞. Affirmatiuè, quia nullo iure reprobatur, vt pluribus probaui in Theatro *praced. q. 14. & 15.* de tempore ad præscribendum precedentiam, quòd est quinquennium, quia hoc spatio Religio sibi præscribit professum, ergo & professus locum eodem tempore, accessorium enim, vt præcedentia sequitur naturam sui principalis, quod est Professio, fundamentum scilicet à quo originatur ius præcedentiæ. Vide loco citato *à num. 52. ad 107.* vbi alia de præscriptione, quæ non repeto, ne sim prolixior.

110 Queres 54. An peccata præscribi possint? In delictis plura considerantur *Primò* peccatum actuale, quod consistit in violatione, & trangressione legis committendo contra præceptum negatiuum, vel ommittendo contra præceptum affirmatiuum, & id cum consistat in actione transeunte non est post factum, sed aliud post se tamquam effectum relinquit, & vocatur macula *Secundò* quæ consistit in turpitudine peccati auferendâ per contritionem, aut Sacramentum Pænitentiæ *Tertiò* delictum obligat transgressorem ad subeundam pœnam æternæ damnationis ex peccato contractam, quæ mediante contritione, vel Sacramento Pænitentiæ de æternâ commutatur in temporalem, quæ satisfactionibus, & Indulgentijs soluitur. *Quartò*, si delictum est præiudiciale proximo in honore, vel rebus, delinquens contrahit duplex debitum, vnum legale satisfaciendi, & subeundi pœnam à lege impositam; & alterum restitutionis honoris, vel rei ablatæ, vel reparationis damni illati. Circa hoc quartum remanet difficultas, nam in alijs peccata per Pænitentiam tolluntur, nulla temporis præscriptione agente pro peccatoribus, quia præscriptio respectu diuinæ legis locum non habet.

℞. Nulla datur præscriptio in delictis quò ad culpam, & pœnam æternæ damnationis; cum debeant tolli Sacramentis, & Indulgentijs, ac bonis operibus nec præscribuntur eorum pœnæ spirituales, cum tollantur absolutione Ecclesiastici ministerij. Ita *Glos. in cap. Admonere 33. q. 2. Abbas in cap. fin. de præscript. ibid Felin. cum alijs Farinac. q. 10. num. 31.* Quorumcumq; delictorum siue publicorum, siue priuatorum, etiam confessatorum, etiam occultorum inquisitio ex officio Iudicis, seu accusatio præscribitur spatio viginti annorum, *ex l Querela ff. ad leg. Cornel. de falsar. ex adductis à Farinac. q. 1. num. 68. & q. 10. à num. 1. ad 14.* Crimina verò adulterij, stupri sine vi, intellus, & lenocinij, nisi inter se sint mixta quinquennio præscribuntur, *l. Mariti §. quinquennium ff. ad leg. Iul. de adulter. num. 15.* Cum ita verò iniuriarum præscribuntur vnico anno, *ex l. si non conuicij fine, C. de iniur.* respectu tantum actionis prætoriæ, non verò ciuilis, quæ in tribus consistit, in pulsatione, verberatione, & introitu in domum, alias dicuntur prætoriæ, *Farinac. q. 10. num. 21.* 111 112

Non præscribuntur hæc delicta, nimirum, crimen vtriusq; lesæ maiestatis, parricidium, suppositio partus, apostasia, assassinium, monetarium, Simonia, abortus, & concussio, textus referuntur *à Farinac. q. 10. num. 29.* Vide *de Lugo disp. 7. à num. 97.*

Queres 55. An contra Bullam Cenæ Domini detur præscriptio?

℞. Negatiuè, sed per eam omnis præscriptio cepta contra ipsam, & Romanam Ecclesiam singulis annis dicitur interrupta, vt nullus vnquam possit præscribere contra illam, tollens omnes consuetudines etiam immemorabiles. Ita Vrbanus VIII. *in suâ incip. Romanus Pontifex 47. post. initium, & post Appendicem Bullarij, Gratian. cap. 52. num. 6. Megal. conf. 72. num. 4. Sperell. dec. 37. num. 48 Barbos. decis. Apost. 595. V. Præscriptio, fine. Fagnanus ad cap. peruenit, de adulterijs num. 44.* 113

Queres 56. Qualis presentia requiratur inter præscribentem, & præscriptum, iuxta dicta sub *q. 28. & 29.*

℞. Presentiam importare, vtrumq; habere domicilium in eodem loco; sic enim interpretantur ea verba: *Sin autem non in eâdem Prouinciâ sint &c. l. fin. C. de præscript. longi temp. Angelus ibid. Alex. lib. 2. conf. 118. num. 16. Cephal. conf. 29. num. 14. Mascard. de probat. concl. 1214. num. 68. cum alijs. Merlin. dec. 811. num. 3.* 114

Queres 57. An tempus assignatum in præcedentibus quæstionibus ad complendam præscriptionem debeat currere de momento ad momentum, vt post illud, præscribens sit tutus in vtroq; foro, quò ad hanc exceptionem

nem præscriptionis contra Aduersarium?

115 ℞. Debet currere de momento ad momentum, quia in vltimâ horâ perficitur præscriptio, cum enim sit materia valde odiosa, de proximo complenda non habetur pro completa. Ita *Iason. in l. 3. §. Habeo ff. de aquir. poss. Rebuff. de pacificâ poss. num. 320. cum alijs. Paulus Rubeus ad decis. 20. num. 23. & 24. par. 3. Rota, quæ idem docet dec. 226. num. 48. par. 7.* Vnde allegari non potest à præscribente in sui fauorem, nisi totum tempus sit lapsum, *Rota par. 4. tom. 3. dec. 671.* Adeo quòd nihil operatur, nisi sit completa, *Rota par. 8. dec. 28. num. 39.*

Quæres 58. An postquam tempus præscriptionis fuerit adimpletum possidens tutus sit in vtroq; foro, itaut molestari amplius non possit, etiam si venerit in malam fidem, rem non fuisse suam?

116 ℞. In neutro foro molestari potest, quia res vsucapta facta est propria possidentis, vel quasi possidentis, si sit res incorporalis. Est communis contra quosdam apud *Sayr lib. 9. cap. 12. num. 33. & dixi q. 5. supra.* Quare quando est completa interrumpi amplius non potest, sicut poterat antequam compleretur, *Mantica decis. 296 num. 5. Ludouis. dec. 51. num. 8. Rota par. 5. tom. 2. dec. 591. num. 22.* Pro foro externo intellige, nisi læsus petat restitutionem in integrum.

Quæres 59. An præscriptio locum habeat in sequenti casu?

117 Petrus in suo testamento reliquit hæredem vniuersalem suum nepotem ex fratre pupillum cum onere faciendi celebrare duo anniuersaria singulis annis in perpetuum cum decem missis pro singulo anniuersario. Pupillus possidens, & vtens hæreditate ab hinc annis triginta, ignorans vsq; ad id tempus supradictam obligationem, modo quærit, an possit se tueri præscriptione; & eximere se ab hac obligatione, vel titulo possidendi non ex testamento, sed ab intestato, vt in totum effugiat hoc onus.

118 ℞. Non posse se eximere ab hac obligatione, sed teneri reficere anniuersaria præterita, & futura celebrari facere, quia mens testatoris cùm sit apertè clara nullam admittens ambiguitatem, omnibus modis seruanda est *cap. Vltima 4. 13. q. 2.* Et licet ea ignorantia quamuis probabilis, & inculpabilis vsque ad id tempus, quo deuenit in notitiam talis oneris, excusauerit pupillum, non tamen deinceps eum excusare potest, cum ea obligatio extingui non potuerit mediante ignorantiâ, quæ solum excusat à peccato, & à pæna, ex communi Doctorum apud *Sanch. lib. 9. disp. 32. num. 28. & seq.* non autem ab obligationibus, & debitis.

Præscriptione autem se eximere non potest ab hoc onere, vt probaui hic *q. 35. n. 75.*

119 Neque repudiatâ hæreditate ex testamento, volendo bona possidere ab intestato, excusari potest à prædicto onere, siquidem adhuc tenetur satisfacere suo oneri, *ex l. 1. §. fin. l. 2. ff. si quis omissâ* quia præsumitur id fecisse in fraudem testatoris, & Ecclesiæ, vt dixi supra hîc num. 15. Bona enim remanent obligata tali oneri ad quemcumq; transeant, quouis titulo, cum tale onus sit mixtum ex personâ, & re extante penes ipsam.

Redeundo ad præscriptionem, ea hîc locum habere non potest, non solùm defectu 120 quadragenariæ, quæ requiritur ad præscribendum contra causam piam, vt docet *Pasqual. de Sacrif. Missa, q. 1193. num. 3.* Doctoribus citatis. Verum etiam, quia præscriptio versatur circa debitorem, & creditorem viuentes, ex quo fundatur in scientiâ, patientiâ, & negligentiâ creditoris non petentis, *Merlin. dec. 497. num. 14. Pasqual. cum alijs q. 1047. num. 5.* certum autem est, quòd 121 testatori ea conuenire non possunt maximè negligentia, cum mortui nulla sit voluntas ad has actiones, *cap. si gratiosè, de Rescr. in 6.* ergo contrà defunctum nemo præscribere 122 potest, cum pro ipso quotidie exclamet ipsum testamentum contra hæredem.

Quid si hæres aliqua fecit celebrare anniuersaria ex sua deuotione pro testatore, & 123 suis defunctis, dum ignorabat suam obligationē? Computari possunt in satisfactionem, quia ad satisfaciendum non est necessaria intentio satisfaciendi, sed sufficit præstare opus, in cuius executione viget intentio satisfaciendi.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

De Cessatione Legatorum.

SVMMARIVM.

1 *Cessatio legatorum est eorum extinctio, & destructio.*
2 *Cessant Reuocatione, Caducitate, Præscriptione, & Destructione.*
3 *Pereunte legato in totum, vel in partem, perit etiam onus.*
4 *Domus refecta particulatim est eadem numero, non verò si tota.*
5 *Quamuis remaneat area domus, vel agri, cessat tamen onus legati, cum non sit frugifera, donec fructus reddat, detractis expensis.*
6 *Pecunia licet non implicata sed versa in vtilitatem Monasterij non facit cessare onus missarum.*
7 *Distrahentes pecuniam sine vtilitate loci pij tenentur, non verò eorum successores, si non est versa in communem vtilitatem.*
8 *Pecunia, vel alia res periens ex culpâ non liberat ab onere.*

Casu

9 *Casu legatum periens, cessat onus missarum, nisi præcesserit culpa, seu mora, quæ adest, si pecunia sublata fuit intra bimestre non celebratis missis manualibus, vel pecuniâ non implicatâ inuento stabili frugifero.*
10 *Euictione legati cessat onus missarum.*
11 *Legatum missarum durat perpetuò vltra centum annos.*
12 Heredis *nomine veniunt omnes heredes in infinitum.*
13 *Animæ in purgatorio manere possunt vsq; ad diem iudicij.*
14 *Innocentius Papa detinetur in Purgatorio vsque ad diem iudicij.*
15 *Legata missarum cessant spatio 100. annorum, est minus probabilis.*
16 *Vsusfructus extinguitur morte vsufructuarij.*
17 *Legata, & vsusfructus parificantur.*
18 *Infinitas euitanda in omni materiâ, nisi finem habeat illimitatum num. 22.*
19 *Animæ non manent in Purgatorio vltra decennium, dictum Soti erroneum 23.*
20 *Missarum onus durrat vltra centum annos probabilius.*
21 *Vsusfructus extinguitur spatio centum annorum ne sit mutilis proprietario.*
22 *Infinitas quandoq; non euitatur, cum habet causam illimitatam 18.*
23 *Soti opinio de purgatione decennij est erronea 19*
24 *Legatum insufficiens ad onus exequendum non cessat.*
25 *Sed commutatur per Episcopum.*
26 Sinuplerit Titio. *Requisita negans perdit legatũ, modo non pœniteat intra triendiũ.*
27 *Destructo loco pio, cessat legatum. receptum verò non extinguitur demolitione, vel profanatione, sed in eo succedit alia Ecclesia, cui fuit vnita.*
28 *Legatũ debetur, licet cõditio sit impleta, immo expirata etiam ante mortẽ testatoris.*
29 *Conditio triplex, potestatiua, casualis, & mixta.*
30 *Conditio quibus dictionibus inferatur.*
31 *Conditione potestatiuâ non impletâ ex incuriâ legatarij cessat legatum, non verò si casu fortuito, vel aliorum facto non impletur ab eo.*
32 *Potestatiua impletur post mortem testatoris, alia quouis tempore.*
33 *Conditio habetur pro impletâ, si per legatarium non stat.*
34 *Onus annuum omnino implendum aliter impeditum cessat legatum.*
35 *Labore annuo deficiẽte deficit annuũ leg.*
36 *Correlatiuorũ vno deficiente, cessat alterũ.*
37 *Modus est onus, & grauamen, seu moderatio adiuncta legato.*
38 *Modus antequam fiat non impedit aquisitionem legati, sicut facit conditio, quæ impedit eius aquisitionem, donec adimpleatur, & non est transmissibilis, sicut legatum modale.*
39 *In dubio censetur conditio, non modus.*
40 *Legatarius perdit legatũ si illud nõ implet cũ potest. & nõ impeditur nisi sit annuus labor quem non præstat etiã impeditus.*
41 *Conditio habetur pro impletâ, si non stat per eum vel eius culpa.*
42 *Causa finalis quæ principaliter mouet, impulsiua, quæ præbet occasionem.*
43 *Causa respicit & præteritum & futurum.*
44 *Cessante causâ finali cessat legatum.*
45 *Non in legatis pijs, cum in eis diuinus cultus sit perpetuus.*
46 *Pereũte fũdo sine negligẽtiâ perit obligatio.*
47 *De suo nemo tenetur laborare pro alijs.*
48 *Casu fortuito tenetur ex Pacto.*
49 *Negligens tenetur, licet Pereat fundus.*
50 *Nõ verò successor ignorãs eius negligẽtiã.*

Cessatio Legatorum supponit eorum existentiam præcedenti tempore, antequam de esse transeant ad non esse, nam si numquam extitissent, nunquam cessarent; quia non entis nullæ sunt passiones. Est autem cessatio legatorum eorum extinctio vel quò ad rem, vel quò ad fructus rei frugiferæ, vel quò ad obligationem, ita quòd destructâ re legatâ tollitur obligatio oneris adiecti, iuxta quod dicam in sequentibus quæstionibus. 1

Quæres igitur primò quot modis cesset legatum missarum, & aliorum onerum?

℞. Multis modis. *Primò* reuocatione testamenti, nam legatum aliud esse non habet, nisi quod recipit à testamento, ergo eo reuocato intelliguntur etiam reuocata legata, iuxta quod dixi cap. 13 *Secundò*, legatum cessat caducitate, vt si ruptum fuit testamentum, & de hoc dixi eodem cap. 13. *Tertiò*, cessat præscriptione, iuxta dicta præcedenti cap. *Quartò*, destructione rei legatæ, iuxta quod mox dicam. 2

Quæres 2. An destructione rei legatæ in totũ, vel in partẽ, cesset onus celebrandi, vel dandi elæemosynam adiectum rebus legatis?

℞. Pereunte re legatâ in totum, vel in partem, cessat quoq; onus, & obligatio coniuncta rei legatæ totaliter, vel partialiter. Probatur, *per l. Si grege 22. l. Si ita scriptum 68. ff. de legat. 1. l. Et, qui amplius 20 ff. de mortis causâ donat. l. Plautius 43. fine, l. Qui heredi 44. §. Si part ff. de condit & dem.* Ratio est, quia obligatio innititur rei legatæ, sicut accidens inhæret subiecto, sed subiecto destructo sicut perit accidens, ita re legata, vel eius fructibus pereuntibus cessat obligatio. Confirmatur, quia talis præsumitur esse mens testatoris, vt nolit obligare Sacerdotem, qui non tenetur gratis celebrare, vel dare elæemosynam de suo, qualis de iure esse debet, ergo pereunte legato, & emolumento cessat obligatio celebrandi, quæ sup- 3

ponit emolumentum, & stipendium. In terminis *Parlador part. 3. Differ. 17. §. Vn. num 7. ex eo lanuir part 1 reso.42.num.13. Vers. Et si pro parte*, *Pasq. q.* 1074. vbi deficientibus fructibus, cessat obligatio celebrandi, vbi citat quamplures in his terminis.

Quæres 3. An cesset obligatio in totum, quando remanet area e. g. domus combustę, super qua erat legatum, vel fundus agri redditur infrugifer alluuione, vel arena conspersus? Ratio dubitandi est, quia remanet aliqua pars legati, vnde in *l. Si grege 22. de legat. 1.* dicitur, quòd insulâ comoutâ, potest vindicari area. Et in *l. Si ita scriptum 68. §. Si domus fuerit legata, licet particulatim ita refecta sit, vt nihil ex pristinâ mate-* 4
riâ supersit, tamen dicemus, vtile manere legatum; at si eâ domo destructâ, aliam eodem loco testator ædificauerit, dicemus interire legatum, nisi aliud testatorem sensisse fuerit probatum. Perit ergo legatum, si in totum reficiatur domus combusta, non autem si paulatim reficiatur ex parte scilicet tantùm destructâ, ratio est, quia domus ex refectione eadem numero est, ac proinde subiecta legato, ædificata verò iterum est alia domus, quę non dicitur illa prior, ac proinde non est subiecta legato.

5 ℞. Cessat obligatio missarum, quia licet remaneat area, tam domus, quam fundi, extinguitur tamen fructificatio, dum domus non amplius locatur, nec ager colitur, certum autem est, quòd celebrationi debet correspondere proprium stipendium colligendum ex fructibus fundi domus, seù agri, res enim legata cum onere missarum debet esse frugifera ex Decret. de celebr. missar. non extante ergo frugiferatione, cessat obligatio, quæ vtiliter fundatur in fundo frugifero, non verò inutili. Quòd si domus reficiatur, & ager labore, & industriâ reducatur frugifer, detractis expensis omnibus ex annuis redditibus, quibus cessauit obligatio celebrandi, Sacerdos deinceps tenetur celebrare, quia incipiunt domus, & ager nouos reddere fructus nulli obligatos nisi pro celebratione missarum.

Ratio dubitandi ex illis textibus nihil contra hoc responsum, quia area domus, & ager licet infrugifer, non amittunt rationem legati, cum fructificatio respiciat legatum non quodcunq; sed solum onerosum, de quo non loquuntur illi textus. Legatum ergo missarum transit semper cum suo onere, quandocunq; est actu frugifer, quia spectatur secundùm vtilitatem corporalem respectu celebrantis, & vtilitatem spiritualem animæ respectu testatoris.

Quæres 4. An pecunia relicta implicanda in re frugifera, si consumetur in beneficium Ecclesiæ, vel Monasterij inducat obligationem celebrandi, an verò cessationem? e. g. Si distrahatur in fabricatione siue necessariâ, siue voluntariâ, in solutione debitorum, in emptione tritici &c. item in emptione vtensilium pro hospitatione militum, vt accidit scribente me hic Parmæ, nam omnes Regulares coacti fuerunt recipere in suis Monasterijs milites, & eisdem subministrare vtensilia cum damno irreparabili &c.

℞. Monasterium adhuc tenetur celebrare 6
missas, & exequi alia onera, quæ à testatore adiecta fuerant legato pecuniarum, quamuis eas non implicauerint, quia obligatione tenentur etiam successores in Monasterio, Ecclesiâ, seù alio loco pio. Ratio; acceptatione legati se obligauerunt obseruare mentem testatoris, & quantùm fuit ex parte testatoris fructus annuus debebat respondere celebrantibus, qui fuerunt in causâ pecuniæ distractionis, ne pecunia implicaretur in fundum frugiferum, cum ergo testator ex parte suâ fecerit, quod proin sit debent Sacerdotes ex parte suâ stare promissis, cum receperint pecuniam vinculatam, & obligatam cum onere missarum, quælibet enim res transit cum onere suo, & cùm per receptionem pecuniæ contraxerint cum testatore, & hæredibus, necessario sequitur, quòd debeant exequi voluntatem testatoris, ex contractibus enim onerosis oritur vtrinq; obligatio. Ita docet *Pasqual. q.* 1064.*num.* 3. dicens, teneri successores in loco pio celebrare, quando pecunia versa est in vtilitatem Monasterij, & alterius loci pij, quod probat *l. 1. initio ff. de in rem verso*.

Quæres 5. An quandò pecunia, vel aliud distractũ fuit sine aliqua Monasterij, seù loci pij vtilitate, teneantur præsentes, & successores celebrare missas?

℞. Præsentes, qui consenserunt, vel di- 7
straxerunt pecuniam, vel aliud sine aliquâ loci vtilitate, peccant contra Iustitiam, & tenentur procurare implicationem pecuniæ distractæ, seu alterius rei alienatæ, quæ erat subiecta tali oneri, & in hoc non est dubitandum, quia acceptione pecuniæ, vel alterius rei contraxerunt obligationem cum hærede, qui testatoris personam repræsentat. Successores verò non tenentur, quando res non fuit conuersa in vtilitatem loci pij, quia obligatio carens debitis requisitis, inter quæ, in re hac, deficit implicatio in re fructiferâ, non potest transferri in successores, cùm antecessoris culpa non debeat nocere successoribus. Ita idem *Pasqual. q.* 1064.*num.* 6. *&* 7.

Quæres 6. An si res pereat culpa ministri Ecclesiæ, cesset in hoc casu obligatio missarum?

℞. Si res pereat per conuersionem legati 8
in vtilitatem loci pij, sine dubio tenetur, & viget obligatio, propter rationem allatam in *q.* 3. adfuit enim culpa transgressionis Decreti de celebr. missar. quod mandat pecu-

niam

niam inuestiri in re frugiferà, & non posse distrahi. Et potissimùm tenentur illi, qui fuerunt in culpà tamquam auctores distractionis, & alienationis rei, egerunt enim contra Iustitiam, ac proinde tenentur satisfacere. Ita *Fraxinell. sect. 4. concl. 4. §. 27. Tambur. de Missà lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 89. cum alijs Pasqual. q. 1064. num. 6.* Itaq; vt cesset obligatio celebrandi oportet, quòd res pereat sine culpà illorum, ad quos spectat administratio, sed casu res pereat.

Quæres 7. An teneantur celebrare, quando res, seu pecunia accepta casu perit, vt si furto sublata fuerit.

9 ℞. Negatiuè, quando perijt sine culpa, morà, aut peccato, quia nemo ex casu fortuito tenetur, nisi subsit vnum ex illis tribus. Ita *Sum. in V. Casus, Angel. num. 2. Armilla ibidem, Sà ibidem, ex l. Si vt certò 5. §. Nunc videndum ff. Commodati, l. Si quis 10. ff. Locati.* Tunc autem quis dicitur esse in morà in præsenti materia *primò* respectu missarum manualium, si intra bimestre non cœpit celebrare missas, ex dictis *cap. 9. num. 80. Secundò* respectu implicationis pecuniæ, si cum inuenit idoneam proprietatem frugiferam, & non inuestiuit pecuniam, dicitur esse in morà, & in culpà, ac proinde sibi pecunia perit, & tenetur celebrare pro suà culpà, & morà. *Tertiò* Si res perit ex merà eius negligentià, quia pecunias non custodiuit sicut suas, tenetur ad missas, quia fuit in culpà.

Quæres 8. An euictione fundi designati à testatore, vel eius hærede, vel empti ab Ecclesia pecunijs testatoris, seu hæredis cesset legatum cum suo onere?

10 ℞. Si euincatur fundus, factà eius restitutione, cessat obligatio missarum, quia corruente fundamento legati, extinguitur etiam onus celebrationis, quod illi inhærebat, quia alià ratione celebrans non tenebatur celebrare, nisi quia vtebatur fructibus annuis illius fundi, sed amplius non habet ius ad illos, ergo cessat onus celebrandi non currentibus vlterius fructibus. Si hæres assignauit fundum euictum, & habet alia bona testatoris, tenetur alium fundum tradere, vel soluere annua stipendia pro missis, quia bona testatoris remanent obligata, quando ipse non designauit talem fundum euictum à domino, tunc enim simpliciter extinguitur legatum cum suo onere.

Quæres 9. An diuturnitate temporis cessent Legata cum suis oneribus?

11 ℞. Onera missarum à testatoribus relicta in perpetuum, & sine limitatione temporis, perpetuò durare vsq; ad finem seculi, ac proinde Ecclesià habère obligationem celebrandi missam e. g. quotidianam pro defunctis testatoris in perpetuum, non extingui vmquam hanc obligationem ex parte Ecclesiæ, seu etiam hæredis, qui talem obligationem, cum sit realis, transfert in suos successores, aquirentes eadem bona obnoxia huic obligationi.

Probatur id *ex l. Annuam 6. l. cum quidam 23. ff de ann. legat. l. in annalibus 22. C. de legat.* In quibus locis dicitur annuum legatum deberi in perpetuum, non solùm vsq; ad centum annos, sed etiam vlterius, & sine temporis limitatione, nam legatum relictum certæ personæ, vt dicitur in citatà lege Cod. *& eius hæredibus*, debetur hæredibus in infinitum ex appellatione hæredis veniunt hæredes in infinitum in legatis. Vide *Barb. Appell. 113. num. 5.* Ratio est, quia legata missarum cum fiant pro animabus testatoris, & suorum defunctorum, quorum animæ cruciari possunt in Purgatorio vltra centum annos, ratio exigit, vt missæ pro eo celebrentur sine vllà temporis limitatione, nos enim ignoramus, quot annis animæ maneant in Purgatorio, ideo testatores relinquunt huiusmodi onera perpetuò duratura vsq; ad finem seculi, non enim repugnat, quòd aliqua anima remansura sit vsq; ad finem Iudicij vniuersalis in purgatione, vnde apud Surium in vita S. Larbergiæ legitur quòd Papa Innocentius in Purgatorio retinetur vsq; ad diem Iudicij; refert Carolus de Bruco Sacerdos Capuanus in Tract. de Iudicio Vniuersali, *q. 10. de Purgat.* citans D. Augustinum, qui *lib. 9. Confess. c. 13.* ait, se orare pro suà matre mortua annos ante triginta, rogans, vt quotquot eius librum legerint, eius meminerint ad Altare, ergo S. Augustinus putauit suam matrem potuisse indigere suffragijs missarum etiam post centum annos, dum eius liber potest perpetuò legi etiam vsq; ad diem iudicij. Ita docent *Bonac. de contract. disp. 3. q. 17 p. 8. §. 6. num. 2. Homob. in consultat. Vol. 2 par. 7. resp. 27. quos citat, Diana par. 5. tract. 14. resol. 84. cum multis alijs. Ciarlin. cap. 143. à num. 20. Gratian. cap. 131.* 12 13 14

Contraria sententia, quòd annua legata etiam missarum cessent lapsu centum annorum, à plerisq; tenetur, & ab eis probatur auctoritate *l. An vsusfructus 63. ff. de vsufr. & quemad. l. si vsusfructus 8. ff. de vsufr. legato.* In quibus vsusfructus relictus Ciuitati, aut Municipio non durat vltra centum annos, sed tandem consolidatur cum proprietate, ne sit perpetuò inutilis, de naturà enim vsusfructus est extingui morte vsufructuarij, & legatarij *l. Ambiguitatem 12. C. de vsufr. & habit. inst. de vsufr. §. Finitur.* ergo idem dicendum est de legato cum onere, parificantur enim vsusfructus, & legatum annuum, *l. in singulos 8. ff. de annuis legat. l. fin. C. de Sacros. Eccles.* Etiam si fuerit relictum Ecclesiæ *Glos. V. Longæui hominis, cit. l. An vsusfructus 63. ff. de vsufr. & quemad.* Et ratione, tum quia infinitas certanda 15 16 17

18 da est in omni materiâ, *l. qui bona, §. fin. ff. de damno infecto l. 1. C. de sent. quæ pro eo, cap. cum in multis, de rescript.* Tum quia animæ defunctorum liberantur spatio centum annorum à qualibet pœnâ quantumuis grauissimâ, immo secundum Sotum *in 4. dist. 19. q. 3. art. 2.* Animæ in Purgatorio vltra decennium non detinentur, ergo frustra celebratur pro illis. Et hanc opinionem esse probabilem, & communem docent plerique
19 relati à *Ciarlin. cap. 143. num. 11. Naldus V. vsusfructus num. 12.* quam probabiliorem in iure putat Diana citatus, quamuis dicat in praxi seruari oppositam, quos contra se citat *Pasqual. q. 1059.*

20 Ego autem dico longè probabiliorem esse nostram auctoritate, & ratione probatam, & esse magis communem, cum non omnes Doctores citati pro contrariâ loquantur in terminis nostris præcisè de celebratione missarum. Ad auctoritatem dico, non valere arguere ab extinctione vsusfructus spatio centum annorum ad cessationem legati eodem tempore, dispar enim est ratio, nam in vsufructu datur extinctio, vt possit esse vtilis proprietario, in casu verò nostro non est ne-
21 cessaria huiusmodi extinctio, quia apud hæredem vniuersalem remanet vsusfructus bonum cum proprietate, vel vtrumq; transfertur in Ecclesiam, seu locum pium, ex quo patet, vsumfructum non esse inutilem, sed semper vtilem proprietario in legatis, dum fructus sequuntur, vt plurimum proprieta-
22 rium. Ita *Couar. lib. 3. Var. cap. 9. num. 10. cum alijs Ciarlin. num. 22.* Ad rationem primam dico, tunc esse euitandam infinitatem, quando causa est limitata tempore; clarum autem est, animis defunctorum semper egere suffragijs, cum nobis incertum sit, quandonam liberentur à pœnis. Vnde meritò testatoris verba trahuntur ad infinitam durationem, & sic nullum est absurdum, *Gratian. decis. 22. num. 10. & cap. 131. num. 14. Berous cons. 155. lib. 1. initio ex illis Ci-*
23 *arlin. cap. 143. num. 24.* Ad opinationem Soti, quæ est secunda ratio, responditur, eam pati exceptionem censuræ, vnde *Suarez disp. 46. de Pænit. sect. 4. num. 6.* vocat erroneam, & dignam aliquâ censurâ.

Quæres 10. An legatum cum onere fabricandi Monasterium, aut Ecclesiam, cesset, & extinguatur, si sit insufficiens ad exequendum onus iniunctum?

34 ℟. Non cessat, nec extinguitur, sed remanet apud hæredem cum onere suo, in quo casu Episcopus cum hæredis consensu commutat in aliud opus, quod adimpleri possit per designatum pecuniæ legatum.

Primum probatur, quia legatum caducum remanet apud hæredem cum onere suo, *l. Celsus 29. ff. de legat. 2.* Voluntas enim, & mens testatoris adimplenda est omnibus modis, *cap. vltima 4. 13. q. 2.* ergo si non potest adimpleri vno modo, adimpleatur alio. Quare legatum cum onere illicito relictum adimpletur per opus licitum, *l. legatum 16. ff. de vsu, & vsufr.*

Secundum patet ex dictis cap. 14. de com- 25
mutatione legatorum faciendâ per Episcopum, hinc est, quod legata onerosa numquam caduca fiunt.

Quæres 11. An extinguatur legatum sub hac conditione; *Si nupserit Titio* si puella neget nuptias, licet postea se offerat ad nuptias?

℟. Si intra triennium interpellationis non 26
nubat, postquam erit apta viro, cessat legatum, & ei amplius non debetur, *l. 2. §. Ad filiorum C. quando, & quibus quarta pars lib. 10 ibi Bartolus, & Ioannes de Platea, Gratian. cap. 137. num. 9. cap 254 per totum.* Contra Castren. asserentem, mulierem priuari legato sibi facto sub conditione, si nupserit Titio, cùm primùm interpellata recusat nubere illi, quamuis postea pœnitant quouis tempore. Limitatur ergo eius pœnitentia intra triennium secundùm Mutam *super Consuet. Panor. cap. 47. num. 95. Mant. lib. 2. de coniect. vlt. vol. tit. 18. num. 23. apud dictum Gratian.* Translacto ergo triennio, cessat, & euanescat legatum, cum non sit amplius locum pœnitentiæ.

Quæres 12. An destructâ Ecclesiâ, seu loco pio, extinguatur, & cesset legatum illi relictum?

℟. Si pereat Ecclesiâ demolitione, vel 27
profanatione antequam moriatur testator, vel antequam sit illi quæsitum, caducatur, quia non existit cui aquiratur, ex dictis *cap. 13. num. 10.* Si verò post aquisitum legatum Ecclesia pereat, non cessat legatum, nec reuertitur ad hæredem, sed in eo succedit Romana Ecclesia, cum sit hæres omnium aliarum Ecclesiarum per orbem. Ita *Bartol. in l. fin. ff. de colleg. num. 22. vers. quæro quid fiet. de reb. & alij apud Peregrin. de fideicom. art. 11. num. 64. & alijs Gratian. cap. 131. num. 15.* Dicas nihilominus legatum aquiri illi Ecclesiæ, cui profanata vnitur, vt praxis docet in singulis diœcesibus.

Quæres 13. An legatum relictum sub conditione; *Si erit Consul, Officialis &c.* cesset, an debeatur, si legatarius adimpleuit conditionem ante mortem testatoris, immo & finierit officium?

℟. Non extingui, sed deberi, expressè 28
l. Si quis. 7. C. de institut. & subst. sufficit enim, quòd conditio semel sit adimpleta, etiam in momento, & quouis tempore, ex dictis *cap. 1. num. 31.*

Quæres 14. An conditione deficiente, cesset legatum, & non debeatur? Dixi sub *cap. 1. num. 9.* Conditionem esse triplicem, Potestatiuam, quæ se tenet ex parte legata- 29

rij;

rij; casualem, quæ extraneorum est à legatario; & mixtam, quæ pendet ex parte legatarij; & aliorum. Conditio autem exprimitur per dictionem *si*, seu per casum ablati-
30 uum, *l. Si debitor* §. *ff. Quibus modis pign. Bart. l. 1. ff. de condit. & dem. q. 3. Ludouis. dec. 492. num. 7.* Dictio *quando* importat conditionem, *Bartol. in l. 1. ff. quando dies, num. 17. Caphal. cons. 161. num. 4. Rum. lib. 4. cons. 68. num. 7.* Gerundium adiunctum futuro tempori dicit conditionem, *l. Si tamen ex parte, de aquir. hered. ibi Glos. V. Adeundo, Bart. ibi in fine, Ludouis. dec. 187. num. 6. Bart. in l. 1. ff. de condit. & dem.* intelligunt aliqui, quando gerundium regulatur à personâ legatarij, non à personâ loquentis, *Marinus lib. 2. cap 8. num. 16.* nihilominus *Rota part. 4. tom 2. dec. 456. num. 11.* refert etiam ad testatorem. Dictio *quandocunq;* denotat conditionem, *l. cum vis ff. de condit. & dem. Alber. hac dictione. Ludouis. dec. 371. num. 6.* Dictio *quatenus* est conditionalis, *Aymon cons. 802. initio, Ludouis. decis. 555. num. 2.*

31 Ɍ. Si conditio sit tantum potestatiua, legatario non implente, cessat legatum, & illi non aquiritur; si verò conditio sit casualis, vel mixta, & per eum non stat, lucratur legatum; si autem habet adiunctam aliquod onus, legatum suum facere non potest, nisi illud exequatur, licet impediatur casu, vel quouis alio modo.

Prima pars, quòd legatarius non implens conditionem, cum potest, extinguatur, & cesset legatum, probatur, quia conditio habet vim formæ, quà non seruatà corruit actus, cui adijcitur, *l. Qui haredi 44. l. Meuius 54 ff. de condit. & dem.* Ratiò est, quia aliâ ratione non reliquit legatum, nisi illud adimpleatur, deficiente ergo conditione potestatiuâ cessat, & destituitur legatum; proinde enim est, ac si non esset factum. Est communis, *Seraph. dec. 838 num. 6. Ludouis dec. 187. num. 9. & dec. 555 num. 3. Menoch dec. 27. num. 7. de Lugo disp. 24. de iust. num. 244. Castropal. tract 32. disp. 1. p. 7. num. 6. & seq.*
32 Hæc autem conditio implenda est post mortem testatoris, *ex l. 2. ff. de cond. & dem. Anton. Gomez primo Resol. cap 12. num. 61. & 68. Merlin. disp. 206. Layman lib. 3. tract. 5. cap. 10. num. 10. Vers. Illud porrò. Castropal. num. 17.* Casuales verò, & mixtæ, quo vis tempore impleri possunt.

33 Secunda pars, quòd legatarius suum faciat legatum, & illud non perdat, si per eum non stat, nec sit in culpa, ex conditionibus casualibus, seu mixtis, impeditus probatur *ex l. Dedi tibi 3. §. Quamquam ff. de condict. causâ, l. Quæ sub conditione 8. §. Quoties de condit. instit. l. Si Titius 14. l. Iure 24. l. In testamento 31. ff. de cond. & dem. l. 122. ff. de reg. iur.* In quibus locis apertè dicitur, quòd conditio habetur pro impletà ad consequendum legatum, & hæreditatem, si per hæredem, vel legatarium non stetit, vt impleretur. Est communis apud præcitatos, & dicitur hoc respectu conditionum casualium, & mixtarum, neq. enim rationabile est, quod quis ex alterius malitiâ damnum patiatur, aut ex casu fortuito, si ipse in culpà non fuit.

Tertia pars, quòd non consequatur le- 34
gatum, si non faciat onus adiunctum licet ab alio impeditum, probatur, *ex l. Seio 10. & l. Meuia 13. ff. de legat. annuis*, nam ex priori textu habetur, quòd diminuitur legatum relictum amico pro gerendis negotijs suorum filiorum, qui erant tres, superstite vno tantum, diuisum ergo fuit legatum, & salarium taxatum, quia sicut diuiditur labor, ita & pecunia legata, ergo mortuis omnibus filijs, deficit in totum legatum, quia desinet
omnino labor, fuit enim correlatiua ad in- 35
uicem labor, & pecunia, quæ est legatum, vno autem relatiuorum deficiente, tollitur,
& alterum, *l fin. ff. de acceptis. l. Alteri 25.* 36
ff. de adim. legat. Vnde Merlinus, dec. 55. num. 3. dixit, onus in legatis restringi pro rata commodi. Nec obstat posterior lex adducta, quia in ea suponitur legatum relictum, vt agat curam filij sui, esse relictum non pro labore administrationis, sed gratis, vnde impediri non potuit per filium recusantem legatarium administratorem suorum bonorum. Confirmatur id ex sequenti causâ.

Ioannes Franciscus Marcianus Primarius Aduocatus Neapolitanus, & Regius Consiliarius tuens iura sui genitoris, iuxta quod refert Donatus Antonius de Marinis *lib. 2. resolution. quotidian. cap. 8.* defendendo legatum deberi suo genitori Regio Consiliario; licet non possit amplius patrocinari in causis hæredum Principis Auersanæ, cuius legati verba sunt hæc: *Lascio al Signor Marcello Marciano mio Auocato ducati trecento l'anno, durante sua vita solamente, da pagarsegli di terza in terza, pregandolo, che debbia hauer pensiero delle mie liti, e particolarmente della lite, che tengo col fisco reggio.* Probat hoc legatum, ex quo non est conditionale, vlterius deberi, quamuis amplius non patrocinetur, quia l. Seio, & l. Meuia, in quibus probatur non deberi legatum relictum ad patrocinandum, defectu patrocinij ex casu fortuito, ergo ex illis duabus legibus colligitur legatum cessare, cessante patrocinio ex conditione casuali. Respondendo autem gerundium *Pregandolo* non importare conditionem, quando se tenet ex parte testatoris, concludit hunc casum non comprehendi sub illis duabus legibus, quæ negant deberi legatum defectu conditionis patrocinandi ex casu fortuito, cum sit Regius Consiliarius, cui prohibetur patrocinari priuatis.

Quares

Quæres 15. An cessante modo extingua-
37 tur legatum? Modus autem est illud grauamen, vel onus, quod à testatore imponitur hæredi, vel legatario exequendum, de *Lugo disp. 24. de iust. num.* 245. & cognoscitur modus expressus cum hac dictione *vt* coniuncta similibus verbis: Lego tibi centum cum hac lege, conditione, seu pacto, vt facias &c. Et quoniam in legato conditionato inueniri potest grauamen, & onus, ideo vtile erit distinguere vnum ab alio.

38 Distinguuntur autem *primo*, quod conditio suspendit aquisitionem legati quousq; adimpletum sit onus illi adiunctum, vnde prius debet fieri onus, quam quod aquiratur legatum, quod de conditionali euadit purum purificatum per adimpletionem grauaminis. Quandoq; tamen onus sequitur legatum cautione data verbo, vel facto de adimplendo grauamine, vt patet in legato relicto amico, si curam habebit filiorum testatoris, nam promissio purificat legatum. Modus verò non suspendit aquisitionem legati, sed illud supponit perfectum, vt eo mediante possit onus exequi à legatario, vnde grauamen adimpletur post aquisitionem legati. *Secundo* legatum non potest peti nisi purificata conditione, propter eius suspensionem, vtiq; modale; ex quo non suspendit, & datur, vt exequatur opus iniunctum. *Tertio* conditionale non transmittitur ad hæredes, nisi conditione purificata, quia ante eam dominus non est legati; vtiq; legatum modale trãsmittitur, cum ab initio sit sub dominio legatarij, præstita cautione de modo adimplendo, *ex l. A testatore ff. de condict. & dem. Anton. Gomez cap. 12. num.* 71. *Castropal. de iust. disp.* 1. *p.* 8. *num.* 4. *Barbosa lib.* 3. *Voto* 136. *num.* 51. *ad* 58.

39 In dubio autem Conditionis, an Modi, post Adhibitam diligentiam in perscrutatione mentis testatoris? Præsumendum est legatum esse conditionale, vt dixi *cap.* 1. *q.* 5. *num.* 32. *Gratian. cap.* 44. *num.* 17. *& cap.* 136. *num.* 14. dicit, censendum esse modale, non conditionale, iuribus, & Doctoribus citatis, *Marianus quoq lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 21.

40 16. Legatario non adimplente grauamen, quando potest ex parte sua, extinguitur legatum, adeo quod sibi illud non lucratur; si verò per eum non stat, sed casu, vel malitia alterius non potest illud implere, non perdit illud, sed lucratur; nisi grauamen sit annuum iuxta dicta in tertia parte præcedentis quæstionis, quia respectu illius extinguitur, & cessat.

Prima pars, quod perdat legatum, dum non impiet onus, cum possit, probatur, quia datur contemplatione grauaminis, alias non dandum, si sciret, legatarium nolle exequi sibi præscriptum opus. Colligitur ex infrascriptis iuribus.

Secunda pars, non extingui legatum, si 41
per eum non stetit, probatur, quia modus habetur pro completo, si non stat per eum, à quo debet impleri *l. si Titio* 95. *ff. de legat.* 1. *l. qua sub conditione* 8. §. *quoties ff de condit. instit. l.* 1. *C. de his, quæ sub modo* Est communis sententia *Gratian. cap.* 136. *num.* 22. *Alex. in l.* 1. *C. de instit. & substit. num.* 5. *Cephalus cons.* 129. *num.* 104. *ex illis Rota par.* 5. *dec.* 293. *num.* 15. *Castropal. disp.* 1. *de iust. p.* 8. *num.* 9. Aduertat tamen legatarius, quod modus quantumuis difficilis, de facto tamen, & quatenus licet, obseruandus est, & pro viribus exequendus, eo modo, quo fieri potest, vt docet *Rota par.* 5. *dec.* 65. *num.* 22. *ex Alciato in l. impossibilis, ff. de verb. oblig. num.* 13. Testatoris enim voluntas, implenda est, quantùm fieri potest, *l. qua sub conditione* § *quoties ff. de condit. instit.*

Tertia pars, quod extinguatur onus annuum, si casu, seu ab alio impediatur probatur eisdem medijs, quibus idem probatum est respectu conditionis. Confirmatur, quia modus, & conditio licet diuersa sint in principio ad deducendum rem in esse, æquiparantur tamen in fine, & in effectu, *ex l.* 1. *C. de ijs, quæ sub modo.* Sed in oneribus conditionatis deficit legatum, ergo & in modalibus.

Quæres 16. An cessante causa, cesset quoque legatum, propter quam fuit relictum?
Causa autem duplex est. Finalis, quæ prin- 42
cipaliter mouet ad agendum, quæ si non adesset, nihil ageretur. Et impulsiua, quæ simpliciter, & principaliter non mouet, sed solum dat occasionem. Ita *Merlin. dec.* 126. *num.* 68. *Layman lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 5. *num.* 4. *vers. pro pleniore, Sanchez lib.* 10. *disp.* 6. *num.* 19. *Nauar. cap* 23. *num.* 107. *Pasq. q.* 392. *num* 5. *P. Nauarra lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 301. *Bartol in l.* 2. §. *Titio de donat.*, dicit, quod si causa respiciat vtilitatem alterius, quam eius, cui res datur, vt do tibi centum, vt emas prædium Titio, causa hæc præsumitur finalis *ex l.* 70. *ff. de condit. & dem.* Quando verò respicit commodum donatarij, seu legatarij præsumitur pariter finalis si requiratur ad substantiam actus de necessitate, alias erit impulsiua. Quoniam autem secundum Philosophum, & veritatem quicquid agit homo, agit propter aliquem finem, vnde causa in his moralibus est, finalis mouens agentem, & testatorem ad disponendum, quæ vel desumitur ex facto præterito, vt *ex l. damus* 52. *ff. de condit. in debiti l. si ita legatum* 12. *ff. de condit. & dem.* in quibus locis agens mouetur ex facto præterito tamquam causa mouente ipsum ad disponendum, vnde Bartol. loco citato dixit, quod causa propriè sumitur de præterito, intellige
tu respectiuè ad eas leges, non quod dicatur 43
etiam propriè de re in futurum, immo pro-

prijs

pr^ssime, cum causa finalis secundum Philo.ophos causet antequam sit e. g. Lego centum Seiæ vt nubat, vel si nubet, nuptiæ me mouerunt ad legandum, & patet esse futuras, non præteritas, & sunt causa finalis, quia aliud me non mouit ad legandum, nisi nuptiæ. Legaui centum singulis annis Titio, si curam, vel vt curam habeat filiorum meorum, cura ergo futura est causa finalis, sine qua non legassem, cum ea solùm me mouerit ad id faciendum.

44 ℞. Cessante causa finali cessat quoq; legatum. Probatur *ex l. alteri 25. & l. filio 31. §. Matriss. ff. de adim. legat. Ita Bartol. in l. 2. §. Titio, ff. de donat. per l. Titio ff. de condit. & dem. ex illis Marinus lib. 2. cap. 8. num. 14. Rota par. 3. dec. 233. num. 2. Gram. dec. 59. num. 3. Caphal. consi. 81. num. 8. Pasqual. q. 244. num. 2. asserentes non cessare cessante impulsiua. Ciarlin. cap. 142. num. 4.* Ratio est, quia effectus pendet à sua causa finali, ergo ea non existente, desinit esse effectus, defectus enim causæ finalis vitiat dispositionem, *l. cum codicillis 34. ff. de testam. tutela*. Cum enim principalis causa non existit, nec ea, quæ sequuntur subsistunt, *Reg. 139. & 172 ff. de regul. iur.* Causa deficiente, quæ est necessaria ad effectum producendum, deficit effectus, *l. 1. C. de condict. ob caus.* S. autem post aquisitum legatum cesset causa, non ideo cessat effectus, & legatum ipsum, sed retinetur, *l. cum vxori C. quando dies legati, l. fin. ff. vnde liber. Bald. in l. filia ff. de Senator. Tiraq. cessante causa, limit. 11. initio, Rota par. 6. dec. 355. in fine.*

Quæres 17. An dicta in præcedentibus quæstionibus 15. 14. & 16. locum habeant in legatis pijs.

45 ℞. Defectu conditionis deficere quoq; legatum pium, onus autem adiectum siue sub conditione, siue sub modo, non expirare, si enim adimpleri non potest vno modo adimpleatur alio modo per commutationem iuxta dicta cap. 14. in legatis pijs non videtur cessare causam finalem, cum sit honor, & cultus diuinus, qui nunquam cessant, cum Deus colendus sit sine temporis limitatione. *Rota par. 3. dec. 233. num. 3. & 4.*

Quæres 18. Locus pius recepit legatum in tot nummis, eosq; inuestiuit in proprietate stabili, & frugifera. Modo perit proprietas aduenientibus v. g. anterioribus creditoribus, vel alia de causa, an administratores loci teneantur adimplere onus legati?

46 ℞. Si absq; culpa administratorum, qui scilicet in inuestiendo pecuniam debita vsi sunt diligentia, quam adhibent in suis proprijs rebus, & ad formam Decreti de celebr. missar. fundus perijt, vel euictus fuit à vero domino, cessat obligatio missarum, quia pereunte re legata, perit etiam obligatio, *l. si grege 22. l. si ita scriptum 68. ff. de legat. 1.* Ratio est, quia obligatio innititur rei legatæ, sicut accidens inhæret subiecto, sicut ergo subiecto destructo, desinit esse accidens illi inhærens, ita fundo pereunte casu, vel per sententiam euictionis, perit quoq; obligatio missarum innixa fundo alieno. Confirmatur, quia talis præsumitur esse mens testatoris, qualis de iure esse debet, sed de iure celebrans non tenetur de suo laborare pro alijs, ergo nec testator intendit obligare celebrantem, fundo pereunte, quia laboraret pro alijs de suo, & sine mercede, quod iniustum est. Ita *ex Parladoro par. 3. dis. 17. §. vn. num. 7. Ioseph. de Ianuario Resol. 42. num. 13. Pasqual. q. 1039. num. 5. q. 1074. num. 2.* Verum quidem est, quòd administratores tenentur procurare pro viribus restitutionem 47 pecuniæ, & eam in alium securius implicare, vt possint satisfacere suæ obligationi. Quod si facta debita diligentia, nihil possunt recuperare, ad nihil vlterius tenentur.

Quæres 19. Quid si ex conuentione hæredis administratores promiserint satisfacere, quocumq; casu adueniente, Numquid fundo pereunte teneantur satisfacere?

℞. Affirmatiuè, quia in casu fortuito quis 48 tenetur ex pacto, *l. si vt certo 5. §. nunc videndum ff. commod.* tale enim pactum valet, *l. si quis 10. ff. locati*, Sed stultus est, qui tale pactum facit.

Quæres 20. Quid si non fecerunt debitam diligentiam; aut ignoratur an eam adhibuerint, successores teneantur satisfacere, si fundus perijt?

℞. Nulli dubium est negligentes teneri, 49 quia ex ea nemo commodum reportare debet, *cap. intelleximus 7. de iudic.* Negligentia enim vnius alteri nocere non debet *l. non debet, ff. de reg. iur.* Nec quæ negligentibus ignoscendum est, *l. Velati 7. ff. de edend.*

Successores verò, quibus hæc negligentia 50 ignota est, ad nihil tenentur, obligatio enim hic oritur ex scientia negligentiæ, quæ, in successoribus non præsumitur, *l. qui 43. ff. de reg. iur.* immo nec de ea ignorata dubitandum est, nisi temere, quia negligentia non præsumitur in officiali, *l. regula §. 1. ff. de facti, & iur. ign. Rota par. 4. tom. 1. dec. 26. num. 7.*

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

De Amissione Legatorum ob nuptias.

SVMMARIVM.

1 *Arbiter, & moderator quisq; est in re sua.*
2 *Conditionem, seu modum licitum quisq; rei suæ apponere potest.*
3 *Conditionem non seruans nec hæreditatem, vel legatum recipere potest.*

4 *Res-*

4 *Restituere tenetur non celebrans missas.*

5 *Restitutio stipendij, & legati facienda in foro conscientia.*

6 *Contractus intercedit inter testatorem, haredem & legatarium.*

7 *Fornicatione vnà, vel alterà non perditur legatum relictum sub conditione* castè viuendo, *à quocunq; sit relictum.*

8 *Castam vitam ducit, qua fornicatur semel, aut iterum.*

9 *Idem dic si legatum viro relictum fuerit.*

10 *Amplexus & oscula non faciunt perdere legatum relictum cum conditione:* si castè vixerit.

11 *Castè per decennium viuens perdit legatum si meretricatur.*

12 *Castè dicitur viuere coniux transiens ad secunda vota.*

13 *Milites Regulares dicuntur castè viuere cum suis vxoribus.*

14 *Vxor mortuo marito statim nubere potest.*

15 *Ergo non facit iniuriam marito.*

16 Seruent inuiolatum morientis thorum *Auth. de non eligendo explicatur.*

17 *Lenocinium exercens non perdit legatum si castè viuat.*

18 *Si in domo meâ castè vixerit. Non perdit legatum nuptijs.*

19 *Testatoris mens collecta ex coniecturis habetur pro expressa, intellige pro fauore legatarij, & haredis.*

20 *Si castè vixit aliquibus annis continuè non perdit legatum, vtiq. deinceps semper si meretricatur, aut est concubina.*

21 *Sicut enim legatum aquiritur conditione adimpletâ in momento, ita & in momento eius violationis perditur.*

22 *In annuis verò legatis perditur legatum solùm pro eo anno, quo luxuriosè viuit.*

23 *Vidua obligata ad hunc statum perdit legatum nubendo.*

24 *Vnde tenetur restituere legatum cum omnibus fructibus.*

25 *Vidua non perdit fornicando, si erat obligato tantùm ad viduitatem.*

26 *Prohibitio vti odiosa strictè sumitur, & si est expressa.*

27 *Perdit legatum si fornicetur plebeo, cui nubere erat interdicta.*

28 *Luxuria non debet plus prodesse, quam castitas.*

29 *Perditur legatum sub conditione non nubendi, licet nuptia sint irrita.*

30 *Pana incurritur ex actu irrito, si lex considerat factum.*

31 *Non prastat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum explicatur esse verum respectu effectus intenti, non autem non intenti.*

32 *Pana de ratione est inuoluntarium.*

33 *Vitiosè factum habetur pro non facto ratione sui.*

34 Si peruenerit ad viduitatem *non prohibet nuptias.*

35 *Conditio sufficit ei adimpleatur in momento.*

36 Si vidua erit *diuersum*. Si in viduitate permanserit.

37 *Nobilitas duplex* sanguinis, *&* ex priuilegio.

38 *Non perdit legatum relictum nubenti viro* nobili *licet talis sit* ex priuilegio.

39 *Quia is gaudet omnibus priuilegijs* nobilis ex sanguine.

40 *Nobilis nomine in statutis venit nobilis ex priuilegio.*

41 Si custodierit lectum, *non perdit Legatum nubendo.*

42 *Legatum non perditur per matrimonium tantùm ratum, si fuit relictum sub conditione non nubendi.*

43 *Conditio* non nubendi *non habetur pro turpi.*

44 *Conditio* Nubendi *non facit perdere legatum profitenti in Religione, habetur enim pro non adiectâ, cum enim retrahat à Religione habet nescio quid turpitudinis.*

45 *Nubere, & Matrimonium inire ex aquo refertur ad vtrunq,* Carnale *scilicet, &* Spirituale.

46 *Legatum perdit nubens* Titio; *si debebat nubere* alteri.

47 *Non perdit verò si prohibetur nubere alicui de tali loco.*

48 *Legatum non perdit prohibita nubere* Titio, *si illi nubat, dum non inuenit alterum, cui possit nubere.*

49 *Legatum* cum nupserit *non perdit iam nupta, sed lucratur in secundo matrimonio, si testator sciebat esse nuptam.*

50 *Legatum relictum masculo & famina si contrahant ad inuicem, altero renuente, alter non perdit legatum, sed resistens.*

51 *Conditio habetur pro impletâ, quando per alterum non stat.*

52 *Legatum relictum si nubat arbitrio* Tertij, *si is moriatur, lucratur, quia conditio pro non adiectâ habetur, cum sit facta impossibilis.*

53 *Aquiritur legatum, & non debetur fideicommissum.*

54 *Lucratur puella legatum, licet vir moriatur ante copulam.*

55 *Prohibita nubere Titio, lucratur legatum si post eius mortem alteri nubat.*

56 *Legatum:* si nupserit *non perdit recipiens Sacros ordines.*

57 *Legatum:* si manserit in viduitate, *non perdit profitendo.*

58 *Legatum:* si manserit cum filijs meis, *non perdit nubendo.*

59 *Occasio cum sit causa remotissima non infert praiudicium.*

60 *Vidua*

60 *Vidua non perdit legatum habitationis, si nubat.*
61 *Legatum vsus habitationis*: Dum steterit in eà domo *non perditur à nubente*.
62 *Legatum non perdit ille, cui fuit concessum*: Si steterit cum vxore meà, *si vidua transit ad secunda vota, cum per eum non steterit, & adhuc cum ea*
43 *stare possit cum marito*.
63 *Obligata nubere Titio perdit legatum, nisi paniteat intra triennium post negatas nuptias*.
64 *Conditio* non nubendi *non negat nuptias spirituales*.
65 *Conditio* non nubendi *non est licità secundum aliquos*.
66 *Conditio non nubendi est licità*.
67 *In hàc re non attendenda sunt Leges Infidelium Imperatorum*.

TEstatores solent in suis testamentis diuersas apponere conditiones subeundas tum ab hæredibus, tum à legatarijs, si velint consequi hæreditates, & legata, quod illis omninò licet si sint honestæ, & licitæ, quilibet enim in re suâ arbiter est, & mode-
1 rator, *l. Sed & si 28. §. consuluit ff. de petit. hæred. l. In re mandatâ 21. ff. Mand.* & conditionem iustam, seu modum rebus suis quilibet adiungere potest, *l. In traditionibus 49. ff. de pactis, Glos. V. Concessa in Clem. 2. de sepuls. & in cap. 2. 10. q. 1.* In hoc igitur cap. agendum est de legatis sub conditione præsertim in ordine ad nuptias, an & quando consequi possint legata, seruantes, vel non seruantes conditiones.

Quæres igitur primò, an non seruantes conditiones appositas dum possunt, faciant legata, & hæreditates suas, an verò illa perdant? Præmitto conditionem concipi posse tripliciter, vel per tempus præteritum sic: *Si castè vixisti. Si nupsisti tali personæ*. Vel per tempus præsens. *Si es virgo. Si es nupta: Si habes virum*. Vel per tempus futurum: *Si castè vixeris: Si non fornicaberis: Si nupseris*. Præterea conditio concipi potest cum limitatione temporis, e. g. *Donec castè vixeris. Quousq; vidua fueris. &c.*

2 ℞. Non seruans conditionem hæres, aut legatarius non potest recipere hæreditatem, vel legatum, & receptum restituere tenetur vnà cum fructibus suis perceptis, quando tempore perceptionis legati, seu hæreditatis non paruit conditioni; si verò post receptionem legati non paruit conditioni, fructus tantùm ab eo tempore tenetur restituere, cum re legatâ, & non perceptos ante transgressionem; similiter in legatis annuis restituit tâtû pro eo anno, quo e. g. castè nô vixit.

Prima pars de restitutione legati, & fructuum eius ab initio, quando recepit violatà iam conditione, probatur illo communi axiomate: Datum ob causam, eà non secutà, restituendum est, *l. 1. ff. de condit. ob causam, cap. 5. de donat. inter virum*. Ratio est, quia testator per expræssionem conditionis non intendit donare, nisi fiat, quod in conditione exprimitur. Est communis omnium Doctorum, quos magno numero citat *Sanchez lib. 7. disp. 97. num. 2.* Ita quòd res cum omnibus suis fructibus perceptis restituenda est, quia legatum ab initio resolutur, ac si nunquam factum fuisset, vt dicunt Doctores, quos citabo *num. 23*.

Secunda pars, quod non sunt restituendi fructus, quos legatarius recepit ante violatam conditionem, probatur, quia dum non est transgressor conditionis, pænam non meretur. Quare vidua e. g. quæ recepit legatum frugiferum cum conditione non nubendi, non tenetur restituere fructus, quos percepit ante nuptias, quia ante illas non fregit conditionem, cum ergo dicatur habere bonam fidem, dum paruit conditioni, non obligatur ad restitutionem fructuum respondentium illis annis, quibus viduitatem seruauit. Intellige hæc pro foro conscientiæ, ex allatis à Sanchez *lib. 7. disp. 91. num 7.* Vnde si cautio Mutiana intercessit, tenetur non solùm ad legatum, sed etiam ad omnes fructus perceptos, vt expressè dicitur in *l. cum filius 78. §. Qui Mutianam cautionem alicuius non faciendi causà interposuit, si postea fecerit, fructus quoq; legatorum, quos in principio promitti necesse est, restituere debet. de legat. 2.* Ideo tenetur fructus reddere, 3
quia per Mutianam se obligauit quasi in pænam, & consequenter debentur solùm si exigantur, & non in foro conscientiæ ante sententiam, & exactionem.

Notandum autem est, quòd cautio Mutiana à Mutio introducta datur in conditionibus negatiuis, quæ consistunt in non faciendo, vt si Capitolium non ascenderis. Si Stichum non manumiseris. Si dotem non exegeris. Si non nupserit &c. *l. Mutianæ cautionis 7. ff. de condit. & dem. Sanchez lib. 7. disp. 91. num. 6. & 7.* notat dupliciter concipi posse conditionem negatiuã. Primò ad tempus perpetuum, in quo casu res legata cum omnibus fructibus restituitur, iuxta superius dicta. Secundò concipitur ad tempus cum his dictionibus. *Quamdiu, Donec, Quousq; vidua fuerit &c.* Et in his res legata restituitur, & fructus solùm à die transgressionis si vlterius legatum retinuit post violationẽ, quia incæpit esse in malâ fide.

Procedit hoc in legatis etiam pijs, vt restituantur fructus, & res legata, illis non consumptis in onere exequendo, vt probaui *cap. 1. num. 35. & de onere missarum cap. 9. num. 62.* & de hoc nullatenus dubitandum est, cum id decretum sit de celebratione missarum illis verbis. *Itaut alioquin ij ad*

ad quos pertinet suæ obligationi non satisfa-
4 *ciant, quinimmo grauiter peccent, & ad restitutionem teneantur.* Intellige ministros Ecclesiæ teneri restituere illa stipendia, quæ correspondent missis omissis, vel celebrando, & remittendo missas omissas, rem autem legatam, vt domum, vel fundum non tenentur restituere, quandocunq; volunt satisfacere.

Tertia pars de legatis annuis probatur, quia cum tot sint legata, quot sunt anni, vnicuiq; correspondet propria conditio, ergo, & vnicuiq; propria violatio, itaut sit alijs incommunicabilis, ergo vna violatio non debet præiudicare alijs annis, quibus non violatur conditio, probabo rem hanc infra *q. 10. num. 22.*

Quæres 2. An restitutio huiusmodi facienda sit in foro conscientiæ ante sententiam Iudicis? Obseruandum est, conditionem, quam testator apponit hæredibus, & legatarijs, seruandam violatione non inducere propriè pænam, cum hæc in rigore oriatur ex transgressione legis pænalis, vel ex sententiâ Iudicis propter aliquod delictum pænam merens, & præterea pæna propriè dicta soluitur ex proprio. Pæna autem à lege imposita non soluitur nisi post sententiam Iudicis latam, & condemnationem, loquendo de temporali, vt est in confesso apud omnes, pænam non obligare ad sui solutionem, nisi post sententiam, *Bald. in cap. 1. de Feudis sine culpâ non amitt. Grammat. decis. 15. numero* 8. *Couar. par. 2. cap. 6. §. 8. numero 10. 4. Decretal. Nauar. cap. 23. numero 66. Sanchez lib. 2. cap. 22. numero 7. Pasqual. q. 137. num. 4.* Pæna verò conditionata à testatore imposita proprie talis non est, sed conditio, vel modus rei traditæ sub conditione resolutiuâ, hoc est, priuatio iuris quærendi, vel quærendi sub tali, vel tali modo, *Nauar. cap. 25. num. 118. Lessius lib. 2. cap. 34. num. 101. Sanchez lib. 7 disp. 91. num. 2.*

5 R. Non est expectanda Iudicis sententiâ; sed hæres, vel legatarius non adimplens conditionem iuxta id, quod debet, & potest, tenetur statim in conscientiâ, vel non recipere legatum, seu hæreditatem, si iam violault conditionem, vel receptum dimittere, & restituere.

Probatur, quia testator aliâ ratione non intendit donare suum, nisi sub illâ conditione, ergo eâ spretâ non vult dare suum, ergo receptum non dicitur iure receptum, sed vsurpatum, & quasi ablatum tamquam alienum à fure; sed is tenetur restituere in conscientiâ ante sententiam, ergo & hæres, & legatarius non parentes conditioni.

6 Confirmatur, quia inter testatorem, hæredem, & legatarium intercedit contractus innominatus, do vt des, vel vt facias, vel vt abstineas &c. qui firmatur acceptatione rei ex parte hæredis, seu legatarij, qui proinde obligantur facere, quod eis testator præscripsit, aliter conditione non seruatâ tenentur ad restitutionem. Ita omnes docent *cum Silu. V. Legatum 2. in fine, Armilla V. Pæna num. 3. Nauar. cap. 23. num. 61. Rodr. par. 1. cap. 96. num. 4. cum alijs, Sanchez lib. 7. disp. 91. num. 2. & 3.*

Quæres 3. An puella, seu mulier, aut vidua, cui sub hac conditione: *si honestè, & castè vixerit*, Legatum relictum fuit à patre, marito, vel alio coniuncto, vel etiam ab extraneo, non parendo conditioni, sed fornicando etiam semel amittat legatum?

R. Per vnum, vel alterum fornicationis 7
actum non perdere legatum, sed cùm facit quæstum sui corporis per concubinatum, vel meretricium. Probatur, quia ea verba: *si honestè, & castè vixerit*, Important tractum successiuum eo modo viuendi, nam vita temporis duratione agitur; ergo & vita inhonesta dicitur traduci diuturnitate temporis, vt dicatur opposita vitæ honestæ, contrariorum enim contraria est disciplina, sicut, ergo vita honesta ponitur duratione temporis, ita & vita inhonesta ponitur continuatione actuum inhonestorum. Confirmatur, quia ille dicitur viuere luxuriosè, 8
qui non semel, nec iterum fornicatus est, sed qui fornicationem exercet, iuxta illud filij prodigi Lucæ 15. 23. *Et ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè.* Vita ergo luxuriosa constituitur per frequentiam actuum inhonestorum, ergo ille non dicitur seruare vitam castam, qui vitam ducit impudicam, ergo non quilibet actus fornicationis suffic t ad destruendum vitam castam, dum enim vita importat tractum successiuum, importat etiam multiplicationem actuum ad destructionem sui in ratione vitæ castæ; vnde sicut vna hirundo non facit ver, ut aiunt, ita neque vna fornicatio facit vitam de castâ inhonestam, cum vita quomodocumq; qualificetur siue benè, siue malè consistat in pluralitate actuum sibi inuicem succedentium. Adde, quòd mercatoris nomen quis non aquirit per vnam, aut alteram negotiationem, sed illam exercendo, ita neq; mulier per vnam, vel alteram fornicationem appellanda est impudica, & meretrix, quæ propriè in hominum opinione dicitur luxuriosè viuere, & ducere vitam contra castitatem, & honestatem. Ita Plerique apud Sanchez *lib. 7. disp. 91. numero 31. Nald. V. Legatum 30. Arta Vitalis de Legat. Inquis. 2. num. 33.*

Sanchez

Sanchez *lib. 7. disp. 91. q. 2. num. 33.* distinguit, viduam non perdere legatum, aut hæreditatem, quando cum ea conditione sibi relicta fuit ab extraneo, sed tunc requiri frequentiam fornicationum; amittere verò per vnicam fornicationem si relictum sit à marito, vel coniuncto, quia cum testator propinquus grauiter offendatur etiam per vnicam fornicationem, censetur eius mens esse, vt etiam per vnicam fornicationem amittat legatum, seu hæreditatem, quod non præsumitur in extraneo, cui nulla fit iniuria, vel si aliqua, parùm ab eo æstimatur.

Confirmatur, quia in dubio mens testatoris interpretanda est secundùm dispositionem legis, quæ mulierem semel adulterantem punit, & pariter viduam per vnicam fornicationem, ex allatis à Sanchez. *lib. 7. disp. 90. num. 2.* ergo, & talis præsumitur mens testatoris, vt per vnicam fornicationem vidua ab eo relicta perdat legatum sibi factum sub ea conditione vt castè viuat. Et ita tenent plerique cum eo, & Gratian *cap. 5. num. 2.*

Respondetur tamen parem esse rationem, siue legatum fiat à marito, & alio coniuncto, siue ab extraneo, quia cùm tam isti, quam illi vtantur eisdem verbis importantibus habituationem, & frequentiam in delictis carnis, ex vsu, & communi intellectu verborum, nulla ratio suadet, quòd vnus præsumatur velle, vt per impudicam vitam perdatur legatum, & non per vnam, aut alteram fornicationem, vtique alter præsumatur velle, vt perdatur per vnicam fornicationem; neque enim iniuria maior, aut minor id suadere potest, cum ea non immutet communem sensum verborum. esto igitur fiat maior iniuria coniuncto, quam extraneo legatoribus, non indè inferendum est diuersam esse coniecturam vnius ab alio, sed par omninò; quare maritus, vel alius coniunctus sibi imputet, si non expressit in testamento, se velle, vt legataria amittat legatum etiam per vnicam fornicationem. Nec obstat, quòd à lege etiam vnica fornicatio puniatur, quia quodlibet peccatum, & delictum est dignum sua pœnâ, non verò vnica fornicatio, nec bina in causa est, vt mulier dicatur impudicè, & luxuriosè viuere, cum non detur hìc tractus successiuus opponens se ex diametro vitæ ductæ in castitate, & licet castitas per vnicam fornicationem violetur, id tamen non tollit vitam castè ductam, ob diuturnitatem, quam includit castè viuere.

Quæres 4. An vir, cui relictum fuit legatum sub conditione castè viuendi, siuè à coniuncto, siue ab extraneo, amittat illud per vnicam fornicationem?

9 R. Eodem modo non perdere, sed per concubinatum, seu meretricium. Patet ex dictis, quia ea verba important consuetudinem; & à fortiori id verum est in casu isto, quia testatores non afficiuntur quasi nullâ iniuriâ, aut saltem leui, ex opinione hominum. Ita *Sanch. lib. 7. disp. 91. numero 34.*

Quæres 5. An mulier, puella, seu vidua; cui relictum fuit legatum cum ea conditione: *Si honestè, & castè vixerit*: à quocumque siue coniuncto, siue extraneo, amittat illud, si patiatur amplexus, oscula, & alios actus impudicos tantùm sine tamen fornicatione?

R. Non amittit, quia per actus huiusmodi non constituit se in statu impudicitiæ, nec vitam dicitur luxuriosè ducere in ordine ad hunc effectum, sed requiritur concubinatus, vel meretricium; hi enim actus cum sint in se imperfecti tantam vim non habent, sicut illi, inducendi amissionem legati, neque enim tantam merentur pœnam. Ita *Nauar cap. 23. num. 92.* 10

Contrariū, quòd per plures huiusmodi actus inhonestos perdatur legatum docent ferè omnes cum *Sanchez lib. 7. disp. 91. num. 40. cum alijs. Sperell. dec. 159. num. 39. ex Bartolo, & Gambillone. Bonac. de testam. & legat. q. fin num. 22. Vers. Si verò.* Quia hæc aduersantur honestati. Sed estò ita sit verum, per hoc tamen mulier non dicitur vitam ducere inhonestam, & impudicam, nec luxuriosè viuere, quia non est in concubinatu, neque in meretricio.

Quæres 6. An mulier, quæ e. g. per decennium castè vixit, si deinde exerceat meretricium, seu concubinatum, sibi retinere possit legatum factum sub eâ conditione: *si castè vixerit?*

R. Negatiuè, quia ea conditio obligat perpetuò, dum in hoc mundo deget, ergo dum se posuit in eo statu statim amittit legatum. Quicquid dicat Homobon. *Vol. 2. par. 7. Resp. 44. quem citat Diana par. 5. tract. 14. resol. 84.* Vnde si fœmina, inquit, castè vixerit per decennium, licet postea in fornicationem inciderit, debetur adhuc ei legatum cum tali conditione: *si castè vixerit*. Si id intelligat respectu vnius, vel alterius fornicationis, benè loquitur, & cum eo sensimus *q. 4.* Non perdit tamen fructus perceptos ex probatis sub *q. 1.* 11

Quæres 7. An violet illam conditionem: *si castè vixerit*, contrahendo matrimonium, & consequenter perdat legatum?

R. Non violare, neque proinde perdere legatum, quia adhuc dicitur honestè, & castè viuere, quia nuptiæ stant cum castitate, vita enim coniugum honesta, & casta esse dicitur, *cap. Nicana 12. dist. 31. Nauar. cons.* 12

13. *de Regular. Sperell. dec. 2. num.64.* Vnde Regulares militares, quibus conceditur matrimonium, dicuntur castè viuere cum suis Coniugibus profitentes castitatem coniugalem, non cognoscendi scilicet aliam mulie-
13 rem à sua coniuge, *ex eodem Sperello etiam praeced. n. 58. Pontio de matrim. imped. causa 47.q.2.§.4. apud eundem Sperellum.* Ita sentiunt sexdecim Doctores, quos contra se citat *Sanchez. lib.7.disp.91.num.14.* Non perdit ergo legatum vidua contrahens secundas nuptias illi relictum cum conditione castè viuendi. Ita praeter citatos *Vasq. cap. 7. de testam. §. 1. dub. 7. Bonac. de testam. & legat. p. fin. num. 22.*

Contrarium, quod vidua perdat legatum transeundo ad secundas nuptias, sibi relictum à marito, vel alio coniuncto, non verò ab extraneo docet quàplures *cū Sanch. lib. 7. disp.91.n.16.Sperell.decis.159.n.26.* Sanchez probat *primò*, quia nuptiae secundae viduarū sunt valdè odiosae suis maritis, ergo ea verba: *si castè vixerit*, accipienda sunt pro omnimodà castitate, vt dicit abstinentiam à quacunq; copulà, siue licità, siue illicità, & talis debet praesumi esse mens testatoris, ex personà enim verba pensanda sunt, *l. fin. in fine, ff. de act. & oblig.* *Secundò*, quia tacita testatoris voluntas habetur, pro expressà ex coniecturis deducta *in conditione ff. de condit. & dem.* Sed ex odio viri respectu secundarum nuptiarum colligitur, tacitam eius voluntatem fuisse, vt vxor post eius mortem castè viueret sine transitu ad secundas nuptias. *Tertiò*, quia per ea verba: *si castè vixerit*, videtur velle, fidem sibi seruari post mortem in perpetuum, ac proinde cura prioris coniugij remanere inuiolata, ex Auth. De non eligendo, ibi: *Seruent inuiolatum morientiū thorum*. Ita Sanchez in casu, quo apponatur ea conditio à marito, non autem ab extraneo, respectu cuius nuptiae sunt honestae, & castae, & odium non adest, cum id concipiatur solùm respectu mariti testatoris, & pro se refert multitudinem Doctorum.

Tota vis horum argumentorum interpraetandi mentem testatoris vt ea conditio: *Si castè vixerit*, comprehendat omnimodam castitatem excludendo etiam secundas nuptias, in odium mariti detestantis secundas nuptias consistit.

Sed id non vrget. Tum quia tale odium non est rationabile, dum enim vxor est libera à lege mariti defuncti ex D. Paulo I.
14 ad Corinth. 7. 2. *Quod si dormierit vir eius, liberata est, cui vult, nubat, tantùm in Domino.* Ad Roman. 7. 2. idem dicitur, *San-*
15 *ch. lib.7.disp.81.* nullam maritus potuit habuisse occasionem odij super re, quae in vxoris libertate posita est. Tum quia leges ciuiles solùm prohibent secundas nuptias infra annum à die mortis mariti, quia ille annus conuertendus est in luctum, non in gaudium, quod nuptiae solent afferre. Tum quia ea verba. *Seruent inuiolatum morientium* 16
thorum, intelligenda sunt de inuiolatione thori per fornicationem, non per secundum matrimonium, quod nullius thorum violat, vnde ne violetur, ibidem textus subiungit: *Sin autem non voluerit, cum forsitan vt iuuenis hoc non patiatur, nec possit contra feruorem naturae resistere, non est torquenda propter hoc, nec interdicenda sunt ei communes leges, sed ad viri alterius veniat nuptias honestè & omni luxuriâ abstineat, fruatur successione filiorum.* Gratis ergo fingitur odium in marito, cuius defuncti vidua transit ad secunda vota, cum quibus etiam allatus textus dicit, mulierem accedentem ad secundum virum honestè viuere, & non luxuriari, ergo transiens ad secundas nuptias non amittit haereditatem, aut legatum relictum sub eà conditione: *si castè vixerit*, vt viuit vidua nubens secundo viro.

Quaeres 8. An legatum relictum: *Si castè vixerit*, perdat exercendo lenocinium?

℟. Negatiuè, quia esto sit causa, quòd 17
persona, cui inseruit, non viuat castè, sed luxuriosè, tamen ex hoc non sequitur, quòd ipse viuat luxuriosè, dum in seipso abstinet à vitio fornicationis.

Quaeres 9. An perdatur legatum sub his verbis: *Si in domo meà castè vixerit*, concessum, si transeat ad secunda vota?

℟. Negatiuè, quia illa verba *si in domo* 18
mea castè vixerit ex nullà necessitate important prohibitionem nuptiarum, non ex illis: *si castè vixerit*, cum castitas etiam in coniugio reperiatur, vt probaui *num. 12. & 13.* Non ex alijs: *Si in domo mea vixerit*, quia nihil prohibet, quin maritus sequatur vxorem, manendo in eius domo. Ad hoc facit, quod dicam infra q. 32. Nec obstat, quod nuptae regulariter transeant ad domum mariti. Quia ne perdatur legatum sufficit manere in domo vxoris. Contrarium tenent plerique *cum Sanchez lib. 7. disp. 91. num. 16. in fine*, nituntur ea ratione, quòd non dicatur castè viuere transiens ad secunda vota.

Dices est commune axioma; quod mens 19
testatoris collecta ex coniecturis habetur pro expressà, *Mantica de coniect. vltimarum volunt. tit. 3. num. 10. Gratian. cap. 5. num.* Vnde si id cogitasset, expressisset, *ibidem alijs allegatis*. Quare si testator fuisset interrogatus, vel si praeuidisset, suam vxorem transituram ad secundas nuptias, & similiter quilibet alius testator, hanc prohibitionem expressisset, ergo habetur pro scriptà in testamento.

Contra est, quia tunc mens testatoris habetur pro expressà, quando est fauorabilis, tunc enim latè interpretatur, vt dixi *cap.1.n. 136.* vbi dixi non valere illud dictum: Si

Digitized by Google

cogitasset, expressisset, voluntas enim eius magis colligitur ex expresso, quam ex tacito. Quare sibi imputet, dum apertius non dixit, quod clarius exprimere potuisset.

Quæres 10. An legatum relictum sub hac conditione: *Donec castè vixerit*. Si primo anno seruauit conditionem, secundo verò vixit luxuriosè, aquiratur legatariæ non solùm pro primo anno, sed etiam pro secundo, & subsequentibus, si postmodum castè prosequatur viuere?

20 ℞. Debetur illi solùm pro primo anno, quo castè vixit, non verò deinceps, quo cœpit concubinatum, vel meretricium, quia manifestum est, non seruare mentem testatoris, qui expresse illi legauit, si seruauerit castitatem, & non aliter, quare cum non impleuerit mentem testatoris, se fecit incapacem deinceps vtendi legato, ideo illud à se abdicare debet, non obstante, quòd dein-
21 ceps castissimè viuat, quia sicut sufficit vt in momento conditio adimpleatur pro consequendo legato, ita & sufficit vt in momento, seu aliquo tempore non seruetur conditio, pro amittendo legato, quod enim operatur propositum in proposito, causat oppositum in opposito ex vulgatis iuribus. Ita *Bonac. de testam. p. fin. num. 23. contra Naldum V. legatum num. 44. ex Imolâ in Clem. 1. de vitâ, & honest. cler.*

22 Sed quid dicendum, quando legatum est annuum? In eo casu non amittit legatum pro illis annis, quibus castè viuit, ratio est, quia tot sunt legata, quot sunt anni, ergo vnicuiq; respondet conditio sine vllo ordine ad omnia, ac proinde inobseruantia nocet tantùm pro eo anno, quo impudicè viuit. Legatum autem censetur annuum, sub his conditionibus. *Donec castè vixerit*. *Donec vidualem egerit vitam*, ex Alex. *lib. 4. cons. 29. initio Rota par. 3. dec. 109. num. 5.* Conditio ergo *si castè vixerit*. *Donec castè vixerit*. multiplicatur ad multiplicationem annorum, ita quòd vnicuiq; anno, & legato respondeat propria conditio incommunicabilis alijs annis, & legatis.

Quæres 11. An legatum alicui relictum sub hac conditione: *Si vidualem vitam conduxerit* perdatur, si transeat ad secunda vota?

23 ℞. Nulli dubium esse perdere legatum si transeat ad secunda vota, quia matrimonij status destruit statum viduitatis. Confirmatur, quia ea conditio: *Si vidualem vitam duxerit* includit hanc: *Si non nupserit*, vt docet *Ruin. lib. 2. cons. 34. num. 4. cons. 190. num. 2. & 3. Iason in l. siue apud C. de transact. nu. 20. fine, ex illis Rota par. 1. dec. 693. num. 1. Gregor. dec. 187. num. 3. & in Addit. num. 13.*
24 vbi, quod tenetur restituere legatum cum omnibus suis fructibus, nec eum excusare bonam fidem respectu fructuum perceptorum, quia conditione violatâ statim legatum fuit resolutum vsq; ab initio contracti matrimonij.

Quæres 12. An legatum perdatur per fornicationem ab ea personâ, cui relictum fuit sub conditione seruandi vitam vidualem, & non transeundi ad secundas nuptias?

℞. Negatiuè, quia hæc diuersa sunt, fornicari, & transire ad secunda vota, vnde vno prohibito, alterum non censetur interdictum, ex diuersis enim non fit illatio, maximè in odiosis, vti est prohibitio, quæ proinde strictè est interpretanda, per quod contrauenitio, & pœna excluditur, *ex Decio, & alijs Abbas cons. 97. num. 41. apud Rotam Farinac. Vol. 4. dec. 429. num. 20.* Ita docent *Nauar. cap. 25. num. 65. cum alijs Sanch. lib. 7. disp. 91. num. 42. Bonac. p. fin. num. 25.* 25 26

Contrarium docent Acosta, & Cenedo apud eundem Sanchez, Gratian *cap. 5. num. 8.* vbi vidua perdit legatum illi relictum sub conditione, vt non nubat plebeio, si cum illo fornicetur. Ratio est, quia plus non debet prodesse luxuria, quam castitas. Sed non plus prodest, ex quo per sententiam Iudicis priuari potest fornicans, transiens verò ad secunda vota priuatur ex voluntate testatoris, qui vult, legatum non aquiri nubenti, qui spreuit eius mentem. Casus verò allatus à Gratiano multùm diuersus est à nostro, dum enim prohibet nuptias cum plebeo, à fortiori interdicit fornicationem, cum non minus vilescat matrimonium contrahens, quam fornicans cum vili personâ atentâ testatoris mente, qui nullo modò vult vxorem suam vilescere. 27 28

Quæres 13. An perdatur legatum sub conditione *non nubendi*, si nuptiæ attentatæ sunt inualidæ?

℞. Perditur, quia conditio violata fuit à coniunge quantùm fuit ex parte suâ. Confirmatur, quia incontinentia non debet plus operari quam castitas coniugalis: sed hæc facit perdere legatum, ergo & incontinentia. Ita *Bermundus de Publicis concub. §. de adulter. num. 45.* 29

Contrarium tenent *Sanch lib. 7. disp. 91. num. 4. Bonac. p. fin. num. 25.* asserentes, non amittere in foro conscientiæ, donec per sententiam Iudicis vidua condemnetur. Probatur *Primò*, quia conditio verè violata non fuit, cum secundæ nuptiæ non fuerint contractæ. *Secundò*, non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum. *Tertiò*, vitiosè factum videtur quasi non factum. *l. quoties ff. qui satisdare cog. l. 4. §. condemnatum ff. de re iudic.*

Hæ rationes non vrgent, cum reuerà sit contrafactum voluntati testatoris etiam per solam attentationem; quæ sufficit ad contrariandum menti testatoris, sicut attentans rem lege prohibitam dicitur illius transgressor, & pœnas

pænas incurrere, licet actus sit irritus, quando lex considerat factum, non iuris effectum,
30 *Sanchez lib. 3. disp. 2. num. 3.* referens Doctores, ita & in casu hic attentans matrimonium incurrit pænam hanc perdendi legatum, quia testator considerauit animum legatarij, non impedimentum, quod potuit accidere in eo contrahendo. Ex quo patet *ad primum* verè violatam fuisse mentem testatoris, ac proinde legatarium perdidisse lega-
31 tum. *Ad secundum*, verum est, quòd non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum, in quantum scilicet sublato impedimento, fieri potest, quod fieri non poterat, vnde sublato impedimento per dispensationem validè contrahitur matrimonium, & secunda electio fieri potest, quia prior inualidè facta non impedit fieri validè secundam, ex adductis à *Sanchez lib. 8. disp. 22. num.* 21. Non præstat ergo impedimentum quod de iure non sortitur suum effectum, scilicet intentum, quia nemo intendit destruere, quod intendit facere, vtiq; potest præstare impedimentum in ordine ad id quod non intendit, nemo enim intendit pænam, quamuis sequatur ad id, quod fit, de ratione enim
32 pęnę est, vt sit cōtraria voluntati, *ex D. Thoma. 1. par. q. 8. art. 5. & 1. 2. q. 87. art. 2. & 2. 2. q. 18. art. 3.* cum ergo vidua non intendat fauorem legati, sed matrimonij, nullitas illius non præstat impedimentum, quin validè celebrari possit, sed præstat respectu legati, quod perditur, quia illud intenditur,
33 non hoc. *Ad tertium* verum est, quòd vitiosè factum habetur pro non facto quò ad suum valorem, quò tamen ad alios effectus habetur pro facto, si qui ex illo consequuntur, & hoc intendunt illę leges, referuntur enim ad factum ipsum, quod intendebatur, vt non sit factum, si nulliter fuit tentatum.

Quæres 14. An legatum relictum sub hac conditione: *Si peruenerit*, vel, *cum peruenerit ad viduitatem*, amittatur à vidua, si nubat, vel fornicetur?

34 ℞. Negatiuè, quia illa verba non important perseuerantiam in viduitate, sed tantùm qualecumq; tempus, in quo possit verificari existentia viduitatis. Ita Baldus, & Paulus de Castro deducit *ex l. fin. §. sed quia C. de in dicta viduit.* illis verbis. *Sancimus cum huiusmodi verbis mulieribus aliquid relinquetur, si vidua erit; vel, quoties vidua erit; vel, cum vidua erit; vel è contrario, maribus si amiserint vxores, vel quando ad cælibatum peruenerint, non vetari ea vindicare*. Reddit rationem lagislator. *Neque enim vt permaneant, vel fæmina in viduitate, vel masculi in*
35 *cælibatu videtur esse relictum*. Res est clara in textu, ad consequendum enim legatum sufficit, quòd conditio purificetur, & adimpleatur in momento, licet non perseueret in
36 esse, *l. cum vxori 4. C. quando dies legati cedit*. Diuersi ergo sunt conceptus isti: *Si vidua erit. Si permanserit in viduitate*. Nam nubens respectu posterioris perdit legatum, non respectu prioris. Idem dic respectu fornicationis, adhuc enim mulier remanet vidua fornicando.

Quæres 15. An perdat legatum, qui nubit nobili ex priuilegio, cui relictum fuit sub
conditione nubendi nobili? Est autem no- 37
bilitas in hoc genere duplex, originis, & priuilegij illa est naturalis, hæc procedit à virtute, seu ab auro, nam emitur à valdè diuitibus. Ambæ in populo estimantur, sed pretiosior est nobilitas virtutum.

℞. Non amittere legatum, quia paria 38
sunt esse nobilem sanguine, & origine, ac esse talem per priuilegium, *ex Baldo in l. cum
ex ratione ff. de excusat. tutor.* Confirmatur 39
quia nobilis ex priuilegio gaudet omnibus priuilegijs quibus gaudent nobiles ex sanguine, *Ioan. Carzias de nobilit. Glos. 35. num. 3. & 48. Mastrill. de Magistr. lib. 2. cap. 10. num 105. cum alijs Pasqual. q. 192. in quaes-
tion. Moral. num. 6.* Vnde nobilis ex priui- 40
legio comprehenditur sub statuto loquente de nobilibus, *Glos. in l. quid si nepotes ff. de testam. tutor. multis citatis idem Pasqual. num. 8.* Nulla ergo est dabilis coniectura, per quam excludatur nobilis ex priuilegio a præfacto legato, cum testator eodem modo acceperit nomen *nobilis*, quo solet accipi à viris doctis.

Contrarium apud eundem tenent *Melchior Palecz de maior. q. 51. num. 4. Paschal. de iuribus patr. pot par. 4. cap. 2. num.* 43. Legatum non deberi nubenti nobili ex priuilegio. Sed id gratis asseritur, dum enim is gaudet omnibus priuilegijs nobilis originis, gaudet etiam hoc de legato, sicut nobilis sanguine.

Queres 16. An legatum sub his verbis: *Si custodierit lectum meum donec custodierit lectum meum* lucretur, si transeat ad secundas nuptias?

℞. Non perdit, quia ea verba important 41
violationem thori, qui non violatur, nisi per fornicationem, non autem per transitum ad secundas nuptias, aliter nulla persona vidua licitè nuberet alteri, si coniugis defuncti violaret lectum, intelliguntur ergo illa verba de violatione per fornicationem. *Albericus l. fin. C. de bonis mater.* Contra Montepicum, & Manticam, quos pro se citat *Sanch. lib. 7. disp. 91. num. 23.*

Quæres 18. An perdat legatum sub conditione: *Non nubendi, seu non transeundi ad secundas nuptias*. Si post contractum matrimonium, non consumat illud.

℞. Non perdere, quia hactenus nulla in- 42
iuria dicitur irrogata, quæ sequitur ad copulam tantùm. Confirmatur, quia sicut pænæ legales non incurruntur nisi per consumationem

nem matrimonij, *ex adductis à Sanchez lib. 7. disp. 87. num. 19.* ita neq; ex priuatâ mente testatoris. Ita *Sanchez lib. 7. disp. 91. num. 45. Bonac. num. 26. vers. Maior, cum Gutier. & alijs.*

Quæres 18. An conditio *non nubendi* habeatur pro turpi, & sic nubendo sibi legatum lucretur?

43 ℞. Conditio non nubendi nullatenus habetur pro turpi, cum negatio nuptiarum ordinetur ad statum virginalem, vel referri possit ad statum regularem, qui sunt meliores statu coniugali, in sententiâ omnium. Iure autem ciuili prohibetur non primæ, sed secundæ tantùm nuptiæ non contrahendæ nec infra annum luctus, nec deinceps fauore filiorum primi matrimonij; & quò ad hoc ius ciuile non fuit correctum à iure canonico nisi quò ad pœnam infamiæ inductam à iure ciuili contra viduam nubentem infra annum luctus; non autem quò ad alia, vt expressè dicitur *cap. fin. de secundis nuptijs.* Ita que infamis non est nubens vidua intra annum luctus, cum Apostolus, quem citaui hic *num. 14.* dicat, viduam per mortem mariti esse solutam à lege mariti, cui vult, nubat. Ita omnes *cum Couar. de spons. par. 2. cap. 3. §. 9. num. 5. & 6. Gutier. lib. 2. Pract. cap. 108. Sanch. lib. 7. disp. 91. initio, Barbosa ad dictum cap.* Quare si nubat, perdit legatum, cum transgrediatur licitam conditionem non impositam ex dictis *q. 11.*

Quæres 19. An perdat legatum sibi relictum *si nubat*, transiens ad religionem.

44 ℞. Non perdere sed sibi illud aquirere, vt multis probaui *cap. 3. q. 20.* Nam verbum *Nubere*, seu *matrimonium* ex æquo refertur tam ad spirituales nuptias, quam ad Car-
45 nales. Et conditio, *Si nubat.* relatiuè ad spirituales habet nescio quid turpitudinis, cum retrahat ab illis, cum ergo mens testatoris præsumenda sit rationabilis, per eam conditionem non exclusit nuptias spirituales. Procedit *primò* licet expressè testator loquatur de nuptijs carnalibus, ob adductam rationem, quia retrahit à spiritualibus nuptijs. *Secundò*, Licet exprimat personam certam, cui nubendum est, ob eandem rationem, & hæc omnia ibidem probaui *num. 29. ad 83.*

Quæres 20. An perdat legatum sub conditione nubendi Titio, & nupsit Seio, vel eius fratri?

46 ℞. Amittere, quia non paruit conditioni testatoris, qui designauit illum cum exclusione cuiuslibet alterius, ea enim conditio includit aliorum prohibitionem. Ita expressè *l. cum ita legatum 62. ff. de condit. & dem. ibi. Quæ enim Titio nubere iubetur, cæteris omnibus nubere prohibetur.* Panorm. *part. 1. conf. 90. num. 2.*

Quæres 21. Si qua prohibeatur nubere alicui de tali familia, aut loco, seu ciuitate, numquid perdet legatum nubendo alicui alterius loci?

℞. Non perdere vt habetur ex eadem *lege* 47 *62.* vbi redditur ratio, quia tali conditioni non fuit indicta viduitas.

Quæres 22. An amittat legatum sub hac conditione. *Si non nupserit Titio:* nubendo illi, ex quo alium inuenire non potest, cui nubat?

℞. Non perdere, licet conditioni non pa- 48 reat non se abstinendo nubere illi. Colligitur ex *l. Hoc modo 64. ff. de cond. & dem.* Quia si alibi facile non potest inuenire nuptias, interpretandum ipso iure rescindi, quod fraudandæ legis gratiâ esset factum, quia vtile est reipublicæ habere sobolem, vnde ea conditio vti parùm honesta pro non adiectâ habetur.

Quæres 23. An legatum relictum sub hac conditione. *Cum nupserit*, amittatur si persona iam sit nupta?

℞. Non amitti, sed dandum esse, cum per- 49 uenerit ad secundum matrimonium; quando testator sciebat, esse coniugem tempore conditi testamenti; expressè *l. Si ita legatum 67. ff. de cond. & dem.* Quod si testator ignoret statum personæ, adhuc lucratur legatum, licet sit nupta, quia sufficit, vt quouis modo conditio sit adimpleta iuxta dicta *cap. 17. q. 11.*

Quæres 24. An legatum relictum Sticho, & Seiæ, si contrahant matrimonium simul, amittatur ab vtrisq; si alter eorum tantùm reijciat nuptias, altero existente parato parere testatori?

℞. Eum solum amittere legatum, qui est 50 in causâ, ne matrimonium ineatur, dum alter paratus est, qui proinde lucratur suum legatum, quia vnus alteri nocere non debet, & conditio hæc dicitur mixta ex dictis *cap. 1. num. 9.* quæ habetur pro completâ ex parte eius, per quem non stetit, vt adimpleretur, *l. Dedi tibi 3. §. Quamquam ff. de condit.* 51 *causâ data l. quæ sub conditione 8. §. quoties ff. de condit. institut. l. Meuia 13. ff. de annuis legat. l. Si Titius 14. ff. de cond. & dem. l. 112. ff. de reg. iur.* Colligitur ex *l. in testamento 31. ff. de cond. & dem.*

Quæres 25. An perdatur legatum relictum Titiæ, si nupserit Lucio, arbitratu fratris testatoris, in casu, quod moriatur arbitrator ante contractum matrimonij?

℞. Non perdit, quia ea conditio de nub- 52 endo arbitrio alterius reijcitur vti facta impossibilis per mortem arbitratoris. Ita *l. Filiæ 28. ff. de condit. & dem.*

Quæres 28. An legatum sub conditione: *Si non nupserit.* factum personæ, cui fideicommissum sit, vt Titio restituat, si nubat, perdatur, & fideicommissum sit præstandum?

℞. Aquirere nihilominus sibi legatum, & 53 fideicommissum non deberi, ex *l. quoties 22. ff. de*

ff. de condit. & dem. ibi *Glos. V. Posse*, reddit rationem, quia spernenda est conditio, quæ viduitatem inducit. Dicitur tamen ibidem, quod id corrigitur per Auth. *De nuptijs § quæ verò*, sed sermo est de virgine hic, vide *Auth. Cui C. de indictâ viduit. toll.*

Quæres 27. An legatum relictum puellæ si nupserit, amittatur si Sponsus moriatur ante consumationem matrimonij, post illius celebrationem?

54 ℞. Non perdere, quia adimpleuit conditionem nuptiarum per matrimonium ratum, licet non consumatum, quia vt dicitur *l. Cum fuerit 15. ff. de condit. & dem.* Nuptias .i. matrimonium ratum non facit concubitus, sed consensus.

Quæres 28. An fœmina prohibita nubere Titio ad consequendum legatum, illud amittat si alteri nubat?

55 ℞. Non amittere, sed illud consequi post mortem Titij, quia non prohibetur simpliciter nubere, sed Titio tantùm, post cuius mortem, & non ante debetur legatum, quia ea conditio: *Si Titio non nupserit*, perinde habenda est, ac si legatum fuisset factum consequendum post mortem Titij, vnde nec opus est petere Satisdationem Mutianam. Expresè *l. Hoc genus 105 ff de condit & dem.*

Quæres 29. An legatum relictum sub conditione: *Si nupserit*, perdatur per legatarium promotum ad ordines sacros?

56 ℞. Non perdi, quia ea conditio habenda est pro non adiectà, dum impeditiua est melioris boni, quod est status clericalis statu coniugali. Idem probaui *Cap. 3. q. 23.*

Quæres 30. An vidua amittat legatum, si profiteatur in Religione, sibi relictum, si manserit in viduitate?

57 ℞. Non amittere, sed omnino ei debetur etiam deinceps, quia per professionem non perdit statum viduitatis, sed illum perficit. Ita *ex Baldo in l. Deo nobis C. de Episcop. Archid. in cap. Vidua dist. 32. Cremens. singul. 143. cum alijs Rota par. 4. tom. 2. decis. 324. num. 16. ad 18.*

Quæres 31. An vidua amittat legatum sibi factum à marito cum conditione: *Si seu dummodo maneat cum filijs suis.* si transeat ad secunda vota.

58 ℞. Non amittere legatum, vt colligitur *ex l. Cæterùm 4. ff. de vsu & habit.* illis verbis: *Quid ergo si vidua legatum sit, an nuptijs contractis post constitutum vsum mulier habitare cum marito possit. Et verum est posse eam cum virò, & postea nubentem habitare. Glos. V. Sententia l. cum tale 61. ff. de condit. & dem.* idem docet. Contractus ergo nuptiarum non facit perdere legatum. Ita docent *Bartol. Imola & Paulus super dicta lege 61. Oldrad. cons 213. Salicetus in l. 1. C. de legat num. 4. Angelus de Gambellion. de testam. Glos. 20.*

Contrarium tenent alij, quos sequitur Sanchez *lib. 7. disp. 91. num. 48.* nimirùm perdere legatum, quia per eam conditionem intelliguntur prohibitæ nuptiæ, cum ex his filij iustam habeant causam diuertendi aliò, per quos non stat, quin mater legatum habeat, ergo illud perdit ex propriâ causâ. Sed respondetur, quòd cum nuptæ sint de se bonæ, & licitæ, nec inferre huiusmodi recessum à matre, sed esse merè voluntarium, non inducere amissionem legati, vt dicitur in præallegatâ lege 4. Nec obstat, cum in eâ non fiat mentio de casu identico, dum in conditione non ponuntur filij, sed solùm, quòd non perditur legatum per nuptias. Quia hoc sufficit, quod nuptiæ non faciunt perdere legatum, cum neq; istæ in casu nostro exprimantur, nec subintelligantur, ideo nec sunt causa coniuncta recessui filiorum, qui voluntarie recedunt, occasione, non causâ, tantùm acceptâ à nuptijs maternis, quæ tantam vim non habet perdendi legatum matri; cum sit causa remotissima *Tira-* 59 *quel. Cessante causâ limit. 13. num. 8* quæ proinde nullo modo attendenda est in præiudicium tertij, qui vtitur iure suo. Subdit tamen idem Sanch. *num. 49. cum Garone in Rubr. de secundis nuptijs, pœna 15. num 74.* viduam nuptam filijs cum eâ commorantibus non perdere legatum.

Quæres 32. An vidua perdat legatum habitationis, si nubat?

℞. Viduam, cui maritus, vel alius legauit vsum habitationis domus suæ simpliciter, 60 non perdere legatum, si transeat ad secundas nuptias. Ratio est, quia legatum est absolutè, & simpliciter ei relictum, ergo sine conditione prohibitiuâ, prohibitio enim vt quæ odiosa est non intelligitur nisi exprimatur. Colligitur ex cit. leg. Cæterum 4. de Vsu, & habitat. ibi: *Mulieri autem si vsus relictus sit posse eam, & cum marito habitare.* Idem habet *Instit. de Vsu. & habitat §. Item is, qui,* vbi *Glos. V. Cum marito scilicet præsenti, & futuro.* In his autem locis sermo est de legato a quocunq; fuerit relicto, siue à marito, siue ab extraneo, nam in illis textibus neuter exprimitur testator, vnde dispositio in eisdem non minùs loquitur de coniuge testante, quàm de extraneo, indefinita enim locutio indifferens est ad vtrumq; cum legatum habitationis à quocumq; relinqui possit. Quibus satisfit opinioni contrariæ Gregorij Lopez Alberici, & Perez apud Sanchez *num. 50.* asserentium, viduam secundò nubentẽ perdere legatum, quia per nuptias cessat memoria mariti, respondentium Glos. loqui de extraneo testatore, non de marito, sed id gratis asseritur, vt probaui.

Quæres 33. Vxor, cui à marito relictus fuit vsus habitationis domus suæ, *dum steterit in eâ*, numquid illam amittit transiens ad secunda vota?

℞. Ne-

61 ℞. Negatiuè, quia nuptiæ non aduerſantur habitationi domus primi mariti ex dictis in præcedenti. Nec ſcio capere, quomodo ea conditio: *Si ſteterit*, vel, *Donec ſteterit in domo*, importet ſtatum viduitatis. Contra Baldum *in l. Voluntatis C. de fideicom. num. 10. Iaſon in l. 1. C. de legib. Surd. de Alim. tit. 7. q. 23. num. 22. quos pro ſe citat Sanch. lib. 7. diſp. 91. num. 53.* aſſerens, perdere legatum, eâ ratione, quòd poſt contractum matrimonium non amplius dicitur perſiſtere, & ſtare in domo prioris mariti. Sed id gratis dicitur; neq; enim per ſecundum matrimonium vſus habitationis dicitur originatus à ſecundo coniuge, nec illius ſit proprietas, ſed vtrumq; remanet vt prius, ac proinde vlterius dicitur eſſe in domo prioris mariti.

Quæres 34. An ille, cui fuit relictum legatum cum conditione, *vt ſtaret cum vxore ſuà poſt mortem*, perdat legatum, ſi vidua tranſeat ad ſecundas nuptias?

62 ℞. Non perdit legatum, quia per eum non ſtat, quin impleat adiectam conditionem, ſed defectus procedit ab alijs, ergo non habet perdere legatum paratus cum eâ ſtare ſi velit. Ita *ex Alex. Socino, & Simone de Pretis. Sanchez lib. 7. diſp. 91. num. 52.*

Quæres 35. An amittat legatum relictum ſub hac conditione *ſi nubat Titio*, negando nuptias cum illo, ſi poſtea pænitens facta ſe offerat ad nuptias?

63 ℞. Si apta viro nolit nubere perdit legatum, quia non paret conditioni teſtatoris, ſine quà non vult illam habere legatum. Poſitâ verò pænitentiâ intra triennium, ſi nubat, lucratur legatum. Ita ferè omnes, & dixi præced. *cap. q. 10.*

Quæres 36. An conditio *non nubendi* excludat etiam matrimonium ſpirituale Religionis, aut Ordinis?

54 ℞. Negatiuè, quia aliter eſſet turpis, & pro non adiectâ haberetur. Ita *Gloſ. in l. Mulieri, ff. de cond. & dem. & in Auth. cui relictū C. de indic. vid. toll. Menoch præſumpt. 148. num 6. Gaigan. de condit. par. 1. cap. 8. nu. 38. cum alijs Ciarlin. cap. 218. num. 51.*

65 Quæres 37. An conditio *non nubendi* ſit turpis, ac proinde reiecta in legato, quòd adhuc debeatur nubenti? *Sanchez lib. 1. diſp. 33. num. 2. Verſ. Contrarium*, docet, deberi legatum, eſto non ſeruet conditionem, ſed nubat, quia leges reijciunt mentem teſtatoris in hoc, ob bonum commune Reipublicæ propter procreationem filiorum. *Diana par. 3. tract. 5. reſol. 57.* Deducitur *ex l. cum ita legatum 63. & l. Hæc 64. ff. de condit. & dem.* Quia cōditio cēſetur appoſita in fraudem ne nubat, ac proinde vt turpis reijcitur.

66 Ego autem eius ſum opinionis, quòd talis conditio non nubendi ſit omninò licita, & honeſta, ac proinde ſit ſeruanda ſecundum mentem teſtatoris, & ſi non ſeruatur, non deberi legatum. Probatur honeſta conditio *ex 1. Corinth. cap. 7. num. 38. Igitur & qui matrimonio iungit virginem ſuam bene facit, & qui non iungit, melius facit.* Nubere ergo eſt bonum, & non nubere eſt melius, ergo hæ conditiones legatis appoſitæ non poſſunt eſſe turpes; vnde nec negatiua poteſt dici appoſita in fraudem, nec retrahere fraudulenter à matrimonio, ſed tantum conſulere maius bonum, quod conſequi poteſt *Virgo*, vel *Vidua* ſeruantes hanc conditionem negatiuam. Nubenti ergo contra negatiuam conditionem non debetur legatum, quia non ſeruat mentem teſtatoris, ve quà certò conſtat. Et ita docent Medina, Ludouicus Lopez, & Carbo, quos contra ſe citat Sanchez, & Diana.

Allatæ autem leges attendendæ non ſunt, 67
quia Imperatores infideles cælibatum, & viduitatis ſtatum ſpernebant, immò horum ſectatores puniebant, inquit enim S. Ambroſ. de Viduis relatus in Lectionibus in communi non Virg. 2. loco, lect. 5. ſic: *Vnde, & illi, qui Deorum ſuorum adulteria, & probra venerantur, cælibatus, & viduitatis ſtatuère pænas, vt æmuli criminum mulctarent ſtudia virtutum; ſpecie quidem, quà fæcunditatem quærerent, ſed ſtudio quo propoſitum caſtitatis abolerent.* Sequitur ergo ex his Conditiones, *ſi non nupſerit, ſi caſtè vixerit*, eſſe honeſtas, & debere adimpleri pro conſecutione legati, cui adijciuntur.

CAPVT DECIMVM NONVM.

De Legatis Dotalibus.

SVMMARIVM.

1 *Dos legatur vel in inſtitutione, vel in reſtitutione.*
2 *Legatū dotis de ſe non eſt pium, ſed bene ſi fiat pauperi puellæ vel pro ſalute animæ.*
3 *Interpretandum eſt latè.*
4 *Legatum à patre factum dotis eſt purum, ab alijs conditionale.*
5 *Conditio quandoque monitionem importat.*
6 *Dos habet conditionem* Si nupſerit *quando datur ab extraneis.*
7 *Dotale legatum eſt trāſmiſſibile poſt mortem teſtatoris factum à patre, ab alijs poſt conditionem purificatam.*
8 *Pro conſequēdo legatū ſufficit cœptū tēpus.*
9 *Annus cæptus in fauorabilibus habetur pro completo.*
10 *Legatum dotale reſiduum peti poteſt, poſt receptam dotem.*
11 *Solutio partis à toto non liberat.*
12 *Dos nominata in teſtamentō nō dicitur legatū, niſi hoc nomine legati exprimatur.*

13 *Legata orphanis dantur carenti solo patre.*

14 *Orphanus enim propriè est carēs solo patre.*

15 *Legata dos restituenda operatur, vt Statim sit danda post mortem mariti non expectato lapsu anni luctus.*

16 *Certitudo operatur quod incertitudo operari non potest.*

17 *Legatum dotale dari potest ante tempus prefixum.*

18 *Nisi sit assignatum in honorem alicuius Sancti.*

19 *Renuntiatio legitimæ paternæ ob legatam dotem receptam non includit maternam.*

20 *Est enim stricti iuris continens solùm expressa.*

21 *Minus præiudicare debet, quàm sit possibile.*

22 *Vnde interpretatur in fauorem renuntiantis contra renuntiatarium.*

23 *Filius petit legatum sibi à patre relictum, non obstante renuntiatione bonorum paternorum, quæ dicitur ab intestato.*

24 *Renuntians bonis paternis, non renuntiat maternis, nec fraternis.*

25 *Pater releuatur a dote, si fiat ab alio.*

26 *Legatum à marito factum vxori per importunas preces non valet.*

27 *Preces importunæ æquiparantur metui.*

28 *Legatum pro maritandis, datur ingredientibus Religionem.*

29 *Nuptiæ dicuntur etiam spirituales professionis religiosæ.*

30 *Pinguius legatum assignatum nubenti datur etiam ingredienti.*

31 *Et totum expenditur, licet minus soleat recipi à Monasterio.*

32 *Legatum dotale præter paternam dotem lucratur factum ab alio.*

33 Si non nupserit. *Non excludit nuptias spirituales.*

34 *Legatum pinguius relictum primò maritandæ datur attentà prioritate nuptiarum, non natiuitatis, nisi vna proprio nomine exprimatur.*

35 Filiorum *sub nomine non veniunt nepotes, quando exprimuntur proprio nomine.*

36 *Prior nominatus magis dilectus.*

37 *Legatum dotis expressà quantitate certà ex errore non datur, sed tantùm, quæ numerata fuerat.*

38 *Legatum dandum maritandis non distribuitur nisi puellis etiam maritatis nondum cognitis, seu nullo existente matrimonio, si legatum fiat virginibus non nuptis datur.*

39 *Puer, & puella dicuntur vsq. ad 25. annū.*

40 *Virgo dicitur incorupta vsq. ad mortem.*

41 *Legatum relictum vxori nominatę proprio nomine, ei debetur.*

42 *Dilectio non tendit in personam incognitam.*

43 Lego vxori meæ *debetur superuiuenti marito.*

44 *Legatum pro puellis maritandis dari potest nuptis sine dote, vel cum paucà dote.*

45 *Legatum factum Titiæ maritandæ illi datur, si testator ignorabat esse nuptam, si*

46 *verò sciebat, datur eidem, cum secundò nupserit, aliter ei non debetur.*

47 *Compensatio est contributio mutua debiti, & crediti, est species solutionis.*

48 *Compensatio fit, quando debita sunt pura, & liquida.*

49 *Eiusdem quantitatis, & speciei.*

50 *Non verò si sunt diuersæ quantitatis, & speciei.*

51 *Legatum de proprijs bonis non compensatur cum debito.*

52 *Legatum à consanguineo factum non inducit compensationem.*

53 *Debitum minus cum legato maiori compensatur si est necessarius.*

54 *Debitū necessariū est illud, quod immediatè originatur à lege, non ex facto debitoris, quod tunc est voluntarium, dum procedit à facto proprio.*

55 *Aditio hæredem facit debitorem voluntarium.*

56 *Pater legans filiæ, cui nondum dedit dotem censetur compensare.*

57 *Pater debitor necessarius in dotatione, in conseruatione dotis pro filijs, in datione legitimæ.*

58 *Maritus legando vxori aliquid non censetur compensare, nisi probetur, est enim*

59 *dotis restitutio debitum voluntarium.*

DOtis factio, & institutio duobus modis contingere potest, *primò* simpliciter & absolutè, & in hoc sensu de ea hic agendum non est, *secundò* sub ratione legati, quando testator in suo testamento dotem simul instituit, & sub ratione legati relinquit maritandis, & in hoc sensu hic agendum est de legatis dotalibus; *tertiò* quoq; contingit dotem iam constitutam affici legato, cum scilicet maritus legat in suo testamento, dotem receptam esse restituendam post eius mortem vxori suæ viduæ, de quo egi sub *cap.* 1. *q.* 50. 1

Quæres 1. An legatum dotale sit pium?

℞. Non est pium ex quo dos est, vtique ex conditione paupertatis fæminæ legatariæ, vel etiam ex modo legandi cum clausulis importantibus pietatem, vt si reliquit pro amore Dei, pro animà suà, pro exoneratione suæ conscientiæ &c., iuxta dicta cap. 4. sine his ergo pium non est, quia pietatem ex dote recipere non potest. Ita *Surd. tit.* 2. *de alim. q.* 12. *num.* 9. *&* 10. *Rain. lib.* 3. *cons.* 71. *num.* 15. *Mantica de coniect. vlt. vol. lib.* 6. *tit.* 11. *num.* 18. *ex illis Gratian. cap.* 565. *num.* 8. *&* 866. *num.* 5. Vbi quod dicitur fa- 2

ctum

cum in causam alimentorum intuitu paupertatis.

Quæres 2. An legatum dotale latè sit interpretandum?

3 R. Sic, *Tiraq. in præfat. l. Si vmquam C. de reuocand. donat. num. 12. ex illo Seraphin. dec.* 240. constitutio enim dotis continet causam pietatis, vnde non admittit repetitionem, nisi aliter fuerit conuentum, hoc enim ex speciali fauore dotis fuit introductum, *ex adductis per Rotam par.* 8. *decis.* 280 *num.* 6. & 7. meritò igitur latè interpretatur stante pietate *Socin. lib.* 1. *consf.* 247. *num.*6. *Tiraq. de priuileg. pia causa* 23. *Surd. de alim. tit.* 8. *priuileg.* 25. *num.* 6. *Gratian. cap.* 666. *num.* 6.

Quæres 3. An legatum dotale sit conditionale, an purum?

4 R. Si à patre fuit relictum est purum, & absolutum, si verò ab extraneo relinquatur est conditionale, ita quòd illud post mortem patris statim debetur, licet non celebretur tunc matrimonium; hoc verò conditione purificatà, idest, à die contracti matrimonij. Ratio diuersitatis est, quia dos legata à patre filiæ succedit loco legitimæ, ac proinde in hoc considerandum est tale legatum iuxta naturam legitimæ, quæ nullam conditionem, nec grauamen recipere potest, *l. Omni modo* 30. *l. Quoniam* 32. *C. de inoffic. testam.* Ab alijs verò relictum est conditionale, quia non induit naturam legitimæ, quæ ab extraneis non datur, vnde quod dicitur *in l. Sancimus* 23. *C. de nupt. & alibi*, stipulationem, quæ propter causam dotis fit, habere in se con-

5 ditionem hanc *Si nuptiæ fuerint secutæ*, expressè *l. Stipulationem* 22. *ff. de iure dot.* intelligitur de dote dandâ ab extraneis, non à patre. Ita ferè omnes *cum Bald. in l. Titia centum* §. *Titio genero*, *ff. de condit. dem. num.* 3. & 4. *Corn. lib.* 4. *consf.* 229. *num.* 3. *Castrens. lib.* 2. *consf.* 16. *num.* 2. *Ludou. dec.* 345. *num.* 3. & 495. *num.* 14. *Grassus* §. *Legatum q.* 48. *num.* 5. *Marinus lib.* 1. *cap.* 246. *num.* 8. Nec obstat, quòd pater adiecerit conditionem solutioni, quia hæc non potest mutare substantiam legati de se puri,

6 *Ludouis. dec.* 346. *num.* 4. ea enim conditio monet debitorem ad non procrastinandum solutionem debiti.

Quæres 4. An legatum dotale sit transmissibile ad hæredes legatariæ?

7 R. Legatum dotale ex patre est transmissibile statim post mortem patris, non autem ab alio relictum, nisi post purificatam conditionem, cum neq; ipsi legatariæ sit debitum, nisi ab illo die, quo matrimonium contraxit, vnde si ante contractum matrimonium moriatur, caducatur legatum, ex dictis *cap.* 1. *q.* 13. & 14. Ratio vtriusq; desumatur ex præcedenti quæstione, nam cum paternum sit purum, aquiritur statim post mortem patris, & ideo illud vti proprium fit transmissibile ad hæredes; non autem extraneum, nisi post contractum matrimonium. Ita *Seraphin. dec.* 959. *Rota par.* 1. *dec.* 450. *num.* 2. *Ludouis.* 495. *num.* 13. *Ciarlin. cap.* 167. *per totum*, *vbi num.* 6. ait, esse omnino purum, quamuis pater adiecisset hæc verba: *Quos tamen scutos voluit solui tempore nuptiarum*, quæ cum referantur ad executionem non possunt facere legatum conditionale, quòd sit tale solùm, quando adijcitur substantiæ legati, si non sit relictum à patre, vnde illa verba; potius important admonitionem, quam conditionem, multis ad hoc relatis textib. & Doctoribus, *Ludouis. dec.* 301. *num.* 15.

Quæres 5. An puella, cui relictum fuit legatum dotale recipiendum cum peruenerit ad annos quindecim, possit illud petere initio illius anni?

R. Si constat, esse expectandum exitum 8
vltimi diei anni, nulli est dubium, puellam non posse ante illum diem, nec eo die petere de iure legatum, cum de mente testatoris constet, non esse dandum nisi expleto anno, neq; proinde petendum esse. In dubio autem peti potest initio anni, quia in fauorabilibus annus cæptus habetur pro completo, arg. *l. Ad rempublicam ff. de muner. & ho-* 9
nor, *ibi Glos. V. Fauoris causa*, & *l. Maiores ff. de iure immun. Glos. V. Maior. Gratian. cap.* 607. *num.* 7. *Marinus lib.* 1. *cap.* 247. *num.* 4. Certum autem est, causam dotis esse fauorabilem, *l.* 1. *ff. solut. matr.*

Quæres 6. An nupta, cui octocentum data fuerunt in dotem à testatore viuente, petere possit residuum de mille sibi ad eodem legatis in dotem? Procedit, siue nubat carnaliter, siue spiritualiter.

R. Posse, *ex l. Filia C. de legatis*, vbi, 10
quod filia non habet actionem petendi legatum sibi solutum in dotem à patre viuente, solutum autem dicitur, si integrè datum illi fuit, quia solutio partis non liberat à toto, *l. Interest* 21. *C. de solut.* ergo si 11
alia portio manet soluenda, filia dicitur habere actionem petendi illam, testator enim vnam partem dando non præsumitur mutasse voluntatem, sed cæpisse eam per semetipsum exequi, complendam post modùm ab eius hæredibus.

Confirmatur, quia non cessauit causa legati cum respectu ad dotem, sed tantùm fuit inchoata, absoluenda solutione residui, quà confirmatur, quod intendebat testator. Facit axioma, quòd factum in fauorem alicuius non est retorquendum in eius odium. Est communis, *Oldrad. in l. Lucius ff. de legat.* 2. *Bartol. ibidem*, *Crassus* §. *Legatum q.* 58. *numero* 3. *Paris. lib.* 2. *consf.* 61. *num.* 44. *Decian. lib.* 2. *consf.* 56. *numero* 53.

Mantica lib. 12. tit. 1. num. 13. Gutier. de Sponsal. cap. 20. num. 29. Ludouis. dec. 236. num. 15. cum alijs Ciarlin. cap. 142. per totum, vbi agit ad fauorem monacatus.

Procedit conclusio, à quocunque relictum fuerit legatum pro dote, siue à Patre, siue à Fratre, siue ab alio extraneo, qui eidem nubenti dedit minus, quam legauerit, dum viuerit, nam post eius mortem hæredes debent dare residuum legati, quando aliud ex coniecturis colligi non potest, vt docent præcitati. Limitatur verò, vt non possit ab eius heredibus petere residuum, quando illis fecit, vel Patri fines generales, quia per hoc renuntiauit iuri suo contenta dotis receptæ, & censetur testamentum tacitè reuocatum quò ad legatum, *Bald. lib. 1. conf. 202. initio Tuscus V. Legatum concl 97. num. 6. & 7. ex illis Ciarlin. cap. 142. num. 21.*

Quæres 7. An dotationes factæ in testamento habeant vim legati?

12 ℞. Negatiuè, nisi expressè efficiantur huiusmodi qualitate, ita *Glos. V. Referatur l. Donationes 25. C. de don. st. inter vir. Gratian. cap. 690. num. 9. & 10.* dicens *ex l. Ex verbis 14. & cit. l. 25. tit. eod.* esse confirmationem prioris dotationis, & illius corroborationem, consequenter non alterari, neque mutari, sed remanere in suis terminis, *ex l. Aurelius 29. §. Testamento C. de liber. leg. Castrens. lib. 2. conf. 187. Crotus lib. 1. conf. 55. num. 17. Alex. lib. 4. conf. 122. num. 20. Surd. lib. 3. conf. 340. num. 7. & 8. ex illis Gratian. cap. 690. num. 6.* Quando autem non constat de dote, licet confessatâ in testamento, tunc valet in vim legati, quia per talem confessionem constituit se debitorem, ac proinde intendit, quòd eius hæredes tale debitum soluant; Ita *Cynus in l. Generaliter C. de non num. pecun. q. 8. num. 11. Gomez de testam. cap. 12. de legat. num. 81. Surd. dec. 285. num. 4. Gratian. cap. 116. num 45. cum seq.*

Quæres 8. An legatum pro maritandis puellis orphanis carentibus patre, dari possit habentibus tantùm matrem?

13 ℞. Dari posse, quamuis non careat matre, sed solo patre, quia legatum censetur factum ad subleuandam miseriam indigentis, quali laborat puella carens patre, à quo est magnum præsidium, & adiutorium erga filios, magis, quàm à matre post illud triennium lactationis, cum ergo adsit causa finalis in vtroque casu, siue careat ambobus parentibus, siue patre tantùm, sequitur puellam solo patre orbatam esse capacem legati relicti pro orphanis. Orphanus autem definitur à *Glos. V. Sancimus cap. In qualibet 23. q. 8. ibi; Orphanotrophium est locus venerabilis, in quo pueri parentibus orbati pascuntur.* Ea pluralis locutio parentibus includit carentiam patris, & matris, quo item verbo vtitur textus *in l. 30. C. de Episcop. & Cler. & Glos. V. Orphanotrophium l. 16. de Sacros. Eccl. Menoch. de arbitr. casu 66. in addit. nu. 7. cum alijs Gratian. cap. 666. à num. 12.* respondente, ex illis textibus sufficienter non colligi, orphanum esse eum, qui carere debeat vtroque parente, vt gaudeat priuilegijs. Quare ob rationem à nobis superius adductam capax est legati carens solo patre. Ita *Gratian. cap. eod. num. 3.* quia in materia fauorabili lata interpretatio est facienda, vt est legatum factum orphanis, quod illis dandum est, licet solo patre careant, cum reuerà is propriè dicatur orphanus, qui solo patre caret, vt colligitur ex sacris literis, *Psal. 10.* 14
14. Orphano tu eris adiutor .i. loco patris. *Psal. 67. 6. Patris orphanorum, & iudicis viduarum.* Clarius in *Psal. 108. 9. Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua.* Et Christus *Ioann. 14. 18.* dicit; *Non relinquam vos orphanos.* Huiusmodi enim locutiones referuntur ad patrem, cuius carentia denominat filios orphanos, ergo is propriè dicitur orphanus, qui caret patre, licet habeat matrem.

Quæres 9. Quid operetur dos in testamento legata à marito restituenda per hæredes post ipsius mortem?

℞. Legatum dotis restituendæ ab hæredibus concipi potest à testatore duobus modis *primò* expressâ quantitate dotis confessatæ; *secundò* nullâ illius expressâ quantitate; in primo casu operatur pro tota dote expressâ, quamuis totam non receperit maritus, in posteriori casu operatur tantùm pro eâ parte, quam recepit, & non pro totâ. Colligitur *ex l. fin. C. de fals â causâ adiect. Glos. in l. Vir vxori ff. de dote praleg.* vb. in casu dicitur, quò potest peti, licet perierit line tamen culpâ Creditoris, quando certa quantitas legata fuit, quia tunc legatum est loco dotis. Ita *Rota par 8 dec. 116. num. 18. ex Gratian. cap.* 15
16 823. *à num. 1. ad 5.* ponens iam differentiam de communi Doctorum, vt plus operetur certitudo, quàm incertitudo, licet legatum operetur respectu vtriusque vt post mortem peti possit, non expectato anni lapsu à die mortis mariti, vt dixi *cap. 1. num. 183.*

Quæres 10. An legatum pro maritandis puellis dari possit illis ante tempus præfixum?

℞. Affirmatiuè, si hæres daturus sit contentus, & non sit assignatus dies præcisè in honorem, & deuotionem alicuius Sancti, quia tunc ille dies expectandus est, & non potest præueniri. 17

Prima pars, de præuentione, probatur, quia huiusmodi celeris solutio est iusta, & licita, cum nulli sit damnosa, non testatori, quia illi est proficua, cum eius anima ex huiusmodi anticipatâ solutione citius suffragium percipiat, nulli enim creditori diligentia debitoris solet nocere, sed prodesse. Non hæredi, dum contentatur, volenti enim, &

cou-

consentienti non fit iniuria. Non pauperibus, quorum miseriæ celerius occurritur, cum ergo nulli præiudicet hæc anticipatio, fieri potest. Ita *Bald. in l. Post mortem 12. C. de fideicom. num. 10. fine, Dec. in l. cum tempus 17. ff. de regul. iur. Couar. in cap. Tua, de testam. num. 5. Anchar. conf. 202. cum alijs Gratian. cap. 73. initio.*

28 Secunda pars, de soluendo in die præfixo Sancti, probatur, quia mens testatoris rationabilis alteranda non est, maximè quando respicit cultum Sanctorum, & deuotionem disponentis. Confirmatur, quia tale tempus censetur appositum pro formâ, quod non licet violare. Ita *Gutier. Practic q. 79. num. 3. & 11. Ceuall. q. 186. num. 3. & 4. Couar. cit. Mantica lib. 8. de coniect. tit. 5. num. 20. ex illis Gratian. cit. num. 3. & 4.*

Quæres 11. An mulier, cui legatum dotale factum fuit cum conditione, vt renuntiet omni legitimæ, & doti, quæ peti potest à patre, possit petere legitimam matris?

29 ℞. Affirmatiuè, quia renuntiatio est quid odiosum, & stricti iuris, itaut non contineat

30 nisi expressa, *Cardin. conf. 12. Calderin. conf. 5. de præbend. Decius conf. 452. num. 21. cum allijs Ventriglia de renunt. filia dotata Annot. 151. num. 5. Rubeus part. 4. tom. 3. decis. 543. num. 7.* Ita interpretanda est, vt minus

21 præiudicet, quam sit possibile, *Gabriel. lib. 2. conf. 60. num. 6. Surdus lib. 3. conf. 431. num. 32. vbi num. 34.* ait, quòd in dubio renuntiatio debet interpretari in fauorem renuntiantis, & contra illum, cui facta fuit,

22 *ex illis Rota par. 3. dec. 168. num. 7.* vbi antecedenter dicit, quòd renuntiatio facta à filiâ nubente hæreditatis paternæ, solùm de iuribus ab intestato prouenientibus intelligitur, non autem ex testamento, & ideo non prohibetur petere legatum sibi à patre reli-

23 ctum, *ex Bart. in l. Stipulatio hoc modo ff. de verb. obligat. num. 4. Bald. in l. Pactum C. de collat. n. 9. & in l. fin. C. de pactis n. 15. cum allijs ex eadem Rotâ n. 6.* Et renuntiatio limitata ad bona paterna tantùm, non extenditur ad materna, cùm manifestè appareat esse

24 diuersa, *Gratian. cap. 637. num. 18.* Bona autem alia sunt paterna, alia materna, alia fraterna, quando quis renuntiat vni generi horum bonorum non renuntiat alteri, quia renuntiatio est stricti iuris, & in ea non veniunt nisi bona renuntiat one expressa, *l. Si vnus §. Ante omnia ff. de pactis ibi Bart. & Iason. Alex. lib. 2. conf. 4. col. 5. Peregr. de fideicom. art. 52. num. 25. Ventriglia Annot. 1. de renunt. filia num. 5.* Quare renuntiatio limitata ad bona paterna, & materna, non extenditur ad fraterna, *Rota par. 4. tom. 2. dec. 375. num. 11.* licet ad eum peruenerit ex paternâ hæreditate, *ibidem num. 20.*

Quæres 12. An legatum dotale releuet patrem, qui non teneatur dotare filiam?

℞. Releuat, vt docent *Mandellus conf. 658. num. 4. Eugen. lib. 2. conf. 54. num. 13. Ruin. Vol. 2. conf. 196. num. 6. Bimius conf. 47. num. 4. ex illis Ottobon. dec. 15. num. 5. 6. & 7.* Et dos sic legata respicit fauorem patris, & vocatur profectitia prouenìens ex consanguineis, *Bald. in l. Profectitia ff. de iure dot. Dec. conf. 81. num. 6. cum alijs Rota cit.* 25

Quæres 13. An legatum per importunas preces vxori à marito relictum valeat?

℞. Negatiuè defectu perfectæ voluntatis, 26 quæ per importunas preces debilitatur, & infirmatur, comparantur enim metui, *ex adductis à Sanch. lib. 4. disp. 7. num. 4.* Ita docent *Decian. Vol. 2. conf. 65. num. 3. Segura in l. 1. §. Si viri ff. de aquir. possess. num. 129. apud Sperell. dec. 150. num. 23.* 27

Quæres 14. An legatum relictum nubentibus sit dandum etiam volentibus ingredi Religionem?

℞. Affirmatiuè, quia nubere & nuptiæ 28 sunt conceptus ex æquo conuenientes tam Spiritualibus nuptijs, quam carnalibus, Paulus I. ad Timoth. 5. 11. *Cum luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt.* hoc est, obseruare castitatem vidualem. cap. *Quæ Christo Spiritualiter nubunt* 10. 27. q. 1 *Mantica de coniect. lib. 11. tit 18. num. 26. Natta conf. 296. Surd. conf. 192. num. 19.* Ita in his terminis *Ludouis. dec. 301. Ciarlin. cap. 218. num. 18. vbi infinitos refert Doctores, Sanch. lib. 1. disput. 33. num. 29. Sperell. dec. 146. num. 52. Pasqual. q. 256.* Eandem quæstionem tractaui cap. 3. q. 20. à num. 79. Procedit, siue testator loquatur de puellis certis, siue incertis; vt ibidem probaui q. 21. 29

Quæres 15. An legatum dotale minus dandum ingredientibus Religionem, & maius dandum nubentibus in sæculo sit licitum? & volenti ingredi sit dandum maius?

℞. Non esse licitum, ac proinde illi dandum esse maius legatū, nulli enim dubium est, quod puellam retrahit ab ingressu Religionis, & testator facit volentem ingredi esse deterioris conditionis, quā si nuberet in sæculo, quod est inconueniens, cum perfectior sit status Matrimonij Spiritualis, quam carnalis, vnde & melior debet esse conditio ingredientis, quam manentis in sæculo. Quare illi dandum est maius legatum, vt pluribus probaui cap. 3. q. 22. & docuit *Mohed. dec. 12. de consuet. & 3. de testam. apud Ludouis. dec. 301. num. 9.* Licet nunc Rota contrarium sequatur plausibile mundo, & plangibile Ecclesijs. 30

Quæres 16. An monasterium pro dote ingredientium non solens recipere pinguiorem dotem, sed tantùm mille e. g. numquid dicta in præcedentibus quæstionibus 14. & 15. recipere possit?

℞. Affirmatiuè in eo scilicet sensu, quòd parentes ingredientis præter dotem minorem 31

taxa-

taxatam, debent facere alias expensas præuias, ideo totum legatum licet pingue dicitur dari puellæ, dum pro eà expenditur. Vnde ratio suadet, quòd puella, seu eius parentes dent monasterio dotem taxatam, & residuum legati cedatur illis pro expensis, censetur enim testator ita disposuisse, ne plus grauarentur eius hæredes. *Farin. in Posthum. part. 2. dec. 113. & Giouagn. lib. 1. cons. 56. & 57. & Ciarlin. cap. 218. num. 13. & 14.* sentientes quod dixi.

Quæres 17. An quando mulier fecit sibi dotem de suo, & sibi quoq; ab extraneo relictum fuit legatum in dotem, non tamen à patre; illud legatum sibi lucretur?

℞. Affirmatiuè, quia nihil prohibet, quin
32 dos augeri possit. Ita *Ciarlin. cap. 142. num. 20. iura, & Doctores citans*. Vide supra *q. 6.*

Quæres 18. An legatum: *Si non nupserit* excludat nuptias spirituales, ac proinde ingrediens lucretur, vel non lucretur legatum?

33 ℞. Non excludere nuptias spirituales, sed tantùm carnales, nemo enim præsumitur delinquere, maximè testator, cuius verba ita inteligenda sunt vt non sit peccatum in constitutione testamenti, *l. Plautius 9. ff. de auro, & arg leg.* esset autem peccatum prohibere nuptias spirituales, cùm ordinentur ad salutem animæ. Quare legatum relictum non nubenti consequ tur profitens in Religione, quia cum pro non adiectà habeatur ea conditio respectu nuptiarum spiritualium nihil prohibet, quin dictum legatum lucretur. Ita *Glos. in l. Mulieri, & Titio, ff. de condit. & dem & in Auth. cui relictũ C. de indicta vidust. toll. Menoch. præsump. 148. num. 6. cum alijs Ciarlin. cap. 218. num. 51.*

Quæres 19. An legatum relictum pinguius filiæ primò maritandæ dari possit secundæ primò loco maritatæ? Quod est quærere, an prioritas referatur ad natiuitatem filiarum, an ad actum nuptiarum earumdem?

34 Pasqual. q. 249. num. 2. respondet, legatum non deberi nisi primogenitæ, quamuis secunda, vel tertia prius nubat, quando pater expressit nomine proprio primam nubentem, vtiq. verò si earum nomen non expressit. Rationem reddit, quia ea sola censetur specialiter dilecta, ergo ei debetur legatum illud maius. Confirmat, quia nomine filiorum veniunt etiam nepotes, quando filios non expressit eorum proprijs nominibus,
35 *Bart. in l. Liberorum Vers. sed mihi ff. de verb. signif. num. 5. Ruin. vol. 3. cons. 129. num. 8. Dec. cons. 510. num. 5. Curt. iun. cons. 161. num. 3.*

Ottobon. dec. 15. in simili casu horum verborum: *All'altra figliola del medesimo N. che in secondo luogo si mariterà, voglio, che se li diano altri scudi seimilla*, eodem modo, & forma, sicut legauit Margaritæ, & subiunxit: *ad Anna Maria altra figliola del sudetto N. voglio, che la mia heredità paghi scudi due milla.* Et quatenus innupta, & in seculo decederet voluit *che con questo legato di scudi due milla, si proueda all'altre sorelle, che ei saranno inferiori d'età di Anna Maria con le conditioni sudette.* Respondet, legatum sexmille fuisse relictam secundò nupturæ attentà prioritate nuptiarum, non natiuitatis, licet ea esset tertia, aut quarta. Ita docet *ex Imola in cons. 1113. num. 3. Simon. de Prætis de interpret. vlt. vol. lib. 4. Interpratat. 1. dub. 9. num. 14. Borella cons. 96. num. 30.* Stando in distinctione Pasqual. videtur legatum dandum esse Annæ Mariæ ibi nominatæ, ac proinde magis dilectæ.

℞. Distinctionem Pasqualigi procedere, quando tempore testamenti conditi omnes filiæ sunt natæ, nam tunc præsumitur magis diligere nominatam, quam non nominatas,
l. Si communis 37. ff. de stipul. seruor. cap. Si 36
quis 46. de elect. in 6. & inter nominatas primo scriptas, vt dicitur locis citatis. Decisionem verò Ottoboni, quando non omnes natæ sunt, sed nasci possunt; tunc enim cum non possit fieri comparatio inter natam, & nondum natas, cum dilectio habeat pro obiecto personam existentem, persona nominata non dicitur magis, nec minus dilecta illis, quæ nondum sunt.

Quæres 20. An legatum restitutionis dotis factum à marito suæ vxori cum expressione maioris quantitatis, quàm in re ipsa sit dos, totum sit restituendum secundùm illum excessum, an solùm ipsa dos secundùm debitam quantitatem?

℞. Deberi solùm dos secundùm eius quan- 37
titatem, quam primo dedit pater filiæ suæ nuptæ, quando constat testatorem errasse in expressione quantitatis, tollendus enim est error calculi, vt probaui cap. 1. q. 50.

Quæres 21. An legatum relictum pro maritandis fæminis, seu mulieribus dari possit eis, quæ secundò nubunt.

℞. Esse dandum solùm nondum maritatis, 38
inter quas connumeratur etiam nupta primo matrimonio existente nullo, aut nondum consumato, dicitur enim nondum maritata, cum non fuerit cognita à marito. Colligitur ex l. Boues 89. ff. de verb. signif. ibi; *Hoc sermone dum nupta erit primæ nuptiæ significantur. Ita Bald. in Proœm. Decretal. num. 25. cum alijs Sanch. lib 7. disp. 91. num. 55.* Si non consumauit, quia reputatur ac si nunquam nupsisset, *Decius in Rub. C. de secund. nupt. num 4. cum alijs idem Sanch. num. 56.* Item si nullæ fuerunt priores nuptiæ, quia non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum, *ibidem.* Si tamen nullæ essent nubendæ dari posset viduis quia talis esset præsumenda mens testatoris, ne esset inutilis eius dispositio.

Demùm, quando testator mentionem fa- 39
cit

cit de virginibus, & puellis maritandis, certum est, mentem eius fuisse excludere nuptas, quæ secundò nubere volunt factæ viduæ, neq. enim virgines sunt, neq. puellæ. Et differentia est inter puellas, & virgines, nam puer, & puella dicuntur vsq. ad 25. an-
40 num, *Glos. V. Additio cap. vn. de desponſ. impuber. Inſtit. de curator initio, l. 1. C. ſi minor ſe maior. l. fin. ff. Si maior factus.* Virgo autem vlterius vſq. ad mortem, quæ nunquam ſe, neq. per alium corrupit, ſicut enim homo naſcitur virgo, ita & talis mori poteſt.

Quæres 22. An & cui vxori debeatur legatum a marito relictum, quando plures habuit?

41 ℞. Si eam expreſſit nomine proprio, ſine dubio debetur illi, quia per nomen proprium fuit limitata perſona, quam non debet excedere legatum. Ita *Sanchez lib. 7. diſp. 91. num. 58. ex Menoch. lib. 4. præſumpt. 122. num. 14.* Si autem in legando vſus fuit nomine appellatiuo ſic: *Lego vxori meæ*. Legatum cenſetur debitum illi vxori cum quâ viuebat tempore conditi teſtamenti, quia ſtante eius præſentiâ præſumitur ex ſpeciali dilectione illius motus ad legandum, & non reſpectu alterius, quam ignorabat, quam diligere non poterat, dilectio enim cum ſit actus voluntatis non fertur, niſi in præcogni-
42 tum. Ita *Couar. cap. Requiſiſti num. 3. Mantica de coniect. vlt. volunt. lib. 8 tit. 15. initio, ex illis Sanch. lib. 7. diſp. 91. num. 59.* Si verò vir ſolutus, & non coniugatus facit legatum vxori ſuæ, quam non habet, tenet
43 legatum, & debitur ei, quæ ſuperuixerit illi, quæcunq. ea fuerit, ſiue prima, ſiue ſecunda, mouetur enim indifferenter ex affectu maritali in genere, & cum vnica illi ſuperuiuere poſſit, ea lucrabitur legatum, vt docent præcitati *cum multis alijs apud Ottobon. dec. 15. num. 4. Paſqual. q. 249. num. 5.*

Quæres 23. An legatum pro maritandis puellis dari poſſit iam nuptæ ſine dote, vel cum modicâ dote?

44 ℞. Affirmatiuè, quia adhuc ſubeſt cauſa pietatis, & neceſſitas ſuſtinendi onera Matrimonij. Ita *Baldus Nouellus de Dote par. 5. num. 12. Ioannes Lupus in cap. Per veſtras, de donat. inter vir. notab. 3. §. 12. num. 8. ex illis Sanch. lib. 7. diſp. 91. num. 63.*

Quæres 24. An legatum relictum pro maritandâ Titiâ, quæ tempore teſtamenti erat iam maritata, dandum ſit illi?

45 ℞. Labeo *l. Si ita legatum eſſet: Cum nupſerit, si nupta fuerit, & hoc teſtator ſcierit, alterum matrimonium erit expectandum, nihil intererit, vtrum viuo teſtatore, an poſt mortem ea iterum nupſerit. 67. ff. de cond. & dem.* Si verò teſtator ignorat eſſe nuptam, ſtatim debetur legatum. Expreſsè *l. Si iam facta ſint, quæ conditionis loco ponantur, & ſciat teſtator, quæ iterum fieri poſſunt, expectantur vt fiant. Si verò neſciat, præſenti die debentur 11. eod.* Eſt communis apud *Sanchez lib. 7. diſp. 91. num. 65. Paſqual. q. 243. num. 2.* vbi dicit, legatum deberi, etiam ſi teſtator neſcierit eſſe nuptam, ſed Doctores ab eo citati intelligendi ſunt ſecundùm leges citatas, quæ claræ ſunt, nec egent coniecturis ad ſui explicationem. Vide quæ dixi *cap. 17. q. 2. & cap. 18. q. 22.* in his ferè terminis. Quid ſi nolit nubere, numquid 46
legatum habebit? ℞. non, quia conditionale eſt, non debitum, niſi conditione adimpletâ.

Quæres 25. An, & quando in legatis inter coniugatos, vel inter patrem, & filiam, & alios conſanguineos cenſeatur facta compenſatio dotis cum legato? Compenſatio eſt debiti, & crediti inuicem inter ſe contributio, *l. 1. ff. de compenſat.* Eſt reductio duarum 47
obligationum in vnam; debiti ergo ad debitum compenſatio, & per ſolutionem vnicam duo extinguntur, nam compenſatio eſt ſpecies ſolutionis, *l. Si debitor ff. qui pot. in pign. Surd. dec. 117. num. 1. Affliċt. decſ. 121. num. 4. Ottobon. dec. 16. num. 28.* Compenſatio autem quando in terminis ſuis non exprimitur, ex coniecturis colligenda eſt, alter in dubio non præſumitur.

Prima autem coniectura eſt, quando ambo debita ſunt pura, & liquida, nam datur 48
compenſatio liquidi ad liquidum *l. fin. C. de compenſ. Roland. conſ. 17. num. 18. lib. 1. Affliċt. dec. 381. num. 6. Rota par. 4. tom. 1. dec 424. initio, Ciarlin. cap. 189. num. 39.*

Secunda, fit compenſatio, ſi ambo ſunt 49
eiuſdem quantitatis, & ſpeciei, *ex l. Si conuenerit ff. de pignor. act. Gloſ. in l. fin. C. de compenſ. Surd. conſ. 112. num. 61. & 62. Seraphin. dec. 1455. num. 5.*

Tertia, ſi ſunt diuerſarum monetarum debita non fit in eis compenſatio, *Corneus lib. 1. conſ. 288. num. 4. Phanut. de dote Gloſ. 8. num. 94. Surd. conſ. 112. num. 63. ex illis Ciarlin. cap. 189. num. 42.* 50

Quarta, ſi teſtator de bonis ſuis expreſsè 51
legauit, non fit compenſatio, quia bona ſua dicuntur, deducto ære alieno, *ex l. ſubſignatum §. 1. ff. de verb. ſignif. Bald. conſ. 84. lib. 2. Menoch. præſumpt. 109. num. 6. 7. 8. lib. 4. Ciarlin. cap. 189. num. 45.* Cum ergo bona ſua alia ſint à debitis, non potuit animum habere compenſandi.

Quinta, ſi teſtator ſit conſanguineus præ- 52
ſumitur donare, non compenſare, id ſuadente amoris affectione, ex quo ſolent ſe liberales exhibere, *ex l. fin. C. de dot. promiſſ. & l. cum alienam C. de legat. Corn. lib. 1. conſ. 292. col. 3. Surd. eo conſ. 112. num. 47. ad 50. ex illis Ciarlin. cap. 189. num. 46.*

Sexta, ſi debitum ſit minus, computatur 53
cum legato maioris quantitatis, *Hondeà. lib. 2. conſ.*

cons. 50. n. 23. Menoch. lib. 4. Praesumpt. 110. num. 32. Procedit in debito necessario, non in voluntario, quod non compensatur cum legato maioris quantitatis, *ex l. Vn. §. Primum C. de rei vxor. l. Creditorum ff. de legat. 1. l. Creditor C. de legat. Alciat. cons. 408. num. 5. Corn. lib. 1. cons. 292. num. 2. & 3. ex illis Ciarlin. cap. 189. num. 47.*

54 Distinguunt Doctores debitum in necessarium, & voluntarium. Debitum necessarium vocant illud, quod immediatè procedit à lege, à qua initium, & causam suæ necessitatis habet, sine facto ipsius debitoris, à sola ergo lege inducitur. Voluntarium verò est illud, quod oritur ex contractu, vel quasi contractu, omnis enim contractus ab initio est voluntatis, post verò incipit esse necessitatis, contractus enim est, ex quo oritur obligatio saltem ex vna parte contrahentium quocunq. modo, licet contractus presse acceptus inducat vtrinq. obligationem. Doctores refert Sperell. decis. 172. num. 43. & 47. Hinc sequitur, aditionem hæreditatis inferre debitum voluntarium in hærede, cum descendat ex contractu, quem quasi init hæres cum testatore adeundo hæreditatem, *ex Castro*

55 *lib. 2. cons. 36. Capra cons. 29. lib. 3. Corn. lib. 1. cons. 292. Sperell. dec. 172. num. 45.* Ex his præmissis.

56 ℞. Pater, qui promissam dotem nondum soluit filiæ suæ nuptæ, si illi faciat legatum, censetur compensare dotem in legato; non autem maritus, nisi id expressè dicat, vel ex coniecturis id colligatur.

Prima pars de Patre probatur, *ex l. Huiusmodi 36 §. cum pater ff. de legat. 1. Auth. Vxore mortuâ C. de secundis nup. l. Si cum dotem 23. §. Si pater ff. soluto matr. Ciarlin. cap. 189. num. 3. Mantica lib. 10. tit. 2. num. 5. Paris. lib. 2. cons. 98. num. 5. Sperell. dec. 176. num. 81.* Ratio est, quia in debitis necessarijs datur compensatio per legata ex il-

57 latis legibus; sed debitum dotis paternæ, & eius conseruationis pro filijs, & legitimæ dicitur debitum necessarium cum immediatè originetur à lege, quæ mandat patri prædicta tria dare suis filijs, ergo si faciat illis legatum censetur tum eo compensare debitum. Ita etiam docent de legitimâ *Surd. lib. 3. cons. 388. num. Menoch. lib. 3. cons. 266. num. 86. ex illis Gratian. cap. 448. num. 15.*

58 Secunda pars de marito, & alijs, probatur *è Glos. V. Tantum acceperit, in cit. l. Si cum dotem 23. §. Si pater ff. solut. matr. ibidem Doctores, & sequuntur Osasch dec. 168. Paris. lib. 2. cons. 95. num. 37. Surd. dec. 112. num. 41. 42. & 64. Caphal. cons. 254. num. 11. & 12. cum alijs Ciarlin. cap. 189. num. 10. Sperell. dec. 172. num. 54.* Ratio est, quia debitum voluntarium non compensatur cum legato; *Mantica lib. 10 tit. 2. initio, Surd. cons. 112. num. 42. Cyriacus contr. 261. num. 39. Ciarlin. cap. 189. num. 24.* sed debitum mariti dotale, est voluntarium, non necessarium, cum non originetur 59 à lege, sed ex facto eius, qui matrimonium contraxit, ex quo sequitur tamquam facto proprio teneri post mortem restituere dotem vxori superuiuenti, ergo non compensatur cum legato.

CAPVT VIGESIMVM.

De Cautione Mutianâ.

SVMMARIVM.

1 *Cautio est prouisio, per quam quis assecuratur super re stipulatâ instrumento vallato iuramento, pignore &c.*

2 *Mutiana dicta à Mutio iureconsulto locum habens in legatis conditionalibus negatiuis.*

3 *Ea ratione, vt legatarius illud consequi possit, aliàs non consecuturus nisi post suam mortem quâ adimpletur conditio.*

4 *Duplex est negatiua conditio, expressa verbis negatiuis, & virtualis verbis affirmatiuis, quæ resoluuntur in negatiuam.*

5 *Datur alia cautio dicta Trebatia à Trebatio in modalibus, restituendi scilicet rem legatam cum fructibus perceptis, modo non impleto.*

6 *Cautio præstatur pro legatis non solùm profanis sed etiam pijs.*

7 *Priuilegia libertatis tribuuntur etiam legatis pijs.*

8 *Legatum libertatis non est subiectum cautioni mutianæ.*

9 *Conditio negatiua limitata tempore Donec &c. non admittit cautionem mutianam.*

10 *Conditio tempore limitata principaliter importat tempus, secundariò conditionem.*

11 *Mutiana duo petit perseuerantiam, & quod morte compleatur.*

12 *Hæreditates admittunt cautionem mutianam.*

13 *In contractibus locum non habet.*

14 *Non præstatur nisi petatur.*

15 *Cautio hæc parit ius ad excipiendum tantùm.*

Cautio est prouisio, per quam quis asse- 1
curatur super re stipulatâ, iuramento, pignore, vel fideiussione, & alij modis, de quibus hic agendum non est, sed tantùm in ordine ad legata.

Quæres 1. An in legatis detur cautio pro eorum consecutione?

℞. Affirmatiuè, tam in legatis conditio- 2
nalibus

nalibus onerosis, negatiuis, quàm in modalibus.

Prima pars deducitur *ex l. Mutiana 7. ff. de condit. & dem. Auth. cui relictum, C. de indictâ viduit. toll.* Cautio autem hæc vocaturMutiana à MutioIureconsulto inuenta, ipse enim considerans conditionem suspendere relictum vsq. ad purificationem, & adimpletionem conditionis negatiuæ, pro quà solùm datur cautio, quæ tantùm in extremo vitæ purificari, & certificari potest; ne legatum foret illusorium adinuenit huiusmodi cautionem, per quam legatarius promittit, si contraueniat menti testatoris, se restituturũ rem legatam cum omnibus fructibus perceptis, vt dicitur in dictis legibus; hæc ergo cautio substituitur loco purificationis, & adimpletionis conditionis, vt legatarius possit consequi legatum. Ita omnes, *Paris. lib. 3. cons. 95. num. 26. & 32. Natta lib. 2. cons. 292. cons. 459. num. 15. Gratus lib. 4. Resp. 102. num. 11. & 45. Sperell. dec. 159. num. 2. & seq. Rota par. 5. tom. 1. dec. 241. num. 36.*

3 Datur autem in solis legatis conditionalibus negatiuis, non affirmatiuis, eà ratione, quia in istis, legatarius statim post mortem testatoris potest, si vult conditionem adimplere, vt lego tibi certum si nupseris. In negatiuis verò, vt dictum fuit, adimpletio non datur, nisi per mortem legatarij, nam tunc res est certa, quòd non ascendet Capitolium, quòd non fornicabitur, quòd non nupserit, ideo ne legatum sit inutile, datâ cautione, statim aquiritur.

4 Conditio autem negatiua duplex est, Expressa, & Virtualis, illa exprimitur dictione negatiuà, sic: *Si non ascendet capitolium, Si non nupseris*; Si *non recesseris à domo meà*; *Si non fornicaberis &c.* Virtualis verò est illa, quæ verbis affirmatiuis concipitur; quorum sensus resoluitur in negatiuum: Si *vitam duxeris vidualem*; *Si manebis in domo mea*: Si *vitam castam duxeris*. Resoluuntur enim in negatiuam sic. Si *non nupseris*. Si *non recesseris à domo meà. Si fornicata non fuerit.* De iis ergo & similibus datur cautio. Ita *Bartol. & alij in l Mutiana 7. ff. de cond. & dem. Ruin. lib. 2. cons. 34. num. 4. & lib. 3. cons 170. num. 7. Rota par. 5. tom. 1. dec. 241. num. 38.* Sanch. *lib. 7. disp. 91. num. 6. Sperell. dec. 189. num. 3.*

5 Secunda pars de cautione dandâ etiam in legatis modalibus obligantibus ad aliquod opus faciendum probatur *ex l. Si tibi 19. ff. de leg. 3. l. Quibus 40. §. Termilius ff. de cond. & dem. l. Eis causas 79. eod.* Et dici potest cautio Trebatia a Trebatio, qui fuit auctor *l cit.* 40. nam prioris fuit Nerua, & Atticilinus, testis verò Papinianus, posteriores Trebatio. Legatarius ergo debet cautionem præstare de modo, & onere implendo, cum obligatione restituendi rem cum suis fructibus, si non adimpleat mentem testatoris, vt colligitur ex dictis legibus, *& l. Si hæres 11. ff. de condit. ob causam.* Ita Bartl. *in l. Quibus 40. cit. Paris. Vol. 2. cons. 15. col. vlt. & cons. 19. num. 52. & 55. Rota par. 5. tom 1. dec. 241. num. 43. de Lugo disp. 24. num. 247.*

Quæres 2. An cautio præstanda sit non solùm pro legatis prophanis, sed etiam pijs?

℞. Affirmatiuè, quia omninò eadem ratio 6
in vtrisq. reperitur, cum in eis conditio non mutet suam naturam, sed talis remanet, vt si non suppleatur eius implementum per cautionem, remaneat legatum inutile legatario.

Sperellus *decis. 159. num. 12 & seq.* probat non requiri cautionem mutianam in legatis pijs ex conditione negatiuà, quando testator eam non expressit, eà ratione, quia omnia libertatis priuilegia attribuuntur legatis pijs, seu ad piam causam factis, *Bart. in* 7
l. 1. ff. de his, quæ in testam. debent. Roman. in Auth. Similiter C. ad leg. Falcid. Bald. in l. 1. §. 1. C. de caduc. toll. cum alijs idem Sperell. num. 13. Sed legatum libertatis non admittit cautionem mutianam, *l. Libertas 17.* 8
ff. de manum. testam. ergo neq. legata pia. Subdit in fine num. 15. se id non reperisse ab vllo tactum, putat tamen verum.

Ego autem puto falsum, quia ex solo textu allegato id non colligitur, cuius verba sunt hec: *Hæc autem scriptura: Stichus si Capitolium non ascenderit, liber esto, ita accipienda est, si cum primùm potuerit Capitolium non ascenderit. isto enim modo perueniet Stichus ad libertatem, si facultate datâ ascendendi Capitolium, abstinuerit.* In quibus verbis nullum apparet verbum cautionis, nam ea verba libertatis nihil aliud important, quàm conditionem potestatiuam, quà legatarius liber sit respectu huius actus ascensionis, libertate quò ad hoc sibi factà, sicut habent alij respectu conditionis negatiuæ e. g. *Si non nupseris, si non fornicatus fueris. &c.*

Quæres 3. An cautio mutiana danda sit in legatis sub conditione negatiuà cum limitatione, & distributione temporis. e. g. *Donec vixerit in viduitate, quousq., donec, quamdiu, &c.* hæ enim limitationes diuidunt, & distribuunt tempus.

℞. Negatiuè, *ex l. Titia 22. ff. de legat.* 9
ann. l. Pater 10. §. fin. ff. de condit. & dem. Ita docent pleriq. *cum Aymone cons. 360. num. 5. Ruin. cons. 170. num. 2. Natta cons. 159. num. 17. Mantica lib. 10. tit. 2. num. 14. & lib. 11. tit. 19. num. 22. ex illis Sanch. lib. 7. disp. 91. num. 7. Sperell. decis. 159. num. 19. Gratian. cap. 563. num.* 11. Ratio 10
est, licet enim importent conditionem, tamen principaliter denotant limitatem tempus, secundariò, conditionem, *Bart. in l. pen. ff. de excusat. tutor. Cardin. in Clem. 2.*

§. 2. *de etat. Gratian. cap.* 563. *num.* 11.

11 Adde tu, quòd cautio mutiana duo petit, perseuerantiam in conditione negatiuà, & quod morte compleatur, huic autem obstat tempus limitatum, & distributum per annos.

Quæres 4. An cautio mutiana locum habeat in hæreditatibus, & non solùm in legatis?

12 ℞. Etiam in hereditatibus relictis sub præfatis conditionibus, expresse *l. Mutiana* 7. *ff. de condit. & dem. Sperell. dec.* 159. *num.* 4. *Rota par.* 5. *tom.* 1. *dec.* 241. *num.* 35. *Sanch. lib.* 7. *disp.* 91. *num.* 6.

Quæres 5. An cautio mutiana locum habeat in contractibus?

13 ℞. Negatiuè, quia lex præcitata loquitur tantùm de hæreditatibus, & legatis, vt visum fuit. Ita *Iason in l. Dedi pecuniam ff. de condit.* [illegible] *num.* 15. *Molina de primog. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 26. *Ludouis. dec.* 428. *num.* 8.

Quæres 6. An cautio hæc præstetur, si non petatur?

℞. Non est præstanda, nisi petatur, quia 14
solùm parit ius excipiendi. Ita *Peregr. de fideicom. art.* 11. *num.* 115. Vnde, qui eam 15
non petijt censetur renuntiasse ex lapsu 30. vel 40. annorum, *ad tex. l. Sicut in rem, & l. cum notissimi C. de parscript.* 30. *annor. l.* 1. §. *fin. C. de annal. except. Ciarlin. cap.* 88. *num.* 53. & 54.

F I N I S.

INDEX

INDEX
RERVM DE LEGATIS.

Primus numerus indicat Caput, ſecundus marginalem.

A

B

C

D

Forus

Lega-

M

Mona-

Potestas

T

FINIS.

CENTVRIA CONSILIORVM

Reuerendiſs. P. M.

FRANCISCI BORDONI.

Digitized by Google

Digitized by Google

CENTVM CONSILIA

IN VTROQVE IVRE, ET FORO

Tam interno, quam externo

EXARATA.

Per Reuerendiss. P. M.

FRANCISCVM BORDONVM

PARMENSEM.

Tertij Ordinis Regularis S. Francisci olim Generalem.

Nunc primo prodeunt ex Manuscriptis authoris selecta.

PARMÆ,

Typis Ioseph ab Oleo, & Hippolyti Rosati. MDCLXXXIX.

DE SVPERIORVM CONSENSV.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO D.

D. I V L I O

DALLA ROSA

NOBILI PATRITIO PARMENSI.

VIANINI &c. MARCHIONI.

Iuris Vtriusque ex Inclito Iudicum Collegio in Patriâ Doctori;
Prothonotario Apostolico;

Nec non Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini

THOMÆ SALADINI

PARMÆ EPISCOPI

VICARIO IN VTROQVE FORO GENERALI

A M P L I S S I M O.

Digitized by Google

Illuſtriſsime, & Reuerendiſsime Domine.

QVIDNI LILIIS ROSAS attexerem, dum in lucem prodit poſt tractatum de LEGATIS Reuerendiſſimi Patris Franciſci Bordoni CONSILIORVM CENTVRIA! Decuit nempe Illuſtriſſime, & Reuerendiſſime Domine parmenſi è Viridario flores illos ſceligere in Coronam amœniſſimi Senis, qui regalem præferant Maieſtatem vt poſthumo operi conciliaretur tutamen, & decus. Nec diu id circo, nec multùm hæſitandum mihi fuit, cui nam hæc CONSILIA ſacrarem; neque enim mente exciderat conſtans illa eruditiſſimum Authorem conueniendi frequentia, qua Tibi Illuſtriſſime, & Reuerendiſſime Domine, & Illuſtriſſimo ſapientiſſimoque Fratri augebatur ad ſeria ſtudia conſuetudo, & Mentibus ad grandia Conſilia factis redolebat morum integerrimorum fragantia, nec vnquam contigit ab erudito congreſſu abſceſſus, quin geminato fœnore, & ſenili ab eruditione, & à pubeſcentis Iuuente amœnitate augeretur Virtus ad gloriam, inſtrueretur ad Miraculum eruditio. Tantæ ſpei fuit ſemper Tua Illuſtriſſime Domine indoles eximia; nec mirum, eo namque Te ſanguine ortum venerabunda colit Patria, quo continuata per quinque integra ſecula ſeries Herourn plures Prouincias nedum vnam Vrbem coronaret ad inuidiam. Neque tamen inde exordium nouimus Tuæ Familiæ ſplendoris cùm

Parmæ

Parmæ irradiare cæpit, quæ pluribus antea & Opidis, & Vrbibus dominata, aurea illis, nedum Rosea secula fuerat impertita. Plurimùm meo videri debet Patria nostra ciuilibus Guelphiorum Gibellinorumque diffidijs, quibus sua ditione per scelus orbata stirps Tua, eidem decorem auxit, dum ab illa reffugium accepit. Chrisopholis tunc veriùs dici poterat, cum Rosarum Tuarum auro coronari assueuit. Sed frustra stemmatis omen attenditur vbi Heroum facta non splendent. Splendiderant iam antea Palestinà in Missione Rolandi A'ROSA in armis eximia facinora, dum de Egyptio, & Ethiope triumphans tyrocinia posuit, quibus in Italia Bononienses ad pugnam prouocaret, & pacem implorare doceret. Propriæ hinc strenuitatis heredes filios Manfredum, & Thomaxinum instituens Mutinensi Ciuitati Guelphiorum præsidio munitæ geminum Anibalem ad inuasionem reliquit; adeo vt fatigata siluerit fama de gemino hoc belli pacisque arbitro siue cum antiquis Rangonibus, fortibusque Grassonibus armorum Iura tractarent, siue alter Parmensium Mutinensiumque fœdera depositis, & compositis odijs iniret, siue tandem Regij Potestatem, Ducemque armorum vtrinque Cæsar ebiret. Splendiderant Saxoli, Guidonis, Manphredi secundi, Mamphredini, Francisci, Petri, aliorumque à Rosà priscis illis temporibus variâ quidem fortunâ, sed constanti gloriâ in turbidis factionum factis heroica gesta, qui vel Florani, vel Saxoli, vel Mutinæ, vel Regij, interdum omnium ditionibus insignes immortale nomen Posteris hereditario iure sanxerunt. Tantùm gloriæ pondus ferreis illis temporibus florido, & roseo Stemmati cumulauerunt ad corónam. Tot, ac tantis propterea Gens aucta splendoribus, & quæ integram Prouinciæ ignobilitatem eliminaret, Patriæ nostræ decus, & gloriam, ni totam intulit, auxit certè ad Miraculum; indeque cæpit Parmensis Vrbs obliuisci sterilitatis cum Saxolam Rosam intra sua scepta recepit, amœnitatis degeneratura in Emporium. Et quàm amœnam creuit in sobolem? Quot hìc Deus immortalis, & quanta referre possem heroicæ Monimenta Virtutis! nisi & ingens series rerum facundiam opprimeret, & Tua me dicere conantem cohiberet Modœstia. Grandia quippe gentilitio à sanguine patrare eruditus, grandi contemnis animo laudum bene meritarum Tbi tributa persolui. Patere tamen Illustrissime, & Reuerendissime Domine, vt Patriæ saltem gratuler Matthæum à ROSA', qui duo Te supra secula præcedens parmensi Senatu donatus dubium reliquit, plus ne Dignitatis acceperit, an contulerit sapienti illi Areopago splendoris; nisi quòd geminato fœnore decorem Patriæ penè recens Patritius reuerberauit in Filijs; Ioannem scilicet Franciscum Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicum contribuens, & Scipionem Foro propriæ sedis in Senatu heredem stabiliens, honorem, quem à Patria recepit, eidem duplicatum

restituit.

restituit. Nouit hoc idem Gallorum Rex Franciscus primus Sci-pionem eundem Equitem amplissimum instituens, nouerunt, & Clemens VII. iteratis vicibus, & Paulus III. semel ad se pro Patria Nuncium excipientes, & encomiasticis Diplomatibus honorantes. Nouit, & Farnesia Familia eundem audiens sibi primum de suscepto Principatu gratulantem, & pro Patriâ Fidelitatis inconcussa Fœdera iurantem; optimumque sibi omen est augurata si proprijs LILIIS occurrerent ROSÆ; quippe non eam latebat LILIA ROSIS redimita suauius olere; venustius florere. In huius rei testimonium succedens Octauius, Scipionis Filium Bartholomeum à ROSA aulæ Sacri Lateranensis Pallatij Comitem, Militem, & Equitem auratum instituit, quem postea parmensis Senatus Præsidem, & Rainutius Octauij Filius sibi intimè Charum, & Cæsar Estensis Ferrariæ Princeps præcipuâ dilectione coniunctum habuerunt; nempe tantæ Indolis Ingenuitas non vsitato exemplo, & citra periculum proprij Principis, & exterorum placebat Ingenio. Bartholomæi Filios sic excepit Fama, sic circumquaque vulgauit, quasi Gloriæ triumuiratum demirans; Scipionem secundum amœniori literaturâ ornatum splendidissimum Nomen, Patriæ Innominatorum Academiæ largientem, Hortensium Sacræ Hierosolymitanorum Equitum Religioni cribratâ Nobilitatis indagine nitorem augentem, cui idcirco Eminentissimus Frater Alosius Vuignacourt Sacræ Domus Hospitalis tunc magnus Magister tamquam strenuo commilitoni, & de Religione bene merenti amplissima expediri iussit Priuilegiorum Diplomata, & Petrum Mariam almum Illustrissimorum Iudicum Collegium illustrantem. Hic subinde in Patriæ Vniuersitatis Gymnasio Bartoli explanator, & postea Iuris ordinarij Matutinis horis interpres, eò Nominis gloriam auxit, vt à Patria ad Sanctam Sedem pro durissimis controuersijs Nuncius expeditus, Iustitiæ Gratiæque Consiliarius à Margheritâ Farnesia decretus, Ducalis Cameræ Placentiæ Præses ab Odoardo nominatus, & demum à RAYNVTIO fæliciter regnante parmensis Dictaturæ, & signaturæ Consiliarius fuerit creatus. Adeo verum est Liliorum, Rosarumque amœnitatem mutui fæderis in testimonium vicissim augeri. Possem hic Scipionis Filios recensere Bartholomæum, & Petrum Aloysium, illum Sacri Carmeli rigidorem institutum amplexum sub nomine Francisci de Annuntiatione Angelicam in agnomine, Seraphicam in Nomine, Cherubicam in viuendo normam imitatum, ad optatam cunctis in Cælo vt pie credi debet immortalitatem euolasse, alterum Serenissimo Odoardo Farnesio in Castris assistentem gloriosè pro Patriâ, pro Principe occubuisse, vt immarcessibiles auitis ROSIS in propriæ strenuitatis coronam palmas intexeret, sed prohibent de Auunculis tuis viuentes Fratres, & Hortensius Metropolitanæ Canonicus, & Papinianus amantissimus Tui Pater vlterius loqui, oportunè suggerentes

** gerentes

gerentes lauda post mortem, Magnifica post consumationem; Vt tamen verum fatear si Gloria Patris est Filius sapiens; Papiniani maxima erit procul dubio, vt qui tres Filios, Scipionem, Petrum Aloysium, & Te Illustrissime, & Reuerendissime Domine in Iudicum Illustrissimo Collegio adscitos, & Laureà coronatos vno, & eodem die conspexit, nec maius vnquam eidem Collegio accessit coronamentum, quàm cum tergeminas tergeminorum Germanorum ROSAS tergeminæ Laureæ intexit. Hinc verò quantus splendor Familiæ, Quantus Patriæ, quantus ortus est Literatorum Reipublicæ! Rosarum inter alios Flores prærogatiua est amœnitatis series prorogata, adeo vt Prouectis tempore succedant Maturæ, has verò circundent Pubescentes, & quæ adultos erudiantur in Flores. Hoc idem insignem reddit stirpem tuam Illustrissime, & Reuerendissime Domine. Prouectas veneratur Vrbs nostra in Patre, & Auunculo, Maturas in Te, & Fratribus, Pubescentes in Nepotibus. Hos almum Nobilium Colleggium miratur sibi ipsis, & Flores, & Apes, dum Literario insudantes Mellificio proprijs Rosis augent Patrimonium, ne Auunculis crescant degeneres, quorum alter Petrus Aloysius Serenissimo RAYNVTIO intimus Consiliarius; alter scilicet Scipio nuperrimè Parmensium Canonicorum Collegio adscriptus. Tuque Illustrissime, & Reuerendissime Domine Præsulis amplissimi Thomæ Saladini, *cuius nomen Abissus integram explet Paregyrim*, Vicarius Generalis existis. Ambo autem crescentibus Nepotibus sic iter ad Gloriam ostenditis, vt duces sitis, nec ipsis nil aliud restet faciendum quam vestris inhærere vestigijs, & in auitarum ROSARVM odorem currere. Sed non literis tantùm, sed etiam armis fulgentem veneror Familiam. Quippe Rosarum, est non solam purpuram cum fragrantia odoris ad venustatem, sed etiam spinas exerere ad Maiestatem; Certè Bartholomæi Fratris tui egregius vigor in armis Gallorum Regis in Castris, antiquorum Tuæ Stirpis Eroum nomen excitans ad Memoriam, emulatur ad Gloriam. Sed diutius, quam Tua permitteret Modœstia immoratus in Tuis Tuorumque laudibus, veniam imploro eoque magis, quòd pro dignitate, non dixerim, & tamen de Eroibus, vel satis, vel nihil est dicendum, dum æque, imo dignius eximia venerabundo silentio laudentur, ac eloquio. Parce interim obsequio Illustrissime, & Reuerendissime Domine, & Munus hoc hilari, vt peto, vt opto, vultu excipiens, Me, qua soles humanitate respice; dum nomine etiam omnium nostri parmensis Conuentus alumnorum subscribor.

Dominationis Tuæ Illustrissimæ, & Reuerendissimæ.

Humillimus, & addictissimus Famulus
Fr. Petrus Paulus Manzanus.

IMPRIMATVR.

Iulius dalla Rosa Vicarius Generalis Parmæ.

IMPRIMATVR.

F. Ioseph Maria Tabalius Vicarius Generalis Sancti Officij Parmæ.

Vidit Nicellus Præses Cameræ.

Digitized by Google

INDEX CONSILIORVM.

CON-

CON-

FINIS.

INDI-

INDICVLVS MATERIARVM
Quæ in Centuria præſenti Conſiliorum vel ex profeſſo diſcutiuntur vel contingenter tanguntur.

Primus numerus Conſilium, ſecundus Paginam indicat.

De Cuſ-

R

S

De Sti-

T

V

FINIS

CONSILIVM PRIMVM

An legatum præteritum vltra 200. annos sit nunc adimplendum?

1 Sanctimoniales Placentinæ N. Obtinuerunt Legatum vnius Possessionis millium perticarũ sibi relictam à Frãcischino de Lando cognominato de Vigintianis, vt apparet in eius Testamento confecto de anno 1374. cum onere ædificandi vnam Capellam pulcram, & sufficientem cum vno altari sub inuocatione S. Gregorij prope Ecclesiam sui Monasterij, manutenendo in domibus Monasterij vnum Presbiterum secularem, qui ibi continuam residentiam faciat, & teneatur perpetuò celebrare in dicto Altari quotidie missam S. Gregorij, & alia diuina Officia facere pro anima testatoris, & suorum. Quòd si Moniales non fecerint ædificare prædictam Capellam, & Altare, & non manutenuerint Presbiterum in celebratione dictæ Missæ, & alio um diuinorum Officiorum pro anima suâ, & suorum, Testator illas Moniales ex tunc priuauit prædicto legato, & subinde eandem possessionem legauit Hospitali. Hic est tenor testatoris.

2 Dubitatur hìc *Primò*, an aliàs Moniales huic oneri satisfecerint, cum modò nullum appareat vestigium huius obligationis non solum in Ecclesiâ nouâ, vt ad oculum patet, sed nec quicquam visum fuerit in antiquâ; Moniales enim de aliquo non recordantur, nisi quòd in die S. Gregorij, eius canitur Missa, & in villa, vbi est Possessio distribuitur panis pauperibus, de quo onere nihil in testamento. *Secundò* dubitatur, dato quòd reuera non fuerit constructa Capella cum Altari debeant nunc Moniales illam construere? *Tertiò* an sufficiat deputare vnam ex iam constructis in Ecclesiâ nouâ nulli obligatam cum Icone pulcra, & sufficienti, an verò eam fabricare extra Ecclesiam, & prope illam, nam testator inquit! *Prope Ecclesiam sui Monasterij*, ergo non intra Ecclesiam. *Quartò*, an Sacerdos deputatus teneatur quotidie celebrare Missam præcisè S. Gregorij, vt expressè disponit testator? *Quintò* quomodo præter Missam ille Sacerdos debeat in illa Capella facere alia diuina Officia, vt dicitur in Testamento? *Sextò* an sit obligatio residentiæ ex illis verbis: *Qui ibidem continuam Residentiam faciat*? *Septimò* demum, an Moniales teneantur dare illi habitationem in vna ex suis domibus laicalibus, si habent extra clausuram, an verò sufficiat dare illi salarium celebrationis iuxta consuetudinem loci? Singulis singillatim modo respondendum est.

Ad primum, ex informationibus datis apparet, non fuisse satisfactum per Moniales huic oneri, nam nulla earum testatur se vidisse Capellam erectam, quam etiam excutiens vidisset, & ideo præsumendum est non fuisse ædificatam. Et id clarè colligitur ex nota Tabellæ obligationum, cuius verba sunt hæc: *Nota dell'obligo, che tenemo per hauer hauto la possessione di Cicernasco da Franceschino Landi Vintianni, e suoi desonti, fare la festa di S. Gregorio in perpetuo, con eleger vna Capella, e farla ornare, & intitolarla di S. Gregorio, come per il suo testamento &c.* Nam ea verba: *con elegere*, hoc est, erigere, & fabricare, referuntur ad opus nondum executum, sed exequendum. Tacetur Missa quotidiana, cuius loco exprimitur *Fare la festa di S. Gregorio in perpetuo*. Testator id non petit, sed quotidianam missam eiusdem Sancti. Itaque ex his non apparet, quòd mens Testatoris fuerit adimpleta, remanet ergo adimplenda, vel probandum clarè adimpletionem, quod tamen fieri non potest, cum opus satisfactionis demonstrari non possit. 3

Dices, iam prætererunt anni 274. ergo præscripserunt contra mentem testatoris, & sic 4

sic ad nihil tenentur. Deinde legatum spacio centum annorum, cessat, & vlterius non durat, ex iuribus allegatis à *Ciarlin. cap.* 143. *à num.* 1. *ad* 12. Et quòd ea missa non sit amplius celebranda, & ideo omissa in ea Tabella, docet *Setus in* 4. *Sent. dist.* 19. *q.* 3. *art.* 2. vbi dicit, quòd animæ defunctorum liberantur à Purgatorio spacio centum annorum ad summum; sed iam præterierunt 274. ergo ad missam non tenentur sed hæc non obstant.

5 Primo namq; respondetur, præscriptionem hic non posse locum habere, cum Moniales ab initio, quando obtinuerunt possessionem, eam legitimè possidebant, & se obligarunt sine dubio adimplere onus præscriptum in testamento, quælibet enim res transit cum onere suo ad possessorem, cum onus hoc sit reale; præscriptio autem fauet ijs, qui alienum sibi vsurparunt bona
6 fide credentes esse proprium, ita omnes in materia præscriptionis, quæ nihil aliud est, quam aquisitio rei alienæ per continuationem possessionis bona fide, spatio temporis lege præscripti, ex *Bonac. disp.* 1. *de contr. q. fin p.* 2. *§.* 2. *num.* 1. constat autem moniales rem alienam non sibi vsurpasse, sed propriam accepisse possessionem sibi relictam a testatore cum præfato onere, quod exequi omnino tenentur, aut relinquere possessionem Hospitali, Vide quæ dixi de legatis cap. 6. per totum.

7 Secundò de cessatione legati respondetur, textus allegatos à Ciarlin. explicari per ipsum sub num. 22. vbi refert causam, cur legatum vsusfructus factum ciuitati finitur spatio centum annorum, nimirum, quia alias eius proprietas esset inutilis, dum ciuitas perpetuò viuit, in casu autem nostro non distinguitur vsusfructus à proprietate, cum tota possessio quò ad vtrunq; sit ipsius monasterij. Præterea obiectio non facit ad rem, quia aliud est finiri legatum, quod semper manet apud legatarium, si satisfacit oneri suo, aliud est cessare obligationem ei adnexam, quod omnino negatur, nec ea iura à Ciarlino citata quicquam ad propositum faciunt, quare sicut possessio perpetuò manet apud moniales, ita & onus ei adnexum perpetuò exequendum est. Vide ibidem cap. 17. per totum.

8 Tertiò respondetur, opinionem Soti ab omnibus tamquam falsam reijci, vt insinuat idem Ciarlin. num. 29. nam certum est apud omnes dari onera perpetua missarum, de quibus etiam mentio fit in Decretis de celebrat. Missar. non ergo verum est, quòd quælibet anima spacio centem annorum liberetur à pænis Purgatorij.

9 Dices iterum Moniales faciunt festum S. Gregorij, & panem eodem die distribuunt pauperibus villæ, vbi est possessio, ergo hoc mediante, licet non exprimatur in testamento, satisfaciunt suo oneri, certum argumentum, quod reductio facta est huius legati ad formam Tridentini sess. 25. cap. 4. de reduct. Missar.

Exhibeatur documentum huius reductio- 10
nis ad formam Tridentini ab anno 1564. quo cæpit obligare, & pro monialibus tunc erimus, quò ad exemptionem ab onere faciendi celebrare missam quotidianam, non autem quò ad fabricationem Capellæ, & Altaris cum Icone, quia Tridentinum indulget facultatem reducendi solum onera missarum, non autem aliorum. Nec verisimilis est huiusmodi reductio, dum Moniales asserunt Capellanum suum celebrare pro D. Vigintiano, vt patet ex informatione.

Ad secundum dubium quod est principa- 11
le, supposità veritate, quòd Moniales nondum satisfecerint, (nec enim tempus illis desit, cum 274. anni abierint) facta enim non præsumuntur, sed probanda sunt, *cap. cum in iure, de offic. deleg. Sanch. lib.* 15. *disp.* 7. *num.* 11. *§. Tertio*.

Dico, Moniales teneri ad fabricandam 12
Capellam cum Altari, & manutenere in eo Sacerdotem, qui quotidie celebret ad mentem testatoris, hoc modo, designando vnam ex dictis Capellis suæ Ecclesiæ, faciendo depingere S. Gregorium in Icone pulcra, & sufficienti, sic enim cum parua expensa satisfacient oneri suo, & sedabunt conscientias à peccato. Hoc alia ratione non probatur, nisi quia constat clare de mente testatoris, & sine dubio possident pacifice possessionis legatum, ergo iustitia exigit, vt satisfaciant menti testatoris, aliter in conscientia non possunt retinere possessionem, cui est annexum illud onus, sicut inseparabiliter sequitur ipsam possessionem.

Tertium dubium resoluitur, dicendo, 13
Moniales satisfacere menti testatoris, si illi applicent vnam ex Capellis suæ Ecclesiæ, Dum nulli est obligata, iuxta mox dicta. Nec obstant ea verba: *Prope ecclesiam sui Monasterij* quasi Capella debeat fabricari extra Ecclesiam, nam illud verbum, *Prope ecclesiam* interpretandum, hoc est non separatam ab Ecclesiâ, sed cum ecclesiâ coniunctam, Capellam autem intra Ecclesiam sitam nullus negabit, esse prope Ecclesiam.

Ad quartum, Sacerdos deputatus à Mo- 14
nialibus non tenetur celebrare quotidie Missam S. Gregorij, sed potest celebrare Missam currentem pro testatore, cuius mens quò ad missam præcisè S. Gregorij, omnino reijcitur, & pro nõ scripta habetur, neq; enim testator in suo testamento aliquid disponere potest contra leges, quas facere non potest, quin habeant locum in suo testamento *l.*

Testandi

Testandi 13. *C. de testam.* inter quas leges sunt de celebr. Missarum, quæ præscribunt esse celebrandas Missas currentes Sanctorum iuxta Rubricas Missalis; vnde in cap. 2. de celebr. Missar. reprehenduntur quidam laici qui faciebant celebrare quasdam missas, quæ erant contra Rubricas.

15 Ad quintum, ea verba. *Et facere alia diuina Officia*, aut superfluunt ex abundantia Notarij, qui non fuit parcus in suo discursu, vt impleret folium; aut interpretanda sunt cum limitatione ad Missam eandem, quæ connumeratur inter diuina Officia. Neq; enim veniunt sub dictis verbis *Horæ Canonicæ*, cum horum onus non sit in vsu in testamentis.

Ad sextum, Residentia, de qua testator, restringitur ad celebrandum Missam, quia non instituit Collegiatam, sed solum Capellam, in qua vnus Præsbiter celebraret, ergo Residentia limitatur ad celebrandum, & non ad aliud. 16

Ad septimum, sufficit dare illi salarium conuentum inter illos, nec vrgent verba super manutentione Præsbiteri in domibus Monasterij, quia salarium est illi æquiualens, & forsan maius quam affictus domus; nihil autem refert, quid ex æquipollentibus fiat, cum satisfit celebranti. Et hæc saluo meliori iudicio. 17

CONSILIVM II.

An Nouitia in Monasterio existens in probatione dicatur esse in seculo ad effectum consequendi Legatum?

1 IN testamento mihi Como Parmam transmisso controuertitur sequens legatum, an debeatur Nouitiæ Benedictinæ, eius verba sunt hæc: *Lascio à tutti li figli tanto maschi, quanto femine del Sig. N. mio nipote, legitimi, che saranno al secolo al tempo della mia morte lire tre milla per ciascheduno di loro*. Al tempo della morte del detto testatore, si ritrouaua vna figlia del sopradetto suo nipote monaca nouitia in vn Monastero di Benedittine, la quale se bene passato l'anno, non ha voluto fin' hora far professione, pretendendo ancor essa il sudetto legato delle lire tre mille accresciute poi à quattro mille nel codicillo fatto dal sudetto testatore à tutti li figlij, e figlie, come di sopra si è detto. L' herede stima non essere tenuto à detto legato, stante, che se bene non ha voluto fare la professione, ad ogni modo al tempo della morte del testatore vestiua l' habito ecclesiastico, è dimoraua in loco similmente ecclesiastico, la nouitia sottoposta à quella giurisdittione. Si cerca per la mera verità quello, che sopra ciò ne dispone la raggione &c.

2 Proposita difficultas de medio tollitur hac responsione, nempe præfatum legatum sine dubio deberi prælibatæ moniali nouitiæ nondum professæ tempore mortis dicti testatoris. Et hanc responsionem primo eisdem verbis rite, & legitime explicatis, ex quibus dubitatio ortum habuit, quæ sunt sequentia: *Che saranno al secolo al tempo della mia morte*. Vere enim ea nouitia tempore mortis testatoris dicebatur esse in seculo, vt mox constabit, ergo sine vlla hæsitatione legatum ei debetur.

3 Suppono vnum, quòd verba testatoris dubia sunt interpretanda secundum ius commune, *Doct. in l. Hæredes mei, §. Cum ita ff. ad senat. Cons. Trebell. Rota vol. 1. decis. 585. num. 2. Sanch. lib. 5. disput. 5. num. 25. §. Et confirmatur*, quia mens testatoris pro lege habenda est, *Authent. de Nuptijs §. Disponat, Pasqual. q. 240. num. 4. Barbosa ad leg. 2. C. de Noxal. act. num. 3.* Vbi quòd testator censetur se conformare cum dispositione legis, ex ibidem allegatis; vnde valet argumentum à lege ad voluntatem testatoris; *l. Si ita fuerit. ff. de manum testam. Ludouis. decis. 219. num. 2. cum alijs allegatis à Pasqualigo loco citato*. Ad quod facit *l. Testandi 13. C. de testam.* Nemo facere potest, quò minus leges in suo testamento locum habeant. Mens ergo testatoris interpretanda est conformiter ad legem, & rationem, & non aliter. Quare illa clausula; *Che saranno al secolo al tempo della mia morte*, interpretanda est iuxta sensum, qui ex legibus, & Sacris Canonibus colligi potest, ab eo autem non excluditur nouitia, quæ nondum professa, dicitur secularis, & esse in seculo, quamuis moretur in monasterio sub probatione disciplinæ regularis.

4 Primo namque ingrediens religionem tunc dicitur derelinquere seculum & non amplius esse in seculo, qui ad seculum redire non potest tutà Conscientià; certum autem est solum professum dici seculum derelinquere & non amplius esse in seculo, non autem nouitium, dum tutà Conscientià, etiam nulla existente causa, potest derelinquere religionem, & monasterium remeando ad seculum in domum suam reuersus, 5 *Cap. illud 10. 19. q. 1. cap. 1. 19. q. 2. cap. Consulti 20. cap. Postulasti 21. cap. Statuimus 23. de Regular.* Sequitur ex his Nouitium ante professionem appellari ad huc secularem, de seculo, & in seculo, alias licite exire non posset deserendo religionem. 6 Itaq. nouitius professione vere, & propriè definit esse secularis, & seculum relinquit ex allatis textib. *& cap. Cum illorum 32. de sent. excom.* 7 vbi monachi professi dicuntur fugisse à seculo; & hæc est differentia, cur nouitij sine peccato redeunt ad seculum, non autem professi, quia nimirum professi renuntiarunt seculo, non autem nouitij, qui redeunt ad id, quod suum est, professorum autem seculum non est, sed Status regularis, ideo ab hoc ad illud transire non possunt.

8 Secundò, in Authent. Ingressi de sacros. eccles. dicitur; *Ingressi Monasteria ipso ingressu se, suaq. dedicant Deo. Ne ergo de his testentur, vt pote, nec domini rerum.* Non dicuntur nouitij ingressi, quia tunc non dedicant se, nec sua Deo, quia infra annum probationis non emittunt professionem; quod etiam manifestius patet, quia non

non prohibentur testari, vt interdicitur hic
testamentum ingressis, ac proinde nomine
Ingressi. veniunt rantùm Professi, qui, vt
ibi habet Glos. dicuntur renuntiare seculo,
& non nouitij, consequenter adhuc sunt
seculares, & in seculo, cum nondum re-
nuntiarunt. De ingressis .i. professis sic
9 Auth. communiter explicant Doctores
*cum Gutier. lib. 2. Canon. cap. 1. n. 20. Peregr.
lib. 6. Variar. num. 69. Cenedo lib. 1. pra-
ctic. q. 6. num. 17. cum illis Barbosa ad di-
ctam Authent. num. 3. Sanch. lib. 5. cap. 5.
num.* 12. quos citaui *de Profess. regul. in
edit. Veneta cap. 11. num.* 50. Quare cum
nouitia nostra infra annum probarionis, &
ante professionem non dicatur ingressa, se-
cularis, & in seculo dicitur esse, ac proin-
de eidem legatum debetur.
10 Tertiò ingrediens monasterium ante pro-
fessionem non vocatur religiosus, nec mo-
nachus, nec efficitur de corpore monasterij,
*cap. Porrectum, de Regul. Bartol. in Auth.
Si qua mulier, vbi Iason num.* 59. C. *de sa-
crosanct. eccles. Barbatia in cap. In præsentia de
probat. num. 56. Rimin. iun. lib. 1. cons.* 85.
*num. 32. Honded. lib. 1. cons. 94. num. 5.
cum alijs Sperell. decis. 16. num. 2. qui num.*
41. *cum. Borgni.* ait, nouitium in anno pro-
11 bationis, esse quidem actiue religiosum,
sed non passiue, & sic esse talem in fauora-
bilibus, nempe in priuilegijs fori, canonis,
& similibus, non autem in odiosis, vt in
amissione bonorum, vnde nouitia nostra in
odiosis, vt in amissione huius legati, cen-
senda omnino, est persona laica, & secula-
ris, & in seculo existens, ac proinde huius
legati omnino capax est.
12 Quarto, nouitius in anno probationis
vere non efficitur religiosus, sed remanet
laicus ante professionem, *ex cap. Religioso.
de sent. excom. in 6. cap. Non solum, cap.
constitutionem, de regul. in 6.. Abbas in cap.
in præsentia, de probat. num. 68. ibi Berous
num. 552. Hond. lib. 1. cons. 94. num. 6.
Molina de primog. cap. 9. num. 52. cum alijs*
13 *Sperell. cit. num.* 5. Et ante professionem
non desinit esse de populo, & de seculo,
secundum *Calder. in tract. de eccles. interd.
membr. 2. q. 26. Felin. in cap. Ecclesia S.
M. de constit. col. 26. Vers. Et de prædictis,
Tiraq. de retractu lign. §. 1. Glos. 8. num.*
32. *citatus à prædicto* Sperello *num* 6. Vnde
moriente nouitio ante professionem, non
religio, sed eius consanguinei sucedunt ab
intestato, quia laicus reputatur, non reli-
14 giosus, & sic censetur esse in seculo, *Abbas
in cap. In præsentia de probat. num.* 58. *Me-
noch. lib. 6. de præsumpt. 84. num. 3. Bero
cons. 28. num. 12. lib. 1. Hond. lib. 1. cons.
94. num. 7. Gutier. lib. 2. pract. canon. cap.
1. num. 102. cum illis Sperellus decis. 16.
num.* 11.

Quintò, nouitiatus est ambiguus, & in- 15
certus, vnde secundum *Glos. v. Conferen-
dum cap. 4. de regul. in 6.* nouitius fingitur
religiosus in ordine ad priuilegia immuni-
tatis, quod signum est, eum pro eo statu
reuera aduc esse laicum, & secularem res-
pectu aliorum, quæ ei non nocent, sed pro-
sunt, ac proinde nostra nouitia reputanda
est laica, & secularis respectu huius legati,
quod illi prodesse potest, & nullatenus no-
cere. Nam in statu libero semper inspici- 16
tur pristinum statum, non sequentem, *l.
Statu liberum 9. l. Statu liberi 19. ff. de sta-
tu liberis, & eadem Glos. v. conferendum.*
Nouitiatus autem est statur liber, dum
in optione ingressi est remanere, vel re- 17
sistere à probatione, & redire ad secu-
lum, cui nondum renuntiauit, ergo in no-
stro casu inspiciendus est status pristinus,
non sequens, & sic status secularis, & lai-
calis, quo illæ legatariæ suum consequi pos-
sunt legatum.
Sextò, conditio turpis habetur pro non 18.
adiecta, & sic vitiatur ipsa, non legatum,
cum de iure reputetur impossibilis, *l. Ob-
tinuit 3. ff. de cond. & demonstr. l. Multa
6. §. Si seruos ff. eod. Vnde* legatum, si non
nupserit sub hac conditione factum, aqui- 19.
ritur nubenti, & reijcitur ea conditio tam-
quam turpis, & contraria fæcunditati ma-
trimonij, *l. Titia 99. ff. de condit. & dem.*
Sed hæc conditio, seu clausula: *Che saran-
no al secolo al tempo della mia morte*, Est
turpis, quia retrahit nouitiam à professione,
vt de facto constat, ex narratis in proposi-
to casu. Quare conditio expressa in lega-
to, vt mulier habeat ducentum, si marita-
bitur, & solum centum, si monacabitur, 20.
reijcitur tamquam turpis, & auertibilis ab
ingressu religionis, ac proinde mulier aqui-
rit legatum ducentum, si fiat monaca, &
non nubat carnaliter. Est communis *cum
Bonac. disp. 3 de contr q. 1. p. 4. num 10.
Ciarlin. cap. 216. num. 45. plures citatue, &
de Grassis de effect. Cleric. in prælud. num.*
404. ego de legat. cap. 3. quest. 20. num. 79.
Septimo, Pasqual. q. 286. proponit hanc 21
quæstionem. An Hæreditas, vel legatum
sub conditione, si Hæres, vel legatarius
non sit ingressus religionem, debeatur in-
gresso, sed non solemniter professo? Et
resp. Nouitium esse capacem hereditatis,
vel legati, quia non dicitur ingressus nisi
post professionem, iuxta doctrinam septem
decim Doctor. qui in fauorabilibus censent
nouitium reputandum esse laicum, & secu-
larem. Et cum casus ab eo relatus à nostro
non differat, idem ipse responderet in no-
stro, si ei proponeretur, relinquere enim
legatum illi, qui non est ingressus religio-
nem, qualis censetur ab ipso nouitius, idem
est relinquere ei, qui erit in seculo tempore
mortis

m ortis testatoris, vt contigit huic Nouitiæ, quæ secularis reputatur ante Professionem.

22 Octauò, verba Testatoris ita sunt intelligenda, vt non sit peccatum in conditione Testamenti *l. Plautius 9. ff. de auro, & arg. legat.* Nulli dubium est, eum Testatorem peccare in constitutione sui Testamenti, si in eo exprimat aliquid, per quod Hæres, vel Legatarius retrahatur ab ingressu Religionis, impeditus enim à bono spirituali, est enim peccatum retrahere aliquem à Religione, *ex Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 3. Lezana tom. 4. cap. 24.* Palam autem est, nostram Nouitiam retrahi à Professione, si ea verba eo modo interpretentur in eius præiudicium, ergo benignè interpretanda sunt, ne sequatur peccatum in constitutione Testamenti præfati, ac proinde Nouitiam nondum professam dici esse in seculo, cum ex allegatis reputetur secularis.

23 Confirmatur, quia voluntas Testatoris recipit interpretationem à Caritate, *l. Cum alimenta ff. de alim. legat. Mantica lib. 6. de conf. vltim. volunt. tit. 11. num. 5. Pasqual.*

24 *q. 24. num.* 2. cum alijs ab eo citatis. Pium enim est voluntatem Testatoris piè interpretari, inquit *Comitulus lib. 7. Resp. Moral. q. 14 num. 9. ex eo Bartola conf. 14.* Nulli dubium est, nostram interpretationem hactenus datam esse piam, & non deuiare à mente Testatoris, qui non præsumitur suã N ptem retrahere à Religione.

25 Quare consulendum est, talem fuisse eius mentem, vt Nouitia cum alijs, æqualè consequeretur Legatum ob adductas rationes. Eo autem modo locutus fuit, vt excluderet Professas, quæ cum non amplius indigeant, dum Monasterium ex contractu Professionis obligatur eas alere, Legato non egent, sicut nondum Professæ, & Nouitiæ, quæ indigent.

26 Et ex his patet responsio ad rationes Hæredis qui vellet, si posset, se subtrahere ab hoc onere soluendi Legatum Nouitiæ, nam ex eo, quòd Nouitia haberet, vestem ecclesiasticam tempore mortis Testatoris, & esset sub potestate Abbatissæ, non ideo amisit statum laicalem quò ad fauorabilia, sed tantùm quò ad odiosa, ne subdantur oneribus laicis. Sed iterum de hac re latius infrà.

27 Dominus N. Testator in suo vltimo Testamento diuersa fecit legata iuxta diuersitatem statuum suorum Nepotum, nam Professis in Religione reliquit nescio quid exiguum relatiuè ad alios vtriusq; sexus in seculo existentes, quibus reliquit singulis tres mille libras, & in Codicillo istis de seculo adiunxit singulis mille libras, Professis verò de quib. fit mentio in Testamento tantum legauit duos singulis argenteos. Legatum autem illis auxit motus ea ratione, *Perche hò fatto più matura consideratione, che il Signor Giouan Paolo Rouello si troua molto carico de Figlij, e bisognoso, però ordino, e commado, che li legati lasciati di lire 3000. à cadauno di detti suoi figlioli s' estendano sino a lire quattro mille per cadauno.* Non nulli dubitarunt, an hoc augmentum debeatur etiam Professis?

Sed reuerà de hac re nullatenus est dubitandum, cum luce clarius constet, augmentum hoc deberi solùm legatarijs de tribus mille libris, vt manifestè colligitur ex verbis ipsius Testatoris relatis, & cum sint clara, non est locus coniecturis, nec quisquam dubitare iustè potest super hac re tam euidenti, *l. Ille, aut ille 25. ff. de legat. 3.* vbi dicitur, *cum in verbis nulla est ambiguitas non debet admitti voluntatis Passio.* Verba enim Testatoris satis, & sufficienter animum eius declarant, *l. Labeo 7. ff. de supellect. legatã.* Adde, quòd absurdum est, accessorium esse maius suo principali, huic enim illud cedit, *l. Si quando 31. ff. de auro legat.* cum accessorium sequatur principale, non è contra, *Reg. 42. in 6.* ergo augmentum mille librarum non potest dici accedere ad legatum duorum argenteorum, sed bene ad tres mille, tamquam ad suum principale, & ideo codicillans satis clarè se declarauit dicendo: *Che li legati di tre milla lire s' estendino sino à lire* 4000. Præterea legatum ampliatur, limitatur, & restringitur à causa finali, *l. Si Habitatio 11. §. sed si ff. de vsu, & habit.* Causa enim expressa regulat actum, & dat illum intelligere, restringendo Legatum, *Roman. consil. 503. num. 7. ex Tuscho lit. C. concl. 136.* Finis autem huius augmenti in Codicillo exprimitur, ibi: *Che il Signor Giouan-Paolo si troua molto carico de figlij, & bisognoso.* Restringens hoc augmentum ad Filios in seculo existentes, quibus sicut tribuit primò in Testamento tres mille libras singulis, ita in Codicillo Legata auxit eisdem, & non Professis, quia Rouellus non dicitur indigens respectu Professorum, quos non tenetur alere, sicut filios seculares, qui sine dubio sunt illi onerosi, ideo testator per hoc augmentum voluit subleuare eius indigentiam. Demum legata Professis facta diuersa sunt à legatis secularibus relictis, non solùm in quantitate, verùm etiam in eorum dispositione, dum sub eàdem oratione illa non ordinauit, sed sub diuersis, quæ autem sic ordinantur, eodem iure non sunt censenda, sed diuerso, *l. Si idem 7. C. de Codicill.* ergo legata Professis facta non comprehenduntur sub dispositione Codicilli, in quo fit tantùm mentio de Legatis secularium. 28

Propter supradicta, non recedo à responsione 29

sione aliàs datâ, quòd Monialis Nouitia debet habere supradictum legatum cum suo augmento, cum reuerà sit ahuc secularis, cum nondum sit professa. Nonnulla legi argumenta, quibus quidam Aduocatus conatur persuadere, dictam Monialem nullum habere ius ad præfatum legatum, ideo rogatus ita respondeo, licet fortasse non ita adæquatè vt cupio, quia stilus huius Doctoris habet quidem speciem elegantiæ, sed ita obscuram, vt vix capi possit.

30 Numero igitur 1. & 2. videtur formare tale argumentum, quòd Nouitia reliquit seculum cum eius vanitatibus, & pro suâ portione solum habet Deum, ac proinde huius est hæredem, & non Auunculi, consequenter dicitur non egere, nec proinde Legatum dicitur pro eâ factum, cum non egeat releuari ab onere, sicut aliæ Neptes indigentes, pro quibus legatum fuit legatum.

31 Contra est, quia supponit, quòd debebat, probare, Nouitiam scilicet reliquisse mundum, quòd falsum est, cum adhuc sit de seculo, nam Nouitius tunc dicitur propriè seculum relinquere, cum emittit Professionem, latè *Sperell. decis. 16. à num. 2.* vt latius aliàs respondi in hac causâ. Relinquere enim seculum importat mutationem status perfectam negantem regressum ad seculum relictum, vt colligitur *ex Matth. 19. 27. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te* Et infra 29. *Et omnis qui reliquerit domum &c.* Certum enim est illis relictoribus non licuisse deserere illum statum, quem assumpserant, & hi fuerunt Apostoli, qui veri Religiosi fuerunt, vt multis probat Pontius de Matrim. lib. 7. sub initium *Ego de Priuileg. Clericorum cap. primo num. 15. & 17.* Relinquere igitur in casu nostro, in quo agitur de Religione, seculum, est illud deserere sibi subtractâ facultate redeundi iterum ad illud, igitur ista Nouitia non dicitur mundum reliquisse, neq; seculum, cum possit licitè ad illud redire, dum nondum profecit, ergo non dicitur propriè seculum reliquisse. Deus est portio Religiosorum quò ad spiritualia, non quò ad temporalia, & sic sunt hæredes Dei quò, ad vitam æternam, hæredes verò suorum Parentum quò ad temporalia: Deinde hæc Nouitia, sicut nec aliæ Neptes dicuntur hæredes testatoris sed tantùm legatariæ, ideo impropriè loquitur de illis vt hæreditarijs præterquam quod facit transitum ab vno genere hæreditatis nempè Spiritualis ad aliud temporalis. Adde, quòd Nouitia tantum indiget, quantum aliæ eius sorores legati pinguioris capaces, omnes enim æque sunt onerosæ suo Patri, qui tenetur eas alere, etiam Nouitiam, vt constat, & expertus huiusmodi onus illius Pater.

32 Num. 3. de dotatâ Filiâ, non dotandâ, nescio quid velit concludere, cum in Testamento nulla fiat mentio de dote, sed tantum de legatis, super quibus est controuersia. Ideo non immoror.

33 Num. 4. infert ex suis dictis, Legatum deberi alijs, non Nouitiæ, ea ratione, quia Testator respexit ad meram indigentiam, & conditionem Status, ac proinde Legatum restringitur ad legatarias egentes, & non ad diuites.

34 Contra est, quia ex eodem motiuo probatur oppositum, nempe ex motiuo indigentiæ Legatum extendi, seu compræhendere, vt melius loquar, etiam Nouitiam, quia ipsa non minus eget, nec minus onerat Patrem, quam faciant aliæ, vt manifestum est apud omnes, cum Pater debeat alere, & dotare illam, sicut tenetur idem præstare alijs non Nouitijs. Et sic eius argumentum probat nostrum intentum contra ipsum.

35 Num. 5. & 6. probat, quia Legatum fuit relictum existentibus in seculo tempore mortis Testatoris, quo non verificatur qualitas secularitatis in Nouitiâ dum est in Religione, qualitas enim adiecta verbo debet accipi iuxta tempus verbi, ita quod non sufficit, quod sit filia, nisi sit etiam secularis eo tempore.

36 Contra est, nam sub num. 1. & 2. satis responsum est, Nouitiam fuisse secularem tempore mortis Testatoris, quo non erat Professa, ergo secularis, nam status Nouitiatus vti dubius, & mutabilis se tenet ex parte status secularis variabilis, & nullatenus ex parte status monachalis, qui non admittit mutabilitatem ex conditione suæ perfectionis.

37 Num. 7. ait nil addendum, nec detrahendum Testamentis, ideo soror hæc non est admittenda, quia dispositio de ipsa non loquitur.

38 Contra est, quia ex quo dicimus Nouitiam compræhendi in dispositione Legati, nihil addimus, nec detrahimus ab hoc Testamento, sed asserimus idem quod dixit Testator illis verbis: *Lascio à tutti i figlj tanto maschi, quanto femine, che saranno al secolo al tempo della mia morte tre milla lire.* Ponderanda est illa vniuersalis *à tutti*, quæ includit omnes filios non Professos, & consequenter etiam Nouitiam, ex quo professa non est, & cum illi non debeatur legatum Professorum, habet ius ad hoc pingue, aliter detraheretur Testamento, dum non verificaretur illa vniuersalis, si Nouitia excluderetur. Ac proinde eius argumentum magis facit pro nobis, quam pro se. Nec potest dici Nouitiam compræhendi sub legato Professarum, exclusam à legato pinguiore, non solum ob rationem dictam,

quia

quia non est Professa, verùm etiam, quia sequeretur ab surdum, nimirum Nouitiam retrahi à bona voluntate profitendi iuxta dicta in aliâ scripturâ probat. 6. nc ergo sequatur hoc ab surdum, dicendum est habere ius ad Legatum pingue.

39 Num. 8. Aliquid minus legauit alteri Sorori Moniali, immo & Neptibus in gradu etiam precedentibus, quare si proximior non admittitur, multò minus remotior. *Rota par. 1. tom. 1. decis. 450. num. 5.*

40 Contra est; non capio verbum hoc, nisi in eo sensu, quòd Testator ex quo noluit relinquere professæ Sorori, nisi minimum Legatum, noluerit quoq. relinquere Nepti in remotiori gradu maius legatum, cum sit remotior gradu, & dilectione. Quo posito.

Respondeo, Professæ reliquisse paruum Legatum potius ob amorem erga illam, quàm ob indigentiam, quia Professa non eget sublevatione, cum sub titulo paupertatis alatur sine indigentiâ, à qua intendens subleuare Nouitiam in pari statu cum alijs indigentibus testator fecit commune Legatum pinguius. Magis ergo respexit ad statum indigentiæ, quàm ad gradum consanguinitatis. Et ex hoc patet ad exemplum Rotæ, quæ dicit, illum Testatorem filiabus & Neptibus ingressuris reliquisse 500. Filiæ verò iam ingressæ, & professæ reliquisse tantùm 250. Nam id fecit ille Testator, non ex motiuo dilectionis, vt plus relinqueret Neptibus, quàm Filiæ iam professæ, sed vt illas alliceret ad ingressum per pinguiorem dotem, & etiam propter indigentiam. Et licet Rota ibi aliud sentiat, tamen relatiuè ad casum nostrum alium sensum habere non potest, quàm datum à nobis immo aliter dici non potest, quia sequeretur, non solùm Nouitiam, sed etiam alias Filias eius Sorores cum masculis excludi à Legato pinguiore, contra mentem Testatoris expressam.

Num. 9. videtur sibi obijcere, quòd si filia, & Neptis fuissent in neutro statu tempore mortis Testatoris, interpretandam testatoris mentem, sicut respondisset *ex l. Titius 25. §. Lucius ff. de liber. & posth.* Et num. 10. refert Doctores super hac coniecturâ.

41 Contra est; nihil concludit, obscurè loquitur, non specificat coniecturam, nec Doctores allegati quicquam pro eo ad rem dicunt, & Carena *ed resol.* 100. nil penitus dicit nec implicitè, quod ad rem faciat; Si velit dicere, quòd Nouitia in neutro sit statu scilicet Religionis, & Secularitatis, cum sit in statu Probationis medio inter vtrunq; Iam respondi supra, statum Probationis se tenere ex parte secularitatis, propter eius mutabilitatem, & in alia Scripturâ Nouitiam in ijs, quæ sibi fauorabilia sunt venire sub nomine secularitatis.

Numer. 11. Respondet supradictæ obiectioni, Testatorem nouisse se nullo modo cogi posse ad dictam summam, ac proinde aliud non respondisset nisi cum Patre familias: *An non de meo possum facere, quod volo.* Quod volui dixi, *l. Vn. C. de Caduc. toll.* 42

Contra est, quia eius dictum non facit ad rem, non enim quæritur, an Testator teneretur legare illam summam, cum enim constet illam summam legasse, ac proinde id voluntariè egisse ex conditione Testamenti, quod est voluntatis nostræ iusta sententia *l. 1. ff. de testam.* satis manifestum est. Quòd autem controuertitur est, an Nouitia comprehendatur sub pinguiore legato? Et responsum fuit comprehendi cum alijs filijs, quos sicut æqualiter egentes diligebat positos in pari statu mutabili, ita eosdem voluit esse æquales in Legato, & sic de suo fecit, quod voluit, & dixit, quod voluit. 43

Num. 12. comprobat suum responsum ex disparitate graduum, quæ etiam arguit inæqualitatem Legatorum.

Contra est, quia inæqualitas Legatorum non est sumenda à disparitate graduum, sed statuum, & indigentiæ, vt colligitur ex mente expressâ Testatoris, qui vt dicit in Codicillis, ad augendum pingue Legatum motus fuit ex indigentia Fratris, & eius filiorum, ex qua ratione etiam in Testamento pingue reliquerat eisdem, modicum verò Professis non indigentibus, cum autem Nouitia vti non Professa æqualiter indigeat cum cæteris Sororibus, & fratribus, esto sint remotiores gradu ab alijs, non est excludenda à legato aucto attento remotiori gradu, quem hìc testator non considerauit, aliter alijs filijs non Nouitijs, sed secularibus extra controuersiam non deberetur tale Legatum, sed illud duorum aureorum destinatum proximioribus in gradu, ne videretur diligere magis Nepotes, quàm proprios Filios, quod tamen est contra expressam mentem Testatoris, qui illud expressè suis Neptibus legauit, & auxit, ac confirmauit in suo Codicillo. 44

Num. 13. Obijcit sibi disparitatem Legatorum, quod cum vnum sit duorum aureorum, & alterum 4000. librarum, sequitur id esse titulum odiosum exclusionis. 45

Contra est, quia illa materialis inæqualitas Legatorum nullam potest generare odiosam exclusionem, nisi illicitè, & ex parte Legatariorum ex interesse illorum, cum Testator rationabiliter fecerit illa legata, habito respectu ad maiorem, vel minorem indigentiam, vt dictum fuit. 46

Num. 14. dicit allatum pro aduersarijs argumentum nimis probare; subdendo, quòd si Nouitia diceret, se admittendam 47

esse

esse ad Legatum, non inficiaretur, se à seculo in seculum esse exclusam.

48 Contra est nullus pro Nouitià attulit argumenta nimis probantia sed adæquatè probantia, superiora ab auctore adducta nimis obscura nihil probant vt visum est. Si Nouitia quærit sibi legatum pingue, certè se gerit secularem, sicuti reuera talis est in fauorabilibus, vt multis probaui in alio scripto. Si quærit nisi sit cæca, tenue legatum, facit contra mentem Testatoris, nec per hoc dicitur relinquere seculum, quia quæsitio legati non facit Monacham, sed Professio.

49 Num. 16. Suam coniecturam confirmat duobus, primò, axiomate illo: Proxime accingendus habetur pro accincto. Secundò, quia in vltimis voluntatibus communis vsus loquendi præferendus est rigidæ verborum significationi; numquam enim à seculo auditum est, quòd Nouitia dicatur degere in seculo.

50 Contra est, nam primò illud axioma habet locum in fauorabilibus, non in odiosis, *Prapos. in cap. Delatorum 6. q. 1. ex eo Vecchius disp. 9. de Nouitijs dub.* 9. Deinde locum habet, quando faciendum proximè est infallibile, *ex Felino apud Graffium tom.* 2. *conf.* 3. *de Pænit. num.* 10. Non est infallibilis accinctio Professionis, dum Nouitius liberè exire potest, vt dicam infra ergo axioma non facit ad rem. Ad secundum dico illud verum non esse, quando agitur de interpretatione alicuius verbi, quod accipiendum est iuxta Iuris intelligentiam, vnde ille vulgi sensus non attenditur etiam in vltimis voluntatibus contra propriam verborum significationem, quia iura sapientum non debent deturpari per ora idiotarum, secundum *Bald. in l.* 2. *C. de success. edict. & in cap.* 1. *de success. feud. apud Gatticum de immun. Eccles. tom.* 1. *fol.* 370. *num.* 11. Nam Testator in dubio censetur se velle conformari cum dispositione Iuris, ex allatis *Sanchez. lib.* 5. *disp.* 5. *num.* 25. *f*. Et confirmatur; nam cum hoc dubium, quid sibi velint illa verbà *Che saranno al secolo* sit potius iuris, quam facti, interpretandum est secundum Ius, non secundum vulgi locutionem.

51 Num. 17. ait, quòd si poneret manum ad aratrum, & retro aspiceret, quod rarius est coruo albo, casus vti remotus non fuit à testatore præuisus. Et num. 18. desiderata qualitas tempore mortis non prodest si superueniat.

Contra est, quia Nouitia reuersa ad domum paternam non dicitur retrocedere, quod importat actum vitiosum, licitum autem est Nouitijs recedere, *ex cap. Consulti* 20. *de Regul. Barb. alleg.*42. *num.* 171. Nec casus rarus est, quia pluries accidit. 52

Num. 18. gratis asserit non prodesse, quia supponit qualitatem deficere, quod est in questione, ac proinde probandum ab ipso.

Num. 19 & 20. air, posito, quòd Nouitia exiret, diceretur redire ad seculum, ergo non erat in seculo, allegatis multis Iuribus, quibus expresse dicitur Nouitium exeundo redire ad seculum. 53

Contra, quia verba intelligenda sunt formaliter, & secundùm proprium sensum, non materialiter, & secundum eorum corticem, quia litera occidit, & spiritus viuificat; quamuis enim in illis locis ab Auctore citatis Nouitius redeundo ad domum paternam dicatur redire ad seculum, hoc intelligendum est de reditu locali, non de reditu secundum statum, quem non deseruerat per ingressum ad Nouitiatum, nam statum priorem quis non dicitur deserere, nisi per transitum irreuocabilem ad alium statum incompassibilem cum primo, non enim mutatur status, cum transitur ab vno ad alium compossibilem, cum dicatur vtrunq; possidere. Est autem notum, quòd status Nouitiatus est compossibilis cum statu seculari, quia in statu libero, vt est annus Nouitiatus, inspiciendus est status pristinus, qui est secularis, *Glos.* 8. *Conferendum cap.* 4. *de Regular. in* 6. ergo redeundo ad domum paternam dicitur quidem redire ad seculum, sed antea non desertum, nisi localiter. Res est clara, nam quilibet dicitur redire ad domum suam, ex quo eam non deseruerat, ergo & Nouitius redeundo ad domum suam, non dicitur eam deseruisse, ac proinde redeundo ad seculum, non dicitur illud reliquisse nisi localiter. Hoc autem dici non potest de iam Professo retrocedente, qui de iure non potest dici redijsse ad seculum, si de facto exierit, quia Professione omnino reliquerat statum secularem, vt incompossibilem cum statu Monachatus. 54

CONSILIVM III.

De nouitio laborante debilitate visionis oculorum, an sit recipiendus ad professionem.

1 F. Cælestinus recepit Genuæ habitum Probationis ordinis Eremitarum S. Augustini, omni corporis defectu expers, sed infra annum Probationis obseruatur debilis in visione. Dubitarunt Patres, ad quos receptio Nouitiorum ad Professionem spectat, an possint illum recipere, quamuis aliud non obstet vitium, præter hoc oculorum?

2 Quoniam dictus iuuenis Parmæ existens secularis satis superq; notus Patribus Conuentus Parmensis, quia ferè quotidie cum illis conuersabatur, dicto defectu non laborabat, dubitari rationabiliter potest, an is defectus illi casu acciderit ex aere genuensi ei infesto, an ex aliqua intrinsecâ ipsius personæ causâ; & videtur inferendum, id prouenire ex intemperie aeris, dum domi suæ hoc non patiebatur. Quare cum talis defectus tamquam accidentalis, & ex causâ extrinsecâ, quæ remoueri potest mutatione loci, pro nihilo sit habendus, cum causam habeat transitoriam, Patres Genuenses dictum Nouitium non solùm possunt iudicare habilem ad Religionem, sed etiam recipere ad Professionem, & deinde transmittere ad Conuentum suæ Filiationis.

3 Nec obstat, si quis pro Conuentu Parmæ, qui illum Professum alere tenetur, dicat, hunc defectum oculorum, quamuis non sit vitiosum Personę, esse tamen valdè preiudicialem eidem Conuentui in casu, quo cæcus fiat, quod Deus auertat, ideo in hac causâ cum granos talis est procedendum, ne Conuentus iniustè grauetur personâ inutili, & satis onerosâ, ideo iuuenem esse remittendum ad domum suorum parentum, ne ex eius Professione Conuentus patiatur damnum irreparabile.

4 Quia hæc obiectio, supponit id quod dubium est, esse certum, quod tamen verum non est, cum aliud sit debilitas oculorum sanabilium, vt in casu nostro, dum prouenit ex iniuriâ aeris, aliud secutura cæcitas, quæ ambigua est, immo valdè probabile est mutatione loci, iuuenem euasurum esse sanum sicut erat in domo paternâ; stante ergo hac perplexitate, & quòd probabiliter speratur oculorum sanitas, esset maxima iniquitas excludere F. Cælestinum à Professione, nam iniquum est applicare certam pænam, & maximè grauissimam, qualis est expulsio à Religione, & priuatio tanti boni spiritualis, quod in Religione aquiritur, causæ dubiæ, vt est is defectus oculorum, dum speratur probabiliter eorum sanitas, æquitas ergo nec iustitia patitur, vt alicui inferatur certa pœna propter defectum incertum, esto enim nunc certa sit debilitas, incertum tamen est, an iuuenis futurus sit cæcus, immo speratur sanitas mutatione loci, ideo Patres Genuenses non possunt F. Cælestinum licentiare ad seculum, consequenter aliqua certa via est ineunda, ne peccent in dimissione parum honestâ huius Nouitij.

Vt igitur Patres Genuenses in hac causâ cum Caritate, & rationabiliter procedant duo eis remedia proponuntur. Primum est, quoniam agitur de interesse Conuentus Parmæ, poterunt Genuenses Nouitium recipere ad Professionem de consilio, & consensu duorum, aut trium Patrum de Conuentu Parmæ, quia in hoc satisfit eidem Conuentui, qui Nouitium nunquam agnouit laborare oculis. Quod si non possunt obtinere in scriptis hunc consensum, debent vti sequenti remedio, & nullatenus dimittere Nouitium. 5

Secundum igitur remedium tale erit, vt Patres Genuenses iudicent Nouitium, an sit habilis ad Professionem præscindendo à præfato defectu examinando apud Patres Conuentus Parmæ, & posita habilitate in scriptis, debent cum licentia expressâ Nouitium sic approbatum transmittere Parmam, finito anno integro suæ Probationis, vt in patriâ discutiatur, a quo procedat debilitas oculorum, an ab aere Genuensi, an ab aliâ causâ ipsius personæ. 6

Hæc præstare debent Patres Genuenses, vt suo muneri satisfaciant, aliter pars pro Nouitio agere potest. Ad euitandas lites, & contentiones eligant vnum ex his remedijs, & certè posterius est congruentius, 7

Prædictis remedijs videtur obstare *Tridentinum sess. 25. cap. 16.* illis verbis. *Finito tempore Nouitiatus, Superiores Nouitios, quos habiles inuenerint ad profitendum admittant, aut e Monasterio eos ejciant.* Si autem Patres vtantur quouis ex dictis remedijs, non obseruant præscripta à Tridentino, quod finito Probationis anno petit Professionem, aut eiectionem è Monasterio, quod negat vtrumq; remedium, dum differenda 8

renda est Professio, si remedia hæc in vsum deducantur.

9 Sed vsus horum remediorum non obstat Tridentino, cuius decretum intelligendum est, vt Nouitij finito Probationis anno statim admittantur ad Professionem habiles, & inhabiles eijciantur, nisi ad sit legitima causa differendi Professionem, & eiectionem, at in casu præsenti apparet legitima causa huius dilationis, vt ex parte Nouitij experiatur, an debilitas oculorum proueniat ex causà extrinsecà aeris Genuensis, & sic tolli possit benignitate paterni aeris, comparando inter se vtrumq; aerem, vt appareat causa huius debilitationis, an sit transitoria, an permansura, vt Nouitius possit recipi ad Professionem, si debilitas transeat; vel eijci si permaneat, vel componi cum Monasterio.

10 Quòd autem ex causa differatur Professio peracto Nouitiatus anno docent omnes *cum Nauar. consil. 30. de Regul. Rodriq. tom. 3. q. 15. art. 10. fine. A. S. Fausto lib. 5. q. 168. Lessio lib. 2. cap. 4. dub. 7. Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 6. cum multis alijs hic Barbosa num. 39. Tamb. tom. 3. disp. 6. q. 18. num. 5. Pasqual. ad Laurenum de Franchis num* 43. Et in hoc non est dubitandum, quia nullus contradicit.

11 In casu quò Patres Genuenses nolint recipere Nouitium hunc ad Professionem de consensu Patrum Parmensium, & sic non vti primo remedio, tenentur, vt dixi, dimittere Parmam F. Cælestinum cum suis testimonialibus literis de habilitate ad profitendum in cæteris. Et Parmæ probatà melioratione visionis, & quòd iudicio Medicorum Nouitius non sit amissurus visiuam potentiam, tenentur Patres Parmenses admittere eum ad Professionem.

12 Quæ quidem Professio ab eo fieri potest hic Parmæ, non obstante quòd in Decretis Clementis VIII. dicatur, ne Nouitij recipiantur ad habitum regularem, & ad Professionem nisi in Conuentibus designatis à Sede Apostolicà; quia subsequens irritatio Receptionis habitus, & Professionis in eisdem decretis expressa refertur tantùm contra eosdem Nouitios, qui præmiserunt Nouitiatum extra Conuentum designatum, Papa enim horum Receptionem, & Professionem annullat, non verò easdem actiones transitorias, quæ fiunt extra Conuentum designatum, habito Nouitiatu in ipsis locis deputatis: & quòd talis fuerit mens Clementis deducitur ex Bulla: *Religiosos viros* Vrbani VIII. inscripta illis verbis: Super *Professionibus per Regulares emissis non facto in locis deputatis Nouitiatu*. Dicuntur ergo irritæ Professiones, non quia sint emissæ extra Conuentum pro Nouitiatu deputatum, sed quia emissæ fuerūt non præmisso vero Nouitiatu in Conuentu designato pro Nouitiatu, Pontifices enim non respexerunt ad actum transitorium lectionis Professionis, sed ad annum Probationis, quem noluerunt fieri in quolibet Conuentu, sed tantùm in deputato, aliter facto, nulla esset inde secuta Professio. Id autem fusius probaui *cap. 4. de Profess. regul. &c. 24. & in 2. edit. qua est Veneta cap. 5. q. 5. & resol.* 8. *num.* 19. *&* 50. *& resol.* 54. *num.* 1. *&*. 218. Et id supponit Donatus Dominicanus *par. 4. Rerum Regul. tract.* 10. *q* 9. vbi ait Nouitium in fine anni Probationis transmissum ad aliud Monasterium admitti ad Professionem à Prælato Conuentus, ad quem accessit, cum informatione Prælati alterius Conuentus, in quo peregit Nouitiatum. Et idem tenentur sentire, qui asserunt, Nouitium ex causà perficere Nouitiatum extra Conuentum deputatum posse, ergo & ibi proficere, cum Miranda *tom.* 1. *q.* 12. *art.* 5.

CONSILIVM IV.

An Emphiteusis transeat ad Ecclesiam.

1 Mulier, quæ vltima dicitur vocata in Emphiteusi, hæredem de ea fecit per suum vltimum testamentum Congregationem Teatinorum Placent. Testatrice defunctâ, adijt Congregatio possessionem, & tenutam bonorum emphiteuticorum, petendo a Collegio Anglico directo domino, & patrono dictorum bonorum inuestituram, aut licentiam vendendi dicta bona, promittendo eidem quindennium, si erunt Clerici huius Congregationis inuestiti.

2 Collegium præfatum vtrunq; facere recusat, tum ex prohibitione Iuris *Cap. fin. de locato deducit ibi Glos. v. Prohibentur*, vbi dicit, quod serui, Ecclesiæ, & omnes aliæ personæ maiores, qui non sunt idonei facilitate conueniendi, prohibentur emere rem emphiteuticam ecclesiasticã, quia alienatio huiusmodi censetur facta in potentiorem, alijs allegatis *Gratian. cap. 533. num. 39. & Barbosa ad hoc cap. num. 169.* Tum ex speciali prohibitione facta à patrono in hæc verba: ***Et cui dederit, excepto milite, seruo, & loco religioso***. Stantibus ergo his duabus prohibitionibus Collegium hoc recusat inuestire Patres Theatinos, nolens neq; aquiescere eorum voluntati vendendi dictum hæreditatem Tertio non prohibito emere. Ratio vtriusq; prohibitionis, est quia si transferatur in Ecclesiam cessat spes reuersionis, & laudemiorum, cum Ecclesia nunquam moriatur, vnde emanaut decisio coram *Merlino 30. Maij 1633. Mediolan.* quòd inuestitus non potest alienare bona emphiteotica in Ecclesiam, vel locum pium, & rem hanc fusè prosequitur Paulus Rubeus *ad decis. 16. à num. 45. part. 3. Recent.* Quibus tamen non obstantibus.

3 Dicendum est dictum Collegium vnum ex duobus concedere debere Patribus Theatinis, aut inuestituram cum quindennio, aut venditionem bonorum, altero enim horum posito in nullo præiudicatur Collegio Anglico, immo eius augetur conditio, & emolumentum, quia pinguiorem Canonem percipiet tum ex quindennio, tum ex venditione, non enim laudemium dabatur Collegio singulo quintodecimo anno, dum non innouabatur regulariter, sed casu inuestitura, quam promittunt Theatini facere singulis quindenijs; augetur quoq; singulis annis canon secundum æstimationem bonorum, quæ longè maior erit, quam fuerit in sua institutione.

Ex his patet non cessare spem Laudemij 4 quamuis Ecclesia nunquam moriatur, quia promissione quindenij fingitur mori, vt hac ratione satisfaciat Patrono, dum non defraudatur suo commodo. Præterquam quod improbabile non est, quòd familia inuestita primò nunquam moriatur, sed perpetuò propagetur. Quare sicut transit successiuè, & perpetuò ad omnes descendentes ab eodem stipite absq; spe reuersionis, dari enim potest casus, ita & transire potest ad Ecclesiam sine eadem spe, cum maiori vtilitate ipsius patroni. Cessante ergo hac ratione, cessare quoq; debet prohibitio rei emphiteuticæ ad extraneum, & Ecclesiam.

Hinc est, quòd consuetudine deductum 5 est, vt Ecclesiæ sint capaces rerum emphiteuticarum maximè titulo Testamenti, prædictis Iuribus non obstantibus, cum ea tamen obligatione, vel vt soluant quindennium, vt notauit *Riccius par. 1. resol. 123.* vel vt vendant bona subiecta Emphiteusi infra annum personæ priuatæ, docent omnes apud *Ciarlin. cap. 8. num. 86.* quod magis practicatur, quam quindennium, respectu cuius euanescit spes reuolutionis, & reuersionis rei ad Patronum, non autem si res vendatur priuato, respectu cuius sine dubio speratur reuersio bonorum ad Patronum.

Et de hac consuetudine, quòd Emphi- 6 teusis transeat ab Ecclesia ad Ecclesiam, licet adsit expressa prohibitio, constat ex pluribus Instrumentis aliàs factis in simili causâ, vnde de hac re dubitandum non est, cum prohibitio pro non scriptâ habeatur.

Et ex his patet, eas prohibitiones tam 7 iuris, quam hominis non habere locum, quando Patroni non fit conditio deterior, sed melioratur, & sic prohibitio intelligitur, quando Emphiteusis transiret in Monasterium, & locum pium perpetuò remansura sine vllo Laudemio, aut sine venditione personæ priuatæ, positâ enim hac venditione, non deterioratur, sed melioratur conditio Patroni, qui facilè conuenire potest priuatam personam.

Præterea loca pia prohibentur adire bo- 8 na emphiteutica eis relicta propter difficultatem conueniendi huiusmodi loca religiosa, cum tunc dicatur alienatio facta in potentiorem, qui facile resistet Patrono, nolendo eum recognoscere, & soluere canonem, vt dicta *Glosa cap. fin. de Vocato, insinuat*. Sed hæc ratio locum non habet in

casu nostro, in quo duo Collegia adinuicem referuntur relatione æqualitatis, non enim vnum alio potentius, sed æque potentia, vnde inquit Tuschus *Liter. E. concl. 158. apud Barbos. ad dictum cap. 3 fin. num. 171.* dictam prohibitionem non habere locum, quando dominus directus esset æque potens, sicut ille, in quem Emphiteuta alienat.

9 Prædictis videtur obstare Marescottus *lib. 3. variar. cap. 3. num. 23. Ludouis. decis. 529. num. 9. quos pro se citat Antonellus lib 5. cap. 16. num. 8. de Regim. Eccles. Episcop.* asserentes, quòd si in Inuestiturà exprimitur pactum, quòd non possit fieri, alienatio in personas potentes, seu de iure prohibitas, non solùm non posse succedere Ecclesiam, cui talis Emphiteusis legatur, sed neque locum habere posse consuetudinem retinendi per annum, & vendere tertio, subrogando capacem Emphiteutam non prohibitum, propter vim pacti, quod resistit potestati relinquendi Ecclesiæ; addentes, quod nec æstimatio in tali casu debetur.

10 Respondetur nihilominus hanc consuetudinem esse approbatam in Ciuitate Placentinà, vt supra dixi, & in multis alijs locis ea consuetudo aquirendi Emphiteusim, & infra annum vendendi non prohibito, innoleuit, vt tradunt *Ioan. Andr. in cap. Potuit, de locato num. 9. ibi Ioan. de Imola col. 17. Alex. cons. 120. num. 4. vol. 1. Specul. tit. de locato q. 117. Franc. decis 659. num. 9.* quos citat Paulus Rubeus *ad Decis. 16. num. 54. par. 3. recent.* Neque verum est, illud Pactum resistere potestati relinquendi, quia nullius est valoris peremptum contrarià consuetudine illi derogante, non enim habet adiunctum decretum irritans, quod possit inficere consuetudinem, vt non exeat in esse, producendo suum effectum. Adde, quòd in casu nostro non pactum, sed simplex prohibitio exprimitur, quæ cum careat decreto irritante facile euanescit per contrariam consuetudinem; vnde huc intrat illud axioma: *Multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent.* Ea autem prohibitio exprimitur in Instrumentis per Notarium, vt muneri suo satisfaciat, non vt ex illius expressione inducatur obligatio, dum illi resistit consuetudo.

Confirmo id exemplo eius, qui Iuramen- 11
tum præstat seruandi aliquod statutum, quod vel in se non obligat, vel quod abijt in disuetudinem, nam Iuramentum pro nihilo habetur, nec aliquam inducit ex se obligationem, quia regulatur secundum naturam actus, super quem cadit, actus autem seu statutum de se non obligat, ergo nec iuramentum, *Sanch. lib. 3. cap. 14 num. 8.* Pari ergo ratione pro nihilo habenda est ea exceptio, seu prohibitio, licet exprimatur, quia abijt in disuetudinem, dum eà non obstante practicatur oppositum.

CONSI-

CONSILIVM V.

De custodià bonorum ecclesiasticorum debità Episcopo.

1 EPiscopus vti Procurator rerum suæ
Ecclesiæ debet meliorare eius con-
ditionem, & non deteriorare, *ex
cap. 1. de in integr. restit. cap. 2. de donat.*
Vnde tenetur non solum de dolo, & latà
culpà, sed etiam de leui, & negligentià ad
2 instar Tutoris, *Glos. v. Negligentia, cap. Ea
quæ 3. de offic. Archid.* Prælatus enim com-
3 paratur Tutoribus, & Curatoribus, *Glos.
v. Iure minoris cap. Auditis 3. de in integr.
restit.* ideo sub mortali custodire tenetur bo-
na suæ Ecclesiæ ad minus ne deteriora fiant.
Quare dubitat quidam Episcopus, an ad
exonerationem suæ conscientiæ teneatur
notificare summo Pontifici, qualiter eius
Ecclesia in bonis sibi commissis notabiliter
deterioratur ex alteratione, & augmento
monetarum, vt inde Summus Pontifex
prouidere valeat? Et videtur id facere de-
bere, quia vti Procurator, vt supra, debet
gerere vtiliter negotia suæ Ecclesiæ, & in
eo taciturnitas est peccatum mortale, vt
4 asserit *Glos. v. Taciturnitas cap. Si Papa 6.
dist. 40.* His tamen non obstantibus.

Dicendum est, Episcopum non teneri in
Conscientià hoc notificare Summo Ponti-
fici, & id probatur sequentibus argumen-
tis.

5 Primò nemo tenetur denũtiare, & notifi-
care proximum cum suo notabili damno,
vt tradunt omnes cum *Lazar. de Monitor.
sect. 2. q. 14. Bonac. de onere denunt. p. 1. §.
3.* Etiam in causis S. Officij, ex allegatis à
6 *Diana p. 1. tract. 4. resol. 7.* quia lex siue
naturalis, siue positiua, nisi prohibeat ali-
quid intrinsecè malum, non obligat cum
tanto onere, & rigore, de communi *Bonac.
de pecc. at. q. 8. p. 2. num. 3.* Ergo neque Epis-
copus tenetur in præsenti casu denuntiare
Summo Pontifici detrimentum, quod eius
Ecclesia patitur in bonis temporalibus, quod
est minus, quàm pati in bonis spiritualibus,
vt in causis Fidei. Quod autem ex hac no-
tificatione immineret notabile damnum
ipsi Episcopo denuntianti, probatur eui-
denter ex effectu eiusdem notificationis,
nam Pontifex vel prouideret, vel taceret,
hoc secundum præsumi non potest, quia in
Pontifice argueret non leuem negligentiam,
quod vti peccatum in eo præsumi non po-
test, nam delicta non præsumuntur, *l. Me-
7 rito si ff. pro soc. cap. 2. de reg. iur.* Ergo
primum credendum est, nempe Pontificem
esse prouisurum huic detrimento, in quo ca-
su rixæ, & discordiæ interminabiles exci-
tarentur, immo tota Respublica commo-
ueretur contra notificatorem, & hoc est in-
dubitatum, dum enim per huiusmodi pro-
uisionem ageretur de moderatione, & re-
ductione monetarum, ad tollendum dam-
num, quod bona ecclesiastica patiuntur,
tangeretur negotium Reipublicæ, quod e-
ius magnum interesse respicit, & sic lites
immortales excitarentur, inquit enim Ci-
cero de Amicit. *Ex cupiditatibus odia, dissi- 8
dia, discordia, seditiones, & bella nascun-
tur*, quod & experientià constat.

Secundò, nemo tenetur notificare, id ex 9
quo nulla sequitur vtilitas, sed potius ma-
xima perturbatio, nam nemo cogendus est
ad inutilia, *cap. iam verò 4. §. Ex his om-
nibus 23. q. 6.* nulla enim lex reperitur, quæ
subditos constringat ad faciendum aliquid
vanum, & otiosum, ex quo lex *cap. 2. dist. 4.* 10
debet esse vtilis in seipsa, & effectus produ-
cere vtiles subditis, vbi ergo non est vtili-
tas, ibi lex non habet locum, nec cogit
subditos ad sui obseruationem; constat au-
tem ex primo argumento, huiusmodi noti-
ficationem futuram esse inutilem, vanam,
& otiosam, dum ex ea probabiliter exoriri
possint multa incomoda ipsi Episcopo, con-
citando contra se totam fere Communita-
tem, igitur ab hac notificatione se debet
abstinere, ne incurrat huiusmodi inconue-
nientia.

Tertiò, sicut nulla est obligatio corri- 11
gendi proximum, vbi nulla speratur vti-
litas *ex D. Aug. homil. 41. relato cap. Si quis
4 dist. 7. de Pœnit. 33. q. 3.* ibi his verbis:
*Si scirem, tibi non prodesse, non te admone-
rem.* Quod intelligitur, quando agit bonà
fide ex ignorantià inuincibili iuris tam na-
turalis, quàm positiui, iuxta dicta à Sanch.
*lib. 2. de matrim. disp. 38. à num. 6. Diana
par. 7. resol. 18. de correct. fraternà.* Ità
neque notificandum est Pontifici Romano,
vt prouideat indemnitati Ecclesiæ, corri-
gendo pepulum, vt abstineat ab huiusmodi
indiscreto monetarum augmento, dum cer-
tissimè nulla speratur vtilitas, immo proba-
biliter timetur magna perturbatio in Repu-
blicà.

Quartò, huiusmodi notificatio non po- 12
test generare nisi lites, & quidem immor-
tales, quæ maximè à Prælatis fugiendæ
sunt

ſunt, vnde Eccl. 28. 10. dicitur: *Abſtinet te à lite, & minues peccata* S. Auguſtini Epiſc.
109. *Lites, aut nullas habeatis, aut quam celerrimè finiatis, ne ita creſcat in odium, & trabem faciat de feſtucà, & animam faciat homicidam*. Et in Clem. *Dudum de ſepult.* dicitur, quòd litium introductio eſt
criminum occaſio, & alia præbet detrimenta, de quà re plura Barb. *Alleg. 79. num. 13.*
Ergo Epiſcopus, ne ſibi, & alijs præbeat
occaſionem peccandi, & maledicendi, non
tenetur notificare. Nemo enim tenetur facere id, ex quo probabiliter ſequi poteſt
13 malum, immo, quod incipit eſſe occaſio
mali, licet in ſe bonum ſit, deſtruendum
eſt, *Gloſ. v. praiudicium cap. 1. vt lite pend. per cap. Quia Sancta 29. §. Verum diſt.*
63. A fortiori abſtinendum erit ab eius ædificatione, quando timetur malum ex eo futurum, vt in caſu noſtro, ex quo innumerabiles orirentur lites, & diſcordiæ inſuperabiles, quæ maiora inducerent damna, quàm quod Eccleſia patitur.

Quintò, Principi habenti iuſtam cauſam 14
bellandi, non licet bellum agere, quandocumq; probabiliter timet, ſe plus impenſurum in bello, quam quod conſecuturus fuiſſet ex victoria plerique relati à Diana *par. 6. tract. 2. de Bello reſol. 7.* Pari ratione neque Epiſcopus inire poteſt bellum litigioſum cum populo occaſionandum ex huiuſmodi notificatione, cum plus damni in rebus, & honore recepturus ſit, quàm ſit eius pretenſio in reparando damno ſuę Eccleſię.

CONSI-

Digitized by Google

CONSILIVM VI.

An Fideicommissum antiquum comprahendatur in nouo? & in hoc, prælegatum in eodem testamento.

1 IOannes Hieronymus Bottonus in suo vltimo testamento Aloysium, Iulium Cæsarem, & M. Antonium suos Filios instituit heredes vniuersales, & vnum alteri substituit, eo fine, vt bona durent, & permaneant in Filijs suis masculis, & à dictis Filijs perueniant in descendentes ab illis omni meliori modo, exclusis fœminis, quas noluit compræhendere in hac substitutione, & Fideicommisso, nisi superuixerint masculis, quibus eas substituit in certà portione.

2 Deinde præfatus Iulius Cæsar hæres vt supra in suo Testamento in omnibus suis bonis instituit hæredes vniuersales dictum M. Antonium fratrem suum, & Carolum Franciscum, atque Ioannem Hieronymum iuniorem suos Nepotes, pro medietate inter fratrem, & nepotes, & vnum alteri substituit cum eorum filijs in stirpes, & non in capita, intendendo conseruare bona sua in agnatione, domo, & casatà, cum prohibitione alienationis, deficiente autem lineà masculinà substituit masculos Lucretiæ sororis suæ, & vxoris Iacobi Antonij Bottuli.

3 Fecit prætereà prælegatum quarundam domorum subsequenter ad institutionem fideicommissariam, & ante prohibitionem fisci, ad fauorem Marci Antonij sui fratris, cui decedenti sine masculis substituit Ioannem Hieronymum.

4 Pro intelligentià horum Testamentorum oriuntur duæ difficultates. Prima, an omnia bona subiecta Fideicommisso priori compræhendantur sub posteriori Fideicommisso? Secunda, an prælegatum domorum dicatur compræhensum in secundo Fideicommisso?

5 Ad primum respondetur non compræhendi, quia quamuis Testator possit de re Fideicommisso subiectà disponere, sicut & de quauis re alienà, *ex allegatis à Pereira de nominat. Emphit. p. 3. q. 17. num. 9. apud Rubeum tom. 1. decis. Nouiss. 89. num. 1.* quia testator de rebus hæredis potest disponere, sicut de proprijs, *ibidem num. 2.* Tamen in dubio bona antiqui Fideicommissi non compræhenduntur, vt multis citatis eadem Rota docet *num. 3.* ea ratione, quia nemo
præsumitur testari de alienis, *Glos. v. Tes-*
tatur fine, l. Confitentur §. Si post factum 6
ff. de iure codicill. Cum ergo id non præsu-
matur, sed opus sit validis & efficacibus co-
niecturis, quas ex collatione vtriusque Tes-
tamenti colligere non potui, ideo dictam
decisionem sequor, quæ est in terminis no-
stris, vt patet eam legenti loco citato, quæ
est *Vrgelensis in Romanà Fideicommissi die*
Veneris 18. Iunij 1627.

Ad secundum illud prælegatum venit, 7
sub dispositione fideicommissi. Tum quia
totam ferè hæreditatem absorbet. *Alex. in*
l. Marcellus §. Quidam in 4. limit. num. 2.
ad Trebel. Seraph. decis. 382. num. 6. Tum
quia prælegatum conceptum cum his clau-
sulis *Saluis legatis*. Item. *In omnibus autem* 8
alijs bonis, quæ verba solent poni, quando
prius Testator disponit de Legatis, & postea
instituit hæredem, non compræhenditur
sub fideicommisso, *Carena resol. 120. num.*
11. maximè si sit cohæres, num. 12. Gar-
zaria lib. 2. cons. 42. num. 15. Decius cons.
653. num. 5. Rubeus Claus. 417. num. 2.
Prælegatum autem concipitur sine illis clau-
sulis, ergo compræhenditur in Fideicom-
misso, argumento deducto à contrario sen-
su. Tum quia id apertè colligitur ex dua-
bus sequentibus ordinationibus, ne scilicet 9
detrahatur Trebellianica, aut alia portio à
suis bonis, & ne fiscus eius consequatur bo-
na ex remedio ibidem expresso, ad eum fi-
nem, vt omnia bona integra, & sine dimi-
nutione remaneant apud institutos, & sub-
stitutos, ergo omnia censentur vinculata
virtute Fideicommissi, sicut perpetuò ma-
nere debent a quod institutos, & substitu-
tos. Tum quia in ipsà institutione, & sub-
stitutione loquitur vniuersaliter de omnibus
suis bonis ibi? *In omnibus autem eius bonis,*
ergo à Fideicommisso non excludit præle- 10
gatum, nam dictio vniuersalis expressa
tantæ est efficaciæ, vt compræhendat ea,
quæ aliàs non includeret, *ex allegatis à*
Barb. dict. 241. num. 3. vnde nullam re-
strictionem recipit, *ibid. num. 4.* & magis ex-
tenditur, quàm indefinita, *Nauar. cons. 9.*
de his, quæ vi num. 5. consil. 5. de Statu
Monach. num. 1.

CONSI,

CONSILIVM VII.

De Missâ quotidianâ male reductâ.

1 Hieronymus Romaninus in suo vltimo Testamento legauit diuersos Census, quorum fructuum summa ascendit vltra 500. libras, cum vna bobulcâ terræ venerandæ Confraternitati Sanctissimi Sacramenti cũ onere vnius missæ quotidianę in perpetuum celebrandæ ab vno Sacerdote ab eius hæredibus eligendo, qui die lunæ debeat celebrare pro animâ Patris Testatoris, die martis pro animâ Matris eiusdem, die Mercurij pro vxore dicti Testatoris, die Iouis pro anima eius Filiæ, reliquis diebus pro animâ eiusdem Testatoris, & in casu quòd præfati Census perderentur, vel non essent exigibiles, teneantur hæredes loco illorum creare alios Census, seu proprietates assignare, vt valeat Confraternitas suæ obligationi satisfacere. Administratores autem Confraternitatis legatum acceptarunt sed sine licent à Episcopi, aut eius Vicarij Generalis contra Decreta *de celebrat. Missar.* vbi transgressor existens interdicitur ab ingressu Ecclesiæ eo ipso absque alia declaratione; & sub pertextu, quod vnus ex Censibus sit, factus inexigibilis nempe duplarum triũ cum tribus quadrantibus; Confratres propriâ auctoritate reduxerunt missam quotidianam detractione duarum in singulis hebdomadibus.

2 Quæruntur hinc duo. *Primò*, an Superior Confraternitatis inciderit in aliquam pœnam recipien lo legatum Missæ quotidianæ sine licentiâ, *Secundò*, an potuerit reducere Missam quotidianam ad minorem numerum?

3 Respondeo ad primum, quòd secularis Superior est ab ingressu Ecclesiæ interdictus eo ipso, & cum species Censuræ huiusmodi Interdictum sit, ex Sayro *lib. 5. cap. 9. num. 15.* Sequitur incurri statim absque alia declaratione, sicut omnes Censuræ incurruntur, nullâ expectatâ sententiâ, sed solâ transgressione positâ, ex omnium consensu *cum*

4 *eodem Sayro lib. 3. clauis cap. 9. num. 30. Sanch. lib. 9. disp. 30. Suar. disp. 3. de Censur. sect. 2.* Quare tempore diuinorum Officiorum Ecclesiam ingredi non potest ad ea audienda, dum celebrantur.

5 Ad secundum dico, Confratres nullo modo potuisse detrahere duas missas singulis hebdomadibus ex quotidianâ. Tum quia 6 reductio, & diminutio missarum facienda est à Sede Apostolicâ, vel ab eo, cui facta est facultas reducendi, vt respondit Sacra Congregatio his verbis: *Et si le-* 7 *gatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, vt supra, impositi, ab ijs, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absque vlla impensâ id statuet, quod magis in Domino è re esse iudicauerit.* Habet autem noster Parmæ Episcopus potestatem reducendi missas ex legatis simplicibus, vt videre est in eius Synodo fol. 190. his verbis: *Die quinta Iunij Sacra Congreg.* 8 *&c. censuit referendum S. D. N. S. Congregationem inclinare, vt facultas Episcopo concedatur reducendi onera missarum ad rationem vnius Iulij pro singulis missis celebrandis ex simplicibus tantùm legatis pijs, non autem onera Missarum in fundatione Beneficiorum, seu Capellaniarum, vel ex contractu prouenientia.*

Die nona Iunij 1655. Sanctissimus D. N. 9 *audita sententia Sacræ Congregationis annuit supradictæ petitioni.*

Tum quia reductio Missarum etiam facienda ab habente facultatem, supponit salarium Missis respondens non esse congruum, & competens, sed tenue, & diminutum, aliter reductio locum habere non potest, dum cuilibet missæ competens eleemosyna respondere potest. Quare cum in nostro casu salarium Missæ adhuc sit competens ex narratis, & suppositis in casu, errarunt euidenter Confratres mandantes diminutionem Missarum in singulis hebdomadibus, duarum non solum ex defectu potestatis, sed etiam quia salarium competens est non induceus reductionem, quæ tantùm oritur ex incompetentiâ, & tenuitate eleemosynæ. Quare dicti Confratres cogi possunt 10 per potestatem ecclesiasticam non solum ad prosequendam integram Missam quotidianam, sed etiam ad reficiendas omissas sub pertextu reductionis, & id facere in conscientiâ tenentur, dum pro singulis missis habent ad minus vnum Iulium, vt habere colligitur ex præfato Testamento.

eiusq; obligatio conferat Reipublicæ. Quælibet ex his quatuor regulis sufficit ad concludendum, Consuetudinem obligare, & non esse ex deuotione. In casu nostro adesse primam, secundam, & quartam conditionem quilibet sanæ mentis arbitrabitur, nam quò ad primum, Processio sine dubio est res grauis, cum respiciat cultum diuinum solemniter Deo exhibitum. Secunda magis verificatur, quia totus Populus murmurat contra Præpositum tamquam inimicum diuini cultus in Processionibus. Quò ad tertium nulli dubium, est talem Processionem multum conferre illi Populo, qui excitatur ad cultum diuinum. Et ex his patet responsum ad alia duo arguméta Prepositi, qui nulla ratione probat id, quod supponit, nimirum, esse consuetudinem ex deuotione, non ex præcepto.

Ade consuetudinem obligatoriam in eo 10
cognosci à merà deuotione, quòd ea habet causam diuersam à Causà deuotionis, ad consuetudinem enim inducendam pro cultu diuino, quæ obliget, præter diuinum cultum necessaria est alia causa extrinseca, ad deuotionem verò sufficit solùm cultus diuinus, vt videmus in consuetudine recitandi salutationem Angelicam in sero, quæ mera est deuotio sine alia causa *Pasqualig. decis. 69. num. 3.*

CONSILIVM IX.

An sacra Imago ab vna ad aliam Ecclesiam transferri possit?

1 Quandam legi scripturam fauore per Illustris D. N.N. compositam, in qua ex suppositione, quòd ipse sibi reseruauerit dominium absolutum, & liberum cuiusdam Imaginis nunc nuncupatæ S. Mariæ de Populo in ciuitate Parmæ, in eius datione, & oblatione facta circa annum 1648. Oratorio Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti subiecto Ecclesiæ Parochiali S. Benedicti Ordinis Iesuatorum, eadem Confraternitate consentiente, & acceptante oblationem, vt collocaretur in eodem Oratorio publicæ venerationi, vt factum fuit, in qua in quam, Scripturâ probatur dictum N. N. posse eandem Imaginem à dicto Oratorio, n quo antea, & modo veneratur, & habetur in magnâ deuotione, trasferre ad aliam quamcunque Ecclesiam sibi bene visam; quam Scripturam, quæ supponit absolutè dictum D. N. N. esse dominum liberum, & absolutum, & ego sæpius rogatus in terminis dictæ suppositionis, subscripsi. Sed quoniam postea deueni in cognitionem ipsum in eà tradendà nullam apposuisse conditionem, aut pactum, nec modum reseruationis dominij.

2 Ideo Conscientia & Veritate cogentibus, non obstante priori subscriptione, ex quo fuit conditionalis, conditio enim nihil ponit in esse *Si quis 8. ff. si quis omissâ causâ test. l. Cedere 213. ff. de verb. signif.* quam volo in suo robore conditionato remanere, conuerto calamum in fauorem Oratorij.

3 Negando, & certè pro veritate inexpugnabili, dictam sacram Imaginem posse inde à D. N.N. transferri ad aliam Ecclesiam, quia Oratorium ab initio suæ dationis, & collocationis ibidem effectum fuit dominus liber, & absolutus, atq; irreuocabiliter aduersus dictum N. N. qui illius datione ipso iure remansit spoliatus, & priuatus dominio dictæ Imaginis, ex capite, & titulo Oblationis Imaginis factæ Oratorio.

4 Probatur potissimum ex naturâ Oblationis ecclesiasticæ, & spiritualis, quæ in eo consistit, quod est donatio facta Ecclesiæ de rebus proprijs in Dei cultum vt docent omnes Canonistæ *in cap. causâ. 13. & cap. cum inter 29. de Verb. signif. Marian. Socin. in suo Tract. de Oblat. libello 1. initio, Hostien. in summa de Paroch. num. 3. Angel. Clauasius V. eod. num. 1. Castropal. par. 2. tract. 10. p. 17. initio, Suarez tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 5. num. 3. Barbos. lib. 3. de iure cap. 23. num. 3.* Et is donationis conceptus deducitur ex sacra Scriptura. *Paulus ad Hebr. cap. 5.* initio, *Vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis. Ezechiel. 20. 31. In oblationibus donorum vestrorum.* Oblationes ergo sunt dona Deo facta, *cap. Saluator 8. 1. q. 3. ibi Donum Dei est res ipsi Ecclesia oblata cap. Sancimus 31. 12. q. 2.* numerantur enim in bonis Ecclesiæ, cui dantur, *cap. Causa 13. cit. de verb. signif.* Certum autem est dominium rei donatæ transferri in donatarium cui aquiritur irreuocabiliter quando donatio est perfecta, *l. 1. ff. de donat. l. in ædibus 9. §. Donari ff. de donat.* Cum ergo oblatione Imaginis à se abdicauerit illius dominium, eam aliò transferre non potest, cum non amplius sit dominus.

5 Præterea, quandocunq; aliquid datur Ecclesiæ simpliciter, & absq; conditione, & modo, ipso iure dominium rei datæ aquiritur Deo, & eius Ecclesiæ, cui offertur, quia datum statim fit de patrimonio Christi, qui est dominus, & caput Ecclesiæ, *cap. Expedit 13. 12. q. 1. cap Cum ex eo 34. de elect. in 6. & ibi Glos. V. Christi, Panor. in cap. Non minus de Immun. Eccles. num. 6. Sperell. decis. 71. num. 16. Merlin. dec. 902. in Addit. Taurin. vbi num. 4. apud Tambur. de Iure Abbat. tom. 3. dec. 104. inquit,* quòd bonâ dum Ecclesijs traduntur, eo ipso eximuntur à dominio, & potestate laicorum, & ex speciali iure constituuntur sub dominio Christi Domini, vbi citat *Innocent. in cap. Cum super, de causa possess. num. 3. Afflict. decis. 361. num. 22. Suarez ad Regem Angliæ lib. 4. cap. 17. num. 9.* Alijs ibidem citatis. Quare si dominium est apud Christum, & in bonis Ecclesiæ, nullum ius remansit apud D. N. N. eam Imaginem transferendi.

6 Vlterius, rerum omnium oblatarum simpliciter dominium transit in Ecclesiam, cui datæ fuerunt, *cap. de rebus 22. 12. q. 2.* cum dentur ad cultum, & honorem Dei, qui sicut debet esse perennis ita, & id quod datur, maximè sacra Imago, quæ fideles excitat ad diuinum cultum, illius ergo datio fuit, vt in ea, & in eodem Oratorio, in quo fuit collocata, perpetuò veneraretur.

7 Insuper, res spirituales, seu iuris spiritualis à laicis tractari non possunt, *cap. 1. & 19. dist. 96.*

dist. 96. nec illas possidere possunt, *cap.* 1. 16. *q.* 7. *cap. Causam* 7. *de praescript.* vnde prohibentur administrare in Ecclesijs, *cap. indicatum* 5. *dist.* 89. *cap. Bene* 1. *dist.* 96. *cap. in nouis* 22. 16. *q* 7. *cap. final. de reb. Eccles. non alien.* Nisi de licentia Episcopi, *cap. Laici* 37. *cap. inuentum* 38. 16. *q.* 7. Sed oblationes sunt iuris spiritualis, *ex Fagnano par.* 2. *in cap. Ad causam, de ijs, quae fiunt à Praelat. num.* 20. ex quo sunt de patrimonio Christi, distinguntur enim ab oblationibus profanis, *Socin. cit. libello* 1. *num.* 2. Ergo superdicta Imagine vti spirituali nihil disponere potest.

8 Ad haec manifestè constat, laicos nullo modo se ingerere posse in rebus oblatis Ecclesijs, neque ea sibi vsurpare, aut ab Ecclesijs illas auferre, expressè *cap. quia Sacerdotes* 12. *cap. Sanctorum* 14. 10. *q.* 1. quia sub dominio laicorum non sunt, neq; ab illis detineri possunt, *cap. statu* 15. 10. *q.* 1. quia res oblatae non sunt alicuius, *ex Gratian. cap. Episcopus.* 1. §. *quia ergo*, 14. *q.* 1. scilicet personae priuatae, sed Dei, & Ecclesiarum, quibus afferuntur, connumerantur ergo inter bona ecclesiastica, vt alijs iuribus citatis docet cum S. Thoma 2. 2. *q.* 86. *art.* 2. *Suarez tom.* 1. *de Relig. tract.* 2. *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 3. *fine Pasqualig. Centur.* 2. *q.* 101. initio subdens rationem, quandum offeruntur Deo, transeunt ad dominium Ecclesiae, cuius sunt bona, quae Deo dicata sunt. Vnde laici circa ipsas nullum dominium exercere possunt, nec aliquo pacto de illis disponere. Haec ille.

9 Subsequenter, quando quis dat aliquid Ecclesiae, vel alteri, non se declarando, censetur datum illi perpetuò tradidisse, aliter asserens ad tempus dedisse, debet id probare, vt docet *Panorm in cap. si constiterit* 12. *de Accusat.* Datum ergo Ecclesiae censetur illi perpetuò consecratum. Et pro huius confirmatione praeter titulum oblationis, de quo in primo argumento adduci potest *Reg.* 51. *Semel Deo dicatum, non est ad humanos vsus vlterius transferendum.* Non alia ratione, nisi quia est illi perpetuò datum, & in casu nostro, si D. N.N. posset propria auctoritate sacram Imaginem, quam semel dicauit, & obtulit Deo in Oratorio, aliò transferre exerceret in hoc actu vsum humanum, non ecclesiasticum, cum ipse vti laicus non possit dici ecclesiasticus.

10 Praedictis adiunge, quòd res immobiles, & mobiles pretiosae Ecclesiarum non possunt alienari, *extrauag. Ambitiosae*, inter quas potest connumerari huiusmodi Imago, quae in illo Oratorio in magna habetur, & tali veneratione, quòd nostris temporibus illud Oratorium alio nomine non appellatur, nisi *la Madona del Popolo*, argumentum inexpugnabile, quod ibi ita suas dominij radices fixit, vt inde nullo modo eradicari, & euelli possit, res ergo pretiosissima est; clarum autem est translationem eius importare alienationem, dum transiret à dominio vnius ad dominium alterius Ecclesiae, ergo etiam ex hoc capite non est transferibilis, si non per ecclesiasticos, multò minus per laicos, quibus prohibetur contrectatio rerum ecclesiasticarum.

Praesens noster casus videtur clare decisus 11 *in cap. Verum* 4. de cond. appos. illis verbis. *Verum cum alicui Ecclesiae, qualibet interposità conditione donatur, à donatore donum postea reuocari non potest, nisi forte sit tali conditione donatum, quòd eà cessante, debeat reuocari.* Sed in casu nostro nulla apparet conditio apposita, ergo remanet simpliciter irreuocabilis, cum non fuerit expressè inter partes conuentum de reuocatione, vt citatis ibidem Doctoribus colligit *Barbosa num.* 2.

Demum, haec nostra Sententia confirmatur auctoritate Rotae in vna Hispal. *Translationis Imaginis* 9. *Martij* 1598. coram Pamphilio, citata à Riccio *par.* 4. *dec.* 170. *num.* 10. vbi, quòd translatio Imaginis existentis in aliqua Ecclesia, ad quam concursus habetur, & ei plura afferuntur dona, fieri non debet per Episcopum ad aliam Ecclesiam, vel Capellam, Rectore contradicente. Casus noster videtur esse omninò idem cum hoc Rotae, ergo eademsententia pro Oratorio ferenda est, vt nullo modo auferatur ab eo prelibata Imago. 12

Dices primò ad fauorem D. N. N. 13 Ipse est vnus ex Confratribus, habens Officium, nam in quodam Instrumento conuentionis inter Parochum, & ipsum, nuncupatur Rector, Actor, Guardianus, seu Custos Oratorij, ergo tamquam persona publica ratione Confraternitatis potest recipere oblationes, & de ijs disponere, sicut facit, ergo & de Imagine disponere, cum & ipsa sit quaedam oblatio, nam Confraternitatibus non negatur dispositio rerum oblatarum suis Ecclesijs, cum & ipsae sint ecclesiasticae, & de foro ecclesiastico, & sic tractare possunt de his rebus spiritualibus, *Rota par.* 5. *decis.* 144. *num.* 17. *ex Dzio lib.* 1. *cons.* 148. *num.* 3. *Ferret. cons.* 78. *Ricc. cit. par.* 4. *decis.* 170. *num.* 12.

R. Non constat ex aliquo documento 14 publico, ipsum deputatum fuisse ad oblationes recipiendas in dicto Oratorio, neq; à Confraternitate, nam in illo instrumento supponitur Officialis, in quo nec extenditur mandatum, nec citatur, vnde remanet in re pura persona priuata incapax disponendi de oblationibus, cum sit laicus, ex iuribus supracitatis. Demus tamen esse legitimum Officialem, non ideo tamen potest eam Imaginem transferre, quia Confraternitates,

tetnitates, & Ministri, & Officiales earum debent oblationes conuertere in pios vsus suæ Ecclesiæ, ex Merlino *decis.* 12. *num.* 10. *&* 11. cum datæ sint in ædificationem, non in destructionem.

15 Dices 2. in facto supponitur, Imaginem donatam fuisse Oratorio, de qua tamen donatione non constat, nec præsumenda est, ex communi Doctorum, quia nemo præsumitur iactare suum, *l. Cum de indebito §. Si qui cum soluit, ff. de probat. Mascard. concl. 555. initio.* Quare cum non probetur donatio, corruit omne id, quod pro Oratorio supra dictum fuit.

16 ℞. ex primo argumento euidenter constare, traditionem Imaginis fuisse propriè donationem, ex quo fuit oblatio eius facta in honorem Virginis gloriosæ, & ad diuinum cultum in eo Oratorio, nam ex probatis supra, ratio donationis ex morali necessitate includitur in oblationibus spiritualibus, quæ Deo fiunt non ad tempus, sed perpetuò, & irreuocabiliter respectu dantis, *Exodi 29. 42. Oblatione perpetua.* Sunt enim dona Deo oblata pro peccatis, *ad Hebr. cap. 5. initio*, cum ergo Deus ex parte suâ respondeat dimittendo peccatorum pœnas, seu gratiam augendo offerentibus, *ex Socino libello 16. Vers. Si ergo*; qua ratione D. N.N. vult ad se retrahere Imaginem, quam Deo obtulit pro suis peccatis, & euidenter per eam oblationem prosperatus est, nomen Benefactoris ecclesiastici in æternum aquirens, & in ictu oculi totum perdere vult, reddendo se Deo ingratum?

17 Donationes ergo spirituales ex suâ formali ratione præsumuntur, & hoc ipso, quòd oblationes sunt, probantur quoq; esse donationes, quia hoc modo dare non est perdere, sed semper aquirere, cum oblatio fiat ex affectu piæ mentis in Deum. Illud ergo motiuum, quod suum donare sit perdere, impediens presumptionem donationis, non habet locum in donationibus spiritualibus, sed tantum in profanis, non tamen in his omnibus, nempe in benemeritis, vt ex Fabro *docet Paulus Rubeus par. 9. ad decis. 46. num. 207. ibi: Cum donare sit perdere, præter quam si donet benemerito* Et hoc potissimùm locum habet in datis Ecclesiæ, cum talis datio sit actus meritorius, ex Socino, mox citato, & ex eodem Rubeo *dec. 56. num 132.*

18 Dices 3. D. N.N. ab initio traditionis huius sacræ Imaginis, Claues Sacrarij eius, in quo custoditur, apud se semper retinuit, solus aperit, vt à populo veneretur horis sibi bene visis, & claudit, cum opus est, propria auctoritate; ex huiusmodi autem ministerio probatur, quòd in traditione Imaginis non abdicauerit à se dominium, quod absolutum, & liberum adhuc retinet.

℞. Primò, illud ministerium non arguit 19
dominium, sed potius denotat eo carere, & esse quasi seruum, nam serui faciunt ministeria, & seruitutes domino suo, cuius nomine operantur. *Secundò* huiusmodi ministerium importat administrationem, quæ est tractatio rei alienæ, non propriæ, *ex tit. ff. & C. de admin. tut. & notat Rebuffus in l. In lege 23. de Verbor. signif.* Administrator ergo dominus non est, nec proinde habet dominium rei administratæ, sed dicitur esse apud eum, cuius nomine administrat, cui tenetur reddere rationem suæ administrationis, sicuti tutores pupillorum, *Rota par. 1 Recent. decis. 355. num. 4.* Sequitur ergo manifestè ex hoc capite, quòd ex administratione non infertur dominium in administrante, sed verius, quod illo caret. *Tertiò* administrator datur ad vtilitatem, & fauorem eius, cuius nomine administrat, debet enim conditionem domini sui facere meliorem, non deteriorare, *l. Ignorantis 49. ff. de Procur.* quod non faceret D. N.N. alienando Imaginem.

Dices 4. D. N. N. fauet *Anchar. in cap.* 20
Verum eit. de condit. appos. referente. Floriano Dulpho Bonon. in suo tract. de sepult. cap. 12. num. 18. quòd res semel Deo dicata, & Ecclesiæ effecta potest ab ea reuocari, modo non seruato, ea ratione, quia in traditione rei suæ quis potest apponere legem, & conditionem bene visam sibi, *per tex. in l. Traditionibus 49. ff. de pactis, l. sed & si 28. §. consuluit ff. de petit. hæred. l. in re mandata 27. C. Mand.* Ergo eam reuocare potest.

℞. Id totum esse verum in primis, quan- 21
do res, quæ traditur est tota ipsius tradentis, & in suâ liberâ potestate, *Cepolla cap. 86. num. 16.* & si conditio apposita sit licita, & non contra leges neq; canones, *ex cap. fin. de condit.* Vnde Testator in suo testamento non potest ponere conditionem, nec modum, quibus Lex resistit, nemo enim potest facere, quo minus Leges in suo Testamento locum habeant, *l. testandi 13. C. de testam. cap. Requisiti 15. de testam.* Sed pro D. N.N. nihil ad propositum, cum in traditione Imaginis nullam conditionem, nullum modum, nullum pactum apposuerit, sed simpliciter in dicto Oratorio sine vlla solemnitate eam collocauit publicæ venerationi. Donatio ergo solùm reuocatur, quando pactum non seruatur, *l. fin. C. de reuocand. donat. cap. fin. de donat.* Confratres ergo, quibus à D. N.N. nullum pactum fuit impositum, non sunt priuandi sacra Imagine, cum in nullo probentur transgressores.

Dices 5. in contractibus innominatis est 22
locus pœnitentiæ, *in l. Naturalis 5. ff. de præscriptis verbis*, vbi nominatur his verbis: *Aut enim do tibi vt des; aut do vt facias, aut*

facio

facio vt des, aut facio, vt facias. Castropal. de iust. *disp.* 1. *p.* 16. *§.* 1. *initio*. vbi quòd repetitio rei datæ, non solum iure ciuili, sed etiam Canonico conceditur. Sed in traditione Imaginis apparet contractus innominatus *Do, vt facias* nam D. N.N. dedit Imaginem, vt Confratres eam exponerent in suo Oratorio publicæ venerationi, ergo potest eam ad se reuocare.

23 ℞. Reuerà non esse contractum innominatum, sed spiritualem nomen proprium habentem, quod est oblatio Deo facta, & ab eodem acceptata, dum ex hoc actu pio Deus illi retribuit, ex supra dictis, Ad argumentum verò respondetur, in contractibus innominatis dari pœnitentiam,& contrahentem resilire posse, & datum repetere, quando alter contrahentium non adimpleuit, nec vult adimplere promissum ex parte sua. Immo si debito tempore non impleuit, datum repetere potest, licet habeat voluntatem post tempus præfixum adimplendi, semper enim opponere potest exceptionem, quòd tempore debito non impleuit, *Bartol. in l.* 1. *§. Et paruiff. quod vi, aut Clam. Roland.lib.* 1. *cons.* 53. *num.* 33. *apud dictum Castropal. Cardin. de Lugo disp.* 22. *de iust. num.* 58. In casu nostro Confratres adimpleuerunt ex sua parte, quia receptam Imaginem collocauerunt in Oratorio, vbi publicè veneratur, ergo eam repetere non potest.

CONSI-

CONSILIVM X.

An Episcopus vti possit Sacerdote Collegiatæ pro confessario ordinario Monialium.

1 Episcoporum præcipuum officium est cura animarum *Act. 20. 28. Attendite vobis, & vniuersæ gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Petrus *Epist. 1. cap. 2.* in fine: *Eratis enim sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad Pastorem, & Episcopum ani-*
2 *marum vestrarum. Trident. sess. 6. cap. 1.* Pro cuius executione Episcopi potestatem habent amplissimā super omnes Ecclesias, & Clericos earum, *ex cap. omnes Basilicæ 10. 16. q 7.* inter autem eorum munera Triden-
3 tinum *sess. 25. cap. 10.* mandat, vt Monialibus prouideant de Confessarijs tum ordinarijs, tum extraordinarijs, ideo liberam potestatem habent eligendi quoslibet Sacerdotes cuiuscunq; status, & conditionis, idoneos ad hoc spirituale munus obeundum.

4 Merito Illustr. & Reuerendiss. D. Episcopus noster potuit ex Collegiata S. Petri D. Carolum de Bergonzijs assumere in confessarium ordinarium Monialium, cum ad id amplam habeat facultatem ex adductis.

Nonnulli tamen in hoc speciali casu faciunt difficultatem, adducentes sequentia motiua.

5 Primò, quia in omnibus diuinus cultus augendus est, non minuendus, vt probatur minui deputatione præfati Sacerdotis in confessarium ordinarium Monialium, quia cum sint tantùm decem, quorum Præpositus ab interessentia diuinis officijs est exemptus, alter Massarius, & alij Confessarij non possunt interesse choro, cum altero sene decrepito, ac proinde remanent in
6 Choro vt plurimum tres, aut quatuor, ex quo manifeste patet diminui de cultu diuino propter absentiam dicti Confessarij, qui magis debet seruire suæ Ecclesiæ, cum sit collega ordinarius, & necessarius, voluntarius verò in spirituali seruitio Monialium.

7 Secundò, Superior Collegij habet obligationem faciendi obseruare omnia in Capitulis contenta *ex cap. 3.* ex sit cogere debet dictu Confessarium ad Residentiam.

8 Tertiò, *in cap. 4.* dicitur: Omnes de Collegio teneantur suam celebrare missam, & personaliter officijs interesse, nisi legitimè impediti, videlicet, infirmus, absens, vel pro onere curæ spiritualis.

9 Quartò *ex cap. 6.* Si quis de dicto collegio fastidiosus nolens obseruare capitula, & consuetudines Dominorum de collegio, tunc Superior teneatur absq; conuocatione, eum, vel eos delere de Rotulo. Idem fiat, si sponte recesserit, nec amplius possit, vel possint in dicto collegio recipi, nec cum fabis suffragari.

10 Quintò, id circo præfati Domini statuerunt, & ordinauerunt, quòd qui. umq; aliquid in collegio voluerit, vel noluerit obtinere, tunc negotium tentatum, si obtensum fuerit cum fabis, & fasolis firmiter obseruetur, ac si foret, & esset adnotatum in capitulis, taliter, qualiter fuerit obtentum *Cap. 12.*

11 Sextò, quilibet tempore, quo admittitur in Collegio, iurat, se obseruaturum capitula, ordinationes, & consuetudines Collegij.

12 Septimò demùm pro satisfactione onerum, & legatorum tenentur Sacerdotes celebrare, & officia mortuorum, atq; etiam omnes conuenire debent collegij sacerdotes, tum ex legatis factis; verum etiam ex quampluribus ordinationibus, & consuetudinibus superinde factis, & consuetudine prescripta ad maiorem Dei gloriam, & diuini cultus argumentum.

Ex his motiuis Sacerdotes Collegij formant quæsitum aliud longe diuersum à supradicto proposito in causa D. Caroli Confessarij, talis tenoris.

13 Quæritur an Sacerdotes dicti Collegij possint abesse à residentia sine causa sufficienti, & legitima; & Superior possit talem absentiam in præiudicium Ecclesiæ, & diuini cultus tolerare?

14 Ad hoc quæsitum respondi in his terminis. Presbiter sine legitimà causà, sed ex proprià tantùm voluntate absens à Choro sæpius in hebdomada peccat grauiter; & Superior pariter eum tolerans in preiudicium cultus diuini, vt colligitur ex supra allatis.

15 Hæc autem responsio non obstat prouisioni factæ de Confessario prælibato, quia abest à Collegio ex legitimà causà, & Superior non dicitur illum tolerare, sed obedire Episcopo, dum illum non reuocat ad munia Colegij, nec delet de Rotulo, cum non possit, quia non est fastidiosus, nec in culpà, dum

dum exercet officium sibi ab Episcopo commissum. Vnde respondetur ad ea motiua.

16 Ad primum, ex absentia legitimà dicti Confessarij, non minuitur cultus diuinus, sed charitas dilatatur extra collegium beneficio Monialium, non obstante absentia huius particularis Sacerdotis, aliter diminuetur etiam per non praesentiam aliorum, de quibus in hoc motiuo. Deinde cultus diuinus non minuitur per absentiam huius Confessarij, sed per defectum vndecim aliorum sacerdotũ, qui debent esse 12. in limine fundationis huius Collegij. Adde, quod ista diminutio ex parte illam asserentium, est potius voluntaria, quam necessaria, cum superior cogere possit dictum Confessarium, vt suppleat muneri suo per alium Sacerdotem, vt expressè dicitur in *cap.4.* his verbis: *Si quis legitime fuerit impeditus operetur cum superiore, vel cum eo, de cuius voluntate recitatur Officium, & secum concordet, vt valeat prouidere de persona idonea loco ipsius.* debet ergo substitui extraneus Sacerdos. Praeterea, si diminuitur diuinus cultus per hunc confessarium, ergo magis per alios, qui sunt tres, Massarius, & alij Confessarij.

17 Ad secundum, verum quidem est, quod superior debet procurare vt Capitula seruentur ab omnibus de Collegio, non tamen inde sequitur, quod possit cogere hunc confessarium interesse diuinis officijs, quando audit Moniales, quia id esset diminuere de potestate episcopali, qui iuste dictum sacerdotem deputauit ad audiendas Monialium confessiones, in hoc enim Episcopo, non superiori Colegij, obediendum est, *cap. quis irasci* 97. 11.*q.* 3. *ibi*: Nec hinc debet minor irasci, si maior Praelatus est. Ambo enim superior, & confessarius sunt subditi Episcopo.

Ad tertium, verum quidem est, quod omnes de collegio debent suam missam celebrare, & choro interesse, sed id intelligitur ex ipso *cap.* 4. quando quis non est legitime impeditus, quo casu satisfarit per tertium, iuxta superius dicta, cum interessentia non sit personalis, dum suppleri potest per tertium. 18

Ad quartum, confessarius iste non potest deleri de Rotulo, quia verba illius capituli non aptantur huic casui, non enim est fastidiosus, cum non probetur altercator, & vnusquisq; praesumitur bonus, & quietus, nisi probetur contrarium, *cap. Vn.* de Scrutinio, *cap. fin.* de presumpt. Nec recusat obseruare capitula, propter quod delendus sit de rotulo, quia cum legitimè sit impeditus ex dicta deputatione, non dicitur in obseruator, nec contemptor capitulorum. 19

Ad quintum, *cap.* 12. non obstat, quia in eo sermo est de obtinẽdo, vel nõ obtinendo aliquid in Collegio, non extra collegium. 20

Ad sextum, non constat ex capitulis de iuramento obseruandi Capitula, cum ne verbum quidem dicatur in eis de illo, & eo etiam concesso, non constringit D. Episcopum, qui non iurauit obseruare illa Capitula, vnde & super illis bene dispensare potest, cum ab eo vires accipiant, vt patet initio eorundem Capitulorum, collegiata enim ecclesia statuere non potest sine episcopo, *Barb. in decis. Apostol. V.* Collegiata ecclesia *num.* 2. *& V. Statutum num.* 3. & praeterea in omni iuramento semper est reseruata auctoritas Superioris, *cap. Venientes* 19. de iureiur. 21

Ad septimum denique respondetur, cum per tertium interesse possit, suae obligationi per illum satisfaciet, vt debet.

CONSILIVM XI.

An Canonici Collegiatæ præferantur Curato.

1 Capitulum Dominorum Canonicorum Collegiatæ Ecclesiæ Præpositoralis S. Crucis Fontanellati diœcesis Parmensis per plures testes idoneos probauit, se esse in pacifica possessione præcedendi Capellanum Curatum mercenarium, & amouibilem in eadem Ecclesia, intra quam est Capella, in qua ipse exercet curam animarum, in omnibus functionibus, quæ fiunt tam intra, quam extra eam Ecclesiam etiam cum Stola ab eodem Capellano, exceptis quibusdam processionibus cum vsu Pluuialis, in quibus omnibus etiam Capitulo Canonicorum præfertur.

2 Id autem probant pro Canonicis quinq; testes iurati, & præterea alij quatuor non iurati per fides eorum exhibitas, nullus tamen eorum coram Iudice examinatus fuit, cum nondum lis iudicialiter mota fuerit, sed causa extraiudicialiter tractatur coram Illustr. D. Aloysio comite Sanuitali Domino Fontanellati, ad euitandas expensas, si possibile erit.

3 Primus testis D. Matthæus Pezzonus Rector Parochialis Toccalmati ab anno 1625. & deinceps deponit Capitulum Canonicorum semper præcessisse quoscunque Capellanos, & hoc ex propria scientia, quia vidit, ita practicari inter eos, dum ipse eidem Ecclesiæ inseruiebat, & hoc idem audiuit à Lactantio Turrio ibidem Canonico, & ab Antonio Zambella ibidem Capellano, qui ambo ante ipsum seruierant dictæ Ecclesiæ.

4 Leonardus Zardus idem probat etiam vltra 30. annos, ex propria scientia, quia ibi habitat, & vidit sic practicari, & audiuit hoc dicere publicè.

5 Petrus de Melletis, & Camillus de Amicis sexagenarij semper viderunt vltra 40. annos Canonicos præcedere Capellanum.

6 Demùm Cæsar Ferretus Octogenarius idem testatur per annos 60. quia inseruiuit Ecclesiæ, & fuit Syndicus Consortij, asserens non extare memoriam in contrarium.

7 Ex depositione igitur tot testium fide dignorum manet probata quieta, & pacifica possessio præcedentiæ Canonicorum contra Capellanum respectu omnium functionum, quæ fiebant etiam cum Stola, sed sine pluuiali, nam cum Pluuiali Capellanus præfertur Canonicis; vnusquisque igitur eorum manutenendus est in possessione suorum actuum præcedendi.

Ex parte Capellani, & Consortij producuntur nonnullæ exceptiones contra Canonicos, quas ex infra dicendis constat esse nullius momenti, neque posse deijcere Canonicos à suo iure præcedendi.

8 Opponūt primò contra Pezzonum, quòd ipse sit solus testis, ac proinde vox vnius vox nullius, solus quidem, quia reijciunt omnes alios testes; sed immeritò, quia idonei sunt, vt constabit, ergo solus non est. Obijciunt præterea, quòd non habet bonum nomen, nec conceptum. Sed nihil specificant, ideo nihil obstat, neque enim testes debent esse sancti.

9 Opponunt 2. contra Zardum, quòd ab anno 1654. cœpit habitare Fontanellati. Sed id non obstat, tum quia seruiebat Patribus Dominicanis, qui parum distant à loco per iactum vnius lapidis, vnde bene testificari potest ex propria scientia, maior enim pars populi tam extra, quam intra solet concurrere ad funeralia, & similes actus publicè factos. Tum quia quod addunt, ipsum ignorare quid sit præcedentia, si interrogaretur super ea, non facit ad propositum, cum sufficiat dicere, quod erat in fine Processionis, & ante illum ibant Canonici, quod etiam infans vnius, vel duorum annorum dicere, & discernere poterit. Et dicere, quod Zardus interrogatus nesciret respondere, irrationabiliter asseritur, cum factum ita notum sit, vt etiam ab infantibus discernatur, nullus enim, nisi sit stolidus, tam ignarus est, qui nesciat discernere coordinationem Clericorum in funeralibus, & processionibus, quinam sit proximior, vel remotior à Cruce, cum non ad intellectum spectet speculari, an res ita sit, nec ne, sed ad oculum intellectui repræsentare, quod videt patenter.

10 Opponunt 3. quod Melletus est Pater Genesij Sacristæ Consortij licentiati ab officio, ac proinde ex passione, & quasi vindictâ faucet Canonicis contra Capellanum, & Consortium. Sed hæc exceptio non probatur, quòd scilicet deposuerit ex passione, seu vindictâ; nec potest probari, cum in animo id consistat. Et ita iudicare temerarium est; nec ita iudicare occasionem præbente remotione Sacristæ factâ per consortium facit ad rem, quia vel erat remouibilis ad nutum Consortij, vel ex causâ culpabili ipsius Sacristæ, in quibus casibus cum remotio fuerit iusta, non est verisimile ex ea remotione eius Patrem concepisse passionem, vel vindictam contra Consortium, cum ex iusta remotione non debeat præsumi talem

defectum

defectum accidisse fauore Canonicorum contra Capellanum, & Consortium, inanis ergo, & friuola est huiusmodi exceptio, & omnino improbabilis.

11 Opponunt 4. contra Amicum, quod sit pater vnius Canonici. Hæc exceptio alicuius est considerationis respectu aliarum, quæ nullius sunt ponderis. Sed tollitur facile, quia leuis est ponderis. Nam depositio aliorum testium eleuat, & adminiculatur fidei huius restis, cum enim concludenter per alios probatum sit ius Præcedentiæ, quod etiam asserit Amicus, nullatenus dubitandum est circa eius depositionem, dum ab alijs firmatur. Adde, quod licet Amicus sit pater Canonici, non ideo tamen dicitur in hac causa testis intereffatus, qui repellitur à testificando de communi apud *Farinac. q. 60. num. 1.* nam testis interessatus est ille qui habet commodum, vel incommodo in causa, in qua deponit, ex eodem ibidem *num. 4.* Manifeste autem constat Amicum nullum reportare commodum ex sua testificatione, quia cum non sit Cauonicus, nec Clericus, non potest sperare honorem præcedentiæ.

12 Opponunt 5. contra Ferretum Octogenarium, quod debret, & ignorat quid sit præcedentia, Neutrum probatur, nec suadetur, ideo pro non exceptionibus habentur. Præterea in responsione ad exceptionem Zardi paret, eam non facere ad rem ex ibi dictis. Deinde ea exceptio de interrogatione quid sit Præcedentia, reuera exceptio non est, [illegible] positio, & conditio, quæ nihil ponit [illegible], & ignorantia ex parte excipientis, dum nullum fecit experimentum, cum nec sit necessarium, cum sufficiat deponere factum iuxta coordinationem, & dispositionem Clericorum in Processionibus, & alijs actibus publicis.

13 Quamuis supradicti testes, qui nullam patiuntur exceptionem, ex quo illæ exclusæ fuerunt in præcedentibus, satis superque sufficiant, & probent intentum Canonicorum, nihilominus ad abundantiorem cautelam alij producuntur à Canonicis testes, qui licet non sint iurati, sed simpliciter deponant de veritate facti, ad fauorem Canonicorum, per exhibitionem fidium, tamen cum causa tractetur amicabiliter, & extraiudicialiter, bene probant, non obstante illud tritum axioma, quod fides fidem non facit, scilicet in causa iudicialiter tractata, quia in ea testes debent examinari parte citatâ, & coram Iudice, in casu autem nostro probant, ex allegatis *à Rota par. 2. Recent. decis. 525. num. 5. Rubeus tom. 8. ab anno 1631. ad 35.* maxim. dictæ fides constderatæ cum depositionibus dictorum testium iuratorum, faciunt, negotium catereomni dubitatione, ex alijs ibidem allegatis per eundem *Rubeum num. 9.*

Canonici igitur producunt quatuor fides, 14 nimirum Præpositi eiusdem Ecclesiæ, Rectoris Bellinæ, Groffi beneficiati, & Vgolini Rectoris Toccalmati, qui omnes ex propria scientia visus, quia inseruierunt aliàs in dictâ Ecclesiâ, testantur de eadem Canonicorum Præcedentia semper successiue supra Capellanum in omnibus functionibus extra Pluuiale.

Nec facit difficultatem, quòd Præpositus 15 sit caput Capituli Canonicorum, quasi sit testis intereffatus, qui reuera talis non est, quia sine controuersia præcedit in omnibus Capellanum, ideo hanc exceptionem non patitur, cum nec commodum, nec incommodum reportet ex sua testificatione ex supra dictis cum *Farinac. q. 60. num. 4.*

Quod obijciunt contra Vgolinum, qui 16 reddendo rationem sui dicti, inquit *conforme al stile di detto loco, come dissero i Signori Canonici*, quasi fidem sui dicti mutauerit a Canonicis interessatis. Temperatur hoc modo, quòd eius dictum adhuc sustinetur vt verum, quia coadiuuatur ex aliorum depositione. Et præterea ipse deponit de facto proprio, quòd Canonici præcesserunt illi, dum ibi erat Capellanus ab anno 1651. ad 54. vnicuique enim in facto proprio credendum est, cum illud sit expertus.

Pars aduersa proprias exhibet probationes, quòd Capellanus in omnibus semper præcesserit Canonicos non solum cum Pluuiali, sed etiam sine eo, cum sola Stola.

Primò, in exequijs Canonici de Magistris digniorem tenuit locum Curatus con- 17 tra voluntatem Canonicorum anno 1650.

Contra tum quia nullum adducit testem pro se, & eo anno erat Curatus Lazarus Maurus, ipse interrogetur. Tunc quia iam possessio erat tunc perfecta in sua præscriptione, vt patet ex testibus iuratis, ergo non poterat interrumpi, vt magis patebit infra in responsione contra Doctorem Quaretum.

Secundò, asserunt, Capellam secundum 18 situm esse intra Ecclesiam S. Crucis Canonicorum, extra verò, in quantum nullam habet subiectionem, & connexionem cum eadem Ecclesia Præpositi, & Canonicorum, & Capellanus officiatur in ea Capellâ, vt in domo propria, ergo in suis functionibus debet omnes præcedere.

Contra est, quia parum refert ad hanc controuersiam, quòd inter competitores sit subiectio, & connexio, siue non, quia ius præcedendi attenditur etiam ex maiori, vel minori gradu, & dignitate, certum enim est Ecclesiam Collegiatam esse maiorem, & digniorem parochiali non collegiatæ, & eo magis, cum Capella non sit formaliter Ecclesia ab ea distincta, immo illi vnita non solum ratione situs, sed etiam ratione subiectionis, cum debeat Consortium huius

Capellæ reddere rationem coram Præposito, vt fatentur etiam Consortiales pro parte Curati. Et cum Præpositus sit caput Canonicorum, illius præeminentia, & superioritas supra Capellanum, & Consortium redundat etiam in Canonicos, qui sunt membra eius capitis, à quo sunt inseparabilia, & sicut in naturalibus caput non operatur sine membris sibi vnitis, ita neq; Præpositus sine Canonicis refertur ad Consortium.

Tertiò, Doctor Quaretus, dum fuit Capellanus, semper præcessit Canonicis in omnibus functionibus, etiam cum Stola, vt probant quatuor testes, qui sunt Vexillifer Pouella, Campanus, Ricellius, & Canoua. Idem fecerunt Macagnus, & Vgolinus, quando fuerunt Curati.

19 Contra est *Primò*, quia illorum attestatio redditur dubia propter contrariam attestationem quinque iuratorum, & quatuor non iuratorum ad fauorem Canonicorum, qui deposuerunt de pacifica possessione vltra 30. 40. & 60 annos respectiue. Et pro Quereto vix sunt quatuor testes, maior ergo numerus præualet minori, & eorum depositio redditur ambigua, & nihil concludit. *Secundò*, dato etiam, quod Quaretus præcesserit Canonicos, illis non præiudicauit tamquam intrusus, & pertubator alieni iuris, cum enim possessio Canonicorum non potuerit interrumpi, completa iam præscriptione tot annorum, *Mantica decis. 296. num. 5. Addent. ad decis. 51. Ludouis. num. 8.* asserentes præscriptionem semel completam non posse interrumpi, ex illa intrusione nullum fuit illatum præiudicium Canonicis, quia ius quæsitum præcedendi habebant ex illa perfectà, & completà præscriptione, de qua non est dubitandum. *Tertiò*, & à fortiori, quia præcedentia minori etiam tempore præscribitur non solum iure ciuili, sed etiam iure Canonico nempe spatio decennij, ex allegatis *à Riccio p. 1. resol. 563. & par. 3. resol. 272.* exercetur enim inter præsentes, & ideo sufficit spatium decennij, & nihilominus probatur præscriptio maioris temporis 30. 40. & 60. annorum. Non potuit ergo Quaretus per illam intrusionem non solum interrumpere prescriptionem, quæ tamquam finita, & quiescens non amplius currebat, verum neq; auferre ius quæsitum & inconcussum Canonicis, qui ius pro paucis annis, quo fuit Curatus per sex annos, non amiserunt, ideo subsequentes Curati semper minorem locum deferendo Canonicis obtinuerunt.

20 Nec obstat, quod duo Canonici successerunt Quareto, quia non sunt præsumendi negligentes in tuendis iuribus parochialibus, quibus carebant in hoc genere, præterquam quod negligentia cum sit peccatum non presumitur, sed probanda est.

Macahnus, & Vgolinus asseruntur precessisse Canonicis, sed id non probatur, & Vgolinus deponit, se habuisse inferiorem locum, quando exercuit officium curæ. 21

Quanto obijciunt contra Canonicos Synodum Nembrinum *cap. 21. §. 5.* his verbis: *In publicis tamen precessiantibus, qui sacram stolam, vel Pluuiale defert præponatur in laici dignitate, etiam Archipresbiteris, & Vicarijs Foraneis.* 22

Contra est, quia Synodus loquitur de processionibus publicis, & non de funeribus in illis Curatus precedit, non tam ex Synodo, quam ex vsu antiquo illius Ecclesiæ. Præterea Synodus loquitur de præcedentia inter Ecclesias non Collegiatas, in casu autem nostro Ecclesia Sanctæ Crucis est Collegiata, & Capella est quodammodo illi vnita, hoc autem modo non se habent Ecclesiæ, de quibus in Synodo, quarum vna non dicitur vnita alteri, nec Capella alterius. Adde, quòd Synodus loquitur de Curatis perpetuis, non de amouibilibus, & mercenarijs, vt est iste Capellanus.

Quintò referunt nonnulla responsa Sacræ Congregationis fauore Curatorum contra Canonicos, quæ habentur apud Barbosam de Parochn *par. 1. cap. 9. num. 8.* vbi tria responsa citantur pro parochis, quibus etiam fauet Rituale Pauli V. tit. de exeq. vbi Parochus in omnibus funeribus incedendo ante feretur, cum Gratiano *cap. 298. num. 83. & cap. 492.* Responsio prima est in vna S. Angeli Terræ Saxoferrati. Secunda in alia Eugubina, Tertia in vna Prænestina Cauarum. 23

Contra est *Primò*, quia nullus competitorum sibi Præscripserat ius præcedendi in illis causis, vt in casu nostro, in quo Canonici præscripserunt ius precedendi contra Capellanum, & vice versa Capellanus contra Canonicos in processionibus cum Pluuiali. *Secundò* pro Canonicis stant quatuor responsiones contra Curatos Sutrina, Melitensis, Ostiensis, & Prænestina Cauarum, apud eundem Barbosam. *Tertiò* explicatur intellectus responsorum pro Curatis. Ad primam de Saxoferrato, ea est intelligenda de præcedentià faciendi officium super cadauer in propria Ecclesia, quod ad Curatum spectat, non ad Collegiatam Canonicorum, vt declarat *Lauor tit. 2.* de prisco, & recenti *funer. cap. 3. num. 218.* per ea verba *Quando fit officium in Ecclesia*, vnde non est intelligenda ea responsio de præcedentia in incedendo per viam, sed in leuatione, & depositione Cadaueris. Quem intellectum habent aliæ duæ, nimirum, vt Curatus præferatur in officijs leuandi, & deponendi cadauer in sua Ecclesia, extra vero cedat locum Canonicis in ducendo funus 24

per

per viam, cum tunc communiter cum alijs per viam recitet Psalmos, & non funga-
25 tur speciali munere, quo præferendus sit alijs, ex eodem *Lauor. num.* 216. & 217. & *Barbos. num.* 11. Nec delatio Stolæ incedendo in funere dat Sacerdoti ius præcedendi, sed est signum Sacerdotale, vt cæteri cognoscant ad illum pertinere leuare cadauer, & illud deponere ad tumulum cum orationibus. Ritualis pariter dispositio pro Parocho intelligitur habere locum inter Clericos eiusdem ordinis, vt obseruant *Barbosa num.* 12. & *Lauor. num.* 216.

CONSILIVM XII.

An simonia sit pactum præsentandi ad Iuspatronatum filium amici indicantis Instrumentum Iurispatronatus amissum.

1 HAuendo Titio vn Beneficio iuspatronato per longhezza di tempo perdè le scritture della fondatione. Antonio se gli offerisce di ritrouar dette scritture, ogni volta che Titio li dia parola, che alla morte del Rettore di detto Beneficio sia nominato vn suo figliolo. Hor si cerca, se ciò sia Simonia?

2 ℞. Affirmatiue, quia ex communi Doctrina Theologorum, & Canonistarum, cum S. Thoma 2.2. *q.* 100. *art.* 1. Simonia est studiosa voluntas emendi, & vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum, qui contractus cum non soleat perfici, & compleri nisi per pecuniam, vel aliud pretio æstimabile, ideo necesse est, vt Simonia incurratur, quod negotietur aliquid pretio estimabile cum re spirituali; sed id totum reperitur in casu supradicto, nam Antonius pro suo figlio vult emere beneficium Iurispatronatus Titij, qui habet ius præsentandi, sine qua præsentatione Beneficium aquiri non potest filio Antonij promittentis inuentionem Scripturarum pertinentium ad ipsum iurispatronatum. Quod autem actio præsentandi ad dictum Beneficium sit spiritualis, & inuentio scripturarum quid pretio æstimabile, quibus firmatis sequitur contractus Simoniacus, facile demonstratur.

3 Actio præsentandi ad Beneficium est spiritualis, nam ab ipso iure, quod est spirituale in Beneficio, specificatur, est enim patronatus quoddam ius spirituale, *cap. De iure*, *cap. Præterea de Simon. Bonac. q.* 4. *de simon.* §. 11. *num.* 2. *Vers.* Ex dictis, ergo & ista præsentatio, *Canon. cum. Panorm. in cap. Quarto, de iudic. Suarez de simon. lib.* 4. *cap.* 28. *num.* 7. *in illis idem Bonac. cit. num.* 4.

Inuentio scripturarum est quid temporale de se, & pretio æstimabile, de quo non est dubitandum, cum nihil spiritualitatis habeant in se, nam Instrumentum, & eius inuentio non contingunt esse sine labore ratione scripturæ, subscriptionis, & sigilli, ratione quorum sunt mere materialia excludentia omnem spiritualitatem. Nec obstat, quod Instrumentum contineat ius spirituale quod est Iuspatronatus, quia ipsa scriptura ex hoc non est aliquid spirituale, sed tantum temporale indicans spirituale, & illud probant inter partes. 4

Confirmatur id totum, quia ibi reperitur Simonia, vbi intercedit pactum inter rem spiritualem, & temporalem, *cap. qui studet* 11. 1. *q.* 1. *cap cum pridem, de pactis, cap. quæsitum* 5. *de rerum permut.* Sed in casu præsenti adest pactum inter præsentationem, quæ est quid spirituale, & inter indicationem scripturarum, quæ sunt quid temporale, ergo mediat Simonia. 5

CONSI-

CONSILIVM XIII.

An Regina cum suis Filiabus possit sine licentiâ ingredi Monasteria.

1 Regina, & eius Filiæ possunt sine vllâ licentiâ ingredi in Monasteria tum Virorum, tum Monialium cum decenti comitatu mulierum tantùm minori tamen, quam extra vtatur, Ratio est, quia dum non exprimuntur in cap. Vn. de statu Monach. in 6. & in *Tridentino sess. 25. cap. 5. neq. in Bullis Pij V. incip. Regularium personarum* 20. in B. N. Gregorij III. incip. *Vbi gratia* 28. Pauli V. incip. *Monialium statui* 74. & alia eiusdem incip. *Facultatum plura* 52. signum est eas in dictis locis non comprehendi, non enim veniunt sub terminis generalibus, & vniuersalibus *Nulla*, *& Nemini ex cap. vn.* de statu Regular. & Trident. quia in generali locutione non comprehenduntur personæ multùm qualificatæ, & habentes nomen speciale, & elegans, vt multis iuribus, & doctoribus probat *Gutterez lib. 3. practic. q.*
2 *16. num.* 51. Trimarch. de solicit. *disp.* 8. *sect.* 4. *num.* 43. & respectu Bullarum non est difficultas, in quibus Papa reuocat licentias concessas quibuscunq; mulieribus etiam Marchionali, vel Ducali dignitate fulgentibus, per quæ verba certè non intelliguntur comprehensæ Reginæ, quæ sine dubio maiori dignitate alijs præeminent. Et ita ex his motiuis hanc sententiam docent omnes, quos hic recenseo.

In primis *Rodirq. tom 1. q.* 48. *art.* 1. *Sanch. lib. 6. cap. 16. num. 3. & cap. 17. num. 5. Tambur. de Abbatiss. disp. 24. q. 13. Laymann. lib. 4. tract. 5. cap. 12. num. 5. Rigaut Capuc. dub.* 82. *num.* 3. *Bassaus pariter Capuc. V. Clauf. num. 19. §. Tertio ; Castropal. par. 3. tract. 16. disput. 4. p. 7. num. 3. Suarez tom 4. de Relig Tract. 8. lib. 1. cap. 7. num 6. Diana par. 3. tact. 2. num. 67. §. Ad argumentum ; Peyrin. ad constit. 6. Iulij 11. num. 11. Crux. lib. 1. de Priuileg. cap. 5. dub. 1. concl. 1. Barbosa alleg.* 102. *num.* 92. *Bonacina de Clauf. q. 5. p. 2. num.* 5. Licet iste præcedenti *q. 4. p. 1. num.* 4. dixisset oppositum esse probabile. Tandem ad propositum nostrum addo Pellizarium de Monial. *cap. 5. q. 39. num.* 103. vbi sic loquitur. *Et si filia Imperatricum, & Reginarum sint nuptæ Principi inferiori*. Poterat ergo Serenissima Violanta Margarita filia Ducis Sabaudiæ Regis Cypri, & vxor Serenissimi Ducis Parmæ ingredi Monasteria virorum, & mulierum cum aliquo modico comitatu mulierum tantùm sine aliquâ licentiâ.

Quòd si quis dicat *Primò* hanc libertatem competere Reginis per se primò, & principaliter, secundariò, & accessoriè Filiabus, ac proinde cum hic Parmæ ma- 3
trem non habeat, non potest ipsa ingredi *Secundò* hoc ius, & libertatem habent Reginæ simpliciter tales, quæ scilicet sunt vxores Regis actu proprietarij, & possessoris Regni, in quo actu exercet iurisdictionem, habens sub se subditos; cuiusmodi non est Rex Cypri Dux Sabaudiæ, tantùm Rex, & Regina eius vxor titulares, cum careant possessione, & hominibus nullam exercentes iurisdictionem sub hac enim ratione Carlotta Regina Ierusalem, Cypri, & Armeniæ anno 1485. Regnum Cypri donauit Carolo Duci Sabaudiæ suo nepoti, vt refert instrumentum donationis liber vulgaris inscr. *Trattato del titolo Regio della Seren. Casa di Sauoia, stampato in Torrino l'anno 1633. fol.* 50. Eo autem tempore illa Regna erant vsurpata licet iniquè ab Imperatore Turcarum, vnde Carlottæ remanserat tantùm proprietas spoliatæ iam possessione, 4
& dominio super populum, vnde ioannis proprietatem transtulit in suum N potem, qui ideo cum suis successoribus appellatur Rex titularis, sicuti Episcopi electi pro illis partibus vocantur & ipsi titulares.

℞. Prædicta non obstare, non *primum*, quia filia Reginæ ex æquo sicut mater non ligatur illis legibus, filia enim non degenerat à matre, sed eius conditionem sequi- 5
tur, quò ad libertatem, vnde filij concepti, vel etiam nati ex parentibus captiuis, patre in captiuitate mortuo, matre verò redempta reuersi intelliguntur ingenui, *l. Commercio 16. C. de postlum reuers.* Ratio igitur accessorij locum non habet in filiabus, sed solùm in Comitatu mulierum, quæ per se nunquam possunt ingredi, dum ingrediuntur ratione seruitutis honorificæ, quæ præstatur Patronæ præsenti non absenti. Filia ergo ingreditur matre etiam absente, quia non dicitur seruire, sed congredi cum Matre.

Non secundum, quia ratio tituli in quan- 6
tùm dicit defectum exercitij iurisdictionis, & subiectionis populorum, sicut non posit dignitatem regalem, ita neq; tollit, sed eam supponit, in quâ radicatur ius, & libertas ingrediendi Clausuram Monachalem, & ea dignitas

dignitas donatione Carlottæ transmissa fuit in Ducem Carolum, & eius successores, non obstante, quòd illa tunc careret possessione naturali, quæ non impedit translationem rei donatæ, quæ tunc erat propria donatricis ab ea possessa ciuiliter, ex quo Princeps Turcarum erat vsurpator, & iniquus detentor, ciuilis enim possessio solo
7 animo conseruatur, absente etiam corpore possidentis, qui habet animum rem non amittendi, *l. Clam possidere 6. §. qui ad nundinas ff. de acquir. possess. l. 1. §. In amittenda, § Si id quod § fin. eod. Anton. Gomez ad leg. 45. Tauri num.* 102. Habens ergo titularem licet careat exercitio Iurisdictionis, non tamen caret potestate vtendi illa, quandocunq; haberet populum suum sub se actu, & cum effectu; duo enim spectari possunt in persona titulari dignitas cum habituali iu- 8
risdictione, & illius exercitium, qualificatus titulariter habet primum, & caret secundo, quod completur super populum. Regina habet primum, caret secundo, quo tamen non obstante potest ingredi Clausuram, quia non solum habitu habet posse ingredi, sed etiam actu, & exercitio complet suam libertatem, quæ non consistit in iurisdictione, sed in eo, quòd non prohibetur ingredi, vnde suam libertatem potest ponere in actu.



CONSI-

CONSILIVM XIV.

An Mulieres præsentare possint.

1 Filiolus de Irundinis ciuis Parmensis de anno 1397. 18. Iulij ordinauit, & fundauit Beneficium Sacerdotale in Ecclesiâ S. S. Trinitatis Parmæ sub titulo S. Iacobi Maioris, Ioanne de Rusconibus Episcopo Parmæ approbante, cuius præsentationem Patronus præfatus post eius mortem expressè voluit pertinere ad infrascriptos. *Rectori* inquit ille, *Ecclesiæ S. Trinitatis, & duobus de domo illorum de Irundinis, si extabant, & tribus de Vicinià dicta S. S. Trinitatis.*

Dubitatur modò, an mulier de domo illorum de Irundinis superuiuens possit præsentare?

2 Et respondetur affirmatiuè, quia venit ipsa sub illis verbis *de domo illorum de Irundinis*, vt multis allegatis docet Barbosa Appellat. 18. V. Domus num. 3. Nam & mulier potest aquirere Iuspatronatum, &
3 præsentare, *ex cap. fin. de conceß. prabend. Rochus de Iurepatr. V. competens; Viuian. lib. 5. cap. 1. num. 9. & lib. 2. cap. 6. num. 3. num. 5. Barb. ad cap. Ex literis 7. de Iurepatr. num. 12. & ad cap. fin. de conceß. prabend. num.* 2. Quod verum est, etiam
4 si alij concurrant in eadem præsentatione, ex eodem Viuiano *lib. 4. cap. 6. num.* 10. vbi refert quòd etiam mulieres, quæ sunt patronæ domus sitæ in Parochiâ, possunt cum alijs parochianis concurrere ad præsentandum Parochum ad iuspatronatus Parochiæ.

Nec obstat, quòd verba illa *Et duobus de domo illorum* exprimant præsentatores in genere masculino, quia satis vulgatum est, quòd masculinum concipit Fœmininum, *ex allatis à Viuian. lib. 2. cap. 6. num.* 5
3. ac proinde eundem sensum faciunt, & eandem vim habent, ac si Fundator in suo Instrumento adiecisset *Duobus vel Duabus de domo.* Ita quòd si nullus super viueret de domo de Irundinis, nisi nupta, apud illam remaneret Ius præsentandi, quia per transitum ad Matrimonium non perdidit iura 6
suitatis, & sanguinis, adhuc enim dicitur esse de domo paternâ, iura enim sanguinis sunt immutabilia, & nullo iure ciuili dirimi possunt *l. iura 8. ff. de reg. iur.* Nupta ergo præsentat, si Beneficium non est annexum 7
eius bonis dotalibus, aliàs Maritus pro ipsâ nominat Clericum, *Gutier. de Tutelis par. 3. cap. 29. num. 9. Garzias de Benef. par. 3. cap. 9. num. 185. ex illis Viuian. lib. 2. cap. 6. num.* 8. Confirmantur supradicta, quia edictum de Iurepatronatus est prohibitori- 8
um, itaut omnes de domo Fundatoris, & Hæredes, cuiuscunq; sint sexus possint respectiuè præsentare, nisi prohibeantur à lege, vel Patrono, *ex adductis à Viuiano lib. 2. cap. 6. num.* 1. Sed Mulieres iure communi non prohibentur, immo admittuntur *ex cap. Ex literis 7. tit. de Iurepatr. & fin. de conceß. prabend.* Neque arcentur ab hoc Patrono de Irundinis, ergo admittendæ sunt.

CONSILIVM XV.

An Laici possint per contrariam consuetudinem præscribere contra Immunitatem ecclesiasticam.

1 Liàs scripsimus Colonos Regularium gaudere eadem immunitate quam habent eorum Domini regulares circa eorum exemptionem, ne aliquo onere ex quacunq; causâ, cuiuscunq; sit qualitatis grauari possint à potestate laicali, ad formam Bullæ incip. *Dum ad Vberes XI.* in Bullario Nouo Pij V. quam etiam extendit Confessius *Bulla* 2. Modo Aduersarij opponunt huic Bullæ, & Priuilegio contrariam consuetudinem, & præiudicium, quod coloni sibi fecerunt, dum nonnulla onera soluerunt, eorum dominis tacentibus, & permitentibus, vnde Magistratus manutenendus est in sua possessione imponendi onera Colonis Regularium Ciuitatis V.G. Foripompiliensis.

Sed reuerà Magistratus hac consuetudine se tueri non potest, obstante eàdem Bullâ, quæ expressè derogat omnibus consuetudi-
2 nibus illis verbis: *Non obstantibus statutis consuetudinibus, priuilegijs quoq; &c. quibus &c. derogamus.* Introducta ergo consuetudo eis prodesse non potest, cum ei derogetur per eandem Bullam. Nec iuuat responsio, quòd Papa in dictâ Bullâ derogat non futuris consuetudinibus, introducendis post editionem eius, sed solùm, quæ vigebant ante promulgationem huiusmodi Priuilegij, quia reuera ea derogatio tollit non solùm præteritam consuetudinem, sed etiam futuram, cum Bulla habeat decretum irritans, ibi *Irritum, & inane decernimus*, vt tradit Sperellus *decis.* 179. *num.* 34. multis iu-
3 ribus, & Doctoribus allegatis, *Rota part.* 5. *Recent. tom.* 2. *decis.* 618. quæ est vltima *num.* 24. vbi quòd decretum irritans inficit omnem consuetudinem contrariam non solùm præteritam, sed etiam futuram.

Præterea, datâ eorum consuetudine, non tamen concessâ, cum nullas possit habere vires, non posset ab eis præscribi, cum præscriptioni continuè obstet confirmatio Priuilegiorum Regularium, quæ interrumpit consuetudinem illis contrariam, vt enim
4 consuetudo obtineat suas vires, necessaria est prescriptio ad minus quadraginta annorum contra Ecclesiam *cap. De quarta* 4. *cap. Ad aures* 6. *cap. illud* 8. *de prascript.* Modo cum vnus Pontifex tot annos viuere non possit, vt experientiâ compertum est, & singuli Pontifices post Pium V. qui dictam Bullam edidit anno 1566. confirmarint Regularium Priuilegia, asserta eorum consuetudo nunquam potuit stabiliri, nec præscribi vti interrupta per tot confirmationes Priuilegiorum Regularium.

Nam Gregorius XIII. ea confirmauit cum decreto irritante, & derogatorio consuetudinis, in sua incip. *Ex benigna* XII. apud confessium, anno 1575. cui successit Sixtus V. eadem confirmans eodem modo anno 1587. Bullà incip. *Et si mendicantium* ibidem. Clemens VIII. in sua incip. *Ratio Pastoralis Officij* ibidem eorum Priuilegia Confirmauit cum eisdem clausulis anno 1597. fauore trium Ordinum S. Francisci & præterea Paulus V. pro Tertio Ordine eadem confirmauit cum decreto irritante, & clausulâ obstantiuâ in sua incip. *Iustis, ac honestis* anno 1608. in eorum Archiuio Bullà 254. idem fecit Vrbanus VIII. in sua incip. *Iustis, ac honestis* anno 1642. & demum Innocentius X. in sua incip. *Exponi nobis*, anno 1648. Ex quibus manifestè concluditur, assertam consuetudinem, nec ratione sui, nec ratione præscriptionis quicquam valere, ac proinde Fratres cum suis Colonis manutenendas esse in fruitione suorum Priuilegiorum.

Quod obijciunt est Colonos vti Laicos esse subiectos laicæ potestati, non infert in omnibus esse eidem subiectos, sed tantùm in ijs, in quibus non sunt exempti, nam vna exemptio non extenditur ad aliam, cum eius materia sit strictè interpretanda, & ad literam intelligenda, *Rota par.* 5. *tom.* 1. *decis.* 291. *num.* 9. vnde debet restringi ad nominata, cap. per *exemptionem, de Priuileg. in* 6, *ex eodem Rota par.* 6. *decis.* 30. *num.* 4. neq; enim personalis extenditur ad realem, *Gemin. & Franc. in dictum cap. Rota par.* 6. *decis.* 205. *num* 5. Non enim licet arguere ab vnà exemptiõe ad aliam, *Rota par.* 9. *tom.* 1. *decis.* 28. *num.* 16. Itaque esto Coloni Fratrum sint subiecti laicæ potestati quò ad personam, quia possunt puniri, si delinquant non tamen quò ad res, & onera, cum super his expressè sint exempti, non in alijs, in quibus sunt subiecti. 5 6 7

Quamuis Coloni, & eorum Patroni Regulares soluant modò subsidium Triennale

de

de quo fit mentio in dicta Bullà Pij V. eximentis vtrosq; à solutione dicti subsidij, non ideotamen licet inferre, quod dictæ Bullæ in cæteris sit derogatum, quia in odiosis stricta interpretatio est facienda, cum derogatio sit stricti iuris, *Crauета conf. 26. num.*
8 *7. Duranus decis. 48. num. 18.* Literæ enim Apostolicæ, quæ mandant, trienale subsidium dari etiam per exemptos, extendendæ non sunt ad alia onera, de quibus non fit mentio in illis literis, cum Priuilegium Pij V. in cæteris debeat remanere inoffensum, quia derogatio debet restringi ad casum expressum, cum vt limitata non possit producere nisi effectum limitatum *l. In agris, ff. de aquir. rer. dom.* nec debet tamquam odiosa extendi ad alios casus, *Cephal. conf. 186. num. 67. Alciatus lib. 5. conf. 41. num. 11. Rota part. 4. tom. 2. decis. 347. num. 6. & seq.* Itaque solutio subsidij triennalis non debet Colonis, nec eorum Patronis præiudicare in cæteris exemptionibus, vnde super his nequaquam molestandi sunt, & in casu contrauentionis intimentur molestantibus pœnæ in dictà Bullà expressæ.

CONSILIVM XVI.

An simplex Sacerdos possit recipere Puerperam in Ecclesiam post partum.

Vidam Sacerdos non habens curam animarum in Oratorio subiecto Parochiali purificauit Puerperam iuxta ritum Ritualis Romani, numquid id potuit facere ritè, & licitè sine licentiâ Parochi intra cuius Parochiam situm est Oratorium?

1 ℞. Non potuisse licitè exercere talem actum spiritualem sine licentiâ Parochi, quia id est munus ad ipsum Parochum spectans, nam omnes ritus, benedictiones, & functiones, quæ referuntur in Rituali Pauli V. spectant ad eos Sacerdotes, qui habent curam animarum, vt colligitur ex Bullâ

2 incip. *Apostolica Sedi* 83. registrata initio eiusdem Ritualis his verbis: *Ritus, qui in Sacramentorum administratione, alijsq; ecclesiasticis functionibus seruari debent abijs, qui Curam animarum gerunt*. Sed inter alios ritus, & sacras functiones, quæ fiunt à Parochis, numeratùr etiam purificatio Mulierum post partum, ergo hæc functio spectat ad Ius parochiale, quam sibi vsurpauit ille Sacerdos, dum non habuit licentiam à Parocho, neq; ab Episcopo.

3 Confirmatur, quia Sacerdos in receptione huius Ordinis Presbiteratus duas tantùm potestates recipit, nimirum in corpus Christi verum, quæ consistit in consecratione Corporis, & Sanguinis Christi, & in Corpus Christi misticum, quę cõsistit in cõfectione, & administratione Sacramentorum, & sacramentaliũ pro necessitate, & vtilitate Fideliũ, qui vocantur Corpus Christi mysticum; quoniam autem administratiò Sacramentorum, & Sacramentalium dicit quandam relationem superioritatis, & subiectionis inter Ministrum, & Fidelem, cui ministrantur Sacrmenta, vel Sacramentalia, necesse est ad constituendam huiusmodi relationem, quod Minister populum fidelem habeat sibi subiectum; constat autem hanc subiectionem fundari in Ministro superiore, cuiusmodi est Papa, Episcopus, & Parochus, qui 4
dicuntur Ministri, & Superiores ordinarij habentes sub se populum, quare Sacerdotes simplices ministri esse non possunt, nisi ab vno ex illis habeant hanc potestatem, & licentiam per quam habeant relationem superioritatis gratiosæ erga indigentes eorum ministerio vti eorum subditos in fauorabilibus. Hinc est, quòd nullus Sacerdos sine licentiâ ab vno ex illis nullum potest administrare extra necessitatem Sacramentum, nec Sacramentale, cum nullum dicat respectum ad Corpus Christi misticum, cum nondum sit eius subditum. Quare ille simplex non potuit licitè purificare illam Mulierem, quam nihilominus validè benedixit, ea enim licentia solum necessaria est ad licitum vsum, ne perturbetur iurisdictio Parochi, qui intentionem habet fundatam in iuro, ne quis sibi vsurper Functiones parochiales, inter quas hæc numeratur vt dixi initio; Parochus ergo habet assistentiam iuris intra fines suæ Parochiæ super Iure parochiali, *Abbas in cap. Dilectis Vers. Sed du* 5
bitatur, de offic. ordin. Barb. lib. 1. de iure eccles. cap. 20. *num.* 42. & dicitur habere ius vniuersale intra limites suæ Parochiæ *Rota part.* 5. *tom.* 1. *dec.* 37. *num.* 6.

CONSI-

CONSILIVM XVII.

An Clerici soluant Calmerium panis facti, & cocti per Furnarium ad Massarium.

1 NVce clarius est à laicis grauari non posse Ecclesiasticos, vt prohibetur in Bullâ Cœnæ Domini excom. 18. his verbis: *Quique collectas, decimas, tales, præstantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & alijs Personis ecclesiasticis ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum ecclesiasticorum bonis, illorumq; fructibus, redditibus, & prouentibus imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt. Nec non qui per se, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunq; sint præeminentiæ &c.* Volui expressa verba Bullæ rescribere, vt ex illis quisq; clarè colligat, & fateatur, Clericos non teneri soluere Calmerium, hoc est, viginti quatuor solidos pro quolibet sextario farinæ frumenti tradito Furnario ad sibi fabricandum, & coquendum panem, nam hoc est illis directè imponere onus ad quod non tenentur, cum enim sit impositum Calmerium hoc per Potestatem laicam nullo modo afficere potest Ecclesiasticos, contra quos Potestas laica nullam
2 habet Iurisdictionem, itaque non possunt grauari nec directè, nec indirectè ex prædictis. Et in hoc conueniunt omnes, cum Bulla ex dictis mox, & in alio loco decernat, nulla esse statuta, & ordinationes facta à laicis contra Ecclesiasticos, quæ eorum Immunitatem directè, vel indirectè tacitè, vel expresè, & quomodolibet lædunt, deprimunt, vel restringunt, vel eorum Iuribus præiudicant, vt facit præsens prohibitio, ne aliquis Furnarius fabricet, & coquat panem sine Calmerij solutione, si enim eius vsus consistens in exactione referatur ad Ecclesiasticos, nulli dubium est, illud esse omninò nullum respectu Clericorum.

3 Sed quoniam Aduersarij prætendunt solutionem huius Calmerij fieri posse sine læsione Immunitatis ipsorum Clericorum, distinguentes tres modos, quibus grauantur Clerici, nimirum, directè, indirectè, & per consequentiam, seu remotè; respectu primorum duorum modorum grauatur, & læditur eorum Immunitas, & ideo prohibetur statutum, impositio oneris, & illius exactio, vt patet expresè supra, & notat *Cardin. de Lugo disp. 36. de Iust. num. 133. Bonac. disp. 1. Bulla q. 19. p. 1. num. 15.* vbi. 4

Clerici dicuntur grauari indirectè, quando eorum Coloni magis grauantur, quam Coloni laicorum, ex quo non ita facile inueniunt agricolas cultores suorum agrorum aut coguntur viliori pretio eis locare propter illud grauamen. Item cum magis grauantur eorum Consanguinei, onere redundante in eorum Clericos item dum coguntur bona sua vendere laicis. Item dum prohibetur laicis ne molant eorum triticum *ex cap. fin. de Immun. in 6. Suarez. lib. 4. ad Regem Angliæ cap. 33. num. 5. & 6. Idem Lugo num. 136.* per læsionem indirectam intelligir, quando lex non tendit directè ex verbis suis ad grauandos Ecclesiasticos, nihil enim eius præcipit, vel ab eis exigit, ab alijs tamen subditis exigit, vel eis præcipit aliquid, specie quidem externâ subditos solum grauandò, vel eis præcipiendo, sed in tali materia, vel talibus circunstantijs, quæ ostendunt id præcipi, vel exigi ad finem grauandi per circuitum illum Ecclesiasticos, quibus directè præcipi non potest. Sunt verba ipsius de Lugo, ex quibus adæquatè infertur, grauamen Calmerij lædere indirectè Clericos, dum enim Prætor suo statuto prohibet ne quis Furnarius panem faciat, nec coquat cuiquam sine Calmerio, certè lædit Immunitatem Clericorum, non directè, quia in statuto non nominantur, sed indirectè per circuitum illorum verborum, quia Prætor bene scit, Clericos viuere sicut laicos de pane cocto, & non fabricare, & coquere panem in proprijs laribus, sed per Furnarios, sicut faciunt laici, prohibentur ergo Furnarij exercere officium suum sine Calmerio, vt hoc sine Clerici indirectè grauentur, & cogantur soluere Calmerium. Et 5
in dubio præsumitur ita fieri ad grauandos Clericos, *cap. fin. de Immun. in 6. de Lugo cit. num. 137. Angelica V. Immunitas 42.* vbi quòd id fit ad extorquendum pecuniam à Clericis, quatenus alio modo non possunt, nempe directè exigendo ab eis Calmerium, faciunt exigere à Furnario sub specie mercedis illius, vt deinde tribuant Datiarijs. Siue ergo hoc Calmerium à Datiarijs immediatè exigatur à Clericis, quòd est directè eorum Immunitatem lædere, siue extorqueant ab ipsis Furnarijs, quod est grauare indirectè ipsos Clericos, quia in tali

tali casu Furnarij vel augent mercedem, vel nolunt seruire, manifestè læditur, deprimitur, & restringitur indirectè eorum Immunitas.

Solent communiter Furnarij pro pretio sui laboris retinere sibi crescimoniam farinæ panis cocti, consignando Clericis tot libras panis, quot farinæ ab eis Furnarij receperunt, hoc enim ex communi praxi censetur pretium æquale, & iustum respondens labori, & coctioni panis. Quo posito tamquam certo, positum Calmerium non potest deduci ex pane tradito Clericis, nec ex eorum pecunia, quia id esset eos directè grauare, & lædere eorum Immunitatem contra Bullam; nec grauari possunt in illà crescimonià, itaut Furnarius dicat, se nolle illis seruire, nisi pretium crescimoniæ, quæ contingit ex permixtione aquæ cum farinà, augeatur, quia tunc indirectè læditur eorum Immunitas, alioenim fine non petitur auctio prætij, nisi vt satisfaciat Datiarijs. Restat ergo, quòd si hoc Calmerium iustum est, de quo dubitatur, vt mox dicam, vt à solo Furnario soluatur de illa crescimonià, & non de re ipsorum Clericorum, qui ad nihil tenentur, Datium enim soluitur de re proprià, non de re alienà ab eo, qui reuerà obligatur illud soluere.

7 Cardinalis de Lugo *num.* 156. cum Sanchez, & Molina dicunt, gabellam non deberi per Pictores, & Tinctores præstantes tantum suas operas alijs exhibentibus materiam, quia non est rei alicuius venditio, sed pura operarum locatio. Ergo à simili prorsus idem dicendum est in casu nostro, in quo Furnarius solum artificium ponit, & nihil materiæ, quæ tota ponitur à Clericis, quare casus de hoc Calmerio redditur valdesuspectus, & videtur inauditum, & irrationabile, quòd quis soluat Datium de labore manuum suarum, dum laborat ad sustentationem vitæ suæ, & non negotiandi causa, quæ est radix imponendi, & exigendi gabellam.

Dices, farina in fabricatione panis transit sub dominium Furnarij, & alterius fit naturæ, vnde commixta cum farinà alienà perdit Clericus eius dominium.

℞. Neutrum transire, non quidem dominium, quia quilibet contradicit huic confusioni, & dominio in suis rebus manducabilibus, sed intendit, & vult comedere panem de suo frumento tali numero, & hoc omnes prohibent Furnarijs ad Massarium coquentibus, & prudenter, quia farinæ non omnes sunt eiusdem bonitatis, & perfectionis, & Furnarius miscens farinas diuersorum facit illarum Dominis iniuriam, dum vna est melior alia. Datà etiam confusione, non video, quomodo deduci possit Calmerium, cum Furnarius debeat restituere tot libras panis, quot libras farinæ recepit, aliter læditur Immunitas Clericorum.

9 Natura verò farinæ non mutatur in aliam rem substantialiter, sed solum accidentaliter, est ergo frumentum, farina, impanatio, & panis coctus eadem res in substantia, nam farina est frumentum comminutum, & in puluerem redactum, adeo quòd materia, & forma substantiales tamquam formæ intrinsecæ remanent in pane cocto, cui superadditur tantum forma accidentalis, vnde pani coctus adhuc dicitur panis de frumento, in artificialibus enim, sicut in naturalibus eadem materia & forma numero manet, ligni enim, materia, & forma remanent in Scamno, & frumentum in sua substantia in pane cocto, mutatis solùm accidentibus. Quare cum panis coctus sit proprius Clericorum, sicut farina, & frumentum, quod in re substantiali sunt idem, nullam potest recipere gabellam, aut Calmerium, quin lædatur Immunitas eorum. Impossibile ergo est onerare frumentum, farinam, aut panem Clericorum sine læsione Immunitatis.

10 Confirmatur, quia in emptione vini, salis, carnis non soluunt gabellam superadditam pretio, earum rerum venalium, sed sunt Ecclesiastici exempti Parmæ vbi controuersia est de Calmerio, & sunt etiam exempti à molationis frumenti datio, vt notum est, & tradunt communiter Doctores, quorum decem refert, & sequitur *Rota par. 7. Recent. decis.* 159. *num.* 8. Et hoc fit, quia prohibetur iure non solum communi, verum etiam per Bullam Cœnæ, ad euitandam censuram Excommunicationis. A fortiori in præsenti casu debent omninò esse exempti, in quo non agitur de emendà re alienà, quæ est capax gabellæ, cum sit laicalis, & venalis, sed de fabricatione, & coctione proprij panis ad sustentandam propriam vitam, non ad vendendum illum.

Varia adducuntur exempla, per quæ ostenditur, Clericos grauari in gabellis, non contra Bullam, quia eorum Immunitas non læditur directè, nec indirectè, sed tantùm in consequentiam, & remotè, quod cum sit quædam materialis læsio à sacris Canonibus non consideratur, nec prohibetur, licet carius emant panem à Furnario publico, pannum à mercatoribus &c. propter gabellas, quæ earum rerum pretium augent. Ita accidit in Calmerio panis empti à Clericis vel ab eisdem cocti per particulares Furnarios.

11 Ad hæc respondeo, valorem rerum venalium augeri posse dupliciter attentis circunstantijs quibuscunq; etiam gabellarum, ex quibus augeri potest pretium, quod non excedat limites iusti. Primò si augeatur in confuso tamquam nouum pretium, & in hoc sensu

sensu Clerici ementes panem coctum carius quam non emerent, si illius pretium non fuisset constitutum ex circumstantia gabellę simulcum alijs, non dicuntur grauari directè, nec indirectè, quia pretium est iustum, ad quod Clerici quoq; tenentur, non ex vi Calmerij, sed de iure naturæ Iustitiæ commutatiuæ. Et hoc est, quod docet de
12 *Lugo num.* 142. & alij dicentes, gabellam esse partem pretij, *ex allatis Doctoribus à Thoma dal Bene de Immun. par.* 1. *cap.* 5. *disp.* 7. *sect.* 9. *num.* 3. *& praced. sect.* 1. *num.* 27. *&* 28. tale pretium non esse illicitum, licet inde resultet, quòd Ecclesiastici carius emant, quamuis ibidem plerіq; velint Clericos grauari indirectè, sed stemas cum primis, quia iustum pretium neminem grauat.
13 Secundo modo, quando scilicet antiquo pretio additur vnus, vel alter solidus, vt est in vsu addi carni, & sali impositione gabellæ, tunc cum huiusmodi additio propriè pretium non sit, dum non est constitutum ex pluribus circunstantijs in confuso, gabella non potest dici pars pretij, quare Clerici ad hoc pretium non tenentur, cum adhuc gabella sit, & non verè pretium, nisi iniquum respectu Clericorum, hinc est, quòd illis, vt supra dixi, datur exemptio ab huiusmodi auctionibus, cum sint reuerà gabellæ. Et hac ratione conciliari possunt Doctores, vt qui negant, gabellas esse partes pretij, intelligendi sint, vbi sit additio antiquo pretio, affirmantes verò loquantur de pretio constituto confusione omnium circunstantiarum etiam gabellarum, quod cernitur in pretio tum naturali mercatorum, tum legali, vt in pretio panis venalis.
Modo ad rem nostram, hæc applicari non 14 possunt ad Calmerium pro impanatione, & coctione panis, quia in casu nostro non agitur de venditione, neq; de rebus venalibus secularium respectu Ecclesiasticorum, ementium, sed de farina propriâ Clericorum, non venali, restituendâ in pane ipsis Clericis, quib. Furnarij non vendiderunt aliquid, sed suas operas eisdem locarunt, impossibile ergo est, quòd hic locum habeat læsio materialis, & in consequentiâ, atq; remotè, sed proximè directè, vel indirectè hoc Calmerium lædit eorum Immunitatem ergo pro Datiarijs sententiandum non est, cum ea sententia expresse futura sit contra Bullam, & in graue præiudicium Ecclesiasticorum.

Quòd si Iudex ferret Sententiam contra 15 Ecclesiasticos ad fauorem datiariorum, esset reus huius Excommunicationis latæ contra onerantes Ecclesiasticos in suis bonis, quia non tantùm imponit onus, sed etiam per Sententiam illud affigit eorum humeris, & sine dubio dat Gabellarijs auxilium, & fauorem.

CONSI-

CONSILIVM XVIII.

An moniales nunc exire possint sine licentia Sedis Apostolicæ.

1 Exitus Monialium duplex esse potest, vel ad malum finem, vt ad luxuriandum, iurandum, occidendum &c. & in hoc casu nullus, nec Papa ipse talem licentiam concedere potest, quia de se malum est, quod non potest esse vbiectum mouens Superiorem ad concedendam licentiam, & si de facto concederet nullius momenti esset.

2 Vel ad finem bonum, & licitum, qui subdiuiditur in voluntarium, vt exire ad recreandum animum, ad visitandum consanguineos, & quid simile faciendum, quod non habet adiunctam necessitatem, & in his casibus, præter Papam, nullus potest concedere exitum Monialibus. Et in necessarium, vt si casu magnum incendium suborsum sit in Conuentu, vel aliqua Monialis laboret Epidimià, vel Leprà qui tres casus exprimuntur in Bullà Pij V. incip. ***Circa Pastoralis* §.** in ius casibus, & alijs grauioribus, in quibus periculum est in morà, causà cognità Superior, cui Moniales subsunt, & Episcopus simul licentiam in scriptis excundi concedunt.

In alijs casibus, in quibus nullum est periculum in morà, vsus obstinuit, vt recurratur ad sedem Apostolicam, vt practicatur, & sacra Congregatio decreuit. 3

4 Primò igitur necessaria est licentia sedis Apostolicæ quando Monialis transit ad aliud Monasterium vt ibi sit Abbatissa, vel aliter officialis. ***Bonac. de clauf. q. 1. p. 9. num. 7. Tambur. de iure Abbatiss. disp. 20. q. 2. num. 9. Pelliz. cap. 5. de Monial. sect. 2. num. 47.***

Secundò, nec transite potest, vt profixeatur in secundo Monasterio etiam strictiori. ***Barbosa lib. 1. de iure Eccles. cap. 44. num 76.*** Tambur. disp. 21. q. 2. num. 7. 5

Tertiò, nec causà correctionis, & punitionis. ***Barbosa in decis. Apost. Collect. 512. num. 5. Tambur. disp. 21. q. 3. num. 4.*** 6

Quartò, nec totum Monasterium, aut pars transire potest ad nouum Monasterium inhabitandum, aut introducendam regularem disciplinam. ***Barbosa cit. Collect. num. 2. & 7. Tambur. disp. 21. q. 10. num. 6.*** 7

CONSI-

CONSILIVM XIX.

An Exactor alienæ pecuniæ sibi furatæ teneatur:

1 Vicarius Foraneus rogatus fuit à Subcollectore, vt exigeret sex Decimas à Beneficiarijs subiectis suo foro. exactas fures abstulerunt de nocte fractâ capsâ, dum Vicarius erat pro suis negotijs Ticini, relictâ seruâ vetulâ pro custodiâ domus, quæ dormiens nihil audiuit. Numquid Vicarius tenetur de suo redere rationem, & soluere Subcollectori?

2 ℞. Negatiuè, quia furtum hoc ex parte Vicarij fuit omninò casus fortuitus, qui non potuit præuideri à Vicario, casus autem fortuitus obligat solùm in tribus casibus, quando scilicet præcessit mora, culpa, & pactum ex communi Doctorum cum summa Angelica *V. Casus fortuitus*, *Bonac. disp. 3. de contr. q. 1. p. 6. num. 21.* & in hoc nullus contradicit; constat autem vt suppono D. Vicarium non fuisse in morâ, nec in culpâ, nec Subcollectori promisisse se velle stare casibus fortuitis, ergo ad nihil tenetur.

3 Et probatur, quia culpa afferi non potest in hoc casu, cum constet de diligentiâ, dum in eodem scrinio cum suis custodiuit pecunias exactas pro Subcollectore, eoq; fracto fures vtriusq; pecunias sustulerunt de nocte. Et licet perrexerit Ticinum pro suis negotijs, non ideo culpandus est, quia domi, & ad custodiam reliquit seruam, quæ quamuis de nocte dormiens nihil audiuerit, hoc nihil vrget, quia de nocte nemo tenetur vigilare, sed sufficit bene domum claudere, vt fecit. Ab fuit ergo culpa, & negligentia. Deinde supponamus aliqualem culpam, non tamen latam, nec dolum, adhuc ad nihil tenetur, quia in contractibus, in quibus nihil est vtilitatis, quis non tenetur, nisi ad dolum, & latam culpam, vt docent omnes cum Castropal. *disp. 3. de Iust. p. 7. num. 1. de Lugo disp. 8. num. 89.* in materia depositi. Mora 4 hic non habet locum, quia exactio nondum erat completa. Nullum quoq; præcessit pactum, sed simplex imploratio seruitij. ergo &c.



CONSILIVM XX.

An Minor renuntians suis bonis ingressurus Religionem egeat venia ætatis?

1 PVuenis N. minor ætatis cum sit solum in decimo quinto suæ ætatis anno constitutus, coram Iudice decretum interponente omnibus suis bonis renuntiat in fauorem consanguineorum, cum pacto, vt annuam pensionem duodecim Scutorum singulis annis sibi soluant; emissà Professione in Religione Carmelitana. Et hanc dispositionem fecit ante ingressum, & receptionem habitus Nouitiorum. Dum autem manebat cum habitu in probatione illo bimestri ante Professionem aliam fecit renuntiationem similem priori, sed auxit pensionem, quam sibi constituit annuam quatuordecim ducatonorum.

2 Dubitatur hic *Primò*, an prior donatio valeat, ac proinde si valet, donatarij teneantur solum ad priorem pensionem? *Secundò* si vtraq; valeat, an pensio soluenda sit iuxta posteriorem donationem.

3 ℟. Prior donatio non valet, vtique secunda, quia hæc habet omnia requisita, non illa. Nulla ergo est prior donatio, quia licet sit facta cum decreto Iudicis, & curatore, tamen caret rescripto Principis, quod de stilo solet impetrari ab omnibus volentibus ingredi Religionem, quando renuntiant ante susceptionem habitus, ergo de-
4 fectu huius rescripti nulla est; Confirmatur, quia actus gestus sine formà, & solemnitate requisità est nullus, ex allegatis à Barbosa *Axiom.* 12. *num.* 24. Sed ista renuntiatio facta fuit sine rescripto Principis, quod pro formà, & solemnitate habetur, ergo nulla est.

Secundæ verò renuntiationi nihil opponi 5
potest, cum sit facta cum omnibus solemnitatibus à Concilio requisitis, ergo hæc obtinet suum vigorem, ac proinde consanguinei huic Religioso debēt soluere pensionem ad tenorem secundæ renuntiationis, non autem primæ, cuius nullæ sunt vires.

Nec obstat, quòd per posteriorem non 6
fuerit cassata prior donatio, id enim opus non fuerat, ex quo de se nulla erat defectu rescripti, cassatio enim, & reuocatio non cadit super actum nullum, & carentem esse, sed super existentem in suo esse, quod potest esse obiectum reuocationis, nihil enim contra se aliquem effectū habere nō potest, cum non entis nullæ sint actiones, & passiones, ex vulgatis iuribus.

Quod si ambæ admittantur validæ, dum 7
vna alteri non aduersatur, quia vtraque dispositio quò ad fauorem consanguineorum est omnino eadem, soluenda erit pensio grassior, & pinguior, quia secunda dispositio debet operari suum effectum quò ad excessum respectu primæ, pensio enim est accessoria dispositionibus, ergo illis subsistentibus, etiam subsistere debet vtraq; pensio sub ratione vnius in illo augmento.

CONSI-

Digitized by Google

CONSILIVM XXI.

An Professus possit declarare suum Testamentum?

1 Religiosus professus quamuis non possit testari, *ex Auth. Ingressi C. de Sacros. Eccl. cap. 2. de testam.* Tamen nihil prohibet, quin possit declarare Testamentum à se factum, quia id testari non est, cum declaratio nihil ponat in esse, vt facit condens Testamentum, sed interpretans quod obscurè inerat declarat, *l. He-*
2 *res palam 21. §. Si quid ff. de testam.* ibi: *Nihil enim nunc dat, sed datum significat.* Et facit ad rem presentem *l. Adeo 7. §. cum quis, in fine ff. de aquir. rerum domin.* ibi: *Qui excutit spicas non nouam speciem, sed*
3 *eam, quæ est detegit.* Quare cum Religiosus per actum interpretatiuum suæ mentis ad formam verborum, & iuxta eum verum sensum, quem recipere possunt, nihil renuntiet, nihil tribuat, nihil det, sed quod iam renuntiauit, tribuit, & dedit, declaret, & factum dubium de obscuro reddat clarũ, vt necessarium est, poterit sine vllo Conscientiæ suæ scrupulo declarare mentem suam ad verum sensum, quem patiuntur verba in Testamento dubiè expressa in suo sensu, nullus enim melius mentem suam declarare potest expressam in verbis dubijs, quam ipsemet testator, qui non vtitur coniecturis, sed veritate mentis suæ, quæ talis fuit ab initio, qualis postremò declaratur.

4 Confirmatur, quia si aliqua est ratio dubitandi, quòd Professus non possit declarare suum Testamentum, maxime quia vel facit contra votũ Obedientiæ, vel Paupertatis, vel præiudicat tertio. Nihil horum obstat, non primum, quia si habet statutum prohibitorium petat licentiam,& dispensationem à Superiore, qui debet eam dare. Non secundum, quia nullum exercet actum proprietatis, cum nihil sibi vsurpet, vel alteri nunc det, & preterea merum actum intellectum exercet, qui non violat votum paupertatis, quod per actus voluntatis violatur. Non tertium, quia nunc non disponit, sed declarat quod aliàs disposuerat sine alicuius præiuditio, cum esset dominus dispositorum in Testamento. Confirmantur prædicta, quia declaratio retrotrahitur ad diem factæ dispositionis, *Glos. in cap. cum tu, de Vsur. Surd. decis. 70. num. 2.* ac proinde declaratio censetur ac si esset facta, eo primo die, quo Testamentum conditum fuit. 5 6

Procedunt dicta respectu cuiuslibet Professi etiam Capucini, non obstante eius rigorosâ Paupertate, quæ in nullo læditur, cum declaratio Testamenti sit actus intellectus, qui minimè potest producere vitium proprietatis, quia à sola voluntate procedit.

Ita Sanchez *lib. 7. cap. 11. num. 16. & Rodriq. tom. 3. q. 69. art. 3. Reginald. lib. 18. num. 397. Portellus V. Nouitius num. 44. Vebius disp. 8. de Nouit. dub. 12. num. 2. cum Peyrino de Prelato q. 3. cap. 1. num. 209.*

CONSILIVM XXII.

An Matrimonium teneat inuito Parocho?

1 Matrimonium contractum inter Chrisantum de Montechijs, & Catarinam de Iulianis Bononienses sine dubio est validum, quia in eo concurrunt omnia necessaria ad eius valorem iuxta dispositionem Tridentini *sess.24.cap.* 1. nimirum consensus contrahentium, de quo nullatenus dubitatur, præsentia Parochi, & testium sub suâ formali ratione, vt probatur ex depositione eorum factâ in processu pro hac causâ in Archiepiscopatu Bononiæ in ordine ad punitionem contrahentium sine præmissis publicationibus ad præscriptum Concilij Matrimonium contra voluntatem Parochi.

2 Nam primò Parochi presentia fuit formalis, quia intellexit factum contrahentium à principio vsq; ad finem, nam ipse examinatus deponit, quod quidam Iuuenis volebat recipere in vxorem quandam iuuenem, post hæc descendit in Ecclesiam, & dicit deponendo verba illorum in Ecclesia: *Che intendeuano di pigliarsi per marito, & per moglie, & così quel giouine prese la mano di quella donna, ma non mi ricordo le parole precise, che dissero, ma sonauano in quelle, che ho detto di sopra, ò somiglianti, il qual atto di toccar mano veduto da me subito mi turbai d'animo, & li voltai le spalle, senza volerne saper altro---S'intendeuano di prendersi per marito, & moglie.* Mulier respondit eadem verba. Ex his manifestè patet ipsum vti præsentem formaliter, intellexisse totum factum spectans ad substantiam Matrimonij, ac proinde ex hoc capite Matrimonium tenuisse.

3 Nec obstat, quòd dicat, se contrahentes non agnouisse, immo nec mulierem potuisse cognoscere, quia faciem coopertam tenebat, ergo defuit præsentia Parochi, & sic Matrimonium fuisse nullum, *ex Signor. consil.* 149. *Farinac. q.* 4. *num.* 32. Parum enim id refert, sufficit enim quòd intelligat illos velle contrahere Matrimonium, eius enim formalis, & intellectualis presentia refertur solùm ad cognitionem facti, non personarum. Parochus enim ex hoc quòd non cognoscit hanc, vel illam personam habitare in suâ Parochiâ, & suam non esse ouē, suam non perdit facultatem assistendi Matrimonio; & cum præterea Matrimonium non contrahatur in vtraq; Parochia diuersorum contrahentium, sed sponsus regulariter transeat ad Parochiam sponsæ, vbi vt plurimùm est ignotus, sequeretur Matrimonium esse nullum, quando sponsus est illi ignotus quò ad personam, quod est falsum; itaq; non est necessaria Parocho notitia personæ, sed cognitio negotij, quod faciunt, vt de eo possit testificari.

Quare, quod à Farinac. dicitur cum Signorol non habet locum in casu nostro, in quo contrahentes non litigant, vt in his terminis loquuntur Signor. & Farinac. qu. *num.* 36. ait, in causis ciuilibus litigantium admitti testes ignotos, non autem in criminalibus, eo magis admittendus est Parochus in casu nostro, cum causa sit ciuilis, & inter eos nulla sit litigatio, sed mutua concordia, vt exigit verum Matrimonium. 4

Fuit ergo Matrimonium hoc validum ex capite præsentiæ Parochi, quæ fuit formalis, & intellectualis facti Matrimonij ab illis, non obstante, quod turbatus fuerit, & dixerit *Non volerne saper altro*, quia hæc, & similia verba non tollunt dictam præsentiam, etiamsi ibi per vim detentus fuisset, ex communi cū Barbosa *ad hoc cap. n.* 74. aut dolosè adductus, de communi, ibidem *n.* 75. 5

6 Testes duo vocati fuerunt, qui præsentes intellexerunt Matrimonij consensum mutuum præstitum inter Chrisantum, & Catarinam, quia id deponunt sub illis verbis: *Chiamo Iddio* dixit sponsus, *in testimonio V.P. & questi Signori, che sono, qui presenti, come io sposo la Signora Catarina Giuliani, & subito lo viddi, che li misse l'annello in dito, & Crisanto disse alla detta Catarina, se era contenta, & lei rispose ad alta voce, ch'era contenta* Per hæc verba exprimitur consensus in Matrimonium, nam illa verba *Io sposo* latinè *despondeo* important Matrimonium *cap* 1.15.22. *de spons. & matr. & cap. Tua nos* 26. *& l.* in terminis, ibi. *Te Iohannes desponsat.* Ergo nullatenus dubitandum est quin illa verba significent verum, & validum Matrimonium completum, & perfectum per eorum mutuum consensum Vide Sanch. *lib.* 1. *c.* 18. vbi dicit *n.* 10. verba quò ad sonum, & significationem de præsenti indicare Matrimonium; tale est verbum *Io sposo*, despondeo & c. & de hoc verbo ibidem *num.* 13. *Vers. Dicendum.*

Itaque cum Matrimonium sit omninò validum instruendus est Pater dicti Chrisanti ne vlterius procedat, sed illi det libertatē, vt possit cohabitare sponsæ, seu vxori suę, ad quam habet ius, & ita facere in conscientia tenetur, quia filius quò ad statum Matrimonij est sui iuris.

CONSI-

CONSILIVM XXIII.

An ſcriptura priuata anterioris Creditoris præferatur poſteriori ex Inſtrumento.

Enefius N. anterior Creditor Mimi de 400. Scutis ex ſcriptura priuatâ recognitâ, & approbatâ, præfertur quibuſcunq; alijs Creditoribus poſterioribus etiam ex Inſtrumento.

1 Certum enim eſt, quòd ſcriptura priuata recognita probat, *Innocent. in cap. 2. de fide inſtr. num. 1. Doct. in l. fin. C. de fide inſtr. Rota par. 5. tom. 1. dec. 274. num. 16.* & tantam fidem habet, quantam publicum Inſtrumentum, *l. Publica ff. de poſ. §. Si quis igitur, Crauetta conſ. 73. fine, Surdus decif. 265. num. 27. Rota par. 7. decif. 55. num. 10.* Cum ergo paria ſint, & par in parem non agat, obſtante virtutis æqualitate, ſequitur, quòd in noſtro caſu attendenda ſit anterioritas ex potioritate Iuris, ac proinde ſcripturam Geneſij præferendam eſſe Inſtrumentis aliorum, dum in ſuis rationibus ſpecialibus æquiparantur, ex eo, quòd qui prior eſt tempore potior eſt iure.

2 Quod maximè attendendum eſt, quando priuata ſcriptura fuit autenticata à Iudice, vt in caſu noſtro, datâ per eum ſententiâ illius intuitu ad fauorem Geneſij, *ex ijs, quæ habet Seraphin. decif.* 1221. *num.* 4. & cum tranſierit in iudicatum executioni etiam demandata, cuius virtute ſolutum fuit dimidium debiti, non poſſunt poſterio-
3 res creditores in reliquo illi præiudicare, quando enim anteriori creditori bona debitoris ſunt hypothecata, alij poſteriores nequaquam agere poſſunt viâ executiuâ contra bona priori creditori obligata, *Rota par. 4. tom. 3. decif. 613. num.* 11. Et licet Ge-
neſius fuerit ex parte ſatisfactus tamen pro- 4
pter id non fuit extincta hypoteca, quæ durat quouſq; integrè creditori ſit ſatisfactum, *Rota par. 6. decif. 161. num.* 26. Immo Geneſius ad ſe auocare poteſt pecuniam, ſi extat, à poſteriore creditore, ſi eam ſoluit debitor in proximo decoquendus, ex eadem *Rota par. 8. decif. 13. num.* 130.

Næc prædictis obſtat *l. Scripturas* 11. *C. qui potiores in pignor.* vbi in concurſu creditorum præfertur poſterior ex Inſtrumento.

Quia, vt colligitur ex eodem textu id
procedit, quando ſcriptura ſuſpecta eſt de 5
fraude antidatæ ad decipiendos alios Creditores forſan priores, vnde ceſſante præſumptione fraudis, ſcriptura præfertur Inſtrumento ex verâ anterioritate, quia debet tunc ceſſare diſpoſitio dictæ legis, quæ in fine ſcripturam priuatam veram, & legitimam æquiparat publicæ, quæ proinde eſt præferenda ex ſua anterioritate Inſtrumento poſteriori. Ita *Bald. lib. 1. conſ.* 198. *nu.* 3. *Caccialup. in l. Admonendi ff. de iureiur. num. 65. Franchus decif. 95. num. 8. Sfortia Oddus conſ.* 110 *num. 65. ex illis Merlin. decif. 135. num. 3. Gargiar. lib. 2. conſ. 45. num. 7. Seraph. decif. 875. num. 2. & decif.* 1221. Et de hoc non eſt dubitandum in caſu noſtro, quia apparet, dictum Mimum contraxiſſe debita, poſtquam per Sententiam fuerat condemnatus ad ſolutionem dictorum 400. Scutorum.

CONSILIVM XXIV.

An Præpositus manutenendus sit in exercitio functionum, de quibus hic?

Ominus Præpositus manutenendus est in possessione non canendi Missam post benedictiones Cinerum, & Palmarum per ipsum solemniter factas, cum eam sibi legitimè præscripserit etiam vltra decenniũ, nam quò ad actiones, & functiones tam positiuas, quam negatiuas inter præsentes decennio præscribuntur, inter absentes vi-
1 cennio, *l. fin. C. de prescript. longi temp. Paulus de Castro in l Seruitut.ff.de seruit. 4. col.pen. Anton.Gomez tom.2.var.cap.15.nu. 26. & 27. Castropal. de iust. p. 22. §. 13. num. 6.* Probata ergo decennali possessione
2 legitimè præscripta, quod contingit etiam per simplicem attestationem extraiudicialem personæ vnius exceptione maioris, *Ottobon. decis. 9. num. 6.* lite etiam motâ non obstante, manutenendus est etiam nunc in possessione non canendi, in qua nunc reperitur, cum ius habeat perfectè acquisitum, *instit. de interd. §. Hodie, Seraph. decis.*
3 *1417. Merlin. decis. 151. num. 4. Ottobon. dec.8.num 3.* Nam in manutentione nudum factum, & sola detentio consideratur, *Castrens. in l. Aquilius ff. de donat. num. 5. Rota p. 5. Recent. decis.97. num. 10. & par. 9.*
4 *decis. 277. num. 4.* Ex quo sicut leuior, & facilis est probatio ex parte rei, ita & Iudex faciliorem, & promptiorem se exhibere debet in manutenendo, cum in præsenti casu nulli fiat præiudicium, dum hoc ius habet sibi quæsitum, & nulli nocet.

Quantùm spectat ad renuntiationem iuris non canendi quæsiti, dico, quòd si dispositio canendi solemniter Missam ad formam Noui Ceremonialis (Quod hactenus non vidi) sit præceptiua, & derogatiua quoque consuetudinis, ita quòd Præpositus teneatur cantare solemniter missam ex iussione Noui Ceremonialis, vsus illius mixturæ
5 legis, & consuetudinis, non licet, *primò* quidem, quia par obligatio est in Præposito & Canonicis, si ergo ille solemniter canit missam, isti tenentur deseruire in Paramentis diaconalibus, & subdiaconalibus, dum hanc solemnitatem vtrisque præscribit. *Secundò*, irrationabile est, quòd vnus subdatur legi, & non alter, dum lex de vtrisq; loquitur, quia diuerso iure non debent censeri, qui sub eodem iure compræhenduntur,
6 *Cap. cognouimus 29. 12. q. 2. cap. quia circa 22. de priuileg. Tertiò*, correlatiua non sunt iudicanda ad impiria, *ex vulgatis iuribus allegatis à Barb. Axiom. 61.* Sed Præpositus, & Canonici in solemni celebratione missæ sunt correlatiua, ergo eodem iure, non diuerso censendi sunt, ac proinde debent esse pares in celebratione missæ vnusquisque respectiuè ad suam functionem ad formam Noui Ceremonialis, mixtura ergo illa vti procedens ex diuersò iure non potest hic habere locum. 7

Ad secundam, dum Præpositus in antea semper solemnem dedit Benedictionem cum Sacramento immediatè post Vesperas, licet illæ ab Hebdomadario cantatæ fuerint, nullus ex Canonicis prætendere potest hanc functionem cum exclusione Præpositi. Nam Præpositus ex etimologia vocis est ille, qui præponitur in omnibus functionibus militantibus in sua Ecclesiâ collegiatâ, *ex cap. quamuis 9. de verb. signif.* Certum autem est Præpositum in Collegiatâ S. Prosperi Regij habere dignitatem, cum ibidem habeat administrationem rerum ecclesiasticarum cum præeminentia, & sit quoque caput Capituli Canonicorum ibidem residentium, Præpositura enim est dignitas *Glos. V. Prapositi cap. vt Abbates, de atat. Glos. v. Præpositura de consued. in 6. Gemm. cons. 132.* Ergo cum Præpositus sit super omnes Clericos, & Canonicos suæ Ecclesiæ, isti non possunt prætendere exercitium functionum, quæ ad ipsum ex officio spectant, inter quas est munus benedicendi populum cum Sanctissimo Sacramento, vsurpare enim officium alienum est peccatum mortale, *Megal. 2. 2 lib. 2. cap. 3. num. 9.* 8 9 10

Nec obstat sacra functio cantandi solemniter Vesperas per Canonicum quasi hoc munus dedit illi ius benedicendi in fine Vesperarum. Quia respondetur, cum in Vesperis non præscribatur aliquis ritus benedicendi populum, vt notum est, manifestum est, huiusmodi benedictionem nullam connexionem habere cum Vesperis, ideo cum nec illi accessoria sit, inde est, quòd Hebdomadarius nullum ius aquisierit ad benedictionem, quæ originem habet ex Sacro ritu exponendi Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum publicè adorandum, & non ex celebratione Vesperarum. 11

CONSI-

CONSILIVM XXV

Quid prætendere possit Filius Spurius?

Vamuis ciuili Iure filij, & filiæ Spuriæ natæ ex coitu damnato, scilicet Adulterio, vel Incestu, aut Sacrilegio, excludantur à successione bonorum paternorum ex Testamento, vel ab intestato, immo etiam ab alimentis, non tamen à bonis maternis; nihilominus æquitas Iuris naturalis, quam sequitur Ius Canonicum suadet immò cogit, quòd eis debeantur alimenta etiam à Patre, immo si sunt fæminæ à Patre sunt dotandæ, & ipsis parentibus defunctis, hoc ius alendi, & dotandi transit ad hæredes illorum parentum. Singulæ partes breuiter sunt probandæ.

1 Prima pars, quòd Iure ciuili arceantur etiam ab alimentis paternis, probatur expræsse *per Auth. Ex complexu sub l. 6. C. de incertis, & inutil. nup. vbi Barb. num. 10. citat. Farinac. q. 149. num. 137. Menoch. de arbitr. casu 502. num. 66. & alias.*

2 Secunda pars, quòd succedunt in bonis maternis, est expressa *in l. Hac parte 2. l. Si spurius 4. ff. Vnde cognat. Instit. de success. cognat. l. Si qua illustris S. C. Ad ferrat. consul. Orficianum.* Vbi excipiuntur filij Spurij Matris illustris, qui non succedunt illi, extantibus legitimis. Itaq. istæ quatuor filiæ succedunt cum legitimi filia in bonis maternis, hæc tamen illis præferenda est.

3 Tertia pars, quòd de Iure canonico debeantur Spurijs à patre alimenta, est expressa *in cap. Cum haberent 5. de eo, qui duxit in matr.* in terminis nostris de Spurijs natis ex adulterio vtrinque. Et ita docent plusquam 50. Doctores citati à Barbosa ad citatum *cap. num. 4.* & nullus contradicit; quia ius naturale hoc dictat, vt filij alantur & educantur à parentibus, id enim innatum est omnibus parentibus, vt videmus in eisdem ratione carentibus, Ius ergo Canonicum mitigauit rigorem Iuris ciuilis, quod vsquequaq; non aduersatur Iuri naturæ, dum reliquit illud matri.

Quarta pars, quòd filiæ spuriæ sint dotandæ à patre, traditur communiter à Doctoribus, *quos refert idem Barbosa ad citatum cap. Cum haberent 5. de eo qui duxit. Couar. par. 2. cap. 8. §. 6. num. 11. Hieron. Gabriel. cons. 25. num. 4. & 5. Surd. consil. 210.* Quia fœmina alenda est, & conseruanda tam quò ad honorem, quam quò ad vitam, tam quò ad animam, quam quò ad corpus, ex æquo enim his alimentis eget, ideo adolescentula facta, ne incurrat periculum honoris, & animæ, cum dote tradenda est viro, vel Monasterio, quibus mediantibus eius seruetur honor, & anima. 4

Quinta pars, quòd hoc ius alendi, & dotandi pertineat ad hæredes bonorum parentum illorum possessores, probatur *ad eodem Couar. eod. §. 6. num. 14. Duenas reg. 367. num. 4. Surdo tract. 1. de alim. q. 50. cum alijs Barbosa ibidem num. 5.* Ratio est, quia bona parentum vti obligata filijs etiam spurijs transeunt cum onore alimentorum, & dotis, quæ succedit loco illorum. 5

CONSI-

CONSILIVM XXVI.

An emptio domus ex subhastatione cum enormissimà læsione rescindenda sit cum restitutione domus, & fructuum perceptorum?

1 Titius, qui emit domum subhastatam Sempronij pretio Scutorum 90. à libris septem, & sex solidis pro quolibet Scuto, debitorum per dictum Sempronium Constantiæ creditrici, quæ dictum prætium in satisfactionem sui crediti recepit ab eodem Titio, tenetur in conscientiâ domum restituere, & fructus perceptos vltra 90. scutos cum in ea emptione ad sit enormissima læsio longe vltra dimidium, & si propriæ Conscientiæ immemor noluerit restituere, officio Iudicis cogendus est ad rescissionem contractus, & restitutionem cum damnis.

2 Quòd autem læsio sit vltra dimidium, ac proinde enormissima ostenditur comparatis ad inuicem pretio 90. scutorū ad extinguendum debitum Sempronij, & valoris domus ex fructibus preceptis ex locatione eius, qui sunt scuti annui 23. cum igitur 90. scuti ascendant ad summam lib. 657. & summa 23. fructuum sint 167. 18. & ascendant in ratione 50. pro quolibet milliario, ad summam lib. 3300. & vltra, manifestè apparet enormissima læsio, cum domus, quæ valet 3300. & multò adhuc pluris, vt dicitur sexmille libras, empta fuerit lib. 657. vilissimo pretio.

3 Ex his positis sequitur dictum Titium teneri resarcire damnum illatum Sempronio, cui retentis solum 90. scutis restituere debet domum cum cæteris fructibus. Ita omnes *cum S. Thoma 2. 2. q. 77. art. 1. vbi eius interpretes, cum Castropal. disp. 5. de Iust. p. 7. §. 2. num. 3.* asserentes, emptorem teneri restituere excessum vltra ipsum iustum pretium, *Layman lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 17. §. 1. num. 5. Vers. Vtrum in conscientia foro. Cardinalis de Lugo disp. 26. de Iust. num.* 81. qui loquitur etiam in casu subhastationis, cum communi Doctorum *apud dictum Castropal. cit. §. V. num. 2.* Et nullus contradicit, loquendo in foro conscientiæ.

4 Quod si Titius nolit restituere, Sempronius poterit vti priuilegio *leg. 2. C. de rescindenda vendit.* actione excempto, & vendito, vt communior tenet opinio Doctorum super dictam legem *apud dictum Castropal. §. 4. num. 3.* vbi alij aiunt, Iudicem procedere ex officio, sed hoc parum refert, cum certum sit, ipsum à Sempronio requisitum debere contractum rescindere, cum hoc priuilegium locum habeat etiam in emptione ex subhastatione ex communiori, & veriori sentent. à Doctorum, quos refert Barbosa *ad dictam leg. 2. C. de rescind. vendit. num. 9. & 10. Castropal. cit. §. V. num. 2.* 5

Maximè in casu nostro, in quo agitur de læsione contra minorem, qui restituitur *ex l. Si quidem C. de pradijs minor.* & tamen contraxit auctoritate Iudicis. Pariter Ecclesia vltra dimidium læsa restituitur, ex dicta leg. *& cap. cum dilecti, cap. cum causa, de empt. & vend.* & tamen sine auctoritate Iudicis non alineantur bona Ecclesiarum. 6 Demum Iudicis decretum ad subhastandum operatur ne deceptio, & læsio præsumatur, ergo si verè adest, rescindenda est, quia præsumptio cedit veritati. Sequitur *Rota par. 3. decis. 604. num. 1. part. 4. decis. 406. num. 5.* vbi quòd in subhastatione rerum Minorum requiritur spatium viginti dierum *ex part. 9. decis. 455. num 13.* vbi, quòd non valet consequentia, in subhastatione repertum fuit tantum pro tali re, ergo plus non valet; vel res est subhastata, ergo iusto pretio vendita, relatis Doctoribus. Et in subhastatione Pupillorum bonorum requiritur tutor, quo non præsente subhastatio, & venditio nulla est *Ottobon. decis. 70. num. 6. 7. & 8.* 7

8 Quòd autem præsens læsio sit enormissima patet ex eo, quòd in quadruplo excedit supradictum iustum pretium 3300. cum detracto credito lib. 657. quo empta fuit domus remaneant 2643. libræ, quæ in quadruplo excedunt præfatum pretium lib. 657. hunc excessum læsionis in quadruplum, immo etiam solum in triplum vocant læsionem enormissimam *Menoch. consf. 251. num. 4. consf. 401. num. 153. Bargal. lib. 2. tit. de dolo reipsa num. 9. Fachinetus lib. 2. consf. 72. num. 7. & 8. cum alijs Barbosa ad dictam l. 2. C. de rescind. vend. num. 111.* ergo in vtroq. foro rescindenda est.

9 Dices pro Titio licet contrahentibus se decipere, *l. in causâ lib. 2. §. penult. ff. de minorib.*

minorib. non solùm in foro externo, sed etiam Conscientiæ, vt docent tres Doctores apud dictum Barbos. *num.* 113. ergo Titius ad nihil tenetur, immo & cum is contractus factus fuerit auctoritate Iudicis, vt indicat subhastatio, Sempronius non poterit vti hoc Legis beneficio rescindendi venditionem, vt docent quinq; Doctores relati à Castropal. *disp.* 5. *p.* 17. §. *S. initio*, ea ratione stante, quòd omnia præsumuntur ritè facta, quando interuenit Iudicis auctoritas, vt in præsenti venditione per subhastationem.

10 Sed his non obstantibus omninò dicendum est, non licere deceptionem etiam intra dimidium iusti pretij, multò minus extra, quia ista deceptio, est læsio, quæ est contra Ius naturale, & diuinum, quod mandat, ne quis supergrediatur, neq; circumueniat in negotio fratrem. Paulus 1. *ad Thessal. cap.* 4. *num.* 6. Et ita docent 24. *Legistæ, & Theologi* 15. *relati à Barbosa ad eam legem num.* 114. & 115. *de Lugo disp.* 26. *num* 81.

11 Ad illud *Glos. respondet Suar. lib.* 2. *de legib. cap.* 20. *n.* 4. Licere idest non prohiberi legibus, vbi ex Couar. ait, circumuentionem importare humanam solertiam, & artem in negotiando, non deceptionem, nec dolum, aliter manifestè esset contra præfatum Dei præceptum de non supergrediendo fratrem in negotio. Et ad præsumptionem ex interuentione decreti Iudicis, supra dictum fuit, eam elidi per manifestationem deceptionis, & læsionis enormissimæ, veritas enim illi præualere debet in vtroq; foro.

CONSILIVM XXVII.

An Ecclesia dismembrata gaudeat eisdem Priuilegijs quibus gaudet ea, a qua fuit diuisa?

1 Ratorium Assumptionis B. M. V. villæ Valeræ extra portam S. Crucis Parmæ erectum fuit in Parochialem ex dismembratione Parochialium S. Crucis, & S. Mariæ Burgi Tascherij intra eamdem Ciuitatem, vt apparet ex instrumento in Curiâ Episcopali confecto anno 1619. die 23. Decembris, in quo leguntur sequentia verba ad effectum
2 præsentis quæstionis: *Ipsamq; Ecclesiam, registrari, ac poni, & adnotari in Catastro aliarum Ecclesiarum huius Ciuitatis mandauit, ac illam, & prædictam eius dotem de cætero vti, frui, & gaudere debere omnibus, & quibuscunq; Priuilegijs, Libertatibus, Immunitatibus, & Exemptionibus, & subiacere omnibus, & quibuscunq; oneribus, & grauaminibus, quibus vtuntur, fruuntur, & gaudent, ac respectiuè subiacent aliæ similes Ecclesiæ, & earum dotes.*

3 Ex prædictis manifestè apparet, Ecclesiam Parochialem Valeræ gaudere eisdem Priuilegijs, & Exemptionibus, quibus fruuntur aliæ Ciuitatis Parochiales, cum sit ciuilis ex descriptione in Catastro aliarum Ecclesiarum parochialium Ciuitatis Parmæ prout mandauit describi Episcopus, ergo dicta parochialis Ecclesia Valeræ vti ciuilis debet gaudere Exemptionibus, & Priuilegijs aliarum Parochialium ciuilium, quorum vnum est, quòd nulli Archipresbitero Rurali reddunt obedientiam.

4 Præterea dismembrare Ecclesiam nihil aliud est, quam vnam vti totum diuidere in plures partes, vt notat Castropal. *de benef. p. 11. §. 10. num. 3.* ergo qualis est Ecclesia diuisibilis, tales erunt eius partes, in quas diuiditur; sed Ecclesia Parochialis S. Mariæ Burgi Tascherij vti totalis diuisa fuit in duas partes, quarum vna remansit intra mœnia Ciuitatis, & altera extra, ex qua instituta fuit Parochialis Valeræ, ergo sicut pars intra Ciuitatem retinet suam ciuilitatem, & exemptionem, ita, & ea quæ est extra Ciuitatem, cum enim sint filiæ
5 eiusdem Matricis *ex cap. Ad audientiam 3. de Eccles. ædif. Trident. sess. 21. cap. 4.* vbi Ecclesia diuisibilis appellatur Matrix partium dismembratarum, eodem iure in hoc censendæ sunt, ne vna filia sit legitima, & altera Spuria. Confirmatur, quia partes sunt eiusdem rationis, & qualitatis, cuius est totum, & quod dicitur de toto, dicitur 6
etiam de eius partibus *l. Quæ de toto 75. ff. de rei vend. cap. Pastoralis 28. §. Item cum totum ff. de offic. deleg.*

Vlterius, ante institutionem Parochialis Valeræ creatæ per dictam dismembrationem ab Ecclesia Parochiali S. Mariæ Burgi Tascherij intra Ciuitatem Parmæ, in eadem Villa Valeræ extabat Oratorium subiectum Parochiali S. Mariæ, omnia enim 7
Oratoria intra limites Parochiæ existentia, nisi probentur exempta, sunt Parochiæ eidem subiecta, *cap. constitutus 6. de relig. domib. cap. Dilectus 2. de capell. Monach.* Cum ergo hoc Oratorium esset subiectum ante illius erectionem in Parochialem, Ecclesiæ S. Mariæ, reddebat obedientiam eidem Parochiali ciuili, & non rurali, vt notum est, ergo tunc habebat iura ciuilia, & nullatenus rutalia, cum nulli Parocho, nec Archipresbitero rurali esset subiecta, sed ciuili scilicet S. Mariæ Burgi Tascherij de Catastro Ciuitatis, ergo postquam erectum fuit 8
in Parochialem, & sic melioraucrit conditionem suam, non est dicendum, illud Oratorium eleuatum in Parochialem amisisse suam conditionem ciuilitatis, & deterioratum fuisse in ruralem Parochiam, id enim repugnat naturæ erectionis, & eleuationis Oratorij in Parochialem, si diceretur Ecclesiam factam fuisse ruralem, cum sui deiectione, & depressione, creuit enim, & non decreuit, dum transiuit ad gradum honorabiliorem. Id autem est de natura Ecclesiæ, vt si erigatur ad maiorem statum magis proficiat, & honoretur, vnde filialis Ecclesia, quæ præcedebatur à Matrice, si 9
erigatur in collegiatam, debet præcedere Matricem, *Seraph. decis. 1445. num. 2.* quia mutato statu, mutatur antiquum ius subiectionis. Ecclesia ergo proficiendo in erectione dignioris status non deprimitur, sed eleuatur non perdendo iura honorifica, quæ habet à sua Matrice, modo illi non sint contraria.

Insuper, Priuilegium, quod habet Ecclesia non est personale, sed reale, vnde 10
si transferatur in alium locum auctoritate Superioris, ibi retinet omnia sua Iura, Priuilegia, & Exemptiones, *ex Glos. in Reg. 7. de*

7. de reg. iur. in 6. Alex. lib. 1. *conf.* 43. *alijs citatis à Barb. ibid. num.* 10. à fortiori si ipsa Ecclesia partem sui dismembret à se, & ponat eam partem in certo loco intra suam Pariochialem vbi erigitur noua Parochia, transferet quoq; Iura sua, Priuilegia, & Exemptiones, vbi conseruabit iura quoq; ciuilia.

11 Prædictis obstare videntur duo. Primum Synodus Illustr. & Reuer. D.D. Episcopi nostri Parmæ fol. 110. de obedientià Archipresbiteris præstandà illis verbis: *Si quis Parochus nulli adhuc Archipræsbitero subiectus est. Nos omnem consuetudinem huic Decreto contrariam reprobantes, volumus eum esse subiectum Archipræsbitero, qui ipsi vicinior est.* Sed Parochus Valeræ vicinior est Archipresbitero S. Paucratij, ergo illi debet præstare obedientiam, ac proinde ab eo non est exemptus. Secundum verò, quod obstat, est, quia Rector Ecclesiæ Valeræ præstitit obedientiam dicto Archipræsbitero, & hoc fecit ad formam Synodorum tum nouæ, tum veteris Illustr. & Reuer. q. Cornazani, quæ idem omnino habet decretum de præstandà obed. Archipresb. tit. 23. fol. 56.

12 Ad Decretũ Synodi plana est responsio, quòd disponit de Parochis ruralibus, nõ ciuilib. ibi: *Excipimus tamẽ primò Parochos Castrorũ* &c. ex quibus verbis manifestè apparet, decretum præfatum loqui de Parochis, & Archipresbiteris ruralibus, Castra enim non sunt in Ciuitate, sed extra indiæcesi. Noster autem Parochus licet cum suà Ecclesià sit ruri secundum situm, non tamen secundum iura sua, cum, ipse sit cum sua Ecclesia ciuilis, ac proinde gaudens iuribus Parochorum ciuilium, qui nulli Archipręsbitero rurali subduntur.

Ad secundum dico Parochum Valeræ non præstitisse obedientiam Archipresbitero S. Pancratij, sed titulo amicitiæ, & vrbanitatis accessisse ad eius Archipręsbiteralem Ecclesiam. Et quod hoc ita sit clarè patet *primò*, quia nunquam soluit Catedraticum, vt faciunt Parochi subiecti, quorum obedientia per solutionem Catedratici probatur. *Secundò* subiecti non præstantes obedientiam puniuntur, vt apparet in Synodo Nembrina, *de punitione*, si absuit contra eum numquam actum est, signum euidens, quòd non est sudiectus, ac proinde si accessit ad Ecclesiam S. Pancratij, id fecit ex amicitia, & vrbanitate, vt supradicta arguunt. Et quod ita sit, illum amicabiliter seruisse, colligitur etiam ex quodam accidenti, quia Archipræsbiter curauit, vt prohiberetur Parocho Valeræ anno præterito solemnis Processio Rosarij in propria Ecclesià, quod facere nullatenus poterat, licet illi aliàs esset subiectus; vnde stante hoc ingratitudinis signo postmodum nullum ei ostendit signum seruitutis amicabilis, nec vrbanitatis accedendi ad eius Ecclesiam; certum autem est, seruitutes factas ex causa vrbanitatis, non esse obedientias, nec inducere obligationem aliquam, *Glos. V. Commendare. cap. Nemo* 15. *de elect. in 6. l. Qui iure familiaritatis ff. de aquir. possess. & ibi Doctores.* Quare in huiusmodi controuersià fauendum est Rectori Parochialis Valeræ, vt permaneat in suà exemptione.

CONSILIVM XXVIII.

An in Iubileorum concessione sint suspensæ aliæ quæcunq. Indulgentiæ.

IN anno Sancto, qui est Iubilæum Ordinarium in Vrbe solùm lucrandum, reuocantur, & vt clarius loquar, suspenduntur per vniuersum orbem aliæ Indulgentiæ ex quacumq. causâ concessæ pro viuis, extra articulum mortis, & quidem plenariæ; non tamen concessæ in ipsa Vrbe; solet excipi singularis Indulgentia S. Francisci de Portiunculà, & S. Domus Lauretanæ. Suspenduntur quoq; concessæ ad instar Iubilei, & Compostellanæ, & indulgentiæ Cruciatæ, finito autem anno Iubilei cessat suspensio. In Iubilæis verò extraordinarijs non solum localibus, sed etiam vbiq. locorum concessis non sunt suspensæ vbique Indulgentiæ etiam plenariæ, immo & concessæ per modum Iubilei, nisi id expresse exprimatur in ipsa Bulla concessionis Iubilei, vel per aliquod speciale Pontificis decretum.

1 Prima pars, quòd in anno Sancto suspendantur Indulgentiæ, probatur ex facto ipso Romanorum Pontificum, quorum primum credo fuisse Sixtũ IV. *in sua Bullà registratâ in corpore iuris tit. de Pænit. extrauag. com.* 4. *incip. quemadmodum.* vbi omnes, & singulas Indulgentias plenarias etiam ad instar Iubilei suspendit. Similem quoq. fecit suspensionem Gregorius XIII. quam Nauar. extendit tom. 3. Notab. 33. de Iubilæo. Clem. VIII. in sua incip. *Cum Sancti* sub anno 1599. suspendit etiam perpetuas. Vrbanus quoq. VIII. in sua incip. *Cum nuper* sub num. XVI. in Bull. eisdem verbis vsus fuit. Et ita postremò fecisse Innocentium X. anno 1650. Iubilei. Ratio huius suspensionis est, vt populus Christianus alijs destitutus Indulgentijs à quibus extantibus poterat retrahi, frequentiori concursu ad Vrbem accederet ad lucrandum tam magnum Iubilæum, quod solùm Romæ aquiri potest.

2 Secunda pars, quod suspendantur Indulgentiæ tantum pro viuis, & non pro mortuis, probatur, quia lex ampliatur, & restringitur ad rationem ipsius legis, cuius anima est, *l. Cum pater* 79. §. *Dulcissimis ff. de legat.* 2. *Nauar. consil.* 22. *de celebr. missar. Graffius tom.* 1. *consil.* 1. *cognat. Spirit. num.* 50. Finis autem suspensionis Indulgentiarum est, vt fideles sint frequentiores ad lucrandum Sanctum Iubilæum, à quo facilè retraherentur, si adhuc in eo anno viuerent aliæ Indulgentiæ, Romam autem accedere non possunt mortui, sed tantùm viuentes, ergo pro istis tantùm, & non pro illis sunt suspensæ. Ita tresdecim Doctores relati à Pasqual. de Iubileo q. 150.

(3 in margin beside "ma est")

Tertia pars, quòd non sint suspensæ concessæ pro articulo mortis, probatur, quia istæ non retardant accessum ad Vrbem pro lucrando Iubileo, si enim est infirmus pro toto illo anno, nulla Indulgentia illum retardat, sed infirmitas; nec est aliquis, qui cupiat mori eo anno, vt omisso Iubileo lucretur Indulgentiam in articulo mortis, cum ergo hæc specialis non retardet, non est dicendum esse suspensam. 4

Ita *Peyrin. ad constit.* 9. *Leonis X.* §. 3. *num.* 3. *Lezana V. Iubilæum num.* 5. *Pasqual. de Iubilæo q.* 147. *num.* 7. Contra *Nauar. Graffium, Layman, Faustum, Tanerum, & Castropalaum*, quorum argumentis respondet ipse Pasqualigus.

Quarta pars, quòd suspendantur tantùm plenariæ, probatur, quia in odiosis interpretatio stricte facienda est, prout verba ipsa patiuntur; sed suspensiones Sixti IV. Clementis VII. in sua incip. *Inter sollicitudines.* Iulij II. incip. *Si pastores.* manifestè loquuntur de Indulgentijs plenarijs, ergo contra illas tantùm procedit suspensio. Nec vrget, quòd subsequentes Pontifices omiserint illud verbum *plenarias* sic exprimentes: *Omnes, & singulas Indulgentias etiam perpetuas, & peccatorum remissiones.* quia successorum Bullæ interpretandæ sunt ad tenorem iuris communis Bullæ Sixti IV. registratæ in corpore iuris in quo suspenduntur solum *plenariæ*, & quidem rationabiliter, & sufficienter, quia *non plenariæ* non retardant, nec retrahunt fideles ab accessu ad Vrbem pro lucrando Iubileo. Ita *Nauar. Notab.* 25. *num.* 2. *Lezana num.* 5. *& alij cum Pasqual.* q. 144. Contra *Tanerum, & Franciscum Rodriquez* quorum ratio est quia Bullæ aliæ loquuntur generaliter: *omnes & singula Indulgentiæ*, ergo etiam non plenariæ, cum & ipsæ sint Indulgentiæ. 5

Sed respondetur, locutionem generalem intelligendam esse ad tenorem rationis expressæ in Bullà, nempe ad omnes, & singulas *plenarias*, tam perpetuas, quam ad tempus, quæ possunt retrahere fideles à lucro Sancti Iubilei, a quo Indulgentiæ *non plenariæ* retrahere minimè possunt, sicut

plenariæ

plenaria, quia istæ eandem vim remittendi omnia peccata habent, sicut Indulgentia Iubilei, quæ & ipsa est plenaria non mágis quàm simplex Indulgentia plenaria non iubilea.

6 Quinta pars, quòd nulla Indulgentia Vrbis, siue *plenaria*, siue *non plenaria* sit suspensa, probatur ex citatâ Bullâ Sixti IV. vbi postquam suspenderat omnes Indulgentias subdit: *Indulgentijs tamen Basilicarum, & Ecclesiarum dictæ Vrbis in suo plenario robore durantibus*. Et Clemens V. in sua incip. *Vnigenitus* registrata in corpore iuris ibid. cap. 2. extrauag. commun. de Pœnit. ne quis dubitaret de suspensione Indulgentiarum ex vi indictionis Iubilei Anni Sancti, quod per eandem suam Bullam publicauerat, se declarauit, per indictionem Iubilei anni Sancti quem *centenarium* aliàs restrinxit ad *quinquagesimum*, non suspendere alias Romæ Indulgentias, ergo suspensio Indulgentiarum occasione anni Sancti, non comprehendit Indulgentias Vrbis, sed extra Vrbem tantùm, esto id non explicetur in Bullis Pontificijs, quia
7 hæc intelligendæ sunt ad tenorem earum, quæ registratæ sunt in corpore Iuris, nimirum supradictæ Clementis VI. & Sixti IV. qui non suspendunt Indulgentias Vrbis. Ita *Nauar. de Iubileo Notab. 33. initio Legana V. Iubileum num. 5. & alij communiter teste Pasqualig. q. 148.* Quod verum est non solum de Indulgentijs Ecclesiarum intra mænia Vrbis, sed extra, sanctorum Pauli, Sebastiani &c. nam continentia dicuntur Romæ *ex l. vt Alphenus 87. ff. de verb. signific.* Roma enim cincta mænibus non distinguitur à diœcesi, sicut aliæ Ciuitates, quarum diœcesis est territorium extra mænia ciuitatis & suburbia, situs ergo intra, & extra Vrbem per circuitum dicitur Roma, cuius diœcesis sunt aliæ Ciuitates cum suis territorijs, cum Ecclesia Romana vti vniuersalis pro Ciuitate habeat omnem situm intra, & extra, & reliquum totum mundum pro diœcesi suâ. Quod Indulgentiæ subur-
8 biorum Romæ non sint suspensæ docent præcitati cum eodem Pasqualigo *seq q. 149. qui num. 3.* ait, alias Indulgentias mendicantis &c. concessas etiam personis particularibus non esse suspensas existentibus in Vrbe, sicut sunt suspensæ alijs extra Vrbem habitantibus.

9 Sexta pars, quòd Indulgentia Portiunculæ, quam scilicet Christus Dominus S. Francisco rogante concessit Ecclesiolæ S. Mariæ Angelorum extra Assisium, ex eius exiguitate ædificij nuncupatæ Portiunculæ, non comprehendatur in Bullis suspensorijs Indulgentiarum anni Sancti, probatur, quia in illis fit mentio tantùm de Indulgentijs concessis à Romanis Pontificibus; hanc autem nullus Pontifex concessit, cum immediatè à Christo, S. Francisco petente dictæ Ecclesiolæ concessa fuerit, licet postmodum approbata fuerit à Summo Pontifice Honorio III. anno 1223. de mandato Dei, in cuius testimonium sex Rosas tres albas, & tres rubeas obtulit Pontifici mense Ianuario. Ita *Pasqual. q. 141. contra Quintanad. & Quartum*, qui nullo nituntur solido fundamento. Res autem est certa, quia interrogatus Vrbanus VIII. an anno Iubilei 1625. suspenderit etiam Indulgentiam Portiunculę, respondit negatiuè per suam Bullam incip. *Cum nuper*, quam extendunt Vadingus *tom. 1. Annal. Minor. ad annum 1223. num. 4. Stephanus Tosi Bettonensis in libro de hac Indulgentia par. 2. cap. 14. fol. 143.*

Septima pars, quòd Indulgentiæ Lauretanæ excipiantur, probatur sola Innocentij X. auctoritate, qui in sua incip. *Cum nos nuper*, voluit, & concessit, vt omnes Indulgentiæ, & peccatorum remissiones, nec non pœnitentiarum relaxationes visitantibus almam Domum Lauretanam concessæ à quibusuis Romanis Pontificibus, & à se, dicto anno Iubilei valeant, ac si suspensio prædicta ab eo specialiter, vel generaliter non emanasset. Itaq. ex naturâ rei sub suspensione veniunt etiam Indulgentiæ Lauretanæ, quia à Summis Pontificibus conceduntur, nisi specialiter excipiantur, vt fecit dictus Pontifex ad differentiam Portiunculæ, quæ ex naturâ rei non venit sub generali suspensione aliarum, ex quo suspenduntur Indulgentiæ concessæ à Summis Pontificibus, inter quas non est Indulgentia Portiunculæ, sicut sunt Indulgentiæ Sanctæ Domus Lauretanæ. 10

Octaua pars, quòd suspendantur Indulgentiæ concessæ ad instar Iubilei, probatur, quia per has non minus fideles retrahuntur à lucro Iubilei, quàm per alias, ergo comprehenduntur sub suspensione, & Vrbanus VIII. de illis ad instar Iubilei mentionem facit in suâ Bullâ suspensionis. 11

Nona pars, quòd Indulgentiæ Compostellanæ, eo anno sint suspensæ, probatur, quia in eis militat eadem ratio retrahendi fideles à lucro Iubilei, ergo sunt suspensæ. Ita Pasqual. q. 142. Contra Castropalaum, pro se referentem quoddam Breue Sixti V. quod tamen id non probat. 12

Decima pars, quòd Indulgentię Cruciatæ sint suspensæ, probatur, quia maxima pars Hispaniarum habentes eam Indulgentiam etiam cum facultate absolutionis, & commutationis votorum cum alijs Priuilegijs non accederent Romam pro lucrando Iubileo, ne ergo frustretur mens Pontificis suspendentis omnes alias Indulgentias extra Vrbem, vt honorificentius, & cum maxi- 13

mo,

mo, ac quasi infinito fidelium numero solemnizetur Annus sanctus, dicendum est, Indulgentias Cruciatæ esse suspensas. Ita *Nauar. Not. 33. Lopez par. 2. Institut. cap. 20. Fabrinus de Iubileo cap. 21. quos citat. Pasqual. q. 143.* & inclinat de iure, ex consuetudine & praxi, quia omni anno Cruciata publicatur, nolunt esse suspensas, & ibi Pasqual. initio, quod non sint suspensæ, refert 18. Doctores, & Diana ait ita declarasse Vrbanum VIII. ex eodem Pasqualigo.

14 Vndecima pars, quod Indulgentiarũ suspensio cesset finito Anno sancto, probatur, quia cum iam sit elapsum tempus Iubilei, & cesset proinde causa retrahendi fideles à lucro Iubilei, cessat quoq; lex suspensionis Indulgentiarum, ex illo axiomate, cessante causa finali cessat quoq; eius effectus. Quod verum est non solum, quando Bulla suspensiua id exprimit, vt suspensio Indulgentiarum duret solum pro eo anno, quo viget Iubileum, sed etiam quando suspensio facta fuit cum clausula: *Vt suspensio facta duret ad Beneplacitum Pontificis Romani, & Sedis Apostolicæ*, vt legitur in Bullis Sixti IV. & Clem. VIII. pro Iubileo anni 1600. quia licet Beneplacitum sequatur personam vsq; ad mortem, & perpetuò duret respectu Sedis, quæ nunquam moritur, tamen id intelligitur de Beneplacitis sine causa com-
15 muni, non autem vbi adest causa respiciens bonum commune pro tali tempore, eo enim elapso cessat beneplacitum, cum ex natura rei vlterius non extendatur à suâ causâ limitatum. Ita docent *Filliuc. Castropal. Quintanad. & Sanctar. quos pro se citat Pasqual. q. 155. num. 5.*

16 Duodecima, quòd in Iubileis extraordinarijs siue particularibus, siue vniuersalibus concessis etiam ad instar Iubilei anni Sancti, non intelligantur suspensæ quæcumq; aliæ Indulgentiæ plenariæ, nisi per aliquam Bullam expresè ea occasione suspendantur, probatur, quia reuocatio cum sit quid odiosum non præsumitur, ex alle-
17 gatis à Gonzal. *super 8. Reg. Cancell. Glos. 9. §. 2. num. 29. Parif. lib. 9. de Resign. benef. quæst. 25. num. 15.* vbi reddit bonam rationem, quia mutatio voluntatis non præsu-
18 mitur, ex *Alex. lib. 5. cons. 169. Hieron. Gabriel. lib. 1. cons. 105. num. 4. ex l. Sancimus C. de test.* Vnde in dubio semper pronunciandum est pro non reuocatione Priuilegij, *Roman. cons. 327. initio, iuxta Glos. in cap. Summa 25 q. 2. Feder. cons. 227. Rota par. 1. diuers. decis. 468. ex illis Gratian. cap. 893. num. 57.*

Cum ergo de ea non constet respectu Iubileorum extra annum sanctum, affirmanti eam extare incumbit probatio, sed hoc est impossibile, cum nullus Pontifex vsque modo reuocauerit Indulgentias in concessione Iubileorum extra annum sanctum etiam in formâ Iubilei anni sancti, ergo dicendum est, omnes Indulgentias in suo robore perseuerare etiam pro illis quindecim diebus, quibus viget Iubileum extraordinarium, non solùm in illis Ecclesijs, quæ non deputantur ad lucrandum Iubileum, sed etiam in deputatis, cum nullo modo prohibentur suspensæ. Confirmatur, quia ratio suspensiua Indulgentiarum pro anno sancto 19
sæpius supra reposita non habet locum hic, quia Iubileum extraordinarium vbique terrarum consequi potest, cum per vniuersum orbem publicetur, non si Iubileum anni sancti, quod solùm Romæ reperitur, quò omnes accedere debent, si volunt illud lucrari, Iubileum ergo extraordinarium dum vbique aquiri potest, non exigit suspensionem aliarum Indulgentiarum, dum aliæ Indulgentiæ fideles ab illius aquisitione retrahere non possunt.

Demum aliud non inducit homines prudentes ad asserendam suspensionem Indulgentiarum pro anno sancto, nisi quia expresè legunt eandem in Bullis Pontificis quandocunq; statutis temporibus promulgant Iubileum anni sancti, sed huiusmodi suspensionem vsq. modo nullus siue prudens, siue imprudens non legit in promulgatione Iubileorum extraordinariorum, argumentum euidens, quod non suspenduntur.

Anno 1663. Alexander VII. Pontifex indixit Iubileum vniuersale ad diuinam opem implorandam, & quia 20
hic Parmæ publicatum fuit pro vltimis quindecim diebus finituris in die Paschatis, non nulli Concionatores recusarunt admonere populum de non nullis Indulgentijs exponendis in certis Ecclesijs, ea ratione, quia durante Iubileo, omnes Indulgentiæ erant suspensæ. Cur autem? nullam attulerunt rationem, vnde casu videntur locuti.

Possunt nihilominus se aliqualiter defendere, & errorem tegere dicendo, esse suspensas, quia præsens Iubileum concessum fuit cum hac clausula: *Plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem sicut in anno Iubilei.* Sed in anno Iubilei omnes Indulgentiæ sunt suspensæ, ergo, & in hoc Iubileo, cum sit vniuersale, sicut illud. Cum ergo hoc Iubileum concessum sit ad instar Iubilei anni Sancti, vt importat illud verbum *Sicut* ac proinde significet similitudinem, *l. Ad instar ff. de iure* 21
fisci lib. 10. Cardin. in Clem. 1. de iudic. num. 3. in terminis nostris Nauar. *de Indulg. & Iubileo Notab. 26. num. 3.* Sequitur, hoc Iubileum participare conditiones Iubilei anni sancti, consequenter aliæ Indulgentiæ censendæ sunt suspensæ, in hoc Iubileo, sicut in anno sancto,

Sed

22 Sed huiusmodi similitudo attendenda est in plenitudine sui effectus remittendi peccata inquit Nauar. cit. & id satis patet, dum remissionem huius Iubilei comparat cum remissione, quam præstat Indulgentia anni sancti, ita quòd vtraq. dicitur plenissima; potest etiam comparari quò ad absolutionem ab omnibus reseruatis, & commutationem, votorum, in vtroq. enim tribuitur par facultas eligendi Comfessarium, qui absoluat, & commutet, iuxta quod conceditur in Bullis, in quibus vtrunq. exprimitur, & in his attenditur similitudo, non verò in alijs, quæ sunt odiosa, vt est suspensio Indulgentiarum, quæ solum exprimitur in Bulla anni sancti, non verò in Iubileis extraordinarijs, similitudo ergo attenditur in fauorabilibus, non in odiosis.

CONSI-

CONSILIVM XXIX.

De dispensatione ordinandorum super Interstitijs.

Hic quærendum est primò quis possit dispensare super Interstitijs, an solus Episcopus, an etiam Abbates, & alij Superiores regulares? Deinde quænam sint causæ sufficientes ad dispensandum legitimè?

1 Ius dispensandi super Interstitijs Ordinum tùm minorum, tùm maiorum spectat ad Episcopum respectiuè non solùm ad suos Clericos, sed etiam respectu Regularium quorumcunq; Ordinum, etiam Canonicorum, & Monachorum, quorum Abbates non possunt dispensare super Interstitijs maiorum Ordinum, respectu quorum debent rogare Episcopum eos ordinaturum, vt dignetur cum illis dispensare, quod facere tenetur, dum in literis dimissorijs ab eis petitur dispensatio. Abbates verò cum suis Clericis tantum dispensare possunt, dum eis conferunt Ordines minores, & non aliter.

2 Prima pars, quòd dispensatio super Interstitijs spectet ad Episcopum propriumordinis in locum, Clarè habetur in Tridentino *sess.* 23 *cap.* 11. de Interstitijs inter minores, & ad Subdiaconatum, inter Subdiaconatum & Diaconatum *cap* 13. ad Sacerdotium *cap.* 14. in quibus semper fit mentio de Episcopo, ad quem spectat Dispensatio. Ita omnes.

3 Secunda pars, quòd Episcopus dispenset etiam Regulares quos ordinat siue ad minores, siue ad maiores, probatur, quia hoc ius tribuitur Episcopo ratione iurisdictionis, respicientis potestatem Ordinis, sub quo nomine veniunt Regulares, ergo solis Episcopis competit hoc ius respectu Ordinandorum etiam Regularium.

Confirmatur, quia Religiosus quatenus ordinatur dicitur subditus Episcopi ordinantis, ergo ab eo tantùm dispensandus est, & non à suo Superiore, cui in hoc non est subditus, sed soli Episcopo ita communis opinio cum *Rodriq tom.* 3. *q.* 24. *art.* 3. *Miranda tom.* 1. *q.* 38 *art* 7. *Barb. Alleg.* 18. *num.* 10. *Tambur. tom.* 2. *disp.* 2. *q.* 22. *num.* 1.

4 Tenentur autem Episcopi dispensare Regulares, quibus conferunt Ordines, quando in suis literis dimissorijs eorum Superiores expressè rogant Episcopum, vt dignetur dispensare, licet in literis non exprimatur certa causa ad dispensandum, sufficit enim dicere, quod eorum Ecclesiæ indigent ministris. Et ita practicatur *Tambur. cit. num.* 1. *Auersa q.* 3. *sect.* 9. *Vers. Habet etiam*; *Diana par.* 2. *tract* 2. *resol.* 112.

5 Contrarium, quòd Superiores regulares possint dispensare non de iure, sed ex Priuilegio concesso Iesuitis à Gregorio XIII. docent plerique *cum Suar. tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 21. *Diana par.* 3. *tract.* 2. *resol.* 32. *&* 112. *ex illis Auersa sect.* 9. §. *Habet etiam*. Bulla autem, quę est 77. in Bullario Romano, incipit *Pium ac vtile*, extensa apud Rodriq; sub num. XXV.

Bulla autem hæc est in communicabilis alijs Religiosis, vt expressè dicitur in eius calce. Nec probat quidquam contra nostrum intentum etiamsi esset communicabilis, quia in eà non conceditur facultas Superioribus regularibus dispensandi super interstitijs, sed datur facultas illis suscipiendi à quouis Episcopo non solùm Ordines Minores, sed etiam maiores & Presbiteratum, interstitijs non seruatis, & extra tempora à iure statuta tribus diebus festiuis, seu dominicis, etiam continuis, dum ergo Papa illis facit gratiam, vt in hoc non subdantur decretis Tridentini de Interstitijs, non dat Priuilegium dispensandi super Interstitijs, sed eos eximit ab illis. Oportet semper videre in terminis suis tenorem Bullarum, & postea iudicium ferre verum.

Addunt, quòd dictum Priuilegium Gregorianum sublatum fuit à Sixto V. per suam incip. *Sanctum & Salutare* 91. & Clem. VIII. in sua incip. *Romanum Pontificem* 11. ita *Sayr. lib.* 7. *de cens cap.* 12. *Marchin tract.* 1. *de Ordin e p.* 5. *cap.* 2. Sed res tamen non est ita, quia est contra male promotos, quales non possunt dici Iesuitæ, dum promouentur virtute dicti eorum Priuilegij.

6 Tertia pars, quòd Abbates dispensent suos Monachos, seu Clericos suos dum conferunt illis Ordines minores, probatur, quia habens Priuilegium Ordinandi, habet etiam ius dispensandi super Interstitijs, vt collatio, & susceptio sit licita, cui enim conceditur minus censetur concessum id quod est minus; & concesso vno, intelliguntur concessa ea, per quæ possit perueniri ad illud Ita omnes *cum Tamb. tom* 2. *disp.* 2. *q.* 22. *num.* 2. *Sorbus V. Ordines Sacri*, *Miranda tom.* 1. *q.* 38. *art.* 7. *concl.* 3. *Barbosa Allegat.* 18. *num.* 12.

7 Secundum de Interstitijs dispensandis sic dicer-

decernitur in Tridentino Seff. 23. cap. 11. de Minoribus ad Subdiaconatum. *Minores ordines ijs, qui saltem latinam linguam intelligant per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire videretur conferantur*. Et infra pro interstitijs Subdiacóatus ab vltimo minori. *Hi vero* .i. Acoliti *non nisi post annum à susceptione postremi gradus minorum Ordinum ad sacros Ordines promoueantur, nisi necessitas, aut Ecclesia vtilitas iuditio Episcopi aliud exposcat*. De Interstitio inter Subdiaconatum, & Diaconatum cap. 13. *Promoti ad Saerum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non fint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permitantur*. De interstitio inter Diaconatum, & Præsbiteratum cap. 14 *Qui non modo in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesia vtilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur ministrauerit*.

8 Obseruandum est, quòd dispensatio inter minores Ordines, & inter Subdiaconatum, & Diaconatū remittitur arbitrio Episcopi, nullà allegatà vtilitate, vel necessitate Ecclesiæ, vt in alijs, ergo quæuis causa honesta etiam leuis sufficiet, ac proinde sola voluntatis Episcopi benignitas, & humanitas sufficiens erit ad dispensandum, vt colligitur ex verbo *Videretur*, *Videatur* Nam hoc verbum importat *arbitrium l. Fi-*

9 *deicommissa* 11. §. *Quamquam ff. de legat 3. Menoch. lib. 1. de arbitr. q. 8. num. 11.* scilicet boni viri, hoc est, regulatam à ratione, *Bald. in extrau. Ad reprimendum V. Videtur M. Anton. lib. 3. resol. 25. num. 12. Graff. lib. 1. de arbitr. cap. 1. num. 4. & 5.* Ratio autem dictat, merentem ex suo examine posse dispensari ad omnes quatuor simul recipiendos, item matura ætas, & cum iam consuetudine id fit inductum, videtur omninò pro ratione stare voluntas, quæ

10 adhuc vocatur regulata ex humanitate dona conferentis. Quòd leuis causa sufficiat pro Interstitijs inter minores docet *Tambur. cit. num. 3. quod quaecunq; causa sufficiat, docet Miranda tom. 1. q. 38. art. 8. concl. 1.*

11 Causa dispensandi Interstitia inter Subdiaconatum, & Diaconatum nulla necessitas, nec vtilitas Ecclesiæ exprimitur in Tridentino, sed relinquitur arbitrio Episcopi, qui ex suà benignitate poterit dispensare ex quauis causâ. Ego adduco sequentes, prima si Pater Subdiaconi desideret filium suum ascendere ad altiorem gradum, si sit literatus, si sit officialis in Curià Episcopi, si sit Episcopi familiaris, si ab aliquo graduato seculari, vel ecclesiastico commendetur.

12 Comparantur verò ex parte dispensandi inter Interstitium ab Acolitatu ad Subdiaconatum, & inter Diaconatum, ad Presbiteratum, ita quòd in primis sufficiat alterum horum, necessitas, aut vtilitas Ecclesiæ, in secundis vtrumq; Copulatiue requiritur, & in vtroq; vtilitas, seu necessitas referatur ad Ecclesiam, quia Ministri seruiunt Ecclesiæ, & non sibi.

Sed quantum debet esse hoc Interstitium 13 inter vnum, & alterum Ordinem? Inter Minores quale interuallum debeat esse non assignatur, ideo non videtur necessarius vnus annus, sed sufficere intermedium tempus vnius Ordinationis ad aliam e.g. inter tempora primæ hebdomadæ Quadragesimæ & Sabbatum ante quartam Dominicam eiusdem, vel in Sabbato Sancto immo, vt dixi, eodem die dari possunt ex causâ *Auersa sect. 9. Vers. Tertia conditio*. Vide *Pasq. ad Francum num. 295. Tiber. q. 58. vers. Octauo*. Hæc sunt Interstitia inter minores Ordines. Ab Acolitatu verò ab Subdiaconatum, ab hoc ad Diaconatum, & ab hoc ad Præsbiteratum debet mediare vnus annus, qui non necessariò debet esse matematicus, seu physicus, sed sufficit, quòd sit ecclesiasticus, nimirum ab vno quatuor temporum ad aliud, idem sequentis anni, & ita docent omnes cum Barbosâ ad *cap. 13. num. 5.*

Videndum modò est, quænam causæ 14 possint assignari, per quas Episcopus iustè moueatur ad dispensandum, vt quis ordinetur infra annum Interstitij, seu ab vna ordinatione Temporum ad aliam.

Prima causa, necessitas Ecclesiæ, & Ministrorum deficentia, itaquod per ordinatos 15 hic, & nunc non possit satisfi ri celebrationi Missarum ex obligatione, & alijs ministerijs ecclesiasticis. *Secunda causa* necessitatis est, quando quis habet Beneficium, vel receptures est, *ex cap. 10 sess. 7.* vbi Barbosa *num. 16.* illos vocat coarctatos ad Ordines recipiendos, quorum Beneficium receptum, vel recipiendum exigit seruitium personale talis Ordinis, & ibi Doctores citat.

Vtilitatis causa dicitur primò, quando 16 licet adsint omnes ministri necessarij ad sacram functionem, vt e.g. sex sacerdotes vnus subdiaconus, & vnus diaconus, tamen Ecclesiæ valde vtile erit, si habeat alios supranumerarios, qui suppleant vices ordinariorum in casu infirmitatis, seu alterius impedimenti, & hoc passim accidit in Ecclesijs Regularium. Ita quòd hæc causa vt mixta ex necessitate, & vtilitate videtur sufficere ad dispensandum interuallum à Diaconatu ad Sacerdotium, esto enim vtrumq; capulatiuè requiratur, adhuc dicitur reperiri in hoc casu, dum miscetur vtraq; causa. De hoc supranumerario *Pasqual. ad Francum par. 1. num. 263.* vbi citat. *Sorbum num. 3. Vers. Et quia. D. Anton. par. 3. tit. 14 §. 18.*

17 *Secundò* causa iusta dispensandi est ætas prouecta Ordinandi cum grauitate, & integritate personæ, *Tertiò*, excellens profectus in virtutibus, docti enim sunt multum vtiles Ecclesiæ Dei, *Quartò*, causa studij in aliqua Vniuersitate, vt mediâ missarum celebratione ordinatus possit se in Studijs sustentare, Ita Leander *de Sacram.*
18 *tom. 2. tract. 6. disp. 11. q. 21, apud Dianam par. 10. tract. 11. resol. 10. Vers. Et quia, Cotonius lib. 3. contr. 1. de Ordine num. 95.* Necessitas publica, aut extraordinaria non est necessaria, *Barb. Allegat. 18. num. 5. Diana par. 6. tract. 8. resol. 23. Tiberius Iesuita in instruct. Ordin. q. 58. Petit. 3.* Cu-
19 rialitas quoque & familiaritas cum Episcopo videtur causa sufficiens ad dispensandum super Interstitijs. De familiari non subdito docet *Diana part. 3. tract. 4. resol. 190. cum alijs Auersa sect. 9. vers. Reliquit ex cap. 9. sess. 23.* vbi de familiari triennali nō subdito ordinando, ergo & Curiali, cum in vtroque casu causa dispensandi radicem habeat in seruitio præstito Ecclesiæ, cum aliquo respectu ad Personam.

20 Vtilitatem quoque Ecclesiæ eam putarem esse, si quis cum minori stipendio vellet seruire Ecclesiæ e. g. celebrando missam in aurora, vt pauperes auditâ missâ expeditiores essent ad laborandum, non enim ita facile inuenitur Sacerdos, qui hoc onus subire velit tali tempore. Pariter causa sufficiens dispensandi erit si Clericus est doctus in cantu firmo, & paucissimi sint Sacerdotes, qui benè callent cantum. Institutio Capellaniæ sufficiens est causa dispensandi eum, quem institutor nominet ad celebrandum. Desiderium, quod habet parens audiendi missam filij sui, vel nepotis, sufficit in dispensatione ætatis per Papam, ergo satis erit in dispensatione faciendâ ab Episcopo super Interstitijs.

Notandum est, quod plerique docent ab dispensandum in Interstitijs à Diaconatu
21 ad Sacerdotium sufficere disiunctiuè, necessitatem, seu vtilitatem Ecclesiæ, & vnam causam sine aliâ, quamuis Concilium vtatur copulatiuâ, & hi sunt *ex Vasq. par. 3. disp. 246. num. 50. Filliuc. tract. 9. num. 3. vers. quinto, ex illis Tiberius q. 58. vers. Immo; Diana par 6. tract. 8 resol. 23. & par. 10. tract. 11. resol. 10.* vbi citat Dicastillum contra alios, nempe Bonac. Auuersam adhærentes verbis Tridentini, quod vtitur copulatiuâ, sicut vsum fuerat disiunctiuâ inter Acolitatum, & Subdiaconatum. Putant probabilem, licet repugnet verbis Tridentini.

Obseruandum vlterius est, quòd Tridentinum dum relinquit Episcopo facultatem dispensandi super Interstitijs inter Acolitatum, & Subdiaconatum, vtitur his verbis; *Nisi necessitas, aut vtilitas Ecclesiæ iudicio Episcopi aliud exposcat.* Et inter Diaconatum, & Præsbiteratum *Nisi ob Ecclesiæ vtilitatem, aut necessitatem aliud Episcopo videretur.* Iniinuans per huiusmodi verba Episcopum arbitrari posse super causam sibi propositam, an sit iusta, legitima, & sufficiens ad dispensandum, huiusmodi enim causæ cum sint morales non consistunt in indiuisibili, sed habent latitudinem in necessitate, seu vtilitate. 22

Contra Ordinatum sine dispensatione super Interstitijs nulla suspensio, Censura, aut Irregularitas reperitur in iure. Ita omnes *cum Lauretto de Franchis q. 32. ibi Pasqual num. 340.* 23

Sed numquid Acolitus dispensati possit super Interstitijs, vt eodem die recipiat etiam Subdiaconatum. 24

℟. Negatiuè, quia dispensatio restringit annum, non dat ius recipiendi vtrumque Ordinem eodem die, Septemdecim Doctores allegati à Barbosa *ad cap. 11. sess 23. num. 7.* dicunt, præfatos duos Ordines eodem die recipi posse in loco, vbi vigebat consuetudo ante Tridentinum illos recipiendi, quia illa non censetur sublata per Tridentinum, cum de illius derogat one nulla fiat mentio. Contra alios ab eccitatos asserentes esse sublatam huiusmodi consuetudinem. Præcedenti vespere diei Veneris possunt conferri Minores, vt die Sabbati statuto pro ordinatione conferri possit Subdiaconatus, *ex Barb. ad cap. De eo, 3. de temp. ordin. num. 4.* Fagnanus *in cap. prædicto à num. 12. ad 18.* dicit non posse recip. simul eodem die primam Tonsuram cum quatuor ordinibus minoribus, nec cum his Subdiaconatum, quia redderet se indignum executione Ordinis sic suscepti, *ex cap. 2. de eo, qui furt. Ord. suscepit.*

CONSI-

CONSILIVM XXX.

An pro re male alienatà alia sit subroganda?

Apitulum locale Conuentus N. Bononiensis emit Possessionem à Titio liberam, & allodialem, dato pro Fideiussore Caio. Postmodum quidam tertius, qui habebat iura Census sexmille librarum Capitalis super eam possessionem petijt fructus decursos à dictis Fratribus ; lite motà condemnati fuerunt, & non habentes in promptu pecunias pro solutione, & liberatione possessionis à præfato Censu, à Sacrà Congregatione obtinuerunt licentiam alienandi Census iam Conuentui in corporatum eiusdem Capitalis, cum clausulà: *Dummodo alià vià liberari non possit* &c. Fratres ad eam clausulam non attendentes, Censum alienarunt illum consignantes in solutum, & extinctionem illius Census, vt suam possessionem liberarent ab illo onere. Post hæc litem mouerunt contra venditorem, qui condemnatus soluit eisdem sexmille libras, quas implicauerunt in fabricatione non omninò necessariâ.

Quæritur *Primò*, an potuerint alienare illum Monasterij Censum? *Secundò*, si non potuerunt alienare, an inciderint in pœnas inflictas contra alienantes per Extrauag. *Ambitiosæ*, & Decretum Sacræ Congregationis? *Tertiò*, an illam pecuniam sexmille librarum potuerint expendere in ea fabricatione?

Ad primum respondetur, illos Fratres non potuisse alienare illum Censum, tum quia sequendo viam Iuris excitati ab illo Censitore debebant litem intimare venditori, vt satisfaceret de suis dicto Censitori, cum fundum allodialem, & liberum venditer Fratribus, ac proinde cum venditor ex naturâ contractus teneatur de euictione

1 *l. Non dubitatur 6. C. de Euict.* Fratres debebant recurrere ad Venditorem, seruantes se indemnes à Censitore, & non dare illi in solutum, & pro liberatione suæ possessionis proprium Censum. Tum quia male alienarunt Censum, non obstante licentià Sacræ Congregationis, quæ vti limitata, & conditionata: *Dumodo alià vià liberati* &c. ad nihil deseruire poterat, quia reuera alià vià poterant liberare suum fundum, vt constitit in secundà lite, ergo tamquam nulla non potuit prodesse supplicantibus,

2 qui proinde dicuntur alienasse propriâ auctoritate, non ex licentia, quæ non poterat extendi ad hunc casum, cum licentia limitata ad vnum casum non possit se extendere ad alium, *l. Age 3. C. de transact. l. in agris 16. ff. de aquir. rer. dom.*

Sequitur ergo ex his, cum Fratres non possint propriâ auctoritate alienare stabilia, inter quæ Census computantur, cum sint annui redditus ex Clem. Exiui, de Verb. signif. ibi: *Cumq. annui redditus inter immobilia censeantur à Iure* & in Decreto Sacræ Congregat. *de reb. eccles. non alien.* & 3

præfata licentia nulla fuerit respectu præsentis casus, nullam, & inualidam fuisse præfatam alienationem dicti Census, cum similes alienationes, quæ propria autoritate fiunt, irritæ, & pro nullis habeantur à dictis Extrau. & Decreto, Riccius *part. 3. resol. 510. ad hoc refert. àd verbum decis. Rota coram Dunozzeto, Suar. de legib. lib. 5. cap. 24. num. 9. cum alijs Bonac. de Alien. p. 4. num. 14.*

Ad secundum respondetur, pro Foro externo sine dubio, eos esse declarandos incurrisse pœnas dictorum Extrauag. & Decreti, quæ sunt priuatio Officiorum respectiuè ad extrauag. & omnium pariter Officiorum, & vocis vtriusq. cum perpetuâ inhabilitate ad illa in posterum obtinenda ex Decreto, & vlterius incurrunt Excommunicationem ipso iure, de quibus *Bonac. p. 1. per totam* In foro quoq; Conscientiæ videntur rei dictarum pœnarum, quia Rescriptum S. Congr. satis manifestè loquitur, concedendo eis licentiam, modo alià vià non possint liberare suam possessionem, sciebant enim se eam posse liberare mouendo litem contra venditorem, qui tenebatur de euictione. 4

Ad tertium dico, illam pecuniam non potuisse conuerti in fabricam, Tum quia cum alienatio præfati Census fuerit nulla ex dictis, ac proinde Conuentus teneatur, rescindere contractum cum illo censitore, vt colligitur ex ipsa extrauag. ibi: *Nihilominus alienata res, & bona huiusmodi ad Ecclesias Monasteria, & loca pia, ad quæ ante alienationem huiusmodi pertinebant, liberè reuertantur Barb. lib. 3. de iure Eccles. cap. 31. num. 46.* non poterat eam conuertere in fabricam, dum debebat rescindere primum contractum, & per hanc pecuniam resarcire damnum illatum Monasterio. Tum quia huiusmodi pecunia à venditore recepta ex natura rei contractus referebatur ad liberationem fundi, qui certè non erat liberandus per pecunias Monasterij, sed ipsius venditoris, ergo non poterat expendi in fabricatione. Tum quia subrogatum sapit na- 5

6 turam eius, in cuius locum subrogatur, etiam pecunia, *Seraph. decis.* 179. *num.* 2. *Ciarlin. cap.* 161. *num.* 108. sed dicta pecunia erat subroganda pro extinctione Census fundati super possessione, & recuperatione proprij Census, ergo non poterat consumi in fabricatione, dum erat obnoxia pro redemptione Census male alienati. Demum pecunia destinata ad emptionem immobilium alienari non potest, *Quaranta V. Alienatio num* 25. *Tambur. de iure Abbat. disp.* 13. *q.* 1. *num.* 16. *Lezzana par.* 2. *cap.* 19. *num.* 59. *cum alijs. Donatus Ordinis Prædicat. par.* 2. *tract.* 14. *q.* 52. sed hæc talis erat ex natura sua, cum esset ordinata ex euictione ad liberandum fundum, quod est bonum stabile, ergo malè eam expenderunt in fabricam. 7

COINS

CONSILIVM XXXI.

An sequens pactum faciat Simoniam in permutatione Beneficiorum?

1 EPiscopus non potest permutare Be-
neficia parochialia tractata inter
Rectores duos cum hoc pacto: *Ci-
ascuno de medemi Signori permu-
tanti dà la propria Chiesa all' altro e promet-
te vicendeuolmente mantenerla libera, &
esente da qualsiuoglia pensione, e s' obligano
reciprocamente l' vn all' altro alla risattione
di tutti li danni, che l' vno, & l' altro potes-
se patire, quando sopra alcuna, ò tutte due
dette chiese fosse qualche Pensione*. Quod
2 potest habere duplicem sensum, primus
est, quòd ambo promittunt permutare Be-
neficium liberum à pensione, & pro tali ma-
nutenere illud, ita quod si verè, & realiter
soluenda sit Pensio ab vno illorum, alter
teneatur seruare alterum indemnem pro eo
tempore tantùm, quo non soluit Pensio-
nem, dum Beneficium possidebat, & in hoc
sensu illud pactum est licitum, non simo-
niacum. Secundus sensus est, quod tenea-
tur manutenere continuò, & semper pro
futuro tempore liberam à Pensione, quan-
do possidebit Beneficium pensione affectum,
& hoc pactum est simoniacum. Declaro
3 tractatum initum inter hos Rectores. Be-
neficium parochiale S. Mariæ dicitur habe-
re adiunctam pensionem, quam Rector præ-
sens hactenus non soluit, nec eius antecel-
sor, prætendentes non esse obligatos, quia
non remanent centum pro Rectore, nam
Parochia dismembrata fuit à duabus parti-
bus, ex quarũ vna erecta fuit noua Parochia
& alia pars vnita fuit alteri Parochiæ, quia
harum duarum partium populus erat extra
ciuitatem Parmæ, vnde noluerunt soluere
pensionem, cum vix habeant fructus ad se
alendos. Itaq alter Rector dubitans se co-
gi posse ad solutionem Pensionis, voluit il-
lud pactum apponi, adeo quod D. Lucre-
tius eueniente casu, quod D. Liuius moles-
tetur, se obligat seruare illum indemnem ab
omnibus molestijs non solùm quò ad Pen-
siones maturatas vsq. ad diem permutatio-
nis, sed etiam vlterius, quando D. Liuius
erit possessor beneficij S. Mariæ.
4 Probatur vtrunq. simul, nam pactum,
quod iure non inest, adiectum collationi
Beneficij efficit illam simoniacam, non ve-
rò si illud pactum exprimatur, quod ine-
rat ex Iustitia contractus, nam in Beneficijs
etiam Iustitia locum habet, *cap. quam pio
c. 1. q. 2.* vbi Glos. V. Pactio, dicit prohi-
beri pactionem inhonestam, nam honesta
non remouetur, quod idem habet *cap. fin.
de pactis, iuncta Glos. V. Cessare*. Dum
ergo vnus alteri promittit liberum manu-
tenere Beneficium, non committit Simo-
niam, quia ex natura rei tale pactum est li-
citum, & honestum, dum enim datur res
libera pro tali manutenenda est, sicut enim 5
Episcopus liberè debet permutare, *cap. Vn.
de rer. permut. in 6*. Ita & Rectores ad inui-
cem liberè permutare debent, sine pactione
quæ non insit naturæ rei, nam illicita pa-
ctio in Beneficijs vti simoniaca prohibetur,
cap. Cum pridem 4. de pactis Pactum ergo 6
quod inest de iure, si exprimatur non facit
Simoniam, vt docent omnes *cum Nauar.
consil. 4. de Simon. Megal. cons. 42. num.
1. Castropal. p. 3. de Simon. num. 5. Vers.
Dicendum, Fagnanus ad cap. Nisi essent,
de prabend. par. 4. num. 19.* vbi, quod pac-
tum de soluenda Pensione in permutatione
Beneficiorum, tunc imposita esse simonia-
cum facta ab Episcopo, non verò si erat an-
tiqua, & imposita auctoritate Pontificis Ro-
mani, quia hæc transit de iure cum Benefi-
cio, res enim transit cum onere suo, ex
vulgatis iuribus, in quo casu potest D. Lu-
cretius exprimere pactum in suo tractatu, vt
D. Lucius prosequatur soluere pensionem, 7
quam ipse soluebat, si soluebat, id enim non
est simonia *ex Paris. lib. 14. de Resign. q.
7. num. 22.* Quoniam verò D. Lucretius
hactenus non soluit Pensionem, quia con-
trouertitur eius subsistentia, bene potuit
adijcere pactum, quod D. Liuium manute-
nebit exemptum ab eàdem solutione, quò
ad maturatos fructus, non autem quò ad
maturandos post resignationem, & permu-
tationem, quia pactum quòad hunc poste-
riorem sensum non inest ex natura rei, sed
præter, quia nemo tenetur soluere aliena
debita, sed tantùm propria, Pensiones au-
tem maturatæ vsq; ad diem permutationis
sunt D. Lucretij, ergo pactum hoc cum sit
ex natura rei exprimi potest, cum enim ni-
hil de nouo inducat, nec simoniam produ-
cere potest, *Paris. lib. 14. de Resignat. q. 7.
num 67.* vbi numero præced. 65. ait quòd 8
pactio apposita in resignatione de soluendis
debitis Ecclesiæ, non est simoniaca, citan-
do pro se in terminis *Felin. in cap. Ad au-
dientiam, de rescr.*
Ab alijs autem citatis apud ipsum, habe-
tur

Digitized by Google

tur pro simoniacâ, quia hæc pactio non in est ex natura rei, cum Rector successor non teneatur soluere debita, quæ contraxit, sed eius hæres, *ex cap. Ex præsentium 3. de pignor.* intellige, quando contraxit debita voluntarie cum damno Ecclesiæ, non verò si ea contraxit pro seruitio Ecclesiæ, quia tunc tenetur Successor, ex allatis à Barb. hic, ac proinde tale pactum exprimi potest secundum Felinum, & Parisium de debitis preteritis à predecessore soluendis, cum eius sint, non futuris, quæ sunt successoris, & sic concordantur. Sed si bene inspiciatur textus, ibi sermo est de successore per mortem naturalem prædecessoris, qui non egerat cum successore, ideo pactum non precesserat nec expressum, nec tacitum.

Cum ergo D. Liuius timeat fore molestandus super exactione Pensionis, quæ controuertitur, non solùm pro tempore fructibus maturatis respondente, verùm etiam in futurum postquam adeptus fuerit Beneficium sic oneratum, non potest petere pactum indemnitatis de iure nisi respectiuè ad fructus maturatas in præteritum, cum D. Lucretius ad illarum solutionem teneatur de iure, ac proinde expressio pacti non producit Simoniam, quæ semper extrinsecùs aduenit rebus, quibus de se non inest. Respectu verò futurorum pacisci non potest sine vitio Simoniæ, cum insurgat ex hoc pacto noua obligatio ciuilis, quæ non inhæret, quare cum extrinsecùs adueniat permutationi, facit illam simoniacam, quam solus Pontifex Romanus potest purgare.

Immo eius sum opinionis, quòd quamuis liceat Renuntiatio D. Lucretio, non tamen conuenire permutationem, sicut en. m non potest permutari Beneficium litigiosum, quod præsumitur fraudulentum, *Parif. lib. 13. q. 4. num. 9.* ita neq; vbi Beneficium habet adiunctam Pensionem litigiosam. Quare concludendum est, prius esse litem expediendam, deinde expediri posse permutationem, quæ in omnibus, & per omnia erit libera. 10

CONSI-

CONSILIVM XXXII.

An in Permutatione Beneficiorum locum habere posſit Nouitius ſub nomine Clerici?

DVo Clerici ſeculares tractatum
fecerunt ſuper Beneficiorum ſuorum permutatione, deinde antequam porrigerent ſupplicationem Pontifici, vnus eorum, qui Beneficium habebat pinguius, recepit habitũ Religionis inter Capucinos, & alter exigui Beneficij remanſit in priori ſtatu. Appropinquat tempus Profeſſionis, & ambo volentes permanere in tractatu permutationis exponunt tractatum Pontifici ſub nominibus proprijs, quæ habebant tempore tractatus tacito nomine *Nouitij*, dubitatur an obtenta gratia permutationis à Pontifice ſit ſubreptitia, & nulla, tacito ſtatu alterius Clerici nunc Nouitij?

1 Reſpondetur, nullam eſſe obtentam
gratiam, nam eſt ſubreptitia tacito ſtatu
Nouitiatus, quia ſi Nouitius expreſſiſſet
ſuum ſtatum certè Papa gratiam non feciſ-
ſet, *cap. 2. de filijs Presbiter. in cap. ſuper li-*
2 *teris 20 de Reſcr.* vbi, quòd malitioſè tacens
verum in reſcriptis, caret impetratis, & ibi
omnes Canoniſtæ, etiamſi per ignorantiam
fuerit ſubreptio commiſſa, vt ibi notat *Gloſ.*
V. Literas, *Aymon. vol. 9. conſ. 68. num. 12.*
Menoch. de arbitr. caſu 202. num. 4. & conſ.
1. num. 407. Nullus autem dubitare debet
de negatione gratiæ huiuſmodi, ſi Papa
in Memoriali legiſſet, oratorem eſſe Noui-
tium, quia Nouitius volens remanere in
Religione eſt incapax Beneficij, cum re-
ceptio Beneficij referatur ad perpetuitatem
3 *cap. Sanctorum diſt. 70. cap. Penul. de Cler.*
ægrot. cap. ſi gratioſè, de reſcr. in 6. Caſtro-
pal. de Beneſic. p. 1. num. 5. cum ergo Bene-
ficium intendat recipere contra illius exi-
gentiam ſine animo retinendi illud, dum
vult profiteri, videtur eſſe illius incapax,
nam in tantùm Nouitius eſt capax Benefi-
cij ſecularis in quantùm non vult profiteri,
ſed reuertere ad ſeculum, *ex Probo &*
Franco in cap. Beneficium, de regul. in 6. 4
Caſtropal. cit. p. 3. num. 5. Et licet Nouitius
ſit dominus ſui Beneficij in ſeculo obtenti
ante ingreſſum Religionis, ex quo de illo 5
diſponere poteſt eo tempore ac ſi eſſet in
ſeculo, vſq; ad Profeſſionem, per quam
incipit vacare, id tamen non arguit in eo
capacitatem ad Beneficia in eo ſtatu obti-
nenda, ſed tantum permanendi in obten-
tis pro ſuo arbitrio, vt liber maneat ad
profitendum, vel reuertendum ad ſeculum,
ſi enim per ingreſſum perderet Beneficium,
liber non eſſet ad profitendum, ſed cogere-
tur profiteri ob defectum Beneficij, quò
non poteſt ſuſtentari, ſi redeat ad ſeculum;
vnde cogitur profiteri concordando per hoc
vt aiunt, cum locatore domus, cum ma-
cellario, cum furnario, cum medico &c.
Romanus autem Pontifex non ſolet conce-
dere Beneficia incapacibus, quales ſunt No- 6
uitij, ea etiam ratione, ne anſam illis
præbeat reuertendi ad ſeculum, retrahen-
do eos à ſtatu Religionis, vnde Canoniſ-
tæ concludunt apud *Caſtropal. cit. p. 3. num.*
5. Non decere, vt Beneficia ſecularia con-
ferantur Nouitijs, ne ipſis detur cauſa ad ſe-
culum reuertendi.

CONSILIVM XXXIII.

An pactum in mutuo sit vsurarium?

SI fà fede, come Pietro Mezadri dalla Costa ha riceuto lire doicento di quelli della Compagnia del Santissimo Rosario di Tizzano inprestito gratis, & amore sborsati per il Signor D. Giacomo Andrea del Monte Regente di detta Compagnia, quali danari s' obliga, & promette di restituirli per tutto il tempo di Pascha di Resurettione prossima auenire, e per cautezza di detta Compagnia depone stara venti di Formento in mano del Sargente Bernardo Mezadro presente, che confessa detta deposito, & non restituendo detti danari in detto termine la detta Compagnia resta patrona assoluta di detto formento, & questo alla presenza &c. Si cerca se la Compagnia sia patrona di quel Formento, abenche vaglia più delle doicento lire, non hauendo Pietro restituito il danaro à questa Pascha, essendo già passati tre mesi.

1 Societas sibi retinere potest Frumentum, vel eius pretium, duobus concurrentibus, *Primò*, si mutuatarius fuit in culpà retardando solutionem vltra terminum notabiliter, quia cum hoc pactum, quod vocatur legis commissoriæ ex cap. Significante 7. *de Pignor.* dicatur pœnale, necesse est, quod culpa præcesserit, aliter iniqua est retentio rei pignoratæ. *Secundò*, augmentum debet esse moderatum, quia non debetur comparatiuè ad debitum, sed respectiuè ad culpam ex mora restituendi contractam. Vnde si Frumentum valet duodecim libras pro quolibet stario, augmentum pœnale erit 40. librarum, quas amittit mutuarius, & hæc pœna videtur nimis grauis respectu moræ trium mensium.

Vide *Couar. lib. 3. cap. 2. num. 8. vers. Secundo*, *Lessium lib. 2. cap 20. q. 15. Azor. lib. 7 par. 3. cap. 6. q. 5. ex Scoto in 4. dist. 15. q. 2.* Ex quibus collegi eam responsionem, pariter *Bonac. de Mutuo p. 7. & 8. Castropal. disp. 4. de iust. p. 16.* qui requirunt nonnullas conditiones, ne pactum sit vsurarium, 2 *Prima est*, ne fiat in fraudem vsurarum. *Secunda*, vt mutuatarius culpabiliter sit morosus in soluendo. *Tertia*, vt mora sit notabilis. *Quarta*, vt pœna sit proportionata culpæ, vnde in præcitato capite *Significante* reprobatur pactum legis commissoriæ, in casu quo pœna est indiscreta, & immoderata &c.



CONSILIVM XXXIV.

An Pœnitentiarij Regulares ex suà deputatione præcisè possint absoluere à Reseruatis?

1 IN constitutione Clementis VIII. de casibus, quos Superiores regulares possunt sibi reseruare. Ita statuitur: *Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios pro subditorum numero maiori, vel minori, ijq. sint docti prudentes, & caritate praediti qui à non reseruatis eos absoluant, & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius iudicauerit.*

2 Hinc manifestè colligitur per eam deputationem non aquirere ius absoluendi à reseruatis, sed tantùm ab alijs peccatis non reseruatis, & in casu quo pœnitens habeat casum reseruatum, tunc ipse Confessarius debet petere licentiam à Superiore, qui eam denegare non debet, si Confessarius iudicabit pœnitentem dignum absolutione. Nota tamen hic, quòd Sacerdotes deputati ad Confessiones vigore huius Bullæ non sunt verè Pœnitentiarij, cum Bulla eis non tribuat hanc denominationem, vnde abusiuè tales nominantur.

3 Prædicta magis confirmantur, quia Pœnitentiarij in Catedralibus constituti ad formam *cap. 8. sess.* 24 ex ipsamet constitutione non recipiunt hanc facultatem absoluendi à reseruatis, nisi Episcopus eam expressè illis concedat. Ita *Floronus de casib.*

4 *reseru. par.* 1. *cap.* 4. §. 23. *Barbosa ad dictum cap.* 8. *plures citat num.* 25. contra Capeauillam, Mendozam, & Piasecium dicentes ex vi suæ deputationis posse absoluere à reseruatis, quod non displicet, quia deputatio Confessarij cum titulo Pœnitentiarij arguit aliquid plus auctoritatis, quam deputatio simplicis Confessarij, qui absoluit à non reseruatis, si ergo titulus ille aliquid addit, certè potestatem absoluendi à reseruatis. Nihilominus in casu nostro, in quo res est clara, absoluere non potest à reseruatis, cum sit simplex Confessarius super non reseruata, nec vllam habeat figuram Pœnitentiarij ex vi suæ deputationis.

Quòd si in aliquibus Religionibus nominentur Pœnitentiarij, præscindendo à Bullà Clementis VIII. puto istos sic deputatos ex elegantia sui tituli posse absoluere à reseruatis, cum non sint simplices Confessarij sed qualificati, ex sententià Doctorum citatorum. 5

Loquendo igitur ad præscriptum præfatæ Bullæ, Superior non tenetur constituere Pœnitentiarios, quibus immediatè concedat facultatem super reseruata, vt dixi *tom.* 1. *resolut.* 39. *q.* 27. apud Cotonium nostrum *lib.* 2. *controu.* 7. *cap.* 5. *q.* 8. *num* 147. vbi, quod tamen id facere potest ob summam libertatem, quam exigit Sacramentum Pœnitentiæ ne pœnitens, qui peccare non erubuit, timore erubescentię aliquod peccatum subticendo, loco medicinæ absorbeat *venenum* æternę damnationis, ad quod motus Clemens VIII. moderatus fuit materiam reseruandi casus per Superiores Regulares, sint ergo prudenter liberales in dispensatione casuum reseruatorum. 6

CONSILIVM XXXV.

An Regulares vti posſint Bullis Cruciatæ, & Mercedis Captiuorum?

1 REſponſum eſt negatiuum, vt cla-
rè habetur in Bullà Clementis
VIII. incip. ***Romani Pontificis***
64. & in alia ampliori Vrbani
VIII. incip. ***In ſpeculà*** 105. in B. N. In qui-
bus expreſsè prohibetur electio Confeſſarij,
& abſolutio à reſeruatis, vtrumque diuiſim
ita quòd non poſſunt eligere Confeſſarium
extraneum etiam ſimpliciter pro non reſer-
uatis, multò minus in ordine ad reſeruata
prætextu priuilegiorum quoruncunq; & in
ſpecie Bullæ Cruciatæ, quia quantum ad
Sacramentum Pœnitentiæ mens ſemper
2 fuit Summorum Pontificum, vt ſubſint in
omnibus ordinariæ diſpoſitioni ſuorum Su-
periorum, tam in foro conſcientiæ, quàm
in foro externo, & in omni loco per vni-
uerſum orbem, ſiue in Regnis, vbi eſt vſus
Cruciatæ, quam extra vbiq; terrarum;
electio enim Confeſſarij prohibetur omni-
bus Religioſis ordinum Mendicantium, &
3 non Mendicantium. Hoc reſponſum eſt fe-
re omnium, qui poſt Clementem ſcripſe-
runt, cum quibus eſt ***Diana p. 1. tract. 11.
reſol.*** 14. & in Addit. ***reſol. 9.*** vbi ait, oppo-
ſitum eſſe improbabile, ſtantibus ſupradic-
4 tis Bullis, Ego ***reſol.*** 34. ***num.*** 42. ***de Lugo
diſp. 20. de Pœnit. num.*** 153. vbi gratis dicit,
Saltem Mendicantes, quia vterq; Pontifex
id expreſsè prohibet Mendicantibus, & non
Mendicantibus; hos ſequitur nouiſſime An-
tonius à Spiritu Sancto in ſuo Directorio
***Regul. par. 1. tract. 2. diſp. 2. ſect. 1. §. 1.
num. 9. noſter Cotonius lib. 2. conſ. 13. cap.
2. q. 2. vbi num.*** 43. vtentes Cruciatà ap-
pellat amatores tenebrarum.
5 Non nulli tamen conantur probare vſum
Cruciatæ, & aliorum Priuilegiorum quò ad
ſimplicem electionem Confeſſarij in ordine
ſcilicet ad non reſeruata, verba enim vtri-
uſq. Pontificis ſunt iſta: ***Eligendi confeſſa-
rium, & abſoluendi à reſeruatis*** dantes illis
hunc ſenſum, vt prohibitio electionis refe-
ratur ad reſeruata, in quorum gratiam ſo-
let fieri electio, non verò reſpectu non re- 6
ſeruatorum. Sed reuera prohibitio electio-
nem comprehendit tam reſpectu vnius,
quam alterius, ex quo vterque Pontifex
declarat eorum intentionem fuiſſe, vt Re-
gulares quò ad Sacramenti adminiſtratio-
nem ſubeſſent ſuis Superioribus, Sacramen-
ti autem adminiſtratio incipit ab electione
Confeſſarij, ergo prohibetur ſimpliciter. 7
Ita Cotonius ***cit. num.*** 43. Dicta procedunt
non ſolùm reſpectu temporis eorum Pon-
tificum, ſed etiam ſubſequentium, nam
ſucceſſores illorum Bullam confirmantes
non plus concedunt, quam conceſſerint eius
prædeceſſores, niſi ſe declarent.
Ego hac occaſione legi Bullam Cruciatæ 8
confirmatam ab Vrbano VIII. & Innocen-
tio X. in qua ad caſum præſentem haben-
tur hæc verba: ***Poſſino elegerſi vn Confeſ-
ſore qualunque Sacerdote ſecolare, ò regola-
re delli approbati per l'ordinario, il quale
poſſa aſſoluere loro vna volta in vita, & vn'
altra nell' articolo della morte &c.*** In arti-
culo mortis nulla eſt reſeruatio, reſtat ergo
Beneficium vnicum ſemel accipiendum in
vità, quod & à ſuis Superioribus obtinere
poſſunt, itaq. parum ſunt vtilitatis etiam
quo ad Indulgentias, cum habeant pleniſ-
ſimas ex Bulla Pauli V.
Supradictæ autem Bullæ loquuntur non 9
ſolum de Bullà Cruciatæ, ſed etiam de qui-
buſcunq. alijs Indultis eligendi Confeſſa-
rium; vnde hæc prohibitio comprehendit
etiam indulta, & priuilegia conceſſa Mer- 10
cenarijs Captiuorum, quorum priuilegia
confirmando Vrbanus VIII. ſub Bulla 21.
in Append. vtitur Clauſulis: ***Quatenus ta-
men ſint in vſu, & non reuocata, nec ſub
aliquà reuocatione contenta.*** Anno 1634.
ſupradicta verò reuocatio ab eodem Vrba-
no data fuerat anno 1630.

CONSILIVM XXXVI.

An conueniri possit Fideiussor ante excussionem bonorum Debitoris?

1 FIdeiussio duplex est, vna simplex expressa solo fideiussionis verbo, quæ raro fit, nisi apud ignorantes vim illius, & sequentis, altera verò est quæ fit à Fideiussore, qui cum hac clausulâ *Principaliter, & in solidum*. Se obligat. Prior petit excussionem bonorum, non posterior, quia ex vi eius clausulæ obligatur eodem modo ac si esset principalis debitor, & pro tali reputatur respectu ad creditorem, rationem verò Fideiussoris habet respectu debitoris, cui magis seruit. Quare sit intelligendus est text. Autent. *Præsente tamē vtroq. non permittitur intercessorem conueniri prius quam reus inuentus est minus idoneus siue in totum, siue in partem C. de fideiuss. & mandat.* Quamuis iure alio antiquiore dabatur electio creditori vexandi alterum eorum sine discussione, ex l. In duobus 3. §. *Vbi duo rei facti sunt, potest vel ab vno eorum solidum peti, hoc enim ius duorum reorum, est, vt vnusquisq. eorum in solidum sit obligatus, possitq. ab alterutro solidum peti. Partes autem à singulis peti posse, nequaquam dubium est, quemadmodum vt a reo, & à Fideiussore petere possumus, vtiq. enim cum vna sit obligatio, vna etiam summa est.*

Itaq. ergo a Doctoribus concordantur isti duo textus, vt simplex Fideiussor vexari non possit, nisi prius fiat discussio bonorum principalis, cui ille propriè dicitur accedere, ad formam præfatæ autenticæ, nisi cedat Priuilegio, emanauit enim in fauorem de-
2 bitorum, ac proinde ei renuntiari potest, patiendo molestiam Creditoris, cui censetur renuntiare, si initio litis tacuit, *Hippol. in l. Si quis ff. de quæstion. num. 57. Capella Tolosana decis. 166. cum. alijs apud Barb. ad cap. 2. de fideiuss. num. 3.* Posterior verò loquatur de fideiussore qualificato, qui se per præfatam clausulam constituit principalem, vt omnes Doctores dicunt, quia obligatus in solidum, licet respectu illius, pro quo se obligauit dicatur Fideiussor, respectu tamen personæ, cui se obligauit in omnibus, & per omnia dicitur principalis, ex allegatis à *Rotâ par. 1. decis. 299. num. 4.*

3 Quare Fideiussor qualificatus, omissâ discussione bonorum principalis, cum se in eius locum constituerit, conueniri potest, quia per eam Clausulam renuntiauit beneficio exceptionis huiusmodi, ita *Molina disp. 545. cum alijs vltra 20. apud Barb. ad cap. 2. de Fideiuss.* vbi quando Fideiussor se obligauit vt principalis in instrumento censetur renuntiasse huic beneficio. *Iason cons. 58. col. 1. Vers. Non obstat, Gratus cons. 87. num. 25. lib. 1. Boer. dec. 221. num. 13. Ioachinus Scaynus dec. 86. num. 7. Gabriel Commun. de fideiuss. concl. 1. limit. 28. cum alijs idem Barb. num. 3.* qui *num. 9.* alijs citatis dicit in foro ecclesiastico denegari exceptionem discussionis.

Fideiussor cum eâ clausula non reputatur Fideiussor, sed principalis respectu Creditoris, & tenetur licet Principalis obligatio esset nulla, *Ludouis. dec. 321. num. 7. ibidem Addit. num. 13 decis. 445. num. 2. decis. 560 num. 2. & 4. decis. 564. vbi num. 3.* quod Fideiussor, quando se obligauit vti principalis, eius obligatio non dicitur habere dependentiam aliquam ab obligatione Principalis, & perinde est, ac si solus se in solidum obligasset. Quando igitur se obligat principaliter censetur principalis debitor, & correus cum eo, *Merlin. dec. 512. num. 6. & 9. dec. 822. num. 13. & 15.* Obligatus in formâ Cameræ tenetur eodem modo, quò Principalis, *Ottobon dec. 169. num. 1. Gratian. cap. 310. num. 28.* 4

Conueniri ergo potest Fideiussor qualificatus, omissâ discussione bonorum principalis, dum est in solidum obligatus, *Alex. vol. 7. cons. 29. num. 3. Mar. Anton. lib. 2. resol. 25. num. 6. Riccius alijs citatis par. 3. dec. 93.* 5

Consentiunt Patres Societatis Iesu *Molina cit. disp. 545. Lessius lib. 2 cap. 28. num. 3. ibi: Ex his sequitur, non esse propriè Fideiussorem, qui constituit se pro alio debitorem principalem, quia non se obligat accessoriè, seu in defectum alterius, sed æquè primò, vnde potest statim conueniri.* Nec sibi aduersatur sub num. 9. vbi loquitur de Fideiussore simplici, & accessorio, vt colligitur ex illis verbis *Fideiussio communis*, quæ referuntur ad simplicem requirentem discussionem bonorum, antequam vexetur Fideiussor accessorius, non verò ad qualificatum, qui conueniri potest omissâ bonorum alterius discussione, & si ignorauit exceptionem prauiæ excussionis bonorum vt notat ibidem num. 10. valet solutio. *de Lugo disp. 32. de Iust. num. 8.* vbi, quando Fideiussor renuntiauit beneficio præfatæ legis 6

Auth. Presente, *C. de fideiussor.* conueniri potest, ommissâ discussione bonorum *Bonac. de fideius. p. 1. num. 5.*

8 Quare cum Procurator Patrum N. N. conuentus fuerit, vt repræsentans personam D. Fragni defuncti Fideiussoris cuiusdam Census, cum clausula: *vti principalis, & in solidum*, viso quoq; processu, & cognitâ veritate, quòd Fratres S. N. N. erant veri, & reales, debitores dicti Census, ad euitandas vlteriores expensas, publico instrumento promisit soluere vallato cum omnibus Clausulis, ex quibus censetur renuntiasse omni beneficio, quod habere potuisset super exceptione discussionis, quam nullatenus habebat.

Colligitur ex his, creditorem non teneri excutere bona fisci, quia sententia Garoni *de iure fisci fol. 182. num. 16. Guazini de confisc. bonor. concl. 20. num. 12. Masini eod. tract. 35. num. 14. Baptistæ Mauri de fideius. par. 2. sect. 10. cap. 19 num. 8. & Peregr. de iure fisci lib. 5. tit. 1. num. 66.* est de Fideiussoribus accessorijs, non correis, qui se obligauerunt principaliter, & in solidum & accedit conuentio inter partes vallata cum debitis Clausulis & cum obligatione Camerali, quæ impedi non potest aliqua turbidà exceptione, *Ottob. decis. 2. num. 11.* & turpe est venire contra factum proprium. 9

CONSI-

CONSILIVM XXXVII.

An confirmatio Priuilegiorum facta vndecim Congregationibus Regularium sit in forma specifica?

1 Vndecim Congregationes sunt, videlicet, Cassinensium, Lateranensium, Oliuetanorum, Camaldulensium, Montis Coronæ, Cartusiensium, Vallis Vmbrosanorum, S. Georgij in Algâ, Cælestinorum, Cisterciensium, & S. Hieronymi. Quibus Alex VII. per suam Bullam incip. *Nuper* sub datum 21. Nouembris 1661. confirmauit eorum Priuilegia occasiõe petitionis sex Decimarum fructuum, redditruum, & prouentuum ex eorum bonis in opem, & subsidium adiuuandi Catolicos contra impetum Turcarum. Verba autem confirmatoria in eadem Bullâ sunt hæc, quæ subscribuntur.

2 Declarantes, quòd per huiusmodi subuentionem Nobis, vt petitur, faciendam, Priuilegijs, Immunitatibus, Exemptionibus, & Gratijs, tam per prædictum Pium prædecessorem, per eius literas sub datum anno 1570. 14. Cal. Aprilis, Pontificatus sui anno VI. quàm per piæ memoriæ Clem. Papæ VIII. similiter prædecessoris nostri literas sub annulo Piscatoris die quinta Maij 1595. ac etiam per alias eiusdem Clementis prædecessoris literas in formà motus proprij de anno 1597. seu aliàs eisdem Congregationibus concessis, nullatenus præiudicatum sit, aut esse censeatur. Immò Priuilegia, Immunitates, Exemptiones, & Gratias prædictas, ac omnes etiam, & quascunq. alias Gratias, Immunitates, & Priuilegia per quoscunq. prædecessores nostros. quomodolibet concessa, quatenus tamen sint in vsu, & decretis Sacri Concilij Tridentini non aduersentur, harum serie, quatenus opus sit, de nouo confirmamus, approbamus, & innouamus, illaq. eisdem Congregationibus inuiolabiliter obseruari mandamus, etiamsi tam Literæ prædictæ Pij V. quam Clementis predecessorum huiusmodi, & aliæ quæcumq. super præmissis in Camerà Apostolicà registratæ non essent, non obstante constitutione similis memoriæ Pij IV. pariter prædecessoris nostri de quibuscunq. literis, & gratijs interesse Cameræ concernentibus registrandis, volentes etiam, quòd præsentes nostras in eadem Cameraregistrare, seu registrari facere minimè teneantur. Decernentes insuper ex omnia, & singula valida, firma, & efficacia esse, & fore, suosq. plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, &c.

3 Quæritur, an huiusmodi confirmatio sit in formà communi, an verò in formà specificà, præmissà scilicet cognitione rei confirmatæ, an non præmissà.

4 Confirmatio in formà communi est illa, per quam Superior, nullo examine præmissorem confirmat, relinquendo eam in suo statu, in quo erat ante, adeo quòd si erat valida eam corroborat præcisè nihil addendo, vel detrahendo à suo statu, si erat nulla & inualida, talis remanet, & nullas vires recipit per illam confirmationem, quia quĩ confirmat non donat, *ex cap. Inter dilectos 6 §. Cæterum, de fide Instr.* nullum ergo ius tribuit de nouo. Ita colligitur *ex cap. Quia diuersitatem 5. de conceß. prebend. & in cap. Examinata 7. de confirmat. cap. Ex parte 12. de consti. ibi Glos. V. Confirmat, cap. quia intentionis 29. de priuileg.* in terminis nostris *Cum innouatio nec ius nouum conferat, nec etiam tollat vetus, te in eo statu esse volumus, in quo tempore impetratæ innouationis dignosceris extitisse.* Quare parum, aut nihil valet hæc confirmatio, vt dicunt *Glos. fin. cap. 1. de confirmat. vtorq. Abbas ibidem, antiquus num. 2. iunior., num. 6. Bald. num. 2. Cassador. decis. Vu. de confirm. Rota par. 7. decis. 84. num.* 8. apud Fagnan. ad cap. 1. *de confirmat. num.* 19. in terminis de innouatione Priuilegiorum Regularium.

5 Confirmatio verò in formà specificà, seu ex certà scientià est illa per quam superior confirmat aliquid præmisso examine illius secundum omnes eius circunstantias, quarum omnium cognitionem habere dicitur, vt importat clausula: *Ex certa scientia* Ita colligit *Rota par. 1. Recent. decis. 192. num. 3. ex cap. Pastoralis 28. §. Præterea, de offic. deleg. Tamb. tom. 1. disp. 18. q. 1. num. 4. Barb. ad cap. 1. Rubr. de confirmat. num. 7.*

6 Dicitur autem primò confirmatio esse in formà specificà, quando tenor Priuilegij totus inseritur in cartà confirmatoria, *cap. pen. de confirmat. Panor. in cap. sua nobis 8. de confirmat. num. 9. Rota par. 6. dec. 157. num. 8. par. 7. dec. 222. num. 12. & 13 Bar.* ad

ad cap. cum dilecta 4. de confirmat. num 13. Sufficit etiam insertio substantiæ rei, *Rota decis.* 36. *par.* 2. *& par.* 7. *dec.* 226. *num.* 22.

6 Dicitur 2. esse in formà specificà, per insertionem huius clausulæ in cartà confirmatorià, *Ex certà scientia*, esset enim mendacium, si Superior eà vteretur sine cognitione Priuilegij confirmati, pro cuius veritate sufficit legalis cognitio, de qua *cap.* 1. *de constit. in* 6. *Qui iura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere*. Quamuis ergo tenor Priuilegij, vel Priuilegiorum confirmatorum non sit insertus in cartà confirmatorià Priuilegiorum, adhuc confirmatio dicitur esse in formà specificà confirmans actum aliàs nullum, faciens de nullo validum. Ita *Suarez lib* 8. *de legib. cap.* 18. *num.* 6. *Barb. ad cap. cum dilecta* 4. *de confirm. num.* 17. vbi ait, confirmare quidem Priuilegia quò ad valorem, non quò ad defectum intentionis, & subreptionis, *ex Garzia de benef par.* 3. *cap.* 2. *num.* 236. *Gab tel. de Clausulis concl.* 1. *num.* 61. *Gutter. conf.* 11. *n* 13. Tambur. tom 1. *disp.* 18 *q.* 1. *num.* 6. *Vers. contrarium*, *Sanch. lib.* 7 *cap.* 29. *num.* 144. *Portel V. Priuilegium num* 27. *Castropal. par.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. *par.* 2 §. 10. *num* 2. *Layman lib.* 1. *tract.* 3. *cap.* 23. *num.* 16. *Compend. Rodriq. resol.* 116. *num.* 7. *Miranda tom* 2. *q.* 45. *art.* 1. *concl.* 2. *Rodriq tom.* 1. *q.* 8. *art.* 3.

7 Dicitur 3. Confirmatio esse in formà specifica, & ex certà scientià, quando Princeps mandauit examinari causam, quam relatione de eà acceptà, confirmat, sine insertione tenoris eius, aut Clausula *Ex certa scientiâ* quia ex informatione sibi factà dicitur sufficienter instructus, & habere notitiam de re confirmata, ex cap. Pastoralis 28. §. Præterea, de off. deleg. neq. enim necessarium est, vt Princeps se immediate informet de causà, sed sufficit, vt mandet suis ministris cognitionem causæ, & deinde illis instructus confirmet, exprimendo in cartà confirmationis examen factum per eius ministros super negotio confirmato, ita colligo ex citatis Doctoribus.

8 Dicitur 4. Confirmatio cum hac clausulà *De plenitudine potestatis*, esse in formà specifica. It *Rodriq tom.* 1. *q.* 8. *art.* 3. *citans pro se Panor Decium*, *Craustam*, qui cum Panormitano ad cap. Ad hæc 10. de Rescript. aiunt, Clausulam: *De plenitudine potestis*, importare idem, quod Clausula: *Ex certa scientia* Hæc indicat confirmationem in formà specificà, vt mox dixi ergo & illa, *Miranda tom.* 2. *q.* 45. *art. primo concl* 2. vbi conclusionem vocat communem, *Castropal. par.* 1 *tract* 3. *de priuileg. disp.* 4. *par* 2. §. 10. *num.* 2. *Layman lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 16. *q.* 1. *Suar. de legib. lib.* 8. *cap.* 18. *num.* 6. *Portell. V. Priuilegium num.* 27.

Dicitur 5. confirmatio esse in formà specifica, quando in cartà exprimitur hæc clausula: *Pro expressis* &c. *Seu quorum tenores* &c. Quia important specialem, ac indiuiduam expressionem Priuilegij, ac si de verbo ad verbum insertum fuisset in confirmatione. Ita docent *Peyrin. ad* 4. *constit. Sixti IV.* §. 3 *n.* 3. *Castropal. par.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. *par.* 2. §. 10. *num.* 2. ibi: *Confirmare Priuilegium suum ex certa scientia id debet explicare, vel in actu signato &c.* Ea enim clausula: *Quorum tenores* &c. propriè explicat Priuilegium in actu signato. Et quamuis omnes concedant, quòd hæc clausula operatur indiuiduam expressionem Priuilegiorum, ac si in specie totum Priuilegium esset insertum, vt docent pler. q. citati à Theodosio Rubeo clauf. 658. num. 10. non operatur tamen, vbi requiritur certa scientia, ac propterea confirmatio non dicitur facta ex certà scientià, & in formà specificà, nisi totus tenor inseratur, ex allegatis ab eodem Theodosio num. 3. & 4. Pasqualig. q. 110. vbi expresè dicit, eam clausulam non facere confirmationem in formà specificà, quia solet apponi à copistis in extensione minutarum supplicationum, & proinde non de expressà voluntate Principis, ex allegatis ab ipso, & hæc clausula importat Scientiam fictam, non realem, quæ requiritur ad confirmationem specificam prouenientem ex certà scientià, ac proinde reali, non fictà. 9

Displicet mihi hæc doctrina, quia nimis restringitur potestas Principis, si in confirmatione specifica debeat vti scientià exercità, & actuali, & non possit vti scientià signatà, & virtuali, quam isti appellant fictam, ac proinde frustra ab eis ponitur huiusmodi clausula, si nihil operatur, quod tamen admittendum non est, quia in Legibus, ne vna quidem sillaba debet esse superflua, *Gonz. Glos.* 22. *num* 5. multo minus clausula, quæ orationem complet, & apud omnes constat, eam clausulam esse efficacem, estque talis virtutis, vt operetur, ac si totus tenor expressus fuisset, consequenter cum eadem sit virtus taciti, & expressi, ac proinde inuocatur pro certà scientià quò ad effectum faciæ confirmationem specificam.

Adducta ratio à Pasqual. de Copistis infert absurdum, nempe literas Principum non esse illos integras, si permitterentur Copistæ addere, quod non est de mandato Principis; & sic omnes haberi possent pro falsis, & subreptitijs. Vide *Suar. lib.* 8 *cap.* 18. *num.* 14. vbi doctrinam Alex. & Tuschi duo requirentis ad specificam confirmationem, & quòd confirmatio pro-

fertur

feratur excertâ scientiâ; & quòd in Principe precedat cognitio defectus, & nullitatis Priuilegij, repellit quòd ad secundum, quia reddit incertas omnes huiusmodi confirmationes, quis enim nouit, an Princeps exactè examinauerit valorem prioris actus; quare melius alij dicunt, Priuilegium datum cum eâ virtuali & confusâ cognitione sufficere, & habere suam efficaciam confirmandi aliàs inualida.

11 Dicitur 6. confirmatio esse in formâ specificâ, quando in eâ exprimuntur hæc verba: *Ac de nouo concedimus*. sunt enim satis clara, & referuntur magis ad reuocata, quàm ad subsistentia, cum vt dicunt Doctores, vt infra sub num. 17. confirmatio specifica dicatur noua concessio, vt ea verba insinuant, vnde Decius *cons. 445. num. 6. apud Theodos. clau hac* 272. ait appositam concessioni feudi importare nouum feudum.

His obstare videtur Iulius II. qui in suâ Bullâ 9. apud Bullarium Rodriq. *num.* 4. ibi: *Et per confirmationem dictorum Priuilegiorum per ipsum Sixtum prædecessorem factam, ac eorumdem Priuilegiorum nouam concessionem, per verba*: De nouo concedimus, *solummodo esse confirmata Priuilegia dicto ordini concessa, & non aliàs reuocata*. Eandem Bullam refert Vadingus tom. 8. Bullâ X. & ibi o taxatiuæ *Solummodo* legitur *simili modo*. Vnde moueri potest difficultas.

12 Quare respondeo, responsum Iulij II. non posse referri ad Maremagnum à Sixto IV. concessum, quia in eo inseruntur multæ Bullæ, quas confirmat cum illis verbis, *De nouo concedimus*, quæ proinde confirmant etiam reuocatas; ne ergo dicatur eius responsum esse contra rationem, & iura, respondendum illam Clausulam: *De nouo concedimus* non esse referendam ad eam Bullam, & quia confirmatio est in forma specificâ, & quia in eâ non fit mentio de constructione, & ædificatione domorum, sed tantùm de translatione domorum; sed ad quædam oracula minus autentica, vt videri potest in Compend. Minorum V. Ædificare, num. 6. & 7. quæ reuocata iure communi Bonifacij VIII. non reuiuiscunt per eam clausulam, sine eius speciali reuocatione bullatâ.

Dicitur 7. confirmatio in formâ specificâ, quando in ea exprimitur claus. *Non obstantibus derogatorijs derogatoriarum, & reuocationibus &c.* Nam debent aliquid operari, cum non exprimantur otiosè, & irrationabiliter, ergo tollunt reuocationem Priuilegij restituendo illud per confirmationem. Ita colligo ex Rota *par. 2. Recent dec.* 87. *nu.* 4. *Tamb. tom.* 1. *disp.* 18. *q.* 6. *num.* 39. *Lezana V. Clauf. num.* 42. *Donat. par. 1. tract.* 9. *clau.* 9. *num.* 6. *Theodos. Rub. clauf.* 496 *num.* 47. qui licet expresè non loquantur in nostris terminis, idē tamen sentiunt, cum aiunt, huiusmodi obstantiam suum operari effectū qui aliud esse non potest, nisi reuocatum restituere in pristinum, quod præstat confirmatio in formâ specificâ talis cognita per huiusmodi obstantiam.

Supradictos modos plerique reijciunt apud Pasqualigum, excepto primo de insertione tenoris Priuilegij in confirmatione, quæ ab omnibus cognoscitur in formâ specificâ, ideo remanet in reliquis altercatio.

Contra secundum ex clausul. *Ex certa scientia* faciunt dicta à Pasqual. *q.* 107. qui postquam retulit vltra viginti Doctores pro nostrâ sententiâ, recenset totidem pro contrariâ, quam sequitur, & probat quia non potest confirmatio in formâ specificâ prouenire à Principe, nisi secundum suam specificam formam fit in ipso volita, & non potest esse volita, nisi mente concipiatur, & sit illi cognita, non potest autem mente concipi, nisi cognitio Principis tendat in illud speciale, quod intendit confirmare secūdum omnes suas circunstantias, id autem Princeps habere non potest sine insertione tenoris Priuilegij, confirmandi, ergo ea clausula non sufficit, sine speciali cognitione Priuilegij. 13

Respondeo, sufficere quamlibet cognitionem tacitam, virtualem, immo & confusam, quia conformatio est magis actus voluntatis, quam intellectus. Et quod talis cognitio sufficiat, probatur ex praxi summorum Pontificum, qui post Sixtum IV. loco insertionis Priuilegiorum per extensum, cæperunt vti huiusmodi clausulâ *Ex certâ scientiâ*, ne scriptoribus, & impressoribus tam grandis series Priuilegiorum esset nimis onerosa, & laboriosa, ergo hæc sufficit, neque enim per huiusmodi clausulam Pontifices aliud significare voluerunt quam cognitionem, quam habent de Priuilegijs concessis à suis prædecessoribus, quę sicut alia iura gerunt in scrinio pectoris sui, Priuilegia enim Regularium leges eorum sunt, & censentur ac si essent inserta in corpore iuris *Oldrad. cons.* 100. *num.* 4. *Verf. considerandum, Sanch. lib.* 8. *disp.* 1. *n.* 13.

Contra quartum, *ex plenitudine potestatis*, adducit Doctores, dicentes eam non sufficere ad inducendam confirmationem *in formâ specificâ*, nisi ex tenore confirmationis colligatur, fuisse Principem exactè informatum de eo, quod confirmat, Priuilegia enim sunt quid facti, quod ignorat, nisi informetur, & alia multa addit idem *Pasqual. q.* 111. 14

Quibus responderi potest, vt dictum fuit in præcedenti, sufficere qualemcunque notitiam priuilegiorum in actu signato, & confuso

fuso, cum vt dixi, Priuilegia Regularium habeantur loco legum, & ad harum comparationem destruantur, & recipiant esse, quando placet Principi. Vlterius hæc clausula, *de plenitudine potestatis* importat absolutam, & liberam Principis potestatem, vt docent omnes, *cum Sanch. lib. 2. disp. 15. num. 3. Natta conf. 512. num. 19.* ergo addit aliquid confirmationi, quo careret, si fuisset facta sine illâ, quæ proinde diceretur *in forma communi*, sed hæc corroborat Priuilegium existens, ergo confirmatio cum illâ clausulâ aliquid amplius operari debet, sed nihil assignari potest vlterius, nisi confirmatio rei, & Priuilegij aliàs reuocati, restituens illud in pristinum statum.

15 Contra quintum idem Pasqual. q. 110. illam clausulam; *Quorum tenores*, probat non importare confirmationem, cui adijcitur, *in formâ specificâ*, quia non multum attenditur, cum apponatur non à Principe, sed à Scriptoribus: sed reuera id omnino est falsum, vt supra probaui, neque enim in dubium reuocandum est, an tota Bulla sit Pontificis, cum pro affirmatiua sit concludendum, quando de eius legitimate constat.

16 Clausula *ex motu proprio* nullam arguit confirmationem *in formâ specificâ*, cum tantùm significet, Principem à nullo requisitum concedere gratiam ex propria voluntate, & non ad alicuius petitionem, *Pasqualig q. 108.*

17 Quando igitur in literis exprimitur vna ex dictis clausulis confirmatio censenda est esse *in formâ specificâ*, debent enim aliquid plus operari, quam si non exprimerentur, dum in literis Principis nihil inutile, & otiosum dicatur contineri, efficient ergo aliquid supra id, quod non potest confirmatio *in forma communi*, cuius virtus est confirmare ea, quæ existunt, ac proinde confirmabunt etiam aliàs reuocata, & restituent in pristinum statum, in quo erant in primâ concessione, id enim est proprius effectus confirmationis *specificæ*; *communis* verò cum confirmatione *in forma communi* corroborare, quodiam firmum existit. Quare confirmatio *ex certâ scientiâ* habet vim nouæ concessionis dando esse rei non existenti & de inualidâ faciendo validam, *Felin. in cap. inter dilectos, de fide Instrum num 14. Decius conf. 184. num. 8. Rota par. 2 Recent. dec. 513. Paris. lib. 1. conf. 19. num. 15. cum alijs Barbosa in cap. cum dilecta 4. de confirm. num. 19.* Vnde non dicitur simplex confirmatio, vel innouatio, sed ampliatio, & noua concessio eorum, quæ in literis exprimuntur, siue in specie, siue in genere. *Glos. V confirmamus cap. Si Apostolica, de præbend. in 6 Rum lib. 1. conf. 31. num. 5. Gonzad. conf. 62. num. 15. Rota par. 1. Recent. dec. 192. num. 2.*

Confirmatio igitur *in formâ specificâ* operatur, vt ea, quæ erant valida, approbentur, & quæ valida non sunt, recipiant robur ex huiusmodi confirmatione. Ita omnes *cum Decio conf. 241. num. 7. Cassador. dec. Vn. de confirm Suar. lib. 8. de legib cap. 18. num. 6. & cap. 19. num 4 & 5. Lezana V. Priuilegium num. 23. Portel. V. eod. num. 33. Rota par. 6. dec. 197. num. 9. Sperellus dec. 155. num. 66.*

Confirmatio huiusmodi tres parit effectus 18 *primò*, inualido dat esse, *secundò*, fit maioris auctoritatis confirmatum, *tertiò*, nullus iudicare potest super confirmationem *Glos. in cap. Firmiter 10. 17. q. 4. Glos. V. confirmatum cap. cum accessissent 8 de const Glos. v. Forma communi cap. Quia diuersitatem de concess. prabend. Rodr tom 1. q. 8 art 3. Vecchius disp. 9. de Nouitijs dub. 13. num. 4.*

Deficiente ergo vna ex dictis clausulis 19 in literis confirmatorijs confirmatio dicitur *in formâ communi* in omnium sententiâ corroborans solum ea, quæ existunt, circa autem inualida nihil operatur, si enim illis daret esse, iam non esset confirmatio generica, & *in formâ communi*, sed ex certâ scientia, & *in forma specificâ*.

Propter Fagnanus in cap. *Si quis de confirm. num. 18.* confirmationem *in forma communi* appellat eam, quæ habet adiunctam conditionem, *si iustè, canonicè, aut prouidè factum sit*, vel aliam consimilem, ex Abbate hic *num. 6* quæ hodie, inquit, exprimuntur in confirmationibus statutorum, & Priuilegiorum ex stylo per clausulam; *Dummodo sacris canonibus Tridentini Concilij decretis, & constitutionibus Apostolicis non aduersentur*. Vnde similis clausula destruit omninò virtutem confirmatoriam, & potius est illudere proximo quam illi benefacere. 20

Clemens VIII. per suam Bullam 51. incip. *Ratio pastoralis*, sic confirmauit Priuilegia Minorum de obseruantiâ, & Fratrum Tertij Ordinis. *Ex certa scientia in his omnibus, in quibus decretis Concilij Tridentini non aduersentur, saluis etiam decretis a Nobis in fauorem Fratrum Reformatorum concessis approbamus, & confirmamus, & innouamus*. Si audiamus Fagnanum, cum huiusmodi confirmatio sit conditionata, erit *in formâ communi*, quod tamen falsum est, quia constat non solùm clausulâ *Ex certa scientia*, sed etiam illâ antecedenti, *Pro sufficienter expressis habentes*, & in obstantiuâ. *Non obstantibus irritatiuis, derogatorijs &c.* quæ omnes clausulæ ex supra probatis indicant confirmationem *in forma specifica*. Quare restrictio addita confirmationi specificæ non tollit eius efficaciam respectu eorum, quæ non comprehendun- 21

henduntur sub limitatione, quæ aliàs reuocata reuiuiscunt per huiusmodi confirmationem.

22 Paulus V. confirmat Priuilegia Ordinis B.M. de Mercede Redemptionis Captiuorum in sua 25. incip. *Inter omnes*, nominando omnes Pontifices, qui eis concesserunt Priuilegia incipiendo à Gregorio IX. cum clauf. *Quorum omnium tenores* &c. quæ sine dubio importat insertionem virtualem omnium Priuilegiorum ac si de verbo ad verbum expressa fuissent, esset enim labor immensus, & dispendium nimis præiudiciale illorum Pontificum Bullas extendere; ac proinde confirmatio est *in forma specifica*, consequenter renouantur Priuilegia aliàs reuocata, maximè cum addatur alia clausula. *De nouo concedimus*, intellige non comprehensa in limitatione, quæ est talis. *Dummodo tamen sacris Canonibus, & decretis Concilij Tridentini, ac constitutionibus Apostolicis contraria, & sub aliquibus reuocationibus comprahensa non sint.* Quæ exceptio si bene contempletur omnino destruit confirmationem à suo robore, de inualido faciendi validum, Priuilegia enim inualida fiunt per reuocationem, quæ à solo Pontifice sunt reuocabilia, nisi vlterius dicam ea amittere vires per non vsum, vel contrarium vsum, iuxta quod dicam infra, & ex hoc capite hæc confirmatio sortietur effectum restituendi ea, quæ euanuerunt per non vsum, vel per contrarium vsum, quæ clausula non fuit expressa in Bulla præfata.

23 Idem Ordo à Gregorio XV. per Bullam 22. incip. *Iniuncti Nobis* recepit confirmationem, sed reuera tantùm *in forma communi*, cum nulla ex prædictis clausulis legatur in eâ Bullâ multum limitatâ his verbis: *Dummodo tamen Priuilegia, & indulta, & alia prædicta omnia, in vsu, nec reuocata, aut sub aliquibus reuocationibus, & abolitionibus comprehensa non sint, &c.*

Vrbanus quoq. VIII. in sua 94. incip. *Ex clementi*, confirmauit eorumdem Priuilegia cum clauf. *Quorum tenores*, prætermittendo nomina omnium Pontificum sicut fecerat Paulus V. sed quoniam clausula limitatiua destruit naturam confirmationis *in forma specifica* remanet in forma communi, vt colligitur ex hac limitatione ibidem expressa. *Dummodo tamen sint in vsu, & sacris Canonibus, & Concilij Tridentini decretis, nec non Apostolicis constitutionibus, & dicti Ordinis regularibus Institutis non repugnent, illaque, illaq. hactenus reuocata, & reuocata, ac sub aliquibus reuocationibus comprahensa non sint.* Non est ergo locus confirmationi *in forma specifica*, cum reuocata restituere non possit, obstante hac limitatione.

24 Idem Pontifex Fratribus eiusdem Ordinis S. Trinitatis Redemptionis Captiuorum Discalceatis Hispan. in alia Bulla 21. in Appendice, communicat omnia Priuilegia Mendicantium, & non Mendicantium, sine tamen vlla ex prædictis clausulis, quia est communicatio, non confirmatio, non Intendit tamen communicare iam reuocata illis verbis: *Quatenus tamen sint in vsu, & non reuocata, nec sub aliqua reuocatione comprahensa.* Et sub his verbis comprehenditur etiam Tridentinum, contra quod nihil potest huiusmodi communicatio, quæ non extenditur ad reuocata simpliciter, ergo nec ad reuocata per Tridentinum.

Volui huius Ordinis Mercenarij examinare Priuilegia, quibus se iactant habere plenam potestatem super casus reseruatos tum in Bulla Cœnæ, tum Episcopis, non obstantibus quibuscunq. reuocationibus, communicantes suis Confratribus, vt possint ab omnibus absolui reseruatis per Confessorem ab eis electum, quod omnino falsum esse, constat examine iam facto super dictis Bullis, quæ non nisi confirmationem in formâ communi continent.

Quid concludendum, quando dubitatur, an confirmatio sit in *forma specifica*, an in *forma communi*?

25 ℞. In dubio non remoto resoluendum est, confirmationem esse in *forma communi*, non *specifica*, mea ratio est, quia constat de Priuilegio reuocato, & dubitatur an ei sit applicata medicina restitutionis in pristinum, dum ignoratur an confirmatio sit specifica, ergo ne erremus debemus stare pro reuocatione certâ, ac proinde confirmationem esse in forma communi, quæ solum firma confirmat, & nulli dat vitam. Ita omnes *cum Barbosa ad dictum cap. cum dilecta de confirm num. 13. Rodriq. tom. 1. q. 8. art. 2. Donatus par. 1. tract. XI. q. 6.*

26 Restat explicandum, quid importet ea clausula: *Dummodo sint in vsu*, ea scilicet Priuilegia, quæ confirmantur. Pro cuius intelligentia notandum est, quod Priuilegia sunt in duplici differentia, alia sunt affirmatiua, in quibus conceditur facultas faciendi aliquid e. g. eligendi Confessarium, absoluendi à reseruatis, comedendi carnes, recitandi officium Immaculatæ Conceptionis singulis Sabbatis non impeditis, exigendi decimas, seu imponendi tributum &c. Alia sunt negatiua, quæ negant aliquod onus priuilegiatis, vt quia eximuntur à solutione decimarum, ab accessu ad Processiones, à Synodo &c.

27 Priuilegia concedentia facultatem faciendi aliquid, quod cedit in præiudicium alterius, vt patet in exemplis allatis, amittuntur per non vsum illorum, in quantum præscri-

præscribi, possunt ex parte eorum, qui gratiantur, ad horum autem amissionem tria requiruntur. *Primò*, vt occasio se obtulerit vtendi Priuilegio, & vsus non fuerit, & iste non vsus appellatur priuatiuus ad differentiam non vsus negatiui, vt accidit, quando priuilegiatus non habuit occasionem vtendi illo. *Secundò*, vt habeat notitiam Priuilegij, amissio enim debet procedere à voluntate, quæ ab intellectu mouetur, & dirigitur. *Tertiò*, quòd tempore agendi secundum Priuilegium non sit impeditus. His tribus concurrentibus non vsus Priuilegij volactus voluntarius arguit renuntiationem Priuilegij onerosi contra tertium, ad quod vlterius requiritur præscriptio certi temporis, quo vsus non fuerit suo Priuilegio, & quidem triginta, aut quadraginta annorum, ad formam *cap. Accedentibus, de priuileg. cap. De quarta, cap. illud, de præscript.* Est communis apud Abbatem *in cap. Ioannes, de Cler. coniug. fine, Suar. lib. 8. de legib. cap. 34. num. 16. & 17. Bonac. de priuileg. par. 8. §. 5. cum alijs Lezana V. Priuilegium num. 15.*

28 Alia verò Priuilegia, quæ nulli sunt onerosa, nec tertio grauamen inferunt, per non vsum non perduntur etiam longissimi temporis, quia nullus est, qui ea præscribat, cum ei non obsint neq; tacitè per non vsum dicuntur renuntiari, cum in voluntate sit priuilegiatorum vti illis, vel non vti, cum nemo cogatur vti Beneficio sibi concesso, ex eisdem Doctoribus Abbate, & Suarez locis citatis.

29 Ordini autem S. Benedicti concessum fuit ab Eugenio IV. vt per non vsum sua non perdant Priuilegia, nisi per non vsum illorum spatio 60. annorum, Bull. 7. apud Rodriq. & in Bullà alia 17. apud eundem, eiusdem Ordinis Monachis S. Pauli extra muros Vrbis concedit spatium centum annorum, cuius Priuilegij volunt esse capaces alios Monachos, & etiam Mendicantes habentes communicationem Priuilegiorum Cassinensium, vt docet *Rodriq. tom. 3. q. 35. art. 2. cum alijs Lezana.*

30 Non solùm per non vsum, sed etiam per vsum contrarium, vt soluendo decimas contra Priuilegium negatiuum, obediendo Episcopo in ijs, in quibus est exemptus perduntur Priuilegia. Necesse autem est pro validà renuntiatione per hunc actum contrarium, vt habeat cognitionem Priuilegij, & vlterius singularis Religiosus per actum contrarium non potest præiudicare suo Ordini, cui Priuilegia fuerunt concessa, quòd si casu, vel alia ratione quis cogatur aduersari suis Priuilegijs, faciat publicam protestationem, se nolle Ordini suo, seu Monasterio præiudicare.

31 Ex his patet, quomodo intelligenda sint illa verba *Dumodo sint in vsu*, hoc est, Pontifex intendit confirmare solùm ea, quæ per non vsum, nec per contrarium perdiderunt vsum, vt sunt Priuilegia nulli onerosa, quæ nunquam perduntur, nec onerosa, nisi fuerint præscripta à grauatis, his ergo tribuit virtutem, & robur, quia adhuc suam habent existentiam, amissa verò positâ præscriptione, non reuiuiscunt, qua Pontifex se declarat per eam exceptionem nolle confirmare, quæ non sunt in vsu, nimirum præiudicialia, & quæ iam fuerunt præscripta legitimo annorum spatio. Confirmantur ergo ea, quæ sunt in viridi obseruantià, & nondum omnino amissa, ita omnes *apud Tamb. tom. 1. disp. 18. q. 6. Pellizar. tract. 8. cap. 1. num. 18.*

Vlterius illa clausula. *Sacris Canonibus, & decretis Concilij Tridentini non aduersentur.* Refertur ad diuersa, nam priora verba *Sacris Canonibus* refertur ad Ius Canonicum in corpore Decreti, Decretalium, Clementinarum, & Extrauagantium librorum contentum, vnde Lex Ecclesiastica dicitur *Canon* Gratianus dist. 3. initio, & sic appellatur *cap. 1. de consit.* vbi commentatores nomine Sacrorum Canonum intelligunt Ius Canonicum supradictum, ergo eodem modo accipiendum est in huiusmodi Bullis confirmatorijs Priuilegiorum, vt scilicet, non intelligantur confirmata Priuilegia, quæ aduersantur Iuri Canonico. 32

Hæc explicatio est singularis contra communem omnium dicentium referri ad Sacros Canones Tridentini, & nõ ad Ius commune insertum, vt aiunt in corpore Iuris, ea ratione, quia omnia fere Priuilegia sunt contra Ius commune, ac proinde parum aut nihil operaretur talis confirmatio, vnde debet intelligi de Canonibus Concilij Tridentini. Ita Sorbus *V. Priuilegia Fratrum vers. Est etiam, Rodriquez tom. 1. q. 8. art. 8. Miranda tom. 2. q. 42. art. 3. Tambur. tom. 1. q. 6. disp. 18 Clauf. 1. Barbosa clauf. 52. num 4. Lezana V. Clausula num. 27. Donatus par. 1. tract XI. q. 14.*

Ego autem dico, quòd ea clausula magis intelligenda est de Canonibus Iuris communis, quam Tridentini, immo nullo modo de Tridentini Canonibus, quia nullus Pontifex, cuius est concedere Priuilegia Regularibus, & ab eo etiam sacrorum Conciliorum, vnquam concessit eisdem Priuilegia contra sacros Canones Tridentini, quia absurdum est, & hæreticale, quòd possit Pontifex concedere Priuilegium contra Canones Tridentini, qui præcisè definiunt res Fidei, super quos nullum Priuilegium, nulla dispensatio cadere potest illorum destructiua, nec absolutè, nec relatiuè quò ad aliquos. Et cum luce clarius sit, nullum Pontificem concessisse Priuilegia contra

Cano-

33 Canones Tridentini, qui solum fidei definitiones continent, non est necessarium excipere à confirmatione Priuilegia contraria Canonibus Tridentini, dum nulla aduersantur; referenda ergo est ea clausula ad constitutiones Pontificias in corpore Iuris insertas, eum & ipsi Doctores dicant, aliqua Priuilegia esse contra Ius commune, & aliqua non, & certè contra Ius commune est Priuilegium audiendi Confessiones sine vllà præsentatione *in Clem. Dudum, de sepult.* vnde meritò Pontifex confirmando Priuilegia excipit hoc Priuilegium per ea verba: *Dummodo sacris Canonibus non aduersentur*, quod certè non confirmatur.

Quare dicta verba non restringuntur ad Tridentini Canones, à quibus omnino sunt aliena ab adductam rationem conuincentem, sed referenda sunt in Ius commune, vt probatum est.

34 Demum ea clausula: *Dummodo non aduersentur decretis Tridentini* meo iudicio excipit à confirmatione non solum Priuilegia expressè reuocata per clausulam: *Non obstantibus &c.* sed etiam ea, quæ simpliciter sine tali clausula sunt contraria decretis ipsius Tridentini, nam si legislator condendo posteriorem constitutionem, priorem, quamuis de ipsa mentionem non faciat, reuocare noscatur, *cap. 1. de constit. in 6.* à fortiori censeetur reuocare Priuilegium regulare nouæ constitutioni contrarium, cum & ipsa huiusmodi Priuilegia rationem habeant legis, vt supra dictum fuit.

Confirmatur, quia ex equo Priuilegia siue expressè reuocata, siue tacitè, ex tenoribus suis, sunt contraria Legi conciliari ergo cum simpliciter aduersentur decretis Tridentini, simpliciter quoq; & sine vllo discrimine excipiuntur à confirmatione. Ita quòd quæcunq; Priuilegia contraria Tridentino, siue in illo expressè reuocata, siuè non, omnino intelliguntur reuocata, & nunquam confirmari, cum semper excipiantur, immo, & intelligantur excepta per *cap. 22. sess. 25.* vbi manifestè Concilium derogat omnibus Priuilegijs Regularium contrarijs suis decretis. Ita docent Donatus *part. 1. tract. 11. q. 15. à num. 4.* contra ferè communem asserentium, clausulam *Dumodo decretis Tridentini non aduersentur* excipere à confirmatione solùm Priuilegia expressè reuocata per Clausulam: *Non obstantibus*. Quia dum expressè non reuocat tacitè admittit; sed id non conuincit, quia eadem est virtus taciti, & expressi. Asserentes autem sunt *Rodriq. tom. 1. q. 8. art. 6. Miranda tom. 2. q. 42. art. 3. Suar. lib. 8. de leg. cap. 18. fine Portell. num. 31. Tamb. tom. 1. disp. 18. q. 6. clau. 1. num. 3. Lezana V. Clausula num. 26.* Quamuis Barbosa *Clauf. 124. num. 4.* citat in contrarium Suarez, & Peyrinum in *constit. 1. Gregorij XIII. num. 1.* asserentes, nulla Priuilegia siue reuocata, siue non, modo sint contraria Tridentino, nullatenus confirmari, vt nos diximus cum Donato.

Idem Barbosa *num. 6. ait*, gratiam à Pontifice factam alicui causà cognità, prodesse, licet non apponatur *Non obstante*, quia beneficit, an sit contraria Tridentino, *ex Rota par. 4. decis. 40. num. 4.* Dum enim Papa concedit aliquid speciale, quod est contrarium Tridentino, quod scire præsumitur, cum omnia iura habeat in scrinio pectoris sui, vult efficaciter Priuilegiarium vti suo Priuilegio, quamuis ex. ressè non deroget, cum expressa derogatio non sit necessaria, sed sufficiat tacita, & interpretatiua, sibi enim reseruauit plenam potestatem super decretis Concilij, faciendi gratias, quibus voluerit. 35

Ex his in longum protractis colligitur huiusmodi confirmationem Priuilegiorum factam Monachis vndecim Congregationum occasione solutionis sex Decimarum, esse in *forma* tantùm *communi*, ac proinde confirmare tantùm ea Priuilegia, quæ antecedenter erant firma, & in viridi obseruantia, cum ea limitatione, *dummodo sint in vsu, & decretis Tridentini non aduersentur* consequenter verificatur illud axioma: *Qui confirmat nihil donat.*

Quòd autem confirmatio sit tantùm in *forma communi*, & non *specifica*, patet clarè ex dictis, quia in Bulla confirmatoria nulla ex illis septem clausulis, quibus indicatur confirmatio *specifica*, legitur, ergo nulla ratio suadere potest, dictam confirmationem esse in *forma specifica*. 36

CONSILIVM XXXVIII.

An Religiosus in pœnam priuatus gradibus, si promoueatur ad Lauream Theologiæ gaudeat Priuilegijs?

1 Fr. Aureus nuncupatus, ab Episcopo carceratus, quia dimisso habitu secum traduxerat vxoratam, & punitus vndecimo Iunij 1653. exilio perpetuo a sua Diæcesi, vbi delictum perpetrauerat, remissus ad Superiorem regularem, vt ab eo affligeretur pœnis contra Apostatas, qui carceratum in carceribus Monasterij priuauit voce, loco, & gradibus ad formam constitutionum Ordinis, in perpetuum, in quibus carceribus in pœnam mansit vsq. ad sequentem annum 1654. quo in capitulo Generali confirmata fuit dicta priuationis Sententia, Anno 1656. in Capitulo Generali Romæ restitutus fuit ad vocem, & locum. Anno 1659. restitutus fuit ad gradus à Vicario Generali Apostolico. Deinde anno 1660. creatus fuit Magister in Theologia, & quia actus illius capituli declarata fuerunt nulla, ipse pro validitate promotionis suæ ad Magisterium obtinuit à Sede Apostolicà sub his verbis: *Tenore præsentium validamus, confirmamus, & firmat, ac validas, & efficaces existere, & fore, tibiq; in omnibus, & per omnia suffragari, proinde, ac si præfatum Capitulum Generale validum, nec vnquam annullatum, seu nullum declaratum fuisset.* Anno vero 1662. in eius fauorem publicatum fuit. Subsequenter eodem anno de mense Augusto Magister N. obiecit illi nonnullas exceptiones super præcedentià vsurpatà contra illum, & alios Magistros. Petit orator, vt digneris ex Charitate respondere obiectis, quæ subijciuntur.

2 Primum obiectum M. Calzolarij est. Cum M. Laurentius per annos circiter sex fuerit extrà cum pœna, id tempus non debet pro eo computari in præiudicium aliorum Magistrorum.

3 R. Huius Ordinis Constitutiones in cap. 57. num. 15. Apostatis auferre solùm illud tempus, quo fuit profugus his verbis: *Tempus tamen, quo in Apostasiâ fuit quò ad locum, & gradum inter Fratres habendum, nullatenus computetur.* Sed vix per vnum mensem fuit extra Monasterium, à quo exiuit circa finem Augusti, & die 21. Septembris eiusdem anni 1652. carceribus mancipatus, de scientià sui Superioris, licet non de licentià eius, episcopalibus, vt in actis. Falsum ergo est, quòd sibi vsurparit sex annos, dum Constitutio priuat illum solùm pro eo tempore, quo fuit in Apostasià, non reali, cùm non probetur, sed tantum præsumptà. Eò autem ipso, quò carceratus fuit, mandante Episcopo, desijt esse Apostata, nam ratio fugæ imbibitur in Apostasià tamquam genus commune ipsi, & fugæ in specie, differunt siquidē in eo, quod Apostata fugit animo nō amplius redeundi, fugitiuus verò fugit animo redeundi, ex communi apud *Rodriq. tom. 1. q. 30 art 7. Sanch. lib. 6. cap. 8. num. 2.* 4
est autem fuga vtriq; dictarum specierum commune genus speciis libertatis, *Megal. par. 3. lib. 4. cap. 2. num. 2. §. Et præterea, & cons. 46. num. 5. ex l. Quis sit fugitiuus 17. ff. de ædil. edict.* Carceratus autem est liberrate fugæ priuatus, vt notum est, ergo tunc primò cessat Apostasia cum carceratur. 5
Itaque ex constitutione solum censendus est priuatus per vnicum mensem, immo & per quid minus, si fugijt in fine Augusti carceratus 21. Septembris, ac proinde illos sex annos sibi non vsurpauit, de iure illi debitos.

6 Secundò, Romæ admissus fuit ad Baccalaureatum quo ad mores cum conditione, vt examinaretur, nunquam tamen examini se exposuit, & interim commissis delictis priuatus fuit gradibus, antequam examinaretur, & approbaretur, vnde nunquam fuit Baccalaureus.

7 R. Admissionem ad Baccalaureatum fuisse simpliciter factam, & non sub conditione, vt debuisset probare pars aduersa, & admissio fuit ad formam Decreti Ferrar. 1642. eximentis officiales Studij ab examine. Et cum anno 1659. restitutus fuerit ad gradus, falsum est, quòd inter admissionem & examen punitus fuerit, cum punitio præcesserit restitutiones vocis, loci, & graduum, vtquæ factæ fuerunt annis 1656. & 1659. Viguit ergo Baccalaureatus.

8 Tertium, quia in Breui Apostolico licet declaratus fuerit Magister, qui antecedenter fuerat creatus Magister in capitulo nulliter celebrato, tamen id factum fuit in præiudicium aliorum Magistrorum, quod est præsumendum subreptitium, quia Papa nulli gratiam facit in præiudicium tertij,

nec

nec tale Breue concessisset, si naratum fuis-
set, oratorem deliquisse, & punitum fuisse,
cum ergo tacuerit id Breue subreptitium est
ac proinde nullum.
9 ℟. Breue petitum fuit non ex aliquo de-
fectu Oratoris, sed propter defectum Capi-
tuli inualidi, & ideo iuxta petita sine ob-
reptione, sine subreptione, cum fuerit nar-
rata veritas, & nihil tacitum, quod fuis-
set exprimendum, Pontifex validum, &
firmum fecit actum promotionis, vt indi-
cant verba in facto recensita. Non fuit
ergo Breue subreptitium. Vlterius nulla
ratio suadebat, necessarium esse narrare
delictum, & punitionem, quia non ampli-
us erat delinquens, neq; pœnitens, dum
antequam promoueretur, fuerat ad omnia
restitutus, ac si nunquam deliquisset, ergo
erat omninò habilis, & idoneus ad Magi-
sterium, ac proinde non erat opus expri-
mere Pontifici delictum, nec pœnam, pec-
cator enim peractà pœnitentià non solum
in foro Conscientiæ est amplius peccator,
10 *cap. Ferrum* 18. *dist.* 50. sed nec in foro ex-
terno, *Bart. in l. Imperialis* 23. *ff. de nupt.*
num. 3. quando scilicet persona restituitur
in pristinum, vt fuit redintegratus Penna.
Et licet verum sit, quòd restitutio non ope-
ratur in præiudicium tertij *ex cap. Quamvis*
de rescr. in 6. id tamen intelligitur, quando
ius quæsitum erat tertio ante restitutionem,
ex adductis nouissimè à Reuer. D. Prospero
11 Fagnano *in cap. Mandato fin. de Simon.*
num. 57. Certum autem est, quòd Calzo-
larius ante restitutionem nullum ius aqui-
siuerat contra Pennam in ordine ad Magis-
terium, quia nondum erat Magister. Insu-
per sicut habilitas requiritur tempore pro-
12 motionis, *Seraph. dec.* 1234. *num.* 4. *Mar.*
Anton. lib. 1. *resol* 19. *num.* 1. *cum alys Barb.*
ad cap. Ex literis 6. *de transact. num.* 8. Ita
inhabilitas tempore promotionis excludit
à promotione, sicut habilitas amplectitur
13 promotum; vnde Apostata excommuni-
catus non potest doctorari *in cap.* 1. *de Ma-*
gistris, ex Verallo par. 3. *dec.* 219. vbi ille,
qui existens adhuc Apostata dicitur obrep-
titiè obtinuisse gratiam, vt promoueretur
ad gradum Doctoratus, tacito, quòd ha-
bitu dimisso studuerat per tres annos dese-
rendo Religionem. Qui casus applicari
non potest præsenti nostro, quia supplica-
uit non quando erat Apostata, sed post il-
lius absolutionem, & redintegrationem ad
gradus, & non petijt licentiam, sed tantùm
rogauit vt suam promotionem nullam, non
ex parte sua, sed ex parte Capituli dignare-
tur reualidare.
14 Quartum fundatur in *cap.* 57. *Statutorum*
Ordinis num. 15. his verbis: *Cum autem per*
Capitulum Generale fugitiuo sic recepto fue-
rit vox restituta, illum locum teneat quem
teneret si ipsa die Professionem emitteret. Re-
stitutus autem fuit anno 1656. ad vocem,
& locum, ergo eo anno, & die habetur ac
si tunc Professionem emisisset, consequen-
ter omnibus Magistris debet cedere locum.
℟. Illud statutum nihil concludere con-
tra Pennam, nam aliud est loqui de voce, 15
aliud de præcedentia, & loco honorifico,
vnde priuatus voce non est priuatus præce-
dentia, *ex allatis à Portello tom.* 1. *par.* 2.
casu 6. *num.* 16. cum ergo ex diuersis non
fiat illatio: sequitur illud statutum loquens
de voce non esse extendendum ad præce-
dentiam, quia in odiosis non fit extensio
ex vulgatis Iuribus.
Quintum ex cap. 63. de lapsis in pecca- 16
tum carnis his verbis: *Si autem peccatum*
notorium fuerit extraneis, per annum inte-
grum incarceretur, & locum & vocem amit-
tat quinq; annis, nisi per laudabilem eius
conuersionem per Vicarium Generalem, vel
per Capitulum Generale fuerit cum eo dispen-
satum Ergo perdit ad minus hos quinq; an-
nos loci.
℟. Nihil probare, cum enim fuerit cum 17
eo dispensatum, fuit proinde restitutum re-
cuperando illud quinquennium. Vel dic
statutum non loqui in casu nostro, cum Vi-
carius Generalis in hac causà processerit
contra Pennam vti Apostatam, non vti
luxuriosum, & non potestate ordinarià, sed
delegatà, vt patet ex tenore sententiæ latæ
ab Episcopo Vicentino ex speciali ordine
Sacræ Congregationis.
Sextum, quia Reuer. Mugianus V. G. 18
non habebat facultatem restituendi Pen-
nam ad gradus anno 1659. quia Breue Apo-
stolicum erat circa concernentia regulari-
ter facienda in capitulo, ergo nulla fuit re-
stitutio.
℟. Dispensationem, & restitutionem 19
graduũ bene potuisse facere quatenus sub-
rogatus in locũ prædefuncti V. G. ex regulà,
vulgatà quòd subrogatus dicitur suffectus
in potestatem, & iurisdictionem eius, cuius
locum obtinet. *Rota par.* 7. *decis.* 279. *num.*
5. Persona enim subrogata iuris interpre-
tatione dicitur eadem cum ea, cui fuit sub-
rogata, *Natta cons.* 346. *num.* 3. *Tondutus*
lib. 1. *cap.* 81. *num.* 8. Sed Vicarius Genera-
lis poterat ex potestate sibi factà à constitu-
tionibus, ergo & Apostolicus suffectus in
eius locum.
Septimum, non fuit redintegratus quò 20
ad Lectoratum, de cuius restitutione non
constat.
℟. Id omninò falsum esse, dum ex nar- 21
ratis ostendit restitutum fuisse ad omnes
gradus. Vlterius, concedamus hoc, num-
quid poterat promoueri ad gradum Theo-
logiæ? Vtique poterat, quia præcedentes
gradus non sunt de substantià posterioris,
sed

sed tantùm habent rationem conditionis, sine qua vltimus gradus non confertur, in
22 quo casu sufficit, quòd illum gradum aliàs habuerit, licet non coniunctum eum postremo, sufficit enim quòd conditio aliquando extiterit maximè à lege, seu statuto inducta. *l. Multum 21. ff. de cond. & dem. l. cum vxori 4. C. quando dies legat.*

23 Octauum, esto Vicarius Generalis solus possit priuare, vt fecit priuando Pennam anno 1653. solus tamen non potest restituere priuatum, ergo nulla fuit restitutio facta per illum tantum.

24 R. Potuisse, & rectè dispensasse iure proprio Vicarium Generalem, vt colligitur *ex c. 9. & cap. 22.* de Officio Vicarij Generalis.

25 Nec obstant textus in contrarium adducti. Nam verba illa *ex cap. 58.* de Apostatis: Et quicunq; in Apostatia per annum fuerit, vel etiam qui non fuerit, nisi per tres dies, si bis apostatauerit, aut cum perpetratione criminis enormis, vel scandali manifesti nullo modo admittatur in consortium nostræ Congregationis, nisi duplicatis pœnitentijs, & multiplicatis iuxta qualitatem delictorum & reiterationem Apostasiæ, & licet restituatur ei locus, quia Apostasia fuerit semel, tempus tamen, quo in Apost. sia stetit quò ad locum, & gradum inter Fratres habendum nullatenus computetur, prout iustum est, & rationabile, & nullatenus etiam à Capitulo Generali possit dispensari, cum sit in præiudicium illorum in Congregatione, qui fuerunt. Verba, inquam, ista non tollunt potestatem Vicario ibi: *Et nullatenus etiam à Capitulo Generali possit dispensari*; nam habent hunc sensum. Non potest dispensari Apostata à Vicario, neq; etiam à Capitulo Generali; cum restitutione scilicet loci, & gradus respectiuè ad tempus, quò vagauit, & in Apostasia fuit, non enim computari debet illud tempus cum ex gratiá restituitur, vel à solo Generali, vel etiam à Capitulo, vtriq; ergo negatur ab eo Statuto dispensatio, & restitutio illius temporis vagationis. Restitutio ergo facta à solo Generali fuit in omnibus, excepto illo mense, quo fuit in fuga præsumptæ Apostasiæ, non enim poterat nec ipse, nec Capitulum restituere illum mensem vagationis in præiudicium aliorum qui manebant intra claustra. Dispensatus ergo fuit in cæteris ad effectum consequendi quod optabat, nec vlli in hoc fuit præiudicatum, cum aduersarijs nullum ius quæsitum tempore Apostasiæ sublatum fuerit per hanc dispensationem.

26 Non obstant illa verba: *Ordinatio graduati per se*, scilicet fieri non potest à Generali. *ex cap. 22.* Quia longè diuersa sunt Ordinare, & restituere, illud enim est datio gradus nunquam habiti, hoc verò est condonatio gradus amissi, constat autem ex vulgatis Iuribus, ex diuersis non esse inferendum, maximè in odiosis.

Nonum, quia fuit in Apostasiâ per nouem menses, quo vltimo fuit absolutus, & non ante ergo debet carere illis mensibus non computandis in restitutione. 27

Responsum iam fuit sub primo obiecto, quòd Apostasia cessat quando per carcerem adimitur libertas vagandi. Confirmatur id, quia sicut cessat contumacia, cum quis paratus est obedire, licet exibere tunc non possit obsequium, *l. contumacia 53. ff. de re iudic.* Ita cessat Apostasia, cum quis parratus est redire ad Monasterium, licet extrinsecùs impediatur, quia tunc per eum non stat, ergo vlterius culpari non debet, quòd perseueret in Apostasiâ. Neque enim Apostasia in ratione delicti tollitur per absolutionem, sed per ablatam libertatem vagandi, quod manifestè patet considerantibus tria in eâ, nam *Primò* spectatur fuga, ratione cuius Religiosus se eximens ab obedientiâ extra claustrum vagatur sine animo redeundi, & tandiu durat Apostasia, quandiu perseuerat libertas vagandi, & non vltra; quis enim dicus appellabit carceratum adhuc & vlterius fugam suam fouere? *Secundò* in ratione peccati, nam fuga est causa peccati huius generis, & hæc tollitur per solam absolutionem sacramentalem. *Tertiò* ratione pœnarum, quæ sunt effectus fugæ, & peccati; inter eas non numeratur Excommunicatio de iure communi, nisi dimittatur habitus ex veriori sententiâ, quam non reijcit Lezana *par. 1. cap. 16. num. 12.* Absoluitur ergo Apostata à Censurâ, & in pœnis alijs dispensatur, non in ratione fugæ, quæ cessat in eo redeunte, vel impedito carcere, vel aliâ causâ legitimâ, vt si sit infirmus. -28

Decimum, quod magis vrget, est decretum factum anno 1662. in Dicta Romæ per Generalem cum suis Definitoribus ad fauorem P. M. Alex. Calzolarij contra P. M. Laurentium Pennam; cui fuit præsentatum Bononiæ, vnde locum eidem cessit obediendo, & executioni mandando dictum decretum, ergo cum cesserit Iuri suo, debet quiescere, & non vlterius inquietare Calzolarium, qui est in possessione legitima Præcedentiæ, cum in eam fuerit immissus auctore Pratore. 29

R. primò, in tantùm potest subsistere illud decretum, in quantum in eo supponitur læsio contra Calzolarium; sed reuera nulla est læsio, ergo nullum quoq; est decretum ex sinistrâ informatione datâ à parte. Quod nulla sit læsio manifestè apparet, quia in nullâ alâ re inueniri potest læsio, nisi in computatione temporis Apostasiæ, quæ probatur fuisse vnius tantùm mensis, 30

ex supra adductis, sed in restitutione non fuit computatus ille mensis, ne fieret illi præiudicium. Confirmatur id manifestius, nam Calzolarius fuit nouitius Pennæ, fuit studens ille, dum hic erat Magister studij, quomodo potuit præiudicare illi, si in omnibus antecedebat, nec per amissionem illius temporis Apostasię Calzolarius aliquod ius aquisiuit, ergo in nullo fuit læsus, cum contra illum nullum ius aquisiuisset ante restitutionem, nisi illum mensem, qui nihil illi profuit, cum adhuc remaneret prior tempore in Professione, abiecto etiam Apostasiæ tempore, nulli enim præiudicatur nisi in re iam aquisitâ, vt supra probaui cum ergo nulla probetur læsio nullum quoq; erit decretum.

31 ℞. 2. datâ etiam læsione, quam constanter negamus, adhuc decretum illud est nullum, quia factum inauditâ parte contra quam latum fuit, dicente Gregorio relato

32 *cap. 1. de causâ possess. Hic nos contra inauditam partem aliquid possumus definire*. Si non potest Pontifex, multò minus Capitulum Dietæ, est enim de iure naturali diuino, & humano, quòd nullus priuetur iure suo, nisi citatus, & præterea subsit causa, & in hoc nullus contradicit, pro qua re videndus est Sanctorius de Melfio Strict. obseru. S. Francisci in suo *exam. panal. distrist. capite 1. q. 4.*

℞. 3. quamuis illud decretum intimatum fuerit Pennæ, tamen illi nocere non potuit, quia illud admisit de facto non de iure, si & in quantum, cum requisitis protestationibus illi ergo non nocuit, tum quia quod nihil est, vt fuit illud decretum, nocere non valet, *l. Seia ff. de tutor. & curat.* 33

l. Eius, qui, ff. de reb. cred. l. 4. §. Condemnatum ff. de sent. & re iud. Tum quia protestatio releuat protestantem ab actu sibi contrario *l. qui in aliena 6. §. Celsus ff. de aquir. vel omitt. hæred. Sperell. dec. 75. num. 52. Lezana consult. 47. num.* 47. Tum quia clausula: *Si, & in quantum* facit hunc sensum, quòd admittitur, si de iure est admittendum, & non aliter, cum sit conditionalis nihil ponens in esse in præiudicium acceptantis, *ex adductis à Barbosa Claus. 100. num. 2. & 6. Theodos. Rubeus Claus. 741. num. 7.* Cum ergo ex dictis manifesta appareat nullitas præfati Decreti in nullo dicta cessio nocuit Pennę ideo manutenendus est in possessione suæ Præcedentiæ, respectu cuius nulli nocet, ex probatis. 34 35 36

Restituendus est ergo Penna, si spoliatus fuit iure Præcedentiæ, stantibus prædictis, cum etiam prædo sit restituendus rei, à qua deiectus fuit, *cap. In literis 5. de restitut. spoliat.* 37

CONSI-

CONSILIVM XXXIX.

An Curatus, qui admittebatur ad cantandam Missam in Festo principali Ecclesiæ regularis, & vice versà Superior regularis cantabat in Parochiali, dicantur aliquod ius aquisisse?

1 Nota est exemptio Ecclesiæ regularis à iure parochiali, & vice versa Parochi ab Ecclesia regulari, vnusquisq; enim eorum in propria Ecclesiâ agnoscit sua iura, & in eâ exercet suas functiones, ergo vnusquisq; eorum debet se continere intra limites suæ Ecclesiæ, confunditur enim ordo, si vnicuiq; propria Iurisdictio non seruatur, *cap. peruenit* 39. 11. *q.* 1.

2 Quòd autem Ecclesiæ regulares sint exemptæ à Parochis, & eorum iuribus, luce clarius est, *Glos. V. Exceptio cap.* 1. *de Priuil. in* 6. *Mar. Socin. in cap. Recepimus de Priuileg. num.* 97. *Rota vol.* 2. *dec.* 54. *num.* 11.

3 Vnde quamplures extant declarationes contra Parochos audentes in Funeralibus exercere functiones etiam suorum cadauerum intra Ecclesias regulares, *Barb. de Parocho cap.* 26. *num.* 80 Quare cum Parochus ex tali vsu non potuerit derogare Priuilegijs Regularium, qui suas Ecclesias habent exemptas non solùm à Parochis, sed etiam ab Episcopis, vnde *Donatus ordinis Prædicator. ait. par.* 2. *tract.* 13. *q.* 4. Ecclesias Regularium esse exemptas à iurisdictione Episcopi, & subesse immediatè Sedi Apostolicæ, & huic Iuri non posse renunciari, *ex allegatis ab eodem Donato par.* 1. *tract.* 13. *q.* 20. *num.* 2. Nullum ius aquisiuit cantandi Missam in Ecclesiâ regulari, sicut nec Prælatus regularis in Ecclesiâ Parochiali; vnde altero contradicente alter hoc munus prosequi non potest, dum vnus nullum ius aquisiuit contra alterum. 4

Confirmatur, quia nullus est assignabilis titulus obligationis vnius contra alterum, cum neuter Iuri publico potuerit renuntiare, remanet ergo, quòd talis praxis sit fundata in amicitiâ, & vrbanitate vtriusq; partis, quod nullam inducit obligationem, nec præiudicat Iuri, siue publico, siue priuato, nec in possessorio, nec in petitorio, *l. Qui iure familiaritatis ff. de aquir. possess. Bariola cons.* 29. Fuit ergo actus vrbanitatis, & amicitiæ inter vtrumq; si ergo Parochus primò intendit excludere Priorem regularem ab hac functione, quare non poterit is excludere illum à sua Ecclesiâ, in qua nullum ius aquisierat. *Facit. reg.* 75. quod quis Fidem frustra sibi facit seruari, cui Fidem à se præstitam seruare recusat, quod alij dicunt, frangenti Fidem Fides frangatur eidem, hoc est, non tenetur ex parte suâ stare promissis, quia per aduersarium obligatio quæcumq; ea sit distracta est. Vide iterum infrà cons. 49. 5 6

CONSIL

CONSILIVM XL.

An Episcopus datâ tenuitate Distributionum possit minuere recitationem Horarum Canonicarum?

Væritur, an Episcopus possit in visitatione saltem vti delegatus Apostolicus minuere obligationes Residentiæ ob maximam tenuitatem Distributionum?

1 Omnes obligationes Residentiæ reduci possunt ad tria capita, vel ad curam animarum, vel ad celebrationem Missarum; vel ad recitationem Horarum Canonicarum.

2 Quò ad primum, cum huiusmodi Residentia sit de Iure diuino nō potest, nisi ex iustâ causâ Episcopus dare licentiam Parocho ab essendi, ad formam Tridentini sess. 23. cap. 1. quod non procedit in præsenti casu, si sermo sit de tenuitate Beneficij, quà non obstante tenetur Parochus residere, *ex cap. conquerente, de Cler. non resid. Sanctar. Variar. resol. 4. n. 45. fine Barb. Alleg. 53. n. 70.*

3 Quò ad secundum de Celebratione Missarum, potest Episcopus in Synodo Missas reducere ob tenuitatem redituum, si onera sint imposita ante Tridentinum, hoc est, ante annum 1564. & non sint in limine fundationis. Expressè Bullâ 43. §. 1. *Vrbani VIII. de celebr. Missar.*

4 Quò ad tertium de recitatione Horarum Canonicarum, magis ad rem nostram, Episcopus non potest eas minuere, nec reducere, cum in tali casu tenuitatis habeat à Tridentino *sess. 24. cap. 15.* facultatem prouidendi huic tenuitati, vel vnione Beneficiorum, potest, aliter si suppressione aliquorum Canonicatuum, ex quo patet voluisse potius suppressionem, quam Cultus diuini diminutionem; & facit finis principalis institutionis Collegiatarum, vt scilicet in eis celebrentur Horæ Canonicæ cum Missis, alludendo etiam ad vocabulū *Collegiata*, quia quotidie in Choro leguntur diuina Officia.

5 Verba autem Tridentini sunt hæc: *Vt in Cathedralibus, & Collegiatis insignibus, vbi frequentes, adeoq; tenues sunt præbendæ, simul cum distributionibus quotidianis, vt sustinendo decenti Canonicorum gradu pro loci, & personarum qualitate non sufficiant; liceat Episcopis cum consensu Capituli, vel aliquot simplicia Beneficia, non tamen regularia ijs vnire; vel si hac ratione prouideri non possit, aliquibus ex ijs suppressis, cum patronorum consensu, si de iure patronatus laicorum sint, quorum fructus, & prouentus reliquarum præbendarum distributionibus quotidianis applicentur, ita tamen, vt tot supersint, quæ diuino cultui celebrando, & dignitati Ecclesiæ commodè valeant respondere.*

Habet ergo Episcopus facultatem prouidendi distributionum tenuitati vel vnione Beneficiorum simplicium, vel si non potest, suppressione Canonicatuum, euidens argumentum, quòd minutione recitationis id facere non potest.

Tria autem ad id præstandum necessaria sunt, consensus Capituli; consensus Patronorum, & quod Collegiata sit insignis, hec clara sunt ex verbis Concilij. 6

Nomine Capituli, non tantùm venit Capitulum Catedralis, sed etiam Capitulum ipsius Collegiatæ, cum interesse habeat, *Barbos. Alleg. 66. num. 14. & super dictum cap. 15. num. 3.* aliter facta sine dictis consensibus nulla est, vt ibidem refertur responsum S. Congregat. Episcopo Tropiensi 1. *Septembr. 1618.* 7

Requiritur quoq; consensus Patroni, si Canonicatus supprimendus sit Iuspatronatus laicalis i. fundatus ex bonis patrimonialibus, & non ecclesiasticis, vt patet ex textu, aliter suppressio est nulla, *Roebus de iurepatr. v. Honorificus q. 3. Lambert. lib. 3. q. 6. art. 2. cum. alijs idem Barb. ad dictum cap num. 22.* itaq; consensus patroni necessarius est, siue ecclesiastici, siue laici, immo & collatoris, & electorum, vt tradunt Garzias *par. 12. de Benef. cap. 2. num. 202 & 205. Moneta de commut. cap. 12. num. 226. apud eundem Barb. num. 21.* Nam omnes isti interesse habent. 9

Tertiò, necesse est, quòd Collegiata sit *insignis*, vt expressè dicitur in eodem textu Tridentini, ea autem collegiata iudicatur insignis, cuius circumstantiæ tendunt ad multiplicem eius Ecclesiæ decorem, vt si sit nobilis ex celebritate situs, si insignem structuram habeat, si sit antiqua, si supra alias habeat Præcedentiam, si constet magno numero ministrorum, ita *Loter de Benef lib. 1. q. 15. ex Rota Roman. par. 2. diuers. decis. 29. apud Barbosam ad cap. 12. sess. 24. nu. 52.* Huius conditionis est Collegiata Baptisterij Parmæ, vt notum est, resplendens ex dictis circunstantijs &c. 8

L CONSI-

CONSILIVM XLI.

An Hystriones sint infames, & irregulares?

1 Hystriones, qui in Comœdijs fabulas recitant, & ridicula faciunt, iure non solùm Canonico notantur infamiâ *cap. 1. 4. q. 1.* vbi etiam dicuntur personæ subiectæ turpitudinibus, *& S. Cyprian. relatus cap. Pro dilectione 95. dist. 2. de consecr.* prohibet, ne illis vt infamibus committantur sacra Mysteria; verùm etiam iure ciuili *l. 2. §. Ait Prætor ff. de his, qui not. infam.* Vnde S. Gregor. *relatus in cap. Maritum 2. dist. 33.* prohibet hos à susceptione Ordinum, ibi: *Aut in Scena lusisse dignoscitur.* Hoc est omninò certum.

Dubitatur verò an Episcopus cum his dispensare possit, aut recipere possint Ordines tum minores, tum maiores?

2 Respondetur affirmatiuè, quia Episcopus dispensare potest super delictis minoribus Adulterio abolendo infamiam, *cap. At si Clerici 4. §. In Adulterijs, de iudic.* Ita Nauar. *cap. 27. n. 204. Vers. Decimoseptimo, Bonac. de irregul. disp. 7. q. 5. p. 1. num. 6. Vers. Tertio, Vgolin. cap. 60. §. 5. num. 3. Auila de Censur. disp. 4. dub. 6. cum alijs Barb. Allegat. 43. num. 31.* Certum autem est, quod delictum huius turpitudinis, & humanæ vanitatis est minus crimine Adulterij, ergo Episcopus in eo dispensare potest.

Confirmatur, quia ait Glos. V. De Adulterijs ibid. quod magis communis opinio habet, quòd Episcopus vbicunq. potest dispensare, vbi non inuenitur prohibitum, quam Glos. sequuntur *Cotta V. Episcopus* 3
Pelag. de Planctu Ecclesiæ lib. 1. cap. 50. Vers. in his, cum multis alijs ad hoc cit. cap. num. 12. Glos. V. Dispensandum cap. In quibusdam 12. de Pœnis, dicit, quòd Episcopus potest dispensare, ex quo Papa specialiter non retinuit sibi dispensationem. Demum periculum forsan mortis imminens huic Hystrioni censetur vrgens causa adhuc dispensandum, vt effugiat graues minas si- 4
bi illatas à potente exequi illas, qui à nullo punietur, vt docet *Barbos. lib. 1. de iure Eccles. num. 160. cap. 11.*

CONSI-

Digitized by Google

CONSILIVM XLII.

An Schedulæ expropriationis Religiosi danda sit Fides?

1 SOlent Religiosi inter se mutuas dare pecunias, & alia, ex licentiâ saltem tacitâ Superiorum, dum sciunt, & non contradicunt, & ita licere in confesso est fere apud omnes, *Sanch. lib. 7. disp. 19. num. 65. Faber. de Restit. disp. 45. num. 115. de Lugo disp. 3. de Iust. num. 157.* Accidit casus, quo Religiosus alteri mutuo
2 dedit pecunias, quod notauit in sua Schedulâ, quæ appellatur Expropriatio, solent enim Religiosi ex industriâ consuetudine fere in omnibus Religionibus notare in suo libello omnia, quæ habent in Cella ad proprium vsum, vti habitus, libros, pecunias, credita, debita, & alia huius generis, fatendo se de illis habere tantum vsum, proprietatem verò esse Monasterij, & illos esse paratos ea restituere ad nutum sui Superioris, iuxta morem sui Ordinis.

Infirmatur talis Religiosus, & se expropriat, notando in sua Schedulâ, præter alia, se dedisse mutuo tot pecunias alteri Religioso amico, quam Schedulam subscripsit in præsentia aliorum Religiosorum. Superior vocat illum Religiosum mutuatarium, post mortem mutuatoris, & ab eo exigit restitutionem mutui. Ipse respondet, negando se retinere pecunias mutuo acceptas, Quæritur an virtute dictæ Schedulæ possit illum cogere ad restitutionem?

3 Pro responsione, considerandum est, quod illa negatiua potest habere duplicem sensum; primum, quod confiteatur mutuum, & nolit illud restituere, in quo sensu nulli dubium est, illud esse restituendum, quia de ratione mutui est, vt illud restituatur idem in specie, seu in genere, vt alij dicunt, *l. Mutuum 2. ff. de reb. cred.* & hoc apud omnes certum est. Secundum potest habere sensum, quod absolutè neget mutuum contra Schedulam, & mutuatorem defunctum; & in hoc sensu vrget difficultas, quia ea Schedula continet confessionem rerum, crediti, & debiti, quæ fatetur se habere apud se, & præcipuè mutui dati adeoque ius ad illud recuperandum; sed Confessio facta alterum grauans absentem, & non consentientem nihil probat nisi contra confitentem, vt docent communiter apud
4 Mascardum *concl. 347.* cum ergo in confectione Schedulæ non fuerit præsens ille Religiosus, qui in ea scribitur mutuatarius, illius negatio videtur verisimilis, quia alia ratione probari non potest mutuum, nisi per illam Schedulam, quæ tamen nihil probat contra illum, maximè cum à nullo sit subscripta, nisi per ipsum mutuatorem, cui credendum non est in re propria, cum agatur de illius proprio interesse nemo enim est idoneus testis in propriâ causa, *cap. Si testes 2. §. Nullus idoneus 4. q. 2. & 3.* Quibus tamen non obstantibus.

Dicendum est, Superiorem cogere posse 5
negantem mutuum ad restitutionem, vtendo remedijs Iuris ad formam constitutionum sui Ordinis. Et id probatur.

Primò, nam Superior habet suam intentionem fundatam in Schedulâ expropriationis, factâ tempore mortis, iuxta morem, & stilum Ordinis, & tantæ est efficaciæ, quod moriente esto aliàs fuisset proprietarius, mediante Schedulâ, pro tali habendus non est, vnde nec in sterquilinio sepeliendus est, sed ecclesiasticæ sepulturæ tradendus est; Sicut ergo creditur expropriati se ex vi illius Schedulæ ita, & credendum eidem respectu eorum omnium, quæ in eâ fuit scripta contra debitores. 6

Secundò si in Schedulâ scripsisset se mutuò recepisse pecunias à quodam seculari, nonne teneretur Superior ex bonis extantibus eius restituere, in quibusdam enim permittitur datio, & receptio causâ mutui, ergo & exigere restitutionem mutui, cum par sit ratio, vtrobique enim restitutio est facienda.

Schedula huiusmodi fit ad exonerationem Conscientiæ, per eam enim Religiosus fatetur, quæ possidet, non esse propria, sed Religionis, petendo humiliter eius vsum iuxta placitum Superioris. Ergo probat, ac proinde ei credendum est, quia facta pro exoneratione Conscientiæ probant, ex Mascardo *concl. 347. num. 99. vbi num. 100.* creditur illi, qui confessus est habuisse aliquid causâ pignoris ab aliquo, & sic pro assecuratione sui crediti, sicut ergo in hoc casu creditur, ita & in nostro, valet enim paritas, quia in vtroque confitens est creditor. 7

Tertiò, factum fauore causæ piæ probat etiam parte absente, quia censetur Deus præsens pro Ecclesia suâ, ex eodem Mascardo *ead. concl. num. 93.* Nulli dubium est, expropriationem esse causam piam, cum formaliter ordinetur ad salutem animæ, quandocunque enim quis facit actum exoneratiuum 8

ratiuum Confcientiæ dicitur difponere pro
anima in causâ piâ, *Gratian.cap.* 831. *initio,*
Rota par 6.*dec.* 245. *num.*24.

9 Quartò, in articulo mortis multùm de-
ferendum eft difponenti, quia nemo præ-
fumitur eo tempore propriæ falutis imme-
mor, *l. fin. C. ad leg. Iul. Repetund. Rota*
par. 4. *tom.* 2. *decif.* 239. *num.* 4. Vnde in
tali cafu, in quo directè confulit animæ ne-
mo præfumere debet, velle eam damnare
faciendo fe creditorem falfum, inuerifimile
enim eft, ex eadem causâ procedere con-
trarios effectus faluationis, & damnationis,
arg. l. Meminerint, C. unde vi l. quod La-
beo ff. de computat.

10 Quintò, ficut in factione Teftamenti ver-
ba ita intelligenda funt, vt in eius difpofi-
tione non fit peccatum *l. Plautius* 9. *ff. de*
auro, & arg. legat. ita neq; in conftitutione
Schedulæ præfumenda eft iniquitas, & in-
iuftitia exproprriantis fe pro falute animæ
fuæ contra tertium, quod redundaret in
damnationem animæ contra finem ipfius
Schedulæ. Vnde bene dixit Rota *par.* 3.
*decif.*352. *fine*, quòd ea interpretatio con-
feffionis facienda eft, quæ minus noceat
confitenti, maximè ad excludendum de-
lictum.

11 Sextò, qui Schedulam fecit, erat Sacer-
dos bonæ conditionis, & qualitatis, adeo
quòd præfumere mendacium, & fraudem
in condendâ expropriatione, fit omnino
temerarium, ceffat ergo omnino fraus in
viro boni nominis, *Rota par.* 4.*tom.*2. *decif.*
543.*num.* 12. Quare cum is Religiofus tot fit
adminiculatus, & prædictis conditionibus,
& qualitatibus, tum ex parte perfonæ, tum
ex conditione Schedulæ, cui creditur à Su-
perioribus tam pro ipfo, quam contra ipfum
iuxta exigentiam narratorum, fequitur eius
confeffionem in Schedulâ expreffam pro-
bare contra tertium, *Ruin lib.* 1 *conf.* 142.
*num.*4. *Craueta conf.* 40 *num.* 4. *Surd. decif.*
135. *num* 5. *ex illis Rota par.* 5. *dec.* 54.
*num.*2.

12 Et ex his patet ad rationem dubitandi in
contrarium, probare contra tertium, quan-
do confitens eft perfona legalis, & agitur
pro falute animæ. Nec faciens Schedulam
habet intereffe temporale, fed folùm fpiri-
tuale, vt confulat animæ fuæ, ne proprie-
tarius pereat in æternum, & res clara eft,
nam per Schedulam declaratur, res omnes
credita, & debita non effe propria, fed Mo-
nafterij, cui omnia funt aquifita.

Contra fuperius dicta inftat Aduocatus
pro Religiofo viuente *Primò*, quia ea Ex-
propriatio facta tempore mortis nihil aliud
eft, quam fimplex affertio partis, quæ non
13 releuat, nifi aliter probetur, *l.* 2. *iuncta*
Glof. in v. Dicitur ff. fi quadrup. pauper fecit.
*Cephal.conf.*667.*num.*4. *Natta conf.*543.*nu.*
37. Vbi dicit, quòd paria funt, partem ali-
quid dicere, vel non dicere, & non proba- 14
re, quia non eft in poteftate noftrâ facere
aliquem debitorem per folam affertionem,
nifi fortè in præiudicium ipfius afferentis,
non autem tertij, *Crauet de antiq. temp.* §.
Propofitum num. 5. *l. cum precum, C. de lib.*
cauf. Iafon in §. *Si minus Inftit. deffect. Re-*
buffus de Refer. in Præfat num 151. *Frane.*
Marcus dec. 237. *Senat. Pedem decif.* 138.
num. 3. Cum vix ipfius Principis affertioni
credatur *Couar. in clem.* 1. *de Probat* & qui- 15
dem fummâ ratione, quia debitor debet
prius conueniri, & deinde ad folutionem
vrgeri, *Mant. decif.* 198 *num* 9. 16

Et ex his fic Armatis, non obftant præ-
fumptiones allaræ, inquit per D. Confulen-
tem, Probitatis, Liberalitatis, & temporis
eminitæ dictæ declarationis, quò nullus
velle mentiri præfumatur &c.

Quia refpondetur ad primum Probitatis, 17
& Religionis, quòd non omnes Religiofi
moribundi præfumuntur effe S. Ioannes Bap-
tifta, vt dicit nt *Rubr. Decret. de Cler. percuff.*
de Clerico excom depof. vel interd. & fimil.
Ad alterum, quod articulus mortis hic non
eft in magna confideratione, per tex *in l. Si* 18
quis in graui. §. *Si quis moriens ff. ad Syllan.*
& Glof. in l. 2. *C. de calum.* vbi dicit, quòd
dictum morientis facit vilem præfumptio-
nem, ex qua nulla condemnatio fequi po-
teft. Alex. Curinus &c.

Hactenus dicta à præfito Aduocato pro- 19
cedunt in fcripturis meré priuatis, non au-
tem in eis, quæ iure præfcribuntur, prout
eft Expropriatio, quæ in omnibus fere Re-
ligionibus eft in vfu, & deducitur ex cap.
Cum ad Monafterium 6. de ftatu Monach.
ib.: *Ne quis Monachorum proprium aliquo*
modo poffideat. fed fi quis aliquid habeat
proprij, totum incontinenti refignet. Et infra.
Quod fi proprietas apud quemquam inuenta
fuerit in morte, ipfa cum eo in fignum per-
ditionis extra Monafterium in Sterquilinio
fepeliatur. Ex his colligitur neceffitas huius
Expropriationis, quæ fit refignatione fac-
tâ in fcriptura coram teftibus, cum ergo ta-
lis fcriptura legalis dicatur, illi fides haben-
da eft in omnibus tam pro fe, quam contra
fe ex diuerfitate eorum, quæ reuera in ea
fcribi poffunt, vnde regulare hoc eft, vt in
omnibus regiftrentur tam credita, quam
debita, & fi creditur refpectu vnius, etiam
refpectu alterius, ne in illâ fcripta iudicen-
tur adimparia. Ratio autem difparitatis in 20
eo apparet, tum quia fcriptura expropria-
tionis eft legalis; fecularium nullam habet
legalitatem, ideo illi creditur fimpliciter,
nnn ifti, nifi contra ipfum fcribentem.

Tum quia fcriptura fecularis refertur tan-
tùm in bonum eius, cuius eft, qui fuppo-
nitur dominus, & proprietarius mutui in

ea

ea expressi, in scriptutà verò expropriationis Religiosus dominus non est, sed tantum Monasterium, ex quo Religiosus non sibi,
21 sed tantùm Monasterio aquirit, *cap. quia 7. c. Perlatum* 8. *cap. Si qua* 9. 19. *q.* 3. cum ergo dictum, & assertio Religiosi moribundi in nullo sibi prosit, sed tantum Monasterio, illi credendum est, cum non agatur de eius interesse, vnde tamquam testis pro suo Monasterio probat, ex allatis per decis. *Ottob.* 139. *in fine.*

Quod demum dicit, assertionem morientis facit vilem præsumptionem ex qua nulla condemnatio sequi potest. *Glos. V. Cauit.* oppositum dicit his verbis: *Dictum defuncti præsumptionem vtilem non probationem facit.* Ea ergo præsumptio coniuncta cum qualitate Personæ, & cum legalitate scripturæ, quam habet ex citato cap. Cum ad Monasterium, & ex alijs circunstantijs, quòd scribens non est proprietarius illius pecuniæ, sed Monasterium ipsum, infertur ex his Religiosum debitorem cogi posse ad restituendam mutuam pecuniam.

CONSI-

CONSILIVM XLIII.

De electione noui Abbatis viuente priori.

1 Abbas N. rite electus à suis Monachis, & à Sede Apostolica confirmatus, & ab Archiepiscopo cum assistentià duorum Prælatorum benedictus solemniter fuit, nuncupatus Abbas Generalis, & perpetuus missus in possessionem omnibus Monachis acclamantibus, & in officio pacificè per plures annos mansit. Tandem Monachi super dicta electione appellarunt (vel forsan melius dic, quodillum querelauerunt) ad Iudicem laicum, cuius incompetentiam Abbas declinans Romam aduolauit suam defensurus causam coram Pontifice, coram quo nunc eam prosequitur. In Gallia autem, Monachi virtute cuiusdam Breuis Pontificij subreptitij processerunt ad electionem noui Abbatis de triennio ad triennum, tandem alium elegerunt in Abbatem perpetuum. Quæruntur hic tria à nonnullis Monachis eiusdem Ordinis.

2 Primò, cuinam ex dictis Abbatibus adhærere debeant Religiosi subditi talis Religonis; An primo Abbati Generali perpetuo, vt supra Canonicè electo, An cæteris Abbatibus trienalibus, seu Abbati perpetuo nouissimè electo?

3 Secundò, vtrum vniuersa Religio (paucis exceptis) adherens Abbatibus triennalibus, seu Abbati perpetuo nouissime electo (eos legitime electos ex errore communi credendo) & persequens primum Abbatem canonicè electum, possit tutà conscientià perseuerare sub obedientià talium Abbatum post electorum.

4 Tertiò, Vtrum duo, vel tres religiosi ab initio hucusq. secuti partes primi Abbatis, possint, & debeant tuta Conscientia semper illi adhærere?

5 Ad primum, nulli dubium esse debet, obediendum esse primo Abbati, quia est verus, & legitimus Abbas, cum sit canonicè electus, & perpetuò duraturus, vt supponitur in casu, ergo ei obediendum est ab omnibus Monachis sibi subiectis, iuxta illud Pauli ad Hebr. 13. 17. *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis.* Nemo contradicere potest de iure, quia verbum Domini est.

6 Nec obstat in aliquo asserta appellatio facta per Monachos cum sit nulla ex quo facta est ab Abbate ad laicum, qui nullam habet potestatem super Abbatem, nec super Monachos, *cap. Qualiter 17. de iudic.* & recurrentes sunt ipso iure excommunicati, *ex cap. Nouerit 49. cap. Grauem 53. de sent. Excom. Bulla Cœnæ §. 16 Rota par. 4. tom. 1. dec. 8. num. 1.* Stante ergo illius nullitate non obest Appellatio, ac proinde Abbas retinet omne illud Ius, ac potestatem, ac si dicta prouocatio non fuisset attentata.

Et manifestum est, nec Appellationis no-
men mereri, cum deficiat in suà substantià,
est enim prouocatio à minori Iudice ad
maiorem Iudicem, qui sit Iudex, & Supe-
rior vtriq. communis tam appellantis, 7
quam Iudicis, à quo fit appellatio, vt colli-
gitur *ex l. 1. §. Si quis ff. de appellat. cap. 2.*
de constit. in 6. vbi Glos. V. officiali, cap.
Anteriorum 28. 2. q. 6. Vlterius electioni
consentiens nequit postea appellare, nisi ex
causa superueniente, vel tunc ignorata, 8
cap. Nullì 8. de elect. in 6. Vbi omnes Canon.
& ignorantia defectus probanda est cum
iuramento, vt expressè dicitur in textu. *&*
cap. Vt circa 4. eod. in 6. Peyrin. de Subdito
q. 1. cap. 31. §. 12. cum alijs Sperelius decis.
182. num. 29.

Præterea iniqua fuit ea Appellatio, non
tantùm, quia facta fuit ad Iudicem laicum,
sed etiam quia facta fuit contra pacificum
possessorem vltra etiam triennalem, contra
Reg. Cancell. *num. 35. & 36.* Quare cum
fuerit nulla, in nullo potuit præiudicare
Abbati, vnde omnes illi obedire tenentur.
Quod verum est non solùm datà nullitate
prouocationis, sed etiam si valida fuisset,
quia ea non aufert ab eo potestatem Abba-
tialem, & iurisdictionem, quam habet in
subditos; & puto Oratorem, qui quæsita ad
me transmisit, æquiuocasse summendo Ap-
pelationem pro denuntiatione, seu querelà
facta coram Iudice laico, si quidem per que-
relam Abbas non perdit suam iurisdictio- 9
nem, nec dignitatem, cum depositio, &
priuatio ab officio fiat per Sententiam, non
per querelam, aut appellationem ei respon-
dentem, officialis ergo nisi per Sententiam
priuandus est à legitimo Iudice, *Spathar.*
tract. 3. in sua praxi cap. 19. num. 4. Ab An-
gelis Carmelita Discalceat. cap. 25. num. 5.

de

de S. Iuliano cap. 8. aduert. 4. §. 4. num. 2.

Posito ergo tamquam certo; quòd primus Abbas sit verè Abbas adhuc vigens in sua dignitate, cum hucusq; non fuerit per Sententiam priuatus, sequitur responsum.

Ad secundum quæsitum, vniuersam Religionem malè facere, & esse Schismaticam sequendo Abbates non veros, nec legitimos relicto vero, & proprio.

10 Probatur. Tum quia posterior electio
non tenet, priore validà, & non cassatà,
cap. consideravimus 10. *de elect. cap. Inter
dilectos XI. de excessib. Prælator. Sigism. de
elect. dub.* 100. Immo licet prior esset nulla,
adhuc deueniri non potest ad posteriorem,
nisi prius illa declaretur nulla, *ex eodem
cap. consideravimus. Tholos. de elect. cap.*
18. *num.* 3. *Lauor. de elect. tit.* 4. *cap.* 19. *num.*
123. Tum quia non potest fieri noua electio
nisi Ecclesia, pro qua fit, si viduata priori
11 Sponso, *cap. Nullus 7. dist. 79. cap. Bonæ* 36.
cap. Ne pro defectu 41. *cap. quia propter* 42.
de elect. in quibus locis dicitur, quod prouisiones, & electiones fiant de Ecclesijs viduatis, & vacantibus; tunc autem Ecclesia
dicitur viduata, quando caret Prælato,
quod contingere potest quatuor modis, vel
12 per *mortem* Prælati; vel per illius *Renuntiationem*; vel per *depositionem*, & priuationem; vel per *terminationem temporis, ex cap.
Inter corporalia 2. de translat. Prælat. Glos.
V. Mortuo, cap. vn. Ne sede vac. in 6.* Nullo
ex his hactenus vacauit Ecclesia hæc Abbatialis, cum eius Prælatus cum dignitate adhuc viuat, ergo supradictæ omnes electiones tamquam nullæ, & inualidæ habendæ
sunt, & tales iudicandæ sunt, cum sint attentatę contra formam sacrorum Canonum
ea enim electio dicitur Canonica, quæ
probatur facta cum omnibus à iure requisi-
13 tis, *Rota part. 4. tom. 3. decis. 574. num. 23.
Tambur. tom. 3. de iure Abbat. decis. 23. num.*
31. Magis in terminis nostris *Lauor. cap.* 18.
*num. 17. & seq. Rodriq. tom. 2. q. 52. art. 13.
cum alijs Passerinus de elect. cap. 13. à num.*
14 2. *ad* 14. Demum eidem Ecclesiæ duo
Abbates præfici non possunt, cum sit monstrum corpus habere duo capita, *ex cap.
Quoniam 14. de Offic. Ordin.* Nec licet diuidere Ecclesiam inter duos, quia Ecclesia
Christi vxor, & Sponsa debet esse, non
15 Scortum, *cap. Sicut 4. 21. q. 2.* de qua relatius *Tambur tom. 1. de Abbat. disp. 5. q. 23.*
Quare cum Abbas antiquus adhuc sit Abbas, cum non sit priuatus, sequitur subsequentes Abbates fuisse intrusos, & illegitimos, & Ecclesiam per ipsos, esse factam de Sponsà Scortum. Videant ergo monachi, quem Abbatem sequi debeant, an adulterum, an verum suæ Ecclesiæ Sponsum. Ex quibus patet responsum.

Ad tertium, non solùm illos paucos Monachos, sed etiam omnes alios aberrantes cum illegitimis Abbatibus debere sequi antiquum Abbatem, qui solus est legitimus Abbas illorum Monachorum, qui etiam se intruserunt.

Dices, bona Fides, & error communis quæ in his electionibus præsumitur, cum sint plures, & palam factæ reddunt illas Canonicas, & validas, ac proinde Monachi tenentur obedire illis Abbatibus posterioribus, relicto illo priori.

Respondetur in primis, huiusmodi ac- 16
tus non præsumuntur, cum sint quid facti,
sed à parte aduersà sunt probandi, *ex allatis per Rotam par. 4. tom. 2. decis. 273. num.
2. & 3.* Deinde, nec bonam fidem, nec errorem communem in his reperiri posse, cum luce clarius sit, bonam fidem locum non habere, vbi mala fides Fouet discordias, quæ enim societas luci ad tenebras? *2. Corint. 6.* 14. & quam amicitiam habet error cum scientia? Notum enim semper fuit Monachis, viuere antiquum Abbatem, & suam causam continuò Romæ defendere; & manifestum quoq; est rubibus quibuslibet, inter quos non puto esse hos Monachos, vnam sedem non posse capere duos. Sedes quoq; dicitur vacare in Religionibus, *Sanch. lib. 6. cap. 7. num.* 122.

Insuper, allegans in facto proprio errorem, siue consistat in facto, siue in iure,
non est tolerandus, *Rota par. 7. dec. 3. num.* 17
25. Neque enim error debet prodesse erranti, & nocere tertio non erranti, *Rota par.
9. dec. 203. num:* 12. Vnde errores calculi emendantur, *l. 1. C. de errore Calculi.*

Patet ex his, errorem communem in 18
hac causà locum non habere, nam vt lex *Barbarius* locum habeat ad conualidationem Electionis, seu collationis Beneficij, & dignitatis Abbatialis quatuor sunt necessaria, *Primò*, quòd titulus agendi habeatur à vero Superiore, nam Populus Romanus erat verus Superior, qui seruum nomine Barbarium sibi ignotum quò ad conditionem Serui, elegit in Prætorem, *l. 3. ff. de Offic. Prætoris* constat autem Breue obtentum ab illis Monachis ad conuocandum ad electionem fuisse subreptitium. *Secundò*, vt Beneficium conferendum non sit reseruatum ex Reg. 2. Cancell. vbi nominantur etiam Abbates, & eorum Monasteria, non obstante ignorantià, & communi errore, *ex cap. Si postquam cap. Dudum §. Hos igitur, cap. Si Beneficium, cap: Penult. Vers. Licet ab ignorantibus, de Præbend. in 6.* Nam
in reseruationibus adest decretum irritans,
quòd inficit titulum, & possessionem, *Rota* 19
in Antiquis decis. 20. de præbend. Censetur autem hæc Abbatia de reseruatis, dum subreptitiè impetrarunt rescriptum ad electionem. *Tertiò*, error communis debet in

esse

esse ei, seu eis quibus confertur Beneficium vt colligitur ex illis verbis: *Quamdiu latuit propter vtilitatem eorum, qui apud eorum egerunt* ex ead. lege certe nihil eos latuit, cum scirent Abbatem Romæ suam defendere causam, & illos falsum supplicasse, in eis; ergo non potuit Beneficium huius legis locum habere. Demum *Quartò* debet error facti esse, non iuris, quod colligitur ex illis verbis: *Si seruus cum putaretur liber, ex delegatione, Sententiam tulit*. Certe proprium factum electionis non ignorabant, esto ignorassent, iura, quæ supra allegauimus, prohibentia, & annullantia electiones factas viuente Prælato. Hæc quatuor requisita D. Prosper. Fagnanus *par. 6. in cap. Quod à prædecessore, de Schism. fuse explicat à num. 129.*

CONSI-

CONSILIVM XLIV.

An Abbates vndecim Congregationum Regularium in vim cuiusdam Breuis Alexandri VII. possint alienare bona, de quibus hic?

1 Dominus de Valerano Episcopatus Lunensis habitator Parmæ instituit hæredes vniuersales Monasteria S. Mariæ Vallis Serenæ, Cistertiensium, & Cartusianorum pro mediate suorum bonorum, adiectis nonnullis Legatis ad fauorem Conuentus S. Petri Martyris Parmæ, prohibendo dictorum bonorum alienationem, nisi pro soluendis legatis factis Fratribus Dominicanis, sub his verbis: *Mandauit ipse Testator, quod tota sua hereditas, & omnia sua bona mobilia, & immobilia, Saluis ijs, quæ venderentur pro solutione dictorum Legatorum, vel quæ ipsis Legatarijs, vel alicui ipsorū darentur in solutionē semper sint, & remaneant in prædictis Monasterijs.* Et contrafacientes priuauit à dicta hæreditate, volens, quod tota eius hæreditas pleno iure peruenire debeat ad Conuentum Sororum S. Dominici de Parmà.

2 Certum est, quòd Domini Abbas & Prior vtriusq. Monasterij tantam portionem bonorum Testatoris prædicti alienare possunt, quæ sufficiat ad extinctionem legatorum dandorum Fratribus Dominicanis, id enim Testator expressè illis indulget, ita quòd prohibitio alienationis restringitur ad ea bona tantùm, quæ remanerent post solutionem totalem capitalis Legatorum. Super his ergo tantùm dubitatur an per Breue Alexandri VII. nunc fæliciter regnantis possint dicta bona in totum alienare contra expressam prohibitionem Testatoris quò ad bona non subiecta Legatis, ad effectum soluendi Subsidium pro necessitatibus Sanctæ Sed is Appostolicæ ad tenorem dicti Breuis, absq. incursione in priuationem dictorum bonorum, & deuolutionem eorumdem ad Monasterium Sororum S. Dominici?

3 Possunt alienare dicta bona in ordine ad dictum Subsidium vendendo quibuslibet, reseruatâ portione bonorum pro legatis. Primum de alienatione sine incursione priuationis apertè statuitur in eodem Breui, illis verbis: *A quibuscunq. obligationibus, oneribus, caducitatibus, deuolutionibus substitutionibus, etiam ad fauorem aliorum piorum locorum, quibus occasione bonorum &c. ex quacunq. causa etiam per viam testamentorum, codicillorum, legatorum ad pias causas &c. quomodolibet obnoxia, & subiecta penitus, & omninò absoluere, eximere, & liberare.* Patet ergo dicta bona alienari posse sine periculo incurrendi illorum priuationem, & deuolutionem ad alium locum pium, vt est Monasterium S. Dominici Sororum eiusdem Sancti.

Secundum, quòd portio seruanda, vel danda sit Fratribus S. Petri martyris pro legatis deducitur ex eodem Breui verbis subiectis: *Ita tamen, vt quò ad obligationes, & onera in alia bona, & proprietates eiusdem Congregationis transferre omnino debeant, & bona, & proprietates, in quæ obligationes & onera huiusmodi translata fuerint, eisdem perpetuò subiecta, & obnoxia remaneant.* 4

Habet ergo P. Prior Cartusiæ facultatem alienandi bona eius Testatoris pro subsidio Apostolico, & onera Legatorum potest transferre in alia bona sui Monasterij, vel partem peculij correspondentem legatis etiam de mente Testatoris tradere Fratribus Ordinis Prædicatorum. Aduertere autem debet, quod cum accidere possit, vt Dominicani negligant, & omittant satisfacere oneribus sibi à Testatore impositis, propter quod legata deuoluuntur ad Monasterium Carmelitarum ex mente Testatoris, cautum debere esse P. Priorem, nimirum assignando specialem, & certum fundum, ex cuius fructibus possit satisfieri oneribus legatorum, huiusmodi enim deuolutio non est sublata per Breue, quo tantum tollitur pæna priuationis, & deuolutionis ad Sorores S. Dominici. 5

CONSILIVM XLV.

Quomodo sit reclamandum à nulliter Professo post Quinquennium?

1 Frater N. Nouitius peracto probationis anno in Conuentu N. deputato pro Nouitiatu, cum nondum expleuisset suæ ætatis annos sexdecim, defectu vnius mensis circum circa, emisit Professionem, & post quinquennium elapsum reclamauit coram Ordinario, & suo Superiore, & ab eis obtinuit Sententiam definitiuam, quòd nulla fuit emissa per eum Professio, eius virtute rediit ad sæculum. Nunc sit ei scrupulus, quòd nulla fuit ea Sententia, vtquæ data fuit à Iudice incompetente, vnde volens suæ Conscientiæ consulere petiit à me quid dicendum sit pro veritate tam in foro Conscientiæ, quàm in foro fori, & externo?

2 R. In neutro Foro eam Sententiam valuisse, sed esse omninò nullam, ac proinde sic dimissum esse adhuc Religiosum, ac si non reclamasset, consequenter teneri redire ad claustrum sub obedientia Superioris regularis?

3 Probatur, quia Sententia nulla nullum potest producere effectum ad fauorem eius, pro quo lata fuit, *l. 4. §. condemnatum ff. de re iud. Salcedo ad Diaz cap. 33. Vers. Est etiam. Nauar. tom. 4. in cap. cum contingat, de rescript. Remed. 3.* Quia non ens non sunt proprietates, & passiones, neq; effectus, *l. Eius qui, Vers. quoniam ff. si certum pet. Barbosa de locis commun. lit. N. num. 24.* Immo nulla Sententia nec Sententiæ nomen meretur, *Glos. fin. Clem. de sequestr. per iura ibi citata* minus effectum rei; sed hæc Sententia nulla omnino fuit, ergo non potuit reclamantem eximere à iugo Professionis regularis. Minor, in qua consistit vis argumenti probatur efficaciter.

4 Nam Ordinarius, & Superior regularis in causa Reclamationis nullam aliam habent potestatem, & iurisdictionem sententiandi super nullitate professionis, nisi eam, quam illis tribuit Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 19.* illis verbis: *Non audiatur nisi intra quinquennium tantùm à die Professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario.* Constat autem illos non habere iurisdictionem audiendi reclamantem nisi intra *Quinquennium*, vt super dicta Concilij verba docent omnes, quos magno numero citat Barbos. *Allegat. 104. num. 9.* cum ergo supradicti Iudices audierint reclamantem *post Quinquennium*, & Sententiam tulerint illius fauore, declarantes nulliter fuisse professum, habendi sunt pro conjudicibus incompetentibus, carentibus scilicet iurisdictione, sine qua nulla est Sententia, *l. 1. & 2. C. Si à non compet. iudice.* est enim defectus iurisdictionis insanabilis, *Staphil. de signat. iust fol. 411. ex eo Sebast. Guazin. Defens. 1. num. 4.* Itaque *post quinquennium* Ordinarius, & Superior regularis non possunt audire reclamantem, nec proinde sententiare in eius fauorem. Ita omnes *cum Sanch. lib. 7. disp. 37. num. 15. Riccius par. 2. resol. 20. num. 2.*

5 Quod si quis obijciat, nulliter Professum etiam *post quinquennium* posse reclamare, ex causa, cum scilicet, infra illud quinquennium vel fuit impeditus, vel ignorauit nullitatem suæ Professionis; ac proinde illi non cucurrisse quinquennium, vt docent quamplures Doctores, quos refert Barb. ad dictum *cap. 19. Sess. 25. num. 8.*

6 Respondeo, illos ita sentire, & quidem rectè, sed subiungunt, volentem post quinquennium reclamare debere petere remedium non Ordinarium, sed extraordinarium, *Restitutionis in integrum*, quod non spectat ad ordinarium, & Superiorem regularem, sed ad Pontificem Romanum, & Principem *l. 1. C. Vbi, & apud quem. Abbas lib. 1. cons. 87.* Ita docet ipse *Barb. hic num. 9. Compend. Rodriq. resol. 101. num. 7. Portell. V. Professiones nulla num 45. Vers. Circa quod, Donatus par. 4. tract. 12. q. 28. Corradus de dispens. lib. 5 cap. 13. num 11. Lucerna Regul. V. Reclamare, num 5. quos, & alios ego cito de Profess. Regul. in edit. Veneta cap. 22 q. 8. num. 13. Pagnan par. 6. ad cap. consuluit, qui cler. vel vou. num. 35.*

7 Ex quibus etiam infertur, falsum esse, quinquennium esse numerandum a die scientiæ impedimenti, cum hæc dilatatio temporis prodesse non possit coram Ordinario, & Superiore regulari; certum ergo esse debet, tale tempus esse numerandum à die naturali Professionis, vt insinuat illud idem verbum *à die Professionis*, & ita docent citati à Barbosa super Concilium *num. 7.* quos ego cito *num. 11. cap. cit.* de Prof. regul.

CONSI-

CONSILIVM XLVI.

An Patronus in fundatione Beneficij posſit apponere conditionem, vt conferatur ab alio, quàm ab Epiſcopo?

1 Vidam Patronus in limine funda-
tionis eam appoſuit Conditio-
nem, vt prima vice Beneficium
conferretur per Epiſcopum, ſe-
cundà vice per eius Vicarium Generalem,
tertià demum, & in ſubſequentibus vaca-
tionibus Beneficij patronalis collatio ſpec-
taret ad capitulum Catedralis. Tunc tem-
poris, cum huiuſmodi Iuſpatronatus auctο-
rizatum fuit, & erectum in Beneficium Ec-
cleſiaſticum, ſedes Epiſcopalis vacabat,
vnde Vicarius Capitularis Inſtrumento ſibi
lecto, & conſiderato, vt fieri ſolet, inter-
poſuit ſuum decretum auctorizando Iuſpa-
tronatum, & erigendo illud in Beneficium
eccleſiaſticum, approbando ea omnia, quæ
in Inſtrumento expreſsè lecta fuerant à No-
tario, tamen in ſpecie non approbauit eam
conditionem, vt poſt ſecundam vicem in-
ſtitutio, & collatio Beneficij pertineret ſo-
lùm ad Capitulum Catedralis Parmæ.

Dubitatur ergo an nulla fuerit Confir-
matio præfatæ conditionis, vt poſt ſecun-
dam vicem Inſtitutio pertineat ad Capi-
tulum?

2 R. Nulla fuit ea Confirmatio, eſto facta
fuiſſet expreſſis verbis eiuſdem conditionis.
Probatur, quia licet Capitulum ſede va-
cante capax ſit inſtitutionis huiuſmodi, *ex*
3 *cap. 1. de inſtit. in 6. vbi Barboſa num. 3. &*
in cap. 2. Ne ſede vac. num. 5. & in cap. Cum
olim. 14. de maior. quia Capitulum mortuo
Epiſcopo facere poteſt ea omnia, quæ ſunt
Iuriſdictionis, niſi expreſsè reperiatur pro-
hibitum, *ex allegatis ab eodem Barb. cit. cap.*
4 *à Sede vac. num. 3.* ita quòd Capitulum con-
cedere poteſt eas omnes licentias, quas da-
re poſſet Epiſcopus ſi viueret, *ex eodem ibi-*
dem num. 12. & Alleg. 90. num. 32. Vbi in
terminis noſtris dicitur, quòd Capitulum
ſede vacante poteſt dare licentiam Eccle-
ſiam ædificandi, vt aquiratur Iuſpatronatus,
5 vbi citat *Lambert lib. 1. par. 2. art. 9 Panuin.*
de poteſt. cap. par. 5. q. 2. num. 5. Garz. par.
5. cap. 9. Viuian. lib. 2. cap. 1. num. 12. Mar.
Anton. lib. 1. reſol. 12. Immo & inferiores
Prælati capaces ſunt huiuſmodi Inſtitutionis
ſi nominentur in fundatione à Patrono, ex
Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 9. ibi! Quòd ſi ad in-*
feriores inſtitutio pertineat, ab Epiſcopo ta-
men, iuxta alia ſtatuta ab hac ſanctâ Syno-
do examinentur, alioquin inſtitutio ab in-
ferioribus factà irrita ſit. Statuta autem
hic nominata ſunt *cap. 13. ſeſſ. 14. & cap. 18.*
ſeſſ. 24.

Tamen in præiudicium Epiſcopi non po- 6
tuit firmare eam conditionem nec expreſsè,
nec tacitè, quamuis Epiſcopus ipſe id face-
re potuiſſet, ſatisfaciendo voluntati Teſta-
toris, & Fundatoris *ex cap. Nobis 25. de Iu-*
repatr. cum alijs Riccius par. 1. dec. 157. ap-
probando conditionem quòd inferior inſti-
tuat. Prælatus enim in aquirendis poteſt
præiudicare Eccleſiæ, non in aquiſitis, *Gloſ.*
V. Non debet, cap. 2. de donat. Ratio autem,
cur Capitulum non potuerit approbare 7
eam conditionem eſt, quia licet ſuccedat
in omnem Epiſcopi Iuriſdictionem, per eius
tamen exercitium non poteſt præiudicare
Eccleſiæ, & eius Succeſſori ſede vacante,
ex tit. Ne Sede vac.

Confirmatur, quia Capitulum ſede va-
cante non poteſt conferre Beneficia, *cap. 2.*
eod. Quartus *Verbo Capitulum q. 9.* ergo
nec alijs concedere, vt conferre poſſint; &
licet poſſit Conferre Iuſpatronatum iam
vacans, & nouum approbare illud erigen- 8
do, vt dictum fuit, non ideo poteſt appro-
bare, vt in erectione conferatur ab inferio-
re, quia Epiſcopus habet ſuam intentionem
fundatam in Iure, quòd ad eum ſpectet
conferre Beneficia ſuæ diæceſis, & non ad
alios, cum actus collationis computetur in-
ter fructus menſæ Epiſcopalis, qui reſer-
uantur Succeſſori, ergo hunc actum Ca-
pitulum alijs communicare non poteſt, ſed
id totum Epiſcopo Succeſſori reſeruare
debet.

CONSILIVM XLVII.

An Deflorans teneatur per vim ducere Defloratam?

1 Non tenetur, nec proinde cogi potest per Iudicem eam ducere, sed tantùm cogitur ad illam dotandam, vt colligitur *ex cap. 1. de*
2 *Adulterijs* vbi sic decernitur. *Si seduxerit quis Virginem nondum desponsatam, dormieritq. cum eâ, dotabit eam, & habebit vxorem. Si verò pater Virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis,*
3 *quam Virgines accipere consueuerunt.* Sunt verba rescripta *ex Exodo 22. 16.* Et licet textus videatur defloratorem obligare ad vtrumq; ad dotem, & Matrimonium per particulam *Et* quasi sumitur copulatiuè, tamen si spectentur sequentia verba *Si verò pater &c.* secundum eorum verum intellectum, arguunt solùm obligationem ad dotem, vel ad Matrimonium, vt docent plerique *cum Ioan. Andr. num. 5. Anania num. 4. Anchar. num. 4. Gomez in l. 80. Tauri num. & Clarus §. Stuprum vers. sed quaero. Farinac. q. 147. num. 98. Rota decis. refert hic Barbos. num 7. Sanch lib. 4. disp. 13. num. 7. Poncius 4. lib. 4. cap. 19. num. 13.*
4 Nolens ergo eam ducere ad id cogendus non est, sed tantùm ad eam dotandam, vt communior tenet opinio, & in tali casu, cum scilicet non vult eam ducere, cogi potest à Iudice in poenam vltra dotem soluere aliquid pecuniarum eidem defloratae, debet enim resarcire damnum illatum ablatione honoris, & supplere vltra dotem, vt possit inuenire virum sibi aequalem, & ita docent *Ioan. Andr. num. 9. fine. Anchar. & Panorm num. 4. Gouar. de Sponsal. par. 2. cap. 6. §. 8. num. 15. cum eis Barb num. 7. Farinac. cit. num 103. Bossius V. Stuprum num. 2.* 5
Semper autem tenetur eam dotare, siue eam ducat, siue non, vt docent omnes, quia peccauit contra Iustitiam, ideo tenetur illatum damnum resarcire, dotando eam taliter, vt virum sibi aequalem inuenire possit.

Si promisit eam ducere in vxorem tenetur stare promissis obligantibus ex Iustitia, & stante coactione, vide *Sanch. lib. 1. disp. 10.* vbi quòd fictè promittens, tenetur ducere vxorem, à fortiori, qui non finxit. 6

Layman autem *lib. 3. sect. 5. tract. 3. par. 3. cap. 13. num. 3 fol. 113.* docet, per Sententiam Iudicis cogi posse ad eam ducendam, citando *Molin. disp. 106. Azor tom. 3. lib. 5. q. 2. Clarum. §. Stuprum num. 3. Less. lib. 2. cap. 10. dub. 2. Vasq de restit. cap. 3. §. 2. dub. 1. Gutier. lib. 1. Canon. quaest. cap. 37. num. 7.* Sed melior est allata opinio, cum Iudex ad vnum tantùm possit cogere, ne Matrimonium sequatur nullum defectu consensus, qui non deficit in alternatiuis. Vnde hi Doctores intelligendi sunt, quando promisit sponsalia.

CONSI-

CONSILIVM XLVIII.

De nullitate Contractus defectu Mandati.

1 Frater Prior ordinis N. vti Curatus Ecclesiæ Parochialis S. N. Parmæ annis præteritis concessit D. N.N. seculari laico vti administratori Oratorij S. N. & Confratri Confraternitatis N. iura quædam parochialia presertim administrandi Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, & exponendi Sanctissimum certis diebus per Sacerdotem sibi benè visum in eodem Oratorio; cui Priori regulari, vti Curato promissi fuerunt singulis annis ducatoni quindecim in recognitionem præfatæ concessionis Iurium parochialium, & in effectu in stipulatione huius Instrumenti exbursati fuerunt pro primo anno à N. nomine, & vice Ser. eius nomine promittente nunc defuncta. In qua stipulatione interuenit licentia Superioris Generalis eius Ordinis, & Decretum approbationis Vicarij Generalis.

2 Quoniam autem Persona mortua, quæ se obligauerat, vt N. dixerat in Instrumento, nullum fundum per dictum suum Procuratorem, seu seruientem in Curiâ, assignauit pro præstit i, annuâ recognitione, nec inuenitur qui velit soluere, cum nullus se obligauerit, præter dictam personam nobilem mediante dicto N. Idcirco Prior curatus quærit quid dicendum sit de validitate supradictæ obligationis.

3 Respondeo, dictam obligationem esse nullam tam ex parte Prioris, quam ex parte Confratris, & Ser. quæ se obligauerat per N. ac proinde declarandam esse inualidam, consequenter posse Priorem Curatum de nouo concordare cum toto corpore Confraternitatis, etiamsi per Iudicem non declaretur inualida prior obligatio.

4 Probatur nullitas huius obligationis. *Primò*, quia mulier vxorata de fructibus suæ dotis disponere non potest sine licentia mariti, cum is habeat illius administrationem, *l. Dotis 8. ff. de iure dot.* est enim dominus

5 fructuum rerum dotalium, *l. Doce ancillam, C. de rei vindic. Surd. lib. 3. conf. 397. num. 20. Rota par. 4. dec. 326. num. 3.* Hæc autem licentia non extat, cum nec nominetur in Instrumento.

Secundò, ex statutis huius Ciuitatis nulla mulier sine solemnitatibus Statuti potest se obligare, & de huiusmodi Statutis mentionem facit *Ottobon. decis. 215. num. 2.* citans Doctores, ergo cum non seruauerit solemnitatem requisitam, nullius momenti est talis obligatio, etiamsi esset Augusta & vxor Principis *l. Princeps. 31. ff. de legib.* quia non est soluta legibus, nisi illam priuilegiauerit Princeps, de quo non constat.

Tertiò, actus gestus ab eo, qui mandatum non habet, nullum est, *ex l. Diligenter ff. Mand.* quia potestas agendi pro alio 6 continetur in ipso mandato, ergo si eo caret, nihil agit, valor enim actus pendet à potestate, *ex cap. cum super, de offic. deleg. Bald. lib. 1. conf. 326. num. 2.* Qui *conf. 402. num. 55.* ait, paria esse, non habere Mandatum, vel non seruare formam Mandati, cum ergo non constet de Mandato, neq. enim de eo verbum aliquod asseritur in Instrumento, ruunt acta, in hoc Instrumento scripta, cum mandatum sit de formâ 7 actus procuratorij pro alio, *ex tit. Mand.* Mandatum ergo cum non præsumatur etiam per mille annos, *Natta Conf. 526. Mascard. conf. 1007. num. 41. cum alijs Mar. Ant. lib. 1. resol. 25. num. 5.* à parte aduersâ exhibendum erit, si asseratur extare; quod verum quoq. est, etiamsi mandatum sit Principis, *l. Vn. C. de mand. Principum.*

Quartò, in Instrumento pacta, conuentiones, & accordia dicuntur facta ad instantiam Ser. inter Curatum, & Administratorem Oratorij, & hoc non probatur, sed 8 tantùm legitur scriptum in Instrumento, vnde cum respectu huius, actus concordiæ magnum vigorem, immo totum dicatur accepisse ex instantiâ Ser. in tantùm iste actus valet in quantùm de eo constat, & probatur subsistere, sed per scriptum Notarij non probatur; quia Notario creditur in ijs, quæ geruntur per partes coram ipso, & gesta per ipsum, *Caputaqu. par. 2. dec. 123. & 248. Merlin. dec. 710. num. 6.* Sed nego- 9 tium coram Ser. actum, & ad eius instantiam corroboratum, non fuit tractatum coram Notario, cum in stipulatione Instrumenti ipsa præsens non fuerit; nec eius Procurator probetur habere mandatum, vt supra firmatum fuit, consequenter pro nullis habenda sunt pacta, cum non constet de instantiâ Ser. à qua potuissent recipere suum vigorem, si præsens fuisset vel per se, vel per Procuratorē, sed certum est, eam nō fuisse præsentem personaliter, nec probatur per Procuratorem ad fuisse, sed solùm personam non habentem mandatum, ac proinde non potuisse dare esse illis pactis.

Quintò laicis prohibetur à sacris Canoni- 10 bus administratio bonorum tam spiritualium,

um, quam temporalium in Ecclesijs tamquam inhabilibus, & incapacibus, *cap. Indicatum 5. dist. 89. cap. Bene 1. dist. 96. cap. In nouà 22. 16. q. 7. Barb. ad dictum cap. Bene, num. 3. cum Couar. in cap. Alma mater par. 1. §. 11. num. 3. Nauar. in cap. cum contingat de rescript. caus. 2. nullitatis num. 11.* Non potuit ergo Prior Curatus concedere Laico asserto administratori Oratorij Iura parochialia, nec ipse illa acceptare propter suam incapacitatem. Vlterius esto vt Confrater possit esse administrator bonorum Confraternitatis si habeat ad hoc mandatum electionis sibi factum à Confraternitate, & subsequenter confirmatum ab Ordinario, tamen cum illo careat, confirmatio facta ab Ordinario nihil valet,

Dices ex Bulla 115. Clementis VIII. incip. Quæcunq. Confratres, inter quos est D. N. N. sunt facti capaces spiritualium, nam eligunt sibi Confessarium, ex approbatis ab Ordinario, & habent œconomiam bonorum suæ Confraternitati relictorum, ergo sunt capaces bonorum etiam spiritualium, nam de iure communi *cap. Laici 37. cap. Inuentum 38. 16 q. 7.* de mandato Episcopi laici habent administrationem, & œconomiam bonorum ecclesiasticorum, ergo Curatus potuit validè conferre ea iura dicto Laico confratri,

12 R. Clementem VIII. Priuilegia illa non concedere huic, vel illi Confratri, sed corpori ipsius Confraternitatis, vt colligitur ex illis verbis; *Huic verò Confraternitati, & Congregationi &c. ea tantum priuilegia, indulgentias facultates, aliasq. spirituales gratias &c.* de quibus *Lezana par. 2. cap. 15. de Confratribus num. 16. & 29.* Constat autem ex dicto Instrumento nullam fieri mentionem de concessione facta toti Confraternitatis corpori, sed tantùm vnico Confratri, nam quando quis agit cum Confraternitate immediatè in Instrumento exprimenda sunt nomina singulorum, aliter non dicitur factum cum Confraternitate, *Mascard. concl. 1003. num.* 13
24. Barb. ad cap. fin. de Procur. num. 3. Cum ergo pateat, factum fuisse cum vno tantùm confratre vti incapaci, pro nullo habenda est concessio,

Sextò, datum ob causam, eà non subsistente, seu non secutà, receptum restituitur, *l. 1. ff. de cond. ob causam, cap. 5. de donat. inter. iur.* Certum autem est, quod P. Curatus dedit ex parte suà, & concessit Iura parochialia propter illam recognitionem annuam, sine qua absq. dubio Iura non concessisset, nec poterat concedere sine illa, quæ connotat continuam subiectionem ad parochialem, ergo ea amplius non existente D.N.N. ea Iura restituere tenetur, Nam in contractubus innominatis, quale hoc pactum dici potest, agitur ad rescissionem ob non implementum; quando versatur circa causam finalem, *l.* 15
Cum te C de pactis inter empt. Decius cons. 45. num 2. quod verum quoq; est, licet implementum consistat in minimo, *l. Iulianus §. Offerri ff. de act. empt vbi Barb. cum alijs apud Rotam part. 4 tom. 2. decis. 121. num. 2. & 3.* Huiusmodi autem recognitio annua est causa finalis, à qua omninò pendet concessio Iurium, quam non fecisset sine illa,

Septimò hoc pactum est conditionale 16
habens hunc sensum; *Tibi concedo hæc, & hæc iura parochialia, si annuatim recognoscas.* Pacta autem conditionalia nunquam dicuntur in esse, nec subsistere possunt, nisi adimpleatur conditio taliter, qualis est, *l. Item quis, §. 1. ff. de pactis. Paris. vol. 4. cons. 5. num. 7. Tiraq. de retract. §. 8. Glos 6. num. 2. Seraph. decis. 838. num 6. cum Rota part. 5. decis. 483. num. 3.* Vnde Iura restituenda sunt ab eo, qui non vult recognoscere Curatum,

CONSI-

CONSILIVM XLIX.

An Salarium pendens debeatur Fiscali nouo. an veteri?

AD fauorem Fiscalis ecclesiastici extat sequens ordinatio eius tenoris, qui sequitur.

1 *Fiscalis habeat septem cum dimidio pro quolibet centenario, tam condemnationum, quàm supplicationum, & aliarum pœnarum de exactis, & de non exactis arbitrio Illustrissimi, & Reuerendissimi D. D. Episcopi.*

2 Fiscalis antecessor prætendit pensiones pecuniarum exactarum sub suo Successore pro condemnationibus expeditis tempore, quo Antecessor erat actu in officio, à quo iustè remotus fuit. Dubitatur, an illi debeantur, an verò dandæ sint eius Successori, qui actu est in officio?

3 Censeo esse dandas Successori. Quod multis ostendo. Nam in primis, Antecessor cum sit officio priuatus, nullum ius habet amplius ad ea, quæ pendebant ab eius Officio, destructo enim Officio, tamquam eorum fundamento, destruuntur pendentia ab illo, *cap. cum Paulus 26. 1. q. 1.* fundamento enim non existente in eo nihil superædificari potest, *cap. 3. de Presb. non baptiz.* Nullum ergo ius habet ille petendi has portiones, dum caret officio, quod dabat ius petendi.

4 Ius autem duplex est vnum ad rem; alterum in re, & hoc supponit illud, quo non extante, neq; hoc esse potest. Nam Officialis tunc incipit habere ius ad rem, cum hæc est in actu, in re verò cum eam completè possidet, Episcopus enim per electionem ius habet ad Episcopatum, in re verò quando confirmatur, & consecratur; sed nouus Fiscalis, non vetus incipit habere ius ad huiusmodi portiones, per earum exactionem factum eius tempore, & non tempore veteris vt notum est, ergo debentur Successori, qui habet ius ad illas, cum sint maturatæ sub eius officio, & non sub officio veteris. Et id colligitur de mente supradictæ ordinationis, ibi: *Habeat septem cum dimidio de exactis*, exactio autem contingit sub Successore, non sub Antecessore, ergo illi debentur, & non huic.

5 Secundò, fructus Beneficij maturati ante mortem Beneficiati, licet sæpius fuerint petiti ab eo dum viueret, & subsequenter etiã ab eius hæredibus repræsentantibus eius personam, non debentur illis, sed successori in Beneficio ex Bulla XI. incip. *Cum, sicut nobis.* Iulij III. ergo & supradictæ portiones, quæ sunt fructus Fiscalatus debentur Successori, & quidem fortiori ratione, quia in casu nostro huiusmodi fructus portionum pendebant tempore Antecessoris, maturati sub Successore, ergo huic debentur, & non Antecessori; sub quo maturati non fuerunt.

Tertiò, sicut fructus, qui distribuuntur certo anni tempore inter Canonicos existentes de tempore distributionis, dantur existentibus actu tunc Canonicis, licet tales nondum essent tempore Collectionis, quo erant alij, qui non sunt tempore distributionis, *Rota par. 4. tom. 2. dec. 322. num. 8.* Ita isti fructus, & portiones spectare debent ad Fiscalem successorem, qui est actu in Officio tempore exactionis, & distributionis licet tempore condemnationis nondum esset Fiscalis, quo erat ille Antecessor, cui proinde nihil debetur, cum non amplius tempore debito sit Officialis. 6

Quartò, Officiali ob culpam remoto nihil debetur. *Cagnol in l. Diem functo, ff. de officio Assess. num.* 208. *Corsett. sing. 311. V. Salarium apud Gratian. cap. 248. num. 17.* Et licet multi dicant Salarium deberi famulo, & eius hæredibus post mortem eius, si non fuit per eum viuentem exactum. Id tamen intelligitur de portione maturatà ante mortem naturalem, vel ciuilem, vt in casu nostro. Constat autem fructus Fiscalatus, quos vetus prætendit, non esse maturatos, sed adhuc pendere, ac proinde spectare ad Successorem, sub quo maturantur per exactionem secutam sub illo. 7

Poterit ergo Episcopus ad tollendas in posterum contentiones inter Antecessorem & Successorem declarare, & interpretari supradictam ordinationem sic esse intelligendam prout superius dictum fuit, namquilibet Legislator suam legem, vel sui Antecessoris vti propriam declarare, & interpretari, *potest l. Cum de nouo 10. C. de legib. cap. Inter. alias 31. de sent. excom.* 8

Post

9 Post hæc scripta inueni *Farinac. cons.* 107. *num.* 8. asserentem, portionem pœnarum deberi Officiali primo, non secundo existenti tempore exactionis pœnarum, citans ibi alios pro hac opinione, sed in *consil.* 147. *num.* 1. distinguit hoc procedere in officio oneroso, non autem in lucratiuo, & probat infra *sub. num.* 20. quia non sufficit, delictum fuisse commissum tempore primi Officialis, immo etiam condemnationem secutam, & executionem positam, sed requiritur actualis exactio, *Allexander l. Diuortio §. Si vis ff solut. matr. num.* 11. *Iason. in l. More ff. de iurisdict. om. iud. cum alijs.* Colligitur *ex l. Susceptores* 3. *C. de Susceptor.* vbi dicitur, quòd susceptoribus nouis soluitur, non prioribus, quorum tempore facienda erat solutio. Constat autem officium hoc non esse onerosum, quia non emptum, sed gratiosè concessum, ac proinde Lucrosum, Fiscalis enim non conducitur, sed eligitur.

CONSI-

CONSILIVM L.

An Parochus aquirat ius canendi Missam in Ecclesià Regulari?

1 CVratus quidam solebat certâ die canere missam in Ecclesiâ Regulari, & vice versâ Prior huius Ecclesiæ canebat eandem in Ecclesiâ Parochiali. Accidit, quòd Curatus recusauit celebrationem Prioris in suâ Ecclesiâ Parochiali, & nihilominus prætendit Curatus prosequi solemnem decantationem in Ecclesiâ regulari etiam modò, & per Capellanum cuiusdam Confraternitatis. Quid iuris in hoc casu?

2 Iure communi *in cap.* Luminoso 6. 18. *q.* 2. Regulares habent Priuilegium, vt nec Episcopus possit publicas Missas in eorum Cænobijs hoc est, Ecclesijs celebrare, nec Ordines conferre, & de eisdem Missis publicis dixit clarè *in cap. Abbatem* 3. *eodem*.

3 Et licet in *Clem.* 1. *de priuileg.* dictis capitibus sit derogatum illis verbis: *concedimus Episcopo, vt in locis eisdem sua Diæcesis possit populo benedicere, audire diuina Officia, & ea etiam celebrare, & in suâ præsentia facere celebrari.* Id est in locis exemptis, cuiusmodi sunt loca Regularium.

Et Fagnanus, reddit rationem, quia celebrare non est actus Iurisdictionis, & licet in Tridentinâ *sess.* 6. *cap.* 5. prohibeatur ne

4 in alienâ Diæcesi Episcopus exerceat Pontificalia, ac proinde videatur hoc idem prohiberi in locis exemptis intra suam Diæcesim; qui censentur esse extra diæcesim, non est tamen ita, quò ad insignia hæc, quia locus exemptus non comparatur loco existenti extra, nisi respectu Iurisdictionis exercendæ, & ita ille distinguit *in cap. cuiâ nos, de Auctor. & vsu palij num.* 18. *par.* 2. *fol.* 142.

5 Tamen nullibi reperitur hoc concessum Parochis, vt in Ecclesijs Regularium possint canere publicè missam, neque enim consentaneum, est, vt Curatus, qui semper minor fuit Episcopo, in hoc maior habeatur Episcopo, cui subditur, & quidem à fortiori, quia Ecclesiâ regularis nulli eorum subditur in hoc, nec in alijs, nisi quò ad hoc soli Episcopo. Vide Rotam *par.* 5. *dec.* 552. *vbi num.* 13. quod Parochus non potest fundare suam intentionem super Ecclesias alienas in sua Parochia sitas.

6 Nec obstat, quòd à Fratribus ille Parochus ad missas fuerit ad cantandum missam in sua Ecclesiâ regulari, quia cum id fuerit mutua conuentio inducta honoris, & amicitiæ causâ, vno deficiente, alter non tenetur stare promissis, & pati quandocunq. alter se retrahit, *ex Reg.* 75. *in* 6. fides enim ei non seruatur, qui fidem primò parti fregit, vt docent omnes *in C. de pactis, Roland. lib.* 1. *conf.* 57. *num.* 21.

Præterea conuentiones, & pacta inter Religiosos, & Parochum constituta, & inita, non valent, nec subsistunt, nisi firmentur ab eorum Superioribus, & quando Superiores locales illa fecerunt sine consensu suorum subditorum, vt colligitur *ex cap. quia ex eo* 3. *de pactis in* 6. Possunt tamen infirmari in proximo capitulo Generali, vel Prouinciali, ex Bullâ 22. Leonis X. §. 8. 7

Parochus in alienâ Ecclesiâ sibi non subiectâ canere potest de facto quatuor modis, ex Conuentione, ex Præcario, ex Vrbanitate, & ex Consuetudine inducendâ. Licet autem is Parochus hactenus ex pacto celebrauerit Missas in Ecclesiâ regulari, nullum tamen ius aquisiuit prosequendi celebrationem, nisi dependenter à subsistentiâ Conuentionis, quæ est dissoluta, ipso dante occasionem, dum exclusit Priorem à cantu Missæ in sua Ecclesia parochiali, nam quælibet obligatio dissoluitur eo modo, quo quis ligatur *l. Prout.* 80. *ff. de solut.* Regulariter enim quibuscunq. modis obligamur, 8
ijsdem in contrarium actibus liberamur *l.* 196. *ff. de regul. iur.* dissoluitur enim vnum quodq. per contrarium eius, quo fuit ligatum, *l. Tutor* 8. *ff. de testam. tut.* Quare cum Parochus neget Priori celebrationem in sua Ecclesiâ, etiam vice versa Prior negare poterit Parocho celebrationem in propriâ Ecclesiâ, contraria enim contrarijs distrahuntur ex allatis iuribus.

Precario concedi potest actus honorificus 9
cantandi Missam, cuius natura est, vt concessum sit reuocabile à concessionario pro suo libito, & quandocumq. voluerit, *cap. fin. de precar. Couar. lib.* 3. *Var. cap.* 15. *initio. Molina de iust. tract* 2. *disp.* 298. *num.* 2. *Less. lib.* 2. *cap.* 27. *num* 4. *Tuschus lit. P. concl.* 472. Et si Conuentio inter illos est Precarium, non poterit Parochus celebrare in Ecclesiâ regulari resistente Priore, quia ex hoc reuocauit Præcarium.

Si verò Prior, & Parochus ex Vrbanitate inceperunt celebrare, altero contradicente, cessare debet vsus Vrbanitatis, quia inducta ex Vrbanitate nullam producunt obliga- 10

obligationem inter partes, & non præiudicant iuri publico, nec priuato, non in petitorio, nec in possessorio, *l. Qui iure familiaritatis ff. de aquir. possess. Glos. V. Commendare cap. Nemo 15. de elect. in 6. Vbi idest sub dicta lege Bart. Imola, Paulus, Alexander, & alij, Abbas in cap. Cum Ecclesia de causa possess. apud Bartolam consil. 29. Vers. Respondetur primo. Cicorl. cap. 119. num. 7.*

11 Si demum prætendatur inducta Consuetudo, id subsistere non potest, tum quia in his Consuetudo inducitur ex patientià, & tolerantià alterius partis videntis, & non contradicentis, maximè in his spiritualibus seruitutibus & iuribus. Abbas *in cap. cum Ecclesia 3. de causa possess. num. 43. & 49. Crescent. decis. 2. de Iurepatr. Gomez tom. 2. Var. cap. 15. num. 23.* sed apparet contrarium, dum alter alteri aduersatur, ergo ea consuetudo induci non potest; tum quia interrupta est, ante præscriptionem, quæ debet esse ad minus 40. annorum, *cap. Ad aures 6. de præscript. Auth quas actiones C.* 12
de sacros. Eccles. Couar. in Reg. Possessor par. 2. §. 2. num. 3. Mascard. concl 1213. num. 4. Puteus lib. 3. dec. 252. num. 3.

CONSI-

CONSILIVM LI.

De Communicatione Priuilegiorum.

1 SAcra Rituum Congregatio ad instantiam Eminentissimi Cardinalis de Aragonia Monialibus Capucinis Regalis Monasterij S. Claræ Ciuitatis Neapolitanæ concessit licentiam celebrandi primâ die cuiuslibet mensis, extra Quadragesimam, & Aduentum, non impeditâ alio semiduplici Officio, Officium S. Claræ Virginis sub ritu semiduplici. Dubitarunt, an sit communicabile alijs conuentibus eiusdem Ordinis?

2 Nonnulli affirmatiuè responderunt, & quidem id videtur certum ex titulo communicationis, nam concessum Priuilegium vni Conuentui intelligitur communicatum omnibus Conuentibus eiusdem non solùm Ordinis, sed etiam omnibus Monasterijs aliorum ordinum, quæ habent communicationem ad inuicem, vt modo habent omnes Mendicantes inter se, immo & inter non Mendicantes, *Leo X. Bulla* 32. *in B.N.* incip. *Dudum per nos*, quam extendit Confect. *Bullâ* 18. *Tambur. tom.* 1. *disp.* 17. *q.* 2. *fine*, & loquitur de Priuilegijs non solùm concessis, sed etiam concedendis. De concessis vni Conuentui communicatis etiam alijs locis eiusdem ordinis *Lezana ad Maremagnum Minimorum num.* 120. *Tambur. cit. num.* 1. *Portellus V. Communicatio Priuileg num.* 1. *& V. Priuilegium num.* 20. *Rodriq. tom.* 1. *q.* 55. *art.* 18. *Miranda tom.* 2. *q.* 46. *art.* 7. *Compend. Rodriq. versol.* 116. *num.* 51. vbi quòd communio hæc respicit etiam loca Monialium, quæ gaudent Priuilegijs virorum, *Rodriq. cit. art.* 13. *Miranda art.* 2. Ergo hoc Priuilegium recitandi Officium S. Claræ infra annum communicabile est ad minus alijs Monialibus Capucinis per totum orbem.

3 Probatur primò per Virginium Aluiset Ordinis S. Benedicti, quia priuilegia Societatis Iesu sunt valdè specialia, & exorbitantia, & non solita concedi, & in specie illud de recipiendis Ordinibus *extra tempora*, & tribus diebus festis continuatis, *ex Diana par.* 11. *tract.* 4 *versol.* 6. non obstante claus. Ne alij Ordines illis communicent, *Rodriq. par.* 1. *q.* 55. *art.* 17.

4 Probatur 2. ab eodem Aluiset *sect.* 3. *dub.* 2. quia quando vnum excipitur, censetur quælibet alia concessa; sed in communicatione Priuilegiorum non excipiuntur exorbitantia, & specialia, modo non sint contraria Tridentino.

5 Probatur 3. Vbi Ius non distinguit, neq; nos distinguere debemus, sed Papa nullam in his facit distinctionem, ergo.

6 Probatur 4. Priuilegium ministrandi Eucharistiam pro Communione Paschali est valde speciale concessum soli, & vni Monasterio de Guadalupe, & tamen fuit communicatum alijs Monasterijs eiusdem Ordinis.

7 Probatur 5. quia Priuilegium præscriptionis centenariæ, quod habet Ecclesia Romana, communicatum fuit Ecclesiæ S. Pauli extra muros, & tamen est communicatum omnibus Ordinibus, ex eodem Aluiseto.

8 Probatur 6. Priuilegium Minoribus concessum celebrand. tempore interdicti ianuis apertis est valdè speciale, & exorbitans, & tamen Leo X. in Bulla incip. *Quamuis in Priuilegijs*, dicit, illud comp tere Minimis ratione communicationis Priuilegiorum, quam habent à Minoribus.

9 Probatur 7. ab alio *Nomine incognito* Ordinis Capucinorum, qui intendit fauere Capucinis Monialibus extra Neapolitanas. Nam vt priuilegium concessum à Sede Apostolicâ extendatur ad omnia Monasteria alicuius Ordinis non est necessarium, vt sit petitum nomine totius Ordinis. Quia priuilegium concessum Dominicanis Salmaticensibus recipendi Nouitios absq; preuijs informationibus, non fuit petitum nomine totius Ordinis, & tamen extenditur ad omnia eiusdem Ordinis Monasteria, & ab illo Ordine cæteris Mendicantibus communicatum, Portellus V. Priuilegium *num.* 20. Idem dic de priuilegio Centenariæ præscriptionis, quo alia vtuntur.

10 Probatur 8. Ad communicationem non est necessarium vt communicantes sint sub eodem Superiore, quia Moniales Minoritæ primæ, & secundæ Regulæ dictæ Vrbanistæ participant priuilegia Minorum ex Sixto IV. apud Rodriq *tom.* 1. *q.* 54. *art.* 13. Portell. V. commun. Priuilegiorum *num.* 7.

11 Probatur 9. quia falsum est, quòd concessio localis, seu Priuilegium locale si sit reale, non particulare personale, sit incommunicabile, nam Priuilegium Salmaticense est reale particulare, & non reale generale, quia concessio illa facta est in tali loco, & tamen iam ad omnia eiusdem Ordinis Monasteria extenditur communicatione Priuilegiorum, ergo. Idem dic de priuilegio communionis in Paschate.

12 Probatur 10. quia falsum est, quòd Priuilegium

uilegium concessum vni Prouinciæ non concedatur alteri, si sit reale generale, vel reale particulare, nam à minori ad maius arguendo, concessio facta vni Monasterio de Guadalupe, & vni Salmaticensi, sunt concessiones speciales, seu reales personales, & tamen communicantur, ergo à fortiori concessio facta vni Prouinciæ alijs eiusdem Ordinis Prouincijs communicatur.

13 Probatur 11. quia si concessa vni Monasterio vnius Ordinis non concederentur omnibus eiusdem Ordinis, finis legis latæ de Communicatione Priuilegiorum frustraretur, nec haberet suum intentum, ergo. Per hanc enim communicationem æquantur Monasteria Monasterijs, & Ordines Ordinibus, & hac ratione tolluntur occasiones zeli, & æmulationis inter Religiosos.

14 Probatur 12. quia omnes Doctores docent, quòd Communicatio Priuilegiorum intelligitur de Priuilegijs concessis Ordini in communi, & Conuentibus particularibus, non autem Religioso alicui in particulari; hoc Priuilegium de Officio S. Claræ non est concessum alicui in particulari, sed Conuentui regio, ergo.

15 Probatur 13. Specialia, & exorbitantia communicantur, ergo à fortiori communicantur quæ non exorbitant; sed hoc non exorbitat, vt notum est, ergo est communicabile.

16 Colligit auctor horum argumentorum, Fratres Minores hoc eodem priuilegio recitandi singulis mensibus Officium S. Claræ vti posse, eâ ratione, quia sicut Moniales Minoritanæ gaudent Priuilegijs Fratrum Minorum iure Communicationis, ita vice versâ Fratres Minores fruuntur Monialium priuilegijs, *Pellizar. de Monialibus, Portel. Verb. Communicatio num.* 3. Quibus tamen non obstantibus.

17 Dicendum est, hoc Priuilegium recitandi Officium S. Claræ Virginis singulis mensibus &c. esse incommunicabile. Quod multis probo.

18 Probatur 1. quia gratiæ, quas facit Sacra Congregatio, sunt incommunicabiles; sed hoc priuilegium est gratia facta à S. C. ergo est incommunicabile. Minor est certa in suis terminis. Maior ostenditur, quia S. C. aliam non habet intentionem, nec voluntatem gratiam faciendi nisi petentibus, solet enim concedens se accommodare precibus petentis, *cap. Inter dilectas 6. §. Cæterum, de fide Instr.* vbi Glos. V. Petitionis ait, responsum conformari petitioni, *per l. De ætate 12. ff. de interrog. act.* Sed solæ Moniales Neapolitanæ petierunt Priuilegium, ergo illis solis fuit concessum, nam responsio fit ad mensuram petitionis, *Instit. de inutil. stipul. §. Præterea Nauar. cons.* 1. *de condit. appos. num.* 5. Quæ restringitur ad Moniales tantùm petentes.

19 Probatur 2. Solius Principis est concedere Priuilegia communicabilia non petentibus, & participantibus in concessis, ac proinde in materiâ præsenti est solus Pontificis Romani, qui habet plenitudinem potestatis, & id certum omninò est, quia huiusmodi communicatio ab eo solo originem trahit, vt videri potest in Bullâ Aureâ Sixti IV. incipit *Sacri Prædicatorum & Minorum* apud Confec. *Bulla 2. & in Bull. Nouo Bulla 19. §. 7.* vbi Papa communicat concessa, & concedenda Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, eorum Sororibus vtriusq; Ordinis, etiam Tertiarijs eorundem vtriusq; sexus. Et ante hunc Pontificem non inueni communicationem Priuilegiorum inter Regulares fuisse in vsu. Et quòd solus sit Pontificis communicatio probatur, quia sicut ille solus concedit Priuilegia publica, qui legem ferre potest, secundum *S. Anton par. 1. tit. 19. cap. 1. Siluester V. cod. q. 2. Angel q. 3. cum alijs. Suar. lib. 8. de legib. cap. 8. apud Peyrin. ad Constitut. Pirri num. 6.* ita & eò magis ad ipsum Legislatorem restringitur communicatio, cum sit quid maius ratione extensionis. Quod si Inferiores quandoq; faciunt gratias, non tamen propriè dicuntur concedere Priuilegia, & multò minus concedere cum communicatione, nisi ex concessione, & speciali delegatione Principis, aut alia expressione, & formali concessione, & ad instar. Constat autem hanc gratiam non prouenire à Pontifice, sed tantum à S. Congr. ergo non est communicabilis.

20 Probatur 3. quia Ius communicationis inter Regulares expeditur per Bullas Pontificias in formâ expressâ communicationis, vt patet ex allatâ Bullâ Sixti IV. vel in formâ signatâ, vt in Bulla Leonis X. qui communicat omnia Priuilegia Mendicantium tam generalia, quam localia inter eosdem nullo in specie expresso; sed hoc Priuilegium non fuit concessum per Bullam, ergo communicabile non est.

21 Probatur 4. Quia viuæ vocis oracula non communicantur, nam de his nulla fit mentio in dictis Bullis concedentibus Communicationem, in Bulla 7. Clem. VII. incip. *Dum fructus vberes.* apud Confect. fol. 179. Nec obstat, quòd in Bullis Gregor. XIII. incip. *Ex benignâ* 7. apud eundem fol. 247. Sixti V. incip. *Et si Mendicantium* 5. ibidem fol. 267. & Clementis VIII. incip. *Ratio Pastoralis* ibidem fol. 286. & in Bullar. Nouo 51. fiat mentio de viuæ vocis oraculis ab ipsis communicatis inter Mendicantes etiam vtriusq; sexus. Non obstat, inquam, quia loquuntur de viuæ vocis Oraculis concessis ante sua tem-

poras.

pora, non verò concedendis. Præterquam quod, oracula iam sublata fuerunt per Gregorium XV. & Vrbanum VIII. Adde, quòd sermo est in illis Bullis de viuæ vocis oraculis à Summis Pontificibus concessis, non à S. Congreg. quæ hoc peculiare concessit Capucinis Monialibus Neapolitanis.

22 Probatur 5. quia esto Oraculum hoc esset papale, adhuc esset incommunicabile, tum quia ex eius tenore non colligitur communicabilitas, cum dicatur concessum petentibus, inter quas sunt tantùm Moniales Neapolitanæ. Tum quia communicabile non est ex vi alicuius Bullæ Pontificiæ, nam supra allatæ in probat. 4. communicant tantùm oracula concessa, non concedenda, immò etiam in illis cessat modo Communicatio, ex quo iam reuocata fuerunt; Communicatio enim alicuius rei supponit eius existentiam, vt possit communicari, prius enim est aliquid existere, quam esse hoc, vel illo modo, cum operari sequatur esse, *ex August. lib. 1. de Trinit. cap. 2.* Et prius est, quod res sit alicubi, quam quod ibidem maneat, *ex eodem in Ioannem tract. 7.* ergo ex hoc capite, quamuis præsens oraculum existat, tamen à prædictis Bullis recipere non potest Communicationem, dum in illis communicatio oraculorum restricta fuit ad oracula, quæ tunc erant antecedenter concessa. Nec dicas, præsens oraculum habere communicationem à Bulla Leonis X. qui concedit Communicationem Priuilegiorum non solùm concessorum, sed etiam concedendorum: quia respondetur, in ea Bulla Leon. nullam fieri mētionē de Oraculis, sed tantū de alijs Gratijs, & Priuilegijs, nam differunt Priuilegia Bullata ab Oraculis, vnde fit, ut ex reuocatione Priuilegiorum non censentur reuocata Oracula, ex praxi Romanæ Curiæ,

23 & communi Canonistarum opinione, *ex Henriq. lib. 7. de Indulg. cap. 24. num. 8. Sà V. Gratia num. 13. Lamas par. 1. sui Methodi cap. 7. §. 6. Felician. de censibus, tit. de priuileg. cap. 15. Peyrin. ex illis ad const. 17. Iulij II. apud Tambur. tom. 1. disp. 16. q. 2. fine*, ita è contra ex concessione Communicationis Priuilegiorum non censetur facta concessio Communicationis Oraculorum, dum de illis nulla fit mentio; tum quia ex diuersis non fit illatio, ex vulgatis iuribus, tum quia idem operatur appositum in apposito, quod propositum in proposito, *l. Si pater 101. §. Si filius ff. de legat. 3.* sed reuocatio priuilegiorum non apponitur oraculis, ergo nec concessio fauet eisdem. In casu demum proposito constat Oraculum non esse papale, ideo ex nulla ratione probari potest eius communicabilitas.

24 Probatur 6. quia concessio huius generis habet quandam specialitatem; per quam impeditur Communicatio, si aliàs esset communicabile hoc Oraculum, nam Ecclesia intitulatur S. Claræ, cuius intuitu gratia hæc localis est, & ideo incommunicabilis.

Respondet Aduersarius distinguendo, 25
gratia præcisè localis est incommunicabilis, quia directè conceditur tali loco, tali Ecclesiæ, e.g. vt tali die suspendatur in illa interdictum, & sic concedit, gratiam esse incommunicabilem vel dicitur gratia localis; quia est realis particularis concessa non loco præcisè, sed ibi demorantibus; & sic negat hanc incommunicabilitatem. Vnde ad speciālitatem respondet eadem distinctione, gratiam esse incommunicabilem primo modo, communicabilem secundo modo. Ad titulum S. Claræ respondet negando gratiam fuisse concessam eius intuitu, non enim concessio est affixa loco, sed demorantibus tali in loco.

Contra est, quia hæc gratia localis est 26
mixta ex personis & loco, nam conceditur Personis ibidem commorantibus, quæ tale spirituale Officium ibidem sunt recitaturæ, ergo est omnino incommunicabilis, tam ex parte loci, cum locus sit incommunicabilis, vt patet, quàm ex parte personarum, quæ extra illud Monasterium exire nequeunt, neque secum portare Priuilegium, cum personale non sit, cohæret ergo hoc Priuilegium personis in tali loco constitutis, ergo cum ibi restringatur, & loco coarctetur, vltra extendi non potest, *arg. l. fin. C. Vbi & apud quos, cap. 2. de constit. in 6.* vbi Iurisdictio, quæ cohæret loco & personis, vltra territorium non extenditur; pari ratione hæc gratia cum sit mixta personis, & loco vltra non extendatur, consequenter est incommunicabilis, aliàs sequeretur absurdum, quòd communicantibus esset fauorabilior, quàm ipsis concessionarijs, & priuilegiatis qui si ab illo loco recederent, & aliud Monasterium etiam eiusdem Ordinis ingrederentur non possent vti illo Priuilegio, ex quo est mixtum loco, & personis. Et hoc quidem ad hominem, quia secundum Aduersarium ex eius verbis: *Quia est realis particularis concessa non loco præcisè, sed ibi demorantibus* colligitur esse mixtum ex vtroque vt indicat verbum *præcisè*, hoc est, non concessum solum loco, sed etiam & potiori ratione personis, quibus conceditur recitare Officium in illo Monasterio, à quo non possunt recedere. Immo ex hoc loquendi modo inferri potest, quòd hoc Priuilegium secundum Aduersarium magis habet de personali, ac proinde omnino excludit communicationem, cum personalia non communicentur, nec delegentur, nec extendantur extra personam.

Demum

27 Demum gratis negatur, gratiam fuisse concessam intuitu tituli S. Claræ, nam quicquid agit homo agit propter finem, causa enim finalis mouet ad agendum, *Merlin. dec. 126. num. 68. Nauar. tom. 2. in com. de finib. hum. act. num. 3.* Deuotio ergo specialis harum Monialium, & titulus S. Claræ sine dubio fuit causa finalis, quæ S. C. mouit ad hanc gratiam concedendam, instante Cardinali tamquam causâ impulsiuâ ad executionem petitionis Monialium.

28 Probatur 7. quia concessiones speciales factæ vni Monasterio non communicantur alijs, nam gratia hæc non fuit petita nomine totius Ordinis, sed solùm pro tali loco, vltra quem non extenditur, causa enim limitata limitatum producit effectum, *l. Age 3. C. de transact. l. In agris 16. ff. de acquir. rer. dom.* Confirmatur, ideo enim priuilegia recitandi Officium Corporis Christi, & Immaculatæ Conceptionis infra annum, sunt communicabilia, quia petita fuerunt nomine Ordinis, illud per Bullam Pij V. hoc per oraculum Pauli V. vt legi potest initio libri Officiorum propriorum Sanctorum Ordinis Minorum. Hoc Priuilegium huius generis est petitum solùm à Monialibus, quæ fortassis nec subsunt Superioribus Regularibus.

29 Respondet Amicus, qui meum acuit intellectum, quod est hæc petitio principij, hoc enim est illud, quod vertitur in quæstione, & assumere quod est in quæstione ad probandum, reprobatur ab Aristotele, & sequacibus. Ad idem subiungit, quatenus demonstrare nititur, non extendi Priuilegium illud ad alia Monasteria, eo quia non fuit petitum nomine totius Ordinis, sed solum illius Monasterij, nec probabilitatem habet, nec veritatem, vt euidens fit ex consideratione eorum, quæ superius ad notata fuerunt.

30 Contra est, quia reuerà nulla fuit facta petitio principij, nam ex Scoto *in lib. 2. Prior q. 7. Vers. Secundò notandum* definit, quod est sumere conclusionem non probatam ad sui ipsius probationem. Videamus modo, an id fecerim. Conclusio est, hoc Priuilegium est incommunicabile, quia communicabile petitur nomine totius Ordinis; hoc autem non fuit petitum nomine totius Ordinis, cum fuerit petitum à Monialibus pro suo Conuentu; ergo est incommunicabile. Certè modus petendi aliquid non est ipsa res petita, erroneum ergo est dicere in hac probatione peti principium, quia non probatur idem per idem, sed per aliud diuersum, vt clarum est.

31 Dictum medium terminum, quia non fuit petitum nomine totius Ordinis ideo non esse communicabile, esse probabile, & continere veritatem, quod negat Aduersarius, probatur, quia vt dictum fuit sub 2. *probat. ex Bulla Sixti IV.* Priuilegia, de quibus in illa, in qua fit mentio Communicationis Priuilegiorum, illa concessa fuerunt nomine totius Ordinis, sicut & colligitur in cæteris Bullis Communicatorijs Clementis VII. Gregorij XIII. Leonis X. & Clementis VIII. vt patet. Displicet, quòd dicat probabilitatem non habere, quia immo probabilior oppositâ, cum ex eius non Communicatione nulla colligatur suspicio errandi, sicut in oppositâ; an nostra mereatur nomen probabilis colligant ex hactenus dictis, & dicendis legenti eas ad verbum.

Probatur 8. per ea, quæ habet Suarez *de legib. lib. 8 cap. 26.* vt refert Bassæus *V. Commun. priuileg. num. 12.* nimirum Priuilegium determinato loco pro tali Prouinciâ valet solum pro illa, & non pro alijs, est communis apud omnes Iuristas. 32

Respondet Aduersarius, quòd suæ opinioni non officiunt ea, quæ à Suarez ex eo loco referuntur, patet, inquit; considerando verba ipsius, quæ sunt hæc: *Tenor priuilegij seruandus est ergo si Priuilegium ex parte materiæ, & obiecti posset determinatum tempus, pro tantum valet, & loquens in materia determinata circa illam tantum dat potestatem, & hac ratione si Pontifex concedit Priuilegium ad habendas duas præbendas in tali Ecclesiâ, non poterit quis virtute talis Priuilegij habere duas præbendas in alia Ecclesiâ. Item si alicui daretur Priuilegium ad audiendas missas in suo Episcopatu tempore Interdicti, non possit illas audire in alio Episcopatu Interdicto. Sic priuilegium Papæ ad comedenda lacticinia, & oua diebus prohibitis in Hispania, non extenditur ad Italiam, vel Galliam.* Quibus ex implis, inquit, clarum fit, non loqui Suarez ad propositum nostræ quæstionis. 33

Contra est, quia casus allati sunt maxime ad propositum, quia sunt Priuilegia, quorum vsus non est communicabilis alijs, quibus non fuit concessum, quia cum sint mixta cohærent cum personis loco, ideo extra locum determinatum non extenduntur; tale est nostrum priuilegium, vt probatum fuit, ergo doctrina Suarez facit pro nobis contra Aduersarium, qui contendit hoc priuilegium extendi extra locum sui vsus, quod tamen negat Suarez, quia est addictum loco, & personis. 34

Probatur 9. propterea concessit Summus Pontifex, vel S. C. petentibus, & non alijs, quia in nullo communicant ratione superioritatis, quia Neapolitanæ, & Mediolanenses, immo nec Parmenses communem habent Superiorem, a quo dependenter procedere possit communicatio, ergo. 35

Respondet, id omnino falsum esse, quòd scilicet Moniales non habentes commu- 36

pem

nem Superiorem, non gaudent dicto Priuilegio; Moniales enim S. Claræ primæ, & secundæ Regulæ nullatenus communicant ad inuicem ratione superioritatis, & tamen iure Communicationis participant priuilegia.

37 Contra est primò, quia vt dictum fuit, communicatio locum non habet nisi Priuilegium sit à Papa concessum; hoc autem concessum fuit à S.C. ergo responsio non obstat. Secundò, communicatio priuilegiorum in ordine ad Moniales semper facta fuit respectiuè ad subiectionem, quam habent ad Superiores eiusdem Ordinis, lege supradictas Bullas, quæ clarè, & expressè in his terminis loquuntur. Sed istæ non sunt subiectæ, ergo non gaudent Priuilegio communicationis, & ita sentit *Portellus par. 2. casu 14. num. 2.* Quam tamen inpugno *resol. 52. de priuileg. q. 24. num. 69.* Non ideo tamen ex hoc volo præiudicium inferre huic opinioni de incommunicabilitate huius priuilegij ex motiuis supra allatis.

38 Probatur 10. quia Priuilegium concessum Minimis reducendi missas Ecclesiæ eorum Ianuensis non communicatur Ecclesijs aliorum Monasteriorum eiusdem Ordinis ex eius specialitate, ergo multò minus hoc est communicabile concessum ab inferiori.

39 Respondet distinguendo antecedens, ante promulgationem Decreti de celebratione missarum, non extendebatur ad alia loca, negatur, immo quia ad omnes alios Ordines deriuauit, idcirco facta fuit illa Bulla, seu Decretum; post promulgationem supradicti Decreti non extenditur, conceditur. Credo, inquit, tamen, quòd etiam Ecclesiæ Ianuensi Fratrum Minimorum sublata sit talis facultas.

40 Contra est, quia iste Doctor supponit vnum falsum, nempe Bullam, seu Decretum, dic tu Priuilegium, de reductione missarum in Ecclesiâ Ianuensi Minimorum, datum fuisse ante Decretum de celebrat. Missarum; apparet falsitas legenti apud Peyrinum de Priuilegijs vtranque constitutionem Vrbani VIII. const. 5. sub fol. 366. de Priuilegio Missas reducendi, & const. 9. sub. fol. 376. de Decretis de celebrat. Missarum, nam hæc data fuit 21. Iunij 1625. illa verò 13. Iulij 1626. Considerantes enim Minimi sublata esse eorum Priuilegia, quibus vnicâ Missâ cum pluribus collectis poterant satisfacere pluribus oneribus, sibi consulentes petierunt rescriptum *Reductionis*. Ea ergo distinctio non facit ad rem, nec proinde verum est, quòd illis sublata sit ea facultas. Marchinus, quem sequitur Diana *par. 6. tract. 6. resol. XI.* facit illud communicabile non solum alijs Ecclesijs eius Ordinis, sed etiam aliorum Ordinum, quos impugnaui Contr. 114. in editione Romanâ, in Lugdul. Resol. 114.

41 Probatur 11. quia Altaria priuilegiata propter eorum specialitatem, & circunstantias non sunt communicabilia, vnde qui ea desiderant in proprijs Ecclesijs, singulariter petunt, ratio est, quia est Priuilegium locale, ac proinde inextendibile, ita *Peyr. ad const. 8. Pauli III. num. 2. Lezana V. Altare num 19. Diana par. 9. tract. 2. resol. 2. Ego resol. 52. num. 85. Pasqual. de Sacrif. q.* 756. ergo nec præsens priuilegium mixtum ex loco, & personis, nam personæ regulares celebrant in suo choro, & non in Cellâ, neq; extra, maximè Moniales.

42 Probatur 12. Si Papa concedit recitationem Officij alcuius Beati in loco vbi requiescit eius corpus, vel in loco eius patricio, hoc Priuilegium est incommunicabile Ecclesijs eiusdem Ordinis, quia carent huiusmodi specialitatibus, quæ mouerunt Pontificem ad concessionem faciendam localem, & non generalem, vt respondit S. C. apud Barbos. in Decis. Apost. V. Officium diuinum *num.* 15.

43 Probatur 13. quia Communicatio Priuilegiorum non habet locum in ijs, quæ non sunt solita concedi, vel tali in cum magnâ difficultate conceduntur, per Doct. *in l. 1. ff de legat. 1. vbi Iason num. 21. & 22. Socin. Iun. num 43. Butrius cons. 19. num. 2. Natta cons. 4. num. 6. Tambur tom. 1. disp. 17. q. 2. num. 6.* in terminis de Altaribus priuilegiatis. Quod idem dicendum est in casu nostro, rarò enim, & solùm ad instantiam Magnatorum conceduntur huiusmodi Officia infra annum recitanda, vnde S. C. attentâ supplicatione Emin. de Arragoniâ, & quia Conuentus ille regius est, ideo gratiam fecit, & incommunicabilem.

44 Reliquum est, respondere ad argumenta in contrarium proposita, quæ quamuis possem vnico responso diluere, nempe, quia locum habent respectu Communicationis Priuilegiorum concessorum à summis Pontificibus simpliciter, & in genere carentium certis specialitatibus, & alijs conditionibus, de quibus supra, non autem respectu *Oratulorum* à S. Congr. concessorum, quæ sunt omninò incommunicabilia, vt supra probatum hactenus fuit, nihilominus singulis volo respondere.

45 Ad primum de Priuilegio Iesuitarum recipiendi Ordines extra tempora tribus diebus festiuis continuis, dico esse incommunicabile, & quia prohibetur, vt videri potest in Bulla Gregorij XIII. & quia Religio Societatis talem habet specialitatem, cui nullus alterius Religionis Ordo est subiectus, certum enim domicilium non habent, in quo Deo seruiant, sed viatores sunt ad nutum sui Superioris parati missionibus, ideo à quocunq; Episcopo ordinari

possunt

CONSILIVM XLV.

Quomodo sit reclamandum à nulliter Professo post Quinquennium?

1 FRater N. Nouitius peracto probationis anno in Conuentu N. deputato pro Nouitiatu, cum nondum expleuisset suæ ætatis annos sexdecim, defectu vnius mensis circum circa, emisit Professionem, & post quinquennium elapsum reclamauit coram Ordinario, & suo Superiore, & ab eis obtinuit Sententiam definitiuam, quòd nulla fuit emissa per eum Professio, eius virtute rediit ad sæculum. Nunc sit ei scrupulus, quòd nulla fuit ea Sententia, vt quæ data fuit à Iudice incompetente, vnde volens suæ Conscientiæ consulere petiit à me quid dicendum sit pro veritate tam in foro Conscientiæ, quàm in foro fori, & externo?

2 ℞. In neutro Foro eam Sententiam valuisse, sed esse omninò nullam, ac proinde sic dimissum esse adhuc Religiosum, ac si non reclamasset, consequenter teneri redire ad claustrum sub obedientia Superioris regularis?

3 Probatur, quia Sententia nulla nullum potest producere effectum ad fauorem eius, pro quo lata fuit, *l. 4. §. condemnatum ff de re iud. Salcedo ad Diaz cap. 33. Vers. Est etiam. Nauarr. tom. 4. in cap. cum contingat, de rescript. Remed. 3.* Quia non ens nullæ sunt proprietates, & passiones, neq; effectus, *l. Eius qui, Vers. quoniam ff. si certum pet. Barbosa de locis commun. lit. N. num. 24.* Immo nulla Sententia nec Sententiæ nomen meretur; *Glos. fin. Clem. de sequestr. per iura ibi citata* minus effectum rei; sed hæc Sententia nulla omnino fuit, ergo non potuit reclamantem eximere à iugo Professionis regularis. Minor, in qua consistit vis argumenti probatur efficaciter.

4 Nam Ordinarius, & Superior regularis in causa Reclamationis nullam aliam habent potestatem, & iurisdictionem sententiandi super nullitate professionis, nisi eam, quam illis tribuit Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 19.* illis verbis: *Non audiatur nisi intra quinquennium tantùm à die Professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario.* Constat autem illos non habere iurisdictionem audiendi reclamantem nisi intra *Quinquennium*, vt super dicta Concilij verba docent omnes, quos magno numero citat Barbos. *Allegat. 104. num. 9.* cum ergo supradicti Iudices audierint reclamantem *post Quinquennium*, & Sententiam tulerint illius fauore, declarantes nulliter fuisse professum, habendi sunt pro coniudicibus incompetentibus, carentibus scilicet iurisdictione, sine qua nulla est Sententia, *l. 1. & 2. C. Si à non compet. iudice.* est enim defectus iurisdictionis insanabilis, *Staphil. de signat. iust fol. 411. ex eo Sebast. Guazzin. Defens. 1. num. 4.* Itaque *post quinquennium* Ordinarius, & Superior regularis non possunt audire reclamantem, nec proinde sententiare in eius fauorem. Ita omnes *cum Sanch. lib. 7. disp. 37. num. 15. Riccius par. 2. resol. 20. num. 2.*

Quod si quis obijciat, nulliter Professum etiam *post quinquennium* posse reclamare, ex causa, cum scilicet, infra illud quinquennium vel fuit impeditus, vel ignorauit nullitatem suæ Professionis; ac proinde illi non cucurrisse quinquennium, vt docent quamplures Doctores, quos refert Barb. ad dictum *cap. 19. Sess. 25. num. 8.* 5

Respondeo, illos ita sentire, & quidem rectè, sed subiungunt, volentem post quinquennium reclamare debere petere remedium non Ordinarium, sed extraordinarium, *Restitutionis in integrum*, quod non spectat ad ordinarium, & Superiorem regularem, sed ad Pontificem Romanum, & Principem *l. 1. C. Vbi, & apud quem. Abbas lib. 1. cons. 87.* Ita docet ipse *Barb. hic num. 9. Compend. Rodriq. resol. 101. num. 71 Portell. V. Professiones nulla num 45. Vers. Circa quod, Donatus par. 4. tract. 12. q. 28. Corradus de dispens. lib. 5 cap. 13. num. 11. Lucerna Regul. V. Reclamare num. 5. quos, & alios ego cito de Profess Regul. in edit. Veneta cap. 22 q. 8. num. 13. Fagnan par. 6. ad cap. consuluit, qui cler. vel nou. num. 35.* 6

Ex quibus etiam infertur, falsum esse, quinquennium esse numerandum a die scientiæ impedimenti, cum hæc dilatatio temporis prodesse non possit coram Ordinario, & Superiore regulari; certum ergo esse debet, tale tempus esse numerandum à die naturali Professionis, vt insinuat illud idem verbum *à die Professionis*, & ita docent citati à Barbosa super Conilium *num. 7.* quos ego cito *num. 11. cap. cit.* de Prof. regul. 7

CONSI-

CONSILIVM XLVI.

An Patronus in fundatione Beneficij poſsit apponere conditionem, vt conferatur ab alio, quàm ab Epiſcopo?

1 QVidam Patronus in limine fundationis eam appoſuit Conditionem, vt prima vice Beneficium conferretur per Epiſcopum, ſecundà vice per eius Vicarium Generalem, tertià demum, & in ſubſequentibus vacationibus Beneficij patronalis collatio ſpectaret ad capitulum Catedralis. Tunc temporis, cum huiuſmodi Iuſpatronatus auctorizatum fuit, & erectum in Beneficium Eccleſiaſticum, ſedes Epiſcopalis vacabat, vnde Vicarius Capitularis Inſtrumento ſibi lecto, & conſiderato, vt fieri ſolet, interpoſuit ſuum decretum auctorizando Iuſpatronatum, & erigendo illud in Beneficium eccleſiaſticum, approbando ea omnia, quæ in Inſtrumento expreſsè lecta fuerant à Notario, tamen in ſpecie non approbauit eam conditionem, vt poſt ſecundam vicem inſtitutio, & collatio Beneficij pertineret ſolùm ad Capitulum Catedralis Parmæ.

Dubitatur ergo an nulla fuerit Confirmatio præfatæ conditionis, vt poſt ſecundam vicem Inſtitutio pertineat ad Capitulum?

2 ℟. Nulla fuit ea Confirmatio, eſto facta fuiſſet expreſſis verbis eiuſdem conditionis. Probatur, quia licet Capitulum ſede vacante capax ſit inſtitutionis huiuſmodi, *ex* 3 *cap. 1. de inſtit. in 6. vbi Barboſa num. 3. & in cap. 2. Ne ſede vac. num 5. & in cap. Cum olim. 14. de maior.* quia Capitulum mortuo Epiſcopo facere poteſt ea omnia, quæ ſunt Iuriſdictionis, niſi expreſsè reperiatur prohibitum, *ex allegatis ab eodem Barb. cit. cap.* 4 *2. Sede vac. num. 3.* ita quòd Capitulum concedere poteſt eas omnes licentias, quas dare poſſet Epiſcopus ſi viueret, *ex eodem ibidem num. 12. & Alleg. 70. num. 32.* Vbi in terminis noſtris dicitur, quòd Capitulum ſede vacante poteſt dare licentiam Eccleſiam ædificandi, vt aquiratur Iuſpatronatus, 5 vbi citat *Lambert lib. 1. par. 2. art. 9 Panuin. de poteſt. cap. par. 5. q. 2. num. 5. Garz. par. 5. cap. 9. Viuian. lib. 2. cap. 1. num. 12. Mar. Anton. lib. 1. reſol. 12.* Immo & inferiores Prælati capaces ſunt huiuſmodi Inſtitutionis ſi nominentur in fundatione à Patrono, ex Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 9. ibi! Quòd ſi ad inferiores inſtitutio pertineat, ab Epiſcopo tamen, iuxta alia ſtatuta ab hac ſanctâ Synodo examinentur, alioquin inſtitutio ab inferioribus facta irrita ſit.* Statuta autem hic nominata ſunt *cap. 13. ſeſſ 14. & cap. 18. ſeſſ. 24.*

Tamen in præiudicium Epiſcopi non po- 6 tuit firmare eam conditionem nec expreſsè, nec tacitè, quamuis Epiſcopus ipſe id facere potuiſſet, ſat ſtaciendo voluntati Teſtatoris, & Fundatoris *ex cap. Nobis 25. de Iurepatr. cum alijs Riccius par. 1. dec. 157.* approbando conditionem quòd inferior inſtituat. Prælatus enim in aquirendis poteſt præiudicare Eccleſiæ, non in aquiſitis, *Gloſ. V. Non debet, cap. 2. de donat.* Ratio autem, cur Capitulum non potuerit approbare 7 eam conditionem eſt, quia licet ſuccedat in omnem Epiſcopi Iuriſdictionem, per eius tamen exercitium non poteſt præiudicare Eccleſiæ, & eius Succeſſori ſede vacante, *ex tit. Ne Sede vac.*

Confirmatur, quia Capitulum ſede vacante non poteſt conferre Beneficia, *cap. 2. eod.* Quartus *Verbo Capitulum q. 9.* ergo nec alijs concedere, vt conferre poſſint; & licet poſſit Conferre Iuſpatronatum iam vacans, & nouum approbare illud erigen- 8 do, vt dictum fuit, non ideo poteſt approbare, vt in erectione conferatur ab inferiore, quia Epiſcopus habet ſuam intentionem fundatam in Iure, quòd ad eum ſpectet conferre Beneficia ſuæ diœceſis, & non ad alios, cum actus collationis computetur inter fructus menſæ Epiſcopalis, qui reſeruantur Succeſſori, ergo hunc actum Capitulum alijs communicare non poteſt, ſed id totum Epiſcopo Succeſſori reſeruare debet.

CONSILIVM XLVII.

An Deflorans teneatur per vim ducere, Defloratam?

1 NOn tenetur, nec proinde cogi potest per Iudicem eam ducere, sed tantùm cogitur ad illam dotandam, vt colligitur *ex cap. 1. de*
2 *Adulterijs* vbi sic decernitur. *Si seduxerit quis Virginem nondum desponsatam, dormieritq. cum eâ, dotabit eam, & habebit vxorem. Si verò pater Virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis,*
3 *quam Virgines accipere consueuerunt.* Sunt verba rescripta *ex Exodo 22. 16.* Et licet textus videatur defloratorem obligare ad vtrumque ad dotem, & Matrimonium per particulam *Et* quasi sumitur copulatiuè, tamen si spectentur sequentia verba *Si verò pater &c.* secundum eorum verum intellectum, arguunt solùm obligationem ad dotem, vel ad Matrimonium, vt docent plerique *cum Ioan. Andr. num. 5. Anania num. 4. Anchar. num. 4. Gomez in l. 80. Tauri num. 8. Clarus §. Stuprum vers. sed quaero. Farinac. q. 147. num. 98. Rota decis. refert. hic Barbos. num. 7. Sanch. lib. 4. disp. 13. num. 7. Poncius 4. lib. 4. cap. 19. num. 13.*
4 Nolens ergo eam ducere ad id cogendus non est, sed tantùm ad eam dotandam, vt communior tenet opinio, & in tali casu, cum scilicet non vult eam ducere, cogi potest à Iudice in poenam vltra dotem soluere aliquid pecuniarum eidem defloratæ, debet enim resarcire damnum illatum ablatione honoris, & supplere vltra dotem, vt possit inuenire virum sibi æqualem, & ita docent *Ioan. Andr. num. 9. fine. Anchar. & Panorm. num. 4. Couar. de Sponsal. par. 2. cap. 6. §. 8. num. 15. cum eis Barb. num. 7. Farinac. cit. num. 103. Bossius V. Stuprum num. 2.* 5
Semper autem tenetur eam dotare, siue eam ducat, siue non, vt docent omnes, quia peccauit contra Iustitiam, ideo tenetur illatum damnum resarcire, dotando eam taliter, vt virum sibi æqualem inuenire possit.

Si promisit eam ducere in vxorem tenetur stare promissis obligantibus ex Iustitia, & stante coactione, vide *Sanch. lib. 1. disp. 10.* vbi quòd fictè promittens, tenetur ducere vxorem, à fortiori, qui non finxit. 6

Laymann autem *lib. 3. sect. 5. tract. 3. par. 3. cap. 13. num. 3. fol. 113.* docet, per Sententiam Iudicis cogi posse ad eam ducendam, citando *Molin. disp. 106. Azor. tom. 3. lib. 5. q. 2. Clarum. §. Stuprum num. 3. Less. lib. 2. cap. 10. dub. 2. Vasq. de restit. cap. 3. §. 2. dub. 1. Gutier. lib. 1. Canon. quaest. cap. 37. num. 7.* Sed melior est allata opinio, cum Iudex ad vnum tantùm possit cogere, ne Matrimonium sequatur nullum defectu consensus, qui non deficit in alternatiuis. Vnde hi Doctores intelligendi sunt, quando promisit sponsalia.

CONSIL.

CONSILIVM XLVIII.

De nullitate Contractus defectu Mandati.

1 Pater Prior ordinis N. vti Curatus Ecclesiæ Parochialis S. N. Parmæ annis prætetitis concessit D. N.N. seculari laico vti administratori Oratorij S. N. & Confratri Confraternitatis N. iura quædam parochialia presertim administrandi Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, & exponendi Sanctissimum certis diebus per Sacerdotem sibi benè visum in eodem Oratorio; cui Priori regulari, vti Curato prom ssi fuerunt singulis annis ducatoni quindecim in recognitionem prefatæ concessionis Iurium parochialium, & in effectu in stipulatione huius Instrumenti exbursati fuerunt pro primo anno à N. nomine, & vice Ser. eius nomine promittente nunc defuncta. In qua stipulatione interuenit licentia Superioris Generalis eius Ordinis, & Decretum approbationis Vicarij Generalis.

2 Quoniam autem Persona mortua, quæ se obligauerat, vt N. dixerat in Instrumento, nullum fundum per dictum suum Procuratorem, seu seruientem in Curiâ, assignauit pro præfatâ, annuâ recognitione, nec inueniatur qui velit soluere, cum nullus se obligauerit, præter dictam personam nobilem mediante d. do. N. Idcirco Prior curatus quærit quid dicendum sit de validitate supradictæ obligationis.

3 Respondeo dictam obligationem esse nullam tam ex parte Prioris, quam ex parte Confratris, & Ser. quæ se obligauerat per N. ac proinde declarandam esse inualidam, consequenter posse Priorem Curatum de nouo concordare cum toto corpore Confraternitatis, etiamsi per Iudicem non declaretur inualida prior obligatio.

4 Probatur nullitas huius obligationis. *Primò*, quia mulier vxorata de fructibus suæ dotis disponere non potest sine licentia mariti, cum is habeat illius administrationem, *l. Dotis 8. ff. de iure dot.* est enim dominus

5 fructuum rerum dotalium, *l. Doce ancillam, C. de rei vindic. Surd. lib. 3. conf. 397. num. 20. Rota par. 4. dec. 326. num. 3.* Hæc autem licentia non extat, cum nec nominetur in Instrumento.

Secundò, ex statutis huius Ciuitatis nulla mulier sine solemnitatibus Statuti potest se obligare, & de huiusmodi Statutis mentionem facit *Ottobon. decis. 215. num. 2.* citatis Doctores, ergo cum non seruauerit solemnitatem requisitam, nullius momenti est talis obligatio, etiamsi esset Augusta & vxor Principis *l. Princeps. 31. ff. de legib.* quia non est soluta legibus, nisi illam priuilegiauerit Princeps, de quo non constat.

6 Tertiò, actus gestus ab eo, qui mandatum non habet, nullum est, *ex l. Diligenter ff Mand.* quia potestas agendi pro alio continetur in ipso mandato, ergo si eo caret, nihil agit, valor enim actus pendet à potestate, *ex cap. cum super, de offic. deleg. Bald. lib. 1. conf. 326. num. 2.* Qui *conf. 402. num. 55.* ait, paria esse, non habere Mandatum, vel non seruare formam Mandati, cum ergo non constet de Mandato,

7 neq. enim de eo verbum aliquod asseritur in Instrumento, tuunt acta, in hoc Instrumento scripta, cum mandatum sit de formâ actus procuratorij pro alio, *ex tit. Mand.* Mandatum ergo cum non præsumatur etiam per mille annos, *Natta. Conf. 526. Mascard. conf. 1007. num. 41. cum alijs. Mar. Ant. lib. 1. resol. 25. num. 5.* à parte aduersâ exhibendum erit, si asseratur extare; quod verum quoq. est, etiamsi mandatum sit Principis, *l. Vn. C. de mand. Principum*.

8 Quartò, in Instrumento pacta, conuentiones, & accordia dicuntur facta ad instantiam Ser. inter Curatum, & Administratorem Oratorij, & hoc non probatur, sed tantùm legitur scriptum in Instrumento, vnde cum respectu huius, actus concordiæ magnum vigorem, immo totum dicatur accepisse ex instantiâ Ser. in tantùm iste actus valet in quantùm de eo constat, & probatur subsistere, sed per scriptum Notarij non probatur, quia Notario creditur in ijs, quæ geruntur per partes coram ipso, & gesta per ipsum, *Caputaqu. par. 2. dec. 123. & 248. Merlin, dec. 710. num. 6.* Sed nego- 9

tium coram Ser. actum, & ad eius instantiam corroboratum, non fuit tractatum coram Notario, cum in stipulatione Instrumenti ipsa præsens non fuerit; nec eius Procurator probetur habere mandatum, vt supra firmatum fuit, consequenter pro nullis habenda sunt pacta, cum non constet de instantiâ Ser. à, qua potuissent recipere suum vigorem, si præsens fuisset vel per se, vel per Procuratorē, sed certum est, eam nō fuisse præsentem personaliter, nec probatur per Procuratorem ad fuisse, sed solùm personam non habentem mandatum, ac proinde non potuisse dare esse illis pactis.

Quintò laicis prohibetur à sacris Canonibus administratio bonorum tam spirituali- 10

um,

um, quam temporalium in Ecclesijs tamquam inhabilibus, & incapacibus, *cap. Indicatum 5. dist. 89. cap. Bene 1. dist. 96. cap. In nouà 22. 16. q. 7. Barb. ad dictum cap. Bene, num. 3. cum Couar. in cap. Alma mater par. 1. §. 11. num. 3. Nauar. in cap. cum contingat de rescript. caus. 2. nullitatis num. 11.* Non potuit ergo Prior Curatus concedere Laico asserto administratori Oratorij Iura parochialia, nec ipse illa acceptare propter suam incapacitatem. Vlterius esto vt Confrater possit esse administrator bonorum Confraternitatis si habeat ad hoc mandatum electionis sibi factum à Confraternitate, & subsequenter confirmatum ab Ordinario, tamen cum illo careat, confirmatio facta ab Ordinario nihil valet,

Dices ex Bulla 115. Clementis VIII. incip. Quæcunq. Confratres, inter quos est D. N. N. sunt facti capaces spiritualium, nam eligunt sibi Confessarium, ex approbatis ab Ordinario, & habent œconomiam bonorum suæ Confraternitati relictorum, ergo sunt capaces bonorum etiam spiritualium, nam de iure communi *cap. Laici 37. cap. Inuentum 38. 16 q. 7.* de mandato Episcopi laici habent administrationem, & œconomiam bonorum ecclesiasticorum, ergo Curatus potuit validè conferre ea iura dicto Laico confratri,

12 Re. Clementem VIII. Priuilegia illa non concedere huic, vel illi Confratri, sed corpori ipsius Confraternitatis, vt colligitur ex illis verbis; *Huic verò Confraternitati, & Congregationi &c. ea tantum priuilegia, indulgentias facultates, aliasq. spirituales gratias &c.* de quibus Lezana *par. 2. cap. 15. de Confratribus num. 16. & 29.* Constat autem ex dicto Instrumento nullam fieri mentionem de concessione facta toti Confraternitatis corpori, sed tantùm vnico Confratri, nam quando quis agit cum Confraternitate immediatè in Instrumento exprimenda sunt nomina singulorum, aliter non dicitur factum cum Confraternitate, *Mascard. concl. 10074. num.* 13
24. Barb. ad cap. fin. de Procur. num. 3. Cum ergo pateat, factum fuisse cum vno tantùm confratre vti incapaci, pro nullo habenda est concessio,

Sextò, datum ob causam, eà non subsistente, seu non securà, receptum restituitur, *l. 1. ff. de cond. ob causam, cap. 5. de donat. inter. iur.* Certum autem est, quod P. Curatus dedit ex parte suà, & concessit Iura parochialia propter illam recognitionem annuam, sine qua absq. dubio Iura non concessisset, nec poterat concedere sine illa, quæ connotat continuam subiectionem ad parochialem, ergo ea amplius non existente D. N. N. ea Iura restituere tenetur, Nam in contractibus innominatis, quale hoc pactum dici potest, agitur ad rescissionem ob non implementum; quando versatur circa causam finalem, *l.* 14
Cum te C. de pactis inter empt. Decius cons. 45. num 2. quod verum quoq; est, licet implementum consistat in minimo, *l. Iulianus §. Offerri ff. de act. empt ubi Barb. cum alijs apud Rotam part. 4 tom. 2. decis. 121. num. 2 & 3.* Huiusmodi autem recognitio annua est causa finalis, à qua omninò pendet concessio Iurium, quam non fecisset sine illa,

16 Septimò hoc pactum est conditionale habens hunc sensum; *Tibi concedo hæc, & hæc iura parochialia, si annuatim recognoscar.* Pacta autem conditionalia nunquam deducuntur in esse, nec subsistere possunt, nisi adimpleatur conditio taliter, qualis est, *l. Item quia, §. 1. ff. de pactis. Paris. vol. 4. cons. 5. num. 7. Tiraq. de retract. §. 8. Glos 6. num. 2. Seraph. decis. 838. num 6. cum Rota part. 5. decis. 483. num. 3.* Vnde Iura restituenda sunt ab eo, qui non vult recognoscere Curatum,

CONSI-

CONSILIVM XLIX.

An Salarium pendens debeatur Fiscali nouo, an veteri?

AD fauorem Fiscalis ecclesiastici extat sequens ordinatio eius tenoris, qui sequitur.

1 *Fiscalis habeat septem cum dimidio pro quolibet centenario, tam condemnationum, quàm supplicationum, & aliarum pœnarum de exactis, & de non exactis arbitrio Illustrissimi, & Reuerendissimi D. D. Episcopi.*

2 Fiscalis antecessor prætendit pensiones pecuniarum exactarum sub suo Successore pro condemnationibus expeditis tempore, quo Antecessor erat actu in officio, à quo iustè remotus fuit. Dubitatur, an illi debeantur, an verò dandæ sint eius Successori, qui actu est in officio?

3 Censeo esse dandas Successori. Quod multis ostendo. Nam in primis, Antecessor cum sit officio priuatus, nullum ius habet amplius ad ea, quæ pendebant ab eius Officio, destructo enim Officio, tamquam eorum fundamento, destruuntur pendentia ab illo, *cap. cum Paulus* 26. 1. *q.* 1. fundamento enim non existente in eo nihil superædificari potest, *cap.* 3. *de Presb. non baptiz.* Nullum ergo ius habet ille petendi has portiones, dum caret officio, quod dabat ius petendi.

4 Ius autem duplex est vnum ad rem; alterum in re, & hoc supponit illud, quo non extante, neq; hoc esse potest. Nam Officialis tunc incipit habere ius ad rem, cum hæc est in actu, in re verò cum eam completè possidet, Episcopus enim per electionem ius habet ad Episcopatum, in re verò quando confirmatur, & consecratur; sed nouus Fiscalis, non vetus incipit habere ius ad huiusmodi portiones, per earum exactionem factam eius tempore, & non tempore veteris vt notum est, ergo debentur Successori, qui habet ius ad illas, cum sint maturatæ sub eius officio, & non sub officio veteris. Et id colligitur de mente supradictæ ordinationis, ibi: *Habeat septem cum dimidio de exactis*, exactio autem contingit sub Successore, non sub Antecessore, ergo illi debentur, & non huic.

5 Secundò, fructus Beneficij maturati ante mo[illegible]eficiati, licet sæpius fuerint petiti ab eo dum viueret, & subsequenter etiã ab eius hæredibus repræsentantibus eius personam, non debentur illis, sed successori in Beneficio ex Bulla XI. incip. *Cum, sicut nobis*. Iulij III. ergo & supradictæ portiones, quę sunt fructus Fiscalatus debentur Successori, & quidem fortiori ratione, quia in casu nostro huiusmodi fructus portionum pendebant tempore Antecessoris, maturati sub Successore, ergo huic debentur, & non Antecessori; sub quo maturati non fuerunt.

Tertiò, sicut fructus, qui distribuuntur certo anni tempore inter Canonicos existentes de tempore distributionis, dantur existentibus actu tunc Canonicis, licet tales nondum essent tempore Collectionis, quo erant alij, qui non sunt tempore distributionis, *Rota par.* 4. *tom.* 2. *dec.* 322. *num.* 8. Ita isti fructus, & portiones spectare debent ad Fiscalem successorem, qui est actu in Officio tempore exactionis, & distributionis licet tempore condemnationis nondum esset Fiscalis, quo erat ille Antecessor, cui proinde nihil debetur, cum non amplius tempore debito sit Officialis. 6

Quarto, Officiali ob culpam remoto nihil debetur. *Cagnol. in l. Diem functo, ff. de officio Assess. num.* 208. *Corsett. sing.* 311. *V. Salertum apud Gratian. cap.* 248. *num.* 17. Et licet multi dicant Salarium deberi famulo, & eius hæredibus post mortem eius, si non fuit per eum viuentem exactum. Id tamen intelligitur de portione maturatà ante mortem naturalem, vel ciuilem, vt in casu nostro. Constat autem fructus Fiscalatus, quos vetus prætendit, non esse maturatos, sed adhuc pendere, ac proinde spectare ad Successorem, sub quo maturantur per exactionem secutam sub illo. 7

Poterit ergo Episcopus ad tollendas in posterum contentiones inter Antecessorem & Successorem declarare, & interpretari supradictam ordinationem sic esse intelligendam prout superius dictum fuit, nam quilibet Legislator suam legem, vel sui Antecessoris vti propriam declarare, & interpretari, *potest l. Cum de nouo* 10. *C. de legib. cap. Inter. alias* 31. *de sent. excom.* 8

Post

Digitized by Google

9 Post hæc scripta inueni *Farinac. cons.* 107. *num.* 8. asserentem, portionem pænarum deberi Officiali primo, non secundo existenti tempore exactionis pænarum, citans ibi alios pro hac opinione, sed in *consil.* 147. *num.* 1. distinguit hoc procedere in officio oneroso, non autem in lucratiuo, & probat infra *sub. num.* 20. quia non sufficit, delictum fuisse commissum tempore primi Officialis, immo etiam condemnationem secutam, & executionem positam, sed requiritur actualis exactio, *Allexander l. Diuortio* §. *Si vis ff solut. matr. num.* 11. *Iason. in l. More ff. de iurisdict. om. iud. cum alijs.* Colligitur *ex l. Susceptores* 3. *C. de Susceptor.* vbi dicitur, quòd susceptoribus nouis soluitur, non prioribus, quorum tempore facienda erat solutio. Constat autem officium hoc non esse onerosum, quia non emptum, sed gratiosè concessum, ac proinde Lucrosum, Fiscalis enim non conducitur, sed eligitur.

CONSI-

CONSILIVM L.

An Parochus aquirat ius canendi Missam in Ecclesiâ Regulari?

1 Curatus quidam solebat certâ die canere missam in Ecclesiâ Regulari, & vice versâ Prior huius Ecclesiæ canebat eandem in Ecclesiâ Parochiali. Accidit, quòd Curatus recusauit celebrationem Prioris in suâ Ecclesiâ Parochiali, & nihilominus prætendit Curatus prosequi solemnem decantationem in Ecclesiâ regulari etiam modò, & per Capellanum cuiusdam Confraternitatis. Quid iuris in hoc casu?

2 Iure communi *in cap.* Luminoso 6. 18. *q.* 2. Regulares habent Priuilegium, vt nec Episcopus possit publicas Missas in eorum Cænobijs hoc est, Ecclesijs celebrare, nec Ordines conferre, & de eisdem Missis publicis dixit clarè *in cap. Abbatem 3. eodem*.

3 Et licet in *Clem.* 2. *de priuileg.* dictis capitibus sit derogatum illis verbis: *concedimus Episcopo, vt in locis eisdem sua Diœcesis possit populo benedicere, audire diuina Officia, & ea etiam celebrare, & in sua præsentia facere celebrari*. Licèt in locis exemptis, cuiusmodi sunt loca Regularium.

Et Fagnanus, reddit rationem, quia celebrare non est actus Iurisdictionis; & licet in Tridentinâ *sess.* 6. *cap.* 5. prohibeatur ne

4 in alienâ Diœcesi Episcopus exerceat Pontificalia, ac proinde videatur hoc idem prohiberi in locis exemptis intra suam Diœcesim; qui censentur esse extra diœcesim, non est tamen ita, quò ad insignia hæc, quia locus exemptus non comparatur loco existenti extra, nisi respectu Iurisdictionis exercendæ, & ita ille distinguit *in cap. cuia nos, de Auctor. & vsu palij num.* 18. *par.* 2. *fol.* 142.

5 Tamen nullibi reperitur hoc concessum Parochis, vt in Ecclesijs Regularium possint canere publicè missam, neque enim consentaneum, est, vt Curatus, qui semper minor fuit Episcopo, in hoc maior habeatur Episcopo, cui subditur, & quidem à fortiori, quia Ecclesia regularis nulli eorum subditur in hoc, nec in alijs, nisi quò ad hoc soli Episcopo. Vide Rotam *par.* 5. *dec.* 552. *vbi num.* 13. quod Parochus non potest fundare suam intentionem super Ecclesias alienas in sua Parochia sitas.

6 Nec obstat, quòd à Fratribus ille Parochus ad missus fuerit ad cantandum missam in sua Ecclesiâ regulari, quia cum id fuerit mutua conuentio inducta honoris, & amicitiæ causâ, vno deficiente, alter non tenetur stare promissis, & pati quandocunq. alter se retrahit, *ex Reg.* 75. *in* 6. fides enim ei non seruatur, qui fidem primò parti fregit, vt docent omnes *in C. de pactis, Roland. lib.* 1. *cons.* 57. *num.* 21. 11

7 Præterea conuentiones, & pacta inter Religiosos, & Parochum constituta, & inita, non valent, nec subsistunt, nisi firmentur ab eorum Superioribus, & quando Superiores locales illa fecerunt sine consensu suorum subditorum, vt colligitur *ex cap. quia ex eo* 3. *de pactis in* 6. Possunt tamen infirmari in proximo capitulo Generali, vel Prouinciali, ex Bulla 22. Leonis X. §. 8.

Parochus in alienâ Ecclesiâ sibi non subiectâ canere potest de facto quatuor modis, ex Conuentione, ex Præcario, ex Vrbanitate, & ex Consuetudine inducendâ. Licet autem is Parochus hactenus ex pacto celebrauerit Missas in Ecclesiâ regulari, nullum tamen ius aquisiuit prosequendi celebrationem, nisi dependenter à subsistentiâ Conuentionis, quæ est dissoluta, ipso dante occasionem, dum exclusit Priorem à cantu Missæ in sua Ecclesia parochiali, nam quælibet obligatio dissoluitur eo modo, quo quis ligatur *l. Prout.* 80. *ff. de solut.* Regulariter enim quibuscunq. modis obligamur, 8 ijsdem in contrarium actibus liberamur *l.* 196. *ff. de regul. iur.* dissoluitur enim vnum quodq. per contrarium eius, quo fuit ligatum, *l. Tutor* 8. *ff. de testam. tut.* Quare cum Parochus neget Priori celebrationem in sua Ecclesiâ, etiam vice versa Prior negare poterit Parocho celebrationem in propriâ Ecclesiâ, contraria enim contrarijs distrahuntur ex allatis iuribus.

Precario concedi potest actus honorificus 9 cantandi Missam, cuius natura est, vt concessum sit reuocabile à concessionario pro suo libito, & quandocumq. voluerit, *cap. fin. de precar. Couar. lib.* 3. *Var. cap.* 15. *initio. Molina de iust. tract.* 2. *disp.* 298. *num.* 2. *Less. lib.* 2. *cap.* 27. *num* 4. *Tusehus lit. P. concl.* 472. Et si Conuentio inter illos est Precarium, non poterit Parochus celebrare in Ecclesiâ regulari resistente Priore, quia ex hoc reuocauit Præcarium.

Si verò Prior, & Parochus ex Vrbanitate inceperunt celebrare, altero contradicente, cessare debet vsus Vrbanitatis, quia inducta ex Vrbanitate nullam producunt 10

obligationem inter partes, & non præiudicant iuri publico, nec priuato, non in petitorio, nec in possessorio, *l. Qui iure familiaritatis ff. de aquir. possess. Glos. V. Commendare cap. Nemo* 15. *de elect. in* 6. *Vbi idest sub dictâ lege Bart, Imola, Paulus, Alexander, & alij, Abbas in cap. Cum Ecclesia de causa possess. apud Bartolam consil.* 29. *Vers. Respondetur primo, Cicorl. cap.* 119. *num.* 7.

11 Si demum prætendatur inducta Consuetudo, id subsistere non potest, tum quia in his Consuetudo inducitur ex patientià, & tolerantià alterius partis videntis, & non contradicentis, maximè in his spiritualibus seruitutibus & iuribus, Abbas *in cap. cum Ecclesia* 3. *de causa possess. num.* 43. *&* 49. *Crescent. decis* 2. *de Iurepatr. Gomez tom.* 2. *Var. cap.* 15. *num.* 23. sed apparet contrarium, dum alter alteri aduersatur, ergo ea consuetudo induci non potest; tum quia interrupta est, ante præscriptionem, quæ debet esse ad minus 40. annorum, *cap. Ad aures* 6. *de præscript. Auth quas actiones C. de sacros. Eccles. Conar. in Reg. Possessor par.* 2. *§.* 2. *num.* 3. *Mascard. concl* 1213. *num.* 4. *Puteus lib.* 3. *dec.* 252. *num.* 3. 12

CONSI-

CONSILIVM LI.

De Communicatione Priuilegiorum.

1 SAcra Rituum Congregatio ad instantiam Eminentissimi Cardinalis de Aragonia Monialibus Capucinis Regalis Monasterij S. Claræ Ciuitatis Neapolitanæ concessit licentiam celebrandi primâ die cuiuslibet mensis, extra Quadragesimam, & Aduentum, non impeditâ alio semiduplici Officio, Officium S. Claræ Virginis sub ritu semiduplici. Dubitarunt, an sit communicabile alijs conuentibus eiusdem Ord nis?

2 Nonnulli affirmatiuè responderunt, & quidem id videtur certum ex titulo communicationis, nam concessum Priuilegium vni Conuentui intelligitur communicatum omnibus Conuentibus eiusdem non solùm Ordinis, sed etiam omnibus Monasterijs aliorum ordinum, quæ habent communicationem ad inuicem, vt modo habent omnes Mendicantes inter se, immo & inter non Mendicantes, *Leo X. Bulla* 32. *in B.N.* incip. *Dudum per nos*, quam extendit Confect. *Bullà* 18. *Tambur. tom.* 1. *disp.* 17. *q.* 2. *fine*, & loquitur de Priuilegijs non solùm concessis, sed etiam concedendis. De concessis vni Conuentui communicatis etiam alijs locis eiusdem ordinis *Lezana ad Maremmagnum Minimorum num* 120. *Tambur. cit num.* 1. *Portellus V. Communicatio Priuileg num.* 1. & *V. Priuilegium num.* 20. *Rodriq. tom* 1. *q.* 55. *art.* 18. *Miranda tom.* 2. *q.* 46. *art.* 7. *Compend. Rodriq resol.* 116. *num.* 51. vbi quòd communio hæc respicit etiam loca Monialium, quæ gaudent Priuilegijs virorum, *Rodriq. cit. art.* 13. *Miranda art.* 2. Ergo hoc Priuilegium recitandi Officium S. Claræ infrà annum communicabile est ad minus alijs Monialibus Capucinis per totum orbem.

3 Probatur primò per Virginium Aluiset Ordinis S. Benedicti, quia priuilegia Societatis Iesu sunt valdè specialia, & exorbitantia, & non solita concedi, & in specie illud de recipiendis Ordinibus *extra tempora*, & tribus diebus festis continuatis, *ex Diana par.* 11. *tract.* 4 *resol.* 6. non obstante claus. Ne alij Ordines illis communicent; *Rodriq. par.* 1. *q.* 55. *art.* 17.

4 Probatur 2. ab eodem Aluiset *sect.* 3. *dub.* 2. quia quando vnum excipitur, censentur quælibet alia concessa; sed in communicatione Priuilegiorum non excipiuntur exorbitantia, & specialia, modo non sint contraria Tridentino.

5 Probatur 3. Vbi Ius non distinguit, neq; nos distinguere debemus, sed Papa nullam in his facit distinctionem, ergo.

Probatur 4. Priuilegium ministrandi Eucharistiam pro Communione Pascali est valde speciale concessum soli, & vni Monasterio de Guadalupe, & tamen fuit communicatum alijs Monasterijs eiusdem Ordinis. 6

Probatur 5. quia Priuilegium præscriptionis centenariæ, quod habet Ecclesia Romana, communicatum fuit Ecclesiæ S. Pauli extra muros, & tamen est communicatum omnibus Ordinibus, ex eodem Aluiseto. 7

Probatur 6. Priuilegium Minoribus concessum celebrand. tempore interdicti ianuis apertis est valdè speciale, & exorbitans, & tamen Leo X. in Bulla incip. *Quamuis in Priuilegijs*, dicit, illud comp tere Minimis ratione communicationis Priuilegiorum, quam habent à Minoribus. 8

Probatur 7. ab alio *Nomine incognito* Ordinis Capucinorum, qui intendit fauere Capucinis Monialibus extra Neapolitanas. Nam vt priuilegium conc. ssum à Sede Apostolicâ extendatur ad omnia Monasteria alicuius Ordinis non est necessarium, vt sit petitum nomine totius Ordinis. Quia priuilegium concessum Dominicanis Salmaticensibus recipendi Nouitios absq; preuijs informationibus, non fuit petitum nomine totius Ordinis, & tamen extenditur ad omnia eiusdem Ordinis Monasteria, & ab illo Ordine cæteris Mendicantibus communicatum, Portellus V. Priuilegium *num.* 20. Idem dic de priuilegio Centenariæ præscriptionis, quo alia vtuntur. 9

Probatur 8. Ad communicationem non est necessarium vt communicantes sint sub eodem Superiore, quia Moniales Minoritæ primæ, & secundæ Regulæ dictæ Vrbanistæ participant priuilegia Minorum ex Sixto IV. apud Rodriq. *tom.* 1. *q.* 54. *art.* 13. Portell. V. commun. Priuilegiorum *num.* 7. 10

Probatur 9. quia falsum est, quòd concessio localis, seu Priuilegium locale si sit reale, non particulare personale, sit incommunicabile, nam Priuilegium Salmaticense est reale particulare, & non reale generale, quia concessio illa facta est in tali loco, & tamen iam ad omnia eiusdem Ordinis Monasteria extenditur communicatione Priuilegiorum, ergo. Idem dic de priuilegio communionis in Paschate. 11

Probatur 10. quia falsum est, quòd Priuilegium 12

uilegium concessum vni Prouinciæ non concedatur alteri, si sit reale generale, vel reale particulare, nam à minori ad maius arguendo, concessio facta vni Monasterio de Guadalupe, & vni Salmaticensi, sunt concessiones speciales, seu reales personales, & tamen communicantur, ergo à fortiori concessio facta vni Prouinciæ alijs eiusdem Ordinis Prouincijs communicatur.

13 Probatur 11. quia si concessa vni Monasterio vnius Ordinis non concederentur omnibus eiusdem Ordinis, finis legis latæ de Communicatione Priuilegiorum frustraretur, nec haberet suum intentum, ergo. Per hanc enim communicationem æquantur Monasteria Monasterijs, & Ordines Ordinibus, & hac ratione tolluntur occasiones zeli, & æmulationis inter Religiosos.

14 Probatur 12. quia omnes Doctores docent, quòd Communicatio Priuilegiorum intelligitur de Priuilegijs concessis Ordini in communi, & Conuentibus particularibus, non autem Religioso alicui in particulari; hoc Priuilegium de Officio S. Claræ non est concessum alicui in particulari, sed Conuentui regio, ergo.

15 Probatur 13. Specialia, & exorbitantia communicantur, ergo à fortiori communicantur quæ non exorbitant; sed hoc non exorbitat, vt notum est, ergo est communicabile.

16 Colligit auctor horum argumentorum, Fratres Minores hoc eodem priuilegio recitandi singulis mensibus Officium S. Claræ vti posse, ea ratione, quia sicut Moniales Minoritanæ gaudent Priuilegijs Fratrum Minorum iure Communicationis, ita vice versâ Fratres Minores fruuntur Monialium priuilegijs, *Pelligar. de Monialibus, Portel. Verb. Communicatio num.* 3. Quibus tamen non obstantibus.

17 Dicendum est, hoc Priuilegium recitandi Officium S. Claræ Virginis singulis mensibus &c. esse incommunicabile. Quod multis probo.

18 Probatur 1. quia gratiæ, quas facit Sacra Congregatio, sunt incommunicabiles; sed hoc priuilegium est gratia facta à S. C. ergo est incommunicabile. Minor est certa in suis terminis. Maior ostenditur, quia S. C. aliam non habet intentionem, nec voluntatem gratiam faciendi nisi petentibus, solet enim concedens se accommodare precibus petentis, *cap. Inter dilectas 6. §. Cæterum, de fide Instr.* vbi Glos. V. Petitionis ait, responsum conformari petitioni, *per l. De ætate 12. ff. de interrog. act.* Sed solæ Moniales Neapolitanæ petierunt Priuilegium, ergo illis solis fuit concessum, nam responsio fit ad mensuram petitionis, *Instit. de inutil. stipul. §. Præterea Nauar. cons.* 1. *de condit. appos. num.* 5. Quæ restringitur ad Moniales tantùm petentes.

19 Probatur 2. Solius Principis est concedere Priuilegia communicabilia non petentibus, & participantibus in concessis, ac proinde in materia præsenti est solius Pontificis Romani, qui habet plenitudinem potestatis, & id certum omninò est, quia huiusmodi communicatio ab eo solo originem trahit, vt videri potest in Bulla Aurea Sixti IV. incipit *Sacri Prædicatorum & Minorum* apud Compend. *Bulla 2. & in Bull. Noua Bulla 19. §. 7.* vbi Papa communicat concessa, & concedenda Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, eorum Sororibus vtriusq; Ordinis, etiam Tertiarijs eorundem vtriusq; sexus. Et ante hunc Pontificem non inueni communicationem Priuilegiorum inter Regulares fuisse in vsu. Et quòd solius sit Pontificis communicatio probatur, quia sicut ille solus concedit Priuilegia publica, qui legem ferre potest, secundum *S. Anton par. 1. tit. 19. cap. 1 Siluester V. eod. q. 2. Angel q. 3. cum alijs, Suar. lib. 8. de legib. cap. 8. apud Peyrin. ad Constitut. Pirri num. 6.* ea & eo magis ad ipsum Legislatorem restringitur communicatio, cum sit quid maius ratione extensionis. Quod si Inferiores quandoq; faciunt gratias, non tamen propriè dicuntur concedere Priuilegia, & multò minus concedere cum communicatione, nisi ex concessione, & speciali delegatione Principis, aut alia expressione, & formali concessione, & ad instar. Constat autem hanc gratiam non prouenire à Pontifice, sed tantum à S. Congr. ergo non est communicabilis.

20 Probatur 3. quia Ius communicationis inter Regulares expeditur per Bullas Pontificias in formâ expressâ communicationis, vt patet ex allatâ Bullâ Sixti IV. vel in formâ signatâ, vt in Bulla Leonis X. qui communicat omnia Priuilegia Mendicantium tam generalia, quam localia inter eosdem nullo in specie expresso; sed hoc Priuilegium non fuit concessum per Bullam, ergo communicabile non est.

21 Probatur 4. Quia viuæ vocis oracula non communicantur, nam de his nulla fit mentio in dictis Bullis concedentibus Communicationem, in Bulla 7. Clem. VII. incip. *Dum fructus vberes.* apud Confect. fol. 179. Nec obstat, quòd in Bullis Gregor. XIII. incip. *Ex benignâ* 7. apud eundem fol. 247. Sixti V. incip. *Et si Mendicantium* 5. ibidem fol. 267. & Clementis VIII. incip. *Ratio Pastoralis* ibidem fol. 286. & in Bullar. Nouo 51. fiat mentio de viuæ vocis oraculis ab ipsis communicatis inter Mendicantes etiam vtriusq; sexus. Non obstat, inquam, quia loquuntur de viuæ vocis Oraculis concessis ante sua tem-

pora,

pora, non verò concedendis. Prætérquam quod, oracula iam sublata fuerunt per Gregorium XV. & Vrbanum VIII. Adde, quòd sermo est in illis Bullis de viuæ vocis oraculis à Summis Pontificibus concessis, non à S. Congreg. quæ hoc peculiare concessit Capucinis Monialibus Neapolitanis.

22 Probatur 5. quia esto Oraculum hoc esset papale, adhuc esset incommunicabile, tum quia ex eius tenore non colligitur communicabilitas, cum dicatur concessum petentibus, inter quas sunt tantùm Moniales Neapolitanæ. Tum quia communicabile non est ex vi alicuius Bullæ Pontificiæ, nam supra allatæ in probat. 4. communicant tantùm oracula concessa, non concedenda, immò etiam in illis cessat modo Communicatio, ex quo iam reuocata fuerunt; Communicatio enim alicuius rei supponit eius existentiam, vt possit communicari, prius enim est aliquid existere, quam esse hoc, vel illo modo, cum operari sequatur esse, *ex August. lib. 1. de Trinit. cap. 2.* Et prius est, quod res sit alicubi, quam quod ibidem maneat, *ex eodem in Ioannem tract. 7.* ergo ex hoc capite, quamuis præsens oraculum existat, tam n à prædictis Bullis recipere non potest Communicationem, dùm in illis communicatio oraculorum restricta fuit ad oracula, quæ tunc erant antecedenter concessa. Nec dicas, præsens oraculum habere communicationem à Bulla Leonis X. qui concedit Communicationem Priuilegiorum non solùm concessorum, sed etiam concedendorum; quia respondetur, in ea Bulla Leonis nullam fieri mētionē de Oraculis, sed tantū de alijs Gratijs, & Priuilegijs, nam differunt Priuilegia Bullata ab Oraculis, vnde fit ut ex reuocatione Priuilegiorum non censentur reuocata Oracula, ex praxi Romanæ Curiæ,

23 & communi Canonistarum opinione, *ex Henriq. lib. 7. de Indulg. cap. 24. num. 8. Sà V. Gratia num. 13. Lamas par. 1. sui Methodi cap. 7. §. 6. Felician. de censibus, tit. de priuileg. cap. 15. Peyrin. in illis ad const. 17. Iulij II. apud Tambur. tom. 1. disp. 16. q. 2. fine*, ita è contra ex concessione Communicationis Priuilegiorum non censetur facta concessio Communicationis Oraculorum, dum de illis nulla fit mentio; tum quia ex diuersis non fit illatio, ex vulgatis iuribus, tum quia idem operatur appositum in apposito, quod propositum in proposito, *l. Si pater 101. §. Si filius ff. de legat. 3.* sed reuocatio priuilegiorum non apponitur oraculis, ergo nec concessio fauet eisdem. In casu demum proposito constat Oraculum non esse papale, ideo ex nulla ratione probari potest eius communicabilitas.

24 Probatur 6. quia concessio huius generis habet quandam specialitatem; per quam impeditur Communicatio, si aliàs esset communicabile hoc Oraculum, nam Ecclesia intitulatur S. Claræ, cuius intuitu gratia hæc localis est, & ideo incommunicabilis.

Respondet Aduersarius distinguendo, 25 gratia præcisè localis est incommunicabilis, quia directè conceditur tali loco, tali Ecclesiæ, e.g. vt tali due suspendatur in illa interdictum, & sic concedit, gratiam esse incommunicabilem vel dicitur gratia localis; quia est realis particularis concessa non loco præcisè, sed ibi demorantibus; & sic negat hanc incommunicabilitatem. Vnde ad speci alitatem rei pondet eadem distinctione, gratiam esse incommunicabilem primo modo, communicabilem secundo modo. Ad titulum S. Claræ respondet negando gratiam fuisse concessam eius intuitu, non enim concessio est affixa loco, sed demorantibus tali in loco.

Contra est, quia hæc gratia localis est 26 mixta ex personis & loco, nam conceditur Personis ibidem commorantibus, quæ tale spirituale Officium ibidem sunt recitaturæ, ergo est omnino incommunicabilis, tam ex parte loci, cum locus sit incommunicabilis, vt patet, quàm ex parte personarum, quæ extra illud Monasterium exire nequeunt, neq; secum portare Priuilegium, cum personale non sit, cohæret ergo hoc Priuilegium personis in tali loco constitutis, ergo cum ibi restringatur, & loco coarctetur, vltra extendi non potest, *arg. l. fin. C. Vbi & apud quos, cap. 2. de constit. in 6.* vbi Iurisdictio, quæ cohæret loco & personis, vltra territorium non extenditur; pari ratione hæc gratia cum sit mixta personis, & loco vltra non extendatur, consequenter est incommunicabilis, aliàs sequeretur absurdum, quòd communicantibus esset fauorabilior, quàm ipsis concessionarijs, & priuilegiatis qui si ab illo loco recederent, & aliud Monasterium etiam eiusdem Ordinis ingrederentur non possent vti illo Priuilegio, ex quo est mixtum loco, & personis. Et hoc quidem ad hominem, quia secundum Aduersarium ex eius verbis: *Quia est realis particularis concessa non loco præcisè, sed ibi demorantibus* colligitur esse mixtum ex vtroq; vt indicat verbum *præcisè*, hoc est, non concessum solum loco, sed etiam, & potiori ratione personis, quibus conceditur recitare Officium in illo Monasterio, à quo non possunt recedere. Immo ex hoc loquendi modo inferri potest, quòd hoc Priuilegium secundum Aduersarium magis habet de personali, ac proinde omninò excludit communicationem, cum personalia non communicentur, nec delegentur, nec extendantur extra personam.

Demum

nem Superiorem, non gaudent dicto Priuilegio; Moniales enim S. Claræ primæ, & secundæ Regulæ nullatenus communicant ad inuicem ratione superioritatis, & tamen iure Communicationis participant. priuilegia.

37 Contra est primò, quia vt dictum fuit, communicatio locum non habet nisi Priuilegium sit à Papa concessum; hoc autem concessum fuit à S.C. ergo responsio non obstat. Secundò, communicatio priuilegiorum in ordine ad Moniales semper facta fuit respectiuè ad subiectionem, quam habent ad Superiores eiusdem Ordinis, lege supradictas Bullas, quæ clarè, & expressè in his terminis loquuntur. Sed istæ non sunt subiectæ, ergo non gaudent Priuileg o communicationis, & ita sentit *Portellus par. 2. casu* 14 *num.* 2. Quam tamen inpugno *resol. 52. de priuileg. q. 24. num. 69.* Non ideo tamen ex hoc volo præiudicium inferre huic opinioni de incommunicabilitate huius priuilegij ex motiuis supra allatis.

38 Probatur 10. quia Priuilegium concessum Minimis reducendi missas Ecclesiæ eorum Ianuensis non communicatur Ecclesijs aliorum Monasteriorum eiusdem Ordinis ex eius specialitate, ergo multò minus hoc est communicabile concessum ab inferiori.

39 Respondet distinguendo antecedens, ante promulgationem Decreti de celebratione missarum, non extendebatur ad alia loca, negatur, immo quia ad omnes alios Ordines deriuauit, idcirco facta fuit illa Bulla, seu Decretum; post promulgationem supradicti Decreti non extenditur, conceditur. Credo, inquit, tamen, quòd etiam Ecclesiæ Ianuensi Fratrum Minimorum sublata sit talis facultas.

40 Contra est, quia iste Doctor supponit vnum falsum, nempe Bullam, seu Decretum, dic tu Priuilegium, de reductione missarum in Ecclesiâ Ianuensi Minimorum, datum fuisse ante Decretum de celebrat. Missarum; apparet falsitas legenti apud Peyrinum de Priuilegijs vtranque constitutionem Vrbani VIII. const. 5. sub fol. 366. de Priuilegio Missas reducendi, & const. 9. sub. fol. 376. de Decretis de celebrat. Missarum, nam hæc data fuit 21. Iunij 1625. illa verò 23. Iulij 1626. Considerantes enim Minimi sublata esse eorum Priuilegia, quibus vnicâ Missâ cum pluribus collectis poterant satisfacere pluribus oneribus, sibi consulentes, petierunt rescriptum *Reductionis*. Ea ergo distinctio non facit ad rem, nec proinde verum est, quòd illis sublata sit ea facultas. Marchinus, quem sequitur Diana *par. 6. tract. 6. resol. XI.* facit illud communicabile non solum alijs Ecclesijs eius Ordinis, sed etiam aliorum Ordinum, quos impugnaui Contr. 114. in editione Romanâ, in Lugdul. Resol. 114.

41 Probatur 11. quia Altaria priuilegiata propter eorum specialitatem, & circunstantias non sunt communicabilia, vnde qui ea desiderant in proprijs Ecclesijs, singulariter petunt, ratio est, quia est Priuilegium locale, ac proinde inextendibile, ita *Peyr. ad const. 8. Pauli III. num. 2. Lezana V. Altare num 19. Diana par. 9. tract. 2. resol. 2. Ego resol. 52. num. 85. Pasqual. de Sacrif. q. 756.* ergo nec præsens priuilegium mixtum ex loco, & person s, nam personæ regulares celebrant in suo choro, & non in Cellâ, neq; extra, maximè Moniales.

42 Probatur 12. Si Papa concedit recitationem Officij alcuius Beati in loco vbi requiescit eius corpus, vel in loco eius patricio, hoc Priuilegium est incommunicabile Ecclesijs eiusdem Ordinis, quia carent huiusmodi specialitatibus, quæ mouerunt Pontificem ad concessionem faciendam localem, & non generalem, vt respondit S. C. apud Barbos. in Decis. Apost. V. Officium diuinum *num.* 15.

43 Probatur 13. quia Communicatio Priuilegiorum non habet locum in ijs, quæ non sunt solita concedi, vel talia m cum magnâ d ffi ultate conceduntur, per Doct. *in l. t. ff de legat. 1. vbi Iason num. 21. & 22. Socin. iun. num 43. Butrius cons. 19. num. 2. Natta cons. 4. num. 6. Tambur tom. 1 disp. 17. q. 2. num. 6.* in term nis de Altaribus priuilegiatis. Quod idem dicendum est in casu nostro, raro enim, & so ùm ad instantiam Magnatorum conceduntur huiusmodi Officia infra annum recitanda, vnde S. C. attentâ supl catione Emin. de Arragonâ, & quia Conuentus ille regius est, ideo gratiam fecit, & incommunicabilem.

44 Reliquum est, respondere ad argumenta in contrarium proposita, quæ quamuis possem vnico responso diluere, nempe, quia locum habent respectu Communicationis Priuilegiorum concessorum à summis Pontificibus simpliciter, & in genere carentium certis specialitatibus, & alijs conditionibus, de quibus supra, non autem respectu *Oratoriorum* à S. Congr. concessorum, quæ sunt omnino incommunicabilia, vt supra probatum hactenus fuit, nihilominus singulis volo respondere.

45 Ad primum de Priuilegio Iesuitarum recipiendi Ordines extra tempora tribus diebus festiuis continuis, dico esse incommunicabile, & quia prohibetur, vt videri potest in Bulla Gregorij XIII. & quia Religio Societatis talem habet specialitatem, cui nullus alterius Religionis Ordo est subiectus, certum enim domicilium non habent, in quo Deo seruiant, sed viatores sunt ad nutum sui Superioris parati missionibus, ideo à quocunq; Episcopo ordinari possunt

possunt quouis tempore; & aliâ etiam ratione, quia licet habeant ætatem, tamen non solent promoueri, vt commodius studere valeant, meritò igitur Gregor. in Bulla incip. *Pium* 77. in B. N. hoc priuilegium illis concessit cum prohibitione Communicationis alijs Regularibus his verbis: *Præsentis autem gratiæ Communicationem omnibus alijs, etiam qui sua Priuilegia cum ipsa Societate copiosè participant, participareq. poterant quomodolibet in futurum fieri omnino prohibemus.* Quamuis plerique apud Dianam *par. 3. tract. 2. resol. 31. & part. ij. tract. 4. resol. 6.* cum quibus ipse est, sentiant non obstante ea prohibitione, dictum Priuilegium esse Communicabile, quos etiam sequitur Donatus Ordinis Prædicatorum *tom. 1. Rerum Regul. tract. 7. q 8. fol. 30.* Tum quia Pontifices successores gratias, & Priuilegia Societatis extenderunt ad alios Regulares non solum in genere, sed etiam in specie, & nominatim, & de nouo sine aliqua limitatione concesserunt. Tum quia generalis Communicatio cum claus. *Quorum tenores* habet vim specialis, & indiuiduæ derogationis cum omnibus suis qualitatibus, quæ clausula ponitur in Confirmationibus à successoribus eius.

46 Quibus tamen non obstantibus verius censeo illud Priuilegium, vt dixi, esse incommunicabile, neq. factum communicabile ab aliquo ex successoribus Gregorij præfati. Nam aliud est confirmare Priuilegia, aliud illa communicare, aliud tollere prohibitionem Communicationis, aliud Priuilegia noua concedere, vt enim patet intelligenti, hæc de se valde differunt. Legi attentè Bullas Pontificum, qui successerunt Gregorio XIII. qui regulariter confirmant Priuilegia non solum concessa, sed etiam communicata, vt fecit Gregorius XIV. in sua incip. *Romanus* 13. in B. N. fol. 537. confirmando Crucigeris eorum Priuilegia, & eisdem communicando gratias omnium Mendicantium concessas, & concedendas. Idem in sua incip. *Romanus* 2. ibidem fol. 526. Clericis Minoribus communicat Priuilegia Theatinorum. Idem in aliâ incip. *Illius qui* 17. fol. 540. §. 26. communicans Clericis ministrantibus Infirmis Priuilegia Mendicantium, & non Mendicantium etiam Presbiteris Collegialium Societatis Iesu, dummodo non sint comprehensa sub aliquibus reuocationibus, neq. decretis Concilij Tridentini. Hanc Bullam allegant contrarium sentientes, & tamen manifestè patet illis aduersari, nam communicantur eis solùm Priuilegia concessa Iesuitis collegialibus, pro quibus non est præsens de Ordinatione, & præterea conceduntur, seu communicantur, quæ non sunt comprehensa sub aliquibus reuocationibus, reuocatio autem virtualiter continet negationem Communicationis; & demum non communicantur contraria Tridentino, vt hoc de Ordinatione, nam Tridentinum Sess. 23. cap. 8. præcipit, vt ordinationes fiant statutis temporibus, & vnusquisq. à proprio Episcopo ordinetur, non obstante aliquo Priuilegio. De priuilegijs alijs post modum concessis consulant Bullarium, & inuenient concedi cum restrinctione. *Dummodo non contineantur sub alijs reuocationibus* &c. Item *Dummodo non aduersentur Decretis Tridentini.* Quare 47 nescio, quâ ratione hoc de Ordinatione Iesuitis cum negatiua communicationis concessum sit communicabile, vel communicatum per subsequentes confirmationes sic restrinctas, & eo magis, cum non amplius soleant confirmari in formâ specificâ, sed tantùm in formâ communi. Non potui inuenire Bullam similis Priuilegij Ordinationis concessi Congregationi S. Ioannis Euangelistæ Portugalliæ per Clementem VIII. 23. Nouembris 1596. quam citat Compend. Rodriq. *resol* 106. *num* 7. Immo puto non extare, cum Augustinus à Virgine Maria Carmelita Strinctioris Obseruantiæ Rhedonensis de hoc nullam faciat mentionem cum profiteatur se referre *Priuilegia omnium Religionum* Lugduni impressa anno 1661. Vide interim quæ dixi Consilio 29. per totum.

In lectione autem supradictorum Priuilegiorum non inueni nisi aut concessionem nouorum Priuilegiorum, aut antiquorum Confirmationem, aut Communicationem eorundem, nullum autem inueni, quod tollat prohibitionem Communicationis, cum ergo, ex vulgatis iuribus, iura iuribus concordare expediat, inferendum est, per confirmationem Priuilegiorum, aut eorum Communicationem, communicari tantùm non prohibita communicari, quia si Papa vellet incommunicabilia communicare sine dubio hoc in terminis terminantibus expressisset in dispositiuâ, vt deinde in obstantiuâ potuisset derogare prohibitioni Communicationis. Et ex his patet ad rationes adductas à Donato. 48

Ad cuius primam dico, nullo modo hoc Priuilegium Ordinationis, neq. aliud incommunicabile, sed solum communicari communicabilia, nam implicat in terminis, quòd incommunicabile sit communicabile, nisi constet de habilitate per destructionem inhabilitatis exprimendâ in dispositiuâ, de qua nihil in precitatâ Bullâ Gregorij XIV. illo §. 26. 49

Ad 2. dico, illam Claus. *Quorum tenores* operari circa expressa, non autem circa non expressa, *Deciuf. cons.* 142. Non enim operatur, vbi non est facta de illo, de cuius de- 50

rogatione,

rogatione, vel mentione tractatur, ex allatis à Theodosio Rubeo *hac claus.* 658. *num.* 10. *Gonzal. Glos.* 36. *num.* 65. Sed in dispositiua supradictæ Bullæ, & aliarum nulla fit specialis mentio huius Priuilegij Societatis, ergo nec illi applicari potest ea claus. *Quorum tenores*, vt dicatur derogatum illi incommunicabilitati, quam secum affert illud Priuilegium.

51 Hinc est, quòd dictum Priuilegium vsq; modo remanet incommunicabile, & ita docet *Peyrin. const.* 2. *Sixti IV. §. XI. num.* 39. *Suarez. lib.* 8. *de Legib. cap.* 17. *num.* 8. *Miranda tom.* 1. *q.* 38. *art.* 4. *Vasq. in* 3. *par. tom.* 3. *disp.* 246. *cap.* 5. *num.* 50. quos contra se citat Diana *par.* 3. *tract.* 2. *resol.* 31. A fortiori illud de recitando infra annum Officium S. Claræ non concessum à Papa, sed tantùm à Sacrâ Congregatione.

52 Ad secundum argumentum, quòd quando vnum excipitur, censentur quælibet alia concessa; sed in communicatione Priuilegiorum non excipiuntur exorbitantia, & specialia, modo non sint contra Tridentinum, &c. Respondeo negando minorem, exorbitantia enim non trahuntur in consequentiam *ex Reg.* 28. *in* 6. maximè in præiudicialibus, vt docet Rota in exemptione Decimarum, quæ non veniunt in communicatione Priuilegiorum, *apud Tambur. tom.* 3. *decis.* 89. *per totam* ergo excipiuntur exorbitantia in Priuilegiorum Communicatione, vt docet Tambur. *tom.* 1. *disp.* 17. *q.* 2. *num.* 6. referens plures Decisiones Rotæ. Quòd autem hoc priuilegium recitationis possit dici exorbitare non est dubium, quia aberrat à viâ ordinariâ Calendarij Gregoriani singulis diebus assignans de quo sit Officium diuinum celebrandum, vel de Sancto, vel de Dominicâ, vel de Feriâ, à quibus hoc exorbitat, cum non sit expressum in Calendario.

53 Ad tertium, vbi ius non distinguit, neq; nos distinguere debemus; sed Papa in his nullam facit distinctionem. ergo. Respondetur, esse distinguendum, quando ratio id dictat, vt ex Angelo de Clausasio *V. Ludus num.* 5. dixit Thomasct. *Regul.* 100. quando sequeretur Iurium contrarietas, quæ euitanda est distinctione, ex cap. *cum expediat, de elect. in* 6. Quare rationabiliter Doctores supra allegati distinguunt communicari priuilegia non exorbitantia, & quæ sine specialitate primò concessa fuerunt Vnde Pontifices ipsi, quando in suis Bullis concedunt Communicationem Priuilegiorum id faciunt, dummodo non sint contraria eorum statui, & obseruantiæ regulari.

54 Ad quartum, quòd Priuilegium ministrandi Eucharistiam pro communione Pascali sit valdè speciale soli, & vni Monasterio de Guadalupe concessum, tamen fuit communicatum alijs Monasterijs eiusdem Ordinis. Respondetur, illius Priuilegij communicationem factam fuisse non ex vi Iuris communicatiui, sed à Pontifice Romano per specialem Bullam, nempe Clementis VIII. illud extendentis ad alios Conuentus eiusdem Ordinis, vt refert supradictus Augustinus Carmelita Discalceatus V. Eucharistia in fine. In casu nostro, nec Papa, nec S.C. illud de Officio S. Claræ recitando infra annum hactenus extenderunt ad alia Monasteria Capucinarum, vnde nec nos possumus asserere esse communicatum, vel communicabile ex vi communicationis, vt ita dicam, signatæ, seu legalis, dum habet specialitatem impedientem hanc communicationem.

Ad quintum, quòd Priuilegium præscriptionis centenariæ iam sit communicatum omnibus Regularibus, primò concessum Ecclesiæ Romanæ, & deinde Ecclesiæ S. Pauli extra muros Vrbis. Respondetur, reuera illud priuilegium primò concessum Ecclesiæ Romanæ etiam iure Ciuili *Auth. Quas actiones, C. de Sacros. Eccles. cap. Ad audientiam* 13. *de script.* cum taxatiua *sola Romana Ecclesia* ex Auth. Deinde in terminis, & specificè propter suam specialitatem obquam non dicitur communicabile, nisi fiat in terminis, & specificè Eugenius IV. in sua incip. *Ex Apostolica Sedis* 17. *in Bull. Rodriq.* Ecclesiæ S. Pauli extra muros illud concessit illis verbis: *Cæterum cum idem Monasterium speciale membrum Apostolicæ Sedis, & propria Romani Pontificis sedes existat, statuimus, & sancimus, vt sicut contra Romanam Ecclesiam non nisi centenaria currit præscriptio secundum constitutiones canonicas, & legitimas sanctiones, ita quoq; prædicto Monasterio minoris temporis præscriptio non obsistat.* Vnde alio modo cū nō sit communicabile propter eam singularem prærogatiuam, *quod est membrum speciale, & propria sedes Romani Pontificis*, nescio quo iure *ex Rodriq. tom.* 3. *q.* 35. *art.* 2. *Tambur. tom.* 1. *disp.* 16. *q.* 14. *& disp.* 19. *q.* 4. *Lezana in Marimagno Carmelit. num.* 351. *alios citans*, ex eis Antonius à Spiritu Sancto alter Excalceatus Carmelita in suo *Directorio Regular. part.* 1. *tract.* 2 *disq.* 3. *num.* 140. Illud communicauerint omnibus Regularibus virtute concessionis supradictæ Monasterio illi, quod eam prærogatiuam habet nulli hactenus concessam, quòd sit propria Sedes Pontificis. 55

Regulares ergo de iure communi habent Quadragenariam ex tit. Præscript. iure vero Priuilegij sexagenariam, ex citatis auctoribus, *de Lugo disp.* 6. *de. præsrip. num.* 73. *Castropal. de Iust. disp. Vn. p.* 22. *§.* 12. *num.* 4. ijs ergo standum est. Data autem 56

hac communicatione Aduersarius non obtinet suum intentum, quia gratiæ Sacræ Congregationis hoc modo non mensurantur. Vide etiam Passerinum Dominicanum *tom. 2. de statu homin. q. 187. num.* 688. vbi sequitur præcedentes Doctores cum Rodriq. & citat plures Bullas ex Bullario Cassinensi, quod quia non habeo super illis nihil dico.

57 Ad sextum de Priuilegio Minorum celebrandi ianuis apertis tempore Interdicti valde speciali, tamen communicato Minimis per Leonem X. Bulla incip. *Quamuis* Respondeo, non nego, Papam id facere posse, Sed dico, non intelligi communicata ea Priuilegia, quæ quandam specialitatem habent, quando genericè, & legaliter sunt communicabilia Hoc autem Priuilegium, quod extendit Peyrin. constit. XI. iam legaliter, & genericè erat communicatum, quia nullam specialitatem habebat, eratq; generale concessum omnibus Ecclesijs Minorum, ac proinde Minimis communicantibus in Priuilegijs eorum communicabilibus, sed quia dubitabant, ideo illud in specie eisdem concessit. Certum tamen est modo neutri Ordini prodesse, sublatum per Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 12. Patet ergo hoc argumentum non facere ad rem nostri casus, cui in nullo obstat.

58 Ad septimum, ad hoc vt Priuilegium sit communicabile non est necesse vt sit petitum nomine totius Ordinis, quia Dominicanis Salmaticensibus concessum fauore Nouitiorum, non fuit petitum nomine Ordinis, & tamen constat esse communicabile. Respondetur, cum illud fuerit obtentum per Cardinalem Alexandrinum eorum Protectorem, sufficienter dicitur impetratum nomine Ordinis; & præterea nihil specialitatis habet, cum quælibet Religio vbi-

59 que propagetur receptione Nouitiorum. Extenditur hoc priuilegium à Miranda *tom. 1. q. 21. art. 1, cum Bulla Leonis* X. de legali communicatione genericà Priuilegiorum inter Mendicantes concessorum, & concedendorum, *& Donato par.* 4. *tract.* 4. *q.* 4. *& in seq. q.* 5. ait, esse communicabile omnibus Conuentibus non solum eiusdem Ordinis, sed etiam aliorum ex vi Bullæ Leoninæ citatæ, quia hoc Priuilegium, est merè fauorabile, & respiciens materiam omnibus Conuentibus ex necessitate applicabilem, cum omnes egeant propagatione,

Confirmatur hæc Communicatio, quam voco legalem, & generalem per subsequentem Bullam eiusdem Clementis incip. *Ratio Pastoralis* 51. in Bull. Nouo datam 20. Decembris eodem anno 1597. quo data fuit precedens Salmaticensibus die decimo Nouembris, ad fauorem Minorum de Obseruantià, & Tertij Ordinis S. Francisci, quibus communicat Priuilegia aliorum, etiam non Mendicantium concessa Ordinibus, & eorum Monasterijs, ergo in eo communicant Obseruantes, & Tertiarij. Non tamen hinc infertur communicatio Priuilegij recitandi officium S. Claræ per annum, cum non sit Pontificum, nec Bullarum, nec necessitatem inducat in obiecto propagationis, sicut priuilegium receptionis Nouitiorum.

Ad octauum, quòd ad Communicationem non sit necessarium vt communicantes sint sub eodem Superiore, cum Moniales Vrbanistæ participent priuilegia Minorum, quibus non subsunt. Respondetur supra à nobis sub probat 9. 60

Ad nonum, quòd falsum sit, locale Priuilegium reale, non particulare personale, esse incommunicabile, nam Salmaticense est reale particulare, & non reale generale, cum sit factum tali loco. Respondetur, Doctores communiter priuilegium diuidere in personale, & reale; Illud conceditur *Personæ* ratione sui, vnde eam sequitur, & cum illa extinguitur, *l. Vn. §. Ne autem C. de caduc. toll. l. cum quis* 55. *§. fin. ff. de verb. oblig. Reg.* 7. *in* 6. Hoc non est communicabile, in sententia omnium. Reale vero est illud, quod conceditur *ratione alicuius*, vt ratione Loci, Ecclesiæ, Ordinis, Monasterij, Religionis, Officij &c. & durat, quousq; durat illa res, cui conceditur. Et huic non repugnat communicabilitas, legalis, quæ in Religionibus est in vsu, habens originem ex Bullis Pontificijs præsertim ex Bulla Leoninà sepius citatà: vt autem hæc sortiatur suum effectum necesse primum est, vt non præiudicet tertio, vt patet in exemptione decimarum vni concessa, alijs hoc modo non communicabili, Rota *decis.* 89. *apud Tamburin. tom.* 3. Neque habeat aliquam specialitatem, per quam reddatur incommunicabilis, vt supra d. xi, & exempla refert Carmelita *in Directorio Regul. part.* 1. *tract.* 1. *disp.* 1. *à num.* 43. Neque demum prohibeatur communicari, vt exemplum supra attuli de priuilegio Iesuitarum recipiendi Ordines à quouis Episcopo quolibet tempore. 61 62

Ad propositum, Priuilegium locale reale est communicabile nisi deficiat in vno ex illis tribus, Salmaticense locale reale est, communicatur autem, quia nullo ex illis tribus inficitur. Priuilegium locale reale est quidem illud Capucinarum Neapolitanum non tamen communicabile propter eius specialitatem, & quia non est à Papa, à quo solo emanat Priuilegiorum communicatio legalis, & generica.

Ad decimum, quòd concessum vni Prouinciæ non conceditur alteri Prouinciæ ex Suarez. Respondi sub nostra probat. 8. dictum Suarez intelligi, quando Priuilegium 63

est

est loco alligatum, vt est illud Capucinarum ob eam specialitatem. Salmaticense autem non alligatur loco, quia caret specialitate, vt dixi.

64 Ad vndecimum, quòd frustraretur Communicatio, si concessa vni Conuentui alijs non communicarentur. Respondetur nequaquam frustrari, cum non omne Priuilegium, ex quo est concessum, sit communicabile, sed solum illud, quod est tale rationabiliter, carens supradictis conditionibus.

65 Ad duodecimum dico verum esse, Priuilegia concessa Ordini in communi, & particularibus Conuentibus communicari, nisi obstet præiudicum, alligatio loci, specialitas, aut prohibitio, ex dictis. Huic obstat alligatio loci, & specialitas.

66 Ad decimum tertium patet ex hactenus dictis specialia, & exorbitantia non communicari; inter specialia est priuilegium Capucinarum, ergo incommunicabile.

67 Subiungit Aduersarius, Fratres Minores vti posse dicto Priuilegio recitandi Officium S. Claræ infra annum quia illi gaudent Priuilegijs suarum Monialium.

68 Respondeo, id quidem posse facere Pontificem Romanum in specie, & in terminis, non autem per legalem communicationem, ita quòd Priuilegium concessum in terminis Monialibus intelligatur etiam communicatum Fratribus eiusdem Ordinis, hoc enim repugnat conditioni sexuum, dicit enim tex in l. Si ita scriptum 46. de legat. 2.

69 initio, ***Exemplo enim turpissimum est fœminino vocabulo etiam masculos contineri.*** Masculinum verò concipit fœmininum, *l. 1 ff. de verb. signif.* Vnde S. Cyprianus de discipl. & hab. tu Virg. *cap. 2. relatus lect. 6. de Virgin.* huius reddit rationem his verbis: *Quia sunt duo in carne vna, & in masculo simul significatur & fœmina.* Hæc ergo originem ducit a masculo, non è contra, consequenter rationabile est, vt fœmina gaudeat de priuilegijs masculi, non è contra, cum masculus nullam habeat originem à fœmina. Portellus, & Pellizarius suum dictum acceperunt à Casarubio V. Commun. Priuileg. num. 14. vbi ex Leonis X. oraculo inquit: ***Quod sicut Moniales S. Claræ gaudent Priuilegijs Fratrum Minorum, ita & ipsi Fratres gaudeant, & vti possint Priuilegijs ipsarum Monialium, quæ sub cura ipsorum sunt duntaxat, & in spiritualibus tantùm.*** Sed hæ non sunt sub cura eorum, ergo nihil eis communicatur. Si iste Pater tam amplificat Communionem Priuilegiorum, cur etiam non dixit, hoc Priuilegio Capucinarum posse vti quoscunq; alios Ordines præter Minores! Et hæc satis.

Ita scripsit Author, sed dum fit hæc impressio iam habetur Priuilegium ab eàdem Sacra R. C. emanatum primò die 23. Septembris 1673. deinde die 16 Decembris 1679. qua extenditur ad vniuersum Ordinem Minorum recitatio Officij S. Claræ Virginis semel quolibet Mense extra Aduentum & Quadragesimam, Vigilias, & quatuor tempora;

Ideo Consilium hoc in suo robore subsistit in Casibus ad instar, vt expositum est, occurrentibus.

CONSILIVM LII.

De Canone inuariabiliter soluendo in Emphiteusi.

1 ANnibal, & Claudius de Mistralibus de Tizano anno 1554. ad Liuellum, & Emphiteusim perpetuam à Rectore Ecclesiæ Parochialis S. Andreæ Villæ Cereti iurisdictionis dicti Tizani receperunt quædam prædia æstimata in totum pretio librarum 3450. cum obligatione soluendi canonem sub his verbis. *Pro Canone, & Liuello singulo anno in perpetuum Scutorum 25. auri in auro.* Et quia à successore Rectore prætendebatur læsio in æstimatione, & etiam caducitas, parcendo expensis, & alijs incommodis, & nescio quid detracto ex prædijs, deuenerunt partes ad nouam æstimationem, nempe lib. 3405. & nouam inuestituram cum nouo Canone his verbis expresso. *Pro Canone, & liuello singulo anno Scutorum 24. auri, cum dimidio, & soldor. vndecim.* vt constat ex Instrumento scripto anno 1558.

2 Difficultas non leuis agitatur inter partes, an liuellarius nunc existens debeat soluere Canonem 24. Scutorum, secundum valorem currentem tempore solutionis, vt prætendit Rector; an verò soluendus sit ad rationem librarum sex, & soldor. decemocto, quo valebat tempore celebrati Contractus emphiteutici, vt intendit Emphiteuta, qui asserit augmentum pecuniarum sibi cedere, non Rectori, qui sicut reijceret diminutionem Canonis, ita neq. deberet sentire commodi auctionem.

3 Dicendum itaq. est omninò, Liuellarium non teneri soluere canonem hunc vltimum in libris, quibus nunc valutatur Scutum aureum, sed in tot libris, quot valutabatur tempore celebrati Contractus, quod valebat libras sex, & solidos decemocto, ita quod augmentum, sicut decrementum debet pro tempore spectare ad liuellarium debitorem, & non ad Rectorem creditorem, pro quo stat Canon, & pensio inuariabilis, sicut ab initio censetur taliter constituta, & taxata, vt efficaciter in sequentibus probatur.

4 Primò namque id deducitur ex definitione, & naturâ ipsius Contractus liuellarij, qui est concessio rei immobilis certo pretio æstimatæ cum translatione vtilis dominij per liuellantem facta in liuellarium, se obligantem soluere certum canonem, & pensionem liuellanti, penes quem remanet proprietas, & directum dominium. Ita omnes docent *in C. de iure emphit.* Duo ergo ad propositum nostrum hic sunt consideranda, pretium nempe, & Canon, qui & pensio dicitur soluenda.

Cum aut. mà pretio, quo solet æstimari res immobilis in constitutione Emphiteusis, tamquam à fundamento, & basi, regulandi sint fructus soluendi pro Canone, & liuello taxando, mediante scilicet quinario deducendo ex quolibet centenario taxati prætij emphiteutici, vt supponitur ab Ottobon. *decis. 183. num. 1. Vers. Vtraque, & num. 17.* Sequitur Canonem esse inuariabilem non recipientem augmentum, neq. decrementum, sed semper remanere eundem, qui fuit tempore contractus celebrati, dum à pretio taxato æstimationis regulatur, & numeratur pensio soluenda. Quare sicut non variatur æstimatio facta in prima inuestiturà, quan lo eadem remanet, neq. quinarius pro quolibet centenario, vt patet ex praxi, ita neq. varianda est solutio, licet moneta quo ad bonitatem extrinsecam processu temporis varietur modò secundum incrementum, modò secundum decrementum, sed raro, vt experientia docet. 5

Hinc est, quòd ex hac regulâ, quod quinq. pro quolibet centenario sunt soluendi pro canone, & liuello, colligitur, Canonem taxatum in casu nostro anno 1554. Scutorum 25. auri in auro, fuisse lib. 172. 10. & tunc Scutum nostrum, quod nunc valet 7-6. tunc valuisse lib. 6-18. vt infertur ex prætio æstimationis prædiorum, secundum primam Inuestituram, quæ fuit lib. 3450. ex noua vero Inuestiturâ pro nouo canone Scutorum 24. cum dimidio, & vndecim solidis debeant liuellarij soluere singulis annis lib. 168-12. 6

Confirmantur prædicta ex doctrina Bartoli *in l. Paulus 99. ff. de solut. num. 6.* dicentis, monetam grossam per minutam æstimari, & hoc est regulare, vt valor monetæ maioris cognoscatur per valorem monetæ minoris, & minutæ, vt constat in libris imperialibus, quæ dicuntur moneta minuta, & inuariabilis. Et ita in casu nostro Scutum aureum tunc eo anno 1554. & 1558. valutabatur per monetam minutam librarum 6-18. pro quolibet Scuto, attenta æstimatione prædiorum respectu quinarij pro quolibet centenario. Et quibus patet, tunc 7

temporis

temporis, Scutum taxationem habuisse in lib. 6-18. adeo quod vlterius non posset crescere, vti Canon, & Pensio respondens quinq. pro quolibet centenario, & non aliter, futuro perpetuo tempore, per eam aestimationem, & taxationem valoris Scuti tunc currentis.

8 Et licet non fiat mentio huius taxationis, tamen ea inest huic Contractui ex determinatione facta aestimationis praediorum, & ex consueto quinario pro quolibet centenario, & ex valore Scutorum tunc currente, neque enim contrahentes tunc ignorabant valutam Scuti, quam tunc intenderunt, & non aliam, quae non extabat; cum ergo insit ea taxatio in moneta expressa in hac Emphiteusi, habenda est pro expressa, nimirum, quod solutio fiat lib. 6-18. pro quolibet Scuto, vti tunc valebat, & non prout valet nunc. Ea enim expressio *auri in auro* solum importat, expressam voluntatem contrahentium esse vt solutio fiat in bono auro, & iusto pondere, expressio enim eorum quae tacitè insunt in contractibus nihil operatur, *l. 3. ff. de legat. 1. Socin. Sen. lib.*

9 *2. cons. 250. num 5. Vers. Secundo, Rimin. Iun. lib. 3. cons. 270. num 20. Honded. lib. 2. cons. 62 num 29.* Expressio igitur *auri in auro* non importat aliquam speciem vnius monetae, potius quam alterius, dummodo sit bona, & iusti ponderis; & id firmatur etiam ex diuerso modo loquendi, nam in prima inuestitura sic loquitur *Auri in auro*, & in secunda solum dicitur *Auri*; & loquendo de alio speciali canone soluendo à Petro de Rauazonibus mentionem facit de libris 11-15. quae sunt vnum Scutum cum dimidio, & sold. 2. Quod insinuat, contrahentes potius respexisse ad certum numerum librarum, inuariabilem, quam ad metallum variabile in valore extrinseco. Itaq; Scuta erunt in obligatione, at aiunt, & librae in solutione.

10 Secundò, ipsum nomen *Canonis* expressum in eodem Instrumento, de quo in iure pensionem indicante quotannis soluendam, *l. fin. C. de iure emphit. cap. Ea enim 2. §. Perpetua, Vers. qui rem, 10 q. 1. cap. propter 3. §. Verum, cap. Patuit. 4. de Locato*, hoc idem importat, nempe annuam solutionem debere esse inuariabilem, & regularem. atq; tot librarum, quot in prima solutione exbursatae fuerunt, Canon enim dicitur regula *cap. 1. dist. 3.* quae cum dirigat actiones humanas non variat, nec aliorsum diuertit, sed regulariter se habet; vnde cum pensio Emphiteusis eodem modo appelletur *Canon* inuariabilem importat solutionem, alias si variat, Canon dicendus non est, sed irregularis, & iniusta, dum non commensuratur primae solutioni regulatae per Iustitiam aestimationis Praediorum in ratione quinarij pro quolibet centenario.

Tertiò, pensio variabilis, siue per defectum, siue per excessum, remanente eodem contractu in suo statu, arguit Iniustitiam, quandocunq; est taxata, ac proinde facta inuariabilis, & indiuisibilis, quia desflectit à Iustitia, & aequalitate semel iustè constituta; sed Canon in Emphiteusi taxatus, vt in casu nostro factus est inuariabilis, & indiuisibilis, per valorem certum, qui currebat tempore celebrationis Contractus, qui valor tunc iudicatus fuit legitimus, & iustus ex illa estimatione, quae reddit quinq; pro quolibet centenario, ergo debet remanere talis, qualis ab initio fuit, aliter variatus siue per defectum, siue per excessum est iniquus, & iniustus, cum ergo ex vtroq; capite, tam decrementi, quam incrementi vitietur eius Iustitia, augendus non est ad fauorem creditoris, sicut nec minuendus. *Crauetta cons. 47 fine Menoch cons. 138. num 12. Sacca lib. 1. cons. 100. num. 11.* 11

Quartò, res quaelibet domino suo stat, aut cadit, *Roman. 14. 4. relatum cap. Nullum 10. 30 q. 5.* & eidem proinde crescit, aut decrescit, fructificat, & desfructificat, eiusq; periculo, & commodo est, *l. illud ff. de periculo, & commod. rei vend. Megal. 2. 2. lib. 2. cap. 7 num. 109. Vers. Si verò. Molin. tract. 2. de Iust. disp. 377. Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 12.* Certum autem est, quòd pecunia parata sed nondum soluta pro Canone, est sub dominio Liuellarij, ergo eius debet esse incrementum, & decrementum, & non Emphiteuticantis, in cuius manibus solum dicitur crescere, vel decrescere post acceptionem, & non ante. 12

Quintò, iniquum est, quòd quis cum iactura aliena locupletetur, *ex Reg. 48. in 6.* iure enim naturae aequum est, neminem cum alterius detrimento, & iniuria fieri locupletiorem, *l. Iure 207. eod. cap. Suam ad nos 9. de Poenis, l. Nam hoc natura ff. de condit. indeb.* Rector autem sine dubio locupletaretur cum manifesto, & notabili detrimento liuellarij, si is teneretur eidem dare, & soluere incrementum Scuti aurei, qui creuit in proprijs manibus dantis, ita quod loco lib. 168-12. singulis annis soluendarum, prout valebant illa 24. Scuta cum dimidio, & vndecim soldis tempore initi contractus, iniustè cogeretur hodie exbursare lib. 502-16. & sic lib. 334- 4. de augmento Scuti italici, iuxta Canonem Scutorum 24. cum dimidio, & vndecim soldis statutum tunc in libris 168-12. quibus tunc valutabantur illa Scuta 24. cum dimidio, & soldis vndecim. 13

Sextò, iniquus est Contractus, & inualidus, qui continet Iniustitiam, & laesionem vltra dimidium iusti pretij, vnde rescindendus est *l. 2. C de rescind. vend.* Certum autem est, praefatum Emphiteusis Contractum

tum reddi iniquum, & continere læsionem vltra dimidium valde enormem, vt patet ex computo facto in præcedenti argumento.

15 Septimò, consuetudo habet, quod pro Prædijs emphiteuticis annua pensio non excedat fructus librarum quinq. pro quolibet centenario librarum, quibus Prædia æstimantur, vt docent *Alex in l. 1. C. Vt quæ desunt aduoc. num. 5. Cephal. cons. 85. num. 23. Surd. lib. 3. cons. 311. num. 39. Bursat. cons. 195. num. 15.* Ex ea enim æstimatione regulatur Canon soluendus in pecuniâ, in eo quod ex Prædijs æstimatis colligi possunt tot fructus percipiendi ex illis, & non plus, vel minus taxati in quinq. pro quolibet centenario, & cum respectu Canonis, qui certus esse debet in numero, & mensurà, attendatur tempus, quo facta fuit æstimatio prædiorum, & non tempus præteritum, quot fructus alias fuerint percepti, vel futurum, quot sint percipiendi, cum in futurum ignorentur, & fructus vberiores ex melioramẽtis sint quo ad excessum Liuellarij, manifestè colligitur Canonem constitui certum, & inuariabilẽ ex illa æstimatione arguente tantum quinq. pro quolibet centenario, qui quinarius reddere potest tot fructus sic taxatos in numeratà pecuniâ, & non plus, nec minus, vt pensio appellari possit canon regularis scilicet, & inuariabilis, dum fructus, & æstimatio spectantur ambo tempore præcisè celebrati Contractus.

16 Octauo, quando libræ sunt inuariabiles, & Scuta taxata ex libris, non possunt recipere augmentum, vt docet *Socin. Sen. lib. 1. cons. 6. fine, Curt. Iun. cons. 24. num. 6. & 7.* Certum autem est, ex supradictis, Scutum fuisse taxatum tempore obligationis in lib. 6-18. ergo illi standum est.

17 Nonò, in statuto Parmensi *lib. 2 fol. 90.* decretum fuit, ne melioramentum monetæ peteretur à creditoribus, ergo nec à Rectore Ecclesiæ petendum est, & in eo statuto comprehenditur etiam contractus Emphiteusis, dum ibidem excipitur solum contractus dotalis. Et licet ex vi Statuti non ligentur Ecclesiastici, ligantur tamen ex vi Iuris naturalis super quo fundatur dictum Statutum, ergo ex hoc capite ligatur dictus Rector, vt nullum petat monetarum augumentum, qui debet esse contentus Canone taxato, & inuariabili quod autem ecclesia-
18 stici teneantur legibus, & statutis laicalibus in materia contractuum docent communiter omnes apud *Castropal. de legib. tract. 3. disp. 1. p. 24. §. 6. initio.*

Decimò, Scutum auri in auro est mone- 19
ta imaginaria, quæ licet sit in obligatione, non tamen potest esse in solutione, cum non reperiatur, necesse est ergo quod sit æstimata tempore Contractus, vnde nec crescit, nec decrescit, cum semper sit eadem, *Surd. cons. 335. num. 12. Menoc. cons. 49. num. 13. Ladereh. in consil. Vn. pro Duce Mutinæ num. 92. Vers. quinto non procedit, apud Ciarlin. cap. 9. num. 78.* cum ergo talis moneta, vt in casu nostro, sit inuariabilis, vt probatum fuit, soluenda est in tot libris, in quot primò æstimata fuit tempore initi Contractus emphiteutici.

Hanc sententiam ad fauorem Liuelario- 20
rum docuerunt *ex Bart. in l. Paulus 99. ff. de solut. num. 3. Natta cons. 454. num. 1. Cephal. cons. 31. num. 2. Cencius de censib. par. 2. cap. 2. q. 4. art. 4. num. 12. & 13. cum alijs*, quos contra secit at Ciarlin. *cap. 137. initio*, in Contractu Emphiteusis.

Confirmatur, quia in mutui restitutione 21
sufficit redditio eiusdem Monetæ auri, sed in pauciori numero, si auctus sit eius valor, secundum *Molinam disp. 312. §. Secunda conclusio, Salas, & cum eis de Lugo disput. 25. de Iust. num. 126. Megal. 2. 2. lib. 2. cap. 7. num. 109. Vers. Si vero.* ergo idem dicendum est in solutione Emphiteusis.

Dices Rota Romana, vt testatur Beltra- 22
minus ad *decis. 42. Ludouisij*, & ex eo cum alijs *Paulus Rubeus ad par. 9. decis. 67.* in mutatione extrinseca monetæ semper seruauit tempus *solutionis*, in mutatione verò intrinseca, tempus *obligationis*, multis ibidem citatis decisionibus, quæ expresè dicunt in solutione attendi valorem, quem moneta habet tempore *solutionis*, non tempore *obligationis*, ergo auctus valor pertinere debet creditori Emphiteusis.

R. supradictam doctrinam, & praxim 23
Rotæ habere locum in illis Contractibus, in quibus valor monetæ non fuit taxatus, vt in casu nostro, in quo cum valor fuerit taxatus, auctio pecuniarum est debitoris, vt sepius supra probatum fuit, nam æstimatio, & taxatio pecuniæ in specie promissæ modificat valorem Scuti aurei, & cuiuscunq. alterius monetæ in specie promissæ, *ex Bart. cit l. 99. num. 10. Castrensis ibidem, in fine, Socin. Sen. lib. 1. cons. 6 fine, Curt. Iun. cons. 24. num. 5. Crauetta cons. 836. Menoch lib. 1. cons. 49. num. 12. Fagnanus ad cap. Olim, de censib. num. 24. par. 5.* expresse *Rotæ par. 2. decis. 149.*

CONSI-

CONSILIVM LIII.

Quomodo dos Matris distribuenda sit inter filios diuersorum maritorum?

1 D. Paulus, & D. Octauia iugales de Lulijs procrearunt Iacobum Antonium, & Paulum, decessit Paulus relicto post se filio dicto Iacobo Antonio; Octauia superstes primo marito defuncto nupsit Mercurio Vezzano, qui ex ea genuit tres filios, Lucam Doctorem, Paulum, & Ioseph fratres. Obijt Mercurius, & dicta Octauia tertiò nupsit Equiti Alexandro Rabaleæ, qui ex ea genuit tres filias Margaritam, Constantiam, & Catarinam, præmortuas matri.

2 Dicta Octauia obijt, & post eam eius tertius maritus Alexander prædictus, modo D. Paulus cum suis fratribus in primo matrimonio, & alter Paulus de Vezzanis filius dicti Doctoris Lucæ petunt restitutionem dotis dictæ Octauiæ eorum Matris ascendentis ad summam lib. 12000. datam dicto Rabaleæ, vna cum augmentis monetarum, & fructibus eiusdem dotis à die celebrationis Instrumenti dotalis vsq; ad presentem diem.

3 Quæritur, an, & quomodo dicta dos cum annexis restituenda sit, ab hæredibus D. Rabaleæ dictis fratribus de Lulijs, & Paulo de Vezzanis? Pro resolutione præmitto Statutum Parmense registratum lib. 2. fol. 83. sub tit. De dote per maritum lucranda, vxore præmoriente. Eius tenoris, qui sequitur.

Si aliquis Ciuitatis, vel districtus, seu Episcopatus Parmæ acceptit, vel acceperit aliquam dominam in vxorem, & ipsam præmori contingerit iam in domo viri transductam, vel quæ virum duxerit, maritus lucretur dotem ipsius vxoris datam, vel promissam; & si contingat eam decedere infra annum sine filijs, lucretur tantum dimidium dotis, elapso verò anno lucretur integram dotem.

Sed si dictus maritus ex ea haberet filios, vel filias, vnum, vel plures, dicta dos ad eos pertineat; saluo quòd si ex prædictâ dominâ, seu vxore essens alij filij, vnus, vel plures ex altero Matrimonio, seu alijs Matrimonijs, tunc illi tales filij, seu filiæ in legitimâ dictæ dotis tantùm succedant ipsi earum matri, in qua legitimâ diuidenda non veniant, nec computentur filij vltimi Matrimonij; & tota alia pars pertineat vltimo Marito, & eius hæredibus, si ex dicta dominâ, seu vxore eius dicti vltimi Mariti non essent filij, vel filiæ; & si essent filij, vel filia ex dicto vltimo Marito, & ex dicta domina, seu vxore eius, dicta tota alia pars ad eos pertineat, vt superius dictum est; & in omnibus casibus supradictis Maritus non possit molestari de prædicta dote, tempore vitæ suæ.

Hoc Statutum diuiditur in quinq; partes.

Prima, quòd Maritus post introductam vxorem in dommum suam, vel ea ipsum duxerit, hoc est, consumato Matrimonio lucratur dotem datam, vel promissam, moriente autem vxore infra annum sine Filijs lucratur Maritus dimidium, & elapso anno lucratur totam, & integram dotem, moriente vxore sine filijs, immo etiam genitis, sed mortuis ante matrem mori enim sine filijs idem est, ac mori illis genitis præmorientibus matri, *Decius cons. 227. col. 2. Alex lib. 7. cons. 101. num. 11. fine, cum alijs Barb. Claus. 171. num. 2.* Et intelligitur tam de fœminis, quam de masculis, *Puteus lib. 3. dec. 215. num. 2.*

Secunda pars, si verò ex ea habet filios ad illos tota dos pertinet, quod intelligitur in casu quo vnicum sit Matrimonium respectu vxoris, si enim vxor mortuo Marito transit ad secunda vota, tunc seruatur dictum sequentis partis, ex illa particula; *Saluo, &c.* quæ modificat præcedentia ad tenorem subsequentium, *Barb. claus. 139. num. 2. Ciarlin. cap. 137. num. 47. Rota par. 4. tom. 2. decis. 438. num. 14.*

Tertia ergo pars est, quòd si habet filios ex sequentibus Matrimonijs, tunc filijs prędicti primi Matrimonij, & sequentium exclusis filijs vltimi Matrimonij, inter se diuidunt legitimam maternam, quæ dicitur esse tertia pars dotis. Et id est satis clarum, vt alia declaratione non egeat.

Quarta pars, tota alia pars dotis, detracta legitimâ pro omnibus filijs aliorum Matrimoniorum præcedentibus vltimum Matrimonium, pertinet ad vltimum Maritum, & ad eius hæredes. Intellige autem nomine *hæredum*, non solum filios si habet ex ea vxore, sed etiam ab alia vxore præcedente, vel sequente eam mortuam, immo omnes hæredes tam sanguinis, quam extraneos, cum in Statuto non apponatur nomen proprium alicuius hæredis, sed simpliciter dicatur. *Et eius hæredibus*, ex allatis à *Barb. Apellat. 113. num. 3. & 5.*

Quinta pars firmat quartam, quod scili-

cet

eet residuum dotis, detracta legitima prædictorum filiorum non vltimorum, pertineat ad vltimum, Maritum, siue habeat ex eadem vxore filios, siue non, ita quod filijs non vltimis nihil omnino debetur ex hoc dotis residuo, vt probatur ex illis verbis: *Dicta tota alia pars ad eos pertineat*, Idest ad Maritum, & hæredes, nam dictio *eos* restringit subsequentia ad nominata *Ruin. vol. 1. cons 99 num. 16. Corneus vol. 1. cons. 9. num. 6 fine, cum alijs à Pasqual. ad Francum cit. num. 1569.* & quidem ad proximè expressos, *Seraphin. decis. 689. num. 1.* maximè cum agatur de interesse proximi; præterquam quòd alijs filijs legitima assignatur superius; & vlterius residuum hoc non esset totum vltimi mariti, & eius hæredum, si alij filij in eo participarent residuo.

Dices, hoc statutum quò ad hanc postremam partem aduersari Iuri commun: *l. Fæminæ 3. l. Generaliter 5. l Vxore mortua, quæ est Authent. l. Hac edictali 6. C. de secundis nupt.* in quibus præscribitur, quòd dos reseruanda est filijs, ergo statutum hoc non potuit aliter disponere, quòd dos nec ex parte pertineat ad virum, & eius hæredes, maximè dum caret filijs eiusdem vxoris, ex qua nullum suscepit.

℞. Dictum statutum potuisse derogare iurib. citatis non solùm expressè, sed etiam tacitè, ex allatis à Gratiano *cap. 300. num. 8.* statutum enim hoc fauorabile est, vt Viduæ inuenire possint virum, vt ibidem dicit *concl. 1. & 4. alij citatis*, immo & tollere legitimam primis filijs, *num. 12.*

CONSI-

CONSILIVM LIV.

De Translatione Beneficij ab vna Ecclesià ad aliam.

1 IN Ciuitate, vt aiunt, Buxeti extat Ecclesia S. Antonij Abbatis non Parochialis, in qua est Beneficium simplex erectum sub titulo eiusdem Sancti, sub nomine Prioratus, quod est de Iurepatronatus Serenissimi Ducis nostri Parmæ, quæ Ecclesia olim ab Emin. Cardinali Crescentio illius Priore concessa fuit Reuer. Patribus Societatis Iesu, ad vsum sui Collegij ibidem siti, cum careant propria Ecclesià, & subsequenter post illius mortem eadem Ecclesia in vsum eisdem continuata fuit ab admodum R.D. de Liberatis moderno Priore nunc viuente, & Patres societatis in recognitionem talis concessionis, & vsus Ecclesiæ se obligarunt subire onera nonnullarum missarum, & anniuersariorum respectu vtriusq; Prioris, & vsq. modo satisfaciunt existentes in actuali vsu dictæ Ecclesiæ.

2 Patres autem præfati indigentes fundo dictæ Ecclesiæ pro ampliori & necessarià constructione sui Collegij, & propriæ Ecclesiæ, petunt ab Illustrissimo, & Reuerendissimi D.D. Episcopo Burgensi dictum Beneficium transferri à dictà Ecclesia S. Antonij ad Ecclesiam N. secularem, & ipsos immitti in possessionem dictæ Ecclesiæ S. Antonij post translationem præfati Beneficij. His positis.

3 Quæritur *Primò*, an Episconus huiusmodi translationem facere possit? *Secundò*, quorumnam consensus quærendus sit? *Tertiò*, an Simonia sit, si Patres Societatis se obligent ad prosequendas celebrationes Missarum, & Anniuersariorum vsq. ad mortem Prioris præstantis suum consensum in translatione dicti Beneficij?

4 ℟. ad primum, Episcopum posse facere dictam Translationem, & subsequenter Ecclesiam donare Collegio, stante necessitate ædificandi propriam Ecclesiam, & ampliandi Collegium.

5 Primum constat ex *cap. 7. sess. 21. Cum illud quoq; valdè curandum sit, &c. Episcopi etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegati, transferre possint Beneficia simplicia, etiam Iurispatronatus ex Ecclesijs, quæ vetustate, vel aliàs collapsæ sint, & ob eorum inopiam nequeant instaurari; vocatis ijs, quorum interest, in matrices, aut alias Ecclesias locorum eorundem; &c.* Hæc autem potestas per Tridentinum non restringitur hic ad causam collapsionis, quia per hunc textum non corrigitur ius antiquum relatum cap. Episcopus 37. 7. q. 1. his verbis. *Inferioris verò gradus Sacerdos, vel alij Clerici con-* 6
cessione suorum Episcoporum possunt ad alias Ecclesias trasmigrare. Quibus in Episcopis supponitur potestas transferendi Clericos cum suis Beneficijs ab vna ad aliam Ecclesiam, nullà factà restrictione causæ, propter quam mouetur Episcopus ad transferendum vnde quælibet causa iusta, & grauis sufficit ad huiusmodi Translationem, vt docet *Ol-*
drad. consil. 260 Fagnan. ex eo part. 5. in 7
cap. Ad audientiam in primo num. 58. vbi, quòd Episcopus titulum vnius Ecclesiæ transfert in aliam ex magnà causà, qualis est presens erigendi propriam Ecclesiam & ampliandi Collegium. Per Tridentinum ergo non restringitur facultas Episcopis ex ad-
ductis, dum non corrigitur Ius antiquum, 8
immo solidatur, & augetur ex illa dictione *Etiam*, quæ de sui naturà est implicatiua, & exprimit casum magis dubitabilem, & implicat minus dubitabilem, *ex Iuribus, & Doctoribus allegatis à Barb. hac dict. III. num* 1. Quare casus collapsionis Ecclesiæ potius stat in exemplum, quàm in taxatio-
nem, & ideo non restringit Episcopi Iuris- 9
dictionem antiquam. *l. Damni infecti ff. de damn. infect. l. Penult. §. fin. ff. de iuris, & facti ignor. Molina de primog lib. 2. cap. 8. num. 4. Tusch. lit. E. concl. 547. Barb. Axiom. 86. num. 2.*

Secundum, quòd Episcopus eam Ecele- 10
siam Iurepatronatus denudatam possit concedere Collegio Societatis patet ad formam *cap. Cum nos 3. de ijs, quæ fiunt à prælat. Glos. V. concessionis cap sicut nobis 2. de supplenda neglig. Prælator. per cap. Pastoralis 7. de donat.* Clarius *Clem. 2. de reb. eccl. non alien.* latè *Sanchez lib. 7. cap. 29. num.* 148. Quare de hac re nullatenus dubitandum est cum habeantur textus clari infra citandi *num.* 23.

℟. ad secundum, in hac Translatione 11
necessarium esse consensum Patroni, Prioris præsentis, & Rectoris illius Ecclesiæ, in quam transferendus est titulus Iurispatronatus S. Antonij, vt expressè colligitur ex citato cap. Tridentini, ibi: *Vocatis ijs, quibus interest.* Cuius ea est efficacia, vt actum, non vocatis vocandis, nullius sit efficaciæ, *ex allegatis à Theodosio Rubeo Clauf. hac*

834. *num.* 1. *Barb Clauf.* 185. *num.* 12. & 13.

12 Quid si aliquis illorum interesse habentium nolit comparere & consentire in translationem? Dico cogendum esse ab Episcopo ad comparendum, & consentiendum, vt docet *Glos. V. Gradus cit. cap. Episcopus* 37. 7. q. 1. Nam etiam Episcopi inuiti ex causa transferuntur, ex communiori opinione,

13 secundum *Romanum cons.* 345. *num.* 3. *Paris. de Resig. Benef. lib.* 3. q. 18. *num* 14. *ex illis Barbos. lib.* 1. *de iure Eccl. cap.* 19. *num.* 34. A fortiori Clericus. Immò sicut Episcopus, cum consensu Capituli sui potest venire vnam Ecclesiam alteri, vel loco religioso donare, etiam non vocato Rectore, vel illius Ecclesiæ defensore, quando vnio seu donatio in nullo Rectori præiudicat, *ex Clem.* 2. *cit. de Rebus Eccles. non alien.* à for-

14 tiori id facere potest Episcopus Rectore isto nolente consentire in huiusmodi Translationem, cum Translatio sit minor actus actibus vnionis, & donationis. Poterit ergo Episcopus, eo citato, & non comparente, vel contradicente, procedere ad Translationem Tituli, & ad donationem Ecclesiæ exticulatæ in hoc tamen cum consensu sui Capituli. Manifestum autem est, per hanc Translationem nullum inferri præiudicium Priori, vt patet ex narratiuâ facti, prosequitur enim lucrari fructus sui Beneficij sine vllo prorsus onere, & præterea nouum Altare pretiosius, & splendidius recipiet, quam sit vetus constructum more illorum temporum.

15 R. ad 3. nullum nec colorem Simoniæ apparere in hoc casu. Prior consentit in Translationem, & Patres Societatis antiquam obligationem celebrandi prosequi se velle declarant vsque dum viuet ipse Prior, quod & in scriptis redigendum est, sicut & erectionis noui Altaris in alia Ecclesia obligatio, in hoc enim contractu nullam reperio speciem Simoniæ, vt colligitur ex definitione Simoniæ, quæ à *D. Thoma ab om-*

16 *nibus recept.* 2. 2. q. 100 *art.* 1. definitur *studiosa voluntas emendi, vel vendendi rem spiritualem, aut spirituali annexam.* committitur ergo dando temporale pro spirituali sed in casu nostro non venit huiusmodi permixtio, ergo nec Simonia.

17 Nam præstatio consensus ex parte Prioris, & obligatio celebrandi ex parte Societatis nullam inducit Simoniam in materiâ beneficiali, nam hic Simonia locum habere non potest, nisi in ordine ad Beneficium, de quo hic tantùm agitur, siquidem Simonia ex parte Beneficij, contrahitur tantum ratione actuum, qui referuntur ad adeptionem Beneficij, vt sunt præsentatio, collatio, resignatio, & renuntiatio, hi enim actus dant esse Beneficio, Priores quidem duo immediatè, posteriores ablatione vnius ad collationem alterius, transeunt enim Beneficia ab vno ad aliud Clericum; actus ergo isti sunt causæ dantes esse Beneficio in hoc vel illo Clerico, qui præter modum inducunt Simoniam in Beneficijs, *ex cap.* 4. & *fin. de pactis, cap. De iure* 16. *cap. Præterea* 23. *de Iurepatr. cap. Tua nos* 34. *de Simon. cap. Vn. vt Eccles.* Sed in casu nostro nullus interuenit ex illis actibus, qui possint dare esse Beneficio, vt palam est, ergo nulla inducitur Simonia per hunc contractum, qui solum refertur ad Translationem, non ad dandum esse Beneficio.

Præterea, non committitur Simonia vbi temporale cum temporali commiscetur vt constat ex definitione allatâ; sed consensus in Translationem huiusmodi ex parte Prioris non est Spiritualis, sed tantum Temporalis, cum non ordinetur ad aquisitionem Beneficij, sed ad mutationem loci in locum, quod non dicit spiritualitatem aliquam in causâ Beneficiorum; pariter obligatio ex parte Societatis est de sequ d temporale, cum sit pretio æstimabilis, & respiciat ipsam Translationem temporalem, ergo non inducit Simoniam. 18

Deinde, non committitur Simonia in causâ Beneficiali, quoties vnum non est causa alterius in mutuâ datione, vt docet *Anton. Butrius in cap. Tua nos, de Simon. num* 3. exemplificando in annata, quæ soluitur Cameræ Apostolicæ, non pro collatione Beneficij, sed ratione fructuum, qui sunt causa huius solutionis, non collationis Beneficij, quam doctrinam approbat *Fagnan par.* 6. *ad cap. Præterea, Ne Prælati vices. num.* 97. Sed in casu nostro, mutua datio consensus, & obligationis celebrandi missas non est causa collationis Beneficij, vt notum est, ergo ex his non committitur Simonia. 19

Insuper, vt annexum Beneficio sit materia Simoniæ necesse est quòd illi inseparabiliter sit connexum, & permixtum, vt patet in ipso met Iurepatronatu, quod ius ita Beneficio coniunctum est, vt ab eo sit inseparabile, *Doct. in cap. Quæsitum de rer permut. ibidem Butrius num* 7. *Host. num.* 4. *cum alijs Pasqual q* 377. *num* 3. Sed translatio huiusmodi non est coniuncta inseparabiliter huic Beneficio, nec alijs, cum illis accidat, vt notum est, ergo ex ea argui non potest Simonia. 20

Vlterius, præfatus contractus inter Priorem, qui concessit vsum Ecclesiæ Patribus Societatis, & eosdem, qui se obligarunt pro eo celebrare, est antiquus, primò initus cum Cardinali viro doctissimo, & post eius mortem continuatus cum præsenti Priore sine vllo scrupulo Simoniæ, ergo neq. deinceps oportet quærere occasionem scrupulorum, cum vani sint in hac causâ. 21

Demùm

22 Demùm valde probabilior est sententia eorum, qui asserunt Titulum gratitudinis excusare à Simoniâ, vnde Patres Societatis se in hoc declarantes in Instrumento, tollunt omnem suspicionem, ita Zipæus *lib. 5. Anal. iuris noui tit. de Simon. num. 3. Vers. conicct. Compend. Bullarij noui ad Bullam 61. Clem. VIII. Valent. tom. 3. disp. 6. q. 16. p. 3. quæstiuncula 4. Vers. Secunda circunstantia. Paulus par. 3. tract. fin. par. 4. num. 2. quos citat. Pasqual. q. 376. num. 8. Couar. lib. 1. Var. cap. 20. num. 4. ex nostris Calestinus in compend. Theolog. Moral. tract. 7. cap. 4. num. 3. Gbilinus V. Beneficium num. 7.*

23 Seren. Parmæ Dux noster de iure potest donare proprietatem Ecclesiæ S. Antonij Abbatis sui Iurispatronatus simplicis existentis in ciuitate Buxeti Patribus Societatis Iesu accedente consensu Diœcesani, & Rectoris Benefi. ijs, vt Iuribus claris, & solidis rationibus probauit Reuer. D. meus Carolus Cæsarinus, Vicarius Generalis Parmæ. Reliquum est, vt & ego pauca addam respondendo in contrarium adductis à parte aduersâ, quæ sequentem statuit Conclusionem.

24 Dicendo, Patronum merum Ius patronatus in Ecclesia habentem, eamq. de facto non detinentem, seu iniustè occupantem nullo modo posse concedere Ecclesiam patronatam loco religioso etiam cum consensu Episcopi.

25 Probat ex illo axiomate: Nemo dat quod non habet. Mult s illud exornat, potissimum per Reg. 79. in 6. Nemo potest plus iuris in alium transferre, quam sibi competere d gnoscatur. Sed patronus nullum aliud ius habet nisi nominandi Rectorem, recipiendi honores, & alimenta, ergo nihil concedere potest, cum nihil habeat. Subdens, hanc doctrinam in terminis approbare Lambertinum lib. 1. art. 9. q. pr. m. 2. partis, fol. 111. Vers. *Quartus est casus. quando aliquis laicus est tantum Patronus, & non detinet Ecclesiam de facto, & constat apertè nolle donare Iuspatronatum, quod habet in eâ, sed ipsam Ecclesiam donat etiam cum consensu Episcopi. Et hic casus non tangitur per Doctores, sed decideremeum non valere ipsam donationem, facere ex quo donat, quod non habet.*

26 ℞. Primò, illius conclusionem non facere ad rem, non enim resoluit casum nostrum, sed alium à nostro diuersum, quæstio enim est de Patrono vero, & reali habente, & iustè possidente Iuspatronatum, iuxta cap. Pastoralis 7. de donat ex illis verbis: *Profectò Patronus, quod suum est, conferre videtur, ius scilicet patronatus* Et quod à Patrono iuspatronatus possideatur dicitur Clarè cap. Examinata 15. de iudic. ibi. *Tu iuspatronatus ipsius ecclesiæ possidebas.* In hac quæstione sermo est de Patronis veris, non fictis, nec chimericis, de quibus tantùm loquitur Aduersarius.

℞. Secundò, illud axioma in hac causâ licet non faciat ad propositum, nihilominus venit explicandum, quod quis nihil habens, tamen dat quod non habet, auctoritate legis, nam Iudex per sententiam transfert in alium dominium, quòd non habet, *l. 2. ff. Si noxal. caus.* agat inquit Thomasef. *Reg. 191.* Vnde vt quis dare possit, sufficit si aliquâ ratione, siue virtualiter, siue causaliter, seu ex officio, esto rem in actu non habeat, & formaliter, *Nauar. cons.* 10. de maior. num. 4. Ergo noster Patronus esto non detineret, seu iniustè occuparet Iuspatronatum, quod omninò falsum est, adduc donare posset, quod non habet, dum id illi conceditur auctoritate tot Canonum allegatorum à Reuer. D. meo Vicario. Illa Reg. 79. facit pro nobis, quia Patronus confert, & donat proprietatem sui Iuris patronatus transferendo Ecclesiam patronalem quò ad fundum, & ædificium in Patres Iesuitas. 27

℞. Tertiò, falsum esse, Patronum aliud ius non habere nisi nominandi Rectorem, recipiendi honores, & alimenta, cum ex tot canonibus habeat ius non solum transferendi illud ad suos hæredes, *Cap. considerandum 35. 16. q. 7.* sed etiam donandi illud loco præsertim religioso, vt expressè habetur *in cap. Consultationis 4. de donat. cap. quod autem 5. cap. illud 8. cap. cum laici 10. cap. Nullus 17. cap. Suggestum 20. & alibi, de Iurepatr.* Immo Episcopus nec donat nec concedit Ecclesiam patronalem, sine consensu ipsius Patroni, *cap. Pastoralis 7. de donat. cap. Suggestum 20. de Iurepatr.* euidens argumentum, quòd dominium habet in suo iurepatronatu quò ad proprietatem fundi, & erectionis, & sic ea donare potest ad formam sacrorum Canonum, scilicet, de consensu, & Rectoris loco religioso. 28

℞. Quartò, casus Lambertini, in quo fundatur Aduersarius in suis terminis implicat, nam ponit Iuspatronatum in laico, & illud ab eodem dest u t, per illa verba *Et non detinet Ecclesiam de facto*, cum tamen de ratione Patronatus sit, vt ab eo possideatur, & detineatur, *ex cap. Examinata cit. in Reg. 1.* cum sit patroni *ex cap. Pastoralis ibidem cit.* ergo est Patronus, & non Patronus. Vlterius Aduersarius adiungit illa verba: *Seu iniustè occupantem*, quæ Lambert. non expressit in suo casu, quæ magis contradictionem indicant, nam occupare est detinere, vt colligitur ex Instit. *de diuis. rerum §. Fere §. G*allinarum, vbi habetur *detinet*, pro verbo *occupat.* 29

P 2 eum

cum ergo hæc duo verba *detinet*, & *occupat*. idem significent, manifesta patet contradictio.

Confirmat primò suam conclusionem, quia locus profanatus non potest alienari, ergo multò minus Iuspatronatus spirituale, & non profanatum. *Riccius par. 2. decis. 54.*

31 ℞. Antecedens esse intelligendum de alienatione in vsus profanos, vnde ligna Ecclesiæ dirutæ donari possunt loco Religioso, ex cap. *Ligna* 38. de consecr. Eccles. dist. 1. quem textum producit pro se Riccius, qui proinde intelligitur de alienatione in profanos vsus; Ecclesia autem S. Antonij donatur loco religioso, ad eum finem, qui exprimitur in cap. *Sine exceptione*, 52. 12. q. 2. *Nisi forte aliquid bonorum faciat, vt meliora prospiciat* Nulli dubium est, quod Patres Iesuitæ eam Ecclesiolam ad meliorem Statum reducent. Quare argumentum nihil concludit; præterquam quod Patronus à iure habet facultatem Ecclesiam patronalem donandi, vt patet ex allegatis textibus supra.

Confirmat 2. quia si Ecclesiam materialem liceret Patrono alienare, eodem modo ei permitteretur alienatio Prædiorum, cum in hoc nulla possit assignari differentia; quinimo cum multò minus sit permissa Ecclesiæ materialis alienatio, quam eius immobilium, vt ait *Ventrigl. Annot. 1. §. 2. num. 25.* Ergo multò minus licebit primum. Anchar. ab eo citatus *in Clem. 2. de reb. Eccles. non alien.*

32 ℞. Vtrumq; alienari posse scilicet donari loco Religioso fundus Ecclesiæ, & dotis, accedente consensu, Episcopi, & Rectoris, vt ex Lambertino *lib. 1. par. 2. q. 6. princ. art. 1. & Maresc. lib. 1. Var cap. 29 num. 16.* Immo donari, & legari etiam sine consensu Episcopi, *ex eisdem Lambert. cit. art. 8. Maresc. resol. num. 7.* docet Ventrigl. ab Aduers. citatus in eadem *Annot. 1. §. 2. num. 26* quem noluit legere. A fortiori in casu nostro potuit Patronus donare fundum cum ædificio Ecclesiæ, relicto fundo dotationis in suo statu, vt antea erat.

Confirmat 3. per Clem. Quia contingit, de relig. domib. ibi: *Quæ ad certum vsum destinata Fidelium, ad alium vsum non debent conuerti, saluâ semper auctoritate Apostolicâ* Per quæ probatur ad solum Pontificem spectare mutationem status Ecclesiæ; quòd si status Ecclesiæ mutari non potest, multò minus in totum donari.

33 ℞. Pontifex eo loco prouidet ne bona Hospitalium relicta pro sustentatione pauperum conuertantur in vsus alios, quàm à Fundatoribus instituta fuerunt, & vsurpatores bonorum, qui ea conuerterunt in suos vsus, compellantur ad restitutionem. Ex quibus patet nihil contra nostrum Patronum, qui nihil ex bonis dotalibus huius Ecclesiæ sibi vsurpauit, qui solum intendit facere, quod de iure potest, nimirum donare Ecclesiam loco religioso, vt magnificentius amplietur, intacto dotali fundo relicto Rectori.

Demum concludit, Episcopum non posse consentire. Tum quia est nulla donatio defectu dominij, cum Patronus non sit dominus Ecclesiæ. Tum quia obstat *Extrauag. Ambitiosæ*. Tum quia in hac donatione nulla extat ex causis pro alienatione facienda.

℞. Omnino falsum esse, Episcopum non posse consentire in huiusmodi donationem à Patrono factam, *cap. Consultationibus* 4. *de donat. cap. Quod autem* 5 *cap. Illud* 8 *cap. cum laici* 10. *cap. Cura* 11. *cap. Nullus* 17. *cap. Suggestum* 20 *& alibi*, de Iurepatron. in quibus locis dicitur Patronum donare posse loco religioso de consensu, & auctoritate Episcopi. 34

Ad eius primã rationẽ, quòd donatio nulla est defectu dominij. Dico, Patronum habere dominium in suo fundo ædificij, & dotis, dum enim vtram; fundauit & erexit super eo Ecclesiam de licentia Episcopi, non ideo a se abdicauit dominium illud temporale, quod habebat, sed retinuit, vnde, & appellatur Patronus, quod arguit dominium, quia Patronus dicitur à dominio *l. 1. ff. si a parente*, sicut pater est patronus rerum suarum & Patronus dicitur, qui seruum libertate donauit, vt omnes dicunt. Ita Patronus dominium habet proprietatis, suæ Ecclesiæ. 35

Et quòd Patronus habeat dominium colligitur quoq; ex eo quòd potest transferre Iuspatronatus materiale quatuor modis, de quibus *Glos. in cap. Piæ mentis 16. q. 7.* Vnde & dominus vocatur in *cap. Suggestum 20. eod.* his extremis verbis: *Quæ consensu Domini fundi, & Episcopi auctoritate fulcitur.* Præterea potest donare fundum ex certis Iuribus, ergo dominium illius habet, donatio enim arguit dominium, & dominium rei donatæ, cum transferat dominium in donatarium, *l in ædibus 4. §. Donari ff. de donat. l. Si auia 19. C. de donat.* facit *cap. 1. de donat. Sit Procurator, non dominus*, vbi Prælatus appellatus Procurator, non dominus debet conditionem Ecclesiæ facere meliorem, non deteriorem, & sicut Procurator dominium non habet, cum rem alienam tractet, ita è contra dominus propriam tractat dominium illius habens, vnde *in cap. illud. cit.* Patronus dicitur habere liberam facultatem concedendi Ecclesiam loco religioso certum argumentum, quòd illius dominium habet in re materiali & temporali illius loci. 36

Ad

37 Ad secundam rationem ex Extrauag. *Ambitiosæ*, dico non habere locum in Iurepatronatus laicali, *Bonac. in Tract. var. disp. 2. de Alien. q. vn. p. 2. num. 15. vbi citat. Riccium dec. 47. & 95. Castropal par. 2. de Reuer. disp. vn. p. 15 §. 5. num. 2. Treuis. par. 2. decis. 56. Riccius in praxi decis. 38. in edit. 1. & dec. 35. in 2. edit. apud Barb. Alleg 95. num. 56.* Vbi, quòd non requiritur assensus Apostolicus, in alienatione ab vna ad aliam Ecclesiam, quia textus *Ambitiosæ* apertè loquitur quando fit concessio ad profanos vsus, ibi: *Profanis vsibus applicare, aut cum maximo illorum, aut diuini cultus detrimento exquisitis medijs vsurpare præsumunt.* Nihil horum apparet in casu nostro, siquidem donatio non fit ad profanum vsum, nec in detrimentum diuini cultus, dum eadem Ecclesia seruit loco religioso, & ibidem magis augendus est cultus diuinus.

Addo, quòd Extrauag. prohibet alienationem non laicis, sed ecclesiasticis Episcopis Prelatis, Rectoribus, & alijs alienantibus, in casu autem nostro solus laicus donat, qui ex illis non est, de quibus loquitur Extrauagans.

Aduersarius respondet ad allegationes iuris allatas in hac causa ab eodem Reuer. Vicario Generali Parm. quas doctissimè impugnauit. Addo ego sequentia.

38 Respondet ergo primò ad *cap. 29.* Concilij Maguntini relatum *in cap. Laici 37. & ad cap. 42.* Concilij Cabilonensis relatum in cap. Inuentum 38. 16. *q. 2.* in vtroq. capite sermonem esse de Beneficijs, quæ Clericis concedi, & ab eis auferri non possunt sine auctoritate Episcopi, nam nomine *Ecclesiæ* venit Beneficium *Gonz*, *& Rebuff.* & hoc insinuat *Glos. V. Item ait:* Quod nullus debet priuari Beneficio, sine culpâ suâ, ergo Episcopus potest cognoscere de crimine, vbi agitur de priuatione Beneficij.

39 Contra est, quia ibi nomen *Ecclesiæ* nequaquam sumi potest pro Beneficio, nam cum ibidem prohibeatur laicis ne dent, aut auferant Ecclesias sine auctoritate Episcopi, ad quem scilicet spectat institutio, & destitutio, si nomine *Ecclesiæ* veniret Beneficium dandum, vel auferendum per laicum, sequeretur absurdum, quòd laicus posset conferre Beneficium sine auctoritate Episcopi, immo audentes conferre excommunicantur *cap. Præterea 4. de iurepatr.* neq. enim in Ecclesijs patronatis instituere possunt Rectorem, vt ibidem prohibetur sub Excommunicatione.

40 Quod ait nomine *Ecclesiæ* venire Beneficium *ex Gom §. 4. num. 178. ex cap. 2. de concess.* Præbend. falsum est, cum vtrunq. nominetur distinctè his verbis: *Nulla Ecclesiæ ministeria, sed etiam Beneficia, vel Ecclesiæ tribuantur alicui ex cap. Cum non ignores 15. de Prebend. Vna Ecclesia vnius debeat esse Sacerdotis.* Benè aptatur Ecclesiæ, magis quam Beneficio. Vel dic accipi etiam pro Beneficio, quia id exigunt illi tituli, non autem illa duo capita, quæ referuntur ad Ecclesiam patronatam. Et licet Glos. loquatur de Beneficio, non bene infertur venire illud sub nomine *Ecclesiæ*, cum enim Patronus debeat suam Ecclesiam protegere contra Rectorem criminosum dum instat, vt Episcopus illi auferat Ecclesiam, consequenter est etiam priuandus Beneficio, quia priuatio vnius includit etiam priuationem alterius.

Respondet ad cap. *Decimus 39. 16. q. 7.* 41 illud esse intelligendum de laicis malè & iniustè detinentibus Ecclesias, & decimas, quas Episcopo consentiente possunt eas donare locis religiosis, & Monachis, referendo auctoritatem D. Hieronimi relatam *in cap. fin. 16. q. 1.*

Contra primò est, quia Vrbanus II. cu- 42 ius est ille textus nullam facit distinctionem inter laicos iustè, vel iniustè detinentes Ecclesias, ergo ipse loquitur de omnibus detinentibus. Secundò, absurdum est dicere, quod iniustè detinens potest donare, & non iustè possidens, cum non debeat iniquus detentor esse melioris conditionis, quàm iustus possessor.

Respondet *cap. Consultationibus 4. de* 43 *donat.* esse intelligendum sicut cap. *illud 8. de iurepatr.* Et nihil prosè concludit præuidens vtrunq. caput esse luce clarius sine comparatione vnius ad alterum. Nam vterq. textus clarè dicit, Patronum de consensu Episcopi posse donare Ecclesiam vacantem loco religioso, sic posterior textus, vel si non vacat, de consensu Rectoris, vt dicit prior textus *Si cap. Consultationis*, & cum verba vtriusq; capitis sint clara, non oportet recurrere ad Doctores, neq; ad Glosas, quæ & ipsæ idem dicunt.

Respondet *cap. cum laici 10. de iurepatr.* esse intelligendum de collatione Beneficiorum Episcopo nesciente factâ, ex Abbate *ibidem num. 1.*

Contra est, *primò*, quia nomine *Eccle-* 44 *siæ*, quæ à Patrono conceditur, venit ipsa Ecclesia materialis, vt etiam dicit ipse Abbas, qui nullam mentionem facit de Beneficijs in ordine ad dispositionem huius textus, sed olùm incidenter in ordine ad crimen læsæ Maiestatis. *Secundò*, in iurepatronatus tria spectari possunt, Concessio Ecclesiæ, Præsentatio Rectoris, & Collatio Beneficij. De his tribus in hoc textu agitur, de concessione, ibi: *Ecclesias Clericis concedant.* De presentatione ibi: *Alios ad easdem Episcopis repræsentant.* De collatione, ibi: *In eisdem Ecclesijs ab Episcopis instituuntur.* Et hoc postremum laicis prohibetur

betur in fine huius capitis. Itaq; cum hic
agatur de dictis rebus, falsum est, quòd so-
lum de collatione Beneficiorum tractetur.

Respondet ad illa tria *cap. Pastoralis 7.*
45 *de donat. cap. Nullus 17. cap. Suggestum 20.*
de iurepatr. se satis dixisse *in cap. Decimas,*
subdens, quòd Patronus ex Iurepatronatus
non habet potestatem concedendi Eccle-
siam, sed solùm consequitur potestatem
præsentandi Clericum Episcopo per eum
instituendum in Beneficio, vt docet Abbas
in cap. illud. num. 1.

Contra est, quia manifestè patet, in cap.
Pastoralis, & suggestum fieri mentionem
non solum de presentatione, sed etiam de
Concessione Ecclesiæ iuxta dicta in supe-
riori responso. Abbas autem in dictum cap.
Illud, nobiscum sentit *num 7.* Inquit enim:
Vnde dicerem, quòd aut quis intendit donare
Ecclesiam non vacantem loco religioso, vt
valeat ex tunc in præiudicium Rectoris, &
non valet donatio, & ita intelligitur iste
textus aut intendit concedere sine præiudicio
rectoris, & valet.

Concludendum ergo est, cum capita su-
46 perius allata à Reuerendissimo D. Vicario,
loquantur in terminis nostris, posse Sere-
nissimum Ducem donare proprietatem suæ
Ecclesiæ patronatæ Patribus Societatis Ie-
su. Illustr. & Reuer. D. Episcopum Burgen-
sem non solùm posse, verum debere pres-
tare suum consensum, & auctoritatem, cum
in contrarium nulla possit adduci ratio, per
quam probetur huiusmodi donationem esse
irrationabilem, & præiudicialem Ecclesiæ
donandæ, aut eius Rectori, cui sit grande
beneficium à dictis Patribus, cui proinde
& ipse vult consentire. De consensu Epis-
copi agitur *in cap. Illud 8. de iurepatr. vbi*
Barbosa citat Doctores num. 6. Sufficit
quoq; si præstetur post factum, vt ibidem
dicitur. Quòd si Episcopus resistat adiri
potest Archiepiscopus, *Azor. part. 2. lib. 9.*
cap 3. q 10. cum alijs à Barb. in cap. Nullus
17. de iurepatr. num. 5. & 6. Immo in hoc
casu sta donatio fieri potest sine consensu
Rectoris, *ex allatis à Barb in Clement. 2.*
de reb. eccles. non alien. Quia hæc donatio
illi in nullo præiudicat, sed valdè vtilis est,
& in nullo eius Beneficium tangitur, sed
intactum illi conseruatur, & quodam mo-
do augetur, dum exoneratur per hanc
donationem.

Placet hic subijcere simile quæsitum è Si-
cilià ad me transmissum, si non in totum,
saltem quò ad partem Translationis de vno
loco ad alium sequentis tenoris.

Vtrum Episcopus de sui tantum authori-
tate, & absque Summi Pontificis licentià
& sine requisitis Extrauagantis Ambitiosa
de rebus Ecclesiæ non alienandis possit
transferre corpus Congregationis cum red-
ditibus fundatum intra claustra regularium
de vno loco ad alium.

Respondendum puto negatiue, licet pro 47
vtràque sententià assistant infrascritæ Iuri-
um considerationes, & presertim pro affir-
mantium Opinione sit generalis illa conclu-
sio Episcopum habere omnimodam facul-
tatem in omnibus Ecclesijs sibi suæ que
subditis Iurisdictioni, cum ei omnes sub-
sint Ecclesiæ & loca Religiosa. *Oldradus*
cons. 274. in causa, quæ vertitur in princi-
pio. Lappus allegat 42. n. 3. versic. & tunc
locus.

Immò Episcopum esse Prelatum omni- 48
um locorum in suà diecæsi, dixit Idem,
Oldradus cons. 230. n. 2. versic. tertia Ra-
tio est.

Ac subsunt ei nisi probentur exempti. 49
Mascardus de Probat. cons. 587. n. 5. ex
Baldo in cap. Auditis n. 9. de rescriptis.

Et ex grandi causa posse dismembrare 50
Ecclesiam & alteri applicare notant. *Tuscus*
concl. 272. Oldradus cons. 260. quod vnio
n. 2. versic. tertia ratio.

Ac etiam ex omni causa legitima Idem 51
Oldradus cons. 257 n. 6. Fidericus de seruis
cons 224. in principio.

Hinc pro vt cum alijs firmandum erit 52
idem esse de Iure dispositum in quibuscum-
que Oratorijs & Confratrijs, quæ ad deuo-
tas actiones exercendas sint institutæ, &
ordinatæ, eoque magis si de Episcopi au-
thoritate sint erectæ, vel institutæ, cum
& hæc Oratoria, siue Confraternitates in
triplici sint constituta genere v. g. quòd
alia sint mere profana, quæ neque sint de
licentia Ordinarij erecta, vel instituta,
neque ad pias exercendas actiones, vt sunt
Congregationes Mercatorum artificum,
& similium apud *Rebbuffum ad Const. Galliæ*
in tractatu de Confrat & Artific. conuenti-
bus & Collegijs Lezana quæst. reg. eodem
tit. cap. 11. lib 2. n. 2.

Alia autem Oratoria, siuæ Confraterni- 53
tates dicuntur Ecclesiastica & pia, quia ad
deuotas exercendas actiones sunt instituta
apud eosdem locis citatis.

Alia denique, quæ à Regularibus. Alia 54
quæ ab Episcopo instituta reperiuntur ad
pia tamen opera & actiones Sanctas & de-
uotas exercendas, & religiosa dicuntur.
Cap. de Xenodochijs de religiosis domibus,
& cap. ad hæc eodem titulo.

Et currendo per contraria, quibus fun- 55
datur obiectum videndus *Barbosa de offitio*
& potestate Episcopi allegat. 75. ar. 25. 27.

Quæ tamen intelligi debent quo ad loca,
non autem personas, vt per *Compostan.*
apud Rodriquez quæst. reg. lib. 3. quæst. 21.
artic. 4. in fine.

Etenim personæ Confratrum non dicun- 56
tur religiosæ, nec fori gaudent priuilegio,

neque

neque ab Episcopo conueniuntur, nisi Confraternali nomine conueniantur. *Capicius latro decis. 105. n. 6. Barbosa de Iur. Eccl. vniuers. tit. de Hospital. & Confrat. cap. 11. num. 83. Crassus de effectibus clericatus effectu 1. num. 610. quos affert Baronius de citat. in addit ad 23. quaest. num. 35.*

57 In his ergo Oratorijs, & Confratribus confraternali nomine pro personis & loco videtur Episcopum Iurisdictionem habere, nam & dum de sui licentia sunt, & authoritate fundata, videtur in eis Iurisdictionem habere, & consequenter de eo, quod illi

58 placuerit in hoc non posse redargui; Et quod de Episcopi authoritate erecta etiam fori gaudent Priuilegio scripserunt. *Bonacina de contract. disput. 3. quaest. 8. puncto n. 21. Barbosa dicta allegat. 75. num. 31.*

59 Adeoque putandum erit in his Confratrijs & Oratorijs habere Episcopum in sua diecoesi fundatam intentionem, vt etiam expressè cautum reperiatur à regularibus ordinis Sancti Dominici, vel Clericis Societatis Iesu non posse erigi Confraternitates, nisi Episcopi Ordinarij loci preuia licentia ex decreto Sacræ Congregationis Episcoporum & Regularium de anno 1616. in vna Chiatieli 6. Decembris, & institutas Confraternitates in locis regularium exemptorum sub. ordinariorum Episcoporum loc. Iurisdictioni ex alijs decretis adductis. *Nouarius in Lucerna Regularium verbo Confraternitas n. 1. 2.*

60 Et qualis, & quanta sit Episcoporum authoritas in istis erigendis, & confirmandis Confraternitatibus habetur apud eumdem. *Lezanam quaest. reg. tit. 2. tit. de confratrib. & confrat. regularium cap. 15. per totum vbi sub num. 27.*

61 Post hæc etiam in illis, quæ sint fundatæ in Monasterijs, & intra claustra Regularium habent Ius visitandi, non obstante quacumque contraria consuetudine, exceptis his, quæ sub regum immediata potestate sunt ad idem *Nouarius Lucerna regularium verbo visitare num. 1. 2. 3 Pater Cespes de exempt. regular. cap. 237. num. 1.* Iuuat ex hoc *Rebbuffus loco citato.*

62 Dissoluto Collegio profano diuidi pecunias inter Confratres, secus si ad pios vsus absque Episcopi consensu.

Contraria tamen sententia videtur verior & receptior, ad quam fundandam attendantur sequentia, & primo.

63 Scimus propositam quæstionem esse an Prelatus transferre possit Corpus cum redditibus; si enim de eo agimus quod stat in potestate Episcopi de Oratorijs & Confratrijs ab eo fundatis etiam intra claustra sibi quo ad Ius visitandi esse subiecta, & pœnis affligenda pro causis ad eamdem Confraternitatem concernentibus scripserunt Doctores citati, & additur *Gratianus discept. forens cap. 491. part. 3. num. 25. 26.*

Si vero de authoritate Superioris illius Conuentus Regularium, iam diximus quod obstant decreta Pontificum, & Congregationum, vt non erigantur. Nisi sub ea forma præscripta, & præsertim ex Bulla Clementis Octaui Romæ data 24. Decembris 1624. apud *Quaranta in comp. bull. verbo. Confraternitates.* 64

65

Et tunc ita denuò fundatæ Episcopo subsunt, tam in eis approbandis, quam corrigendis, & moderandis, sunt verba eiusdem Bullæ ibi (nisi & prius ab Episcopo &c.) Si vero de licentia Superioris & intra Claustra regularium exemptorum negari saltim non poterit vt id solum permittitur in eis quòd Episcopus solum eas possit visitare quò ad redditionem rationis, & administrationum, in alijs Episcopo non subsunt, quia sub Regularium cura & administratione sunt. *Barbosa de officio Episcopi allegat. 75. num. 13. & 28. & rescripsit Congregatio Card. Episcopo Imolensi in anno 1622. in verbis allegatis per Ciarlinum controu Iuris cap. 64. num. 8.* 66

Visitare Episcopum posse Congregationes & Oratoria de sui licentia fundata, & etiam ea, quæ intra claustra Regularium sunt firmauit relata praxi Curiæ Archiepiscopi Neapolitani. *Gratianus d. cap. 491. num. 26. & decis. 188. n. X.* 67

Hæc tamen intelliguntur, vt ipse firmat dummodo in fundatione cautum non fuerit, vt non possint ab Ordinario visitari vigore dicti decreti Concilij cap. 8. sess. 22. *Gratianus loco citato n. 23 & decis. 183 Barbosa in Consil. Tridentino cap. 8. sess 22. de reform. in remissionib. verbo ne Confraternitatis laicorum.*

Quoniam agitur de exercenda Iurisdictione in Oratorijs fundatis intra claustra Regularium, hoc tamen doctores admitunt vt nec etiam Visitatio permittatur in totum, nisi quo ad rationes reddendas, vt ex dictis per *Barbosam d. allegat. 75. n. 13. refert Ciarlinus d. cap. 65. n. 7. 8.* 68

Quoniam Episcopi in dictis locis exemptis non procedunt vt Ordinarij, sed tamquam delegati à Summo Pontifice, vt innuit allegata Bulla, & firmant Expositores in ea decreto prædicto Sacri Concilij ex Trident. & faciunt dicta per *Farinaccium in posthumis part. 2. decis. 234. n. 20. & decis. 525. part. p.* 69

Quòd fit vt nec bene inferatur potest in tali casu Visitare, ergo potest corpus transferre, nam quò ad alia præter dictum Ius Visitandi non Episcopo, sed Superiori Regularium sub sunt, quia licet visitaro possit Confraternitates erectas in Ecclesijs Regularium, & Cappellas ibidem existentes, intelligen- 70

telligendum tamen esse firmant quando administratio earum Secularium esset, & non Regularium, vt dispositum legimus per declarationem Sacræ Congregationis Concilij relatam per *Borbosam de Iur. Eccles. lib. 1. cap. 14. num. 30. Pater Cespes de exempt. regular. cap. 14. dub. 214. num. 2. fol. 321.*

71 Pro vt & plures aliæ ad sunt Sacræ Congregationis declarationes prohibentes Episcopis visitationes in Regularium Ecclesijs, quarum vnam pon't inter alias dictus *Pater Cespes loco citato num. 10. relatis Peirino & Quaranta in locis ibidem citatis*. Et si Regu-

72 lares exempti Episcoporum Iurisdictioni non subsunt, nisi quo ad Ius visitandi circa administrationem secularium in Confratrijs Oratorijs & Congregationibus secularium intra claustra Regularium, quo magis nec poterit Episcopus dictas Congregationes, seu corpus illius intra claustra Regularium de vno loco ad alium cum suis redditibus transferre, cum & hi redditus sint dictæ Confraternitati & Ecclesiæ incorporati, & vniti, exemplo Monasterium ingredientis, vt eius bona in illud transmittat, & absque aliqua apprehensione aquirantur Monasterio, nisi contraria lege fuerit actum in ill us

73 ingressu. *Gratianus lib. 1. discept. forens. cap. 118. num. 23. & seq.* Et exemplo statuæ in Ciuitate posita & per Ciues erectæ vt lo o queratur, & Ciuium non sint ad *Text. in l. statuas ff. de acquirendo rerum dominio & ibi Gloss. & in l. si qui s quæsitum Iuncto Textu ibi in verbo s quis de monumento, & in verbo vera est dicto tit. & ex ea. Gratianus cap. 358. num 36.*

74 Conducunt allegata per Siluestrum verbo Collegium n. 4. nam & Confratribus recedentibus nil possunt pro se retinere, sed loco quæruntur *Rebbuffus loco citato n. 12. in hac verba C. Item Confratres possunt renuntiare Confratria, dum tamen nihil retineantur de bonis illius, alioquin antequam renuntient, illa reddere debent.*

75 Locus ergo cum sit intra Claustra Monacorum & Regularium exemptorum nulli erit dubium quòd ab eo non possit auferri, & alibi transferri, Episcopus enim nó habet Iurisdictionem contra Regulares, & eorum bona sunt, ab illius Iurisdictione exempta, licet id non sit de Iure communi, sed ex ferè omnium Religionum priuilegijs ex *Barbosa de Iure Eccl. lib. p. lib. p. cap. 43. n. 119. & 120. fol. 630. & eodem tit. lib. 2. lib. 2. cap. 12. an. 21. cum multis sequentib. vbi enumerat omnia Monasteria Regularium exempta, additur Rodriquez quæst. Regular. lib. 2. quæst. 63. artic. 3.*

76 Et consequenter non posse Episcopum de his, quæ sunt intra claustra disponere, quia non ipsi, sed superiori Regulari subijciuntur, Immo si non potest de rebus Confratern tantum etiam de illius licentia erectarum de sua facultate absque solemnitatibus debitis disponere, vt ex relatis per *Barbosam d. cit. de Iure Eccl. lib. 2. cit. de Hosp. & Confrat cap. 11. n. 82.* Fortius de

77 eis, quæ sub sua cura nec Iurisdictione sunt; aquisita namque bona per Confratres, ita Ecclesiæ & corpori illius incorporantur, vt ab ea nec possint auferri ex regula *Textus in cap. vltimo de rebus Ecclesiæ non alienandis. Melius Barbosa loco citato n. 83. per hæc verba (ratio quæ differentia inter bona & personas ea est. quia bona efficiuntur ipsius Confraternitatis & in eam transeunt eique incorporantur, & vniuntur, & Ideo tamquam connexa & adhærentia rei piæ seu Religiosæ etiam efficiuntur)* Et si

78 non potest Episcopus in Ecclesijs sibi subiectis de suo tantum authoritate disponere, vt bona vnius Ecclesiæ, quæ tamen sint de comprehendis *In extrauaganti Ambitiosæ de rebus Ecclesiæ non alienandis*. Cum alia modo prædicti incorporentur, vt ita intelligendo prædictam Extrauagantem dixit *Pater Figliuccius tit. de alienation. ver. Eccles. tract. 44. cap. 3. tit. quæ pro tempore possunt alienari §. 2. n. 23. fol. mihi 101. col. prima.*

79 Quò magis totum corpus Congregationis transferre cum redditibus, quæ maior est alienationis species, & in locis exemptis, vbi nullam habet Iurisdictionem, sunt enim prædicta Oratoria Confraternitates & similia sub dictæ extrauagantis dispositione comprehensa. *Quaranta summa Bull. tit. de alienat. num. 29. vbi etiam vnionem vniue cum alia Ecclesia prohiberi scribit num. 35.*

80 Et iuxta prædicta Iura & rationes decisum iudicium is in Regno Sicil e c tra Farum per Reuerendissimum Dominum Abbatem Don Octauium de Augustino Patritium Panormitanum S. T. & V.I.D. Apostolicum Prothonotarium in Panormitana Dioecesi Iudicem Synodalem apud Illustrissimum, & Reuerendissimum Dominum Don Petrum Martinez Rubio Archiepiscopum Panormitanum, & à consilio Status suæ Catolicæ Maiestatis, Tribunalis visitationis Deputatum, ac Confessariorum ordinandorum, & Prædicatorum Examinatorem, carceratorum in Tribunali Sancti Officij Sacrosanctæ Inquisitionis in Regno Siciliæ a secretis Aduocatum, ac olim in Romana Curia Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini Iulij Episcopi Ostiensis S. R. E. Cardinalis, Romæ Sacri Collegij Decani Auditoris munere decoratum, virum quidem omnium scientiarum genere præditum, tamquam tunc Iudicem Conseruatorem ver. &c. Conuentus Sancti Nicolai de Tolentino Patrum Discalceatorum Sancti Augustini

Augustini vrbis Panormi in liquidatione Instrumenti ex quinquaginta contra dictum venenerandum Conuentum ad instantiam Venerand. Congregationis Sabbati tunc existentis in dicto vener. Conuentu, & nulliter migrare pretendentis de pretensa Ordinarij licentia vrbis prædictæ Panormitanæ ad alium vener. Conuentum Sancti Augustini vrbis eiusdem ex causa prætensæ prouisionis factæ per Reuerendum Canonicum Don Thomam de Leonardis tunc M. C. Archiepiscopalis eiusdem vrbis meritissimum pro Vicarium sub die 4. Aprilis 1654. coram quo Reuerendissimo de Augustino Abbate cum fuissent discussa merita prædicta fuit Inter loquutum ad fauorem dicti Vener. Conuentus Sancti Nicolai de Tolentino & Iuribus, & rationibus prædictis sub die 7. Aprilis 8. Indict. 1655. & sic habita pro nulla prætensa migratione, & translatione prædictis, pro vt & decreto translationis corporis Congregationis prædictæ per dictum de Leonardis nulliter admisso, tamquam contra formam, & dispositionem Sacrorum Canonum, Bullarum Summorum Pontificum, & Sacræ Congregationis Decreta, quæ Interloquutoria fuit post modum confirmata per Tribunal Consistorij S.R.C. Regni eiusdem ex decreto confirmante facto sub die 29. Martij 9. Indictione 1656. & ex inde denuò partibus reclamantibus in Tribunali M.R.C. Sedis Criminalis, & causarum delegatarum Regni eiusdem fuit denuò Decretum prædictum per Idem Tribunal confirmatum sub die 30. Maij 10. Indictione 1657.

Et est videndus P. Gabriel Beati Societatis Iesu in suis questionibus moralibus lib. 2. de lege externa quæst. 49. An Priuilegium procedere debeat ab habente Iurisdictionem per totum fol. 259. & præsertim n. 18. fol. 265.

Immò & decretum prædictum de transferendo corpus prædictum de dicto Conuentu Sancti Nicolai de Tolentino ad dictum Conuentum Sancti Augustini fuit per dicta Tribunalia reuocatum per duo alia obtempta decreta 29. Martij 9. Indictione 1656. & 30. Maij 10. Indictione 1657. tunc, sequentis, per quæ quidem decreta dilucidæ quæstionis veritas haberi potest, & quam dicti Reuerendissimi Abbatis Don Octauij de Augustino Iudicantis in primo Iuditiorum examine elucescant virtus, scientia, Doctrina, morumque Integritas, & virtutum, adeo vt Iuuenili quidem in corpore senilis virtus, & morum probitas reperiri comperiantur.

CONSI

CONSILIVM LV.

De pluribus præsentatis ad Beneficium Iurispatronatum?

Ioannes de Diolis Patronus Beneficij N. fecit mandatum in personam Antonij de Gueireschis ad præsentandum quemlibet idoneum sibi bene visum ad dictum Beneficium non curatum. Postmodum antequam Procurator præsentaret, aliud mandatum fecit N. non per Notarium, sicut primum, sed tamen per scripturam subscriptam testibus, in quo posteriori mandato, sine derogatione primi, volebat, vt præsentarentur in primis Bernardus suus filius, si est, vel poterit esse capax, deinde Laurentius, & Andreas eius nepotes cum eisdem conditionibus, & demum illis incapacibus præsentaretur D. Franciscus N. Sacerdos. Executum fuit prius secundum mandatum, deinde idem D. Franciscus N. Sacerdos admonitus de mandato prioris Procuratoris volens abundare in cautela obtinuit in eo præsentationem.

1 Dubitatur de tribus. *Primò*, an vtroq; mandato vti potuerit? Ratio dubitandi est, quia *in cap. 1. de rescript.* dicitur, quòd per speciale mandatum derogatur generali. *Secundò* an valida fuerit præsentatio illorum trium laicorum? *Tertiò*, an Patronus variare possit, si illi tres laici non sunt idonei? *Quartò*, an Reuer. D. Vicarius possit expedire præsentationem antequam terminet quadrimestre e. g. in fine bimestri?

2 Ad primum, prodest illi præsentatio facta ab vtroq. Procuratore, nemo enim prohibetur pluribus vti defensionibus. *Reg. 20. in 6. l. 15. qui 5. l. Nemo 8. ff. de except & l. Nemo 2. ff. de reg. iur.*

Nec obstat ratio dubitandi, quia ille textus intelligitur, quando vtrunq; Mandatum duabus personis successiuè datum fuit, vt docet *Monter à Cueua decis. Arragon. 36. num. 49. Gratian cap. 95. num. 11. apud Barb. ad cap. Non iniustè, de Procur.* Neque aduersantur ad inuicem, cum D. Franciscus N. Sacerdos in primo mandato generaliter includatur, & in secundo specialiter, & nominatim; vnde secunda præsentatio ex primo mandato est confirmatio primæ Præsentationis.

3 Nec obstat, quòd primum sit absolutum, & secundum conditionale. Quia per hoc non aduersantur ad inuicem, ex quo enim illi tres iuuenes præsentati, sint meri laici, præsentatio non tenuit, *cap. Ecclesia 10. de constit. Barb. Allegat. 72. num. 74.* sequitur in executione præsentationis attendendam esse solam Præsentationem Sacerdotis, cum hæc sola sit valida, cum ei nihil desit in actu suæ Præsentationis.

Ad secundum, patet inualidam esse Præsentationem illorum trium iuuenum, cum sint laici incapaces Præsentationis, & Beneficiorum, *cap. Ex literis 6. de transact. cap. 2. de instit.* Præter autem capacitatem, quia carent defectu Clericatus, sunt etiam inidonei, hoc est carent literis, & sunt illiterati, quæ duo sunt necessaria actu tempore Præsentationis, quòd scilicet sint Clerici & literati, de communi *Barbosa Allegat. 72. num 72. Viuian lib. 6. cap. 1.* 4

Quod debeat esse literatus, *cap. Illiteratus dist. 36 cap. Pœnitentes dist. 55. Barb. Alleg. 63. num. 2. Viuian. lib. 6. cap. 5. num. 123.* Literatus autem dicitur, qui primam Grammaticæ rudimenta didicit, *ex allegatis à Barbosa allegat. 46. num. 9.* Ex Trident. sess. 23. cap. 4. Quis non potest promoueri ad primam Tonsuram, nisi Fidei rudimenta ante fuerit edoctus & legere, & scribere sciat.

Quamuis autem S. Congr. ex Sellio referente Barbosa ad hunc textum Trident. *num. 4.* responderit, quod valeat primam Tonsuram insigniri ille qui caractêres formare sciat, quamuis nesciat bene scribere. Tamen tenetur scire bene, & rectè legere, & præterea construere, quod est necessarium ad Beneficium simplex, vt docent *Riccius, Nauar. & Piasecius apud Barb. allegat. 11. num. 5.* Et de hoc conuincens habeo argumentum *ex Bulla 135. incip. Ex proximo* Pij V. in qua postquam exclamauit B neficiarium à restitutione fructuum, si infra sex menses licet non impeditus, Horas Canonicas non recitauit, numerandos à die obtentionis Beneficij, subdit hæc verba: *Ille, qui sex primis mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum excusauerit, graue peccatum intelligitur admisisse.* Ex his ergo Claré deducitur, non sufficere, vt sciat aliqualiter legere, sed benè, & rectè, quòd non contingit defectu Grammaticæ, & insuper debet scire ordinare Diuinum Officium antequam habeat Beneficij collationem, dum ad minus sequenti die à Collatione debeat illud recitare. *ex Nauaro cap. 7. de orat. n. 27. Guaz. de Benef. par. 3. ca. 1. n. 92.* 5

6 Ad tertium, Patronus variare potest, siue sint idonei, siue non, successiue alium, præsentando *cap. Quod autem 5. de iurepatr.* qui tamen debet esse idoneus, vt dicitur ibi in textu, *Barb. Allegat. 72. num.* 151. Intellige nisi Præsentatio prior sit acceptata à prtimo præsentato, vt alijs citatis docet Barb. *ad cit. cap. num. 2. fine* in quo casu nulla est secunda Præsentatio, quia primus per acceptationem aquisiuit Ius ad rem, vt dicitur ibidem. Secunda autem Præsentatio dicitur cumulatiuè facta, hoc est in nullo præiudicat primo præsentato, de communi idem Barb. *super dictum cap. 5. num. 2. & Allegat. 72. num.* 158. *&* 159. aliter secunda ex variatione Præsentatio est nulla, vt dicunt ibidem Doctores. Quare ex his deducitur, D. Francisco Sacerdoti in nullo Patronum posse præiudicare, esto alter de familia præsentaretur, quando non esset idoneus tempore præsentationis, cum textus dicti cap. 5. requirat actu idoneitatem in præsentato.

Ad quartum, potest Reuerdissimus D. Vicarius expedire præsentationem, & non expectare in fine quadrimestris, nisi Patronus contradicat, quia hoc tempus illi fuit concessum in fauorem, vnde tolli non potest *ex Reg. Indultum, de Reg. iur. in 6. Barb. Alleg. 72. num.* 143. Sed quoniam præsentauit infra bimestre, videtur quadrimestri renuntiasse, vnde citari potest ad expeditionem, & si non contradicat poterit conferri Beneficium ei, qui de iure repertus fuerit magis idoneus. 7

CONSILIVM LVI.

A quonam decidenda sit Lis orta inter Parochum, & Priorem parui Conuentus?

1 PArochus Collis Marchionis diæcesis Spoletanæ prætendit ex immemorabili consuetudine cantare missam in Ecclesiâ regulari Fratrum Tertij Ordinis S. Franciſci in die Natiuitatis Beatæ Mariæ Virginis nuncupata de Silua matutina, quos resistentes citauit coram Ordinario Spoletano in vim Bullæ incip. *Vt in paruis*, Innocentij X. infra extendendæ, quam registrat *Fagnanus par. 5. ad cap. Relatum, Ne Cler. vel. Monach. num. 71.* qui Fratres recusarunt respondere quia in hoc dictus Ordinarius non est competens, eorum Iudex cum hæc causa dirimenda sit ab eorum Conseruatore, non à Vicario Generali Emin. Cardinalis Fachinetti Episcopi Spoletani, esto is Conuentus comprehendatur sub dicta Bullâ illis verbis:
2 Omnes & singulos huiusmodi Conuentus, vt præfertur, non suppressos, cuiuscunq. sint Ordinis &c. aut Granciæ, seu membra alterius Monasterij &c. in quibus nunc non aluntur, vel quandocunq. actu non alentur saltem sex Religiosi itidem probatæ vitæ, quorum ad minus quatuor, vt supra, sint Sacerdotes maturæ ætatis, eosdem Visitationi, Correctioni, & omnimodæ Iurisdictioni Ordinarij loci similiter vt sedis Apostolicæ Delegati plenè in omnibus præsentis pariter Decreti vigore subiectos esse statuit.

Cum autem hæc Bulla emanauerit ad conseruandos Religiosos in obseruantiâ regulari, vt dicitur eius initio, illis verbis: *Vt in paruis Conuentibus piè, & religiosè viuatur, ac regularis instituta, quò exactius fieri potest, obseruentur*; in quo consistit finis huius Bullæ, propter quem Regulares paruorum Conuentuum suppositi fuerunt Episcopis præter subiectionem propriorum Superiorum regularium; sequitur hunc casum inter Parochum, & Priorem huius parui Conuentus non pertinere ad Episcopum, sed ad Conseruatorem iuxta tenorem Bullæ incip. *Sanctissimus 9.* Gregorij XV. extensæ apud Fagnanum *par. 2. ad cap. Si Clericus de foro compet. post num. 58.* Non pertinere in quam, ad Ordinarium, sed tantum ad Conseruatorem, quia Bulla Innocentij subijcit Regulares Ordinarijs quò ad obseruantias regulares, non quò ad lites, & controuersias, quæ non tangunt obseruantias regulares, cuiusmodi est hæc Lis inter Parochum, & Priorem, nam causa finalis regulat, & restringit totam dispositionem *l. fin. ff. de hered. instit.* 3
l. 1. ff. ad Macedon. Bald. lib. 2. cons. 159. num. 4. Vers. Nisi dicamus, Pasqual. de Sacrif. q. 1146. num. 6. Cum ergo referatur ad obseruantias regulares, & ad eas Iurisdictio Ordinarij restringatur, non potest extendi ad lites cum secularibus, & Clericis, sed recurrendum est ad eorum Conseruatores, causa enim limitata producit effectum limitatum, *l. Age 3. C. de transact. l.* 4
In agris 16. ff. de aquir. rerum dom. Immo talis Conuentus, cum aliàs, & nunc continuò alat sex Fratres ad tenorem huius Bullæ, nullo modo sub est Ordinario etiam in causis inter ipsos Fratres, cum hæc Bulla Ordinarijs det Iurisdictionem, quandosolum ad sunt minus sex Religiosi, & non quando sunt vltrà quinq. loquendo de Conuentibus, qui nunquam suppressi fuerunt, vt clarè patet ex verbis Bullæ ibi: *In quibus nunc nõ aluntur saltem sex Religiosi*, ergo a contrario sensu, vbi aluntur sex Religiosi non sub iacent iurisdictioni Episcopi.

Vide dictum Fagnanum par. 5. ad cap. 5
Relatum, Ne cler. vel Monach. vbi refert Bullas omnes Innocentij X. de Reformatione Prima incip. *Inter cætera.* sub num. 44. Secunda incip. *Instauranda* sub num. 47. Tertia incip. *Vt in paruis* num. 71. & sub num. 70. dat modum instituendi denuò Nouitios. Et par. 2. ad cap. *Quer. de offic. Ordin.* refert resolutionem quam plurium dubiorum super dicta Bulla, à num. 42. Quam ego Bullam incip. *Vt in paruis* sub extendo cum suis dubijs, & eorum resolutionibus factis à Sacrâ Congregat. de mandato eiusdem Pontificis Innocentij X. qui sicut Domino placuit viam vniuersæ carnis ingressus est Romæ die septimâ Ianuarij 1655. inquit idem Fagnanus.

DECRE-

DECRETVM
S. D. N. INNOCENTII PAPÆ X.

Super subiectione nonnullorum Conuentuum iurisdictioni Ordinarij loci tamquam Sedis Apostolicæ delegati.

VT in paruis Regularium Virorum Conuentibus à Sanctissimo Domino Nostro Innocentio Papa X. in Constitutione, quæ incipit, *Instaurandæ* primum suppressis, ac deinde ad ipsius Constitutionis limites ob rationabiles causas in pristinum statum regularem restitutis, & ipsis Religionibus denuò concessis, piè, & religiosè viuatur, ac regularia instituta quò exactius fieri potest obseruentur: Sanctitas Sua ex sententia Sacræ Congregationis super statu Regularium omnes, & singulos Conuentus huiusmodi sic, vt præfertur, restitutos, & concessos in litteris ab eadem Sacra Congregatione expediendis nominarim exprimendos, ac personas tam regulares, quam sæculares in eis degentes visitationi, correctioni, & omnimodæ iurisdictioni Ordinarij loci, tamquam super hoc à Sede Apostolica delegati, præsentis Decreti tenore plenè in omnibus subiecit, ac subiectos esse declarauit donec ipsorum reditus eousque adaucti fuerint, vt in eis commodè sustentari valeant, & cum effectu sustentenrur duodecim Religiosi ad Apostolicorum Decretorum præscriptum, idque eidem Sacræ Congregationi legitimè constiterit, & eius decreto in singulis contingentibus casibus declaratum fuerit, & non aliter. Interea vero voluit Sanctitas Sua, vt in eorum singulis ali debeant, & re ipsa alantur sex saltem Religiosi probatæ vitæ, ex quibus quatuor ad minus sint Sacerdotes maturæ ætatis: alioquin gratia restitutionis, & concessionis huiusmodi nulla sit, & inualida, & Ordinarij locorum in illis exequi possint, ac debeant ea omnia, quæ in alijs Conuentibus itidem suppressis per eamdem Constitutionem ipsis demandantur, perinde ac si gratia prædictæ restitutionis, & concessionis non emanasset. Insuper quia multi sunt Conuentus, in quibus, & si præfixus fuerit numerus Religiosorum sufficiens ad obseruantiam regularis disciplinæ, & idcirco in suppressione antedictà non fuerint comprænhensi; nihilominus siue ob redituum diminutionem, siue ob Superiorum incuriam, vel malam administrationem, siue ob carentiam Religiosorum, aut aeris intemperiem, vel quamcumque aliam ob causam prædictus numerus cum effectu in eis non alitur cum graui detrimento regularis obseruantiæ: Sanctitas Sua intendens huic malo remedium adhibere, omnes, & singulos eiusmodi Conuentus, vt præfertur, non suppressos, cuiuscumque sint Ordinis tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationis, & Instituti, etiam Societatis Iesu, aut Granciæ, seu Membra alterius Monasterij, existentes intra fines Italiæ, & Insularum adiacentium, in quibus nunc non aluntur, vel quandocumque actu non alentur saltem sex Religiosi itidem probatæ vitæ, quorum ad minus quatuor vt supra sint Sacerdotes maturæ ætatis, eidem visitationi, correctioni, & omnimodæ iurisdictioni Ordinarij loci similiter vt Sedis Apostolicæ Delegati plenè in omnibus præsentis pariter Decreti vigore subiectos esse statuit, decreuit, & declarauit. Ceterùm quo ad Conuentus eum pauciori numero, quam duodecim Religiosorum, erectos post diem 21. Iunij 1625 & illorum subiectionem loci Ordinario, Sanctitas Sua voluit in suo robore permanere Decretum san. mem. Vrbani Octaui iussu editum, cui per præmissa aliquatenus derogare non intendit. Et prædicta omnia, & singula in præsenti Decreto statuta, & ordinata voluit plenarium sortiri effectum, & executioni mandari non obstantibus omnibus, & singulis, quæ in antedictà Constitutione voluit non obstare, cæterisque contrarijs quibuscumque. Dat. Romæ die 10. Februarij 1654.

DECLARATIONES
DECRETI S. MEM. INNOCENTII X.

Super subiectione nonnulorum Conuentuum iurisdictioni Ordinarij loci à S. Congr. super Statu Regularium editæ, atq; à S.P.N. Alexandro Papa VII. approbatæ.

POsitó Decreto fælic. rec. Innocentij Papæ Decimi super subiectione nonnullorum Conuentuum correctioni, visitationi, & omnimodæ iurisdictioni Ordinarij loci tanquam Sedis Apostolicæ Delegati: contingit dubitari de infrascriptis.

1. An Episcopus in Conuentibus sue iurisdictioni subiectis possit Abbates, Priores, Guardianos, & alios Superiores locales deputare, & familiam constituere.

2. An possit Episcopus à prædictis Conuentibus Religiosos amouere.

3. An Regulares eorundem Conuentuum compelli possint ab Episcopo ad exhibendos libros introitus, & exitus, & reddendas rationes administrationis.

4. An Episcopus in eisdem Conuentibus se ingerere possit in his, quæ regularem disciplinam concernunt.

5. An Ecclesiæ dictorum Conuentuum, & Capel-

Capellæ Granciarum, in quibus degunt Conuersi pro agrorum culturâ, ab Episcopo visitari possint.

6. An ipsæ Granciæ, & Conuersi in eis degentes subsint visitationi Episcopi.

7. Quid in Ecclesijs, seu Capellis Granciarum, in quibus nullus degit Conuersus, an similiter subsint Episcopi visitationi.

8. An liceat Episcopo visitare Conuentus tam suppressos, & postea restitutos, quàm non suppressos ad effectum cognoscendi, an in illis re ipsa alantur sex Religiosi.

9. An Episcopus visitans huiusmodi Conuentus suæ Iurisdictioni suppositos, aut personas in eis degentes possit à visitatis procurationem exigere in victualibus, vel in pecuniâ.

10. An Iurisdictio Ordinarijs locorum tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis attributa in supradicto Decreto competat Vicarijs Generalibus Episcoporum, necnon Abbatibus, & alijs inferioribus Prælatis proprium Territorium, ac Iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus.

11. An Prouinciales, & alij Superiores Regulares possint eiusmodi Conuentus Iurisdictioni Ordinarij subiectos, & Religiosos in illis degentes visitare, corrigere, & punire, omnemque Iurisdictionem in eos exercere sicut poterant ante dictum Decretum.

12. Si Superior Regularis in causa præuenerit contra subditum degentem in aliquo ex eisdem Conuentibus Ordinario subiectis fabricando processum, vel eum carceri mancipando, an Episcopus possit huiusmodi causam reassumere, ac Superiori inhibere.

13. Si è conuerso Episcopus præuenerit in causa contra Religiosum in tali Conuentu commorantem, an Superiori Regulari eo casu liceat illum amouere, & in alio Conuentu collocare, & si de facto collocauerit, an nihilominus Episcopus possit causam prosequi, ac Religiosum sic amotum reuocare ad primum Conuentum.

14. Si Prouincialis, vel Superior localis voluerit aliquem ex Fratribus à tali Conuentu remouere, an Episcopus prohibere possit.

15. Si à Conuentu primùm suppresso, ac deinde Religioni restituto absint ex aliqua rationabili causa, & ad breue tempus vnus, vel plures ex numero sex Religiosorum ibi degentium, an gratia restitutionis sit nulla, & Conuentus remaneat suppressus vt prius.

16. Quid si a Conuentu non suppresso similiter ex causa rationabili, & ad modicum tempus absit aliquis è sex Religiosis ibi existentibus, an durante tali absentiâ, Conuentus subiaceat iurisdictioni Ordinarij.

17. An Religioso illo redeunte, vel aliàs impleto numero sex Religiosorum, Conuentus recuperet pristinam exemptionem.

18. Si gratia restitutionis Conuentus suppressi reddatur nulla ex eo, quòd in illo ad formam Decreti cum effectu non alantur sex Religiosi, & postea contingat, vt eiusmodi numerus impleatur, an gratia restitutionis Conuentus reuiuiscat.

19. Ad hoc, vt gratia restitutionis sit nulla, & Conuentus denuò remaneat suppressus propterea quòd in eo non sustententur sex Religiosi, an debeat præcedere declaratoria Episcopi super facto præuia causæ cognitione.

20. An ab huiusmodi declaratoriâ liceat Regularibus ad Sedem Apostolicam appellare ad effectum tam deuolutiuum, quàm suspensiuum.

21. Cum ex Decreti præscripto quatuor Sacerdotes in his Conuentibus degentes debeant esse maturæ ætatis, quænam dicatur ad hunc effectum ætas matura.

Sacra Congregatio super statu Regularium ad singula dubia superius proposita hunc in modum respondit, videlicet.

AD 1. Non posse.

Ad 2. Posse ex rationabili causa, commonito tamen prius Superiore Regulari, ad quem pertinet, vt eosdem Religiosos assignet in alijs Conuentibus.

Ad 3. Posse compelli.

Ad 4. Posse.

Ad 5. Posse.

Ad 6. Subesse.

Ad 7. Itidem subesse.

Ad 8. Minimè licere antequam aliunde constet de fundamento intentionis Episcopi in deficientia numeri constituto.

Ad 9. Expedire, vt Sanctissimus Dominus Noster decernat, & declaret non licere Episcopo tales Conuentus visitanti quicquam accipere Procurationis nomine.

Ad 10. Competere.

Ad 11. Posse sicut prius, non tamen priuatiuè ad Episcopum.

Ad 12. Non posse, nisi ex iustâ causâ, veluti cum videt Superiorem Regularem ex odio, vel amore, cupiditate, vel metu, aut ex nimia seueritate, vel indulgentiâ quid durius, aut remissius constituere, quàm causa deposcit, in quo ipsius Episcopi conscientia oneratur.

Ad 13. Non licere Superiori Regulari Religiosum ab Episcopo inquisitum a loco amouere, & si amotus fuerit, posse Episcopum causam prosequi, & illum quibuscumque remedijs reuocare, etiam inuocato auxilio Ordinarij, & brachio sæculari, si opus fuerit, cuiuscumque loci, in quo Religiosus

ligiosus ille reperiatur.

Ad 14. Non posse.

Ad 15. Gratiam ob id non esse nullam, cessante omni fraude, nec Conuentum remanere suppressum.

Ad 16. Subiacere durante absentia.

Ad 17. Recuperare.

Ad 18. Non reuiuiscere.

Ad 19. Debere ita praecedere, nec ante declaratoriam licere Episcopo Conuentus possessionem apprehendere, aut Religiosos inde expellere.

Ad 20. Licere ad effectum deuolutiuum tantùm, non autem suspensiuum.

Ad 21. Ætatem maturam dici ad hunc effectum completo anno quadragesimo.

Declarationes suprascriptas Sanctissimus Dominus Noster ad se relatas approbauit, & ab omnibus, ad quos pertinet, obseruari praecepit, contrarijs quibuscumque non obstantibus. Datum Romae die 27. Iulij 1655.

CONSI-

CONSILIVM LVII.

An vxorata, quæ in primo partu passa fuit euidens mortis periculum sibi procurare posit potionem Abortionis, vel Sterilitatis?

1 Oniugata non poterat parere Filium impediente laterali osse, quod Medici in Hispaniâ appellant *Cadera* apud Sanchez lib. 7. disput. 102. num. 8. vnde Chirurgus instrumento ad id apto ab Vuluâ partum extraxit. Mulier videns se constitutam in periculo mortis quærit remedium pro salute corporis sui, an sibi liceat procurare Abortionem, vel Sterilitatem, quibus euitet dictum periculum?

2 Quamuis optimum esset remedium, quod vterq. Coniux cederet Iuri suo, tamen nec Maritus nec Vxor putant se posse abstinere, vnde ne incurrant periculum *Incontinentiæ* nolunt huic Iuri cedere sed alio vti, quod licitè facere possunt, neq. enim se à copulâ abstinere debent, id enim illis esset magnum incommodum, vt docet ex meliori opinione Sanchez ibidem *num.* 11. cum ergo non teneantur se abstinere remanet difficultas circa alia duo remedia, neq. enim vir seminare potest extra vas fauore vxoris, ne pereat propter partum, recurrendum ergo est ad vnum ex his duobus remedijs, ad Abortionem, vel ad Sterilitatem.

3 Potest ergo vxorata licitè, & sine peccato procurare eiectionem fætus nondum animati tantùm, quia sicut ad conseruandam propriam vitam licet aggressorem occidere seruato moderamine inculpatæ tutelæ, vt omnes docent; ita Coniugi licet abortum facere fætus inanimati, vt euitet periculum mortis, est enim fætus quasi aggressor mulieris, dum ipsa per illum patitur dictum periculum. Confirmatur id, quia Abortio non est homicidium in fætu inanimuto, & matre moriente certè fætus animari non potest; præponderare ergo debet vita matris fætui, qui non potest animari. Ita S. *Antoninus par. 3. tit. 7. cap. 2. §. 2. Siluester V. Medicus q. 4. Layman lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 4 num. 4. cum alijs Sanchez lib. 9. disp. 20. num. 9.*

4 Alias rationes refert Mazuchellus de casib. reseruatis Mediol. disput. 2. cap. 3. diffic. 3. qui tamen huius non est sententiæ; vnde oportet eius respondere argumentis, vt nostra sustineatur in sua probabilitate.

Respondet ergo iste Doctor num. 9. nullo modo licere pharmacum præbere eo animo, vt Mulier grauida abortiatur etiamsi fætus sit inanimatus. *Probat primò*, quia si ad periculum Matris vitandum liceret aliquando procurare Abortum huiusmodi, dari etiam posset casus, vt liceret effundere semen extra vas ad euitandam conceptionem; seu aliquando liceret aliquid dare Mulieri, quo prolis conceptio vitaretur, puta, quando fœmina esset experta se in partu probabilissimum mortis periculum subire: At hoc non licet ex cap. Si quis, de homicid. *Probat* 2. quia semen frustraretur suo fine generationis ad quam Ordinatur; ergo si non licet effundere semen, multò minus licet fœtum etiam inanimatum per abortum expellere. *Probat* 3. tam intrinsecè mala est Abortio, quam intrinsecè mala est pollutio: Sed nullo modo licet procurare pollutionem etiam si ea ad sanitatem sit necessaria; ergo nec licet procurare Abortum, licet hic ad mulieris sanitatem sit omninò necessarius. *Probat* 4. quia hoc modo liceret Puellæ grauidæ ad vitandum periculum vitæ, vel famæ, quod sibi ex partu probabilissimè timeret, abortum procurare, quod negatur. Citat pro se Couar. Petrum Nauar. & Lessium. 5

Ad primum respondeo, non licere quidem semen effundere extra vas ad impediendam generationem, cum adsint alia remedia, quæ sine peccato adhiberi possunt, vt Abortus, semen enim conuersum in fœtum habet nescio quid aggressionis, quod ei non competit extra vas seminatum; & præterea fœtus inanimatus est pars viscerum, & ipsius Mulieris, *l. 1. §. Ex hoc ff. de ventre inspic.* homo autem habens partem sui corporis, e. g. brachium infectum, quod potest totum corpus corrumpere, potest illud abscindi facere, ergo idem dicendum de hoc fœtu, ne inducat mortem Mulieri prægnanti. Ad cap. *Si aliquis 5. de homic.* respondeo nihil contra nos, quia ibi textus solum dicit, quod qui causa Odij, vel libidinis dat homini, aut Mulieri remedia, vel venena, vt non possit generare, 6

conci-

concipere, aut nasci soboles tenetur vt Homicida. Certum autem est in casu nostro, Abortum non procurari ex odio, neq. ex libidine, ergo non facit ad rem. Vnde Barb. super dictum cap. *sub num.* 1. *Vers. Collige*, pro nostrâ opinione refert septem Doctores.

7 Ad secundum dico, semen non dicitur frustrari suo fine per se, sed tantum per accidens, & In ordine ad aliud bonum, quod est melius ipso semine nam per abortum foetus inanimati saluatur vita hominis; quod est melius, quàm ipsum semen, & foetus, quæ vitâ carent, *ex Scoto apud. Meldul. disp.* 8. *de Generat. num.* 16. ex hoc autem non licet effundere semen, vtiq; Abortum facere, quia vt dixi, semen effusum non potest inducere periculum mortis, sicut foetus.

8 Ad tertium dico, negandam esse malitiæ paritatem, nam pollutio cohonestari non potest ex causa sanitatis, cum hæc aquiri possit alijs remedijs, quæ sunt licita, non solùm respectuè, sed etiam absolutè in seipsis; Abortio verò cohonestatur ex causâ necessariâ, sine qua non potest consetuari vita huius Vxoratæ prægnantis, non est ergo necessariâ carnalis medicina ægrotanti, vt falsò supponit is auctor.

9 Ad quartum dico, multorum esse opinionem apud **Dianam par.** 6. **tract.** 8. **resol.** 37. **& par.** 7. **tract.** 5 **resol** 32. puellam prægnantem pro tuendâ vita, & honore posse Abortum facere foetus inanimati, ergo a fortiori id liceb.t vxoratæ. Sed quoniam **Contro-uers.** 27. **num.** 14 **impressionis Romanæ** Lugdunensis verò Resolut. 127. **num.** 14. tenuit id licere vxoratæ, non verò inuxoratæ, ob eam disparitatem, quia non vxoratis hæc opinio dat occasionem libertius peccandi non solùm ipsis, sed etiam viris, non autem coniugibus, cum eis copula sit licita, & honesta, ideo patet ad argumentum cur liceat vxoratis, non verò puell.s, & viduis. Et Diana *cit. ea resol.* 32. putat eorum opinionem prorsus improbabilem.

10 Nec dicas, si id licet respectu foetus inanimati, etiam licebit respectu foetus animati, quia adhuc rem in t periculum, & quidem fortius, & probabilius. Quia apparet diuersitas, nam in comparatione vitæ vtriusq; spiritualis, & corporalis, præferendum est periculum vitæ spiritualis periculo vitæ corporalis, vnde Mater non potest admittere Abortum foetus animati cum perditione animæ sui Filij, vt saluet sibi vitam corporalem. Et in hoc omnes conueniunt.

11 Respondendum modò est ad argumenta, quæ refert contra nostra principia. Nam ad primum inquit, foetum illum inanimatum non dici aggressorem, alioquin dicendus esset etiam vbi animâ esset iam informatus. Pariter dicendum esset aggressor semen, quoties illius abundantia, vel retentio morbum crearet, & sic quotiès licitum esset procurare Abortum foetus inanimati, licitũ item esset procurare pollutionem ad semen abigendum. *Ad secundum* respondet licere sibi membrum abscindere pro conseruatione totius corporis, pars enim naturaliter est propter totum; sed tamen negat foetum esse propr è partem.

Ad primum de aggressione dico foetũ in vtroq; statu dici aggressorem, non tamen licere abortum in secundo, sicut in primo, quia in hoc seruatur moderamen inculpatæ tutelæ, non in secundo, dum ante tempus animationis poterat sibi consulere, non autem post, in quo non videtur seruari moderamen inculpatæ tutelæ, dum negligens fuit in procuranda sibi salute corporali, neq; enim rationabile est, quòd negligentia prosit sibi, & obsit alteri, ad quod facit *l. Non enim* 16. *ff. Ex quibus caus. maior.* Iura non subueniunt negligentibus, sed diligentibus Et negligentiæ ignosci non debet, *l. Veluti* 7. *ff. de edendo* Deinde in casu nostro semen non dicitur aggressor, sed foetus Præterea semen abundans mederi potest alijs remedijs honestis; sanitati mulieris, nisi per abortum. 12

Ad secundum, cum simus in moralibus nomen *partis* non est sumendum tam rigorosè, & physicè, atq; naturaliter, sed moraliter, vt accipitur in iuribus citatis, ars enim, & mos imitatur naturam, dantur enim in moralibus rationes totius, & partis sicut in naturalibus, consequenter per quandam analogiam, & similitudinem ab vno arguitur ad aliud. 13 14

Reliquum est, vt probemus, dictam vxoratam posse vti remedio Sterilitatis, quod sic probatur. Licet procreare Abortum foetus inanimati in casu nostro, vt probatum est, ergo & Sterilitatem. Consequentia firmatur, quia non magis, nec minus Sterilitas impedit effectum generationis, quàm faciat Abortus, ergo si licet Abortus in hoc casu, licebit etiam Sterilitas, vtriusq; enim procuratio ordinatur ad conseruandam vitam coniugatæ, quæ in singulis partibus pati potest mortem, cui occurritur per hæc remedia, quis enim non prohibetur vti pluribus defensionibus, *reg.* 20. *in* 6. Confirmatur, quia ex Bullâ Sixti V. incip. *Effrenatam* 87. abortus, & Sterilitas pari passu currunt, vt ex ea colligitur sub §. 5. his verbis: *Proterea eisdem pœnis teneri omninò statuimus eos, qui sterilitatis potiones*. Sicut ergo sterilizantes iniquè, & iniustè sunt rei pœnarum illicitè abortientium, ità è contra sicut abortientes ex causâ iustâ non peccant, nec pœnas incurrunt, ita neq, ex causâ licitâ sterilizantes peccant, nec 15 16

nec pœnas incurrunt. Tum quia Abortus magis opponitur generationi, quam Sterilitas, esto enim vtrumque tollat effectum, fœtus impediendo futurum, & fœtum destruendo, tamen Sterilitas simpliciter impedit, Abortus verò genitum destruit eius effectum, maius est enim opponi facto, quam impedire faciendum, quia facilius impeditur faciendum, quam tollatur iam factum,
17 *Glos. V. Additio, cap. Si super gratia 9. de Offic. deleg. in 6.* Cum ergo maior difficultas reperiatur in Abortu, quam in Sterilitate, si ille conceditur, debet etiam concedi Ste-
18 rilitas. Tum quia Eunuchus ex vtroq; post contractum Matrimonium ex causa potest fieri, & sic ex hoc fit impotens, & sterilis ad generationem, & hoc non obstante petere, & reddere debitum, licet eius semen non sit prolificum, quia copula coniugalis vxoratis licita est non solum propter prolem, sed etiam ad sedandum, & mitigandum ardorem Libidinis, Sanch. lib. 7. disp. 102. num. 7. Ergo & Vxor ex causa vitandi periculum mortis in partibus poterit in casu nostro vti remedio sterilitatis, sicut vtitur Maritus, sunt enim correllatiui, qui ad imparia iudicari non debent.

CONSI-

CONSILIVM LVIII.

De Præcedentia Archipræsbiteri contra Archidiaconum.

1 GRauem controuersiam super materiam Præcedentiæ ortam inter Illustrissimum D. N. N. Archipresbiterum ex vna parte, & perill. D. N. N. Archidiaconum ex altera parte, ambos Sanctæ Ecclesiæ Catedralis Parmæ mihi propositam pro viribus exilis ingenij mei resoluturus.

Præmitto in primis, quod licet materia huius generis nescio quid ambitionis præseferre videatur, cum vnum exaltet, alterum humiliet, vnde Cicero ad rem scriptum reliquit; *Miserrima est omnino ambitio, honorumq. contentio*. Nihilominus qui honorem suum, & ius honorificum in suis actibus conseruare intendit, vt proponitur Prouerb. 5. 9. *Ne des alienis honorem tuum*, nullam incurrit ambitionis notam, non se exaltat, nec proximum humiliat, dum enim iure suo vtitur nemini facit iniuriam; immo cum Præcedentia sit ius publicum, quia spectat ad conseruationem Ordinis in singulis Rebus publicis necessariam totis viribus tuenda est, maximè inter Ecclesiasticos, qui non ratione propriæ personæ, sed gradus, & dignitatis perpetuare eam debet illæsam in suis Successoribus, ne de inertià, & vilitate meritò redargui possit.

Difficultas ergo in præsenti controuersià est, an Archipræsbiter in omnibus honorificis actibus debeat præcedere Archidiaconum in eorum concursu?

2 Puto, præcedentiam in omnibus esse debitam Archipræsbitero aduersus Archidiaconum. Quia est prima dignitas. Probatur hoc sequentibus argumentis.

3 Primò ab etimologia vtriusq. vocabuli, à qua sumptum valet argumentum, ex allatis à Barb. in loco hoc 44. nam Archipresbiter idem importat, quod caput esse, & Princeps Presbiterorum, siue eorum præfectus, & decanus, vt omnes docent cum *Barb cap. 6. de Canon num.* 2. Archidiaconus pariter significat caput, præfectum, & Principem Diaconorum, *de communi apud eundem cap. 5. num.* 1. & in hoc nulla est difficultas, cum reuera hæc duo nomina præseferant, quò ad ætimologiam quod diximus. Sed Præsbiteri cum suo AP. sunt in gradu superiori; & AD. cum Diaconis, qui de necessitate non habet coniunctum Sacerdotium, vt constat de facto, sunt in inferiori gradu, ergo AP. tamquam dignior præferendus est Archidiacono?

4 Confirmatur id, nam dignior est; qui præfertur minus dignis, *Auth. de defens. ciuit. Collat.* 3. *tit.* 2. *§.* Nos igitur illis verbis: *Quanto enim quilibet praeest melioribus, tanto maior & honestior est.* Quod ibidem Glos. V. Quanto, comprobat his verbis *Si ergo alius propter meam discretionem apparet maior, multò magis ego. ex l. Prouidendum, C. de posthum.* Et ne quis putet, id esse extra rem, & sententiam pertinere ad animam, subiungit alia Glos. *Verbo Honestior*, illum textum non loqui de honestate ad animam, sed ad honorem seculi, *arg. Instit. de publ. iudic §. Item lex.* Et docet etiam idem alia *Glos. V. Et nobiliores Auth. Constitutio Nouella* 81. *Collat.* 6. ibi: *Præsidem per subiectos*, scilicet nobiles nobilitari. Quare cum A. P. nobiliores, & præstantiores habeat sub se, nempe, Sacerdotes vti dignior præferendus est A. D. habenti sub se Diaconos inferioris conditionis, & Ordinis.

5 Secundò idem probatur ex comparatione Officiorum, quæ eis assignantur in libro ordinarij Bernardi de Carpo Ordinis Minorum Episcopi electi anno 1412. Confirmato in Synodo Sfurtiana.

6 Archipræsbiteri officia sunt 1. Regere omnes Præsbiteros. 2. Celebrare solemniter absente Episcopo. 3. Officium inchoare in eiusdem absentià. 4. Dare benedictiones præsbiterales. 5. Præcipere Sacerdotibus, vt sacris vestibus se induant in Processionibus. 6. Docere modum procedendi in eis 7. Procurare, ne desit in Sacrario Viaticum pro infirmis. 8. Absoluere quoslibet à grauibus delictis vbiq. 9. Funerare vbiq. præsente Capitulo. Quæ fere omnia sunt expressa in cap. 1. 2. & 3. de Officio Archipræsb. & ab eo, hoc etiam tempore exercentur, nam celebrat solemniter funerat &c.

7 Archidiaconi officia sunt 1. Canere Euangelium. 2. Præcipere Diaconis, vt illud Canant. 3. Se parare Diaconum cum Episcopus cantat missam. 4. Mandare Diaconis, & alijs inferiorum Ordinum, vt legant lectiones Nocturnorum. 5. Corrigere, & emendare vti oculus Episcopi, ne scandala eueniant. 6. Audire iurgia Clericorum, & ea impedire. 7. Examinare promouendos ad Ordines. 8. Visitare Ec-

clesias sui Archidiaconatus. Sunt confor-
mia Iuri communi cap. 1.2.3.6.7. & 9. de of-
fic. Archid.

8 Si comparentur inter se hæ duæ dignita-
tes in ordine ad officia prædicta, nulli du-
bium est, arguere maiorem, præstantio-
rem, & excellentiorem prærogatiuam in
AP. quam in AD. non solum propter fun-
ctiones Sacerdotales, quæ ipsi soli tribuun-
tur, & nullæ AD. sed etiam, quia AP. sua
officia exercet, vt patet, non autem AD.
quod patet ad oculum, & in terminis istis
testatur Archidiaconus Bonon. nuncupatus
Guido de Baisio Regiensis, qui florebat an-
te, & post annum 1300. dicit enim *in cap. 1.
de Offic. Archid. col. 2. num.* 3. quod Archi-
diaconus Parmæ nullam habet administra-
tionem, neq. vllum exercet officium de re-
bus pertinentibus ad officium AD. referen-
9 te eius dictum *Barb. cap 4 de Canon. n. 13. &
Boerio quæst. 286 n. 4. ex Innoc. in cap. De mul-
ta de prabend.* Dignor ergo est AP. qui labo-
rat in Ecclesiâ quàm AD. qui nihil operatur
ad quod facit *l. 2. C. de offic. Magistri offi.*
ibi: *Vel labor prolixior fecerit anteire, & tex
in l. fin. C. de tyron. lib.* 12. illis verbis: *Nisi
cui laborum assiduitas, & stipendiorum pro-
lixitas suffragantur*, tex. *in cap. Miramur
5. dist.* 61. in fine, ibi: *Nec potest de eius pro-
uectione dubitari, cui pro laboribus multis,
pro moribus castis, pro actionibus celsioris
loci pramium debemus*. Digniores ergo præ
cæteris sunt, qui nobiliores, & præstan-
tiores exercent actus, *Bursat. lib. 4. cons.
343. num. 11. Capicia decis. 27. num. 23. ex
illis Mar. Anton. lib. 1. resol. 81. num. 2. & 4.*

10 Confirmatur ex comparatione vsus, &
non vsus functionum inter eosdem, nam
digniori loco assignantur actu administran-
tes, quàm vacantes ab administratione *l. 2.
C. Vt dignit ordo*. Vnde legens præfertur
non legenti, *Catal. G. M. part. 10. consid.
26. initio, Nauar. cons. 5. de maior. num. 6.
Tomasius de praced. num.* 191. Et qui est in
seruitio præfertur non seruienti, *Abbas in
cap. Pastoralis, de concess. prabend. num. 8.
gemin. in cap. A collatione, de appellat. num.
7. ex illis, & alijs Rota par. 5. dec. 111. num.*
27. Nam diligens præferendus est negli-
genti, & non operanti, *ex allegatis à Ca-
tal. par. 1t. consid.* 29. Merito igitur AP.
dicenda est maior dignitas quàm AD. per
quam is nihil operatur.

11 Tertiò probatur ex Priuilegijs, quæ ha-
bet AP. non verò AD. nam AP. Paulus III.
concessit Priuilegium cognoscendi causas
secundæ instantiæ ecclesiasticas in benefi-
cialibus, matrimonialibus, & quibuscunq.
alijs, ciuitatis, & diœcesis, & eo absente
Decano Canonicorum, vel à Iudicibus ab
ipsis datis, vt ergo retuli in meo Theatro
Præced. *num. 225. ex Anastasio Germon. de
Indultis Cardin. §. Per qua sublatis num.* 60.
probante, hoc Priuilegium non fuisse sub-
latum per Trident. *Sess. 13. cap. 2. Sess. 24.
cap. 20. §. Ad hac* Aliud quoque officium ha-
bet, præsidendi scilicet Consortio Præsbi-
terorum Catedralis; quibus, nec alijs ho-
noratur, AD. proinde in omnibus præpo-
nendus AD. & Canonicis ex suâ dignita-
te, in his quoq. Priuilegijs relucente.

Confirmatur, quia priuilegiatus non pri- 12
uilegiato, & magis priuilegiatus præfertur
minus priuilegiato, *Glos. v. Priuilegiatum
cap. Accusatus, de haret in 6. cum alijs al-
legatis à Castal. par. 4. consid. 32. Vers. Mo-
do magis, ex eis Tambur. tom. 1. de iure Ab-
bat. disp. 25. q. 3. num. 5. Nauar. cons. 5. de
maior. num.* 5. Si ergo AP. in hoc præfertur,
signum euidens est, quòd eius dignitas ma-
ior est, & prima, nam is maior est, qui
alijs præfertur, *Felin. in Rubr. de maior.
num. 8. & 10. Rota vol. 2. dec. 326. num. 4.*

Quartò probatur maioritas. Archipræs- 13
biteratus ex adæquatà ratione dignitatis,
quæ ei competit, & non AD. nam pro adæ-
quatà dignitatis ratione tria requiruntur,
Nomen dignitatis, Administratio rerum ec-
clesiasticarum cum Iurisdictione, & Præ-
rogatiua in Choro, & Capitulo, *ex decis.
6. apud Tambur tom. 3. de iure Abbat.* Quas
ipsum AP. habere notum est, *Prima* con-
stat ex eius nomine, nam AP. nomen in
Catedralibus importat dignitatem, etiam
si haberet tantum prærogatiuam Sedis, &
Stalli in Choro, sicut & AD. qui honora-
biliorem habet sedem, & stallum, vt pate-
bit infra, non tamen supra AP. ex nomini-
bus ergo proprijs habentur ambæ dignita-
tes in solis Catedralibus, ex communi *cum
Boerio decis. 286. num 3 cum alijs Rota dec.
9. apud eundem Tambur. num.* 2. Sed illa tria
reperiuntur in AP. nullatenus in AD. nam
AP. habet administrationem cum iurisdic-
tione, ex quo est illa lex appellationis ex
supradictis, habet prærogatiuam Sedis, &
Stalli honorabiliorem locum in choro, & in
Processionibus, vt patebit in sequenti pro-
batione, ergo in dignitate est maior alijs,
cum habeat adæquatè dignitatem, qua ca-
ret AD. qui solà prærogatiua loci gaudet
supra alios tantùm.

Confirmatur, quia maioritas dignitatis 14
desumitur ex administratione cum Iuris-
dictione, contra eum, qui nullam habet
administrationem, vt tradunt *Alber. ad
Abbatem in cap. 1. de offi. Archid. & in cap.
1. de archipresb vbi citatur Gardin. in
Clem. 1. de Prabend. q. 7. archid. & gemin.
in cap. perlectis dist* 25. qui licet dicant,
præferendum esse Archidiaconum Archi-
præsbitero, & illum esse maiorem isto pro-
pter administrationem & Iurisdictionem,
tamen in casu nostro aliter inferendum est,
nimi-

nimirum AP. præferendum esse, & esse maiorem in dignitate ob administrationem qua caret AD. certum est ergo, quòd ex administratione Iurisdictionis cognoscitur, & infertur maior dignitas, vt etiam docet *Boer. decis. 286. num. 5. Puteus lib. 3. decis. 105. num. 3. Verall. decis. 357. part. 2.* dicunt, quòd dignitas minor habens administrationem inter alias personas, cum quibus conuenit debet præcedere maiorem dignitatem administrationem non habentem, ergo à fortiori in casu nostro AP. debet præcedere AD. cum hic careat administratione, qua ornatur ille.

15 Quinto probatur in AP. maiorem esse dignitatem, quam in AD. ex libro Ordinarij Episcopi Bernardi, de quo supra, *in tit. de Ordin. in Exeq. & Process.* illis verbis: *Deinde Præpositus Capituli cum antiquiore Canonico; deinde Archipresbiter, & Archidiaconus dicta Ecclesiæ; & iste ordo nedum in funeralibus obseruetur, sed etiam in omnibus Processionibus obseruari debeat* Subsequenter per Alexandrum Farnesium Parmæ Episcopum, qui postea fuit Paulus III. editum fuit, & publicatum decretum 14. Ianuarij 1516. ad fauorem AP. his verbis: *Albis induti Chorum ingrediantur, & seruato ordine infrascipto, quilibet in sede sua, & stallo residcat, videlicet Archipræsbiter in prima sede coruu dextri superioris chori, Archidiaconus in secunda sinistri, Præpositus in secunda dextri.* Et infra. *Si tamen Episcopalem sedem transferri, & aliorum subsellia mutari contigerit, Archipræsbiter in prima post sedem Episcopalem.* AP. igitur vti prima dignitas præferendus est non solum AD. sed etiam quibuscunq. alijs non solum in loco honorabiliori, sed etiam in omnibus functionibus ad Missam, & alijs diuina, spectantibus, vt in terminis nostris *Hippol. Rimin.* asserit *Conf. 151. præsertim num. 24.* præferendum esse AD. in diuinis, hoc est, non solum in celebratione Missæ, sed etiam in Matutinis, Vesperis, Concionibus, Lytanijs, & Processionibus.

16 Colligitur ex hactenus probatis, Archipresbiteratum Ecclesiæ Parmæ esse primam dignitatem, ex quo adequatè in eo probata est ratio dignitatis, quæ non probatur in Archidiacono, cui præter nomen suæ dignitatis aliud non participat, nempe non administrationem, non prærogatiuam honorabilioris loci in Choro, nec in alijs actibus, quare cum solo nomine eam dignitatem participet, longe inferior dignitas, & diminuta dicitur, ex defectu prædictorum; prima dignitas nequaquam dici potest. Igitur AP. vti habens primam dignitatem præferendus est in omnibus actibus honorificis AD. ac proinde omnes in Choro, & Processionibus, in Matutinis, Vesperis, concionibus, in ministrando Cineres, Palmam, & aquam benedictam Principibus antecedere debet, Vt infra etiam magis constabit respondendo ijs, quę in medium proponi possunt pro Archidiacono.

Pro Archidiacono proponuntur diuersa Iura satis clara per quæ præfertur vti maior in dignitate AP. in primis *cap. 1. de offic. Archid.* scribitur. *vt Archidiaconus post Episcopum sciat, se Vicarium esse eius in omnibus, & omnem curam in Clero ad se pertinere.* Item cap. Ad hæc 7. *Est maior post Episcopum, & ipsius Episcopi Vicarius reperitur.* Et infra: *Oculus Episcopi Archidiaconus appellatur, vt loco Episcopi per Episcopatum prospiciens, quæ corrigenda viderit, corrigat, & emendet cap. 1. de offic. Archipresb. Vt Archipresbiter sciat, se subesse Archidiacono, & eius præceptis sicut sui Episcopi obedire.* Res est clara, argumentis, nec auctoritatibus est opus id corroborare, AD. esse primam dignitatem, cui proinde AP. subesse debet. 17

R. Illa Iura locum habere, vbi ab AD. seruatur ius commune in præfatis terminis, non seruari autem à nostro AD. certum est, vt patet in præcedentibus, ergo ea iura pro ipso non faciunt. Quare attendenda est in his consuetudo Ecclesiæ Parmensis, in qua AP. multis honoratur Priuilegijs, tum iurisdictionis, tum honorabilioris loci in suis functionibus. 18

De consuetudine attendenda in materiâ præcedentiæ docent omnes *cum Cardin. consil. 62. num. 1. Natta cons. 62. fine Seraph. dec. 964.* in terminis nostris Rimin. cit. num. 14. subdens num. 15. in Ecclesiâ Parmensi, Priorem, digniorem q; locum tribui Archipræsbitero.

Secundò ad fauorem AD. adduci potest Regul. Cancell. 4. vbi dicitur, quòd Papæ reseruantur omnes dignitates maiores post Pontificales, sed Archidiaconalis confertur à Papa, non verò Archipræsbiteralis, ergo illa est prima, non hæc. 19

Non obstat, quia dum Pontifex sibi reseruat prouisionem primarum dignitatum in Catedralibus, supponit, eas esse tales ante legis constitutionē applicantis reseruationē illis, qualitas enim, vt est reseruatio huiusmodi, vti accidens aduehiens subiecto supponit illud esse tale, quale à iure exigitur, cū accidens non possit existere sine suo subiecto, *Rota part. 6. dec 215. num. 4. Surd. dec. 117. num. 6.* Quare enunciatiua cum supponat rem esse talem, qualis denominatur, non dicitur illam probare, *Ciriac. lib. 2. contr. 244. num. 53 Ciarlin. cap. 108. num. 10.* maximè quando verba enuntiantur non propter se, sed propter aliud, *ex allatis à Farinac. par. 1. decis. 176. num. 4.* vt in casu præsenti, in quo primas dignitates nominat 20 21

nat in genere, non propter se, sed in ordine ad referuationem.

22 Tertiò, Andreas Barbatia *par. 2. conf. 5.* in terminis nostris probat Archidiaconatum Ecclesiæ Parmensis esse maiorem, ac proinde præferendum AP. quia illi probationi standum est, quæ consonat iuri communi, quam quæ iuri speciali; sed probatio AD. est per ius commune cap. Ad hæc 7. de offic. Archid. non verò probatio AP. quæ nititur iure speciali, ergo illi standum est vti verisimiliori: & dum probant consuetudinem esse, quod AP. præferatur AD. asserentes per decennium semper præcessisse eidem nihil probant, quia requiritur quadragenaria præscriptio, quæ cum non probetur, sequitur Archid. esse præferendum voce, loco, & iurisdictione Archipræsbitero.

23 Non obstat, quia nos non nitimur probatione constante in facto hominis, quod AP. in functionibus, & locis præferatur AD. sed iure ipso expresso in libro Ordinarij, in quo AP. præfertur AD. in sede, & omnibus Processionibus, & diuinis functionibus, vt superius probatum, & vlterius magis patet, quia AD. nullum exercet actum. Quare argumentum Barbatiæ; quòd verisimilius credendum sit iuri communi, quam dicto hominis testificantis, non facit ad rem nostram, qui præcedentiam probamus per speciale ius libri Ordinarij esse debitam AP. in quo casu cessare debet comparatiua probatio, quia in hoc casu non habet locum ius commune, quod agit de primatu, & maioritate AD. prout in ipso iure specatur, nimirum, vt habet administrationem cum prærogatiua loci, & functionum, quibus omnibus constat carere, ex supra probatis.

24 Quartò, referuntur plura S. Congregationis responsa, in quibus præstantiores functiones tribuuntur Archidiaconis Sacerdotibus, vt ministratio Candelæ in die Purificationis, & Palmæ in Dominica Palmarum Episcopo tradendarum, *Barb. in Apost. decis. collect.* 40. Sed dignot est ille, qui facit hoc ministerium, vt dicitur in Missali in Festo Purificat. ibi: *Dignor ex Clero accedit ad Altare, & ab eo celebrans accipit Candelam non genuflexus* Et in Festo Palmarum idem dicitur. *Dignor ex Clero accedit ad Altare, & dat ramum benedictum celebranti qui non genuflectit*. Et idem dicitur de impositione Cinerum his verbis: *Dignior Sacerdos ex Clero accedens ad Altare imponit cinerem Celebranti non genuflexo.* Et præterea AD. Sacerdos prima dignitas existens in decantatione missarum in diebus solemnibus, delatione Sanctissimi Sacramenti, Benedictione Cinerum, Palmarum, & alijs huiusmodi actibus, & functionibus Sacerdotalibus Episcopo absente, præferendus est AP. vt respondit *S. Congr. in Regensi 9. Decembris 1600. apud eundem Barb. num. 20. & 22. cap. 23.* subdens, quòd Archidiaconus, qui est prima dignitas, si concurreret in funeralibus cum Archipræsbitero, qui est secunda, & cui incumbit cura animarum, & defert Stolam, quiq. in Ecclesia, dum facit officium præcedit, huiusmodi Archipresbitero danda in via præcedentia ratione Stolæ *S. Congr. in Troiana 4 Maij 1613. Lauor. de funer. cap. 3. nu. 211. Genuens. in 1. edit. cap. 52.*

Non aduersantur hęc dictis superius à nobis pro AP. quia responsa S. Congre. in AD. duo requirunt, & quod sit Sacerdos, & quod ipse sit prima dignitas, ratione primi eas functiones celebrandi missam, deferendi Sacramentum, benedicendi Cineres, Candelas, & ramos, & ministrandi Candelam, & palmam Episcopo, facit vt Sacerdos, vt patet, etiam respectu ministrationis Candelæ, & palmæ, Missale enim requirit Sacerdotem digniorem. Ratione secundi AD Parmæ eas functiones præstare non potest, cum non probetur prima dignitas. Et quò ad celebrationem Missarum, & aliarum functionum Sacerdotalium benedicendi, & deferendi Sacramentum, & celebrandi cum Lytanijs Rogationum, res notissima est, quod AP. continuo & semper hæc præstauit, & modo exercet, quarum functionum initium ignoratur, & sic ius hæc faciendi sibi innatum habet. 25

Hinc infertur, ipsum AD. debere ministrare Cineres, Candelam, & ramum AP. solemniter celebranti illis diebus, quibus non celebrat Pontifex, quia textus Missalis supra extensus satis clarus est, quod dignior in Clero ministrat celebranti illa tria, sub quibus verbis veniunt omnes etiam dignitates, & Canonici, & non solum inferiores Sacerdotes, cum enim sint in choro ad seruiendum Deo, pro vno corpore politico habentur in ordine ad Sacram functionem, vnde ipse celebrans solemniter pro capite eorum habendus est, cui maius & dignius membrum ministrare debet Cineres, Candelam, & Ramum. Atq. ex hoc capite bene infertur, quod ipse AP. est prima dignitas, dum illi ministrat AD. Ideo enim aliqua dignitas dicitur prior, quia eam habens prior est in omnibus honorificis functionibus, non enim alia ratione huiusmodi honorificas functiones, quæ ex officio competunt Sacerdotio & per se, dum sunt sacerdotales, voluit S. Congregatio competere AD. sacerdoti, si sit prima dignitas, nisi ex eo, quia prima est in operando, vt nomini correspondeat res, & nomen rebus, quia imponuntur rebus, non vocibus, *l. 2. C. commod.* iuxta illud: *Conueniunt rebus nomina sæpe suis.* 26

Quæ

27 Quis forsan respondere poterit sub nomine *Cleri* non venire dignitatem, neq; Canonicum, quia non sunt de Clero, sed de Capitulo. Sed revera etiam Capitulum venit sub nomine *Cleri ex cap. 7. de ijs, quæ fiunt à prælat. iunctâ Glos. V. Cleri.* Nam *Clericorum* nomine in fauorabilibus veniunt omnes Dignitates, & Canonici *ex allegatis à Barb. hac appelat. 51. num. 1. 3. & seqq.*

28 Nulli dubium est, ex Pontificali Gregorij XIII. AP. competere ministrationem Cinerum, & Palmæ Episcopo celebranti, qui eidem restituit, signum euidens, quod AP. est maior dignitas, ex quo dat, & primò accipit. Nec obstat, quod ibidem dicitur: *Archipresbiter, seu alius maior, si adest imponit cineres super caput Pontificis sedentis.* Quia ex quo ipse ministrat, & non alius, ipse ex hoc effectu probatur maior.

29 Audio in nouo Ceremoniali aliter id præscribi, sub his verbis: *Dignor Sacerdos de capitulo.* AP. autem non est de Capitulo, ergo hodie id non est munus AP. cum sit dignitas extra Capitulum, & non de Capitulo, de quo est AD. ergo ad hunc spectat ministrare Episcopo Cineres, candelam, & Palmam.

30 Respondeo, cum ibi sit sermo de dignitate in gradu comparatiuo, ac proinde loquatur textus de dignitatibus, quæ vt plurimum sunt de capitulo, vt docet *Seraph. dec 437. fine*, de AP. ideo in casu nostro vna ex dignitatibus, quæ sit maior debet ministrare Cineres, Candelam, & Palmam Episcopo, non AD. quia in Capitulo non est maior, nec dignior, hæc enim qualitas est Decani & antiquioris Canonici, quatenus talis, vnde contra AD. facit illud, quod quando duæ qualitates concurrunt in eodem subiecto, quarum vna nocet, & tollit prærogatiuam, altera prodest, tunc attenditur nociua, *Felin. in cap. causam de iudic.* ac proinde persona AD. non attenditur, nec consideratur in Capitulo vti dignitas, & sic locum non habet textus pro eo; immo neq. pro Decano, qui nullam habet dignitatem, *ex allegatis à Barb. cap. 7. decanon.* ideo hoc munus relinquitur AP. qui sicut est prima dignitas ita in hoc primo, alijs præferendus est.

31 Demum dic melius Dignitates, & Canonicus facere vnum Capitulum dum sunt in Ecclesia coram Episcopo celebrante, eius enim sunt membra indifferenter, vt obseruat G atian. *cap. 111. num. 47.* ac proinde dignior de Capitulo est Archipresbiter, ex probatis, non Decanus, qui in Choro vt talis non spectatur, sed solum intra Capitulum, vbi tractantur negotia ad Canonicos spectantia, siquidem in Choro cedit locum dignitatibus, ergo non est dignior de Capitulo Chorali, in quo sensu accipienda sunt verba textus, *Sacerdos dignior de capitulo*, scilicet chorali, verba enim non materialiter, sed formaliter accipienda sunt, *Caiet. V. Excommun. cap. 1. ad finem, ex eo Megal. par. 3. lib. 3. cap. 1 num. 26. Nauar. cons. 23. de sent. excom. num. 9.* Nomen enim Capituli venit, non solùm cum in suo loco congregantur, sed etiam in Ecclesiâ ad solemnizandum, vbi congregantur non solum Canonici, sed etiam dignitates ad laudandum Deum, *Rota par. 5. dec. 57. & 111. per totam.*

In Dominica Palmarum benedicuntur rami Oliuarum & distribuuntur secundum Ritum ibidem in Missali expressum his verbis: *Dignior ex Clero accedit ad Altare, & dat ramum benedictum Celebranti, qui non genuflectit, nec osculatur manum Celebrantis; postea Celebrans stans ante Altare versus ad populum distribuit ramos, primum digniori, a quo ipse accepit.* In Pontificali verò Romano Gregorij XIII. fol 184. col. 2. Sic describitur ritus eius, qui ramum benedictum dare debet Pontifici, his verbis: *Accedit deinde qui ministrauit, vt supra cum solitis inclinationibus, & Palmam pulchriorem dat Pontifici, osculando primo Palmam, deinde cum illâ accipit, manû.* Nomine *qui ministrat*, venit Archipresbyter, nam supra dicitur: *Accedit etiam & Archipresbiter, seu Prior de Capitulo, quo ministrante nauiculam &c.* Et infra subditur: *Tunc Pontifex dat Palmam eidem, à quo ipse Palmam recepit.* Demum in Ceremoniali Episcoporum Clementis VIII. recognito ab Innocentio X. lib. 2. cap. 25. fol. 301. hic ritus sic ordinatur. *Tunc dignior ex Canonicis prabet ei Palmam pulchriorem acceptam de manibus Sacristæ.* Et hic eadem Ceremonia seruatur in distributione candelarum vt in eodem lib. 2. dicitur cap. 16 fol. 279. his verbis: *Tum sedes accepta Mitrâ, & dignior Canonicus paratus accipit de manu Sacristæ, siue Camerarij candelam pulcrè ornatam, & cum debitâ reuerentia illam osculatam dat in manu Episcopi, quam pariter osculatur.* Et infra. *Eodem; tempore dignior ille Canonicus pluuiali indutus facit reuerentiam primo Altari, deinde Episcopo, ascendit ad eum, & accipit ab eo candelam* &c. Hæ sunt cæremoniæ, quæ adhibentur pariter in traditione Candelæ, & Palmæ Episcopo. Ex quibus videtur manifestè colligi hoc munus pertinere ad digniorem ex Canonicis, & sic excludi Archipresbiterum, qui non est de numero Canonicorum. His tamen non obstantibus. 32

Dicendum est, functionem ministrandi Episcopo Candelam, & Palmam Benedictas 33

tas spectare ad Archipresbiterum, non ad digniorem ex Canonicis, quia licet primus Canonicus sit dignior respectu aliorum, non est tamen dignior Archipresbitero, in quo prima dignitas post Episcopum refulget, vt alias probatum fuit, ergo iure meritò illi competit hæc functio, non obstante nouo Cæremoniali, sicut nec antiquo Clementis VIII. Quod multis suadetur.

In primis S. Congreg. Rituum apud
34 Barb. de Canon. *cap. 5. num. 50.* declarauit, quod Archidiaconus, *si sit prima dignitas*, debet exercere officium Presbiteri Assistentis cum pluuiali Episcopo celebranti, iuxta formam *Cæremonialis*, illiq. candellam, & palmam benedictam ministrare, si sit *in sacerdotali ordine* constitutus. Hic ponderotria. *Primo*, quod hæc functio competit Archidiacono, non quà Archidiaconus, sed quatenus est prima dignitas, ad formam Ceremonialis.

Secundo, Ceremoniale, de quo hic fit mentio, est illud Clementis VIII ad cuius tenorem S. Congregatio responsum dedit in Reatinâ 10. *Ianuarij* 1609. cui Cæremoniali, & Responso conformatur nouum Cæremoniale Innocentij X. quo ad hoc *lib. 1. cap. 7.* ill s verbis: *Inter omnes Episcopi ministros, qui ei in diuinis assistunt & seruiunt, primus, & dignior esse Præsbiter Assistens, qui id circo debet esse dignior ex Presbiteris tam canonicis, quam Dignitatibus, qui in choro cum alijs sedere solent, nec refert, quo nomine nuncupetur, an Archidiaconus, an Archipresbiter, sed attenditur vt sit dignior ex omnibus, & in Sacerdotio constitutus, atq. in sacerdotalibus officijs expertus, vt dignè, & decenter officium suum exercere valeat*. Ecce quomodo illud Responsum ad formam Cæremonialis Clementis quadrat Cæremnniali Innocentiano, ex quibus patet, vt quis ministret candelam, & Palmam, duo prærequiri in eo, primam scilicet dignitatem, & Sacerdotium cum experientia muneris sacerdotalis. Quæ duo sine dubio probantur in nostro Archipræsbitero, vt non semel probatum fuit, & quod in eo est prima Dignitas, & quod est Sacerdos, & suum practicatur officium, cantando missam solemniter coram omni populo, ergo eidem hæc functio competit.

Tertiò, ex eo responso patet, cum solum posse ministrare candelam, & palmam Episcopo, qui est in Sacerdotio constitutus, constat autem Archidiaconum huius, cum quo nunc Lis viget, antecessorem non esse Sacerdotem, ac proinde nunquam functum fuisse hoc munere, consequenter ex eius persona, præsentem in hoc nullum ius ex hoc capite prætendere posse.

35 Infertur ergo ex his nouum Ceremoniale non excludere Archipræsbiterum ab hac functione, & concedere eam soli Canonico digniori, cum, vt patet, ex mox dictis, primæ dignitati competat hoc munus, qualem dignitatem nullus Canonicus habet, cum Canonici, & dignitates in catedralibus differentes sint inter se.

36 Præterea, illa verba *dignior ex Canonicis* non excludunt personam digniorem in alio gradu maiori, in quo sunt Dignitates simpliciter acceptæ, quales sunt in Catedralibus Archipræsbiteratus, & Archidiaconatus, *ex Boerio Decis. q. 286. num. 3.* id enim est irrationabile, quod minor in honoribus præferatur maiori, *cap. cum inferior 16. de maior.* minor enim, & dignior idem est, *cap. Sedes 15. de rescript.* certum autem est, Archipræsbiterum esse digniorem respectu Canonicorum, quibus non competit ratio Dignitatis, nisi impropriè, *ex allatis à Barbosa de Canonicis cap 19. initio*. Ergo ea verba non excludunt Archipresbiterum, sed tantùm Canonicos minus dignos, cum fiat comparatio inter ipsos Canonicos, & Dignitates. Adde, quod nulla adest taxatiua restringens ad digniorem ex Canonicis, cum exclusione aliorum altioris gradus neq. potest subintelligi, quia odiosa, vt est taxatiua restringens, est exprimenda, vt suum operetur effectum.

37 Demum, leges fiunt ob commune bonum, nec alicuius ius quæsitum tollunt, nisi d xprimant, cum sint iustæ, *cap. Erit 2. dist. 4.* Lex enim dicit quemadmodum quisque rem suam, vel ius suum conseruet, non vt ei auferatur *l. fin. de legib.* Si autem per illa verba *Dignior ex Canonicis* excluderetur maior dignitas in ministratione palmæ, & candelæ Episcopo, sine dubio tolleretur ius quæsitum alijs, quod nullatenus dicendum est, nisi dicamus hunc Ritum esse legem iniquam, quod asserere iniquius est.

CONS

CONSILIVM LIX.

Iterum de eorumdem præcedentia.

Vamuis iure communi cap. 7. de
1 Offic. Archid. Archidiaconatus sit maior dignitas, post Episcopatum, tamen quia experientia, & consuetudine compertum est, Archidiaconatũ in omnibus Cathedralibus no esse primam dignitatem; sed in aliquibus esse Præpositum, in quibusdam ipsum Archidiaconum, in alijs Archipresbiterum, in terminis *Hyppol. Rimin. cons. 151. num. 14.* ideo maioritas in his expiscanda est à requisitis necessarijs ad constituendam Dignitatem, quæ propriè, & adæquatè sumpta petit tria, Nomen, perpetuam Administrationem, & Prærogatiuam in actibus
2 honorificis, *Boer dec. 286. num. 9. Rota dec. 6. apud Tambur. tom. 3. de iure Abbat.* Vnde Fagnan. *par. 4. ad cap. ad hæc, de prabend. num. 21.* definit Dignitatem nihil aliud esse, quam perpetuam administrationem rerum ecclesiasticarum cum præeminentià in gradu; certum autem est, Archidiaconum carere prædictis duobus requisitis, nimirum, administratione, vt in nostris terminis docet *Archid. apud Boerium cit. dec. 286. num. 4. Abbatem in cap. De multà de prabend. num. 21. Barb. cap. 4. de Canon. num. 13. Fagnanum in cap. Ad hæc de Prabend. num. 49.* Ergo cum in eo adæquatè, & perfectè non reluceat Dignitas, nisi in gradu positiuo ex nomine tantùm, non potest dici maior, nec prima dignitas. Caret quoq. prærogatiuà loci honorabilioris, cum in Choro habeat sedem & stallum in cornu sinistro, & Archipræsbiter in cornu dextro, & sic sedes Archipræsbiteri est prima in choro post Episcopalem, Archidiaconi verò secunda, non potest ergo esse prima, & hæc prerogatiua Archipresbitero assignata de iure fuit per Decretum in Visitatione factum Alex. Card. Farnesij Parmæ Episcopi, qui postea fuit Paulus III. publicatum anno 1516. & quidem inhærendo meo iudicio ordinationi factæ à Bernardo Episcopo pariter Parmæ electo anno 1412. per quam tunc in Synodo de iure Archipræsbitero assignatus fuit locus honorabilior supra Archidiaconum in omnibus Processionibus, quem illi præseruauit Ferdinandus Farnesius Parmæ Episcopus in sententià latà anno 1575. Sequitur ex his Archidiaconatum non esse primam dignitatem, dum in requisitis ad dignitatem postponitur Archipræsbitero.

3 Certè vrgent Archidiaconum prærogatiuæ aliæ, & Priuilegia, quæ habet Archipræsbiter, dum alias speciales habet administrationes, quibus caret ille, nempe, quia est Iudex in causis appellationis, & caput Clericorum Consortialium Catedralis, sine quo non congregantur in Capitulo ad peragenda sui Consortij negotia; & hæc duo priuilegia inhærent non personæ, sed dignitati, cui dicuntur concessa, quæ quidem illam conspicuam, præstantiorem, & maiorem constituunt supra Archidiaconum qui illis caret.

Quod autem maioritas in dignitatibus 4
cognoscatur desumpta ab illis requisitis, manifestè colligitur *ex cap. 1. de offi. Archid.* dum illum præfert Archipræsbitero ex administratione, *Glos. V. Electionis, cap. Deliberatione, de offic. legati in 6. Boer. de Auctor. magni consil. num. 73.* & maioritatem accipi ab administratione docent *Cardin. in clem. 1. de prabend. q. 7. Archid. & Gem. in cap. Perlectis dist. 25. apud addit. Abbatis Panor. in cap. 1. de offic. Archid.* vbi dicitur, quòd Archidiaconus propter curam Fori contentiosi, quam exercet, dicitur esse maior. Et in alia Addit. ad *cap. 1. de offic. Archipræsb.* quæritur dub. vtrum quis ipsorum sit maior, & respondetur per supradictos, quod Archipræsbiter nullam habet Iurisdictionem, intellige, de iure communi, & propterea dicitur minor Archidiacono, propter Iurisdictionem, quam habet, & curam Forì contentiosi.

Constat ergo ex his, maioritatem suæ 5
dignitatis accipi ab Administratione, & Iurisdictione, quibus cum careat, necesse quoq. est, ipsum carere ea maioritate, & primatu, qualitas enim nequit existere sine suo subiecto, *Instit. de Vsufr. §. 1.* vnde ad remotionem, vt ibidem dicitur, subiecti, quæ est administratio, sequitur remotio qualitatis defectu enim qualitatis, deficit etiam concessio, *Craueta cons. 435. num. 31. Seraph. dec. 1048. num. 9.* E contra cum Archipresbiter habeat Administrationem, & Iurisdictionem, ex probaris, habet quoq. maioritatem contra Archidiaconum.

Nec obstat, quod Archidiaconatus dica- 6
tur de reseruatis Papæ, ac proinde prima dignitas, quia confertur à Pontifice Romano. Ratio est, quia enuntiatiuum non probat, quando principaliter disputatur de enuntiatio, *Felin. in cap. per tuas, de probat. num. 12. Alex. lib. 1. cons. 156. num. 11. cum alijs Rota par. 4. tom. 3. dec. 552. num. 13. & par. 5. dec. 119. num. 14.*

7 Sententia quoq. lata à Ferdinando Farnesio Episcopo Parmæ 1574. his verbis: Declaramus dictum Reuerendum D. Cæsarem Picolellum Archidiaconum nostræ Catedralis Ecclesiæ Parmensis vti obstinentem in ea primam Dignitatem post Pontificalem, & Successores suos in dicto Archidiaconatu ratione dictæ suæ dignitatis, tam de iure, quam ex dispositione libri Ordinarij nuncupati Ecclesiæ Parmensis in omnibus, & singulis actibus, & locis, tam publicis, quam priuatis quibuscunq. alijs dignitates etiam maiores in dicta Ecclesiâ obtinentibus, & præcipue dicto R. D. Alexandro Archipræsb. & successoribus suis in dicto Archipresb. præcedere, & præcedere debere, præterquam in administratione diuinorum tam de iure, quam ex dispositione dicti libri Ordinarij dignitati Archipresbiteratus competente, in quibus declaramus Archipresbiteros pro tempore præcedere debere Archidiaconis, super quibus vtriq. eorum respectiuè, ratione dictarum dignitatum perpetuum silentium imponimus. Et etiam, præterquam sedendi in primo stallo à dextris in choro dictæ Ecclesiæ Parmensis tantum, in cuius possessione ipse D. Archipresbiter existat, in qua ipsum manutenendum esse decernimus, reseruato tamen ipsi Archidiacono iure sibi competente in petitorio, quo ad stallum prædictum.

8 Hæc, inquam, Sententia in nullo præiudicat Archipresbitero, quia ab eo executioni nunquam demandata fuit, vt patet ex altercatione, quæ semper viguit, & nunc agitatur inter partes, ideo cum non sit effectuata, non est attendenda, **Rota par. 3. dec. 240. num. 12.** nec quicquam prodest parti aduersæ, eadem **Rota par 9. dec. 321. num. 33.** Immo audeo dicere, quod est iniusta, & nulla, cum sit contra ius speciale dictarum Ordinationum ad fauorem Archipresbiteri editarum, quod illi tribuit prærogatiuam in choro, & Processionibus, indicantem maioritatem aduersus Archidiaconum, & sic non est prima dignitas, & tamen Iudex asserit, se ferre sententiam ad formã libri Ordinarij, vt patet legenti totũ Instrumentum, declarando Archidiaconum debere præcedere vti obtinentem primam dignitatem, definit ergo falsum contra certum ius Bernardi, & Alexandri. Viterius est implicantia, & contradictio in illis verbis: *Vti obtinentem in ea primam dignitatem* scilicet Archidiaconum, qui proinde præcedere debet *quibuscunq. alijs dignitates etiam maiores in dicta Ecclesia obtinentibus*. Hæc ergo verba posteriora cum prioribus manifestè pugnant, nam Si Archidiaconatus est prima dignitas, vt sententiat Iudex, nulla alia in Catedrali prima dici poterit post Episcopum, de quo non est controuersia, nam impossibile est, quòd ante primam dignitatem sit alia prima dignitas, cum aliæ sint secundæ, & posteriores, primus enim is dicitur, quem nemo præcedit, adeo vt nihil ante se reperiatur talis qualitatis in eo ordine, *l. Qui duos 10. ff. de reb. l. Ex duobus 34. ff. de Vulgar.* Patet Deus enim est primum ens, quia ante se nihil habet, si ergo Archidiaconatus est prima dignitas, nullam aliam dignitatem se priorem habet in controuersiã; iudex ergo exprimendo eodem contextu contradictoria nulli eorum potuit contradicere, & sic nihil definiuit. Demum dixit, se relinquere in possessione Archipræsbiterum quò ad *Sessionem* in primo stallo, reseruato iure petitorij Archidiacono. Quod subsistere non potest, nam reuerà iustè possidet, cum auctore Prætore ex libro ordinarij possideat vnde in terminis nostris respondet, *Hypol. cit. consil. 151. num. 29.* quòd cum possessorium absorbeat petitorium, & vtrunque de iure sit Archipræsbiteri, quia titulum habet possidendi ex Bernardo, ideo Archidiacono repugnat exceptio hæc Dolo petis, quod restiturus, & *l. 134 ff. de regul. iur.*

Dices, præfata Sententia lata fuit ad fauorem Archidiaconi Sacerdotis, propter maiorem dignitatem in eo relucentem, nam AD. promotus ad Presbiteratum non perdit dignitatem suam, sed Sacerdotio eam reddit perfectiorem, secundum quod excedit AP. pares ergo licet sint in ordine, non tamen in dignitate, AD. ergo non cedit AP. *vt cum alijs docet Host. in cap. 1. de offic. Archip.* Hinc est, quòd AD. Sacerdoti competunt ex eius maiori dignitate functiones sacerdotales, quæ AP. non conueniunt, nisi in casu, in quo ille non est Sacerdos. 9

Sed prædicta non obstant, quia licet ambo sint Sacerdotes, & quò ad substantiam Ordinis pares sint, tamen quò ad functiones Sacerdotales AP. excedit per se AD. siquidem AP. per se, & ex natura rei includit Sacerdotium, sine quo non confertur dignitas AD. vero per se quidem includit Diaconatum, non vero Sacerdotium, quod illi per accidens coniungitur, res est clara, quia antecessor D. Antini præsentis Archidiaconi erat solum Diaconus, quare illa dignitas est præferenda, quæ per se adiunctum habet Sacerdotium, non verò quæ illud sibi voluntate, non necessitate, quærit. Confirmatur id *ex l. qui habent 3. ff. de tutel.* ex qua deducitur duabus concurrentibus causis, eam esse attendendam, quæ est naturalis, & per se, non verò, quæ est accidentalis, & per contingens, *Bartol. super Rubr. dicti tit. de Tutel & q. 18. num. 2. Abbas lib. 2. consf. 62. num. 16.* ergo in functio- 10 11

unctionibus sacerdotalibus præferendus est AP. & ita docet Fagnan. ad cap. ad hæc, *de offic. Archid. num.* 20. quò ad functiones Sacerdotales, nam in reliquis fauet AD.

13 Videtur obstare *decisio* 244 *part.* 3. *Recent.* in qua deciditur, AD. Viterbiensem præferendum esse AP. in celebratione Missarum auctoritate *Host. in cap.* 1. *de offic. Archip.* Factus ergo Sacerdos AD. quia tunc respectu Ordinis non est amplius minor, sed par, vt dicit idem Host. præferendus est in celebratione. Et facit, quia Ordo sacerdotalis non inest dignitati, sed personæ, in cuius anima imprimitur caracter, & ideo licet vna dignitas requirat personam maioris Ordinis, quàm altera, non propterea, loquendo propriè, dici potest, quòd vna dignitas sit ordine Sacro maior, quàm altera. Atq. hinc corruit illud fundamentum supradictum, quod qualitas Sacerdotis in AD. sit accidentalis, cum illam ex necessitate suæ dignitatis non teneatur suscipere, ac proinde non sit attendenda, *Abbas in cap Si quis, de foro compet. num.* 2. *ex l. qui habent ff. de tutel.* Quia si considerentur solæ dignitates, nullo modo eis inest Ordo Sacerdotis, si verò attendantur personæ, vtriq. inest accidentaliter, vnde cum in hoc sint pares, ille debet præferri, qui in cæteris est dignior per præallegata.

14 R. primò, eam decisionem supponere, primam dignitatem esse Archidiaconatum in Catedrali Viterbiensi, & ibi habere administrationem cum prærogatiuà; & sic nihil contra nos. Secundò, certum est, AP. ex officio suo missas celebrare absente Episcopo, expresse cap. Perlectis dist. 25. illis verbis: *Et quando Episcopi sui absentia contigerit, ipse vice eius Missarum solemnia celebret.* Idem dicitur *cap. Officium* 3. *de offic. Archip.* & idem specificatur in Synodo Bernardi in terminis nostris; itaut nec ius commune, nec speciale tribuat hoc officium celebrandi solemniter AD. quouis modo specato, vnde nescio, quo iure Rota pro ipso quæstionem deciderit, cum resolutiones dandæ sint secundum iura, Rota enim ius non facit, sed tantùm illud declarat, *l. Sicuti* 8. §. *Sed si quæratur ff. si servit. Vendic.*

15 Dicitur supra in decis. quod Ordo Sacerdotalis non inest dignitati, sed personæ, in cuius animà imprimitur caracter. Verum id est, sed per hoc non tollitur difficultas; cum enim quis non possit consequi dignitatem AP. nisi sit Sacerdos ad effectum exercendi officium suum; nec AD. nisi sit Diaconus, vt ex officio suo ministrare possit, mensis, quam celebrare, iuxta illud Act. 6. *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis*, per quod ordinati fuerunt Septem Diaconi, quorum Archidiaconus primo fuit Stephanus, quia primus inter illos; necessario sequitur, quòd neuter potest institui in sua dignitate, nisi sint prius ordinati vnusquisq. in suo ordine; vnde in vnoquoq. proprius Ordo consideratur per se, & non accidentaliter, consequenter AP. vt talis, & vt Presbiter, secundùm hoc complexum, in celebratione præferendus est AD. ad quem huiusmodi functio sacramentalis non competit, nec diuisim, nec sub hoc complexo, nec cum qualitate Sacerdotij, quæ illi accidit, vt dicunt etiam Aduersarij, ex ea ratione, quia inspicitur in operatione causa per se sibi congruens, & non accidentalis, *l.* 1. *C. de curat. furios.* illa enim est potentior ista, *Glos. in Clem.* 2. *de sepult. in fine casus Barb. Vaz. lit. C num.* 15. Quare isti modi considerandi sunt, in eo, quòd causa accidentalis non dat prælationem in celebrando, quia dignitas AD. non facit ad celebrandum, vt operatur dignitas AP. quæ per se supponit Sacerdotium, non verò Archidiaconatus.

Si quis opponat, in libro Decretal. titulus de Officio Archid. præfertur titulo de Officio Archipresb. vt notum est, & redditur ratio huius prælationis ibidem initio quia Archidiaconus post Episcopum maior est, vt expresse dicitur eodem tit. cap. Ad hæc, ergo in omnibus, & per omnia AD. est præferendus AP. Valet enim argumentum ab ordine titulorum, *Innoc. de Tutela, Bart in l idem Labeo ff. de rer. amot. ex eis Sanctorius in examine panal. distrit. cap.* 19. *q.* 6 *fol.* 267. 16

Respondetur *Primò*, titulus Archidiaconi præponitur titulis de Officio legati, Vicarij, & Iudicis ordinarij, & tamen non præfertur istis, vt notum est. *Secundò* titulus de off. Archid. præfertur in eo sensu, in quo accipitur in nigro, titulus enim, & textus, rubrum & nigrum mutuam debent ad inuicem habere congruentiam, *l.* 2. §. *Si quid aut* §. *Si quid verò C. de veteri iure enucl l.* 1. §. *Quibus specialiter C. de nouo codice*, debet enim concordare cum nigro, *ex allegatis à Mascardo de probat concl.* 1291. *num.* 11. In nigro autem nomen Archidiaconi accipitur pro eo, qui habet administrationem cum iurisdictione visitandi pro Episcopo, cuius vices gerere debet, vnde & oculus Episcopi vocatur. Sed noster AD. nihil horum habet, sed solùm purum nomen, & quidem vacuum, cum nec prærogatiuam Præcedentiæ in Processionibus, & in choro habeat, vt constat ex præcedentibus, nec amplius AD. dicuntur oculi Episcopi, *Anguian. de legib. lib.* 2. *controu* 4. *num.* 10. *apud Barb. super cap.* 12. *Trident. sess.* 24. *num* 6. Quare licet tituli allegentur in decisione causarum 17

rum, *ex Nauar. tom 3 in Glos cap. Hac autem verba, num. 6.* & d tur pr. clatio, id tamen intelligendum est, quando congruentiam habent ad inuicem, & personæ pro qua agitur nomen non tantum secundum vocem, sed etiam secundum rem competit iuxta Iuris dispositionem, quia verba restringuntur iuxta adiunctam speciem, *Oldr. cons. 8 Surd. cons. 551. num. 33 cum alijs Rota par. 7. dec. 104. num 6.* Et in potioris significationis accipienda sunt, *l. 1. §. qui in perpetuum ff. si ager vectig. Gratus vol. 1 cons 9. num. 27.*

Vlterius *Tertiò* controuersia non spectatur secundum Ius commune, quod dat AD. maioritatem contra AP. sed secundum consuetudinem, quæ hic Parmæ viget seruandam in materia præcedentiæ, vt omnes docent *cum glos. V. Auscultetur cap. 2 de offic Archid. Diana resol. 23. de consuet. Barb. lib. 1. de Iure eccles. cap. 24. de Archid. num. 8 & 40.*

19 Videtur facere difficultatem tenor Bullarum pro AD. expeditarum, quia in eis Archidiaconatus appellatur prima dignitas, in Bullis verò Archipresbiteri id absolute non exprimitur, nisi diminutiuè per verbum *Quasi*, aut *Forsan*. Quare cum in verbis claris non sit locus coniecturis concludendum est, non posse AP. dici primam dignitatem, cum ea sit ipse Archidiaconatus absolutè, & non sub dubio probata in Bulla pro AD. expedita.

20 Sed pro AP. respondendum est, nihil obstare *primò*, quia narratiua in prouisione AP. reddit dubiam narratiuam in prouisione AD. aliqui enim negatione dubium fit, *Glos. V. Tunc literarum cap. 24. de rescr.* in eadem enim Ecclesia duæ dignitates non possunt esse simul primæ, quia illud dicitur primum, quod nihil habet ante se, *l. Quidam 10. ff. de reb. dub. Moditius §. Magistratus dubitat. 3. num. 3.* Igitur illæ Bullæ contradictores perturbant. *Secundò*, enunciatiua, & narratiua in Bulla Papæ nihil probat, cum sit partis, sicut dispositiua est Papæ, aliter idem probaret in propria causa, quod fieri non potest, quia nemo in propria causa Iudex, nec testis esse potest, ex vulgatis Iuribus, narratiua ergo partis non probat, *Alex. Vol. 5. cons. 9. num. 12. Decius cons. 63. num. 6. Vers. Nec obstat, cum alijs Rota par. 2. decis. 580. num. 6.* nullitas ergo est à parte eam allegante, *ex allegatis à Seraph. dec. 330. num. 3.*

21 Ex tenura, & consideratione nouissimi Ceremonialis editi iussu Innocentij X. nihil noui colligi potest contra AP. quia in nullo præiudicauit specialibus statutis, & consuetudinibus, immo illis se accommodauit, pro cuius rei veritate ad nostrum propositum adduco, quod dicitur lib. 1. cap. 7. Inter omnes Episcopi ministros, qui ei in diuinis assistit, & seruiunt, primas, & dignior est Presbiter assistens, qui idcircò debet esse dignior ex Presbiteris tam Canonicis, quam Dignitatibus, qui in Choro cum alijs sedere solent; nec refert, quo nomine nuncupetur, an Archidiaconus, an Archipræsbiter, sed attenditur, vt sit dignior omninò ex omnibus, & in Sacerdotio constitutus, atq. in sacerdotalibus officijs expertus, Ex his apparet hic nihil determinari, an AD. an AP. sit dignior, sed relinqui statutis, & consuetudinibus locorum, & solùm decernitur, quòd Assistens Episcopo in diuinis debeat esse constitutus in Sacerdotio, & ex omnibus, cuiuscunq. sint conditionis, & gradus, sit dignior, & expertus in officijs Sacerdotalibus, experientia, autem constat AP. præ cæteris esse expertum in Officijs Sacerdotalibus, cum semper ipse exercuerit huiusmodi officium cantando missam, & Vesperas solemnes absente Episcopo, ergo ex hoc officio est dignior præcæteris. 22

23 Nec opponi potest clausula obstantiua, Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis etiam in Vniuersalibus, Prouincialibusq, & Synodalibus Concilijs editis Generalibus, vel specialibus constitutionibus, & Ordinationibus; nec non quatenus Ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione Apostolicà, vel quauis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus.

24 Ratio est, quia hæc clausula obstat, & tollit ea statuta, & consuetudines, quæ aduersantur determinatis in hoc Ceremoniali; quia Pontifex Romanus mandat seruari formulas in eo præscriptas, non obstantibus statutis, & consuetudinibus e.g. si in Ecclesia consuetudo esset, vt Sacerdos Canonicus iunior pro tempore existens inseruiret Episcopo; hæc sine dubio abrogatur, & tollitur per supradictam obstantiam, quia talis Sacerdos nec dignior ex omnibus est, nec in Officio expertus, tolluntur ergo consuetudines, quæ directè contrariantur formulis decretis in hoc ceremoniali, non vero, quòd e.g. AD. vel AP. sit prima, aut secunda dignitas, quod vnus cantet solemniter, & non alter.

CONSI-

CONSILIVM LX.

An copia simplex Instrumenti perditi faciat Fidem in Iudicio?

1 VIdetur fidem adhibendam esse exemplo, seu simplici copiæ Testamenti D. Alexandri Talignani, quia indubitatum videtur confectum fuisse ipsum Testamentum, & ab ipso D. Grassano receptum; siue quia Illustr. q. D. Thedaldus asserit in suâ sententia, se in originali vidisse, ipsum Testamentum: Siue quia D. Clara in responsione ad positiones actoris de ipso Testamento, hæredum institutione, & substitutionibus ponentis, respondet, se credere prout in Testamento: Siue quia exibet ipse D. Alexander actor legatum ex eodem Testamento: & seu copiam desumptam, in cuius proemio Testamenti D. Horatius Grassanus Notarius se esse, & seu fuisse de eodem Testamento D. Alexandri Talignani rogatum. Quamobrem eum non videatur dubitandum ad fuisse in rogitibus Grassani, licet modo non reperiatur, dicendum videtur, de illius substantiâ non esse ambigendum, & propterea faciliorem tribuendam esse Fidem adductæ continentiæ eiusdem Testamenti, & substitutionis in eo contentæ ex copia a parente, vt arguere licet à sim l *ex Seraph de iuram. priuileg.*
2 *36. num. 1. & priuileg. 37 num. 2.* vbi probata substantia etiam existentis admittitur probatio quantitatis per iuramentum.

3 Secundò videtur copiæ huic Fides adhibenda, quia de eodem Testamento apparent plura eiusdem tenoris exempla, nempe productum à D. Alexandro, & productum à D. Clara, licet in alio iudicio, *ex Menoch conf. 924. num. 32.*

4 Tertiò, quia super exemplo fuit iudicatum ab Illustr. D. Præside, & obseruatum, *Menoch ibidem num. 103.* Fuit autem obseruatum quia soluta, & adimpleta legatum in ipso testamento relicta; præterquam quod super dictum Testamentum fuit motiuatum, & iudicatum, & appellatum, & nihil et, nisi post conclusum in causâ oppositum, & dico &c.

5 Quartò, quia D. Clara non opposuit, nisi post conclusum in causâ, in secundâ instantiâ factâ, vt dictum est, ideoq. exemplum istud fidem facit, *Menoch num. 34.* In primâ autem instantiâ nihil speciale oppositum fuit, nec ipsa generalia fuerunt opposita, sed dixit D. Clara de nullitate tantum productionis.

6 Quintò, credendum est huic exemplo, quia concurrunt adminicula, *Menoch num. 35. Genua de script. priuata lib. 1. q. 16. num. 28 & 35. fol. 59.* quæ adminicula recensentur in primo motiuo.

Sextò, plene probare videtur istud exemplum, dum ipsa D. Clara dedit copiam Testamenti istius coram Illustr. D. Auditore licet in aliâ causâ, vt dictum est, sic enim visa est fateri, contenta in ipso exemplo esse vera, *Genua cit. num. 16. fol. 58.* vltra dictâ responsionem datam positionibus per ipsam D. Claram. 7

Licet autem in antecedentibus numeris loquatur Menoch. in fortioribus terminis, non inde tamen sequitur, quòd non habeant locum conclusiones prædictæ in casu, de quo agitur. Quibus non obstantibus contrarium dicendum est. 8

Fidem non esse adhibendam simplici copiæ, seu exemplo testamenti D. Alexandri Talignani, de quo in prædictis motiuis, dum originale non inuenitur, probat *cap. 1. de fide instrum. Oldr conf. 1. num 3. Paris. lib. 4. cons. 115. num. 5. Rota par. 3. dec. 452. num. 1. Genua, lib. 1. q. 16. num. 12.* Exhibendum ergo est originale, aliter non probat. *Doct. in cap. cum dilecta, de confirmat. cap. fin. de fide instr. glos. in cap. Abbate de sign. verb Mascard. concl. 711. Genua de script. priuata lib. 1. q. 16. num 2. cum alijs Ciarlin. cap. 114. num. 32.* Etiamsi sit scripta ab eodem Notario, qui asseritur rogatus Testamentum, *Menoch. cons. 175. num. 18. ex eo Barb. ad cap. 1. de fide instr. num. 3.* Ratio, cur non sit credendum, nec credi possit simplici exemplo, ea duplex est. Prima, quia copia dicit relationem ad originale, ergo illa cognosci non potest esse verâ, nisi per inspectionem originalis, *Rota par. 8. dec. 96. num 8* Secunda ratio desumitur *ex l. fin. C. de edicto D. Adrian. toll.* vbi decernitur, quod Testamentum debet inspici an sit cancellatum, abolitum, an alios defectus patiatur, de quibus cum non possit constare ex Copia simplici, meritò hæc nullo modo attendi potest, cum non demonstret legitimum esse Testamentum, etiamsi copia simplex extracta sit ab eodem Notario, qui Testamentum rogauit, *ex Bart. in l. 1. §. Si quis in duobus ff. de bonor. possess. sec. Tabal. ex Rota par. 4. tom. 2. dec. 503. num. 2.* Vt ergo copia habeat eandem vim, quam habet originale, debet esse auten- 9 10

autenticata à Notario, aut alio ipso mortuo habente legitimam concessionem sibi factam à Superiore, in quo casu plenè probat sicut ipsum originale non necessariò exhibendum, quia talis copia vti legitima, & publica, reputatur ipsum originale, *Bart. in l. Si quis ex argentarijs §. Si Prætor ff. de eden. Mascard. concl. 711. num. 7. & 9.*

11 Circa motiua primò loco posita, primò, quòd visum fuerit originale à D. Iudice Thedaldo, id nihil probat contra D. Claram, quia non est credendum Iudici enunciãti aliquid constare ex actis, *Gabriel. de sentent. concl. 4. num. 2. & 3. Rota par. 4. tom. 2. dec. 489.* Deinde vni soli testi credendum non est in preiudicium tertij, *Farinac. q. 63. initio.*

12 Secundò, quòd D. Clara consimilem copiam produxit &c. Respondetur, producentem scripturam censeri fateri in ea contenta, & approbare, si sit autentica, aliàs productio nihil operatur contra producentem, *Alex. lib. 5. cons. 108. num. 5. Honded. lib. 2. cons. 78. num. 8. Verall. par. 1 decis. 199. Beltram. ad dec. 238. vers. prædicta Gregor. XV.* Ratio est, quia nihil existens aliquid operari non potest, siquidem ex nihilo nihil fit.

13 Tertiò, quòd credit positionibus in Testamento &c. Respondetur, admissiones positionum per verbum *credere* non probare existentiam Testamenti, Rota enim Romana non solet attendere ad eorum confessiones, *par. 3. dec. 656. num. 8.* solum enim inuentæ sunt, vt pars releuetur ab onere probandi, *Merlin dec. 92. num 6.* Non probatà ergo subsistentià Testamenti per illius productionem legitimam in actis, vlterius procedendum non est contra D. Claram, quia prius videndum erat de illius subsistentià, quam cognosceretur de eius effectibus, *Decian. cons. 588. num. 5. Surd. lib. 1. cons. 150. num. 81.*

14 Circa secundum motiuum, quia apparent plura eiusdem Testamenti exempla producta tam ab Alexandro, quam à Clara in alio Iudicio. Respondetur, pluralitatem copiorum nihil probare, Decius *in Authent. Si quis in aliquo C. de edend. num. 8.* etiamsi Notarij testarentur se vidisse originale, *Iason ibid. num. 2. & Cagnol. num. 51.* Vnde etiamsi essent centum nihil faciunt, vt asserit *Gratian. cap. 859. num. 32. vbi pro se citat Curt. Iun. cons. 166. num. 3. Castrens. in auth. cit. Purpurat ibidem num.* 14. Ratio Clara est, quia vnaquæq. copia per se singulariter spectata nihil probat, vt notum est, ergo neque simul sumptæ quia per eam pluralitatem nullum aquirunt gradum probationis; quod enim communiter dicitur: *Singula quæ non prosunt, vnita iuuant*; non procedit, quando singula sunt imperfecta in sua specie, vt in casu nostro; *Alex. lib. 1. cons. 13. num. 19. & 20. Socin. Iunior. lib. 3. cons. 86. num. 29. ex eis Rota par. 5. decis. 187. num. 18.*

Ad tertium motiuum, quòd iudicatum fuerit ex dicto exemplo, solutis legatis, & nihil oppositum, Respondetur, res inter alios acta non debet nocere tertio, *cap. quamuis 25. de Sentent. cap. cum Olim. 7. de causa. possess.* Præterea acta in vno Iudicio, non debent nocere in alio, *Ludouis. decis. 432. num. 4.* Neque enim habent relationem ad inuicem, cum sint diuersa Iudicia, ac proinde ab vno non infertur ad aliud *l. Papinianus ff. de minor. cap. ad audientiam 12. de decim.* 15

Ad quartum, quòd post conclusum in causà in secundà instantià opposuerit, ac proinde exemplum hoc fidem faciat &c. Respondetur, per huiusmodi oppositionem nullam fidem aquisiuit ea scriptura, ac proinde nocere non potest, *Bart. in l. Post legatum ff de ijs, quibus vt indign. num. 2. Vers. Responde, cum alijs Gregor. XV. dec. cit. 432 num.* 4. Quia fidem scriptura aquirit ex authenticatione, non ex productione. 16

Ad quintum, quòd huic Scripturæ credendum sit propter adminicula sub primo motiuo, responsum iam fuit illa adminicula nihil probare; & *Genua lib. 1. q. 16. num* 28. in hoc motiuo citatus, inquit: *Ampliatur secundò, vt itidem procedat, etiamsi Scriptura ipsa originalis non fuerit registrata, sed data copia parti, quæ nihil opposuit, nam perditâ dictâ originalis scriptura, cogetur pars copiam exhibere, quæ registrata probabit.* Non sumus in casu, de quo agimus, nam copia extat, & originale, quæritur, ad quod respiciendum est, vt inspiciatur an Scriptura sit vera, *Rota par 8. dec. 96. num.* 8. sub num. 38. Genuæ nihil contra nos, vt patet legenti illud. Citatur etiam Menoch *cons. 924. à num. 32. ad 36.* sed si legatur à num. 23. loquitur de exemplato à Notario, qui non fuerat de originali rogato, qui tamen subscripserat ex ea facultate regia, quam habeat, num. 25. in casu nostro, copia non erat subscripta, & Menoch. videtur probare magis probabile per minus probabile. 17

Ad sextum D. Clara dando copiam in alio Iudicio visa sit fateri contenta in exemplo dato *ex Genua cit num. 16.* Respondetur per eundem *Genuam num.* 17. procedere, quando per confessionem ipsius exemplaris, vel aliter constaret de meritate originalis, aliàs secus. Sed modo quæritur de illius veritate, ergo. Sub num. 18. ex alio Doctore dicit, quod talis probatio non oritur ex exemplo producto, seu 18

ex

ex confessione producentis, qui censetur confiteri omnia contenta in scriptura producta, supponit ergo, quod aliunde oritur talis probatio, quæ cum ab alio oriri possit, quam ab originali, si illud non exhibetur, manet penitus improbata.

Et ex his mihi videntur esse sufficienter resoluta motiua data contra D. Claram, saluo semper &c. Quare &c.

CONSILIVM LXI.

An debita per Regulares contracta in Conuentibus paruis nunc suppresis ab eisdem soluenda sint, an à Successoribus in illis?

1 INnocentius X. in sua Bullâ incip. *Instaurandæ* sub datum 15. Octobris, publicatâ 22. eiusdem, anno 1652. & sequenti die 24. vocati fuerunt omnium Religionum Procuratores Generales, inter quos & ego fui tunc mei Ordinis Procurator Generalis, coram D. Fagnano Reformationis Præfecto, quæ non satis bonum obtinuit effectum, vt experientia testatur, quibus ille consignauit literas executorias dictæ Bullæ, vt scilicet, Conuentus suppressos in eis nominatos, infra sex menses à die 24. Octobris dictarum literarum, & sic vsq; ad 24 Aprilis 1653. cum effectu renuntiassent in manibus Ordinarij loci, & ita factum fuit.

2 Ante huiusmodi Suppressionem, & egressum è Conuentibus eorum, administratores regulares nonnulla contraxerant debita pro alendis Fratribus, instantibus creditoribus pro solutione, re delatâ ad Sacram Congregationem, responsum fuit, vt Iudices in hac causa prout de iure procederent. Quærit N. Vicarius Generalis ciuitatis N. in Vmbria quis teneatur soluere, an Regulares, an Clericus successor in Conuentu suppresso.

3 Ego puto, Successorem in Conuentu suppresso condemnandum esse ad soluendum debita per Regulares contracta, & hoc multis suadetur.

4 Primò, nam in priori Bullâ eiusdem incip. Inter cætera sub datum 17. Decembris 1649. publicata 22. eiusdem mensis, & anni, mandatur omnibus Regularibus, vt in scriptis prę alijs redigant expensas tam ordinarias, quam extraordinarias æris quoq. alieni; quod & expressum fuit in Instructione datâ Reuisoribus; & in posteriori Bulla, de qua supra, reseruantur Iura fundatoribus Conuentuum sic suppressorum, vel alijs ex sacrorum Canonum præscripto, in qua quoq. mandatur, vt Conuentus suppressos realiter dimittant, & cum effectu coram Ordinarijs locorum exhibeant Possessionem illorum corporalem secum asportando solum suppellectilem profanam. Et cum nullam mentionem faciant præfatæ Bullæ de soluendis debitis, videntur hæc transire cum bonis Conuentuum suppressorum, quorum sunt, nam creditor quilibet habet generaliter obligata debitoris bona, *l. fin. C. quæ res pign. oblig.* ergo soluenda sunt à Possessore bonorum. 5

Secundò, Administrator nomine alieno, cuiusmodi sunt Regulares, quis bona suorum Conuentuum, quorum dominium est penes eorum Ecclesiam, vt ex communi, & veriori opinione docet Rota Doctoribus citatis *par. 6. dec. 291. num* 8. debita contrahens pro alendis pauperibus, in quo rum vsum sunt destinata, ipse non tenetur illa soluere creditoribus de suo, cum non se ipsum, nec propria bona obligauerit, sicuti Tutor non tenetur de suo soluere debita, quæ fecit pro alendo pupillo, sed de bonis ipsius pupilli, *l. Sumptus 3. C. de admin. tutor.* Sed Administrator regularis agit nomine non proprio, sed Ecclesiæ, ergo bona Ecclesiæ remanent obligata creditoribus, sicut bona pupilli, & non Tutoris, Prælati enim, & Administratores bonorum Ecclesiæ comparantur Tutoribus, & loco illorum sunt, *Auth. de Eccles. §. vlt. collat. 9. Glos. V. Ecclesia cap. Audītis, de rest. in integr.* Sed Tutor non tenetur de suo soluere creditoribus, sed de bonis pupilli, ergo neq; Administrator regularis tenetur de suo, immo non potest, cum in bonis non habeat, obstante voto paupertatis, vnde nec actione personali, aut reali cogi potest, ex quo nihil habet, nec propriam personam obligauerit in contrahendis debitis pro alendis suis subditis, id quod facere tenebatur obligando bona Monasterij, *Castr. lib. 1. cons. 76. num. 1. Surd. de Alim. tit. 1. q. 75. num. 1. & tit. 9. q. 26. num. 30. ex cap. cum ad Monasterium 6. §. Porro, de statu Monachorum Donatus par. 2. tract. 12. q. 5.* 6 7 8 9

Tertiò, creditorum, & legatariorum par est causa, *ex l. fin. §. Licentia C. de iure deliber. Rota par. 5. dec. 459. num. 30.* legata autem soluuntur ab hæredibus, & successoribus in bonis Testatoris per ipsum obligatis, *Instit. de legatis, l. Si in fraudem 10. C. de legatis*. ergo & in casu nostro, suppressio enim paruorum Conuentuum est quædam 10

quædam species mortis ciuilis, dum Reli-
giosi illorum remouentur absq. spe reuer-
sionis ad eos.
11 Quartò, Successor in Beneficio tenetur
ad debita per antecessorem contracta pro
necessitate, vel vtilitate Ecclesiæ, & ipsius
necessaria sustentatione, *ex allegatis à*
Gratiano cap.94.num. 30. ergo idem dicen-
dum est in casuo nostro, in quo Clericus
12 successit, ergo is tenetur satisfacere credi-
toribus, cum quibus contraxit pro alimen-
tis, & sustentatione Religiosorum, quos
tenebatur Conuentus, alere, dum illi in-
seruiebant, *Castr. lib. 1. cons.76. num.1.*
Surd.de alim tit. 1.q.75. num. 1. & tit. 9.q.
27.num. 10. ex cap. cum ad Monasterium 6.
de statu mon.§. Porro.Rota par.2. decis.454.
num.3.
13 Quintò, sicut Fiscus tenetur satisfacere
Creditoribus condemnati, *l. Non possunt*
11 ff.de iure fisci, à ratione, quia debitor
condemnatus nihil habet, immo nec vitam;
ita idem dicendum est in casu nostro, in
quo Religiosi cum suo Superiore quasi con-
demnati fuerunt, dum eorum Conuentus
suppressus fuit cum suis bonis, & seculari-
zatus, ablatis eisdem bonis cum extinctio-
ne Superioritatis, & Administrationis qua-
si confiscatis, habet enim Ecclesia suum
14 fiscum, *ex Abbat. in cap. 2. de success. ab in-*
test. Couar. lib. 2. Var.resol. cap.9.in fine.
solutio ergo debitorum pertinet ad eos, ad
quos bona peruenerunt, quia nullus ex an-
tecessoribus reperitur quasi omnes mortui
ciuiliter eiectione è suis locis.

Demum cum non amplius sint respectu
Regularium huiusmodi Conuentus parui 15
affecti irregularitate, cum sint secularizati, &
eorum Superiores, & Administratores an-
nihilati, si licet ita loqui, nullus reperiri
potest citandus ad satisfaciendum credito-
ribus, sequitur citandos esse, qui nunc
sunt in possessione dictorum bonorum, qui
enim sentit commodum, & quidem gratis,
cum hæc bona vt Beneficia sint collata,
sentire quoq. debet incommodum.

Nec dicas, esto nullus reperiatur de illo
corpore, ex quo supressus est Conuentus
cum suo Superiore, tamen omnes transie-
runt ad Conuentus magnos, & non sup-
pressos, ideo illi Conuentus debent soluere
debita, maximè illi ad quos suppellectilis
profana transiuit.

℟. Vnum Conuentum non teneri solue-
re debita alterius, *Serafin.dec 1469. num.4.* 16
Neque illa suppellectilis, cum sit quid mo-
bile transiuit cum hoc onere, sed liberè
cum eam simpliciter summus Pontifex
concesserit Religionibus.

Et ex his concludendum est, citandum
esse Possessorem bonorum huiusmodi, vt 17
satisfaciat Creditoribus; iniquum enim est,
vt quis duplici tribulatione vexetur, *Nahum*
1. 9. Nec afflicto addenda est afflictio, *l.*
Pœna §.fin.ff.ad leg. Pompeiam de Parricid.
cap.cum percussio 2. 7. q. 1. Satis enim acer-
ba fuit prior afflictio nondum digesta, quia
immedicabilis est.

CONSILIVM LXII.

An Notarius Burgi S. Domnini roget in Varano Marchionum.

1 Videtur quòd non, licet enim multæ sint præsumptiones pro Notario ad tradita *per Mascardum concl. 1096.* attamen cessare videntur, quando pars aduersa opponit, ex eodem *num. 5.* vnde cum fuerit oppositum per reos Notarium, de quo controuertitur, non posse rogare in villâ S. Luciæ iurisdictionis Varani Marchionum, videtur dicendum actorem teneri ad hoc probandum, iuxta vulgaris Iuris regulas. Et licet sit producta Fides, qua probari videtur Notarios Burgi S. Domnini solitos esse, & semper consueuisse in dictâ Villâ Instrumenta conficere; hoc parum releuat, cum iuxta vulgarem regulam
2 *Fides Fidem non faciat: Auth. Si quis in aliquo ff. de fide Instr.* Et licet ista regula videatur pati exceptiones, & limitationes in probando stilo, seu consuetudine, ad tradita per *Decian. cons. 51. num. 100. & 101.* in casu tamen nostro nihil operatur. *Primò*, quia in casu Deciani facta fuit Fides per nobiles Ciuitatis, per Canonicos &c. Quod vtiq. non verificatur in casu nostro, cum sit tantùm subscripta à Notario in hoc non omni exceptione maiore, cum agatur de proprio interesse. *Secundò*, nec curandum est de subscriptione domini tunc Gubernatoris, quia non se subscripsit, vt fidem faceret, sed vt alij possint se subscribere ad faciendam fidem de stilo, iuxta consuetudinem, quod patet ex tenore subscriptionis per eum factæ. *Tertiò*, quia fides, de qua Decian. erat iurata, præsens autem caret iuramento.
3 Nec dicas cum Surdo decis. 257. Notarium Apostolicâ, & Imperiali auctoritate creatum posse vbique Instrumenta conficere, non obstante etiam Statuto irritante Instrumenta rogata per Notarios non collegiatos, quale est illud Notariorum Ciuitatis Parmæ. Quia respondetur, Surdum vim facere in eo, quòd Notarius erat exterus, & forensis, quem Statutum illud ligare non poterat, cum loqueretur in personam, & ex quo non poterat esse de dicto Collegio, vt patet ex lecturâ eiusdem decisionis; quod dici non potest in casu nostro, cum Notarius, de quo agitur, non fuerit forensis, sed sub eodem dominio, & potuerit esse de Collegio Notariorum præsentis Ciuitatis. Hæc sunt, quæ ocurrunt dubitandi causa. Respondeatur termino octo dierum, & erit locus Iustitiæ.

Respondetur supradictis motiuis, ea non obstare ex rationibus adducendis, præsertim cum non controuertatur, an sit Notarius sed solùm an potuerit rogare in dicto loco.

Castrum, Varani, Marchionum est suppositum Ciuitati, & diæcesi Burgi S. Domnini, vt habetur in principio Statutorum Status Pallauicini, in quo habentur hæc verba: *Tablanus, Bargonus, Castellina, Gallinella, Consignacus, Varanus, Marchionum, quæ* quidem statuta fuere confirmata à Seren. Duce Octauio die 13. Octobris 1570. 4

Quo stante Notarius iste, de quo agitur, qui fuit rogatus de Testamento in loco Varani Marchionum potuit tale Instrumentum rogare, tamquam in loco ciuitatis Burgi S. Domnini virtute dictorum Statutorum suppositi. 5

Quo posito, non obstant motiuata in contrarium, nam hic non disputatur, an sit Notarius, necne, qui de Instrumento in actis produxto extitit rogatus, qui a conceditur in actis, quod sit Notarius Burgi S. Domnini; sed totum disputatur, an tamquam Notarius Burgi potuerit Instrumenta rogare in loco Varani Marchionum? Et quòd potuerit ex supra deductis probatur, cum sit, & fuerit locus Varani Marchionum suppositus virtute statutorum status Pallauicini Ciuitatis Burgi S. Domnini, cuius Ciuitatis erat Notarius ille, qui de dicto Instrumento fuit rogatus. 6

Sed dato, & non concesso, quòd ille locus Varani non esset suppositus statui Pallauicino, adhuc dicitur Instrumentum valere.

Quando quidem potest Notarius creari à Summo Pontifice, & Imperatore, *Specul. lib. 2. de instr. edit. §. restat. num. 22. Oldr. cons. 75. initio, Felin in cap. cum publicus, de fide instr. num. 14 q. 10.* 7

Isti autem Notarij sic creati, possunt vbiq. locorum, etiam in Franciâ, Angliâ, vel Hispaniâ, & in omnibus alijs locis, & prouincijs Instrumenta conficere; dum modo Priuilegium Notariatus sit generale. *Specul. cit. num. 23. Ægid. Bellomera cons. 42. num. 2. vers. circa heredem, qui allegatur à Surdo lit. H. consl 70. num 14. Caphal. cons. 691. num. 31. Trentacinq. par. 1. cons. 33. num.* 8

33. *num.* 10. *Roland, à Valle lib. 3. conf. 91. num.* 18.

9 Nec obstat statutum Parmense, sub Rubr. Quòd nullus possit *lib. 1. fol. 31.* vbi habetur, quòd nullus possit in officio Notariatus eligi, nisi fuerit scriptus in matriculà Notariorum; ideoq. Notarius, de quo agitur, cum non sit matriculatus, per consequens eius Instrumento nulla fides est adhibenda. Simile quoq. statutum est in ciuitate Placentinà *lib. 1. stat.* 55.

10 Nam respondetur maximam esse differentiam inter vtraq. statuta. Siquidem statutum Placentiæ expressè prohibet, quòd nullus Notarius, qui non sit approbatus in Notarium per Collegium Notariorum Placentiæ, & in matricula dicti Collegij scriptus, possit vel valeat exercere artem, vel officium Notarij, & si contra fecerit, eius Instrumentum ipso iure, & facto non valeat.

11 Statutum verò Parmæ prohibet electionem Notarij ad officia publica ordinaria, vel extraordinaria Parmæ, qui non sit matriculatus, facta ad rogandum acta ciuilia, vel criminalia, non per hoc eidem prohibetur, quin possint Instrumenta inter priuatos rogare.

12 Et propterea non potest fieri extensio de casu ad casum, quia diuersa est dispositio, *Tiraq de legit. connub Glos 5. num.* 214. vbi pluribus probat, nonquam valere argumentum ab vno ad alterum, quando ratio est diuersa, etiam in æquiparatis, & correlatiuis, *Villagut de extens. leg. num.* 106. Et quia in quocunq. statuto agitur de pœna propria, hæc etenim in pœnalibus est prohibita, *Decius in l. Factum §. In pœnalibus, num. 6 ff. de regul. iur. Aymon. de antiq. temp. par. 4. num.* 147. *Euen. in loco à ratione legis num. 63. Viuius opin.* 271.

13 Sed dato etiam, quòd Statutum Parmæ prohiberet Notario non matriculato Instrumenta rogare etiam inter priuatas personas prout prohibet statutum Placentiæ. adhuc dicitur, distinguendum esse, vel enim Notarius, de quo agitur est electus ab Imperatore, & hoc in casu non obstante quocunq; Statuto tamquam inualido potest iste Notarius vbique rogare, *Iason cons.* 21. qui dicit, electioni factæ per Imperatorem non obstare similia Statuta, quæ dici possunt monopollia, ipso iure nulla, & loquitur de Statuto ciuitatis Sarzan. disponente, quòd Notarij non matriculati non posint rogare. Vel Notarius est electus à Summo Pontifice, prout est Notarius iste, de quo agitur, qui est electus vtraq. auctoritate Apostolicà, & Imperiali, & tale Statutum ei non præiudicat, *Cephal. conf.* 167. *num.* 8.

14 Et quòd similia Statuta non compræhendaut Notarios talibus auctoritatibus munitosi, idem *Cephal. cõs. 691. n. 35. plures cumulat Gabriel. lib. 1. de fide Instr. concl. 1. num.* 5. Adest *decis. 103 par. 2. in Nouiss.* Et quòd possint in alieno territorio rogare, ponit, *Iason lib. 2. conf. 226. num. 1. Guidop. decis. 161. Riccius Collect. 1788, Roland. à Valle lib. 3. conf 91. num. 1.*

Additur, quòd iste Notarius publicè 15
Instrumenta conficiebat in dicto loco Varani, & sufficiunt duo, *Portius lib. 2. cap. 11. Gabriel. de probat. concl. 8. num.* 2. & homines communiter reputabant, ipsum habere hanc facultatem rogandi, & ex hac communi reputatione declarandum venit pro validitate ius Instrumentorum, *Caualc. q.* 386. qui dicit, hanc opinionem in iudicando esse tenendam, alias sequerentur grauissima inconuenientia, ob multitudinem Instrumentorum rogatorum per dictum Notarium, & lites multæ orirentur, *Carena resol.* 61. qui dicit à Senatu Mediolani iuxta hanc opinionem uisse declaratum; & hoc desumitur à dispositione *l. Barbarius ff. de officio Pratoris*, & hæc omnia confirmat *Mascardus concl. 649. num. 47. Costa conf. 56. Feder. de Senis conf. 112. num. 2. Alex. lib. 1. conf.* 138. vbi dicit, hanc opinionem esse veram.

Et hæc dicta sint ex abundanti, quia iste 16
Notarius potuit rogare in loco Varani Marchionum tamquam supposito Ciuitati Burgi S. Domnini, in qua iste Notarius erat apostolicà, & imperiali auctoritate suffultus.

Et ex his patet ad rationem dubitandi 17
nam Fides Fidem non facit, quando ea simplex est ex personà priuatà, in ea autem de quà agitur, est subscriptio trium Notariorum, qui asserunt, Notarios Burgenses rogare in loco Varani Marchionum, cum subscriptione Gubernatoris loci attestantis eos pro veris Notarijs Burgi, ergo tali fidei credendum est, nam Notarijs creditur in ijs, quæ ad eorum officium spectant, *Merlin. decis. 557. num. 5. Rubeus tom. 4. decis.* 18
640. num. 1. & tom. 8. decis. 75. num. 1. Nec aliquod interesse habent illi Notarij, dum ex huiusmodi fide, nullum reportant commodum, nec incommodum, & sic testes sunt non patientes hanc exceptionem, *Farinac. q. 60. num.* 4.

Addo prædictis, quòd nullus melius potuit probare illum vsum, & stilum conficiendi Instrumenta in præfato loco, quam ipsi Notarij, *ex Scalian. in tit. 1. Magna Curia num. 7. vbi Carauita num. 24. Capella Tholos. decis. 115. Vantius de Nullit num 86. Riccius par. 1. decis. 53. num. 6. & 7. Roccbus de Corte cap fin. de consuet. con. 3.* Ideo bene illi quatuor Notarij talem stilum probarunt etiam sine iuramento, quia sufficit ad id probandum Fides extraiudicialis. *Rota*

par. 5. diuers. tom. 1. decis. 244. num. 12. & decis. 322. num. 11. Ottobonus decis. 176. num. 3. Immo Iudex extraiudicialiter potest se informare ab istis Notarijs circa hunc stilum, *Farinac. in Repert. ad. q. 81. num. 11. Riccius part. 1. decis. 53. num.* 4. vbi non respicit decisionem causæ.

20 Notarius forensis validè conficit Instrumentum, seu Testamentum in diœcesi Parmensi, non obstante Statuto Parmensi, quod nullus Notarius non matriculatus de Collegio Parmæ conficiat Instrumenta, & Testamenta sub pœnâ nullitatis, vt declarauit excelsum Placentiæ Consilium pro validitate cuiusdam Instrumenti Parmæ rogato per duos Notarios Placentinos, ea ratione, si quidem similia statuta inhabilitantia personam Notarij conficientis Instrumentum non possunt afficere Notarium forensem, & non subditum, præcipuè quando non agitur de tribuenda virtute aliquà executiuâ ipsi Instrumento ex statuto loci, vbi fuit confectum Instrumentum, sed vt tantum illud valeat iure communi, & inter forenses, & extra illam diœcesim, in qua fuit receptum, vt docuerunt *Castr. lib. 2. conf. 226. Marcabr. conf. 58. Surd. conf. 257. apud D. Comitem Andreolum contr. 312.*

21 Obseruandum hoc est, quod Consilium Placentinum habuit pro valido illud Instrumentum quia Statutum inhabilitans Notarium non afficit forenses, & non subditum, Statuta enim non ligant, nisi subditos, *cap. 2. de constit. in 6. Sperell. dec. 123. num. 21.* Facit illud D. Pauli ad *Rom. 14. 4. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum.* Inhabilitare enim personam est illam iudicare, cum illud habeat rationem pœnæ, quod nonnisi à Principe præstari potest *Becan. cap. 6. de lege hum inaq. 8. num. 3.* Aliam addit rationem Castrens. lib. 2. consil. 226. sub initium, ex Bart. & Baldo quia præfatum statutum Sicut non potest habilitare forenses inhabiles, ita nec illos inhabilitare aliàs habiles.

22 Cum recipere Instrumenta non sit actus iurisdictionis siue contentiosæ, siue voluntariæ, sed merum officium publicum, vt dicit Bald. in l. Extra territorium, apud dictum Castr. Notarius siue matriculatus siue non, nequaquam potest Officere Instrumentis extra confectus, cum in his non sit necessaria Iurisdictio, quæ nulliter exercetur extra Territorium agentis, *cap. Statutum 11. §. Cum vero, de rescr. in 6. l. omnes 2. ff. de offic. procuratorum.*

23 Statutum facere est actus iurisdictionis, *Bart. in l. omnes populiff. de iust. & iure num. 3. Iason ibid. num. 22. Rom. conf. 218. num. 2.* Vnde regulandum est à Iurisdictione, *Decius ad cap. Ecclesia, de constit. 89.* sed Iurisdictio exercetur in subditum, *l. Si idem 11. ff. de Iur. om. iud.* ibi: *Intra Iurisdictionem iudicantis sit* l. Est receptum 14. *eod.* illis verbis: *Subijciat se Iurisdictioni alterius.* Quare cum Notarius forensis non sit subditus non subditur huic statuto de matriculâ, quod afficit solos subditos Parmenses.

Additur à D. Andreolo ibidem, valere 24 Instrumentum rogatum à forense notario non matriculato, maximè, quando non agitur de virtute aliqua executiua tribuenda ipsi Instrumento ex statuto loci, vbi fuit confectum Instrumentum, sed tantum vt illud valeat iure communi. Certum autem est, quòd Testamentum, de quo in actis, nulla indigebat virtute alicuius Statuti, sed solâ scriptione Notarij, vt posset valere, & probari de iure communi *l. Hac consultissima C. de Testam.* Et licet præfata decisio excelsi Concilij Placentiæ sit circa Instrumentum partium inter se conuenientium in quodam negotio, non est tamen restrictiua illius casus, cum ex ratione adducta, quia Statutum non afficit forenses, colligatur locum habere etiam in Testamentis, vt colligitur ex Castrensi ibi: *Nam non attenditur locus, vbi Testamentum fit, sed persona faciens, vt si sit subdita Statuto possit facere Testamentum etiam extra territorium.* Ille enim Notarius, de quo ibi scripsit Testamentum in statu Mediolanensi, vbi adest simile statutum contra Notarios non matriculatos, executioni mandandum Bergomi, vbi erat ipse Notarius. Et licet in casu nostro Testamentum sit exequendum in eadem diœcesi, in qua scriptum fuit, ac proinde diuersò à casu Castrensis, & Andreoli exequendo extra diœcesim Parmæ, vbi fuerat scripsum Instrumentum, & extra Mediol. vbi fuerat rogatum Testamentum Non inde tamen sequitur ex diuersitate materiali inferendum esse ad diuersitatem formalem, quæ reuera non reperitur, cum ex eodem formali motiuo, Quod Statutum non inhabilitat forenses, infertur, acta per Forensem non matriculatum non esse irrita, sed valere, similium enim idem debet ferri iudicium, *l. Non possunt ff. de legib. Insit. Mandati §. Rectè* nam iudex à similibus ad similia procedit, *Farinac. in fragmentis crimin. par. 1. lit. E. num* 188. Manifestum autem est, præfatos casus esse similes, cum vtrobique agatur de Notario non matriculato scribente vtiliter, & validè in territorio alieno, vbi adest Statutum prohibens non matriculatos conficere Instrumenta, & Testamenta, qua nihilhominus non obstante prohibitione valent, quia Statutum afficit solos subditos, non forenses, cum ergo eadem omnino ratio reperiatur in vtroq; casu, eodem omninò modo iudicandum est,

o/aefs.

ofasch. decis. Pedem. 68. num. 9. Mascard. concl. 1253. num. 5. cum alijs Barb. loco 101. num 3.

25 Prædicta procedunt, siue agatur de vnico Testamento, aut pluribus, nam Consilium Castrensis, & Controu. Andreoli loquuntur illud de vnico Testamento, hæc de vnico Instrumento, & ratio ab eis adducta, quòd Statutum non afficit forenses non subditos, manifestè id demonstat, cum forensis vt talis siue vnicum, siue plura conficiat Instrumenta non euadat subditus statuensis, sequitur tam valere vnicum, quàm plura, ex quo nunquam fit subditus ex confectione Instrumentorum, motiuum enim inducens Iudicem ad declarandum valere Instrumentum à non matriculato scriptum, principale, & præcipuum non est pluralitas Instrumentorum, sed defectus Statuti non valentis irritare acta à forensibus Notarijs scripta. Quòd si in decisione 184. à Com. Andreolo citatà dicatur num. 45. quòd probata Notariatu, defectus huiusmodi non descriptionis in matriculà nullatenus attenditur ex æquitate, ne tot, tantæq; laudabiles corruant dispositiones, vt respondit Rota in causà Romanà officij Notariatus 15. & 16. Maij 1610. corā Penia. Non inde sequitur, ex pluralitate Instrumentorum, ne pereant in preiudicium tot contrahentium, vel ne pereant tot piæ testantium voluntates, esse valida declaranda, quia in præfatà decisione controuertebatur Notariatus mag s, quàm matriculatio Romæ enim statutum matriculæ est Papale, & ille Notarius ibi erat subditus & non erat descriptus, ideo pro validis habita fuerunt &c. ideo cum acta illius viderentur ex vero q. capite nulla, Rota decidit valere acta illius, ne perirent tot laudabiles dispositiones. In casu nostro non controuertitur Notariatus, sed sola matriculatio, cuius defectus cum non noceat simpliciter, ac proinde neq. respectu vnius Testamenti, neq. respectu plurium, neq. enim ab illis accipit potestatem scribendi vt Notarius, sed à Superiore, à quo creatus fuit in Notarium.

26 Quod aliqui aiunt Statutum, quando loquitur in rem, afficere etiam forenses, non habet locum in casu nostro, quia Statutum Parmense de Notarijs loquitur in personam ibi: *Nullus, qui non sit &c. possit conficere, vel rogare* & non in rem. Quod si loqueretur in rem, adhuc non afficeret forenses, cum Statuta respicientia exercitium comprætendant etiam personas, quæ agere debent, ac proinde solùm subditos dum in extraneos Statuta se extendere non possunt defectu Iurisdictionis non extendendæ ad forenses, qui sunt extra sphæram actiuitatis statuentium, ex allatis à *Sperello decis.* 123. *num.* 45.

Motiua contra Melchiorem Perinam producta in nullo perturbant eius iura, nam ordinatio, seu Statutum Notariorum Parmæ, quod nullus Notarius non matriculatus possit rogare Testamenta, nec alia Instrumenta, tamquam Monopolium, ac proinde vbi statutum illicitum, & nullum contra Ius commune pro nihilo habendum est, *Imola, & Felin. in cap. Cum P. Tabellio, de fide Instrum. Iason lib. 4. conf.* 122. *num.* 1. *cum multis alijs Ciarlin. cap.* 63. *num.* 2. vbi de veriori, & receptiori sententia affirmat, huiusmodi Statuta, & consuetudines, non posse comprehendere Notarios auctoritate Apostolicà, & Imperiali, adeo quod eis non obstantibus valeant vbique terrarum, & inter quoscunq. conficere Instrumenta, & Testamenta, quia lex inferioris non potest derogare potestati Superioris, nec tollere priuilegia ab illis concessa, cum inferior non agat in superiorem *cap. Inferior* 4. *dist.* 21. *cap. cum Inferior* 16. *de maior. l. Formam C. de offic. pref. prator.* Quare cum Notarij huiusmodi per vniuersum orbem suum officium exercere possint, vt docent omnes *cum Rota decis.* 5. *de fide Instrum. in Nouis. Surd. conf.* 257. *num* 11 *Tusch. lit. N. concl.* 72. *initio, ex alijs Ciarlin cap.* 63. *num.* 3. Sustinendum esset Testamentum, de quo in actis, si à Notario illo confectum fuisset in territorio Parmensi, cum autem sit scriptum à Notario Burgensi, & in loco illius territorij allatum motiuum officere non potest. 27

28 Præterea adm sso etiam statuto Parmensi præfato Notariorū, non obstante monopolio, adhuc non afficit, nec ligat nostrum Notarium, cum non sit subditus huius Collegij, sed Collegij Burgensis, Statuta enim ligant suos subditos tantum & non extraneos, neq. enim extendunt vires suas extra territorium, *Rota par. 9. Recent. tom.* 1. *decis.* 193. *num.* 15. *Ottob. decis.* 32. *num.* 4. & 5. iuribus, & Doctoribus citatis, ac proinde tamquam excedens pro nullo habendum est in casu præsenti *Decius in cap. qua in ecclesiarum, de const. num.* 14. *Abbas ibid. in* 2. *Notab.*

29 Nec obstat, quod Villa S. Luciæ, in qua factum fuit illud Testamentum, dicatur descripta in Catastro parochialium diæcesis Parmæ, quia fides producta per Cancellaricum Episcopalem loquitur de Ecclesià S. Martini Varani, vt videri potest in eodem Catastro inserto in synodo Sfortianà de anno 1564. & non de Ecclesià S. Luciæ Castri Varani Marchionum ciuitatis, & diæcesis Burgi S. Domnini, in quo fuit scriptum dictum Testamentum, vt alias probatum fuit in hac causà. Quare cum ea fides

fides sit æquiuoca pro nihilo habenda est in casu nostro, cum nòn obsciat Melchiori, *l. Non hoc C. Vnde legitimi cap. In presentia 8. de probat. Surd. decis. 77. num. 17. M. Anton. lib. 1. resol. 110 num. 6.*

30 Vlterius esto ea Ecclesia esset sub diæcesi Parmensi, adhuc ibi Notarius Burgi S. Domnini conficere potuisset illud Testamentum, cum illa Villa sit in Statu Pallauicinatus eiusdem diæcesis, vt constat ex Statutis dicti Status à Ser. Duce Octauio Felicis memoriæ confirmatis anno 1570. vt patet ex primo Resp. pro hac eàdem causa, cum Notarius vtraq. potestate preditus vbique scribere possit Testamenta, *Rota in Nouis decis. 5. de fide instru. Bellamera cons. 42. Fagnanus ad cap. Sicut te ne cler. vel. mon. num.* 45. Non obstante etiam monopolio, de quo supra, quod infringere non potest potestatem Notariorum vtriusq. facultatis.

31 Fides facta à quatuor Notarijs de vsu, stilo, & possessione recipiendi Instrumenta in dicta Villa per Notarios Burgenses, concludenter probat, non obstante, quòd non sint iurati, neq. parte citatà, quia hæc non requiruntur, vbi agitur de probandà habilitate personæ, *ex allatis à Farinac. q. 72. num.* 51. & dum agitur de stilo, & consuetudine, *ibidem num.* 56. Preterquam quòd in probando stilo, & consuetudine Notariorum sufficit fides extraiudicialis, *Rota par. 3. recent. decis.* 101. *num.* 11. *& par. 5. tom. 1. dec.* 244. *num.* 14. *& decis.* 322. *num* 11. *Merlin decis.* 557. *num.* 5. qui *decis.* 137. *num.* 6. ait, fidem Notarij fidem facere, & probare stilum eorum extraiudicialiter, *Gregor. XV. decis.* 484. *num. 6.* Et illorum attestationi est standum, *Riminaldus Iun. cons.* 33. *num.* 15. Et iudex partibus non vocatis extraiudicialiter se informare potest, *Bart. in l. 3. ff. de testib. fine, Bald. in l. 1. C. Vt quæ de Aduoc. Boer. cons* 8 *num.* 17. *Roland. lib. 1. cons.* 44. *num.* 36. *Gregor. XV. dicta decis.* 484. *num.* 5. *& 6.*

32 Quantum spectat ad interesse, sine dubio in eo resarciendus est, quia vltima mora semper nocet, vnde legatario à contestatione litis debetur damnum emergens, & lucrum cessans à die moræ, *l. Si quis 23. ff. de legat. l. fin. C. de vsu, & vsufr. leg. Gulielm. Sened. in cap. Raynutius, de testam. num.* 153. *Bartol. in l. Si sibi homo ff. de legat. 1. in S. cum seruus Gratian. cap.* 250 *num.* 30. Constat autem ex Actis, quòd, Melchior potuisset dare suas pecunias ad interesse Communitati Parmæ, si habuisset, dum illa vti idonea gerebat per publicum edictum pecunias sub vsuris, vt suis occurreret indigentijs, cum igitur ibi sit clarius luce meridiana, huiusmodi lucrum illi cessans denegandum non est.

Et ita iudicandum esse &c.

CONSIL

CONSILIVM LXIII.

An Priuilegia de reductione Missarum omninò dicantur reuocata?

1 CErtum est, quòd in Bullâ de celebratione Missarum Abbates, & Generales prohibentur reducere onera Missarum, quod eis concedebatur in Tridentino Sess. 25. cap. 4. & pariter reuocantur omnia Priuilegia, quibus vnicâ Missa pluribus satisfieri poterat, vel per plures collectas, vel recipiendo ad participationem elæmosynas conferentes. Hoc posito Quæritur.

2 Primò circa Priuilegium Concilij, an ea prohibitio ita sit ampla, vt Priuilegio Tridentini nullo modo nunc vti possint? Onera autem Missarum considerari possunt respectu trium temporum, *Primò* quatenus recepta sunt ante promulgationem Concilij, quod fuit publicatum anno 1564. *Secundò* prout recepta fuerunt post promulgationem vsq. ad publicationem Bullæ de celebratione Missarum factam anno 1625. *Tertiò*, respectu receptorum post publicationem Bullæ. Quæ triplex temporum distributio spectanda quoq. est in sequentibus quæsitis.

3 Respondetur quò ad primum tempus, si iam facta fuit reductio ante Bullam, valet non solum quò ad actum solemnis reductionis, cum præsumatur facta ad formam Tridentini, sed etiam quò ad eius executionem, in quantùm annua celebratio fieri potest ad participationem iuxta Tridentinum, quia execurio reductionis tractum habet successiuum, quod non impeditur à lege subsequenti, nisi expresse reuocetur ex vulgatis iuribus, certum autem est, quod in Bulla de celebratione non reuocantur factæ reductiones, sed tantùm prohibentur faciendæ post Bullam.

4 Quò ad secundum tempus, dico, quòd reductio facta Missarum receptarum post Concilium, & ante promulgationem Bullæ, debet manuteneri, & exequi, sicut si facta fuisset de Missis primò tempore receptis, probatur eâdem ratione, quia reductio remansit, cum facta fuerit ad formam Tridentini, ergo continuò producere debet suum effectum, quòd scilicet satisfiat vnicâ Missâ pluribus ad participationem reductionis conciliaris.

5 Et licet aliqua difficultas sit quò ad hoc secundum, quia Bulla de celebrat. Missarum in prohibitione facta Abbatibus, Episcopis, & Generalibus, habentur hæc verba: *Interdicit, ne Episcopi, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquomodo reducant onera vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis*. Quæ ingerunt difficultatem ibi. *Aut post idem Concilium imposita*, quæ referuntur ad hoc secundum tempus negans reductionem, quã concedit respectu primi temporis. Tamen clarè tollitur omnis difficultas, dicendo prohiberi reductionem Missarum secundi temporis non ante, sed solùm post publicationem Bullæ, vt apertè colligitur ex sequentibus verbis; *Sed pro his omnibus reducendis ad Apostolicam sedem recurratur*. Non potest ergo, nunc fieri reductio, pro qua recurrendum est ad Sedem Apostolicam.

Certò ergo colligitur reductionẽ Missarum primi temporis semper fieri posse, & hoc docent Marchinus, *& Diana par. 6. tract. 6. resol. 10. & resol. 2 de celebr. Missar. cum Bonac. de Sacram. disp. 4. q. vlt p. 7. §. 2. num. 11. Auersa q. 11. de Sacr. Euchar. sect. 18. Vers. Tertio, fine Pasqual. de Sacrif. Missæ q. 1162. num. 6. Peliz. tract. 5. cap. 9. num. 91. tract. 6. cap. 3. num. 16.* & id satis clarum est ex dictis verbis Bullæ. Pariter certum est, reductionem missarum secundi temporis factam ante publicationem Bullæ valere ex ratione adductâ, & etiam nunc continuari posse celebrationem, eo modo, quo fiebat ante ex vi Tridentini, dum enim existit causa successiua, & habens tractum successiuum, successiuè, & annuè suum effectum producere debet.

Nec obstat opinio dicentium decretum Tridentini restringi ad onera primi temporis, hoc est, imposita ante Concilium, non verò post, & secundi temporis, referentium ita sacram Congregationem declarasse, quam sequuntur nouem Doctores allegati à Barbosâ ad dictum cap. 4. sess. 25. & huic opinioni videtur fauere Bulla de celebrat. Missarum dum prohibet ne reducantur Missæ vigore Tridentini receptæ post Tridentinum, vt id etiam obseruant præallegati. 6

Quia hoc Priuilegium reducendi missas est vniuersale, & indifferens ad quascunq; Missas quouis tempore receptas viâ Testamenti, seu legati, Beneficium enim Principis latissimè, & plenissimè est interpretandum *Cap. Cum dilecti 6. de donat. cap. quia circa 22. de Priuileg. cap. Olim 16. de verb. signif.* Et huius opinionis sunt Posseuinus.

Cap.

Cap. 2. q. 9. num. 25. Nald. V. Missa num. 9. Garzias de Benef. par. 7. cap. 1. num. 132. Quos contra se citat Barbosa Allegat. 29. num. 5.

Ad declarationem S. Congr. cum de eius tenore non constet, an fuerit approbata à Pontifice, non ligat, cum habeatur tantùm pro opinione, non pro lege, ac proinde non tollit probabilitatem nostræ opi-
8 nionis, in sententiâ viginti Doctorum, quos pro se numerat Vericellus tractatus secundus quæstione 6. num. 15. Nec obstat, quod in puncto nostræ difficultatis plures sint Doctores asserentes Priuilegium Tridentini non extendi ad reductionem Missarum impositarum post ipsum Tridentinum, quia solum numerum faciunt, non reddunt opinionem magis probabilem, vt faciunt, alij, qui oppositam opinionem fundant in ratione, non in auctoritate opinantium.

9 Quò ad tertium tempus respondetur, certum omninò esse, nec Abbates, & Generales ordinum, nec Episcopum vti posse Priuilegio Tridentini in reducendis Missis tertij temporis, quia in Bullâ clarè præscribitur, recurrendum esse ad Sedem Apostolicam, & de hoc nemo dubitat, nec opinatur.

10 Secundò quæritur, an modò liceat vti alijs Priuilegijs Regularibus concessis pro reductione Missarum? An verò in omnibus, & per omnia sint reuocata? Præmitto, vsum Priuilegiorum spectari posse dupliciter; pri-
11 mò, cum Superior in Capitulo Generali facit decretum reductionis ad formam Priuilegij; Secundò, cum Sacerdotes illo decreto vtuntur, dum celebrant annuatim, ad præscriptum decreti priuilegiati.

12 Refero autem pro clariori intelligentiâ duorum Pontificum Priuilegia bullata, primum Iulij II. incip. *Sacer ordo* 7. apud Confectum fol. 123. quo Generali ordinis Minimorum concedit, quòd possit cum suis Fratribus dispensare, vt per eos in vnaquaque Missâ nouem, vel septem collectæ recitatæ pro totidem integralibus Missis valeant non distinguendo inter eleemosynas exiguas, & pingues. Possint ergo sacerdotes Minimâ ex dispensatione, & decreto facto à suo Generali tot Missis satisfacere, quot collectas recitabunt in Missâ vsq. ad nouem, ac proinde vnicâ Missâ nouem satisfacere valent, tam pro Missis receptis ante, & post concessionem Priuilegij. Quod Priuilegium eisdem Confirmauit Leo X. in sua incip. *Exposcit dilectorum*, apud eundem Confectum Bulla 8. fol. 142.

13 Alterum Priuilegium est Leonis X. Bulla 7. incip. *Cum sicut accepimus* apud eundem fol. 141. in qua Fratribus Minoribus de Obseruantiâ, non specificando aliquem ex eorum Superioribus, indulget Sacerdotibus, vt vnicâ Missâ pro multis satisfacere possint, faciendo commemorationem in genere, respectu eleemosynarum, quæ vni Iulio non æquiualent, tam præteritarum, quam post Priuilegium recipiendarum. His præmissis.

Respondetur ad quæsitum. Superiores, 14
qui ante publicationem Bullæ de celebratione Missarum in effectu decretum reductorium Missarum fecerunt ad formam illorum Priuilegiorum; factum die 22. Septembris 1625. possunt nunc prosequi celebrationem Missarum reductarum, vnicâ scilicet pluribus satisfaciendo vel tot collectis, vel communi commemoratione.

Probatur, quia per Bullam hanc de cele- 15
bratione Missarum non reuocatur decretum reductorium, si quod à Superioribus factum fuit, sed solum reuocantur ipsa Priuilegia ad eum effectum; ne Superiores deinceps illis vti possint tam decernendo, quam exequendo per celebrationem; & hoc est certum, quod sola Priuilegia reuocantur, non verò eorum vsus decretorius, & executorius, cum de his non fiat mentio, & lex cum ex sua naturâ non extendatur ad præterita, nisi de illis fiat mentio, *cap. 2. & fin. de constit.* dum enim res Sortita est suum effectum, & transiuit sub dominium plenum alicuius, Summus Pontifex nunquam intendit ius tertio quæsitum auferre, sed illud domino tuo conseruare, nisi aliter exprimat, & declaret, *cap. Licet 2. de off. ordinar. cap.* 16
Ex tuarum 5. de auctor. cap. Super eo 15. de offic. deleg. Cum ergo in hac Bullâ reuocentur præcisè Priuilegia, & non eorum effectus, & executiones, sequitur adhuc vigere eorum vsum non solum quò ad decretum reductorium, sed etiam quò ad eius executionem, & annuam celebrationem, causa enim vigens, & virtutem habens continuam, vt hoc decretum Missarum reductorium, non potest non operari suum effectum, vt scilicet annuatim celebrentur Missæ secundùm reductionem, & vt vnicâ pluribus satisfiat.

Sed prædictis videtur obstare Bulla, quæ 17
in secundo decreto de reuocatione Priuilegiorum extendit ipsam reuocationem non solùm ad stipendia Missarum recepta post ipsam Bullam, sed etiam ante, illis verbis: *Plura stipendia quantumcunque incongrua, & exigua, siue ab vna, siue a pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus.* Et in sequenti decreto tertio pariter de reuocatione dictorum Priuilegiorum idem confirmatur illis verbis: *Id verò, vt deincept obseruetur.* Vt scilicet vnicâ Missa vni tantum oneri satisfiat, *reuocat Priuilegia, quibus indulgetur, vt certarum Missarum, vel anniuersariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus plurium Missarum oneribus in futurum*

rum suscipiendis satisfiat. Quibus postremis verbis *in futurum suscipiendis*, quæsitum fuit, an hæc sint intelligenda de oneribus suscipiendis post Priuilegium. Respondit Sacra Congregatio super sexto quæsito, ita esse intelligenda. Ergo reuocatio horum Priuilegiorum refertur tam ad Missas receptas post Priuilegia, & ante Bullam, quàm ad recipiendas post Bullam, consequenter vnicà Missà pluribus collectis Missis pluribus satisfieri non potest, siue datæ sint post Bullam, siue ante, ac proinde Decretum reductorium etiam ante Bullam expeditum nullius est momenti, nec suffragatur.

18 ℞. Bullam locis citatis loqui de Missis, super quibus nullum fuit factum decretum reductorium, cum enim Pontifex reuocauerit ipsa Priuilegia, & non executionem ad ipsorum formam, quod dicitur de Missis susceptis, vel suscipiendis, regulandum, & intelligendum est in ordine ad reuocationem ipsorum Priuilegiorum nundum executorum, sicut ergo vigent priuilegia quo ad decretum, ita & quo ad celebrationem. Allata ergo verba Bullæ in obiectione referuntur ad Missas quascunq. super quas nullum fuit factum decretum reductorium, esto sint receptæ ante publicationem Bullæ.

19 Confirmatur, quia de ratione reuocationis, cum sit odiosa, est, vt minus cædat, quam sit possibile, *ex cap. 1. de constit. in 6. Gonzal. Glos. 36. num. 7. Tambur. tom. 2. disp. 2. q. 17. num. 3.* Quare Gregorius XV. in suà de reuocatione oraculorũ, dixit, se non reuocare ea, quæ sortita fuerant suum effectum, vt legi potest, in eius Bulla incip. *Romanus Pontifex 27.* in B. N. Et ita dicendum est in casu nostro, quod Vrbanus VIII. in suà de celebrat. Missar. non reuocauit Priuilegia illa in eo, quo sortita sunt suum effectum, quatenus scilicet Superiores ante Bullam fecerunt decretum reductorium ad formam illorum Priuilegiorum, & illis vsi fuerunt.

20 Colligitur hinc differentia inter Priuilegium conciliare, & Bullatum Iulij II. & Leonis X. nam Superiores vti possunt Priuilegio Concilij ratione suæ existentiæ etiam nunc reducendo missas receptas ante ipsius promulgationem, respectu verò receptarum post, & ante publicationem Bullæ eo vti non possunt nunc, nisi quò ad executionem decreti iam facti ante publicationem Bullæ, loquendo verò de ipsis Priuilegijs, eis modò Superiores vti non possunt ratione eorum non existentiæ, etiam si missæ sint receptæ ante eorum concessionem, ea ratione, quia Bulla de celebratione Missarum non reuocat Priuilegium Concilij, sed tantùm interdicit Superioribus, ne deinceps eo vtantur faciendo decretum reductorium respectu Missarum receptarum post Concilium, vtiq; verò respectu receptarum ante Concilium, eo quòd quò ad hoc viget. Cum verò Priuilegia simpliciter sint reuocata, nunc Superiores eis vti non possunt reducenda Missas receptas ante ipsorum concessionem; sed solùm vti respectu reductarum.

21 Tertiò quæritur, an Abbates, & Generales aliorum Ordinum tam Mendicantium quam non Mendicantium habeant communicationem dicti Priuilegij?

22 Respondetur affirmatiuè, & de Mendicantibus res est clara ex Bulla Leonis X. incip. *Dudum per nos 32.* in B. N. & 18. apud confect. vbi Pontifex communicat inter Mendicantes Priuilegia concessa, & concedenda à se, & à suis successoribus. Idem quoque manifestum est, respectu Monachorum, qui inter se, & cum Mendicantibus habent communionem Priuilegiorum, quam illis fecit Pius V. in sua incip. *Ex superna dispositionis arbitrio 41.* in B. N. ac proinde hoc gaudent Priuilegio reductionis Missarum; & in ea Bullà nominatim numerantur omnes Monachorum Congregationes, nimirum Cassinenses, Camaldulenses, &c.

23 Quartò quæritur, an Monach. Cassinenses aliquod speciale Priuilegium reducendi missas habeant?

24 ℞. Affirmatiuè, & est Sixti IV. his verbis: *Quòd quibuscunque verbis vtantur legantes, vel testantes, seu alij imponentes, & acceptantes Missas, intelligatur ij tales ad participationem tantùm admitti, & non ad totum Missæ effectum* Hoc oraculum, vt aiunt inuenitur impressum in fine Bullarij dictorum Cassinensium.

25 Circa hoc eodem modo philosophandum quo dictum fuit de Priuilegijs Iulij II. & Leonis X. cum versentur circà eandem materiam de reductione Missarum, nempe illud esse reuocatum per Bullam de celebratione Missarum, in quantùm illo nunc vti non possunt, decretando, & exequendo decretum, possunt verò exequi decretum factum ante Bullam, si illud fecerunt, iuxta superius dicta.

26 Quòd autem sub reuocatione Priuilegiorum comprahendatur etiam prælibatum oraculum nullatenus est dubitandum, dum enim Bulla *reuocat Priuilegia, & Indulta omnia* de reductione Missarum, reuocat etiam præsens oraculum cum sit Priuilegium, & Indultum Confirmatur, quia reuocantur Priuilegia Bullata, vt sunt illa Iulij II. & Leonis X. ergo à fortiori præsens Oraculum, cum sit minoris existentiæ Bullatis.

27 Quare parum refert dicere, quòd viuæ vocis Oracula confirmata per Bullam, non sunt reuocata per Bullas Gregorij XV. & Vrbani VIII. vt tenent *Peyrinus in Addit.*

ad const. 18. *banc Vrbani num.* 1. *& Lezana V. Oracula num.* 7. Quia sunt reuocata per Bullam de celebr. Miss. vt supra dixi. Præterquam quòd ego resol. 31. num. 4. & 5. docui, omninò esse reuocata oracula licet confirmata per Bullam in genere, & in communi, quia confirmatio non destruit naturam rei confirmatæ, nec transfert in naturam alterius rei, sed tantùm corroborat, quod ante, erat, oracula ergo post Confirmationem Bullatam adhuc sunt oracula, ergo sublatis omnibus oraculis, etiam in genere Bullata intelliguntur reuocata, & ita sentit Donatus par. 1. de rebus Regularium tract. 16. q. 3. Dixi, *in genere, & in communi* Quia oraculum in specie, & in particulari Bullarum mutauit naturam, de Oraculo in Bullam, quod confirmatio præcise operari non potest.

30 Quæritur quintò, dato quòd Superior possit vti priuilegio decretato ante Bullam de celebr. Missar. ac proinde etiam nunc vnicà missà pluribus satisfacere cum collectis. Quomodo est satisfaciendum, quando e.g. onus impositum fuit celebrandi singulis hebdomadibus quatuor Missas, nimirum, vnam de Virgine, secundam de mortuis, tertiam de Spiritu Sancto, quartam de S. Benedicto?

31 Respondeo, sic satisfaciat, dicat Missam currentem cum oratione Virginis, Defunctorum, Spiritus Sancti, & B. Benedicti, quia hoc modo vnicà missà satisfecit illis quatuor obligationibus. Vel dicat vnam ex illis missis votiuis cum illis tribus collectis, quia etiam hoc modo satisfacit. Et puto hunc modum, & vsum Priuilegij Iulij II. esse tutiorem, quia ipse in hac concessione non distinguit inter elæemosynas exiguas, vel pingues, sed respicit ad multitudinem obligationum, & paucitatem Sacerdotum.

Quæritur sextò, posito quoq. vsu horum Priuilegiorum semel decretorum, vt semper suppono, quomodo satisfaciendum est mentibus Testatorum, qui obligarunt non solùm ad celebrandum simpliciter, sed etiam ad determinatum Altare, quod est Testatoris, vel ad quod singularem habet deuotionem? 32

Respōdetur, quòd obligatio Altaris regulatur ex satisfactiōe Missę, illa enim vt accessoria sequitur hanc, & ipsam celebrationē, si enim vnicà missà satisfit quatuor in singulis hebdomatibus, eodem vnico cultu ad tale Altare satisfit pro quatuor, alitèr Missæ non essent reducibiles, si non posset diminui etiam cultus Altaris. Si vnica est Missa hebdomadalis ad tale Altare, & sit reducta ad vnam singulis mensibus, censetur etiam reductus, & restrictus cultus ad illud Altare pro vnicà vice. Sacerdos igitur non potest errare in cultu ratione loci, si sequatur celebrationem ipsam. 33

CONSL.

CONSILIVM LXIV.

An bona à quodam Religioso Locata cuidam Seculari reddenda sint Monasterio post eius mortem?

1 F. Marcus, qui accepit habitum Religionis S. Augustini in Monasterio Annuntiatæ Pontremuli anno 1630. vel paulò ante, continuò manens intra Religionem sub obedientiâ Superioris huius Ordinis, vsq. ad mortem, in quam incidit paulò post annum 1660. Mediolani existens locauit nonnulla sui iuris bona Antonio de Caldis, qui ei fructus conuentos singulis annis solebat respondere.

2 Monasterium modò petit illa bona simul cum fructibus decursis, & non solutis. Respondet, se ad nihil teneri Monasterio. *Primò*, quia dicta bona non sunt fratris Marci, sed fratris sui Leonardi secularis. *Secundò*, quia esto essent Fratris Marci succedentis Fratri Leonardo defuncto, non ideo debentur Monasterio, quia in Actis processus non probatur Professio expressa dicti Fratris Marci, immo ipse asseruit non esse professum, ideo hæc bona non potest prætendere Monasterium, cum bona ingredientis solâ Professione aquirantur Monasterio. *Tertio*, non probatur mors Leonardi, cuius sunt bona locata per F. Marcum eius fratrem. *Quarto*, F. Marcus renunciauit bonis paternis, & maternis eidem Leonardo fratri suo, reseruando sibi annuam pensionem duorum Scutorum, ergo ad eadem bona redire non potest. *Quinto*, Religiosi eiusdem Monasterij interesse habentes idonei testes non sunt, nihil ominus ipsi tantùm probant, F. Marcum permansisse in Religione sub obedientiâ Superiorum eiusdem Ordinis modò in vno Conuentu, modò in alio, aliquando portasse Caputium, interdum dimisisse illum; item inter fuisse Instrumentis, & alijs actibus qui solum à Professis fieri solent, vt interesse electionibus Officialium Monasterij, ex quibus deducitur Professio tacita, expressam tamen non probarunt, cum ergo non sint testes idonei, nihil probant. *Sexto*, dictus Leonardus anno 1643. è patria recessit, relicto sui Procuratore Virgilio Tarupho, qui cum nunquam ad patriam redierit, ac pro mortuo haberetur, antedictus Virgilius renuntiauit Procurationem F. Marco, mittendo Mediolanum Iacobum suum filium ad componendum cum F. Marco, cui in solutum dedit, & assignauit nonnullas terræ petias, quas locauit Antonio Caldo nunc possessori, contra quem est Monasterium. Demum ipse F. Marcus ad formam Concilij Tridentini fecit suam renuntiationem de bonis tam paternis, quam maternis ad fauorem dicti Leonardi fratris sui, cum pacto, quod singulis annis durante eius vita sibi solueret duos, dum secularis remaneret, factus vero religiosus, sibi soluerentur deinceps quatuor; vnde cum F. Marcus aliud ius non possit habere in bonis Leonardi, nisi super fructibus decursis respectu renuntiationis, & compositionis, non solutis decursis ante mortem F. Marci, non est opus molestare in alio dictum Caldum, qui vt nepos dicti Leonardi venit, & ab intestato succedit in dictis bonis sibi locatis à F. Marco.

Itaque Monasterium aliud prætendere non potest, nisi fructus decursos vsq. ad 3 mortem F. Marci ex conuentione expressâ in Renuntiatione, & in compositione, si tenor Instrumenti compositionis id exigit, non enim legi illud, quia ad me transmissum non fuit. Illud probatur, quia F. Marcus aliud ius non intulit in Religionem, nisi illud, quod habebat tempore Professionis, ingressus enim se, & sua dedicat in actu Professionis, *Auth. Ingressi C. de Sacros. Eccl.* Nemo enim potest plus iuris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur *79 de Reg. iur. in 6.* sed tempore Professionis respectu Renuntiationis aliud ius non habebat nisi exigendi duos scutos, ergo hoc ius transtulit in Religionem; & respectu Compositionis quatuor, translato horum iure in Monasterium, quia quidquid aquirit Monachus aquirit Monasterio ex *cap. quia* 7 *cap. Perlatum* 8. *cap. Si qua* §. 1. 19 *q.* 3. *Rodr tom.* 2. *q.* 29. *art.* 5. *Nauar. tom.* 2. *com.* 2. *num.* 3. Dubitari potest, an illi quatuor sint superadditi prefatis duobus Renuntiationis, ideo inspiciendus tenor Instrumenti.

Vt autem Monasterium ius actu aquirat exigendi illos fructus sine dubio supponit Professionem emissam per F. Marcum, vt docent omnes cum *Gutier. quæstion Canon. cap.* 1. *num.* 20. *Peregr. Var. lib.* 6. *num.* 69. *cum alijs Barbosa ad dictam Auth. num.* 3. siue Professio sit expressa, siue tacita, hæc enim sufficit, cum eadem sit virtus taciti,

V 2 &ex-

& expressi, *D. Thomas in 4. dist. 38. q. 3. rep. ad 3.* Probata autem fuit Professio si non expressa, tacita tamen per Fratres eiusdem Ordinis, dum deponunt F. Marcum exercisse nonnullos actus, qui sunt proprij Professorum, vt interesse Instrumentis, dare votum suum in electionibus Officialium, licet enim scriptura probetur, vt docent *Hond. ded. lib. 2. conf. 78. num. 29. Caual. decis. 271. num. 3. Ciarlin. cap. 108. initio*, quod confirmatur per const. Clem. VIII. de Nouitijs, qui mandauit, vt Nouitij propria manu cum duobus testibus subscribant, & ideo liber nouitiorum id certò probat, id tamen locum habet respectu expresse, non respectu tacitæ, quæ non verbis, sed pactis emittitur, ideo illis probatis, ipsa Professio manet probata, hæc enim ex coniecturis fundatis super dictis actibus probatur, & euidenter de illis constat ex concordiâ plurium testium, *ex Calder. consil. 5. de Regul. col. 2. Nauar. in cap. Statuimus, comment. 4. num. 73. & illis Gratian. cap. 640. num. 30.*

5 Qui quidem testes sufficit, quod sint Fratres eiusdem Conuentus, *ex cap. Nuper.* de testib. Abbas hic subdens, Scripturam esse de eius substantiâ, *& cum eo Felin. quos citat. Vinc. de Franchis dec. 384. num. 2. & 8. & cum illis Gratian. cit. cap. 640. num. 6.*

6 Nec obstat, quòd agatur de interesse Monasterij, quia adhuc Religiosus idoneus testis est, quia non agitur de eius particulari interesse, sed de Monasterij, & Ecclesiæ interesse, in quo casu eius testimonium valet, expressè *cap. Super prudentiâ 1. 14. q. 2. Rodr. tom. 2 q. 11. art. 1. E. o resol. 105. num. 38. & tom. 5. in praxi crim cap. 16. q. 19.* expressè *cap. Tuis 39. de testib. Farinac. q. 60. à num. 463. & seq. ad 472.* Et in casu nostro res est clara, si enim non essent idonei, Monasterium destitueretur testibus, cum actus proprij Professorum soleant fieri intra Clausuram, intra quam Religiosi, & non laici morantur,

7 Cum ergo certum sit, F. Marcum esse professum, cum se immiscuerit in actibus professorum, scientem bene, dictos actus fieri solùm a professis, cum vltra viginti annos permanserit in diuersis Monasterijs sui Ordinis, sequendo in hoc alios Professos, certè voluit profiteri. Nec obstat, quod dixerit se non esse Professum, quia primò eius dictum non interpretari potest de Professione expressâ, secundò, eius dictum non obest Monasterio, à pari de coniuge asserente se non contraxisse voluntariè Matrimonium, neq. enim creditur ei in præiudicium alterius Consortis, *ex cap. si quis 3. 33. q. 1.* quia soli non creditur in præiudicium alterius.

Alia remanet difficultas, quâ ratione F. Marcus suam fecerit, seu potius Monasterij, illam petiam terræ Leonardi, quam deinde locauit Caldo illius nepoti, cum per renuntiationem nihil sibi reseruauerit nisi duos Scutos, cedendo omnia dicto Leonardo, quomodo potuit redire ad renuntiatum cum noua reseruatione, & locatione eius, quod reuerà suum non erat? Oportet pro resolutione inspicere tenorem Instrumenti. 8

Nihilominus pro nunc, cum non sit præsumendum, sibi alienum vsurpasse, respondert potest, F. Marcum habuisse pro mortuo Leonardum, qui absens erat ab anno 1643. vsq. ad annum initi Instrumenti compositionis, & locationis 1650. ac proinde defuncto successisse ab intestato, alio modo non potuit successisse in dicta petia terræ; habet autem locum successio ab intestato inter fratres, etiam positâ Renuntiatione, *Rota par. 4. tom. 2. decis. 375. num. 2.* cum ergo F. Marcus successerit Leonardo fratri suo ab intestato, Monasterium ius habet iam quæsitum petendi nuntium ab ea bona, ex Auth. ingressi, & ex illo communi axiomate: Quidquid acquirit Monachus acquirit Monasterio. 9

Sed quoniam Monasterium, nec F. Marcus probarunt mortem Leonardi, quæ præsumenda non est, sed probanda, ex adductis à Gratiano cap. 944. num. 35. nihil autem probatum fuit tempore illius Instrumenti: nec verisimile est, quòd intra modicum tempus suæ absentiæ ab anno 43. ad 50. mortuus sit, ergo nihil reuerà sibi, nec Monasterio acquisiuit, debebat enim aliquibus coniecturis mortem probare tempore, quo illud Instrumentum fecit, ex adductis ab eodem Grat. cap. 78. initio ergo &c. 10

CONSI-

CONSILIVM LXV.

In eadem causà.

N causa agitata inter Monasterium Annuntiatæ Pontrem. ordinis Eremitarum S. Augustini, & Antonium de Caldis duo pro veritate infero, vnum in fauorem illius, alterum in fauorem istius.

1 Mihi videtur certum, Monasterium aliud prætendere non posse, nisi illos fructus decursos vsq. ad mortem F. Marci non solutos, ex causà renuntiationis. Petias verò terræ & quò ad proprietatem, & quò ad fructus respectu Instrumenti compositionis, & locationis competere Antonio de Caldis nullatenus Monasterio.

2 Primum probatur, quia F. Marcus per suam Professionem, quam emisit saltem tacitam, vt mox probabo, transtulit in Monasterium propriam personam, & bona, atq. iura, & actiones, quæ habebat tempore Professionis, ex Auth. Ingressi C. de sacrosanct. eccl. *Ingressi monasteria ipso ingressa, se, suaq. dedicant Deo*. Nomine *in-*
3 *gressus* venit Professio, *Gutier. quæst. Canon. cap. 1. num. 20. Genesius q. 6. num. 17. lib. 1. cum alijs Barb. ad hanc Auth. num. 3.* Sub illo nomine *suaq.* veniunt non solum bona, sed etiam iura & actiones, *ex allegatis à Sanch. lib. 7. cap. 12. num. 9.* Monasterium ergo successit non iure hæreditatis, sed quodam iure aquisitionis naturalis, & accessoriæ ipsi personæ transeunti cum suis bonis, *ex adductis ab. eodem Sanchez lib. 7. cap. 12. num. 21.* in omnibus bonis, iuribus, & actionibus, quæ F. Marcus habebat tempore Professionis; tunc autem temporis nulla habebat bona, nullum ius, nullam actionem, nisi exigendi duos Scutos à Leonardo fratre suo ex causa Renuntiationis factæ ad formam *Trident. sess. 25. cap. 16.* quia renuntiauerat omnibus bonis tam paternis, quàm maternis, ergo in Monasterium transtulit solum ius exigendi illos duos scutos annuos, consequenter Monasterium non potest aliud exigere, nisi illos duos scutos annuos maturatos vsq. ad diem mortis F. Marci nondum ab eo exactos.

Nulli dubium debet esse, F. Marcum esse professum, si non expressè, cum de
4 Professione expressà non constet, neq. per scripturam, neq. per testes; saltem tacitè, Professio enim tacita, quæ per Trident. sublata non fuit, *de communi Barb. ad cap. 15. sess 25. num. 37.* sufficit ad effectum Auth. *Ingressi*, quia tacitæ eadem est virtus sicut expressæ, cum vtraq. ex æquo faciat hominem verè, & propriè religiosum, *Ro-*
driq. tom. 3. q. 17. art. 1. cum alijs Barbos. 5
ad cap. Vn de Voto in 6. num. 7. Professio autem F. Marci probata fuit concludenter, dum testes religiosi deponunt, ipsum vidisse simul cum professis interfuisse Instrumentis factis in diuersis Monasterijs, in quibus etiam dedit pluries suum suffragium in electionibus Officialium Monasteriorum; hu-
iusmodi autem actus sunt proprij professo- 6
rum, & hoc non ignorabat F. Marcus, ergo immiscendo se in ijs scienter profecit. Quod autem actus proprij professorum facti à non professo inducant in eo Professionem est certi iuris, *cap. Vidua 4. de Regul. ibi Canonistæ*. Cum autem hæc probatio per actus professorum sufficiat, cum non requiratur assumptio habitus distincti ab habitu non professorum copulatiuè, *ex Honded. Vol. 2. cons. 78. num. 1. & 2.* & ex communi Doctorum, qui loquuntur disiunctim, ita quod sufficit vnum ex his duobus. Distinctio autem laicorum in Commissos, & Conuersos non est imaginaria, sed legalis in hoc ordine, & quibusdam alijs, ex solà distinctione, quod laici professi semper tenentur deferre Caputium, non autem Commissi, quod eorum arbitrio relinquitur.

Nec vrget, quod testes sint Religiosi, & 7
de eodem Monasterio interesse habente, quia interesse est Monasterij, non singulorum religiosorum, ergo hi non dicuntur testes interessati, sed idonei. Quare iura expressè statuunt, religiosos professos esse testes idoneos, & habiles pro causis suorum Conuentuum, *cap. Super prudentia l. 14. q. 2. cap. Insuper 6. cap. cum nuntius 12. cap. Nuper 51. de testib. cap. Et si Christus 26. de iureiur.*

Non obstat, quod dixerit, se non esse professum, tum quia vni soli non creditur
in præiudicium alterius, *l. Iusiurandi 8. C.* 8
de testib. vbi, quod vox vnius vox nullius, *late Farin. q. 63. initio*. Tum quia intelligi potest, quod nonquam expressè Professionem emiserit. Et ex his manet probatum primum dictum fauore Monasterij.

Nunc ad secundum applico calamum.

Secundum, quod petiæ terræ cum suis fructibus sint Antonij de Caldis contra prætensionem Monasterij, probatur facilius (suppono autem in hoc, F. Marcum in compositione, & locatione alio titulo non

pro-

processisse cum Antonio præfato nisi ab in-
9 testato, quòd scilicet obierit Leonardus eius frater, & hac ratione sic se composuerit cum Caldo nepote, aliter nescio speculari, cum non habeam Instrumentum, de quo in actis)

Probatur inquam, quia ab anno 1643. ad annum 1650. nulla dabilis est rationabilis præsumptio, quòd in tam breui tempore septem annorum obierit Leonardus, qui in recessu à domo suo erat iuuenis, quia quis præsumitur viuere vsq. ad centum annos, *Glos. V. Liqueris, l. 2. §. Si dubium ff. quemadm. test. aper. Decius cons. 575. num* 10. Et licet Gratian. hanc præsumptionem neget *cap. 78. num. 4.* dicendo, quòd iura de hoc loquentia solùm dicunt, quòd meta centum annorum est terminus longissimæ vitæ hominis, & non est præsumendum quemquam viuere vltra illum terminum, vnde non infertur, quòd quis præsumatur viuere vsq. ad centum annos; vnde *ex Bart. in l. Et si certus §. si vna ff. ad sen. Syllan. & Decio cons. 652. num. 3.* ipse Grat. num. 5. inquit, ex quo hodie non reperitur, præsumitur mortuus. Nihilominus ipse *Bartol. in l. 2. §. Si dubitatur ff. quemad. test. aper.* inquit: *Quilibet præsumitur viuere vsq. ad centum annos* Immo Gratian. Congruenter non loquitur, si enim præsumptio stat pro morte post lapsum centum annorum, ergo ante id tempus stat pro vita, contraria enim contrariè opponuntur, & contrariorum contraria est ratio, & contrarius effectus, *l. fin. C. de den. Surd. cons. 350. num. 22.* stet ergo præsumptio pro vita Leonardi, cuius mors probata non fuit, ideo non potuit venire ab intestato F. Marcus, nec eius nomine Monasterium.

10 Et reuera, quòd vita hominis præsumatur non solùm infra centum, sed etiam vltra vsq. ad 120. annorum, manifestè colligitur ex Genesi cap. 6. 3. vbi Deus dixit: *Eruntq. dies illius centum viginti annorum.* Vlterius non procedit vita hominis nostris temporibus. Quare pro ea præsumendum est, quicquid dicat Gratianus. Verum quidem est, quòd executio huius sententiæ tunc statim post Diluuium facta non fuit, cum multi vixerint vltra illum terminum 120. annorum, nostris autem temporibus non dubitatur de illius executione, immo & de reductione ex Psal. 89. 10. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni, si autem in potestatibus octuaginta anni, & amplius eorum labor, & dolor.* Itaque *Rot. par. 4. tom. 2. decis. 385. num.* 15. non malè dixit, quem præsumi mortuum in anno 90. suæ vitæ.

Reliquum est, vt respondeamus allegatis ab Aduocato Monasterij. Multis relictis solùm respondere oportet.

In primis, dicit, esto non sit probata mors Leonardi, conductorem teneri restituere rem conductam, & postea super proprietate litigare ad vulgatum tex. *l. Si quis 25. ff. locati Ciriac. contr. 60 num. 7.* nam qui habet causam ab aliquo, eidem mouere quæstionem non potest, *ex l. 15. qui ff. Precar. vbi Bart.* 11

12 Responsum est, non inueni dictum sic incipiens sub l. 15. sed tantùm sub l. 9. vbi, si conductor non potest vti re conductâ, potest agere, vt sibi liceat frui. Qui textus non facit ad rem, vt patet sed potius aduersatur item l. 10. vbi, quòd valet pactum de casu fortuito, & l. 49. vbi quòd non valeat locatio de vno nummo. *Alter tex. de precar. incip.* 51. 15. qui 22. potius facit pro Antonio, quem Monasterium intendit spoliare.

13 Dicit 2. quòd post quinquennium præsumitur mors Leonardi, maximè facta restitutione bonorum per Virgilium procuratorem, in quo casu censetur probata mors Leonardi.

14 Citantur plures præsertim Mascard. concl. 1077. sed nihil ibi de hac re; & licet *concl.* 1073. *num.* 4. dicat, satis esse quinquennium ad præsumendum mortem mariti, *ex l. Vxores de diuort*, vt possit transire ad secunda vota tamen hæc præsumptio ab omnibus nostris temporibus reijcitur, & meritò, cum necessarium sit probare concludenter mortem Coniugis. Nec illi prodest, quod dicitur num. 6. præsumi mortem, quando hæres petit se mitti in possessionem hæreditatis ex beneficio *l. fin. C. de edicto D. Adr. toll.* quia tunc sufficit exhibere Testamentum, quia non sumus in casu.

15 Dicit 3. asseri in Instrumento, Leonardum esse mortuum producto ab ipso de Caldis, ergo fatetur eius mortem. Dico id non sequi, quia non est ipsius producentis scriptura, propria enim scriptura probat contra ipsum, quando ab eo producitur, *l. Inter 5. C. de conu. fisci debit.* Deinde *in l. Publia 26. §. Titius ff. depos.* dicitur, quòd scriptura fidem facit contra producentem, non pro eo, nisi ab aduersario fuerit approbata, fuit autem approbata à F. Marco ergo illi obesse non potest, sed soli Monasterio, quod non probauit mortem Leonardi, quam omninò probare debuisset, cum in ea tota actoris intentio potissimùm fundetur, & ex his patet ad reliqua, certum enim est, quòd enuntiatiua non probat, quando disputatur de enuntiato, *Rota par. 3. dec. 93. num. 2. & par. 4. tom. 3. dec. 552. num. 13. par. 5 dec. 119. num. 14.* ideo ibidem obiecta attendenda non sunt. 16

CONSI-

CONSILIVM LXVI.

An Pensionarius habens Pensionem amplissimè exeptam teneatur contribuere reparationi Ecclesiæ ex cuius fructibus recipit Pensionem?

1 REuer. D. manutenendus est in possessione exigendi totam suam Pensionem sine vlla diminutione, & defalcatione à Reuer. D. Rectore Ecclesiæ Parochialis S. Bartolomæi Villæ Henzolæ, non obstante prætensione, quam habet dictus Rector, vt Pensionarius præfatus teneatur pro ratâ expensatum factarum in reparatione dictæ Parochialis, quia ad nihil tenetur, vt mox probabo ex amplissimâ exemptione Pensionis sibi facta à Sanctissimo Pontifice Alexandro VII. Interim pro certo præmittendo, quod si his moueatur, non est solutio semestris maturati retardanda, sed celeriter exequenda, cum sapiat naturam alimentorum, *Rota par. 4. tom. 3. dec. 549. fine Ciarlin. cap. 202. num. 6.* cum alijs ibi allegatis, vnde instat illud. *Salue, & repete*, ex eadem Ciarlin. *cap. 200. num. 54.* in istis terminis.

2 Quod autem nihil soluere debeat pro reparatione illius Ecclesiæ, euidenter deducitur ex clausulis in Bulla ipsius Pensionis expressis sub his verbis: Tibi Pensionem annuam ab omni decimâ quartâ, mediâ, & quauis aliâ fructuum parte subsidio etiam caritatiuo, & excusato, & quocunq. alio ordinario, & extraordinario onere, quomodolibet nuncupato, etiam Apostolicâ, vel ordinaria, aut aliâ auctoritate, & ex quacunq. etiam vrgenti, seu vrgentissimâ, ac necessariâ, & de necessitate exprimendâ causâ, etiam pro reparatione, & fabricâ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, Cruciatâ Sanctâ, & expeditione contra Turcas, pro substentatione, & manutentione Classis triremium, etiam ad Imperatoris &c. Canonicè, vel de facto etiam mota proprio impositis, & pro tempore quomodolibet imponendis, etiamsi in impositionibus huiusmodi caneatur expressè, quod pensionarij quicunq. pro ratâ pensionum suarum quantumuis exemptarum prætmissis omnibus contribuere teneantur; quam ratam dictus Thomas &c. promissit, & promittit absq. spe aliquid vnquam postea repetendi, seu defalcandi, ac omne, & totum id, quod soluerit &c. tibi gratiosè donauit, & donat &c. etiam donatione purâ, & irreuocabili inter viuos perpetuo valiturâ, necnon belli, pestis, incendij, grandinis alluuionis, tempestatis, deprædationis, siccitatis, incursus militum, sterilitatis, depopulationis, agrorum deuastationis, fructuum amissionis, & cuiusuis alterius sinistri, & in excogitati casus fortuiti, & euentu. Ac etiam à quocunq. alio onere, & grauamine ordinario, extraordinario quomodolibet nuncupato, & de necessitate quouis modo exprimendo, liberam omninò, & in totum immunem, & expectam &c.

Quæ clausulæ ita efficacissimæ, & amplissimæ sunt, vt excludant prætensam contributionem expensarum in reparatione dictæ Ecclesiæ factarum, cum vt apparet ex allatis verbis Bullæ, hæc Pensio sit priuilegiatissima, libera, & exempta ab omni onere excogitabili ex illis verbis: *Et quocumq. alio ordinario, & extraordinario onere quomodolibet nuncupato* Imposito, siue imponendo, vt dicitur infra. Dictio enim illa *Quocunque* est vniuersalissima, cuius natura est comprehendere ea, quæ alias non comprehenderet, ita quod includit etiam ea, quæ specialem mentionem requirerent, *ex adductis à Barb. hac dict. 317. num. 5.* Immo noster casus expressè continentur in sequenti clausulâ: *Ex quacumq. etiam vrgenti, seu vrgentissimi, ac necessariâ, & de necessitate exprimenda causa, etiam pro reparatione.* Quod postremum verbum includit nostrum casum, ac proinde eximit Pensionarium à contributione reparatæ Parochialis, siquidem verbum *reparatio* propriè refertur ad restaurationem Ecclesiarum, vt patet ex tit. *De Ecclesijs ædificandis, vel reparandis*, valet enim argumentum ab. ordine titulorum, *Bart. in l. Ideo Labeo ff Rerum amot.* N. q. enim illud verbum, *Etiam pro reparatione*, restringitur ad fabricam S. Petri, cum hæc non exprimantur in casu genitiuo, sed in ablatiuo cum

cum copulatiua sic: ***Et fabrica Basilicæ Principis Apostolorum.*** Sicut ergo noster Pensionarius eximitur à constitutione fabricæ S. Petri cuius Ecclesia est mater omnium fidelium, ita & ab onere huius particularis Ecclesiæ vtili solum paucis, illa vero
6 omnibus fidelibus. Confirmatur, quia exemptus à maiori onere, exemptus est etiam à maiori, ex illa regula: ***Vbi maius conceditur, minus esse concessum videtur cap. Exparte 27. de decim.*** Vbi priuilegiatus in maiori decimà, censetur etiam exemptus in minori.

7 Nec prædictis obstant, quæ in contrarium adduci possunt. In primis adest Synodus fol. ***62. Pensionarij Parochorum pro ratà portione teneantur ad has expensas.*** Scilicet, factas pro ædificatione, aut reparatione Ecclesiæ Immo id videtur colligi ex Tridentino sess. 21. cap. 7. illis verbis: ***Qui fructus aliquos ex dictis Ecclesijs prouenientes percipiunt.*** Vbi ***Barb. num. 12. ad hoc citat Nauar. cons. vn. de Eccles. ædif. Sayrum in Florib. decis. 1. sub eod. tit. & idem Barb. Allegat. 64. num. 18. Castropal. de benef. disp. 1. p. 11. §. 8. num. 2. Riccius par. 4. dec. 15. num.*** 2. Qui omnes cum alijs concorditer tenent, Pensionarium debere concurrere ad expensas reparationis Ecclesiæ, ex cuius Beneficij fructibus exigit Pensionem.

8 ℞. Dicta in hac obiectione locum habere respectu earum Pensionum, quæ non sunt priuilegiatæ, vt in casu nostro, quæ est priuilegiatissima, vt visum fuit. Et ita docent præcitati, ***Castropal. ibi:*** Ab hac regula excipi debet pensio ex gratia Pontificis ab ijs oneribus libera, & exempta. ***Riccius par. 2. resol. 428 vers. Verum quicquid, Ciarlin. cap. 200. num.*** 25. hæc non procedere in pensione liberà, & exemptà ab omni, & quocunq. onere, sic enim solet Pontifex concedere, qua concessione stante Rector tenetur ea onera subire, nihil deducendo de Pensione, ibidem alijs Doctoribus citatis.

Quare Gregorius XV. dum Reipublicæ Ve- 9
netorum concessit certas decimas super fructibus omnium, & quoruncunq. Beneficiorum ecclesiasticorum eius dominis, ad quas etiam teneri voluit Pensionarios, expressè derogauit priuilegiatis, & exemptis pensionibus, vt refert Rota ***par. 5. decis.*** 23. decidens quædam Pensionarium debere contribuere, eo quòd eius Pensioni quamuis priuilegiatissimæ derogauerat in hoc, quam decisionem ad verbum refert. ***Ciarlin. cap. 14. ex Rota citata.*** Cum autem in casu presenti nulla extet derogatio presentis Pontificis in hoc casu reparationis Pensionarius nullo modo molestandus est.

Ad statutum Synodi respondetur illud 10
intelligendum esse de Pensionibus non priuilegiatis, vnde cum D. Pensionarius suam intentionem habeat fundatam in literis Apostolicis de anno 1656. datis, non potuit Synodus derogare priuilegiatæ huic Pensioni, cum inferior contra superiorem nihil possit, ***cap. Cum inferior 16. de maior.***

Ad Tridentinum respondetur esse dero- 11
gatum per illam Clauf. ***Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis contrarijs quibuscunq.*** insertam in dictis literis, ***ex allegatis à Barb. ad cap. 21. sess. 25.***

CONSIL.

CONSILIVM LXVII.

An Oblationes factæ in Capella Confraternitatis Sanctissimi Corporis Christi sunt Parochi?

Parochus insignis Collegiatę N. N. prætendit huiusmodi oblationes, & elæmosynas esse suas, & nullatenus competere Confratriæ eiusmodi habentis Capellam intrà Ecclesiam Collegiatam. Confratres petunt quid iuris in hac causâ.

1 Oblationes, & alia relicta Confraternitati Sanctissimi Corporis Christi debentur Confratriæ disponenda per illius Confratres officiales ad vsum ipsius Capellæ, Altaris, & administrationis Sanctissimi in Processionibus, & alijs, quæ ad eandem Societatem pertinent, & non Parocho, qui nullum ius habet conuertendi eas in proprium vsum.

2 Nam Confratria vti res ecclesiastica, *Barb. lib. 2. de iure Eccles. cap. 11. num. 82. Lezana par. 2. cap. 15. num. 4.* sub suo dominio habet omnia sibi oblata, ex quo etiam habet Capellam, & Altare, ex ijs quæ habet *Castropal. de iust. tract. 31. disp. Vn.*

3 *p. 7. §. 3. num. 2.* Vnaquæq. enim Ecclesia dominium, & possessionem habet rerum sibi oblatarum, *cap. Ex causa 13. de verb. signif. Alex. lib. 3. cons. 81. num. 17. Paris. lib. 1. cons. 24. num. 5. cum alijs. Rota par.*

4 *6. dec. 291. num. 8.* sub nomine enim *Capellæ* venit etiam Ecclesia, *cap. Concedimus 30. dist. 1. de consecrat.* & sine Oratorijs, aut Capellis Confraternitates non eriguntur, ex his ergo cum hæ Societates habeant dominium, & possessionem rerum sibi oblatarum, non potest eas prætendere Parochus, cum super illis nullum ius habeat.

5 Idem colligitur ex Bullâ Clem. VIII. de formâ erigendi Confraternitates incip. Quæcunq. 115. §. 8. *Quibus etiam Ministris, Officialibus, & alijs prædictis elæmosynas, & alia oblata Christianæ charitatis subsidia, iuxta modum, & formam per Ordinarium loci præscribendam, remotis tamen mensis, & peluibus, & capsis, quæ in Ecclesijs, & Oratorijs dictarum Confraternitatum, & Congregationum publicè ad hoc exponi consueuerunt, excipiendi potestas detur.* Ex lecturâ enim huius §. colligitur, Confraternitates habere ius, & administrationem rerum sibi oblatarum, quæ tamen expendendæ sunt in vsum proprium, & ordinarium ipsius Societatis, sine aliâ licentiâ, quæ censetur concessa ab Ordinario loci, dum approbauit Confraternitatem; specialis verò eiusdem Ordinarij licentia requiritur, quando Confratres vellent oblata expendere in alium vsum, licet pium, non pertinentem ad institutum, & commodum Confraternitatis, vt obseruat super eamdem Bullam *Pasqual. ad Franchum, num. 213.* 6

Præterea Confraternitati Corporis Christi erectæ primo Romæ in Ecclesiâ S. Mariæ super Mineruam Ordinis S. Dominici concessit, vt legitur in Bulla Pauli III. incip. *Dominus noster* 20. sub §. 7. *ff. c. Confratribus, Confraternitatis, huiusmode nunc, & pro tempore existentibus, ac eorum singulis quod omnibus & singulis Priuilegijs indultis, & exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentijs etiam plenarijs, & alijs gratijs, spiritualibus, & temporalibus Confratribus &c. Hospitalis nostri S. Spiritus in Saxia.* Quos constat habere dominium, & possessionem rerum sibi oblatarum. Hanc autem Confraternitati Corporis Christi erectæ in maiori Ecclesiâ N. sunt communicata omnia Priuilegia etiam temporalia, & exemptiones, quas habet eadem Confraternitas Sanctissimi in Ecclesiâ super Mineruam fundatâ, & sibi communicata, vt declarauit Sacra Congregatio 15. Febr. 1606. teste Ioanne Francisco Leone Episcopo Thelesino *in suo Thesauro fori Ecclesiastici par. 4. cap. 2. de Confratern. num. 106.* eam declarationem seu Decretum ad verbum referente. Habent enim huius generis Confraternitates hoc speciale Priuilegium, vt dicantur aggregatæ, & gaudere Priuilegijs dictæ Confraternitatis Sanctissimi super Mineruam in ipsâ earum erectione, sine petitione aggregationis. 7 8

Riccius Neapolitanus *par. 4. decis. 170.* dicit, saluari consuetudinem, vt Confratres auctoritatæ propriâ oblationes recipiant dummodo illas in pios vsus conuertant, non in proprios, & ita vbiq; locorum seruari videmus, quam generalem consuetudinem bene defendit *Dec. cons. 148. num. 3. lib. 1. Ferretus cons. 278.* Sequitur Prosper Fagnan *par. 4. in cap. Pastoralis, de ijs, quæ fiunt à Prælat. num. 22.* 9

10 Merlinus decis. 632. num. 3. & 4. firmat, Confraternitatibus, & earum Officialibus dari manutentionem, & remedium aliud possessorium pro administratione Sacristiæ, & Capellæ, ac rerum Confraternitatis.

11 Demum oblatio est species donationis, vt docent omnes **cum Socino de oblat. lib. 1. initio, Suares tom. 1. de Relig. cap. 5. num. 3. Barbosa lib. 3. de iure eccl. cap. 23. num. 3.** Et hæc denominatio donationis deducitur ex Sacrâ Scripturâ, Ezechiel. 20. 31. *In oblationibus donorum vestrorum* Paulus ad Hebr. cap. 5. initio: *Vt offeras dona, & Sacrificia pro peccatis* Cap. Saluator 8. 1. q. 3. ibi: *Donum Dei est res ipsi Ecclesiæ oblata.* Certum autem in donatione rei dominium trans-

12 ferri in donatarium irreuocabiliter *l. 1. ff. de donat. l. cum de 9. C. de donat.* Ergo Fideles offerendo elæmosynas, candelas, panem, pecunias, non Parocho, sed Confraternitati dicuntur donare. Irrationabile enim est, quòd Confraternitas, quæ sentit incommodum non debeat sentire commodum, & è contra Parochum sentire tantùm commodum, & nolle subire onera cum Societate Confratrum.

13 Contra Confraternitatem vrget illud commune axioma, quod Parochus habet fundatam intentionem super omnes oblationes, quæ fiunt infra Parochiam, à fortiori intra propriam Ecclesiam. **Socin. de Oblation lib. 18. num. 9. & 10. Barb. de Parocho par. 3 cap. 24. à num. 5.**

Sed facilis est responsio, illud locum habere, vbi nulla datur exemptio, ex immunitas ab oblationibus. Constat autem Capellas, & Oratoria Confraternitatum esse exempta ab hac obligatione dandi res sibi oblatas Parocho. Confirmatur id **ex Abbate in cap. 2. de success. ab intest. & Mar. Socino lib. 18. de Oblat. q. fin. Felin. in cap. Dilectus, de offic. ordin.** & ex illis Genuens. cap. 57. num. 3. editionis Romanæ, vbi, quòd oblationes factæ Altari, seu Capellæ debentur Parocho, nisi relinquantur intuitu ipsius Altaris, cui in dubio presummuntur, & Ecclesiæ, non Rectori, quia personæ offerentes Capellæ Confraternitatis, & non Altari Maiori, vel loco, vbi solent offerri oblationes pro Parocho, suam hoc modo intentionem exprimunt, vt fiat illorum, qui curam habent illius Altaris, vt pro eo expendantur, non autem vt Parochus illis potiatur. 14 15

CONSI-

CONSILIVM LXVIII.

An coniux poſsit facere diuortium propria auctoritate?

1 Titius poſt ſponſalia contracta cum
Laurà, ſubodaratus eſt, eam non
eſſe Virginem; conquæſtus eſt cum
eius conſanguineis, qui reſponderunt de
hac re non eſſe dubitandum, quia eorum
puella honeſta Virgo eſt, nec quiſquam
eam impudicè tetigit. Subinde contracto
Matrimonio, in conſumatione deuenit in
certam cognitionem experimentalem per
copulam non eſſe Virginem. Valdè ſuper
hac re contriſtatus, ex ore ſubſequenter
aliorum auxit priorem ſuſpicionem, &
quandoq. vidit eam è feneſtrà domus ſuæ
colloquentem cum quodam, vnde volendo
euitare maius malum, eam dereliquit animo
ad eam non redeundi, & ſic proprià auctoritate
cum illà diuortium fecit, & per
nonnullos annos ad eam non redijt. Demum
cum non poſſit probari Adulterium
ſub pœnà Excommunicationis iuſſus fuit
ad eam redire; appellauit, & adhuc pendet
Iudicium. Quærit an tutà Conſcientià (loquendo
quò ad forum Conſcientiæ) poſſit
à loco recedere, ad aliam diœceſim antequam
cauſa terminetur, & ſic facere diuortium
proprià auctoritate ſine peccato.

Titius proprià auctoritate, & ſic in foro
2 Conſcientiæ, non poteſt diuertere ab vxore
ſuà ex cauſà Fornicationis, cum non ſit
certus moraliter de illius Adulterio. Id alià
ratione non probo, niſi ex cap. ***Dixit Do-***
3 ***minus 2. 32. q. 1. ibi. Vbicunq. igitur eſt for-***
nicatio, vel fornicationis ſuſpicio liberè
vxor dimittitur. Verbum ***liberè*** inter pretatur
ſine licentià Superioris, ergo proprià
auctoritate, ſic alijs citatis Sanchez
lib. 10. diſp. 12. num. 31.

Nomine autem ſuſpicionis Adulterij,
4 quo probandum eſt, venit ſuſpicio violenta,
vt docet ibidem Gloſ. V. Suſpicio, prope
finem, & habetur expreſsè cap. Literis
12. de præſumpt. ibi: ***Produxerunt teſtes***
5 ***firmiter aſſerentes, quod poſtquam mulier***
cum prædicto viro contraxerat Matrimoni-
um, conſanguineum viri eiuſdem ſolum cum
6 ***ſolà, nudum cum nudà, in eodem lecto ia-***
centem, eà, vt credebant, intentione, vt
eam cognoſceret carnaliter &c. Ita omnes
cum Sanchez cit. num. 41. & 43. Ita quòd
nec ex oſculis, & amplexibus deduci poteſt
violenta præſumptio Adulterij, ex eodem
num. 47. nec munera, nec literæ amatoriæ
adulterium probare poſſunt quia ſunt minora
indicia, *ibidem num.* 48. nec quòd aliquis
glorietur ſe cum eà concubuiſſe, vt dicitur
ibidem. Poteſt quis dicere, hec procedere
in foro externo. Sed hæc locum habent
etiam pro foro Conſcientiæ, ex eodem
Sanchez num. 39.

Verum quidem eſt, quod in foro Con- 7
ſcientiæ ipſe Sanchez ibidem num 51. exiſtimat
ſufficientem eſſe notitiam, quà Coniux
Innocens diuertere poſſit, ſi de Adulterio
ſui coniugis certior fiat à perſonà
fide digniſſima, cui merito prudentiſſimus
quiſq. fidem haberet ſe vidiſſe Adulterium,
aut teſtanti eius violentam ſuſpicionem.
Et hæc omnia docet etiam ***Caſtropal. de***
Sponſalib. diſp. 3. p. 6. §. 4. num. 7. & 8.

Quare communis eſt Canoniſtarum ſen- 8
tentia, non poſſe virum dimittere ſuam
vxorem, proprià auctoritate, & in foro
conſcientiæ, ex cauſà Adulterij, niſi illud
ſibi conſtet ex violentis ſuſpicionibus, vt
patet ex dictis, & alios Doctores allegat
Barboſa ad dictum cap. 2. 32. q. 1.

In iſto autem caſu nulla adeſt violenta 9
ſuſpicio, immo nec leuis, quà probari poſſit
Adulterium, ergo debet obedire Iudici,
& redire ad vxorem. Nec timendum eſt de
periculis, quæ potius imaginaria ſunt, &
voluntaria, cum in ordine ad bene agendum
nihil timendum ſit.

Suſpicio quidem de ſponsà inuentà cor- 10
rupta in conſumatione primi Matrimonij,
non facit ad rem, tum quia ſupponitur ante
quam eſſet in poteſtate viri. Tum quia
potuit virgo per ſe ipſam frangere clauſtrum
virginale.

Vnicum remedium ſupereſt, quod ipſa 11
vxor ſit contenta, & hoc indicet viro, in
quo caſu poteſt recedere à diœceſi, ſtante
etiam appellatione interpoſità &c.

CONSILIVM LXIX.

An obligatio Missarum ab vna Ecclesia ad aliam transferatur.

1 Congregatio Oratorij S. Mariæ Steccatæ Parmæ potest in eodem suo Oratorio celebrari facere Anniuersarium, & Missas ab anno 1630. vsq. ad præsentem annum, omissas in casu quo Ecclesia Parochialis Felini tot grauetur oneribus Anniuersariorum, & Missarum, quibus satisfieri non possit per Sacerdotes Ordinarios illi Ecclesiæ inseruientes, Rectorem, scilicet, & Capellanum dum non adsunt alij Sacerdotes, qui possint huic oneri satisfacere dando illi eleemosynam competentem, quæ scilicet est Iulius Romanus, nec vlterius peti potest ex Decreto S. Congregation. & Synodo Nembrinæ fol. 22.

2 Prædictis ergo pro veritate instructa Congregatio, poterit licitè Anniuersaria, & Missas omissa reficere in suo Oratorio, absq. violatione mentis Testatoris; & id probatur argumento ab Epicheiá accepto, si enim dum suum conficiebat vltimum Testamentum interrogatus fuisset super hoc casu tunc non extanti, qui pro nunc probatur in esse, ita quòd nunc moraliter nullus inuenitur, qui velit satisfacere in dicta Ecclesia Felini, dum Rector, & Capellanus grauati, hoc onus suscipere non possunt; certè respondisset, celebrentur in Oratorio Steccatæ, quia multum confido in eodem Oratorio, quod instituo meum heredem fidei commissarium, vnde subintrat illud a-

3 xioma: *Si cogitasset, disposuisset*, ex l. cum in Testamento 25. *ff. de reb. dub.* Vnde mens testatoris extenditur ad eum casum, de quo si admonitus fuisset, disposuisset, *Decius cons. 227. num. 11. Signorol. cons.* 183. *num.* 10. *ex illis Bariola cons.* 14. *in fine Sperel. dec.* 144. *num.* 3. *& seq. Rota par.* 8. *dec.* 134. *num.* 5. Si id procedit in fauorem hæredum, vel legatariorum, vt colligitur ex allegatis, à fortiori idem intelligendum est, quando interpretatio cedit in vtilitatem maiorem ipsius Testatoris, cuius suffragijs presto erunt Sacerdotes, qui in Oratorio abundant ad celebrandum.

4 Hoc argumentum est valdè efficax, quia similia verba: *Si cogitasset, si interogatus fuisset, verisimiliter respondisset* sunt vna ex præcipuis coniecturis, ex quibus colligitur certa Testatoris voluntas, maximè in casu nostro, in quo agitur de eius interesse, ita quòd dispositio Testatoris porrigitur ad eum casum ab eo non cogitatum, quando est verisimile, quod si de eo cogitasset, idem quoq; disposuisset; vt multis citatis iuribus, & Doctoribus fusè docet Paulus Rubeus *in Annot. ad decis.* 632. *num.* 88. *& seq. Rota part.* 4. *tom.* 3. Et hoc ita certum est in casu nostro, vt non solum verisimile sit, sed etiam sine dubio omninò verum, tum quia cedit in eius suffragium, tum quia casus ab eo expressus, vt celebrentur in Ecclesiá Felini, factus est modo impossibilis, quò ad eius executionem, vt suppono (loquor enim ex suppositione, quod probatum sit id, quod supposui initio) & sicut impossibilium nulla est obligatio, *Reg. 6. in 6. l. Impossibilium* 145. *ff. de regul. iur.* ita neq. censendum est, Testatorem ita rigorosè obligasse Oratorium, vt in Ecclesiá Felini deberentur celebrari illa Anniuersaria, & Missæ, si quando eueniret casus, quo non possent celebrari, cum vti prudens Sacerdos sciret, quandoq; talem casum accidere posse ex defectu Sacerdotum, qui carerent obligationibus.

Dices non potest mutari locus à Testatore designatus, immo nec Altare, & multò minus Ecclesia, aliter peccatur mortaliter, quia in re magni momenti infideliter agit contra Testatorem, de communi Doctorum *Diana par.* 2. *tract.* 14. *resol.* 29. Quare ad euitandum hoc peccatum recurrendum est ad Episcopum, qui Testatoris voluntatem commutet, si adsit causa rationabilis, vt docent *Bonac. de Sacr. disp.* 4. *q. fin. p.* 7. §. 4 *num.* 4. *Auersa de Sacrif. q.* 11. *sect.* 18. §. *Octauo ex illis Paulus Maria Quartus Theatinus in Rubr. Missal. in Append. de Sacrif. q.* 4. *p.* 4. *difficult.* 1. 6

℞. Præfatam obiectionem esse intelligendam, quando mutatio Ecclesiæ, vel Altaris fit sine legitimá causâ, & contra mentem Testatoris, vt allegati etiam docent, Bonac. num. 4. Pasqualig. de Sacrif. Missæ q. 1141. num. 2. vbi in genere saltem tangit nostrum casum, ibi: *Aut quæcunq. alia causa quæ vel physicè, vel de iure reddant impossibilem celebrationem, cum enim nunquam obligatio ad impossibilia se extendat, non fuit intentio fundatoris obligare &c.* 7

Nec hic opus est formali dispensatione Episcopi, quæ supponit mutationem faciendam esse contra mentem Testatoris, sed exercen- 8

exercendam ex legitimà causà nam talis expressè censetur mens Testatoris, qualem prefesert epicheia facta supet eius mente, quæ non vult certissimè obligare ad impossibilia, ergo cum de mente Testatoris constet, non est opus dispensatione, neque commutatione vnius Ecclesiæ in aliam, vt congruentior sit locutio ad formam Tridentini *cap. 6. sess.* 22. qui ex causà iustà potest Episcopus commutare mentem Testatoris; in casu autem nostro non mutatur voluntas Testatoris, quæ talis est, qualis exprimitur in nostro casu.

Verum quidem est, quòd Rector Ecclesiæ Felini vocandus est, quia eius Ecclesia aquisiuit ius ad celebrationem Anniuersariorum, & Missarum, & nondum contra ipsam prescriptum est, ad effectum vt respondeat, an habeat in promptu Saecrdotes deobligatos, qui possint satisfacere, vnde si non habet Oratorium incipit habere ius ad celebrandum, & satisfaciendum menti Testatoris in proprijs Capellis. Quod sit vocandus Rector ab eam causam tradit *Card. de Lugo de Sacr. Euchar. disp.* 21. *num.* 36. 9

CONSI-

CONSILIVM LXX.

An mulier dotem suam alijs obligare possit?

Coninges mutuâ dispositione ambo donationem fecerunt inter viuos Ecclesiæ S. Mariæ, reseruato vsufructu bonorum donatorum, in quo superstes alteri morienti succederet, obligando Monasterium ad vendendum post eorum mortem omnia mobilia, ex quorum pecunijs deberet illos sepelire, & missas cum officio pro eis celebrare. Post mortem vtriusq. instat tertius maritus superuiuens huic mulieri suæ coniugi, vt sibi dos tradatur ad formam statutorum, de quibus supra cons. 53. & Decreti super forma obligationum mulierum, tenoris sequentis.

1 Cum publicè intersit mulieres esse dotatas illarumq. fragilis sexus, & imbecillis virorum plerunq. blanditijs, & illecebris, cæpissimè in hac nostrâ Ditione, etiam minis, aut metu saltem reuerentiali, alijsue artibus, aut simulationibus, & dolis seduci soleant.

2 Ad Donationes, Conuentiones, Contractus, Obligationes, mirum in modum, sibi damnosas, & præiudiciales incundum; inde inopes, & indotatæ sæpe ac sæpius remanent, vt experientia rerum magistra docet.

3 Cumq. in pluribus Italiæ Ciuitatibus salubriter hac de causâ sancitum sit, vt mulieres ipsæ non nisi cum maturiori propinquorum consilio, & assensu, ac etiam Iudicis auctoritate talia possint ac valeant agere.

4 Nos quoq. bono huic publico, earum exemplo proinde annuere volentes, & illorum fraudibus, & machinationibus obuiare, qui naturalis rationis, ac pietatis expertes, verecundum, facile, timidumq. fœmineum sexum circumuenire, ac facultatibus suis deinceps spoliare studuerint.

5 Presenti nostrâ sanctione, quam pro lege inuiolabili custodiri mandamus, tam in hac nostra ciuitate Parmæ, quam eiusto to territorio & districtu nobis mediatè, vel immediatè supposito, vna etiam cum Palauicino statu præcipimus, statuimus, atq. decernimus.

6 Quòd nulla mulier in futurum cuiuscunq. status, qualitatis, aut ætatis sit, tutore, vel curatore masculo carens, nupta, vel inupta.

7 Contractum aliquem possit, vel quasi contractum, distractum, pactionem, vel obligationem, receptionem, renuntiationem, confessionem, fideiussionem, dotis promissionem, venditionem, donationem, dationem in solutum, hæreditatis aditionem, vel immixtionem, aut repudiationem, aut quemuis alium actum obligatorium, vel sibi quomodolibet præiudicialem, cum quacunq. Personâ, Communi, vel Collegio, etiamsi cum ipso Patre fiat, gerere, facere, contrahere, perficere, vel expedire, congruè referendo.

Sine interuentu, & consensu duorum illius agnationis, vel cognatorum maiorum viginti quinq; annis, & sui iuris, in quocunq. gradu consanguinitatis existant, & non habentium interesse in negotio, de quo agetur principaliter, vel in consequentiam, & bonæ vocis, conditionis, & famæ, arbitrio dictæ mulieris eligendorum ex agnatis, vel cognatis prædictis, ordine seruato, vel non, & simul, vel separatim, prout ei videbitur. 8

Et in defectu agnatorum, vel cognatorum duorum vicinorum similis qualitatis; & qui omnes supra nominati iurare debeat, se credere dictū contractum, vel obligationem, aut liberationem, aut alia, de quibus supra per eam fienda, expedire dictæ mulieri, & iustè, & rationabiliter fieri, & se nullum habere interesse in dicto contractu vel obligatione, & liberatione, & alijs, de quibus supra, principaliter, & in consequentiam. 9

Et cum decreto Iudicis, cum iustâ, & euidenti causæ cognitione interposito, quæ tamen causæ cognitio, & qualitates agnatorum, & cognatorum, & vicinorum, de quibus supra, & defectus, de quo supra, præsumantur ex ipso decreto Iudicis, quamuis eadem die interposito, itaut contrarium probari non possit, nisi quòd contractus, vel actus prædicti cedant in damnum mulieris. 10

Onerantes tamen conscientiam ipsorum Iudicum, & sedulò eos admonentes, ne ad huiusmodi decreta præcipitanter, aut re non bene intellectâ deueniant; scientes si secus se gesserint, primum omnipotenti Deo negligentiæ, aut malitiæ suæ pœnas daturos, deinde, seueritatem censuræ nostræ experturos. 11

Si verò dicta mulier Tutorem, vel Curatorem masculum habeat legitime constitutum, tunc cum Tutoris, vel Curatoris hu- 12

iusmodi

Digitized by Google

huiusmodi interuentu, & Iudicis decreto prædicto obligari possit, & non aliter; & hac solemnitate seruatâ, nulla alia ex præsenti decreto requiratur.

13 Et si fuerit in potestate Patris maioris viginti quinq. annis, vel aliorum ascendentium, eo casu adhibeatur Consensus illius, qui eam habuerit in potestate, iurantis vt supra, & decretum Iudicis, quo casu teneat obligatio, vel actus ab ea factus, etiam sine agnatis, vel cognatis, vel vicinis.

14 Quod si in nullius sit potestate, sed tamen habeat patrem maiorem, vt supra, vel auum, vel alios ascendentes, paternos, vel maternos, vel filium maiorem 25. annis sui iuris, & bonæ vocis, conditionis, & famæ, tunc sufficiat consensus vnius ex prædictis, qui iuret modo prædicto, cum Iudicis decreto, pro quo in omnibus casibus prædictis præsumatur, vt supra in alijs dictum est.

15 Et si pater, & filius fuerit minor annis 25. vel aliàs à præsenti decreto non approbatus, vel alij ascendentes, de quibus supra non approbati, quò ad eorum personam tunc habeantur, quò ad hoc, pro mortuis, & cum aliorum superius nominatorum interuentu actus expediatur.

16 Nec excludantur pater, aut alij ascendentes, aut filij prædicti, etiam si de eorum interesse tractetur in consequentiam, dummodo ipsi non sint principales in contractu, vel actu expediendo, nec etiam eo sub pretextu, quòd vsusfructus bonorum, de quibus agetur, eis aquiratur.

17 Quinimmo & in constituendis dotibus proprijs filiabus, vel alijs fœminis descendentibus, & in recipiendis finibus, seu renuntiationibus bonorum, quæ fieri solent occasione Matrimonij Carnalis, vel Spiritualis contracti, vel contrahendi, & dotis constitutæ, vel constituendæ solus sufficiat interuentus patris, aut illius ex ascendentibus, qui mulierem in potestate sua habent; vel si illa à patria potestate soluta fuerit, illius tantùm ascendentis, qui eam dotauerit, etiam nullo in præmissis accedente Iudicis decreto.

18 Contractus autem, distractus, conuentiones, obligationes, & alij omnes actus prædicti aliter gesti, & celebrati non valeant, nec teneant, sed pro simulatis, ficticijs, meticulosis, & dolo extortis habeantur, simulatiq. ficitij, meticulosi, & dolosi sint, & esse intelligantur ipso iure, quantùm ad personas, obligationem, & præiudicium ipsarum mulierum, etiamsi iuramento vallati fuerint, quod simulatum pariter, fictum, ac metu, & dolo extortum præsumi volumus. Sublata quoq; probandi contrarium facultate. Prædicta autem formà seruatâ, nulla alia requiri, & obseruari debeat, aliàs de iure, aut formà Statutorum necessaria.

19 Prædicta tamen locum habere nolumus in constitutionibus Procuratorum ad lites, seu causas, nec in actibus iudicialibus, vbi expressa obligatio mulieris non fit, nisi fiat pro validitate Iudicij contra ipsam mulierem, vel ab ipsa contra alium moti, vel iurium suorum cessio.

20 Nec in tenutis, nec in donationibus causa mortis, neq; in locationibus bonorum, etiam immobilium vsq. ad septenium, dummodo mercedem vno anno pro pluribus mulier non recipiat, nec in conductionibus domorum ad modicum tempus, vel famulorum, aut operariorum, nec in receptionibus, vel confessionibus annuorum redditum, annuarum præstationum, vel alimentorum annuorum, nisi vltra debitum vnius anni anticipentur solutiones.

21 Nec in receptione, vel confessione cuiusuis rei pro necessitate victus, vel vestitus proprij; nec deniq; in receptione, vel confessione vnici debiti cuiuscunq. aureos decem non excedentis; neq; in obligatione resultante ex aditione, seu immixtione hæreditatis, vbicunque mulier res hæreditarias possideat, fraude tamen, aut quæsito colore in præsenti cessantibus. In quibus omnibus, & singulis casibus mulieres ipsas liberè contrahere, & negotiare, seque, & sua obligare posse bona, & iura quæcunq; prout ante præsentem nostram dispositionem poterant, permittimus, & concedimus.

Datum Parmæ die 26. Octobris 1585. 22
Octauius Dux.

Sequitur declaratio facta à Ranutio Principe Parmæ, & Placentiæ.

Volendo noi prouedere in quel meglior modo, che hora si può alle molte querele, & instanze, che ci sono state fatte da questa nostra dilettissima Città di Parma per la riforma del decreto fatto, & publicato questi mesi passati sopra le indemnità delle donne & non potendo hora stabilire la totale, & perpetua reformatione predetta per diuerse nostre occupationi, & altri rispetti, hauemo nondimendo voluto la infrascritta dichiaratione per modo di prouisione, & fin che sia ordinato altro in questa materia. 23

Et così vogliamo, & ordiniamo, che nella predetta Città, & lochi di questo stato sottoposti, così mediatamente, come immediatamente al Ser. Sig. Duca nostro Sig. & patrone si osserui detto decreto, sue solennità, & clausole solamente nelli oblighi, & contrati, che si faranno delle doti, e augomento di doti, donatione per le nozze, antipati, ò sposalitij, largitioni, & anco nelle intercessioni, ò promesse per altrui, secondo la forma del Velleiano, & altre leggi del detto titolo tacitamente, & ex- 24

pressa-

pressamente, & solo, per le donne maritate, & durante il Matrimonio, & non più oltre, supplendo nel resto la virtu del decreto predetto; si che non habbia effetto alcuno, sin che altro non sia ordinato, & come si è detto.

25 Et per prouedere ancora all'incommodo, & dispendio di detti sudditi nostri ordinarij ciuili, & da Noi immediatamente eletti, & dependenti, quali haueranno tutti questa facoltà, ma anco altri duoi Dottori del Collegio de Giudici di ciascheduna delle predette città, quali da noi saranno eletti, habbiano autorità, & possanza d'interporre il decreto, & autorità necessarij nelli casi predetti, seruando la forma, & conditione nel predetto decreto espresso, & anco li sudditi mediatamente, ò immediatamente à S. A. Sottoposti.

26 Et similmente concediamo la medesima autorità alli Podestà, & Commissarij delle ville, ò Castelli, & altri luoghi così separati, come non separati tra le persone sottoposte alla giurisditione, & non altrimenti; & da tutti li predetti Giudici, & altri, come di sopra si hauerà da interporre il decreto, & autorità senza premio, ò pagamento alcuno, se non in tal caso, che poi tal causa bisognasse alli predetti vscire della Città, Castello, ò villa, doue fanno la sua solita residenza, & eccettuati anco i casi, nelli quali circonscritto il decreto nouo si haurà da interporre l'autorità del Giudice, secondo le raggioni, e consuetudini antiche, nelle quali non si estenda alli Giudici ordinarij ciuili secondo il solito fatto pregiudicio alcuno.

27 Et tutto quello, che fin qui si è detto delli Giudici, & ell... come di sopra, & della lor mercede, vogliamo anco habbia luogo quanto al decreto de seruitori publicato in Piacenza vltimamente, ma delli vltimi anni in quà solamente, & non piu oltre.

28 Et perche stando la predetta dichiaratione sarà maggior la frequenza de contratti de minori, & delle donne, vogliamo che in quelli de minori basti l'interuento del Giudice, e duoi deputati, come di sopra, con vn solagnato, ò cognato, ò vicino, come nel decreto predetto senza giuramento alcuno.

29 Il qual decreto nel resto habbi da restar sospeso come di sopra si è detto, fin che altro sia ordinato in contrario, reseruati però i casi &c.

Data in Parma li 14. Nouembre 1588.

In hoc Decreto supradictus noster casus non comprahenditur, vt probatur per infrascripta argumenta.

30 Primò, causa finalis huius Decreti, est, vt occurratur fraudibus, quibus decipiuntur mulieres in donationibus, contractibus, & obligationibus sibi damnosis, & preiudicialibus, ad quas blanditijs, immo minis, & dolis sepe inducetur sed in casu nostro nulla fraus, nec minæ, aut dolus interuenit, nec huiusmodi donatio inter viuos facta Ecclesiæ pro suffragio animæ suæ est illi damnosa, aut præiudicialis, dum cedit in honorem Dei, in vtilitatem Ecclesiæ, & in suffragium animæ, ergo non compræhenditur in præsenti Decreto. Consequentia patet, quia causa finalis regulat, & restringit ad suos limites totam dispositionem, *l. fin. de hæred. instit. Bald. lib. 2. cons. 159. num. 4. Vers. Nisi dicamus, Duranus dec. 288. num. 71. Rota recent. part. 1. dec. 67. num. 6.* 31

Secundò, Statutum non extenditur de casu ad casum etiam habentem eandem rationem, *Bartol. in l. si verò §. De viro ff solut. matrim. Riccius par. 1. dec. 67. num 6.* Vnde strictè est interpretandum, *l. 3. §. Hæc verba ff. de negot. gest. Natta cons. 11. fine, Surdus dec. 313. num. 4. Ciarlin. cap. 161. nu. 98. & cap. 196. num. 33.* Ergo illud verbum *donationis* restringitur in eo Decreto ad donationes profanas, in quibus nulla vtilitas pro mulieribus reperitur, sed solùm cedunt in earum præiudicium. 32 33

Tertiò, Statutum tollens Ecclesijs, & ecclesiasticis personis, quod illis Ius commune concedit, est contra Immunitatem Ecclesiasticam, vt docent omnes cum Barbosa *de Immun. in Additam. num. 3. Ciarlin. cap. 63. num. 30. Sperell. dec. 12. num. 39. & 45. Donatus Antonius de Marinis lib. 2. cap. 28. num. 7.* Ac proinde ipso iure nullum est, *cap. Ecclesia S. Mariæ de constit. Auth. Cassa sub. l. 12. C. de Sacros. Eccles.* Sed mulieres de Iure communi sine his solemnitatibus possunt donare Ecclesijs, & alijs locis pijs, cum id iure communi illis non sit prohibitum, *Glos. V. Obligauit, l. 2. C. Ad Velleianum, Gratian. disceptat. 756. num. 24. Rota par. 6. dec. 83. num. 7. & decis. 238. num. 13.* Ergo donatio hæc facta Ecclesiæ non intelligitur comprahensa in hoc Ducali Decreto, cum enim Princeps secularis, & Dux Octauius pijssimus Catolicus id optimè sciret, se nihil posse statuere directè, nec indirectè contra Ecclesias, inferendum est per Decretum hoc nullum intulisse præiudicium Ecclesijs, ac proinde mulieres reliquisse in plenâ libertate disponendi de sua dote pro animab. suis sine dictis solemnitatibus potissimum de consensu Agnatorum, aut Cognatorum, qui interesse habentes, potius dissuaderent mulieres à donationibus faciendis in fauorem Ecclesiarum. 34 35 36

Quartò, Decretum illud prohibet ne mulieres, sub num. 7. donationes, contractus, aut alias obligationes faciant *cum quacunq; personâ Communi, vel Collegio*; sed sub his verbis non comprahenditur Ecclesia, cum 37

nec

nec commune, nec Collegium soleat appellari, nisi in fauorabilibus, *Barb. Appellat.55. num. 1. & 2.* ergo non loquitur in casu nostro.

38 Quintò, Statutum contra causas pias nullius momenti est, siue directè, siue indirectè sit illis præiudiciale, *ex l. illud 16.C.de Sacros. Eccles.* Vbi dicitur quod valet donatio sine insinuatione, quamuis à lege, vel aliquo Statuto præscribatur, vnde *in l.San-*
39 *cimus C. de donat.* donatio excedens summam quingentorum aureorum sine insinuatione non valet, vtique verò si facta sit ad pias causas, cuiuscunq. valoris ipsa donatio sit, *Duenas Reg. 224. fallent. 6. Tiraquel. priuileg. pia causa 125. Anton. Gomez tom. 2. var. cap. 4. num. 10.* cum alijs quatuordecim *Barb. ad dictam leg. 16. num. 3. & lib. 2. de iure cap. 13. num. 21. Dal bene par. 2. de immun. cap. 8. dub. 24.* & sequentibus.

40 Sextò, *Abbas lib. 2. consil. 32. num. 1. Bald. cons. 118. cum alijs citatis ab eodem Barb. lib. 3. de iure cap. 27. num. 103.* dicunt omnem solemnitatem, omnesq. regulas iuris ciuilis cessare in Testamentis, & Legatis ad pias causas, & solùm Ius gentium seruari, quod idem dicendum est etiam in alijs dispositionibus, & donationibus etiam inter viuos, in ordine ad causas pias, cum ex hac pià qualitate dispositio recipiat huiusmodi Priuilegium, ne subsit solemnitatibus iuris ciuilis, & multò minus Statutis.

41 Septimò, condens Statutum non censetur cogitasse de casu, de quo non potest disponere nec expressè, nec tacitè, vt docet Bernardinus Landriana *Mediol. relatus in Catena Aurea de Immun. Gatici tom. 1. fol. 368 num. 2.* Ergo Dux Octauius, qui vir timoratæ conscientiæ bene sciebat, se nihil posse disponere in præiudicium Eccles. hunc casum non comprehendidit in suo Decreto de donatione inter viuos ad pias causas.

Octauò, tunc statutum dicitur esse contra libertatem Ecclesiæ, quando vigore ipsius minoris vendit, pluris enim venditur res libera, quam onerata, naturâ, lege, vel pacto, *l. si venditor ff. de seruis ex post. Bald. vol. 1. cons. 31. ex eo Ioannes Baptista Caccia consil. 2. num. 3. apud Gaticum fol. 754.* vbi sub num. 4. quòd non valet Statutum, mandans solui debere duodecimam pro blado ad molendinum portato per portam Pistoriensem, quia per indirectum afert preiudicium molendino Ecclesiæ extra illam portam existenti, & licet verba dirigantur ad personas laicas & subditas, tamen effectus lædit Ecclesiæ libertatem, & damum affert Ecclesiæ, ex Francho, Decio, & Ancharano ab eodem Caccia allegatis. Sic in vsu nostro indirectè Ecclesia patitur damnum, dum mulieres cogerentur per hoc Decretum vocare agnatos, vel cognatos, vt consentirent in donationem inter viuos faciendam Ecclesiæ, aut enim non consentirent, aut dissuaderent eas à concepta donatione, aut ipsæ mulieres preuidentes difficultatem non mandarent executioni propriam voluntatem. 42

X CONSI-

CONSILIVM LXXI.

An cooperans ad homicidium sit irregularis, priuandus beneficio? Et quid sit sententia definitiua, & Interlocutoria?

1 Donus Flaminius de Diolis clericus Parmensis beneficiatus, quodam sero cum tribus amicis Camillo Lupo, Iosepho Tencato, & Lazaro de Bonamatis laicis è domibus suis euocatis secum duxit versus Ecclesiam Dioli cum Sclopis, & ipse clericus suam Scopletulam venatoriam commutauit in ronculam cum vno ex suis socijs, & sic armati simul peruenerunt ad locum vicinum Ecclesiæ, & circuierunt sex personas ibidem iacentes ad auram capiendam sub initium Augusti 1664. & dicti quatuor post hæc ab inuicem se diuiserunt circum circa, vnus retro Crucem Sacrati, alter retro morum, alij retro populum, tandem iterum in vnum conuenerunt, & dum verbis ambæ partes altercarentur Clericus admouit sæpius Ronculam contra Iulium, qui erat vnus ex sex personis prædictis, quem tamen Iulium Clericus non tetigit Ronculà, se defendentem suo scopleto, in quo conflictu occisus fuit Iulius præfatus, qui erat riualis in amore cuiusdam puellæ cum Clerico, & in eodem conflictu occisus fuit Camillus supradictus Socijs Clerici, ex duobus explosionibus Scopletor, ex ambabus partibus. Hoc factum cum suis circunstantijs probatum fuit per plures testes contestes de visu, quos pro legitimis habuit dictus Clericus in Processu suæ Comparitionis.

2 Super huiusmodi factum propono tres difficultates discutiendas. *Prima est*, an Flaminius Clericus supradictus probetur homicida, vel saltem cooperator ad homicidium, ac proinde incurrisse irregularitatem ex homicidio? *Secunda est*, an sit priuandus Beneficio, prout per Sententiam priuatus fuit? *Tertia est*, An Sententia lata contra ipsum absentem sit definitiua, ac proinde irreuocabilis?

3 Prima resoluitur, dictum Clericum proprijs manibus non probatur occidisse, vtique fuisse cooperatorem ad homicidium, vt probatur multis testibus de visu; ac proinde incurrisse irregularitatem ex homicidio, cui, immo, & quibus cooperatus fuit ad motione ronculæ, & cum sua assistentia. Ita de cooperatoribus ad homicidium docent omnes *in cap. Sicut dignum §. de homic.* in terminis nostris de clerico armato *§. Clericos autem, quos armatos constat interfuisse* &c. *Glos. in cap. fin. 23. q. 8.* Sayrus *lib. 7. de cens. cap. 4. num.* 13. ibi: Alij 4 vero, & rectius docent, omnes esse irregulares non solum in foro conscientiæ, sed etiam in foro externo. *Vivald. de irregul. ex homicidio num. 273. Couar. in Clem. si furiosus par. 2. Delect. §. 2. num. 3. Suarez disp. 44. de cens. sect. 3. num. 31. & disp. 45. Sect 3. num. 10.* Vbi inquit: Quin potius addo vlterius, etiam eos remanere irregulares, qui nullũ vulnus infligunt. *Castropal. disp. 6. de censur. p. 15. §. 6. num. 4. Barbosa ad dictum cap. 6. num. 46.* vbi inquit ex Speculatore, quod irregularitatem incurrit ille, qui armatus cum alijs exiuit ad occidendum, si postea aliquis occisus fuerit, etiam si ille nihil commisisset. A fortiori iste clericus, qui pluries admouit ronculam versus dictum Iulium occisum, licet non ab eo, reparantem ictus ronculæ suo Sclopo. Et ita quoq. pluries sensit Rota Romana *par. 1. Recent. dec. 260. num. 5. & par. 2. dec. 44. num. 3. & in dec. crim. 397. num. 2. apud Farinacium.*

Multis quoq. coniecturis firmatur Clericum habuisse animum occidendi, vel vt 5 occideretur dictus Iulius, cum quia erat illi riualis in amore puellæ, tum quia idem infertur ex associatione amicorum ad locum vbi accidit homicidium, *ex Farin. q. 126. num. 199. 200. & 201.* Tum ex fuga, nam post homicidium statim cum occisore aufugit extra diæcesim, & citatus ad se defendendum non comparuit, ex eodem num. 205. & 206. omnia hæc indicant eum reum homicidij.

Secunda difficultas infertur ex probatis, 6 dictum scilicet Clericum esse priuandum Beneficio, licet non sit ipso iure priuatus, omnes enim docent irregularem ex homicidio esse priuandum, *Abbas in cap. Nisi 10. de renunt. num. 4. & in cap. Clerici 5. Ne cler. vel mon. Suarez disp. 44. sect. 4. initio, Bonac. de irregul. q. 1. p. 4. num. 11. Layman lib. 1. tract. 5. p. 5. cap. 1. Corrolar.*

tar. 3. Farinac. q. 119. num. 47. & 58. vbi, quod non solum priuandus est Beneficijs, sed etiam remanet inhabilis ad alia. Et horum sententia firmatur in dicto cap. Sicut dignum 6. de homic. §. fin. illis verbis: *Clericos autem, quos constat armatos interfuisse tanto facinori, & illos, qui consilium dederunt, vt S. Vir.* scilicet Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, *caperetur, perpetuo non solum ab Altaris ministerio deponendos esse censemus*. Quare cum hæc priuatio ex textu sit clara, nullatenus de ea dubitandum est in nostro casu, in quo Clericus assistebat armatus, & eo magis quia auxiliabatur ad homicidium ronculam agitando contra eum, qui remansit occisus. Merito igitur Reuer. D. Vicarius Generalis illum Beneficio priuauit alijs adiunctis pœnis. Restat resoluenda tertia difficultas.

7 Ad quam respondeo, Sententiam contra Flaminium prædictum latam licet absentem esse definitiuam, & nullatenus interlocutoriam consequenter esse confirmandam, & nullo modo reuocandam, nec euanuisse per comparitionem dicti Flaminij, cum Sententia definit ita sit irreuocabilis, *l. Quod iussit 14. ff. de re iud.* Ita quod nec eam Iudex corrigere potest, *l. Iudex § cod. Barb. in cap. 10. de appellat. in 6. num. 4. Gratian. cap. 147. num. 11. & cap. 155. num. 16.* Interlocutoria verò contumatialis est reuocabilis, immo euanescit, & purgatur eius contumatia per comparationem intra debitum tempus, alias transit & ipsa in rem iudicatam, *ex citatis, Serap. decis. 972. num. 20. decis. 981. num 3. decis. 9 5. num. 7.*

8 Quod autem Sententia lata contra dictum Flaminium Clericum sit definitiua probatur, quia illa est definitiua, non interlocutoria contumacialis, quæ ex probationibus præmissis fertur ob delictum, non propter contumaciam, & inobedientiam non comparendi, propter quod lata est mere contumacialis, quæ non fertur ob delictum, quod non fuit probatum, inquit enim *Ottobonus decis. 186. num. 15.* quod contumacialis non probat delictum, eam differentiam ponit *Seraphin. decis. 354. num. 10. & 11.* quam Aduersarij pro se citant, ex alia eius *dec. 965. num. 7. & Farinac. in dec. 175. num. 1. & 2.* Lancellot. senior *in vna Auriensi Canon. 22. Martij 1574.* quam citat Theodosius Rubeus *par. 1. singul. circa decisiones Cottæ num. 12.*

9 Præterea illa Sententia est contumatialis interlocutoria, quæ fertur contra abent essem contuma em ob non paritionem monitorij, *ex Cotta in sua decis. incip. Fuit resolutum, & in dicta Seraphini apud Farinac. §. 11. extensis sub. num. 87. dec. 354.* in eius lib. num. 8. ibi: *In pœnas contentas in monitorio ob non comparitionem.*

Certum autem est ex actis Processus contradictum Flaminium sententiam latam fuisse non ab contumaciam, sed propter delictum, vt apparet ex fectura præambuli sententiæ ibi: *Viso toto processu* &c. *Visis videndis* &c. & ipsius sententiæ per sequentia verba conceptæ: *Definitiuè sententiamus eundem D. Flaminium fare, & esse suspendendum* &c. *Prout ex hac nostra definitiua sententia* &c. *Benefi. ijs ecclesiasticis priuamus* &c. *Et quodcunq. mandatum executiuum de super necessarium, & opportunum concedimus, & relaxamus* &c. cum noua repetitione supradictorum. Ex quibus manifestè patet, eam sententiam fuisse definitiuam, & non contumacialem interlocutoriam, definitiuam enim esse, sententiam colligitur exprobatione delicti in actis Processus, *Rota par. 4. tom 2. dec. 251. num. 16. & tom. 3. dec. 702. num. 5.* 10

Confirmatur id, quia illa Sententia est definitiua, quæ habet decretum de exequendo coniunctum, Portules *ad Repert. Molini super Ritibus Regni Aragonum tom. 4. V. Sententia num. 16. quam citat Carena resol. 12. num. 9.* Constat autem hæc Sententia ex Decreto executorio, vt retuli, ergo est omnino definitiua. Præterea in actis Processus nulla apparet citatio ad parendum, neq. monitorium, sed solum inquisitio, & citatio ad se defendendum, quare non debeat condemnari, ergo Sententia est definitiua, cum Iudex per eam intendat finire, & terminare causam, adiuncto mandato executiuo, vt patet ex tenore Sententiæ ex supradictis verbis. 11

Prædictis addo certissimam esse omnium Doctorum sententiam quod homicidium peccaminosum inducit irregularitatem in eum qui physice, seu moraliter committit illud, vt habetur cap. Si quis viduam 8. dist. 50. *Si homicidij, aut facta, aut præcepto, aut consilio, vel defensione*. cap. Sicut dignum 6. §. *Illi autem, qui non vt ferirent, sed vt percussoribus opem ferrent.* de homicid. & infra cap. Significasti 18. ibi: *Studio, consilio, vel mandato.* 12

Nullum enim esse debet Clericum opem, defensionem, & Studium præbuisse ad homicidia, in agitando ergo ronculam occisorem reddidit animosiorem, & audaciorem; *ex Riccio par. 1. decis. 34. num. 2. Vers. Non obstat, & num. 3. Suarez disp. 44. sect. 3. num. 31. qui disp 45. sect. 3. num. 9.* ait, rixantes cum occiso remanere irregulares, & subiungit infra Quin potius addo vlterius eos remanere irregulares, qui nullum vulnus infligunt, alijs citatis. 13

Ex his patet contra Aduersarios, illos incurrere irregularitatem ex homicidio 14

quocunq. peccaminoso siue ex præmeditatione, siue in rixa perpetrato, non solum dubio iuris, super quo est improbabile dubitare, sed etiam in dubio facti, dum constat clericum amicos associasse ad locum delicti antequam sequeretur homicidium, & circundasse cum illis alios ex parte aduersa, & ronculam agitasse versum occisum. Imo si dubitaretur de homicidio, adhuc declarandus esset incidisse in irregularitatem, *ex cap. Ad audientiam, cap. significasti* 18.*cap. penul.* de homicid. *Sanch. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 42.

16 Nec quisquam dicas, *quod in cap. sicut dignum*, non est sermo de homicidio in rixa, quale est hoc secundum Aduersarios, sed de præmeditato, cum homicidium S. Thomæ Cantuariensis, de quo in eo textu, fuerit sine dubio præmeditatum. Nam respondetur, clarum esse, quòd homicidium vt sic

17 ratione suæ essentiæ, & substantiæ causare irregularitatem, non ratione suarum qualitatum, premeditationis, aut rixæ, aliter si solum homicidium premeditatum producerêt irregularitatem, & non rixosum, daretur homicida rixosus sine irregularitate, & homicidium rixosum peccaminosum sine irregularitate, quod vsque modo nullus dixit, cum ergo supradicti textus non distinguant, neq; nos distinguere debemus, vnde homicidæ siue physicè, siue moraliter sunt irregulares ex homicidio quatenus homicidium est, non quà est præmeditatum, nec quà rixosum. Hæc autem distinctio magis facit ad sciendum, quà pœnâ puniendus sit malefactor, quam quòd per eam cognoscatur 18 irregularitas, vnde Theologi non multum curant de ea distinctione, sicut faciunt Legistæ, & Iudices seculares, quorum doctrinam lege apud *Farinac. q.* 119.

19 Nec vlterius quis dicat cum Aduersarijs, in homicidio in rixâ, facto neminem teneri de facto alterius, sed de suo tantum, quod ipse fecit, vt dicit *Glos. v. quod si discerni cap. Significasti* 18. *de homic.* ac proinde si cuti non tenetur de homicidio, quod non fecit, ita neque de irregularitate.

20 ℞. Iure ciuili non puniri cooperatores, vt homicidas, bene tamen secundum statuta Canonum allegatorum, quòad irregularitatem, vt dicit *Castropal. cit. num.* 5. Sermo enim in illis iuribus est de pœnis temporalibus, non de spiritualibus, vt est irregularitas, *Abbas in cap. Significasti num.* 8. *&* 9. *& in Addit.* 2. *ibidem*, alijs citatis.

21 Demum si negatur in nostro casu irregularitas, sequitur, sententiam, quam Iudex definitiuam tulit in absentem esse iniquam, & iniustam, infligendo tot pœnas contra innocentē, qualis esset iste Clericus, si enim non est irregularis ex homicidio, neq; proinde in eo est culpabile, nec physiè, nec moraliter, si supponatur immunis ab irregularitate.

CONSI-

Digitized by Google

CONSILIVM LXXII.

Cuiusnam sit Thesaurus inuentus in loco Sacro.

1 THesaurus inuentus in loco Sacro
casu, & fortuitò est totus inuen-
toris; vt dicitur *in Instit. de rer. di-
uis. §. Thesauros.*, vbi etiam dici-
tur, quòd inuentus eadem casu fortuitò in
alieno loco diuiditur inter hominum loci,
& inuentorem. *In l. 3. §. Si in locis ff. de iure
fisci* dicitur: *Si in locis fiscalibus, vel pu-
blicis, religiosi sue, aut in monumentis the-
2 sauri reperti fuerint, diui Fratres consti-
tuerunt, vt media pars ex his fisco vendica-
retur.* Diuiditur ergo Thesaurus inuentus
ex hac lege, siue casu, siue consilio inter
inuentorem, & fiscum *In l. vn. C. de The-
sauris*, cuius loco nunc succedit Ecclesia, vt
dicit de Lugo *disp. 16. de Iust. num. 117.*
3 Sed cur in Instit. dicitur totum esse inuen-
toris, & nihil loci religiosi? Ea est ratio,
quia illis temporibus, res sacræ, & religio-
sæ in nullius bonis erant, vt ibidem dicitur
*§. Nullius autem sunt res sacræ, & religiosæ,
& sanctæ, quod enim diuini iuris est, id nul-
lius in bonis est.* Ideo locus sacer nihil aqui-
rebat illis temporibus. Sed quoniam pro-
cessu temporis Ecclesiæ, & religiosa loca
inceperunt habere dominium rerum vt do-
4 cent omnes *cum Bartolo in l. 1. de Sacros.
Eccl. q. 6. quinta quæst. Menoch. de arbitr.
casu 256. num. 28. Rota par. 7. dec. 212. num.
4. Barb. ad l. fin. C. de sacros. eccles. num. 9.*
consequenter locus sacer dicitur dominus
Thesauri in eo inuenti diuidendi inter in-
uentorum, & dominum loci religiosi, ne
locus religiosus dicatur deterioris conditio-
nis loco profano, cui debetur medietas.
5 Quare Thesaurus inuentus in loco Sacro
Ecclesiâ, cæmiterio, vel Monasterio, vel
agro Ecclesiæ diuiditur inter inuentorem, &
locum sacrum dominum quouis modo in-
uentus siue casu, siue consilio, ita docent
*Nauar. Silu. Angel. Couar apud Molinam
disp. 56. §. Dubium præterea, & apud de Lu-
go disp. 6. num. 116.* qui extremis verbis
num. 17. videtur idem dicere, dum conclu-
dit: Hodie vix reperitur locus sacer, vel re-
ligiosus, qui non sit sub speciali dominio
alicuius saltem Communitatis, ad quem
pertinebit Thesaurus, vel totus, vel pars vt
ad dominum.

An aliqua portio debeatur Prælato, qui 6
quasi repræsentat personam Fisci? *de Lugo
cit. num. 116. Castropal. disp. Vn. de iust. p. 17.
n. 7. Bonac. de Restit. disp. 1. q. 3. p. 6. num. 5.* lo-
quantur alternatiue, quod competat Præ-
lato, vel Ecclesiæ, ergo videtur ex illis in-
ferendum, posse diuidere inter se. Sed meo
iudicio, competit in ratione dominij solum
Ecclesiæ, quæ sola domina est, nequaquam
ad Prælatum, cui competit sola adminis-
tratio.

In quocunq. ergo casu Thesaurus inuen- 7
tus fortuitò, vel industria in alieno fundo
diuiditur inter inuentorem, & dominum
fundi. Quare hinc deducitur ratio cur, qui
inuenit Thesaurum Mathæi 13. 44. abscon-
ditum in agro, emit illum agrum, nimirum
vt emptione agrum sibi aquisitum, lucrum
quoq. Thesauri suum totum faceret, & non
esset quicquam daturus illi, qui antea erat
dominus fundi, per emptionem enim sibi
Thesaurum aquisiuit totum, & quatenus in-
uentor, & quatenus dominus. Vide D.
Thom. 2. 2. *q. 66. art. 5. ad 2.*

Hæc dicta sint occasione effossionis in
conuentu S. Dominici Monialium Parmæ,
vbi in vanum laborauerunt anno 1665. &
66. dum hæc scribebat Author.

CONSILIVM LXXIII.

An Superior diuidere posſit ſtipendium Miſſarum abſque violatione Decreti de Celebr. Miſſar.

1 Quidam Benefactor obtulit centum Paulos Sacriſtæ Monaſterij N. cum obligatione celebrandi centum Miſſas, eo enim tempore Paulus valebat 24. ſolidos, Superior mandauit Sacriſtæ, vt illæ Miſſæ celebrarentur per quatuor Sacerdotes ab eo nominatos, & ſingulis pro qualibet M. ſsâ tribueret viginti ſolidos, reliquos verò exponderet pro Beneficio Sacriſtiæ, quæ nullos habet redditus ſpeciales. Numquid iſte Superior violauit, & tranſgreſſus fuit decretum Vrbani VIII. de celebr. Miſſ.

2 R. Non violaſſe, quia huic caſui non poſſunt applicari verba ipſius Decreti, quæ ſunt hæc: *Ac ſimiliter omne damnabile lucrum ab Eccleſià remouere volens, prohibet Sacerdoti qui Miſſam ſuſcepit celebrandam, ne tandem Miſſam alteri, parte eleemoſynæ ſibi retentâ, celebrandam committat*. In hoc Decreto, ſupponitur, Sacerdotem contraxiſſe obligationem celebrandi per ſe Miſſam acceptâ eleemoſynâ, & poſtea ex alio contractu diuidiſſe eam eleemoſinam cum alio Sacerdote pro ſe celebrante; hic eſt germanus intellectus præfati textus; ſed Superior, & Sacriſta non promiſerunt celebrare, ſed facere celebrare per ſuos Sacerdotes, vt conſtat ex praxi, cum ergo noſtro caſui non conueniant verba textus, ſic non violatur, lex enim non aptatur illis, quibus nec verba, *l. 4. §. Toties ff. de damno infecto, cap. Indemnitatibus 43. de elect. in 6. §. fin.*

3 Præterea cauſa finalis regulat, & reſtringit diſpoſitionem ad ſuos limites, l. fin. ff. de hæred. inſtit. l. 1. ff. ad Macedon. *Bald. lib 2. conſil. 159. num. 4. Verſ. Niſi dicamus*; finis autem huius Decreti eſt, vt omne damnabile lucrum ab Eccleſiâ remoueatur, in caſu autem noſtro nullum apparet damnabile lucrum, cum nec celebrans, nec Sacriſta hic lucrentur, eſto enim celebrans habeat eam portionem, non ideo tamen dicitur lucrari, quia operarius dignus eſt mercede ſuâ, in Decreto autem lucrum ſe tenet ex parte retinentis ſibi partem eleemoſynæ,

4 non ex parte celebrantis, qui mercedem, non lucrum accipit; ex parte autem diuidentis, & dantis nullum apparet lucrum, quia Superior, & Sacriſta nihil ſibi ipſis lucrantur, ſed Sacriſtiæ, ergo non violatur Decretum.

Inſuper Monaſterium fit dominus illorum centum Paulorum cum obligatione celebrandi Miſſas illis correſpondentes, ergo Superior de illis diſponere poteſt ad vtilitatem, immò & debet, ſuorum ſubditorum, & Monaſterij, ac proinde illos poteſt diſtribuere in Sacriſtiæ, & celebrantium vtilitatem, reſpectu enim celebrantium dantur tamquam illorum, vt aiunt, veſtiarium. Adde, quòd Sacerdoti extraneo datur ſtipendium ex Iuſtitiâ, quia gratis non tenetur celebrare, ergo illi tota eleemoſyna tribuenda eſt, aliter fit illi Iniuſtitia à Sacerdote, qui totam eleemoſynam recepit pro iuſto ſtipendio. In caſu autem noſtro res hoc modo non ſe habet; Sacerdos enim regularis Superiore mandante gratis celebrare debet, vnde quicquam petere non poteſt ſi ergo ei aliquid tribuit non ex Iuſtitiâ, ſed gratis donat, & ſic non violatur Decretum quod fundatur in Iuſtitia, non in gratitudine. 5

6 Et quod liceat retinere illos quatuor ſolidos ex qualibet Miſſa pro manutentione Sacriſtiæ, quæ caret proprijs redditibus, certum eſt, quia S. Congr. ita reſpondit ad 7. Quæſitum, vt habetur in huiuſmodi Bullâ de celebrat. Miſſar. quæ eſt 43. in Bullario Nouo.

Nec obſtat reprobata ſententiâ nouiſſime his verbis; *Poſt Decretum Vrbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatiſfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendij ſibi retentâ*. Quia in ea ſupponitur obligatio Iuſtitiæ ex parte tradentis, qui proinde totum ſtipendium tradere debet ex Iuſtitiâ, vtitur enim is textus nomine *ſtipendij*, quod in Iuſtitiâ fundatur. Nota etiam ea verba, *Alia parte ſibi retentâ*, nam Superior, & Sacriſta nihil ſibi retinent, nec ex Iuſtitia tradunt portionem celebranti, ſed donant.

CONSI-

CONSILIVM LXXIV.

An reuocatio Præsentationis ad Beneficium valeat?

1 IOannes de Diolis suos procuratores constituit ad presentandum gradatim ad Beneficium Iurispatronatus domus suę Bernardum filium suum si sit capax, aliter Laurentium, vel Andream fratres suos nepotes, si sint habiles, sint autem D. Franciscum N. prout singuli fuerunt præsentati dicto ordine, & quia illi de Dioles incapaces fuerunt declarati, erant enim laici, & indocti, remansit presentatio D. Cruschini absoluta, & cum effectu, alijs exclusis. Nihilominus prefatus Ioannes pœnitentia ductus die tertio Aprilis 1666. procuratores, & presentationes factas reuocauit præsertim dicti D. Francisci N. ob rationes ab eo expressas in Instrumento reuocationis. *Primò*, quia D. Flaminius Rector dicti Beneficij sponte comparuit, & se constituit in carceribus, vsus Beneficio Bullæ Pij V. & probauit suam innocentiam. *Secundò*, quia in presentatione non fuerunt seruatæ conditiones appositæ in mandatis, nam prius erat nominandus Bernardus, deinde Laurentius, ex inde Andreas, & vltimo loco D. Franciscus N. & sic omnes in confuso vocati fuerunt, nulla præcedente declaratione, an predicti filius, & nepotes essent capaces, & habiles. *Tertiò* non alia ratione constituit Ioannes Procuratores ad presentandum, nisi quia illi suppositum fuerat, quòd impossibilis esset defensio D. Flaminij condemnati in priuationem Beneficij, incapacis cuiuslibet remedij, & auxilij, cum promissione tamen dicto Ioanni facta à D. Francisco N. quòd dictum D. Flaminium adiuuaret à liberatione aliarum pœnarum; his ergo de causis reuocauit præsentationem præsertim D. Francisci N. quibus non obstantibus.

Dicendum est, præfatam reuocationem
2 vti nullam, & inualidam subsistere non posse, neque nocere D. Francisco N. cum sit in possessione iusta suæ præsentationis, id autem multis probatur.

3 Primò, quia mandatum procuratorium ad agendum aliquid non est reuocatorium, quando res cæpta est fieri, non amplius integra; & multò magis quando completa est ex parte Procuratoris, *Instit. de mandato §. Rectè*, neque post litem contestatam reuocari potest, *cap. Ex insinuatione 3. cap. Mandato 13. de Procurat. Rota par. 5. dec. 345. num. 19. & par. 6. decis. 24. num. 12. ad 15.* fit enim iniuria mandatario, si ab eo auferatur mandatum, quando negotium benè egit, & ad formam mandati, cuius fines non excessit. Constat autem ex actis D. Franciscum N. fuisse nominatum, & præsentatum, admittente D. Vicario Generali, & ipso acceptante præsentationem de se factam, quæ proinde transiuit in puram, eo quod alij præsentati cumulatiuè cum ipso fuerint, & sint incapaces, *Seraph. decis. 1173. num. 1. & 2. Rota par. 5. decis. 607. num. 24.*

Secundò, Patronus in tantùm potest re- 4
uocare præsentationem factam de aliquo, in quantum potest variare, & alterum præsentare, reuocatio enim vt sit legitima debet ordinari ad nouam præsentationem, quia Ecclesia dici vacare non debet, vnde Laicus habet quadrimestre ad præsentandum, Ecclesia verò semestre, *cap. Vn. §. 5*
Verum licet, de iurepatr. in 6. sed Patronus variare non potest post primam præsentationem, nisi cumulatiuè adiungendo scilicet alterum primo præsentato, cum primus excludi non possit à præsentatione, cum ad eam ius aquisierit, *cap. cum autem 24. de iurepatr. Gutier. de iuram. cap. 13. num. 4. Azor. par. 2. lib. 6. cap. 21. quæst. 13. cum alijs Castropal. de Benef. disp. 2. p. 6. num. 2. Barb. ad hoc cap. num 2. & Alleg. 72. num. 159.* Immo lite pendente nullo modo potest variare, sed persistere debet in primâ præsentatione, de communi *Couar. qu. ſt. 36. num. 7. Paris. lib. 12. de Resign. q. 3. num. 21. Castropal. num. 5. Barbosa Alleg. 72. num. 162. & ad dictum cap. 24. num. 3. alios plures citans.* Quare inutiliter, & inualidè eam fecit reuocationem, ex quo non potest variare, nec excludere semel præsentatum.

Tertiò, mandatum est irreuocabile post 6
litis contestationem, reuocabile solum ante contestationem litis, *cap. Ex insinuatione 3. de Procurat. Vantius in tit. Ex defectu mandati num. 162. Mysinger, cent. 5. obseru. 44. num. 1. Puteus par. 2. dec. 303.* Si iusta existit causa reuocationis, ne illi fiat iniuria, dum benè exequitur mandatum Patroni, & non excedit fines mandati, *cap. Mandato 13. de Procurat.* ita quod post litis contestationem parte aduersa resistente, reuocatio pro nihilo habenda est, *Abbas in cap. Non iniuste, de Procur. num. 4. Mo-*

4. *Mobed. decis.* 1. *eod. cum alijs Barbosa ad dictum cap.* 13. *eod. num.* 4. Notorium autem est, quod huiusmodi reuocatio est post litem contestatam, & cum iniuria Procuratoris, qui non excedit fines mandati, sed ad formam, & mentem mandantis exequutus illud fuit præsentando nominatos ab ipso mandante.

7 Quartò, institutio non est deneganda præsentato, tribus concurrentibus, quæ sunt vacatio Beneficij, existentia Iurispatronatus, & habilitas præsentati, vt docent omnes *cum Rota par.* 2. *decis.* 337. *num.* 1. *& par.* 7. *decis.* 302. *initio*, *& par.* 9. *decis.* 213. *num.* 1. *Seraphin. decis.* 499. ergo attentata, reuocatio Præsentationis factæ in personam D. Francisci N. habentis prædicta requisita nullius est momenti, erat enim habilis, & idoneus tempore Præsentationis, quibus carebant alij cum ipso præsentati, iniustè ergo attentatur priuatio aquisitæ Præsentationis, repellendus ergo non est, *cap. Significasti* 18. *de iurepatr. Barb. de iure lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 206. nulla ergo ratione ea reuocatio admittenda est.

8 Quintò, sicut Electores publicato scrutinio non possunt variare, sed statim electio celebranda est, *cap. Publicato* 58. *de elect.* quia nominatus in scrutinio aquisiuit ius ad electionem, *Glos. V. Relatio*, *cap. quanto* 10. *dist.* 63. *& V. Resilire cap. cum inter* 21. *de elect. Lauor. tit.* 4. *cap.* 19. *num.* 107. Ita & publicatâ præsentatione per nominationem personæ, præsentans non potest ab ea resilire, & recedere; valet enim consequentia ab electione ad Præsentationem, quia æquiparantur, *Rota par.* 3. *decis.* 132. *num.* 1. *Riccius par.* 3. *resol.* 456. *num.* 3. Et sicut lite pendente alter eligi non potest, *cap.* 1. *&* 2. *Vt lite pend. in* 6. ita neq. præsentari, *Calder. Consil.* 1. *Vt lite pend. Lapus Allegat.* 22. *num.* 3. *Rota par.* 4. *tom.* 3. *dec.* 599. *num.* 13. sequitur ex his reuocationem locum in his non habere, alias resilire, & recedere posset à primâ electione, & præsentatione, & aliam inducere, quod prohibetur, vt probatum fuit.

9 Sextò demum reuocatio est odiosa, & stricti Iuris, *ex cap.* 1. *de consist. in* 6. *Gonzal. Glos.* 36. *num.* 7. *de priuileg. Paris. lib.* 9. *de Resign. q.* 25. *num.* 15. ac proinde reprobata cum includat in casu nostro variationem de alio presentando in præiudicium D. Francisci N. legitimè præsentati, *Mand. consil.* 18. *num.* 9. *Puteus lib.* 3. *decis.* 193. *Barb. ad cap.* 58. *de elect. num.* 4. Vbi *ex Rota in Antiquis decis.* 33. *num.* 18. ait: quòd ridiculum est, & puerile hodie concedere, & cras pænitere. Cum ergo hæc reuocatio non solùm fit in præiudicium Ecclesiæ, ex eo, quòd diu vacat, verum etiam præiudicialis præsentatio, cum ex acceptatione eius per dictum D. Franciscum N. facta, & per Reuer. D. Vicarium admissa, aquisierit ius in illa, & ad institutionem, *cap.* 1. *de instit. in* 6. *Riccius part.* 3. *resol.* 371. *fine* sequitur eam esse nullam. Reliquum est, vt respondeamus demus motiuis, quæ induxerunt Patronum ad hanc reuocationem, vt magis pateat eius iniustitia, & inualiditas.

Primum motiuum ex comparitione D. Flaminij vtentis beneficio Bullæ Pij V. qui in carceribus constitutus voluntariè prætendit se defendisse, non potest persuadere eam reuocationem legitimè, & iustè factam fuisse.

Reijcitur, quia licet præfata Bulla condemnatis in contumaciam captis, vel sponte comparentibus infra annum, loquendo de sponte comparentibus, & infrà sex menses, loquendo de comparentibus, vt videri potest in eius Bulla incip. *Cum ob innumeras* 9. & in declaratoria eiusdem pro captis incip. *Dudum postquam* datur Priuilegium se defendendi, & probandi suam innocentiam constitutis tamen in carcere. Tamen quia nihil in specie probauit circa homicidia, in quibus probatur cooperator, non enim negauit in suis defensionibus adfuisse illis homicidis, sed præsentem cum roncula fuisse, necessario inferendum est, remedium dictæ Bullæ in comparendo nihil illi profuisse, cum non se probauerit innocentem, vt oportebat ad tenorem dictæ Bullæ, ac si non comparuisset. Quare fiscus habet suam intentionem fundaram in sententia latâ ex præcedentibus probationibus, quòd Sententia non sit retractanda, sed omninò exequenda, *ex dictis à Farin. q.* 11. *à num.* 100. *& seq. & consil.* 5. *num.* 108. *cum Claro q.* 44. *vers. Quæro quando*. 10

Hic vnum noto, huiusmodi motiuum ex Bulla Pij V. probare contra ipsum D. Flaminium, qui prætendit cum suis fautoribus, & defensoribus Sententiam contra ipsum absentem latam esse pure contumacialem, & non ex delicto; probare, inquam contrarium, nimirum esse ex delicto, vt asserit Rota *apud Farin. decis. crimin* 191. *num.* 5. *bis verbis*: Non obstat Bulla Pij IV. quia sæpius fuit decisum loqui in bannitis in contumaciam propter delictum, vt etiam dixerunt Domini in hac eadem causa coram me die Lunæ 22. Aprilis anni præteriti, & hic intellectus comprobatur, nam *in* §. *Præcedenti* Bulla exprimit meram contumatiam, vbi intelligitur de Sententiâ latâ propter solam contumaciam, vnde quando simpliciter loquitur de condemnatis in contumaciam de crimine intelligendum est propter crimen; proptera Bulla admittit ad defensionem condemnatos infra sex menses, ergo non intelligitur de condemnatis in meram contumaciam, quia huiusmodi 11

condem-

condemnati non egerent hac admissione, quia sola comparitione Sententia resoluitur &c. Nec obstat, quod Rota citat Bullam Pij IV. non Pij V. quia cum Bulla Pij V. sit tantùm declaratiua illius Pij IV. incip. *Licet dudum* 52. *in Bullario nouo*, non differt in re ab illa, nisi quod Beneficium comparitionis extendit ad annum, quod Pius IV, restrinxerat ad semestre.

12 Secundum motiuum reuocandi præsentationes fuit, quia fuerunt factæ in confuso nullà precedente declaratione, an alij, filius scilicet aut nepotes Ioannis essent habiles; pariter subsistere non potest, nec iustè mouere potuit Patronum, cum sit falsum, nam vt patet in Instrumento præsentationis Procurator in presentando vsus est eisdem, ordine, forma, & tenore, quibus præscripserat illi Patronus in mandato, & quia vt patet ex actis, filius & nepotes erant inhabiles, vt declaratum fuit, D. Vicarius admisit præsentationem D. Francisci N.

Tertium motiuum cum in facto consistat 13 probandum est ab allegante illud, *l. In bello* 12. *§. Facta ff. de captiu. & postlim. l. Si emancipati* 9. *C. de collat. cap. cum Ioannes* 10. *§. Verum, de fide Instr.* maximè factum illicitum, quod non nisi illicitè præsumitur, ne dicam temerè, delicta enim non præsumuntur *l. Merito* 51. *ff. pro socio*, *cap.* 2. *de reg. iur.* Quare cum prædicta motiua nullius sint momenti de iure non potuerunt, sed tantum ex passione quadam mouere dictum Ioannem ad reuocandas dictas præsentationes cum nullam iustam causam id faciendi habuerit, præsentim cum mandatum præsentandi fortitum fuerit suum plenarium effectum consistentem in solis præsentationibus, quas Procurator perfectè, & ordinatim ad mentem ipsius patroni deduxit multis mensibus ante actis.

CONSILIVM LXXV.

An vir cogere posit vxorem, vt determinato Confessario confiteatur.

1 Responsio est negatiua, quia vir solùm est dominus corporis suæ vxoris in ordine ad officia Matrimonij, & gubernationis domus, non autem animæ illius, cuius dominium Deo reseruatur, & eius Ministris, vt colligitur ex Genesi cap. 2. 24. ***Erunt duo in carne vna***, nam Eua facta fuit ex costa Adam, ex quo vterq. erat vna caro, quia eiusdem speciei, & sic mulier quò ad carnem, & suum corpus dependet à viro, cui in hoc obedire tenetur, dicente Apostolo 1. Co-
2 rinth. 7. 4. ***Mulier sui corporis potest item non habet sed vir Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier***. Mutua ergo est potestas eorum in corporibus, nulla in animâ, quæ à solo Deo creata fuit, & illi soli reseruatur, ergo maritus eum non sit dominus animæ suæ vxoris non potest illam cogere ad confitendum confessario sibi assignando, confessio enim sacramentalis respicit animam, non corpus.

3 Confirmatur, quia in hoc vir non tenetur obedire vxori, ergo nec vxor Marito, probatur consequentia, quia relatiua non iudicantur ad imparia. Deinde vnusquisque 4
debet confiteri proprio Sacerdoti, ***ex cap. omnis 12. de Pœnit.*** quo nomine venit om- 5
nis Sacerdos approbatus ab Episcopo, ***ex allatis à Fabro disp. 25. de Pœnit. num.*** 82. & 6
83. quem cum alijs citaui ***tom. 3. Resol. 56. num.*** 166. ***Impress Lugdun.*** & in Iubileis facultas eligendi confessarium conceditur pœnitentibus ipsis, non verò eorum parenti- 7
bus, dominis, & Superioribus, nam libera debet esse electio Confessarij, & sic in eius potestate, qui confiteri vult.

Confirmatur, tum quia datio confessarij 8
est actus spiritualis, & iurisdictionis, quo caret laicus. Tum quia Christus, qui leprosis poterat dare determinatum Sacerdotem, hoc non fecit, sed reliquit eos in sua libertate, vt sibi illum eligerent pro suo arbitrio dum dixit illis: ***Ite, ostendite vos Sa-*** 9
cerdotibus. Non dixit ***Sacerdoti tali***, non enim ignorabat Christus eorum nomina. Pœnitens ergo relinquendus est in sua potestate, vt sibi eligat Confessarium.

CONSI-

CONSILIVM LXXVI.

An reuocans Consilium iam executum eximat se à Restitutione, nolens consultus restituere?

1 Amicus dedit iniustum consilium in causa transactionis N. numquid tenetur ad damnum ex illo secutum, si illud reuocauit non ante, sed post factum tantùm admonendo consultum, quòd diuisio bonorum fuit ex suo consilio iniusta, ac proinde quòd tenetur restituere domum talem parti, & sic diuisio de iniustâ fiet iusta. Noluit N. id facere, non obstante, quòd consultor multis rationibus probauerit illi iniquam diuisionem, numquid ipse Amicus tenetur ad reficiendum damnum illatum, non restituente consulto?

2 Dicendum, quòd omnino tenetur, si enim vna opinio asserit, quòd reuocans consilium iniquum, ante illius executionem, adhuc tenetur ad damnum illatum executo consilio, si non mutauit consultus suam voluntatem, *Bonac. disp. 1. de Restit. q. 2. p. 7. num. 6.* contra alios asserentes non teneri,
3 si seriò reuocauit consilium ante factum, quos pro se citat *Diana par. 3. tract. 5. resol. 83.* à fortiori tenetur si ante factum re integrâ non reuocauit illud, nisi post executionem, siquidem reuera efficaciter influxit in damnum tertij, ergo tenetur restituere, principali non restituente.

Confirmatur, quia talis actus non est propriè reuocatio consilij cum amplius non sit, dum non pendet post sui executionem, sed euanescit postquam sortitum est suum effectum, diuisionis scilicet, vt in casu nostro, remanente obligatione restitutionis causatâ ab iniusto consilio, ergo cum non amplius pendeat consilium non potest dici reuocatum, nam reuocatio habet pro obiecto rem actu existentem, quæ destruitur 4
per actum reuocationis cum ergo reuocatio nulla sit, nullum potest producere effectum. Deinde reuocatio destruendo Consilium existens, & pendens tollit influxum in effectum futurum, adeo quòd Consultor non amplius dicitur causa damni illati ex consilio, cum illud proueniat tantùm ex malitiâ consulti, & non ex consilio, cum non amplius sit; in casu autem nostro damnum dicitur illatum non solum ex Consulto, sed etiam ex consilio, cum penderet in actu diuisionis iniustæ, & sic influxit consulens in damnum securum, ac proinde contraxit obligationem restitutionis, quæ non potest tolli per assertam reuocationem, quæ talis non est, sed simplex monitio, quòd in diuisione accidit læsio partis, cui satisfaciendum est. Et ita docent omnes apud *Bonac. disp. 1. de Restit. q. 2. p. 7. num. 5.* Aliter sentire est improbabile.

CONSILIVM LXXVII.

Cuiusnam sunt oblationes Factæ Imagini Sacræ?

1 R. P. Si cerca, primo, se vna Capelleta, ò volgarmente detta vna Maestà construtta da vna Famiglia particolare, in caso che vna imagine della gloriosa Vergine facci gratie, e miracoli, à chi s'aspetta la direttione di quelle limosine le sono fatte?

2 Secondo, se detta famiglia, che ha fatto à sue spese tal Maestà, & à quale toccarebbe la construttione in occasione di caduta, ò demolitione, se può donarla ad altri, come per essemptio à Regolari, per riponerla in sua Chiesa?

3 Terzo, se per esser detta Maestà sopra vn fosso, nel qual tengo io raggione di piantar alberi, come in effetto se ne trouano de piantati, se posso pretendere alcun ius, o parte di direttione?

4 Quarto, se trouandosi tutto il rimanente di detta Maestà in strada publica, & per consequenza di raggion feudale, se parimente mi comple alcuna raggione come sopra?

5 Synodus Illustr. & Reuer. D. D. Episcopi nostri Sanctæ Ecclesiæ Parmensis in tit. de Oblationibus extremis fere verbis rem hanc decidit fol. 79. hisce verbis: *Elemosinæ factæ pijs Imaginibus pictis, vel Sculptis in priuato loco intra fines alicuius Paræcia colligendæ sunt à Parocho, assistente Domino illius loci, aut alio honesto viro à Nobis ex ea Vicinia deputando. Nolumus tamen dictas elæmosynas ad vllos vsus applicari, nisi noster consensus accedat.* Quare.

6 Ad primum respondetur, directionem elæmosynarum huius Imaginis pertinere ad Parochum, & id est conforme non solum huic Synodo, sed etiam Iuri communi, vt deducitur *ex cap. Cum inter vos, de verb. sign. cap. Quoniam, de decim. cap. Ad audientiam, de Eccles. ædific.* Et ita docent *Merlinus decis. 257. per totam, Fagnan. par. 4. ad cap. Pastoralis, de his, quæ fiunt à Prælatis, à num. 16.*

7 Ad secundum, Translatio Imaginis debet à Familia fieri de consensu Episcopi, quia is est Iudex ordinarius in totà suà diæcesi, *ex cap. Omnes Basilicæ 16. q. 7. cap. Conquerente 16. de offic. ordin.* Cum enim is actus Translationis à loco ad locum dependeat à iurisdictione ecclesiasticà fori externi gratiosa, fieri non potest à domino loci, quia laici sunt incapaces iurisdictionis ecclesiasticæ, ideo spectat ad Episcopum, & non ad alios, neq. ad Parochum, cum careat iurisdictione fori externi. Translatio ergo huiusmodi facienda est de licentià Episcopi, quia ipse est ordinarius custos sacrarum Imaginum, *Rota par. 4. tom. 2. dec. 482. num. 37.* Et satis clare deducitur ex Synodo, dum enim applicatio elæmosynarum non potest fieri sine consensu Episcopi, multò minus translatio Imaginis, quæ longe pretiosior est dispositione elæmosinarum.

Ad tertium, cum plantatio arborum non dependeat ab elæmosynis, ex hoc capite. Dominus Feudatarius nullum ius dicitur ex hoc cap. te habere dirigendi. Sed solùm hoc ius habet, quod non potest impediri à plantatione arborum. 8

Ad quartum, assistentia Domini necessaria est ex Synodo, adeo quòd Parochus insciente Domino non potest colligere elæmosynas, nec illis vti, aut eas dispensare pro suo arbitrio, sed earum administratio debet fieri de consensu Domini, ita quod Parochus, immo nec Episcopus possit concedere Domino, vt illis vtatur pro suo libito, *ex allegatis à Fagnano loco citato num 23.* Donaria ergo huiusmodi sunt destinanda ad huiusmodi Translationem, & ornatum sacræ Imaginis, cum fuerint illi donata ad eius tantùm cultum, & honorem. 9

Nomine autem *Domini loci* non tantum venit Dominus proprietarius illius loci, in quo pia Imago est depicta, sed etiam Dominus Iurisdictionis, quod significatum Synodus non reijcit, cum Feudatarius ratione suæ Iurisdictionis verè sit Dominus etiam loci, vbi fixa est Maiestas, Itaq. vterq. Dominus Iurisdictionis, & proprietatis assistere debet omnibus actibus, qui fient de ordine Episcopi, tam in colligendis, conseruandis, & expendendis elæmosynis, quam in Translatione Imaginis à muro ad Ecclesiam Regularem. 10

Nec dicas, in Translatione Imaginis non esse opus licentià Episcopi, eò quòd translatio fiat in Ecclesiam exemptam, quæ est regularis. Nam respondeo, hic non esse attendendum finem, sed principium, cum agitur de actu pendente à Iurisdictione, quæ debet in esse agenti ab initio actionis, 11

nis, cui præfupponitur ad rectè, & validè agendum, valor enim actus dependet à voluntate, & Iurisdictione, ergo hæc debet præcedere tamquam caufa fuum effectum, *Bald. in l. omne verbum C. communia de legat. Alex. lib. 4. conf. 52. num. 30.* Certum autem eft, Regulares non effe in actu Translationis dominos Imaginis, fed Epifcopum, in cuius diœcefi eft, & à loco eius iurisdictioni fubiecto per ipfum remouenda eft, & non fit de poffeffione Regularium nifi poftquam fuerit introducta in eorum Ecclefiam. & fic ad fingula refponfum eft.

CONSILIVM LXXVIII.

An quædam Pacta inter Parochum, & laicum sint licita, & valida.

1 Conuenerunt inter se, Reuer. Parochus Ecclesiæ Parochialis S. Benedicti ordinis Iesuitarum ex vna parte, & D. N.N. assertus Confrater Societatis erectæ in Oratorio præfatæ Parochiali subiecto, vti Rector, Actor, Guardianus, seu Custos dicti Oratorij, ex alterâ parte. Videlicet, quòd P. Parochus dat liberam, omnimodam, & totalem auctoritatem, licentiam, & facultatem ministrari faciendi tantùm Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ dicto D. N.N. dictis nominibus, eligendo sibi Sacerdotes ab Ordinario approbatos, qui dicta Sacramenta in eo oratorio ministrent. Et vice versa D. N.N. eidem Parocho, & eius successoribus promittit annuam recognitionem, & solutionem lib. 12. Cœræ, &c. Adiecto pacto ex parte dicti D. N.N. præfatis nominibus, & protestatione, seu declaratione, quòd dicta concessione duret ad beneplacitum suum, qui suum arbitrium circa illius vsum declarare possit, recedendo ab illa annua præstatione, quandocunque noluerit amplius vti dicta concessione, cui consensum præstitit dictus Parochus. Hæc est summa initi contractus, vt apparet in Instrumento publico rogato anno 1651. die 16. Octobris.

2 Videtur pati multas difficultates. In primis namq; D. N.N. in eo Instrumento nominatur tamquam persona publica, & officialis, Rector, & Guardianus dicti Oratorij, & tamen non constat, à quo electus fuerit ad tale ministerium spirituale regendi dictum Oratorium, cum persona laica præsertim priuata sit omninò incapax administrationis spiritualis propriâ auctoritate, *cap. Indicatum 5. dist. 89. cap. Bene 1. dist. 96. cap. In noua 22. 16. q. 1. cap. fin. de reb. Eccles. non alien.* nisi de licentia Episcopi, *cap. Laici 37. cap. Inuentum 38. 16. q. 7.* Laicis ergo priuatis non licet recipere oblationes, quia sunt iuris spiritualis, nec consuetudo, nec præscriptio potest illis suffragari. *Rota par. 7. dec. 193. num. 18. & par. 9. dec. 123. num. 13. Riccius par. 4. dec. 170. num. 5.* Dico *laicis priuatis* quia Confraternitatibus legitimè erectis id non negatur, immo conceditur ab Episcopis dum institutionem illius approbant, & confirmant, habent enim nescio quid spiritualitatis, cum dicantur ecclesiasticæ, Lezana *tom. 2. cap. 15. num. 3. Barb. allegat. 75. num. 25.* vnde dicuntur de foro ecclesiastico, *Rota par. 5. dec. 144. num. 17.* & possunt recipere oblationes conuertendas in vsus pios iuxta mentem offerentium, *Decius lib. 1. Cons. 148. num. 3. Ferret. Cons. 78. ex illis Riccius par. 4. decis. 170. num. 12. Merlin. decis. 12. num. 10. & 11.* & habent administrationem suæ Sacristiæ etiam in sola Capella alicuius Ecclesiæ, idem *Merlin. decis. 632. num. 4. & 5.* D. autem N. N. hanc administrationem non habet à Confraternitate, cum de eâ non constet in dicto Instrumento, ergo ea vtitur auctoritate propriâ, & de facto, non iure aliquo legitimo.

Secundò exurgit alia difficultas, quia meritò dubitari potest de validitate concessio- 3
nis illi factæ à dicto Parocho eligendi Confessarios ab ordinario licet approbatas, qui ministrent Sacramenta Pœnitentiæ, & Sacræ Communionis in dicto Oratorio, quia talis concessionis vti valdè spiritualis non est capax, nisi accedat auctoritas Ordinarij loci, & designatio facta à Confraternitate, quæ sola capax est administrationis eiusmodi exercendæ per vnum Confratrem ab ea electum officialem, cum enim ex dictis laicus vt persona priuata sit in omnibus incapax spiritualitatis, inhabilis erat ad dictam concessionem tam amplam sibi factam. Et id totum patet ex sacris Canonibus supra allatis, laici enim vt dixi supra *ex cap. laici 37. cap. Inuentum 38. 16. q. 7.* nisi de licentiâ Episcopi negotia ecclesiastica tractare possunt. *Barb. ad cap. Decernimus 2. de Iudic. in Prat. remissis num. 9.*

Nec ei suffragatur Decretum interpositum à Reuerendissimo D. Vicario Capitu- 4
lari, quia in hac causâ processit vti Conseruator dicti Ordinis seruatorum, & auctoritate sibi concessâ à Reuerendissimo Generali dicti Ordinis.

Tertiò, ea Conuentio claudicat, nam 5
ex parte Parochi est realis, cum sit facta ab eo nomine proprio, & eius successorum in Iura parochialia; ex parte verò D. N.N. fuit illius receptio merè personalis, cum sibi reseruauerit illius vsum ad suum beneplacitum, qui possit suum arbitrium declarare, & recedere ab illa quoque annua præstatione recognitionis lib. 12. Cœræ, & in his Parochus consensit. Quæ omnia magis confirmant superius dicta nimirum, D. N.N. in prædictis processisse propriâ auctoritate, vti

laicam

laicam personam priuatam, & independentem à Confraternitate, cuius tamen membrum esse fatetur, cum ergo sine eà egerit, nihil videtur fecisse, sicut enim membrum naturale in suis actionibus viuificatur à capite suo, ita & membrum morale nihil agit, nisi viuificetur à suo capite, quod in casu nostro est Confraternitas, cum ergo in hac causà sine illà, & licentià episcopali processerit, nihil dicitur egisse.

6 Quartò, quamuis admitteretur, prædicta subsistere ad fauorem Oratorij, & commoditatem spiritualem populi ibi recipientis, & cum magnà deuotione illuc concurrentis, non ideò tamen potest dici, quòd propter hoc sit dominus Sacræ Imaginis iam huic Oratorio donatæ, & cui aquisitum fuit dominium, & possessio, vt aliàs probatum fuit, tum quia laicus rerum ecclesiasticarum dominus esse non potest, sine Apostolicà dispensatione, *Ottobon. decis.* 179. *num.* 15. & *dec.* 223. *num.* 3. Tum quia in hoc Instrumento licet fiat mentio de hac Sacra Imagine, ne verbum quidem in eo habetur, quod illius sit dominus, aut quòd illam collocauerit in dicto Oratorio, aut dominium sibi eiusdem reseruauerit ergo, &c.

CONSI-

CONSILIVM LXXIX.

Apud quemnam manere debeat Vxor, quæ à Marito fugit?

1 QVædam nobilissima Matrona propriam filiam è domo viri paris nobilitatis clam, & occultè eduxit, & secum reduxit in domum suam, vt eam sæpius instantem de recessu à marito redimeret à vexatione iniqua eiusdem qui nolebat, vt ad alium Confessarium accederet, nisi ad illum ab ipso assignatum, quòd vxor ægreferens, cum in hoc omnino sit sui iuris vt alias in hac eadem causa probatum fuit supra cons. ab eo diuertit ad domum maternam.

2 Certum in primis, huiusmodi recessum à marito insciente fuisse licitum, honestatur enim à redemptione vexationis in causâ Confessarij, & modus adductionis factæ materna industriâ satis manifestè iustificat talem recessum à marito. Et id confirmatur per *Farinac.q.143.num.151.vbi ex Silu. Aldobrandino cons.71.num.42.& 47.* ait, quod quando maritus vxorem lecto maritali priuat, nolendo vt secum dormiat, tunc dicitur in mulierem exercere nonsolùm sæuitiam, sed etiam dementiam, vitium autem sæuitiæ à fortiori apparet in casu nostro vbi timeri potest aliquod animæ periculum, dum vxor non potest vti libertate in electione Confessarij, quam in priuari lecto maritali; sed in casu sæuitiæ licet vxori propriâ auctoritate diuertere à marito, ex allegatis ab eodem *Farinac. ibidem num. 132.* ergo talis recessus fuit iustus, & licitus, ac proinde non repræhensibilis.

3 Difficultas tota in eo consistit, quia maritus prætendit, quòd vxor depositetur in Monasterio, aut apud tertiam nobilem personam, nolens, quòd maneat apud matrem.

In hoc maritus audiendus non est, sed debet remanere in domo maternâ cum patre, & matre, nulla enim melior custodia hac inueniri potest, parentibus enim est commissa filiorum suorum cura, vt testatur S. Paulus 1.Timoth.5. 8. *Qui suorum maximè domesticorum curam non habet, est infidelis, & infidelis deterior.* Vnde Salomon Prouerb.6.20. inquit: *Conserua fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris.* Subduntur ergo filij parentibus suis, etiam filia vxorata, hanc enim pater deprehensam in adulterio potest occidere *ex l. 20. ad 24.ff.de adulter.* Filia ergo vxorata in domo paternâ omnino custodienda est, donec restituatur suo marito. 4

Et hoc clarè deducitur ex sacris Canonibus, *cap. siue 4. 33. q. 2. ibi. Nisi prius ad tempus fuerit reddita suæ potestati, & consanguineis proprijs fuerit reddita Panorm. in cap. Ex transmissa 8.de restit. Spoliat. vbi testatus* est clarus his verbis: *Alicui probæ, & honestæ mulieri vel q. ad causæ decisionem custodienda studiosius committatur.* Vbi Canonistæ dicunt, vxorē consignandam esse suis consanguineis, quos pro se citat *Farinac.q.143.num.218.Gratian.cap.857.num.31.* in domo matris *Pontius de matrim. lib. 9. cap. 23. num. 11.* Et hic locus parentum præferendus est etiam Monasterio, & cuicunq. alij, vt docet *Riccius part. 2. decis. 21.per totum.* 5

CONSI-

CONSILIVM LXXX.

An liceat discere, & exercere Astrologiam iudiciariam?

1 PRæmitto, Astrologiam, quæ est præcognitio futurorum ex astris influentibus in hæc inferiora, diuidi in *naturalem*, & *iudiciariam*. Naturalis est illa, quæ præcognoscit naturales effectus cootingenter causatos ex influxu siderum in corporalia; astra enim in corpus, & eius humores agunt directè, *D. Thom. 3. contra Gentes cap. 84. & 85. Conymbr. 2. Cæli cap. 3. q. 9. art. 2. concl. 2.* Sed res est incerta, cum pueri temperamentum, & eius infirmitates, & inclinationes non solùm ab astris, sed etiam à qualitate seminis parentum contrahant; nam patiens e. g. morbum gallicum infectum semen generat in filio; proueniunt quoq. ex educatione, & alijs, de quibus *ex Ptolomeo, & Cardano Carena part. 2. de S. Officio tit. 12. num. 74.*

2 Astrologia verò iudiciaria est præcognitio futurorum contingentium à libero hominis arbitrio pendentium, & casuum fortuitorum. Et hæc subdiuiditur in præcognitionem certam, qua alicui certò prænunciatur aliquid futurum ex inspectione astrorum; & coniecturalem, quia prædicitur coniecturando tantùm id, quod futurum esse creditur, seu opinatur. His præmissis.

3 Dicendum est non licere discere, nec exercere Astrologiam iudiciariam quia ea habet adiunctum pactum saltem tacitum Dæmonis, vt clarè dicitur in Bulla Sixti V. incip. *Cæli & terræ* 17. illis verbis: *Quamobrem dubitandum non est in huiusmodi futurorum contingentium, & fortuitorum euentuum inquisitione, & præcognitione Diaboli operationem se fallaciter immiscere, vt suâ fraude, ac dolis miseros homines à viâ salutis auertat, & laqueo damnationis inuoluat.* Et hoc omninò verum est, & aliter dicere, quòd scilicet Dæmon non se immisceat in Astrologia iudiciaria, turpe, & falsum est, quia Legislator de falsitate, & mendatio taxatur, ergo certum est, quòd Diabolus in hac præcognitione partem suam habet. Ac proinde eam aliàs interdictam prohibuit, & transgressores puniendos subiecit Inquisitionibus, & Ordinarijs locorum, sub his verbis.

4 *Mandamus, vt tam contra Astrologos, Mathematicos, & alios quoscunq. dictæ iudiciariæ Astrologiæ artem, præterquam circa agriculturam, nauigationem; & rem medicam in posterum exercentes, aut facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus, successibus, fortuitisq. casibus, aut actionibus ex humanâ voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmare audent, etiamsi id se non certò affirmare asserant, aut protestentur; quàm contra alios vtriusq. sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces, & perniciosas diuinandi artes siue scientias exercent, profitentur, & docent, aut discunt. &c.*

Ex quibus verbis deduco duo *Primò* illud duplex præcognitionis genus, scilicet certitudinalis, & coniecturalis ibi: *Aliquid euenturum affirmare audent, etiam si id non certo affirmare asserant, aut protestentur.* Prohibetur ergo quæuis Astrologia iudiciaria non solùm ex certâ assertione, sed etiam ex coniecturatione. Prohibitio quoq. afficit docentes, discentes, & exercentes ibi: *Exercent, profitentur, & docent, ac discunt,* hæ tres actiones exercendi, docendi, & discendi, accipiuntur singillatim, & vna sine alia sufficiet ad trasgressiones huius Bullæ. *Secundò* certò deducitur Astrologiam iudiciariam non esse veram præcognitionem, sed incertam, vanam, & falsam, vt clarè dicitur in textu, ibi: *Damnatas, vanas, fallaces, & perniciosas diuinandi artes* Nullam ergo certam, nec veram cognitionem continent, & qui aliter sentit contradicit huic Bullæ. 5

Inferuntur plura ex hactenus dictis, *Primò*, Astrologiam iudiciariam carere non solùm veritate obiectiuâ, sed etiam veritate opinatiuâ. *Secundò* esse prohibitam iure naturali, & humano ciuili, & Canonico. *Tertiò* Bullam fuisse receptam, immo irreceptione non obstante obligare. *Quartò*, obligare non solum in foro externo, sed etiam in foro interno, & conscientiæ. Singula sunt probanda. 6

Primum, quòd Astrologia iudiciaria careat veritate tam obiectiua quàm opinatiuâ, probatur. Tum ex dictis mox ex Bulla, non enim mentitur legislator, Tum quia est superstitiosa, & mixta ex pacto Dæmonis, ergo caret veritate, Diabolus enim meodax est, Ioan. 8. 44. Tum quia astra cæli nullo modo nec directè, nec indirectè, nec per accidens influunt in ea, quæ dependent ab arbitrio hominis, ne eius libertas offendatur; ergo præcognitio respectu influentiæ astrorum, vana, & falsa est carens verita- 7

Aa te-

te. Tum ex modo fabricandi Cœli figuras, quæ variantur in situ, aspectu, gradu, & alijs circunstantijs, præcipui enim Astrologi in his notabiliter diuersi sunt. Hanc diuersitatem paucis refert *Carena de S. Officio part. 2 tit. 12. num. 97*. Tum quia simultas natiuitatis, & constellationum est omnino incerta, & nullatenus cognoscibilis ex inæqualitate horologior. quæ proinde non possunt certam, & veram indicare horam, pro quâ re lege Caramuel. in Theolog. Fundam. X. caret ergo huiusmodi Astrologia veritate; quod etiam deducitur *ex Isaia 41. 23. Annuntiate nobis, quæ ventura sunt in futurum, & Sciemus, quia dij estis*. Prænuntiantes ergo futura Deus appellat deos; certum autem est, quòd dij non sunt Angeli, neq. homines præditi intellectu, sed nihil sunt, ergo nihil annuntiant; futura ergo annuntiare nihil est agere, neq; proinde scire verum, sed omninò errare. Ex quibus etiam deducitur, talem præcognitionem nec appellari opinionem probabilem, hæc enim fundatur in ratione solidâ, quæ veritatem tribuit opinioni nuncupatæ probabili; sed huiusmodi præcognitio vti vana, & falsa reprobatur in Bullâ, & iuribuscitandis, ergo nec opinionis nomen habere potest, secundùm quòd etiam dicitur coniecturalis.

8 Secundum, quòd iure naturali, & diuino sit prohibita, Ierem. 10. 2. *Hæc dicit Dominus, iuxta vias gentium nolite discere, & à signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes*. Leuitici 19. 31. *Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid sciscitemini, vt polluamini per eos, ego Dominus Deus vester*. Et in multis alijs locis Sacræ Scripturæ hoc genus Artis prohibetur, signum manifestum, quòd talis diuinatio est ex se mala, vtquæ causam habet ex pacto Dæmonis saltem tacito. Ita docent *Lessius lib. 2. cap. 43. num. 35. Sanchez lib. 2. cap. 38. num. 15. Salelles part. 1. Reg. 115. num. 92*.

9 Iure quoq. ciuili esse prohibitam notum est sub tit. Cod. de Maleficis, in cuius l. 8. dicitur: *Culpa similis est tam prohibita discere, quam docere*. Iure Canonico ante Bullam Sixti Astrologia est interdicta, vt legi potest *26. q. 3. 4. & 5.* vbi in cap. 1. huius quintæ quæstionis fertur contra Ariolos, & Aruspices Excommunicatio, quæ non est latæ, sed ferendæ sententiæ, vt ibidem probat *Barb. num. 5. Carena part. 2. tit. 12. num. 304*.

10 Tertiò, Bullam Sixti V. fuisse receptam; Probatur in dubio enim lex præsum tur recepta, dum constat de eius promulgatione, & non probatur eius recusatio, & non receptio, est enim lex in possessione obligandi Subditos, quibus fuit promulgata; ita communis opinio Doctorum, quòd lex promulgata censetur in dubio recepta, *apud Dianam par. 5. tract. 14. resol. 8.* In terminis istis Thomas Hurtad. Minor Cleric. in suis Resolut. *Moral. tract. 5. cap. 4. resol. 8. num. 70*. Et certè non potuit non acceptari, cum sit conseruatiua Iuris diuini ex supradictis, præterquam quòd lex tunc solùm respuit acceptionem, cum subest causa eam non acceptandi, quæ in hac materiâ Astrologiæ iudiciariæ assignari non potest, ad quod comproban lum facit proposit o hæc: *Populus non peccat; etiamsi absq. vlla causa non recipiat legem à Principe promulgatam*. ab Alexandro VII. damnata, cum ergo in casu nostro aliqua rationabilis causa non sit assignabilis excusans ab receptione legis huiusmodi contra Astrologos, patet eam obligare.

Quartò, proinde obligare in vtroq; foro conscientiæ, & externo, ita quòd eam addiscens, seu exercens etiam per solam coniectationem, peccat mortaliter, quia eius præcognitio est superstitiosa habens adiunctum Dæmonis pactum, vt omnes supracitati docent, cum *Caietano, & D. Thoma 2. 2. q. 95. art. 5. Summistæ V. Astrologia, Angelica, Siluester, Tabiena cum alijs Del rius lib. 4. Disquis. Magicar. cap. 3. concl. 3. Lessius lib. 2 cap. 43. num 42*. 11

Dices ex Historijs constare Astrologos valde peritos in hac arte verum prænuntiasse, ergo hæc cognitio non est vana, neq. falsa, sed vera, ac proinde eius vsus est licitus. 12

Respondet Lessius cir. num. 43. ex D. Augustino, qui dicit, esse cauendum ab illis Astrologis, qui sæpe prædicunt verum, quia habent comercium cum Dæmone magis, quàm alij. *Secundò*, quia casu accidit. *Tertiò*, quia monitus de bono euentu omnem modum tentat, vt ad optatum finem perueniat. *Quarto*, quia ex alijs circunstantijs sagaci ingenio conijci potest. *Quinto*, Dæmon multa suggerit, quæ nouit futura Ex his infertur non ex aspectibus astrorum, sed ex alijs circunstantijs inferri tales præcognitiones. Infortunium Rutilij Benincasiæ non ex astris, sed ex indiscreta cæsione sui amici quærentis finem, quem non optabat, & propriam mortem infami supplicio casu præcognitum à Rutilio, coram suo Principe occiso, qui proinde occisorem damnauit supplicio infami secundum Rutilij præmotionem, hæc est merces docentium, & addiscentium Astrologiam iudiciariam. 13

CONSI-

CONSILIVM LXXXI.

An Episcopus habeat Iurisdictionem super Sorores Tertiarias collegialiter viuentes in domo Religiosà?

1 EPiscopus nullum Ius, nullam Iurisdictionem habet super Sorores Tertiarias Ordinum Mendicantium S. Francisci, S. Dominici, collegialiter viuentes in domo religiosà, ita quòd non potest locum earum religiosum, nec personas illarum visitare, nec corrigere, neque impedire Superiores Regulares à datione habitus religiosi, aut Statutorū, seu edictum facere nè qua mulier habitum huiusmodi recipiat, nisi cum licentia Ordinarij episcopalis.

2 Probatur id clarè, Tum quia nullo iure inuenitur, prædicta esse concessa Episcopis. Tum quia in prædictis sunt omninò exemptæ ab Episcopis, ergo in nullo eisdem sunt subiectæ. Nam Concilium Lateranense sub Leone X. mandauit, & voluit, vt essent priuilegiatæ deinceps, sicut antea erant exemptæ ab Ordinarijs locorum, vt habetur in eiusdem Leonis X. Bullà 22. incip. *Dum*
3 *intra*, §. 20. his verbis: *Collegialiter autem viuentes* scilicet Sorores, *seu cum Claustralibus habitantes, ac mulieres virginalem, aut cælibem, aut castam vidualem expresso voto, & sub dicto habitu vitam ducentes, priuilegijs, quibus Fratres Ordinis, cuius Tertia Regula habitum gestant gaudere debeant*. Sed Fratres in prædictis non subijciuntur Episcopis, vt notum est, ergo neq; hæ Sorores, aliàs non essent priuilegiatæ, vt Fratres.

Confirmatur, quia gaudent priuilegijs manentes singulariter cum voto simplici castitatis in proprijs domibus laicalibus, vt patet ex dictis verbis, & confirmauit idem
4 Pontifex Leo in Bullà incip. *Nuper in sacro*, sub eodem num. 22. Bullarum, & ad hoc extant Decreta S. Congreg. extensa apud Tambur. de iure Abbatiss. disp. 7. q. 3. Passer. Dominicanum de statib. homin. tom. 2. q. 187. art. 4. num. 245. in quorum primò dicitur expressè. *Exemptioneq; ab Ordinarij iurisdictione frui debere*, quæ etiam duo Decreta refert, & extendit Donatus Dominicanus part. 4. tract. 17. q. 3. à num. 20. ergo multò magis viuentes collegialiter.

5 Nec obstat primò, quòd in calce secundi Decreti, quod dicitur datum sub Paulo V. die 20. Decembris 1616. decernitur his verbis: *Supradictis verò Decretis mulieres Tertij Ordinis, quæ collegialiter viuunt non comprehendi, quinimmo eas subiacere dispositioni constitutionis Pij Papæ V. editæ Romæ anno 1566. incip. Cura pastoralis*: In hac autem constitutione, quæ est eiusdem Bulla 8. Tertiariæ collegiales subduntur Episcopis, ergo easdem visitare potest, & alia facere supradicta.

℞. Nequaqam id verùm esse, profero in 6
probationem verba ipsius Bullæ, quæ sub §. 3. sunt hæc: *Mulieres quoque quæ Tertiariæ, seu de Pœnitentia dicuntur cuiuscunq; fuerint Ordinis in Congregatione viuentes, si & ipsæ professæ fuerint, itaut solemne votum emiserint, ad clausuram præcisè, vt præmittitur, & ipsæ teneantur, quod si votum solemne non emiserint, Ordinarij vna cum Superioribus earum, omnibus iuris, & facti remedijs compellant easdem tamquam rebelles, & incorrigibiles ad præcisè subeundam dictam clausuram, & perpetuò obseruandam.*

In primis namque Bullà hæc ordinatur 7
ad clausuram perpetuò introducendam respectu earum, quæ præsse, & propriè sunt religiosæ sub tribus votis solemnibus, cuius generis non sunt hæ Tertiariæ. Deinde non datur Ordinarijs potestas simpliciter Iurisdictionis in eis duratura, sed tantùm constituuntur executores Pontificiæ voluntatis in dicto casu transitorio, & pro tunc, vt simul cum Superioribus earum cogant illas ad Clausuram velint, nolint.

Insuper ex contrariâ obseruantiâ probatur, eam constitutionem non fuisse vsu receptam, dum nunquam ab illis Clausura seruata fuit, dum omnes viderunt, & nunc vident egredi eas ad Ecclesias suorum Fratrum, nunquam ergo ea constitutio recepta fuit quò ad hoc, & sic euanuit modo nullas habens vires, leges enim non receptæ, etiam Pontificiæ non obligant, vt non ignobiles auctores docent, quos citat Diana *part. 1. tract. 10. de legib. resol. 1.* Quare ex 8
hoc capite concludendum Ordinarios nihil posse in hoc casu. Quòd si etiam concedamus Bullam receptam fuisse etiam respectu Sororum Collegialium, quæ non sunt præsè religiosæ sub tribus votis solemnibus, tueri possunt Superiores regulares titulo contrariæ consuetudinis abrogantis eam constitutionis partem, iam legitimæ præscriptæ, ex communi doctrina sapientum super

cap. fin. de consuet. & legitima præscriptio de iure canonico requirit quadragenariam, de communi Barb. *hic num.* 13. & hodie excedit Centenariam.

9 Non obstat secundò Bulla eiusdem Pij V. incip. *Lubricum vitæ genus* 76. in qua anno 1568. iussit, personas in diuersis Congregationibus, & domibus sub voluntariâ obedientiâ, & extra solemne votum Religionis viuunt, debeant illa emittere, aliàs post annum ab eis habitus religiosus detrahatur. Ergo hæ Sorores collegialiter viuentes, aut omittant solemniter Professionem cum Clausurâ, aut extant ad domos suorum consanguineorum.

10 ℞. Ne verbum quidem fieri de Ordinarijs, seù Episcopis, sed id totum committi illorum Superioribus regularibus. Deinde in eâ Bullâ agitur solum de iuris religiosis, non verò de mulieribus Sororibus, quæ nec nominantur. Ita Laurentius Portellus in lib. *Dubia Regularia V. Tertiarij in Addit. num.* 4.

11 Non obstat tertiò Sacra Congregatio, quæ in suo Decreto apud Barbosam *ad cap.* 1. *sess.* 25. *de Regular. num.* 6. Scribens ad Episcopum Pistoriensem ait: *Non sunt ad habitum admittendæ nisi ab ordinario loci licentiâ prius impetratâ*. Et hoc est secundum Decretum supra citatum emanatum anno 1616. Paulo V. tunc regnante.

℞. In eo Decreto fieri mentionem tantùm de Tertiarijs viuentibus in proprijs consanguineorum domibus secularibus, non autem de collegialibus viuentibus in domibus religiosis, de quibus ne verbum quidem dicitur. 12

Non obstat quartò Tridentinum *eadem sess.* 25. *cap.* 17. *Puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, maior duodecim annis sit, non ante eam suscipiat, nec postea ipsa, vel alia Professionem emittat, quam explorauerit Episcopus, vel eo absente, vel impedito eius Vicarius, &c.* Ergo nec his Sororibus Tertiarijs dari poterit habitus regularis sine licentiâ Episcopi, vel eius Vicarij. 13

Respondetur enim Tridentinum loqui de puellis vo... suscipere habitum religiosum in Ordine ad Professionem solemnem in aliquo Monasterio, ac proinde non loquitur de Tertiarijs huiusmodi, quæ non vouent solemniter, ita ex Sellio *decisum* 8. *Nouember.* 1620. *Barbosa hic num.* 14. *Lucerna Regul. V. Exploratio num.* 7. *& V. Tertiarij num.* 8. *Lezana V. Tertiarij num.* 9. 14



CONSI-

CONSILIVM LXXXII.

Quis dicatur Exterus in ordine ad Matrimonium contrahendum.

1 QVidam Parochus habebat in domo suâ famulum per plures annos sibi seruientem, qui ortus non erat in sua diœcesi scilicet Parochi, sed in extranea confinante suæ Parochiæ e. g. inter duas Parochias conterminas diæcesum Regiensis, & Parmensis. Parochus autem nostræ diœcesis suam parochianam seruam tradidit in Matrimonium eidem suo famulo oriundo in Parochiâ Regiensi suę confinanti, numquid non certiorato Ordinario ante publicationem inciderit in pœnas sequentis Decreti?

2 De Ordine Sacræ Congregationis Sancti Officij præcipitur omnibus, & singulis Parochis huius Ciuitatis, & Diœcesis, vt pro Matrimonijs cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Ecclesijs, nisi cerciorato Ordinario, à quo, vel eius Vicario Generali priùs tencantur fidē autenticam reportare, quòd pro tali Matrimonio fuerint examinati testes in eorum Tribunali, qui probent statum liberum contrahere volentium aliàs; grauiter punientur iuxtà per dictam Sacram Congregationem demandata ex litteris in actis Curiæ Episcopalis Parmæ registratis.

3 Si famulus discessit à loco domicilij originis ante decimum quartum annum expletum non est Parochus transgressor huius Decreti, quia manifestè constat, dictum famulum esse liberum, attenta ea ætate, quâ discessit à loco originis, & in loco vbi nunc habitat cognoscitur liber à Matrimonio, cum ergo non sit opus fide autenticâ, de qua in dicto Decreto, ac proinde ex hoc capite non fuerit illius violator, non est puniendus.

4 Quod si famulus è propriâ domo originis discessit post completum decimum quartum annum, quo validè Matrimonium contrahere potest, *ex cap. 2. & fin. de despons. impuber.* & Parochus con unxit eum in Matrimonio cum sua serua sine reportatione fidei autenticę, quod sit liber, certè reus est huius Decreti, & puniendus est.

Nec videtur Parochus se tueri posse esto 5 constet aliunde famulum esse solutum, & forsan id notum in loco ratione confinantium parochialium.

Nam id iuridice constare debet Ordinario, 6 cui sit notum per autenticam fidem factam in Curia Episcopalia per examinationem testium ad formam Decreti Sacræ Congregationis S. Officij, quod tamen fieri Parochus non procurauit, coniungendo eos in Matrimonio.

Nec confines illarum duarum Parochia- 7 lium sub diœcesibus diuersis operātur quod ille non sit exterus in hac causâ Matrimonij, immo & in qualibet aliâ, ille enim dicitur exterus, qui non est natus in diœcesi, in qua reperitur, vt dicit Barb. *ad cap. Bona 4. de postulat. Prælator. num. 7.* Et colligitur ex cap. Extraneo 7. *dist. 71. Extraneo*, inquit Concil. Calcedon. *cap. 13. Clerico, & Lectori extra ciuitatem suam sine literis. Commendatitijs proprij Episcopi nusquam penitus liceat ministrare.* Clericus extraneus, & exterus idem sunt, ergo vbi persona non est nata est extera, hoc est, extra terram suæ natiuitatis degens. Confinitas ergo non prodest, cum arguat diuersitatem locorum, ac proinde cum quis non possit nasci in diuersis locis, nec potest habere vtrobique idem domicilium orig nis, & habitationis, dum ergo iste famulum habitat cum Parocho non dicitur ibi habere domicilium originis, sequitur ergo quòd sit exterus, consequenter reus est huius Decreti, quia coniunxit in Matrimonium exterum, non monito prius Ordinario de examinando extero, an esset liber.

Itaque dictus Parochus puniendus est ad 8 formam dicti Decreti, non solùm quia coniunxit eos in Matrimonium, sed etiamsi solùm publicationes fecisset sine Matrimonio. Verum quidem est, quòd Iudex per solas publicationes, vel alteram earum, posse in puniendo mitius procedere non secuto Matrimonio, eo recurrente ad Superiorem accusanda suam negligentiam, &c.

CONSI-

CONSILIVM LXXXIII.

An Parricidium pro obtinendà absolutione ab Excommunicatione contractà ob Homicidium Clerici, sit explicandum in Memoriali?

1 Epos Diabolo suadente suum occidit Patruum scilicet fratrem sui patris Rectorem Ecclesiæ Parochialis. Post factum pœnitentià ductus supplicauit pro absolutione ab Excommunicatione, obtinuit. Dubitatur nihilhominus, an absolutio valida fuerit, eo quòd tacuit tres circunstantias, nempe Parricidium, Præsbitericcidium, & Rectoratum, exprimendo solùm, quòd occiderit Clericum?

2 Valida omnino fuit absolutio, quia in supplicatione expressit quod de iure erat exprimendum, nempe, se Clericum percussisse, solius enim Clericatus expressio necessaria erat, eo quòd illa sola inducit Excommunicationem ob iniuriam illatam
3 personæ ratione Clericatus. Quare expressio Parricidij, Sacerdotij, & Rectoriæ impertinenter se habet ad presentem materiam, cum ex illis qualitatibus non inferatur Excommunicatio, quæ solùm oritur ex læsione factà Clericis intuitu Clericatus sub quo compræhenditur etiam Sacerdotium, in canone enim 29. 17. *q.* 4. simpliciter dicitur *in Clericum vel Monachum*, nulla facta mentione Sacerdotij, cum veniat nomine Clerici. Et quòd sufficiat exprimere Clericatum, esto Sacerdos sit occisus, docet Marcus Paulus Leo Romanus Societatis
4 Iesu in sua Praxi ad literas maioris Pœnit. *par* 3. *fol.* 377. sub nomine enim Clerici venit Sacerdos *cap. Tua* 3. *de Cler. peregr. cap.*
Clericus 4. *de offic. Vicar.* Limitat, nisi Sa- 5
cerdos, vel Clericus sit in Dignitate ecclesiastica constitutus, quia tunc explicanda est dignitas, aliter non tenet absolutio, vt ipse colligit *ex cap. cum illorum* 32. §. *Qui si claustrales, de sent. Excom.* vbi ad Religionis fauorem conceditur Prælatis regularibus facultas absoluendi laicos à seculo fugientes ad Religionem sumpto habitu Monachali, qui violentas manus iniecerant in Clericum, vbi excipitur, nisi sit facta Episcopis, vel Abbatibus huiusmodi violentia potest tamen dici, adhuc valere absolutionem, quia hæc limitatio facta intelligitur respectu Prælatorum Regularium, non respectu Sacræ Penitentiariæ.

Dices, cum hæ absolutiones expediantur in foro Sacramentali, & taciturnitas Parricidij inducat nullitatem absolutionis, ex quo circunstantiæ mutantes speciem sint aperiendæ in Confessione, sequitur eam absolutionem fuisse nullam respectu peccatorum, & Excommunicationis.

℟. fuisse quidem nullam respectu pecca-
torum, quia impium est sperare dimidiam 6
veniam non enim remittitur vnum peccatum sine alio, validam verò respectu Excommunicationis ad quam relatiuè expressio dictarum circunstantiarum non facit ad rem, cum non induxerint eam Censuram.

CONSI-

CONSILIUM LXXXIV.

An moniales Capucinæ sint capaces Hæreditatis, & Legatorum?

1 Sanctus Pater Franciscus eximius Paupertatis cultor, Claræ primæ suæ filiæ Regulam dedit, cuius obseruatione peruenit ad regna cælestia, quam Innocentius IV. approbauit per suam Bullam incip. *Solet annuere* 12. in qua sub cap. 8. loquens de proprietate, quam Sorores abdicare debent etiam in communi, ita Statuit: *Sorores nihil approprient sibi nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tanquam peregrina, & aduena in hoc seculo in paupertate, & humilitate Domino famulantes mittant pro elaemosyna confidenter.* Iisdem vsus verbis, quibus suis Fratribus proprium prohibuerat, cum eâ differentiâ, quòd Sorores *Mittant* alios pro elaemosynis; Fratres verò *vadant* his enim licet exire claustra pro suis necessarijs, non autem Sororibus, quæ alias personas mittere debent ex hoc capite. Et Moniales sub hac Regulâ viuentes vocantur Clarissæ Collactaneæ, quia primæ quasi de lacte Sanctæ Claræ comederunt spiritualiter viuentes sub eius obedientia, & seruantes cum eâ hanc Regulam confirmatam sub anno 1253. ante conscriptam a S. Patre anno 1224. Hæc ergo est prima Regula satis rigida in multis, & præcipuè quò ad exclusionem proprij in communi, vnde Vrbanus IV. anno 1263. eam mitigauit in mul-
2 tis, vt legitur in eius Bulla 7. incip. *Beata Clara*, & in materia proprij, *de qua agitur sub cap. 21. hac statuit*: Ad hæc, liceat vobis in communi, redditus, & possessiones recipere, & habere, ac ea libere retinere. Pro quibus possessionibus, & redditibus Monasterij modo debito per tractandis, Procurator vnus prudens pariter, & fideles in singulis Monasterijs vestri Ordinis habeatur, qui per Abbatissam, & Conuentum constitui, & amoueri debeat, sicut videbitur expedire. Hic verò taliter institutus de omnibus sibi commissis, receptis pariter, & expensis, Abbatissæ, & tribus sororibus ad hoc per Conuentum specialiter assignatis, & Visitatori, cum voluerit rationem reddere teneatur; & nihil omninò de Monasterij rebus vendere, commutare, obligare, vel alienare quoquomodo valeat, nisi de licentia Abbatissæ pariter, & Conuentus. Et quicquid contra hoc attentatum fuerit, irritum, & inane decernimus. Possit tamen de mobilibus parum valentibus aliqua parua ex causa licita de Abbatissæ licentia, interdum alijs elargiri. Possit etiam per Visitatorem, cum expedire videbitur, amoueri.

Moniales autem Capucinæ Parmenses, 3
pro quibus hæc scribimus non profitentur Regulam Vrbani IV. quibus Pontifex concedit in communi, vt vidimus, aquirere bona, & possessiones, ac proinde esse capaces hæreditatis, & legatorum, ac proinde ex hoc capite non gaudent hoc Priuilegio, consequenter sunt incapaces prædictorum, dum profitentur priorem Regulam, quæ excludit Sorores à quocunque iure proprietatis incapaces hæreditatis, & legatorum non solum in particulari sed, & in communi, vt patet ex præcitato cap. 8. Regulæ S. Francisci approbatæ ab Innocentio IV.

Nihilominus inspecto iure nouo Tridentini sess. 25. cap. 3. his verbis: *Concedit S.* 4
Synodus omnibus Monasterijs, & domibus, tam virorum, quam mulierum, & Mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Francisci Capucinorum, & eorum, qui Minorum de Obseruantia vocantur, etiam quibus, aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex Priuilegio Apostolico non erat concessum, vt deinceps bona immobilia eis possidere liceat. Clarissæ etiam sub prima Regula viuentes, vt nostræ Capucinæ, gaudent hoc priuilegio possidendi immobilia, ac proinde posse hæredes institui, & eisdem in communi legari, quod probatur nam primò vtitur vniuersali *Omnibus Mo-* 5
nasterijs, cuius natura est compræhendere ea, quæ aliàs non compræhenderentur in dispositione, *Antonius Monach. decis. 69. num. 8. apud Barb. hac dict. 241. num. 6. Rota por. 7. decis. 62. num. 7.* Et dictio *Omnis* 6
taliter operatur, ac si de singulis facta fuisset specialis expressio in dispositione legis, *Bart. in l. 2. ff. de nouat. Aymon consil. 308. num. 6. Cephal. consil. 156. num. 22. cum cit. Rota par. 6. decis. 179. num. 10.*

Secundò esto Clarissis sub primâ Regulâ interdicatur proprium ex Regulâ, & non ex constitutionibus, ac proinde Capucinæ sub primâ Regulâ non videantur comprehensæ in hoc Tridentini Priuilegio, sed excludi per illa verba: *Quibus ex constitutionibus suis erat prohibitum*, id tamen verum non est, sed omninò compræhenduntur tum ex vniuersali locutione, vt visum fuit; tum quia

7 quia adest dictio *Etiam*, que exprimit ca-
sum magis dubitabilem, *l. Etiam* 141. *ff. de*
verb. signif. Surd. conf. 445. *num.* 28. *Sera-*
phin. dec. 530. *ex eis Rota part.* 7. *dec.* 193.
8 *num.* 4. Tum quia hæc vocabula *Regula*, *&*
Constitutio, pro eodem accipiuntur, ac
proinde sub nomine *Constitutionum* hic in
Tridentino venit Regula in terminis nostris
de Clarissis sub primà Regulà, *Rodriq. tom.*
3. *q.* 29. *art.* 14. *Sanch. lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 2.
vbi pluribus id probat, & ex eis Lezana
tom. 2. *cap.* 1. *num.* 2.
9 Tertiò patet ex proprietate exceptionis,
cuius natura est confirmare regulam, & dis-
positionem in non exceptis, *Auth. de non*
alien. §. *vt autem*, *Collat.* 2. *Glos. in Rubr.*
de Regul. iur. in 6. Sed Clarissæ non exci-
piuntur, cum ibi sermo sit tantùm de Fra-
tribus, & non Sororibus, ergo Clarissæ
sunt de regula huius concessionis, exceptio-
ne enim non probatà statur regulæ, & dis-
10 positioni legis, *l. Prauaricationis* 3. §. *fin. ff.*
de prauaric. Nauar. consil. 5. *de haret. num.*
3. *Barbosa Vaz in locis vtriusq. iur. Lit. E.*
num. 18. Demum nullæ aliæ Moniales, præ-
ter has indigebant hoc Priuilegio, quia
omnes etiam Vrbanistæ habent, vt vidi-
mus, ex Regulà proprium in communi, ne
ergo inutile sit hoc Priuilegium, conclu-
dendum est, illud propriè loqui de Clarissis
sub primà Regulà, quæ illis prohibebat pro-
prium in communi.
11 Et ita præter citatos *Glos. V. obedientiam,*
in Clem. 1. *de Relig. domib. & V. Tertio Clem.*
3. *de Sent. Excom.* quam sequuntur *Car-*
din. Zabarella conf. 16. *num.* 2. *Bald. in con-*
sil. 183. *lib.* 5. *& consil.* 448. quos pro se citat
Flauius Cherubinus in Compend. Bullarij,
ad hanc Bullam Innocentij IV. confirmato-
riam dictæ primæ Regulæ, asserit enim ex
illis, in dicto cap. 8. Pontificem loqui de pro-
prietate tantùm in singulari, non in com-
muni, sed reuera S. Franciscus S. Claram
cum suis Sorroribus quòd ad proprium fecit
communem, & æqualem Fratribus, prohi-
bendo scilicet vtrisq. suis alumnis non so-
lùm in particulari, sed etiam in communi.
12 Portellus part. 2. casu 24. rem hanc mul-
tis probat in terminis Concilij concedentis
hisce Clarissis proprium in communi, citan-
do *Rodriq. et Sanchez supracitatis*; *et Com-*
pend. Rodriq. resol. 72. *num.* 19. *idem Por-*
tellus in Compend. V. Hæreditas 7. has Mo-
niales sub nomine Capucinarum dicit gau-
dere Priuilegio Tridentini, vbi etiam Barb.
num. 6. & 7. dicit Clarissas compræhendi
sub hoc capite Tridentini, referendo hic, *&*
in Collect. Apostol. Collect. 506. *num.* 14. *&*
lib. 1. *de iure Eccles. cap.* 43. *num.* 84. *ex Sel-*
lio in suis selectis Canon. cap. 37. *num.* 16.
in vna Parmensi 16. Ianuarij 1596. decla-
ratum fuisse à Sacrà Congreg. Moniales cu-
iuscunque ordinis esse capaces bonorum in
communi, non obstante Regula. Certum
auté auté est non fuisse tunc hic Parmæ aliàs
Moniales nisi Sorores S. Mariæ Gratiarum,
& S. Claræ, omnes sunt Vrbanistæ, & sic
non poterant dubitare, cum earum Regula,
vt retulimus sub illo cap. 21. Regulæ Vrba-
ni IV. expressè concedat illis proprium in
communi, ergo resolutio dubij posita fuit
pro Clarissis primæ Regulæ, illas scilicet es-
se in communi capaces proprij. Quare con-
cludendum est, Capucinas Parmenses post
Contagium de anno 1630. institutas sub
prima Regula, esse omnino capaces bono-
rum stabilium, liuellorum, legatorum, &c.
dico semper in communi, nequaquam in
particulari.
Contra prædicta aliquis opponere potest. 13
Primò, quia F. Sanctus Romanus Ordinis
Capucinorum declarans primam Regulam
S. Claræ datam à S. Patre Francisco, super
cap. 8. vbi de Proprio tractans plura refert,
per quæ probat, Sorores hanc Regulam
profitentes esse omnino incapaces hæredi-
tatis, legatorum, & similium relictorum,
cum strictà obligatione, vt dentur ipsis Ca-
pucinis, exceptis elæemosynis voluntarijs.
Secundò, quia instituta fuit quædam Con-
gregatio sub titulo Fabricæ Sororum Capu-
cinarum Parmæ, quod sine dubio arguit in-
capacitatem Sororum etiam in communi
ad hæreditates, & legata atque alia relicta
ex obligatione. *Tertiò*, quia renuntiarunt
beneficio Tridentini, notum enim est, quòd
nemo cogitur vti Priuilegio sibi concesso.
cap. Si de terra 6. *cap. Accedentibus* 15. *de* 14
Priuileg. Est enim vsus Priuilegij volunta-
rius, cui quilibet proinde renuntiare potest,
Rodriq. tom. 1. *q.* 61. *art.* 15. *& cum eo San-*
chez lib. 4. *cap.* 54. *num.* 12. *fine*. Sed re-
uera hæc non obstant.
Ad primum dico, intentum Romani fu- 15
isse tantùm explicare Regulam, quæ verè ri-
gida est in materià Proprietatis, & ideo Vr-
banus IV. Regulam quo ad hoc cap. 8. miti-
gauit cap. 21. concedens Clarissis proprium
in Communi ac proinde quò ad hoc dero-
gauit dicto cap. 8. Vnde nescio, qua ratione
ille deuotus Religiosus velit dictum cap. 8.
adhuc vigere, contra mentem expressam di-
cti Vrbani, qui § 5. Sorores absoluit à rigo-
re prioris Regulæ his verbis §. illud conclu-
dens: *Ab omnibus alijs Regulis formis, &*
votis præmissis de Apostolicæ potestatis ple-
nitudine absoluentes. Quare eius discursus
attendendus non est, cum referatur ad ri-
gorem voti Paupertatis, quam Capucini
obseruare debent, iuxta declarationes fa-
ctas super primam Regulam S. Francisci pro
Fratribus Minoribus per Nicolaum III. in
cap. *Exiji*, de Verb. signif. in 6. & Clemen-
tem V. in suà Clem. *Exiui*, eod. tit. Atten-
dendus,

dendus inquam, non est, cum loquatur precisè de illâ primâ Sororum Regulâ, quam mitigauit, & reiecit Vrbanus in multis, mandans cap. 25. suam Regulam esse obseruandam his verbis: ***Verum ne obseruantia præsentis Regulæ, siue formulæ suprascriptæ, quam vniformiter vbique ab omnibus volumus, & mandamus diligenter obseruari, &c.***

16 Ad secundum dico, institutionem illius Congregationis probare, & confirmare id quod diximus, nimirum, Capucinas esse capaces hæreditatis, & bonorum tum mobilium, tum immobilium in communi, dum bona huic Fabricæ relicta cedant in proprietatem, vsum, & vtilitatem Monasterij, adeo quòd ipsa Congregatio solum habet administrationem bonorum, non dominium, & proprietatem, quod est ipsius Monasterij viuentis .i. Monialium Capucinarum, quæ in communi facientes vnum corpus politicum, & morale, absque dubio sunt capaces quorumcunque bonorum sibi relictorum, non enim illud corpus facit votum Paupertatis, sed singulæ Sorores, vt patet ex formâ Professionis earum, quam in terminis expressit Vrbanus sub cap. 3. de qua Innocentius nullam mentionem fecit. Nec obstat, quòd in profitendo mentionem faciant de Regulâ S. Claræ ab Innocentio confirmatâ, quia vt dixi singulæ Moniales profitentur, non ipsum Corpus morale earumdem in communi spectatum.

17 Quòd autem Congregatio sit administratrix tantùm, & non dominatrix, probatur, quia non nomine proprio recipit, custodit, conseruat, & distribuit bona relicta Fabricæ Capucinarum, ipsis Sororibus, ergo ipsa Congregatio non habet dominium relictorum, dominus enim nomine proprio, non alieno gubernat, & administrat sua bona, administrator verò alienorum curam habet, vt patet ex tit. de administr. vnde, & dicitur Procurator, seu Syndicus,

18 *Cap. Saluator* 8. 1.q. 3. *& in cap. cum ad Monasterium, de statu Monach.* & in terminis nostris *cit. cap.* 21. ***Regula Vrbani*** appellatur Procurator instituendus ab Abbatissâ cum Monialibus, & hoc modo præsumitur instituta dicta Congregatio ex nomine Fabricæ Capucinarum ab ipsis scilicet, Monialibus cum Abbatissâ repræsentantibus dictum corpus morale prouidens sibi de Procuratore.

19 Non ergo indigent Syndico Apostolico ad formam cap. ***Exijt***, & Clem. ***Exiui***, supra citatorum, cum in ipsis nulla mentio fiat de Monialibus, sed tantùm de Fratribus sub primâ Regulâ Minorum militantibus, maximè cum Clarissæ ex dictâ Vrbani Regula habeant licentiam, & modum instituendi, & eligendi sibi Procuratorem, non ergo recurrendum est ad Syndicos Fratrum Minorum.

Ad tertium dico, non constare de eiusmodi renuntiatione, & cum sit quid facti probanda esset, *cap. 5. de renunt. Glos. V. Voluerit, Extr. com. Ne Sede vac. Mar. Anton. lib.* 1. *resol.* 100. *num.* 9. Vnde de ea clarè constare debet, adeò, quòd in dubio non præsumitur, ***Rota part.*** 7. ***dec.*** 25. ***num.*** 11. immò ex institutione Procuratoris in dicta Congregatione colligitur non fuisse renuntiatum Priuilegio Tridentini, sed potius illud acceptatum, non enim datur Procurator carentibus, sed tantùm habentibus, vel capacibus bonorum, vndè de illo non fit mentio in prima Regulâ Clarissarum, quæ illis prohibet proprium in particulari, & in communi. Nec ex eo, quòd Capucinæ seruent ad vnguem primam Regulam, sequitur, quòd renuntiarint Tridentini Priuilegio, & mitigationi, Regulæ Vrbani; quia stare potest simul obseruatio Regulæ, mitigationis, & Priuilegij, nam obseruatio Regulæ respicit obligationem singularum Monialium, quæ se obligarunt personaliter obseruare Regulam, quam professerunt, etiam quò ad votum Paupertatis singulariter, quod non repugnat mitigationi, neque Priuilegio Tridentini, dum hæc duo amplectuntur, dum corpus morale nihil illorum promisit. 20

Hac occasione propositum mihi fuit testamentum Doctoris vtriusq; iur.s D. Francisci Mariæ Vettæ Clerici Parmensis sub his verbis: ***Che doppo la morte della sudetta Signora Lucia resti sabstituito in tutti li suoi beni, stabili però solamente, la Reuerenda Congregatione della Fabrica delle Madri Capucine della Città di Parma***. Super quibus verbis dubitatum fuit de illius valore. ***Primò***, quia non constat de reali Institutione huius Congregationis Fabricæ Capucinarum, ergo nulli factum fuit hoc Testamentum, ac proinde non subsistit, non enti enim aliquid relinqui non potest, quia non entis nullæ sunt qualitates ***l. Eius qui*** 41. ***ff. si certum petatur***, ***cap. Ad dissoluendum*** 13. ***de desponſ. impuber.*** Et nihil, & inualidum comparantur, ***l. Si aut*** 4. ***C. de legitimis hæred.*** Immò deficit Testamentum ex parte honorati, quando relinquitur iam mortuo, ***l.*** 1. ***C. de Caducis. tollend §. Et cum***, Ergo in casu hoc à fortiori non subsistit, cum ista Congregatio nunquam fuerit in rerum naturâ, mortuus autem aliquando præstitit, qui fuerat capax hæreditatis. ***Secundo*** Institutio huius Congregationis esto subsistat, cum nihil sibi aquirit, sed Fabricæ, supponit, aut facit Capucinas capaces hæreditatis, & legatorum, quod facere non potest contra ipsarum Regulam, quæ illis prohibet proprium; nec dici potest, aliud esse relinquere Fabricæ, quod non est prohibitum, 21 22 23

sicut relinquere directè ipsis Monialibus, qui Regulam profitentur, non Fabrica, quia hæc monialiter accepta non profitetur, sed Moniales, quæ repræsentantur in Fabricà, ergo nec hæc, nec illa est capax huius hæreditatis neque in particulari, neque in communi, dicit enim supradictus Sanctus Romanus super cap. 8. Regulæ fol. 192. quod
24 illius textus habet hæc verba: *Sorores in communes, nec domum, nec locum, nec aliquam rem &c.* indicantia illis prohiberi proprium non solum in particulari, sed etiam in communi. *Tertiò* Ecclesia, seu Fabrica, aut Monasterium talem capacitatem habet ad passiuam institutionem, qualem habet dominus illius, seu Rector, similitudine deducta à domino, & seruo, in tantùm enim seruus institui potest hæres, in quantum dominus, est capax hæreditatis, & non alı-
25 ter, ex adductis *ex l. Non minus ff. de hæred. instit. l. Si mihi, & tibi §. 2. ff. de legat. 1. & l. Si seruus eius ff. de aquir. hæred. l. Si à Titio, & Mæuio, ff. de legat. 2. l. Neque per se C. de hæred. instit. A Bart. in sua Minorica lib. 1. dist. 4. cap. 1.* Sed Sorores nullam habent capacitatem vt instituantur, vt patet ex Regula, ergo neque Fabrica, neque Monasterium, neque Ecclesia, cum hæc loca regantur per Moniales, cuius sunt, sicut seruus est domini sui, qui si fit incapax institutionis, etiam eius seruus. Nec valet responsio, quam sibi dat Bartolus ad fauorem Fratrum, valere institutionem factam Ecclesiæ Fratrum, quia dominium Ecclesiarum Fratrum pertinet ad Ecclesiam Romanam. Quia id est speciale in Fratribus, nam Cap. *Exijt*, in quo agitur de dominio relictorum Fratribus pertinente ad Romanam Ecclesiam, loquitur tantùm de Fratribus, ergo id non est extendendum ad Sorores, maxime in hoc casu, in quo fit præiudicium primò institutæ de eius sanguine. His non obstantibus.
26 Concludendum est, dictam substitutionem factam ad fauorem Fabricæ, seu ipsis Monialibus Capucinis, quorum est Fabrica, omnino valere, & tempore suo esse recipiendam, & custodiendam à deputatis dictæ Congregationis pro seruitio Sororum, nec posse alienari nisi iuxta dicta in illo cap. 21. supra expressa. Nam supra abundè probatum fuit, illas esse capaces hæreditatis, legatorum, & quoruncunque bonorum stabilium. Allatæ autem rationes nullius sunt momenti, & singulis respondetur.
27 Ad primam dico, esto non inueniatur Instrumentum fundationis illius Congregationis, non ideo neganda est illius institutio, sed supponitur probata per existentiam corporis politici ipsarum Monialium, dum in Regula illo cap. 21. præscribitur Procurator administrator bonorum Monialium. Scriptum autem non dat esse dispositioni; sed supponit eius existentiam, vt cum casus acciderit, possit probari, ex Glos. in cap. 1. de censib. in 6.

Ad secundam non sequitur, hanc Congregationem tribuere facultatem Monialibus ad aquirendum, cum ex hactenus approbatis sint omninò capaces bonorum quouis titulo illis relictorum, siue nomine Fabricæ, siue earum Monasterio, aut Ecclesia bona relinquantur sub his enim nominibus veniunt Capucinæ, cum Fabrica, Monasterium, & Ecclesia dicantur Capucinarum. Nec sano modo, nec sanctè loquitur Sanctus, dum addit illud verbum *in communes*, quod non legitur in Regula S. Claræ Innocentij IV. Inquit enim textus in Bullario Nouo, cap. 8. *Sorores nihil approprient sibi, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tamquam peregrinæ, &c.* eisdem verbis vtitur Lucas Vadingus fidelissimus Historicus trium Ordinum S. Francisci tom. 1. ad annum 1224. sub initium. 28
29 Ad tertiam, illud argumentum assimilans Fabricam Capucinis, sicut Seruum domino suo, nihil probat, quia supponit Capucinas, & dominum carere iure aquirendi, quod falsum est, cum ex supradictis pateat Capucinas non carere iure aquirendi; & præterea argumentum vim ponit in suppositione, in casu, scilicet, quo dominus careat iure aquirendi, cum tamen ex quo sit dominus sit capax bonorum, & suppositum in re nostra non facit ad rem, dum simpliciter, & absolutè loquimur, & contrarium supponimus, nempe, Fabricam, & Moniales eius posse hæreditare, ex hactenus probatis. Est autem differentia inter Capucinas, & Capucinos, seu inter Fratres Minorum de Obseruantia, quòd dominium bonorum Fratribus relictorum aquiritur Ecclesiæ Romanæ, ex cap. *Exijt*, de verb. signif. licet postea Ioan. XXII. in sua extrauag. *Ad conditorem* 3. de verb. signif. abdicauerit à se, & à Sede Apostolica totum dominium rerum Fratrum Minorum; tamen postea Alex. VI. & alij Pontifices illud receperunt, vt refertur *in Compendio Priuileg. V. Paupertas, & docet Sanch lib. 7. cap. 8. num. 25. in fine, quos citat Barb. in illa Extrauag. num. 6.* Alexandri Bullam extendit Lucas Vadingus *tom. 7. ad annum 1594. num. 90 fol. 345. v°.* refertur Martinum IV. & V. Eugenium IV. Calistum III. Sixtum IV. & Paulum II. concessisse, quod vsum bonorum eis relictum percipere possent, proprietate, & dominio remanente apud Ecclesiam Romanam. Dominium verò, & proprietas relictorum Clarissis, & Capucinis remanet apud ipsum corpus morale ipsarum Capucinarum in communi scilicet, spectatarum, vt clarè patet ex cit. cap. 21. ibi: *Ad hæc liceat vobis in commu-* 30

communi redditus, et possessiones recipere, et habere, ac ea liberè retinere. Hæc enim verba important dominium esse apud recipientem, habentem, & retinentem, *ex l. Habere 188. ff. de verb. signif. Rota part. 5. dec. 122. num. 5.*

31 Sed in his immorandum non est, cum ipsemet Innocentius IV. eisdem Clarissis concesserit bona stabilia habere, aquirere, & possidere in communi, referente Luca Vadingo tom. 1. Annalium, vbi in Registro huius rei Bullam incip. *Cum omnis vera religio*, fol. 98. vbi fol. 103. refert dictam concessionem his verbis. *Ad hæc liceat vobis in communi*. Sub datum 8. Idus Augusti anno eius 5. Et quamuis postea anno decimo sui Pontificatus confirmauerit Regulam eidem S. Claræ datam de *rigorosâ Paupertate*, tamen sublata non fuit supradicta eiusdem, Bulla possidendi in communi, tum quia Vadingus in tomo 2. Annalium ad annum 1253. num. 1. dicit, quòd ordinatum fuit, quòd Regula de *rigorosâ Paupertate* obseruanda ex eius posteriori Bulla, seruaretur in ijs locis, in quibus antea tempore eiusdem Pontificis Innocentij obseruabatur. Tum quia Vrbanus IV. dictam priorem Innocentij Regulam de proprio in communi habendo restituit, cum in verbis, & capitibus ferè in nullo discrepent, præsertim in sententijs, & propositis vt patet legenti easdē in locis citatis. Indubitanter itaque concludendum est Capucinas posse aquirere quouis titulo bona etiam stabilia, & ea sibi retinere per administrationem huius Congregationis.

Legi Regulam Vrbani IV. Manuscriptam apud Sorores S. Claræ hic Parmæ, & eandem extensam lib. 10. Cronic. part. 2. vulgari idiomate pro eisdem in Conuentu S. Mariæ Gratiarum degentibus, in quibus Regulis desunt hæc verba. *Ad hæc liceat vobis in communi redditus, et possessiones recipere, et habere, ac ea liberè retinere*. Quæ tamen sunt registrata in Bullà originali sub cap. 20. à me in totum rescripto supra sub num. 2. ex Bullaria Nouo, & ex tomo 1. Vadingi in eius Regesto fol. 103. vt dixi supra. Ad quid dare Clarissis Procuratorem pro possessionibus, & redditibus Monasterij, & dicta Regulæ verba, in quibus totum subsistit ius proprietatis concessum illis, præterire sine rationabili causa? 32

CONSILIVM LXXXV.

An oblationes factæ Imagini B. M. V. depictæ in domo profanà, & priuatà debeantur Monasterio, cuius iuris est domus priuatà?

1 Oblationes factæ Imagini B. M. V. depictæ in pariete domus profanæ iuris Reuer. Patrum Iesuatorum Monasterij S. Bartolomæi Placentiæ debentur eidem Monasterio, esto dicta domus sit extra clausuram, & ad vsum secularium, quibus solet locari à Monasterio.

2 Probatur, quia bona Monasteriorum tam stabilia, quam mobilia, cum suis accessorijs, & adhærentis sunt exempta ab Episcopis, Parochis, & laicis, non solùm iure Priuilegij, quia sunt sub protectione immediatà Sedis Apostolicæ, vt mox dicam in his terminis, sed etiam iure communi cap. quam sit 5. 18. q. 2. ibi: Nullus Episcoporum, aut secularium vltra presumat de reditibus, vel rebus, vel cartis Monasteriorum, vel de villis, quæ ad ea pertinent, quocunq; modo, vel qualibet occasione

3 minuere. Iure verò Priuilegij in Marmagno Eremitarum S. Augustini apud Lezanam tom. 5. in quo participant Iesuati per communicationem eis factam à *Clem. VII. Bullà eius 36. tom. 1. Bullarij*, sunt enim & ipsi Mendicantes, & gaudent Priuilegijs Mendicantium *ex Bulla 50. Pij V. tom. 2. eiusdem Bullarij*, tam in temporalibus, quam in spiritualibus, vt expresse dicitur in dictis Bullis, & obseruat *Tambur de iure Abbat. tom. 1. disp. 17. q. 1. num. 36. & disp. 18. q. 3. num. 28.* In dicto autem Priuilegio Eremitarum S. Augustini apud dictum Lezanam num. 12. ad expresse dicitur his verbis: Præterea quascunq; possessiones, quæcunq. bona prædictæ domus in præsentiarum iustè, & canonicè possidetur, ac in futurum Pontificum concessione largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis prestante Domino poterunt adipisci firmà vobis &c. In quibus hæc duximus proprijs exprimenda vocabulis, loca ipsa, in quibus præfatæ domus sitæ sunt cum suis pertinentijs &c. Nota illa verba *Oblatione fidelium*, & verba sequentia, *cum suis pertinentijs* insinuantia oblationes factas dictæ Imagini ad eos pertinere, ad quos spectat ipsa domus, ac proinde ad Monasterium.

Nam hoc idem probatur per illam Reg. Accessorium sequitur naturam sui principalis, certum autem est Imaginem B. M. V. esse principale, & oblationes illi factas esse accessorium, cum ergo Imago sit Monasterij, sequitur, quod eiusdem sint etiam oblationes. Facit etiam illud commune axioma, quod res domino suo fructificat, Imago autem est Monasterij, ergo illi fructificat commodum oblationum. 4

Nec quis dicat, quòd inde sequeretur, etiam laicum, si eius esset domus, & Imago, posse capere oblationes illas, quod tamen est falsum, cum laicus quà talis non sit capax oblationum *cap. quia 13. cap. Sanctorum 14. cap. Hanc. 15. 10. q. 1.* 5

Respondetur enim esse disparem rationem, Monaster um enim viuens cum ex ecclesiasticis personis constituatur, nulli dubium esse debet ipsum esse capacem oblationum, cum harum administratio pertineat ad personas ecclesiasticas, & non ad seculares. 6

Contrarium, quòd oblationes debeantur Parocho, in cuius Parochi à sita est dicta Imago, probatur *ex cap. Pastoralis, de ijs quæ fiunt à Prælat.* Q iare cum Curatus in hoc suam intentionem habeat fundatam in Iure, nulli alteri debentur, nisi ipsi soli, ac proinde excluduntur Regulares, vt multi docent citati *à Barb. de iure lib. 3. cap. 24. num. 24.* 7

Istorum opinio procedit, quando oblationes fiunt Imagini depictæ in pariete domus alicuius personæ priuatæ, *Huron. Caratus de Iurib. Paroch. tit. 3. cap. 11. apud Barb. cit. num. 26.* Ioan. Andr. Abbas, & Host. super dictum cap. Pastoralis loquuntur de oblationibus factis Imagini depictæ in pariete alicuius priuati, quos idem Barb. citat ad dictum cap. *num. 3. Ioan. Franc. de Leone in suo Thesauro fori eccles. par. 2. cap. 13. num. 26. Genuens. in Praxi, cap. 57. num. 1.* 8

Riccius *part. 4. dec. 170. num. 4. & 5.* dicit, oblationes factas Imagini depictæ in pariete alicuius priuati, esse Parochi, non domini laici ipsius parietis, quia cum oblationes sint iuris spiritualis, laici non possunt illas 9

capere

capere cum sint earum incapaces, & in hoc nullus contradicit. Sed paries, & domus, de qua hic sermo est, & de Imagine in eo depicta, non sunt alicuius priuati, sed Monasterij personarum ecclesiasticarum capacium oblationum cap. 1. de statu Monacorum ergo illis debentur.

10 Nec obstat, quod in cap. Dilectus 18. *de Offic. Ordin. Abbas num.* 4. *citat cap. Requisisti* 15. *de testam. Vers. In Monasterijs*, quasi per hoc verbum *In Monasterijs* restringantur oblationes, adeo quod factæ extra Ecclesiam, & Monasterium pertineant ad Parochum. Id enim est omninò falsum, quia illa claus. *In Monasterijs* sumitur demonstratiuè indicans locum in quo regulariter oblationes solent fieri, non autem sumitur limitatiuè, & restrictiuè, alias sequeretur absurdum, quod eleemosynæ extra Monasterium oblatæ Religiosis non essent illorum, sed Parochorum.

Demum Troilus Maluetius relatus *tom.* 11 15. *Tractatuum in fine num.* 17. inquit, allegatum cap. Pastoralis, in quo Parochi suam fundant intentionem, loqui de obuentionibus, idest, fructibus, & redditibus Ecclesiæ Parochialis, non autem de oblationibus, quæ causa deuotionis offeruntur Imagini intra Parochiam, de quibus loquimur, concludit ipse, & num. seq. inquit, illius esse Ecclesiæ, ad quam fideles dirigunt suas oblationes, quòd verisimile est, dare eas illa intentione, vt aquirantur Monasterio, cuius est domus, & Imago.

CONSI-

CONSILIVM LXXXVI.

An Teſtator bona fidei comiſſa ad ſe retrahat ſuperuiuens omnibus vocatis?

1 R. P. Petrus Antonius Datarius ante vltimum menſem ſuæ Profeſſionis quam emitit in Religione R.R. Clericorum Regularium, ſuum condidit Teſtamentum, in quo ſibi vniuerſales hæredes instituit matrem ſuam, & duos fratres hæredes proprietarios, quibus ſubſtituit eorum filios, & filios filiorum maſculos legitimos, & naturales in ſtirpes, & non in capita, nec per ſubſequens matrimonium legitimatos.

Dictus Teſtator ſuperuixit, & adhuc ſuperuiuit omnibus vocatis in ſuo Teſtamento in dicta Religione capaci bonorum immobilium.

Dubitatur an bona, de quibus teſtatus fuit tranſmittantur ad hæredes fideicommiſſariorum in eo Teſtamento vocatorum ab inteſtato defunctorum, an potius reuertantur ad Teſtatorem, & perpetuo maneant in Religione, quam profeſſus fuit?

2 Ego dico, ea bona pertinere ad Monaſterium, & non tranſire ad hæredes vocatorum in Teſtamento iam defunctorum, ſed iure caducitatis perpetuo remanere Monaſterio ſuæ Profeſſionis.

3 Primò, quandocumq. rumpitur Teſtamentum, & fit caducum morte omnium vocatorum ſuperſtite Teſtatore tunc bona in Teſtamento expreſſa redeunt ad teſtatorem, *§. Poſteriore Inſtit. quibus modis Teſtam. infirm. l. 1. §. Pro ſecundo C. de caduc. toll. Gratian cap. 48. initio.* Sed in caſu noſtro omnes vocati in Teſtamento defuncti ſunt, ergo bona omnia redeunt ad Teſtatorem illis ſuperuiuentem. Confirmatur, Tum quia ceſſante cauſa ceſſat effectus diſpoſitionis, *cap. cum ceſſante 60. de appellat. l. Si pater ff. de hæred. inſtit.* intelligitur de
4 cauſa finali, *Euer. loco* 85. ſed finis Teſtatoris fuit vt bona in Teſtamento relicta conſeruarentur apud familiam de Dataris, & non tranſirent ad extraneos, neq. etiam ad fœminas, cum expreſsè fideicommiſſum reſtrinxerit ad maſculos, ac proinde excluſerit fœminas ſui ſanguinis, ergo mens eius expreſſa cenſetur fuiſſe, vt ſibi ſuperſtiti bona eadem redirent, & non tranſirent ad fœminas, quas excluſit. Tum quia Teſtamentum habet in ſe hanc conditionem tacitam, Si non ſuperuixero inſtitutis, & à me vocatis in hoc Teſtamento, vt in ſimili dixit *Rubeus conſil. 155. apud Sanch. lib. 7. cap. 11. num.* 13. Superuixit autem omnibus vocatis, ergo ea bona, quæ tranſierunt cum ea conditione purificatà, debent reuerti ad eundem Teſtatorem, quia ea reliquit vocatis, ſi non ſuperuixerit illis, adeo quòd ius perfectum illis non fuit quæſitum ea ratione, vt poſſent illa tranſmittere ad ſuos hæredes ab inteſtato.

Secundò, pro expreſſo debet haberi, quod 5
Teſtator in ſuo Teſtamento expreſſiſſet, ſi de eo interrogatus fuiſſet *l. Titius 25. §. Lucius ff. de liber.* vbi Bartolus, *Alex. Iaſon Ruccius par. 3. reſol. 364. num.* 3. certum autem eſt, quòd ſi fuiſſet interrogatus de hac ſuperuiuentià, reſpondiſſet, eius eſſe mentem, vt bona in eo Teſtamento relicta ad ſeipſum redirent, ſi vocatis ſuperuixiſſet, ergo ita eius mens preſumenda eſt, & cum ipſe modo viuat ſeipſum declarare poteſt, & puto huiuſmodi declarationem ſuæ voluntatis multò prodeſſe redactam in publicum Inſtrumentum, nam Religioſus Profeſſione peractà, & ſi non poſſit reuocare Teſtamentum à ſe conditum ante Profeſſionem, illud tamen dubium interpretari poteſt, cum per hanc declarationem non dicatur facere Teſtamentum, nec quicquam illi addere, ſed quod iam obſcure à ſe diſpoſitum fuerat, declarare, vt alijs citatis doces, *San-* 6
chez lib. 7. cap 11. num. 16. Reſ. tom. 3. q. 63. not. 3. & ergo probaui ſupra Conſilio 21. per totum quod in caſu noſtro eſt adeo verum, vt mihi videatur irrationabile ſuper hoc dubitare, ex eo enim quod ab hoc fideicommiſſo excluſit fœminas, & ſolos maſculos admiſit, & illis ſuperuixerit, certe ſequitur, quod eius mens fuerit, vt bona ad ſeipſum reuertantur in caſu ſuperuiuentiæ.

Tertiò hoc idem ſentiunt multi cum 7
Sanchez lib. 7. cap. 3. num. 56. his verbis: *Quare ſi heres inſtitutus, aut legatarij prius obeant quam Teſtator ille profeſſus in Religione capaci, pertinebunt hæreditas, & legata illa ad Monaſterium;* vnde vt optimè docet Gutier. ſtatim allegandus non eſt verum in vità illius Monachi ſolum vſumfructum illius hæreditatis, & legatorum competere Monaſterio, ac dominium hæredi, & legatarijs, ſed dicendum eſt vtrunq. competere Monaſterio &c. Quare ſi interim decedant hæredes, & legatarij non tranſmittent ad ſuos hæredes, ſed iure caduci penes Monaſterium prædicta bona pleno, & perpetuò

perpetuò

petuò iure permanebunt, & pro se citat nouem doctores, qui videri possunt apud ipsum.

8 Probat autem *ex l.Statuis 48.§. Cornelio ff. de iure fisci*, vbi determinatur Fideicommissum relictum in diem mortis non cedere fideicommissario, eo quòd grauatus deportetur, & sic moriatur ciuiliter, sed à die mortis naturalis, & interim non pertinere ad fiscum, sicut reliqua deportati bona & ibi redditur ratio, quia posset fideicommissarius mori ante ipsum grauatum, & tunc fideicommissum, vt subiungit glos.extingueretur, quæ ratiò militat, inquit *Sanch.loco supracitato num. 55. & 56.* in casu nostro.

9 Dices, Testamentum non solum morte naturali, sed etiam ciuili importata per Professionem regularem confirmatur, ac proinde ipso iure hæres per aditionem hæreditatis ius incipit habere quæsitum super illis bonis, & illa possidere cum iure transmissionis in suos successores, vnde post Professionem hereditas ex Testamento debetur hæredi, nam in hoc casu mors ciuilis producit eosdem effectus, quos gignit mors naturalis, ita *Francus in Rubr.de testam. in 6.num.72.cum Imola*, *Baldo*, *Bruno*, *Alexandro Hondedeo*, *Molina*, & alijs, quos contra se citat *Sanch lib.7.cap.3. num.54.* Et ita accidit in casu nostro, in quò peracta Professione, hæredes vocati adierunt hæreditatem Religiosiae si tunc esset mortuus naturaliter, & vsque modo eius successores permanent in proprietate, & possessione dictorum bonorum ab intestato, ergo P. Datarius non habet regressum ad prædicta bona, quonam vis perfectè aquisitum fuit vocatis in Testamento.

10 Respondeo, in Testamentis duos spectari effectus, vnum irreuocabilitatis; alterum debitæ hæreditatis, Professio operatur primum effectum irreuocabilitatis, ex eo, quòd Religiosus per Professionem titulo voti solemnis Paupertatis fit incapax proprietatis, & dominij, ac proinde sicut non potest testari, ita neq. Testamentum iam factum reuocare, cum id sit actus proprietatis, sicut illud, quod efficaciter Professis interdicitur, & ita multis citatis docet *Sanch.lib.7.cap.11. num.5.* Secundum verò effectum, quod statim secuta professione hæredibus fit debita hereditas, professio ex se non operatur, sed id est in optione Testatoris id permittere hæredibus vocatis, aut sibi retinere pro Monasterio vsumfructum bonorum, quæ subiecit Testamento, vt fecit P.Datarius, qui permisit vocatis in Testamento adire sua bona ea ratione, quà poterant illa aquirere, nempe imperfectè, & sub conditione, si testator non superuixerit, vt seruaret hunc secundum effectum sub dispositione legis, quæ non vult, vt sit quæsitum perfectum ius hæredibus nisi post mortem Testatoris naturalem, *l.1.ff. de testam.* vbi gl.inquit. *Mortem naturalem post est Testamentum immutabile*. Quod ergo Professio ex se hunc secundum effectum non producat, sed tantùm mors naturalis, est sententia, in qua omnes conueniunt dicit Costa, & omnes vno ore ita sentiunt. inquit Boetius Epono apud Sanchas, qui *lib.7 cap.3.num.55.* pro se citat.63.doctores. Factum ergo proprium fuit, vt hæreditas procederet a Testatore tunc ad hæredes vtrisq. viuentibus, & non ex vi Professionis & cum translatio bonorum non fuerit simpliciter facta, & absolutè, sed sub conditione, si non superuixerit vocatis, ideo cum superuixerit, modo ad se retrahere potest bona sua in vtilitatem Monasterij, cum nullo modo vocatis acquisitum fuerit perfectum ius, & absolutum. Et ex his sublata est omnis difficultas dubitandi.

CONS.

CONSILIVM LXXXVII.

An contrahens bonà Fide excuſetur à pænis.

Vnctum difficultatis eſt; an ſupre-
mus Princeps de plenitudine pote-
ſtatis ſuæ poſſit ſub ſuà conſtitutio-
ne nouà compræhendere aliquos caſus,
de quibus non loquitur conſtitutio antiqua,
ita quòd per declarationem illorum caſuum
tranſgreſſores ante declarationem, dican-
tur rei, & ſubiecti pænis, de quibus fuit
1 diſpoſitum in antiqua Conſtitutione?

Sciendum eſt, pro reſolutione huius diffi-
cultatis, aliquam conſtitutionem non loqui
de aliquo caſu, intelligi dupliciter, *primò*
nullo modo loqui, nec expræſsè, nec tacitè,
ſecundò ſi non expræſsè, ſaltem tacitè. Cer-
tum autem eſt, quòd quando antiqua con-
ſtitutio nullo modo loquitur, noua non po-
teſt per modum declarationis talem caſum
compræhendere, ſed ſolum, quando tacitè
ineſt antiquæ, tunc enim conſtitutio noua
dicitur pure declaratiua antiquæ Legis, &
non noua diſpoſitio, ſi nihil aliud addatur
præter interprætationem; ratio huius eſt,
2 quia declaratio nihil noui ponit, ſed quod
tacitè inerat exterius demonſtrat, *l. Hære-
des palam §. Si quid ff. de Teſtam. ibi Bart.
num.* 4. *Rimin. iun. conſ.* 603. *num.* 29. *Ol-
drad. conſil.* 224. *num.* 10. quare cum de-
claratio ſupponat declarandum ineſſe ſub
obſcurè Legi declaratæ, non dicitur lex no-
ua declarare veterem, niſi quando tacitè
loquitur de caſu declarato, aliter ſi caſus
non ineſt, eſt noua diſpoſitio, velut quan-
do aliquid additur, vel diminuitur, quod
nulla ratione ſuberat Legi antiquæ, *Socin.
ſen vol.* 1. *conſil.* 49. *num.* 5. *Calder. conſ.*
237. *alias* 16. *de prabend.* Debet ergo lex
ſtare in puris terminis declarationis caſus
compræhenſi in priori Lege nil addendo,
aut detrahendo, aliter eſt noua diſpoſitio,
cum prædictis *Roman. conſil.* 25. declaratio
enim non mutat eſſentiam, & naturam Diſ-
poſitionis, *Roland. vol.* 3. *conſil.* 15. *num.*
27. *Decian. lib.* 1. *conſil.* 8. *num.* 211. *Menoch.
conſil.* 331. *num.* 100. Neque aliquid ex-
traneum aperit à re declaratà, *cap. literæ de
dilat.* ita enim declaratio adhæret diſpoſitio-
ni, vt cenſeatur perinde ac ſi in eàdem diſ-
poſitione ab initio emanaſſet, *Oldrad. conſ.*
263. *num.* 2. *Roman. conſil.* 45. *n.* 1. *cum
alijs Gratian. diſceptat.* 147. *num.* 3. Hanc
autem declarationem reſpectu caſus intrin-
ſecè in exiſtentis in viſceribus Legis *vt aiunt*
ſimplicem vocant Doctores *cum Decio in
cap. Quoniam de conſtitut. num.* 47. in eo
quòd nichil de nouo addit, ſed tacitum,
obſcurum, & dubium reddit expræſſum,
clarum, & certum. Declaratum igitur lo-
cum habere non poteſt, quando lex antiqua
nullo modo loquitur de caſu declarando,
an ſubſit legi necne?

Accedendo ex his præmiſſis ad caſum no- 3
ſtrum, oportet reſpondere, illum tacitè
contineri in conſtitutione priori, eo ipſo,
quòd Legislator decernit, & declarat per
nouam conſtitutionem eum caſum com-
præhendi, de quo non eſt diſputandum,
cum mens Legislatoris ſatis clara, & mani-
feſta ſit, ita quòd locus non eſt coniecturis.

Nihilominus aliqui Doctores etiam inſi- 4
gnes aſſerunt, exceptionem opponi poſſe
primò de illegitimà inſtructione facta ad au-
res Legislatoris, quandoq. enim ex falſa
ſuggeſtione mouetur ad aliquid agendum,
quod non faceret, ſi ſincerè, & ſecundùm
veritatem informaretur, quandoque enim
Principes decipiuntur ex mala informatione
Decius in cap. Si quando de reſcr. n. 13. ex
quo eorum intentio non eſt, vt eorum Le-
ges, & reſcripta ſeruentur, ſi aliquid iniuſ-
tum continent contra rationem, *l. Nemo C.
de ſent. & interlocut.*

Certè ſi inſpiciantur Conſtitutiones Six- 5
ti V. Clem. VIII. Pauli V. & Vrbani VIII.
non compræhendunt caſum noſtrum, dum
expræſſe nominant certa genera contrac-
tuum, noſtro de Cambijs relicto, cum
enim hæ conſtitutiones ſint pænales, non
eſt facienda extenſio ab vno contractu ad
alium, neque ab vno caſu ad alium, *l. fac-
tum cuique §. In pænalibus ff. de reg. iur.
Gratian. diſcept.* 972. *num.* 13. *Farin. frag.
crim. par.* 1. *C. lit. E. num.* 144. *Rodr. tom.*
1. *q.* 11. *art.* 6. *§.* 14. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 29.
num. 13. *& lib.* 10. *diſp.* 4. *num.* 3. multos
citans, qui ſuſtinent legem pænalem ex ſi-
militudine rationis etiam expreſſæ non ex-
tendi ad caſum non expræſſum, quia ex-
præſſio rationis non extendit legem, *ex qua-
dam gloſa, Nau. & Rodriq. tom.* 2. *q.* 67.
art. 2. *§. Si enim*, etiam ſi in eo inueniatur
maior ratio, quia Lex pænalis non minus
pendet a voluntatis Legislatoris, quam ab
eius ratione, vt orobant ſupracitati. Adde,
quod ſubſequentes Pontifices non ſolùm
confirmarunt, aut declarauerunt præceden-
tes conſtitutiones, ſed etiam aliquid addi-
derunt,

derunt, quod poterat venire in consequentiam, & quasi tacitè inesse, nihilominus addiderunt ad insinuandum leges pœnales non esse extendendas ad casus non expressos, nisi per Legislatorem, qui in tali casu non dicitur declarare, sed nouam dispositionem ex nunc obligantem in futurum tantùm ponere, quæ antea non extabat.

Opponi potest secundò exceptio causæ rationabilis, quam Legislator non contemnit *Cardin. Florent. consil. 147. num. 5. ex cap. Si quando 5. de rescr.* vbi Papa decernit, cum, ad quem ipse suum rescriptum dirigit, aut parere debere, aut causam rationabilem assignare, quare parere non potest, aut non debet; certè non videtur rationi congruere, quòd contrahentes liuidantur tam rigorosis pœnis, vt in tali casu amittant bona maximi pretij, & quasi eadant pauperes, maximè cum in actu celebrationis Contractus, contrahentes processerint bonâ fide etiam protestata ab ipsis, quod si crederent, eorum contractum esse contra constitutiones, nullo modo contraherent, & protestati sunt nullitatem contractus, si cognouerint, illum aduersari sacris constitutionibus, quare ergo non sunt excusandi ab his pœnis ex tot cautelis, & protestationibus, quibus non intendunt aduersari Constitutionibus?

Sed reuerà, vt superius dictum fuit, noua constitutio apertissimè declarat, nostrum casum esse compræhensum in constitutionibus prioribus, vt clarè constat ex illo §. *Ac insuper contractus*, ac proinde cum in claris non sit locus coniecturis, & præsumptio cedat veritati, *l. Ille, aut ille* § *Cum in verbis, ff. de leg 3. Roland. vol. 3. cons. 80. num. 51. Surd. cons. 242. num. 9.* alia via est inuestiganda ad excusandam contrahentes ab incursione pœnarum.

3 Prima via desumitur ex ignorantiâ Iuris, nam noua Constitutio siue sit inductiua noui Iuris, siue Prioris declaratiua respicit tantum futura, quò ad pœnas, *cap. Cognoscentes 2. de constit.* vbi redditur ratio: *Ne detrimentum ante prohibitionem possint ignorantes incurrere, quod eos postmodum dignum est sustinere.* Detrimentum ergo, hoc est, pœna non incurritur ante prohibitionem, siue ea sit Iuris noui positiua, siue sit declaratiua, cum supponat declaratio ignorantiam eius, quod declaratur, vnde cum eadem ratio ignorantiæ excusantis à detrimento reperiatur tam in Iure de nouo posito, quam in Iure mere declaratiuo, idem quoque ius excusationis in vtroque spectandum est. Sunt ergo contrahentes ex capite ignorantiæ immunes a pœnis dictarum Constitutionum; neque enim, vt in eodem textu dicitur, res, quæ culpa caret vocari debet in damnum, hoc est, persona, quæ culpa caret in facto suo puniri non debet *Decius super dictum cap. lect. 1. & 2. initio*, censetur enim legitimè factum id, quod de se malum non est, nec de eius prohibitione constat, vt est casus noster, nam contrahere non est de se malum, nec constabat de illius prohibitione tempore celebrationis, licet postea per declarationem constiterit, ac proinde vti legitimè factum pœnam non meretur *l. Graccbus C. de adulter. Decius consil. 581. dub. 2. à num. 9.* vnde glos. *in l. Si seruus* §. *Prætor ait ff. de aquir. hered.* dicit, operantes per ignorantiam, errorem, seu bonam fidem, non mereri pœnam, quia pœna non incurritur sine culpâ, *l. Si qua pœna ff. de verb. signif. Crauetta consil. 4. num. 3. Cephal. consil. 242. num. 12. Giurba consil. 12. num. 25.* aiunt procedere etiam pro foro externo; & is excusatur à pœna, qui egit, quod sibi licere putabat, *Osasch consil. 71. num. 107. Bursat. consil. 325. num. 54. Menoch. cons. 2. num. 133.* cum ex causâ licitâ potius, quam illicitâ aliquid actum esse, sit præsumendum ad excludendum delictum, *l. Merito ff. pro soc. Abbas lib. 1. consil. 68. n 3. Ladercb cons 199. num. 1.* neque deliquisse dicendus est ille, quem constat ex coniecturis animum minus habuisse delinquendi, *Menoch. de arbitr. casu 511. num. 7. Caualcan. par. 5. decis. 19. num. 76. Giurba cons. 37. num. 31.* constat autem, contrahentes in casu nostro nullum habuisse malum animum, aut sinistram intentionem aduersandi Bullis Pontificijs, si spectemus, prout spectari debent, conditiones, circunstantias, & protestationes in Instrumento expressas, quibus apertè contrahentes se declararunt, eorum contractum nolle, vt valeret, immo neque intendunt contrahere, si constabit, illum esse contrarium dictis Constitutionibus; stantibus ergo his circunstantijs, & protestationibus, nullum in uenio delictum, nec culpam in contrahentibus, consequenter declarandi sunt immunes à prædictis pœnis.

Nec obstat, quòd in noua Constitutione declaretur, eos subiacuisse, & subiacere debere pœnis priorum Constitutionum. 9
Quià intelligitur de pœnis nullitatis contractus, & nõ de omnibus absolutè, aliud enim est subiacere pœnis, aliud omnibus pœnis, nam in posteriori acceptione ex dictione vniuersali omnes pœnæ comprehenduntur, quia dictio *Omnis* est generalissima omnia comprehendens, quod aliàs non comprehenderentur, ex allegatis iuribus, & Doctoribus *à Barbosa dict. 241. n. 1. & 3.* ex priori verò indefinita non æquiualet vniuersalis in odiosis, & pœnalibus, *Bart. in l. Si plures ff. de legat. 3. num. 6. fine vers. Si verò cadit. Tuschus lit. T. conclus. 86. num.*

 28. M-

28. *Menoch. consil.* 97. *num.* 15. *Surd. consil.* 430. *num.* 21. *Gratian. disceptat.* 640. *num.* 10. Sufficit ergo quòd dispositio nouæ constitutionis verificetur in pœnis nullitatis tantùm, ne indefinita dicatur vniuersali æquipollere in odiosis contra rationem, & æquitatem; reijcienda enim est ea interpretatio, per quam pars detrimentum patitur, *l.* 3. §. 1. *ff. de arbitr. Casanat. consil.* 10. *num.* 126. *Giurba consil.* 19. *num.* 75.

10 Secunda via accipitur à Iure dubio, cuius transgressor excusatur à pœnis, *Sebast. Medices de casib. fortuit. part.* 1. *q.* 3. *num.* 1. *Vers. Nisi esset*. *Sfort. de in integr. restit. q.* 8. *num.* 44. *Seraph. priuileg.* 4. *num.* 16. & 17. *Mascard. concl.* 639. *num.* 19. maximè in casu nostro, in quo ignorantia Iuris admixtum habet errorem facti, *Socin. lib.* 1. *cons.* 47. *num.* 11. *dictus Mascard. num* 20. *Tuschus lit. I. concl.* 13. *num.* 18. vnde ignorantia Iuris dubij æquiparatur ignorantiæ facti, *Dynus consil.* 5. *num.* 9. §. *Praterea*, maximè cum agitur de damno vitando, *ex eodem Dyno*, *Castrens. lib.* 1. *consil.* 238. *Seraph. decis.* 271. *n.* 6. *Caualer. decis.* 98. *num.* 2. ius enim dubium solet comparari errori, & ignorantiæ facti, *Felin. cap. De quartâ*, *de prascript. num* 22. *Puteus lib.* 2. *decis.* 118. *num.* 19. *Ossasch. decis.* 160. *num.* 10. quia ignorans non dicitur delinquere *Castren. lib.* 3. *consil.* 30. *num.* 17. *Honded vol.* 1. *consil.* & *num.* 42. *Surd. consil.* 25. *num.* 30. vnde nec puniri potest, immo neque tenet Statutum de puniendo ignorante, *Graueta consil.* 969. *n.* 5. *Bursat. cons.* 134. *num.* 17. *Giurba consil.* 14. *num.* 11. Constat autem actum nostrum dubium fuisse sub dispositione priorum Constitutionum, ex quo Princeps declarauit illum comprænhendi sub illis, nam declaratio habet pro obiecto rem dubiam, & obscuram, clara enim, & manifesta declaratione non egent, cum de se pateant omnibus.

11 Tertia via, per quam contrahentes declarandi sunt immunes à pœnis, est imperfectio Contractus, qui tot circumstantijs, conditionibus, & clausulis munitus potius dicendus est promissio contrahendi, quàm initus Contractus, constitutiones autem pontificiæ infligunt pœnas contra tantummodo perfectè, absolutè, & sine conditionibus contrahentes, vt manifestum est legentibus easdem, dum disponunt, prohibentes contractus venditionis, permutationis, locationis vltra triennium, concessionis in emphiteusim feudum &c. quibus nominibus veniunt perfecti contractus non aliquid eorum, aut promissio eorundē, pœnis ergo illæ ūnō sunt afficiendi cōtrahentes, nā imperfectio actus, cuiusmodi est in casu nostro, excusat à peccato mortali, & cōsequenter etiamà pœnis, *cap. Cum in cunctis* §. *Clerici sanè, de elect. cap. Perpetuæ de elect. in* 6. communissimam sententiam dicit *Tiraquel. in l. Si vmquam v. Reuertatur num.* 354. *Hippol. de Marsil. in cap. An si Clerici, de Iudic. num.* 56. pœna enim a Lege indicta delictum petit consumatum, *Afflict. decis.* 21. *Grammat. decis.* 2. *à num.* 15. *Farin. cons.* 28. *num.* 2. *Clarus q.* 92. & in terminis de pœnis alienantium docent *Marcus decis.* 577. *num.* 1. *par.* 1. *Mant. decis.* 27 *num.* 4. *ex illis Vrsellus concl* 84. *num.* 20. asserentes pœnas contra alienantes non habere locum, nisi secuta verâ, & reali traditione rei, quia non per actum verbi, sed per actum facti quis incidit in pœnas.

Quarta via excusandi a pœnis contrahentes est propria eorum protestatio, qua se declararunt, nullo modo velle, neque intendere se contrahere, quando obstarent dictæ Constitutiones, quæ protestatio cum sit vera, sincera, & bonâ fide facta, certè debet releuare contrahentes ab huiusmodi molestiâ, actus enim dubius, vt erat casus noster non facit recedere a protestatione, *Bart. in l. Non solum* §. *Morte ff. de noui oper nunt. num.* 29 *ibi Alex. num.* 15. & 16. *Iason num.* 14. *Cardin. Tuschus lit. P. concl.* 944. *num.* 33. ex quo dicta Protestatio releuare habet protestantem, quòd non inciderit in pœnas Constitutionum. Nec obstat, quòd Doctores aiunt *cum Decio in cap. Cum M. de constitut. n.* 67. asserentes non tenere, nec quicquam prodesse protestationem contra dispositionem Iuris, quia nostra protestatio nequaquam dicatur esse contra illas Constitutiones, immò illis fauere, in quantùm protestantur, se non intelligere contrahere, quando obstarent Constitutiones. 12

Quinta via excusandi contrahentes est stricta interpretatio, cum prohibitio alienationis sit odiosa, ita quòd semper capienda est ea interpretatio, per quam contrauentio, & pœna excludatur, quantum fieri potest, vt post Decium, & alios tradit *Abbas consil* 97. maximè quando non potest considerari aliquis dolus ex parte contrahentium, qui tamen ad effectum pœnæ requiritur *ex eodem Abbat. cit.* & *Socin. Iun. lib.* 2. *consil.* 28. *Menoch. consil.* 28. *num.* 13. de nullo autem dolo constat inter contrahentes, qui sufficienter dicitur ab esse per circumstantias, & conditiones sub quibus initus fuit contractus, ita quod quælibet leuis causa ab illo excuset, *l. Igitur* §. *Potest ff de liber. caus. Graueta cons.* 4. *num.* 26. *Alex. vol* 6. *consil.* 43. *num.* 6. *Farin. q.* 90 *num.* 1. etiam si causa sit iniusta, *Iason vol.* 3. *consil.* 64. *Brun. consil.* 100. *Socin. Iun. lib.* 2. *cons.* 115. *num.* 4. *Giurba consil.* 24. *num.* 24. excluso igitur dolo a præsenti Contractu, necesse quoq. est excludere etiam pœnam. 13

Sexta

14 Sexta via excusandi contrahentes a pœnis ea est, quòd pœna pro delicto certo imposita non habet locum in casu dubio, *Burat decis.* 182. *num. fin. Alba consil.* 91. *num.* 41. *Honded. lib.* 1. *consil.* 58. *num.* 43. *Saneh. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 45. *ex illis Thesaur. Iesuita de pœnis ecclef. cap.* 16. *in resp.* 2. Pœnæ autem expressæ in Constitutionibus prioribus sunt circa certa genera contractuum, inter quæ ante declarationem factam per nouam legem, & Constitutionem non erat certus casus noster, sed dubius, & incertus, vt postmodum declaratio facta demonstrauit, quatenus pro obiecto habet rem incertam; neq. enim in contrahendis pœnis attendendum est tempus declarationis, sed commissi ictus, *l.* 1. *ff. de pœnis*, *l.* Si quis *postea ff de iudic. vbi glos. & Doctores*, *Berous in cap. de causis, de offic. deleg. num.* 20. vnde in delictis initium spectamus fauore rei, *l.* Si *quis ff. de furt. Valenzuel. consil.* 4. *num.* 20. immo in quolibet re initium inspici oportet, *l. si filiusfamilias ff. de verbor. obligat Franc. decis.* 544. *num.* 8. debetur ergo pæna a die delicti commissi, *l. Imperatores ff. de iure fisci. Gutier. par.* 3. *de tutel. cap.* 24. *num.* 5. *Mantica de tacitis lib.* 4. *tit.* 18. *num.* 12. sed initio celebrati contractus casus erat dubius, ergo pænæ obligatio tunc contrahi non potuit, si non habet locum in casibus dubijs, vt probatum fuit, neq. declaratio id efficere potest, quia Pæna in tantùm debetur, in quantùm à principio delicti commissi agens contraxit illius obligationem, & non à tempore declarationis, ergo pœna nostris contrahentibus non debetur.

15 Septima via excusandi contrahentes a dictis pœnis erit ciuitas etiam ex parte emententis, nam ciuis est Romanus si non origine, saltem ex Priuilegio ciuilitatis, quod habet sufficiens, vt non dicatur compræhendi sub nomine forensium, nam ciuis ex Priuilegio dicitur verè, & proprè ciuis ad effectum, vt beneficijs aliorum ciuium gaudere possit, *Bart. in l.* Si *Maritus § Legis Iuliæ ff de adulter. num.* 1. *Bald. consil.* 461. *Rimin. Iun. consil.* 56 *num.* 46. *Bursat. cons.* 198. *num.* 45. *Rota coram Orano & Pancirolo apud* Rubeum *decis.* 292. *num.* 8. Nec obstat, quòd statutum Vrbis illum aduenam vocat ciuem, qui habet in Vrbe maiorem partem suarum fortunarum, & continuò habitat, vt id etiam determinatum fuit in noua *Bulla § . Præterea nostram*, quia intelligitur respectu contrahentium post illius editionem; certè si quis antecedentet peritus fuisset interrogatus, respondisset, nostrum aduenam non esse forensem, sed ciuem Romanum, non obstante statuto Vrbis, non enim Constitutiones interprætationem recipiunt à statutis, cum res è contra se habeat, statuta enim interprætantur secundum Ius commune, & Constitutiones, *cap. Cum dilectus de consuet. gl. v. Hoc Iuri communi*, ita quod interprætari debet, vt minus lædat Ius commune, *P. de Anchar. in cap.* 1. *de Paroch. Puteus lib.* 2. *decis.* 350. *Moditius* §. *Plebiscitum dubit.* 38. *num.* 2. constitutiones ergo ad præscriptum Iuris communis sunt interprætandæ, ac proinde Ius commune dicit illum esse ciuem, qui per decem annos habitauit in Vrbe, *l.* 2. *C. de incol. lib.* 10. siue habeat ibi maiorem partem suorum bonorum, siue non, nunquid ciuis vergens ad inopiam desinet esse ciuis? Certè non, sola ergo habitatio ciuem facit, non fortunæ, interprætatio igitur Principis debet esse secundum legem, ne contraria inducat in legibus.

Octaua via desumitur a defectu citatio-
nis, nam cum noua Constitutio producta in 16
lucem occasione acceptà potissimum ex facto contrahentium quò ad præsentem casum, habeat quandam vim Sententiæ, immò in re sit specialis Sententia contra DD. Contrahentes, non tenet contra ipsos, quia non fuerunt vocati, nec citati, est enim in Iure certissimum Sententiam latam sine citatione, etiam per Principem non tenere, secundum omnes apud *Dec. in cap.* Cum *accessissent, de constit. num.* 130. *& in cap Ecclesia S. M. eod. num.* 73. quia est de iure naturali, & diuino, *adnotata in cap.* 1. *de causa possess. & propr. Mœdan. decis.* 71. *de restitut. spoliat. num.* 3. loquens de Summo Pont hæc his verbis. *Non potuit facere sine citatione, nec eam potuit tollere, cum sit de iure diuino, & naturali* Ipsemet Gregorius Papa relatus cap. 1. de causa poss. ibi dicit. *Nec nos contra inauditam partem aliquid possumus definire* noua igitur Constitutio ex hoc non potest afficere nostros contrahentes, qui citati non fuerunt, consequenter intelligenda venit quò ad contrahentes in futurum post illius editionem. Facit ad rem nostram, quòd antequam quis puniatur debet constare de corpore delicti, *l.* 1. §. *item illud sciendum ff. ad Syllan. Osasch. decis. pedem.* 42. *Menoch. de arbitr. casu* 452. *num.* 20. de quo non constitit antecedenter, sed per nouam Constitutionem simul delictum, & pæna proposita fuerunt, quare ea non videtur de iure afficere nostros contrahentes.

CONSIL. LXXXVIII.

An Religiosus de Licentia sui Superioris possit pro anima suà relinquere Missas annuas pro se celebrandas?

1 FRater N. Sacristiam à fundamentis erexit ex peculio sibi permisso iuxta Ordinis consuetudinem approbatam, cupiens autem ex hoc suo opere in euidentem sui Monasterij vtilitatem, & Ecclesiæ Splendorem reportare aliquod animæ suæ Suffragium, non huius seculi gloriam, expostulat, vt in eadem Sacristià Monimentum affigatur, quo deinceps super Altare intra eandem Sacristiam erectum semel in hebdomadà in perpetuum Missa vna celebretur, quod fieri incipiat à die Sacristiæ constructæ nominando ab ipso F.N. & prosequatur celebratio non solùm post illius mortem sed etiam dum in hac vità vixerit, siue in hoc Conuentu siue alibi. Quærit an sibi liceat id petere, & quomodo id sit stabiliendum?

2 Petitio sine dubio licita, honesta, & iusta est, quia nihil melius in hac vita desiderari potest, quàm vt sibi benefiat non solum in ordine ad corpus, sed eò magis, in ordine ad animam, quæ auro pretiosior est, cum aurum sit corruptibile, & anima incorruptibilis, & pretiosior corpore, *cap. Præcipimus* 24. 13. *q.* 1. *cap. Cum infirmitas* 13. *de Pænit. vnde corpori preponitur, cap. Sedulò* 12. *dist.* 28. Vnde Salom on nos docet Prouerb. 11. 17. *Benefacit animæ suæ misericors.* Et Eccl. 14. 11. ad id hortatur. *Fili, si habes, benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer.*

3 Quoniam autem Religiosus solemni Professione propriam voluntatem maximè quò ad actus externos subiecit imperio sui Superioris per obedientiam, & per Paupertatis votum abiecit à se dominium, & proprietatem bonorum pretio estimabilium, reddendo se incapacem, & impotentem ad eorum dispositionem, ac proinde Religiosus professus nihil proprium habeat, sed dicatur pauper, & inops, ex allegatis *à Rota part. 3. decis.* 194. *num.* 2. *part.* 5. *dec.* 267. *num.* 13. Necesse est, quòd si velit agere, & disponere circa aliquid, quamuis sibi vtile, & honestum, vt id faciat de licentià obtentà sui Superioris, sine qua nihil agere potest, de communi Doctorum *Sanch. lib.* 7. *cap.* 19. *per totum*, & super hoc non est dubitandum.

Quod autem Superior regularis id facere 4 possit colligitur ex regulis omnium Ordinum S. Basilij *Interog.* 41. S. Augustini relati *cap. Non dicatis* 12. *q.* 1. S. Benedicti, *cap.* 33. & 54. & in nostra *cap.* 10. in quibus locis dicitur, quòd in omni negotio, & dispositione requiritur licentia sui superioris, ne votum paupertatis violetur. Ergo hæc licentia etiam in casu isto petenda est, & obtinenda à Superiore.

Et quamuis peti possit à Prouinciali, cum 5 non restringatur ad hunc, vel illum Superiorem, nihilominus, qui recurrit ad Generalem melius agit, & prudentius se gerit, quia maior Superior, & supremus in Ordine videtur habere ampliorem facultatem, & id suadet Regula nostra cap. 4. ibi: *Grauiora tamen, magisq. seria eidem Visitatori Generali moderanda referunt.* Igitur præparetur Memoriale à toto conuentus Capitulo, quo rogetur Reuer. Generales ad hanc licentiam concedendam.

Potest autem id facere, vt patet ex allatis 6 Regulis, & hac ratione, quia Superior potest dare licentiam suis subditis, vt habeant peculium pro vtilitate sui corporis, vt omnes concedunt, à fortiori pro salute animæ. Et ita docet Portellus *tom.* 2. *casu* 85. *de moniali*, quæ de licentia Prouincialis ex pretio rerum mobilium ad sui vsum reliquit celebrationem Missarum pro animà suà, quem refero *cap.* 24. *de profess. regul. q.* 24. *num.* 67.

CONSI-

CONSILIUM LXXXIX.

An Sanctimoniales proprium habentem Molendinum debeant mittere Saccos ad locum Macinæ?

1 INsigne monasterium S. Pauli Parmę R.R. Sanctimonialium ordinis S. Benedicti proprium habet Molendinum sibi vnitum, & situ coniunctum, sicut habent monachi eiusdem Ordinis nuncupati S. Ioannis Euangelistæ, & nonnulla alia Monasteria quæ de iure habere possunt, & possidere, ac illis vti, vt docent omnes cum *Peregr. consil.* 13. *num.* 1. De anno 1557. die 4. Martij Monachi institerunt coram Gubernatore, vt praeciperet Datiarijs Macinæ vt mitterent bullatores ad suum Monasterium ad bullandum saccos tam frumenti, quam bladorum pro vsu elæmosynarum, & die 3. Aprilis eiusdem anni sententiam tulit declarando, Datiarios teneri, & obligatos esse mittere bullatores ad Monasterium, & Monachos nullatenus esse obligatos ad mittendum saccos ad locum Macinæ pro bullatione, neq. pro ponderatione grani, nec farinæ.

2 Æquum est, quòd Sanctimoniales idem participent ius Monachorum, ex quo proprium habent Molendinum, & sunt eiusdem Ordinis, & quia nunquam suos saccos miserunt ad locum Macinæ, quod facile probarunt, & factum ipsum Datiariorum, dum prætendunt, quod saccos mittant, ergo ante non mittebant, consequenter nec mittere tenentur, cum sint in possessione suæ libertatis non mittendi, vnde similem Sententiam, quam fauorabilem Monachi habuerunt contra Datiarios, Moniales consequi sperant ab Illustrissimo Gubernatore. Quare Sanctimoniales manutenendæ sunt in possessione non mittendi saccos cuiuscunq. grani, aut rei capacis molituræ ad dictum locum Macinæ, quia illos nunquam miserunt, sed Datiarij mitrant bullatores ad Monasterium. Hoc autem suadetur in sequentibus.

3 Primò, quia manutentio illi danda est, seu potius conseruanda, de cuius possessione constat tempore litis motæ, *§. Retinendæ, Instit. de Interd. Seraph dec.* 1106. *num.* 1. *Rota part.* 4. *tom.* 2. *dec.* 324. *num.* 1. Adeo quòd ei denegari non potest, *Rota part.* 6. *decis.* 107. *num.* 2. Quia etiam prædo in ea manutenendus est, donec constet de iniqua retentione, *Menoch. de Retinenda Remed. vlt. num.* 18. *Rota part.* 5. *dec.* 284. *num.* 10. Quapropter, quando agitur de possessione manutenenda, non est discutiendum, an sit iusta, nec ne, *Rota part.* 5. *decis.* 8. *num.* 5. Quòd autem Moniales sint in possessione non mittendi saccos ad Macinam bullandos, & ponderandos probant ipsi Datiarij, dum prætendunt à Sanctimonialibus missionem ad Macinam, non ergo remouendæ sunt à sua possessione.

Secundò, certum est quod nullus Iudex laicus potest grauare personas ecclesiasticas, nec ferre sententiam contra illas, defectu Iurisdictionis, *cap.* 1. *& sequent. dist.* 96. *cap. Ecclesia* 10. *de const. cap.* 2. *de Iudic.* aliter attentatum nullius est vigoris, ex locis citatis, neq. enim defectus Iurisdictionis sanari potest, *Surd Vol.* 3. *cons.* 1. *num.* 17. *Guazzin. de Defens.* 1. *cap.* 1. *num.* 4. Ergo Datiarij non possunt molestare Sanctimoniales, nisi coram suo Superiore ecclesiastico, sed quoniam in hac causa Moniales petierunt, vt releuarentur ab hac molestiâ iniustâ, ideo causa rectè agitatur coram Illustrissimo Gubernatore. 4

Tertiò adduco textum de non molestandis ecclesiasticis in causâ molituræ, cap. fin. de Immu. in 6. cuius verba sunt hæc: Eos, qui temporale dominium obtinentes, suis subditis, ne Prælatis, aut Clericis, seu personis ecclesiasticis quidquam vendant, aut emant aliquid ab eisdem, neque ipsis bladum molant, coquant panem, aut alia obsequia exhibere præsumant, aliquando interdicunt, cum talia in derogationem libertatis ecclesiasticæ præsumantur, eo ipso Excommunicationis sententiæ decernimus subiacere. Super hunc textum scribunt *Nauar.* 27. *num.* 130. *vers.* 53. *Lauor. de Indulg. part.* 2 *cap.* 23. *num.* 16. *Bonac. extr a Bullam de cens. disp.* 2. *q.* 10. *p.* 4. *Sayrus lib.* 3. *cap.* 34. *num.* 17. Quamuis Datiarij non sint rei huius Constitutionis, neq. proinde huius Excommunicationis, quia non prohibuerunt suis subditis molituram, dum solum prætendunt bullationem, & ponderationem saccorum in loco Macinæ; nihilominus textus allatus facit ad rem nostram, in eo quòd sicut non possunt Datiarij prohibere suis subditis ne molant Monialibus, ita neq. grauare & multò minus, vt Moniales ipsæ mittant ad Macinam. 5

Quartò

6 Quartò D.D. Datiarij alio iure non possunt cogere quemquam volentem suum granum molere, vt illud mittant bullandum, & ponderandum in loco Macinæ, nisi per suas ordinationes, seu statuta approbata, sed personæ ecclesiasticæ, vti dictæ Sanctimoniales non subduntur illorum ordinationibus, cap. Ecclesia 10. de constitut. ibi: *Nos attendentes, quod laicis etiam religiosis super Ecclesijs, & personis ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, à quibus si quid motu proprio statutum fuerit quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum & fauorem, nullius firmitatis existit.* Id autem adeo Clarum est, vt nullus sanæ mentis audeat dicere contrarium.

7 Quintò, in omni negotio in primis causâ dispositionis est inspicienda, *l. Si procuratorem 8. ff. Mandati*, ex causa enim finali perspecta limitatur, seu ampliatur, & regulatur dispositio, *l. Si habitatio 10. ff. de vsu, & habit. l. Cum pater, §. Dulcissimis ff. de legat. 2.* Finis autem, quem habuerunt D. D. Datiarij, vel Communitas statuendi bullationem, & ponderationem saccorum bullatorum alius non fuit, nisi obuiare fraudibus, quibus occurreræ tunc temporis respectu Monachorum iudicatum fuit sufficere bullationem factam apud Monasterium, quod idem nunc censendum est respectu Monialium; Monachi ergo, & Moniales illorum temporum arbitrantes æquum esse elidere hanc fraudum suspicionem, consenserunt in bullationem molitorum saccorum, & quia bullatio redundat in commodum Datiariorum, & non in vtilitatem Monachorum, nec Monialium, eo tempore iudicatum fuit, Datiarios, si volebant sacos ad locum bullare esse obligatos bullare illos apud eorum Monasteria. Cum ergo per bullationem tollatur suspicio, nulla ratio dictat, illorum saccos esse mittendos ad bullandum, & ponderandum intra Macinam, non enim locus tollit suspicionem, sed sola bullatio, alioquin non benè prouisum fuisset per primam Sententiam, quod dicendum non est, cum semper præsumatur pro Iudice, quod bene, prudenter, & iuste vsus sit officio suo, *cap. In præsentia 6. de Renunt. cum inter 13. cap. Sicut nobis 16. de sent. & re iud.*

8 Sextò, verisimile non est, quod Datiarij ex vrbanitate miserint suos ministros bullare saccos apud Monasterium, vt forsan quis nunc diceret, sicut alias dictum fuit; siquidem pugnant ad inuicem agere ex vrbanitate, & ex obligatione, cum facta causa vrbanitatis non inducant obligationem, *Glos. V. commendare cap. Nemo, de elect. in 6. Ciarlin. cap. 119. num. 7.* Et nihilominus si volunt bullare, tenentur, & obligati sunt accedere ad Monasterium, vbi bullatio ab eis facienda est, vt dicitur in præfata sententiâ, non ergo id fiebat ex vrbanitate, quia Moniales, & Monachi non curant de tali vrbanitate, quæ illis in nullo prodest, sed solis Datiarijs.

Septimò, neq. hic locum habere potest 9 precarium, quod precibus petenti vtendum conceditur tandiu, quandiu is, qui concessit, patitur *l. 1. ff. de precario*, vbi assimilatur commodato, nam & qui commodat suam rem, sic commodat, vt non faciat rem accipientis, sed vt ei vti re commodatâ permittat, & hic finitur textus. Quia precarium est in libertate concedentis, Datiarij autem tenentur bullare, vt dictum fuit, & patet ex eorum Statutum. Deinde precarium arguit indigentiam in petente, qua non egent nec petunt Moniales immo resistunt, & non curant de bullatione, id enim est interesse Datiariorum. Demum Datiarij cum petant, & non Moniales, illi potius sunt deprecatores, & non Moniales, cum eis nihil prosit bulatio.

Octauò, Molendina Religiosorum vtriusq. sexus propria ita exempta sunt, & libera, sicut ipsi Religiosi, vt nullus laicus, nullus Clericus, vel Religiosus non habens proprium Molendinum, prohiberi possit vti illorum molendinis, id enim essit contra Iustitiam in graue præiudicium Regularium siue prohibeatur ipsis directè, siue indirectè secularibus subditis, vt in his terminis contra ecclesiasticos statuentes, ne accedant ad eorum molendina, vel quod teneantur subditi accedere ad molendina prohibentis, docet Petrus de Anchar. quem citat, & sequitur *Boerius dec. 125. num. 4. Cancerius Var. part. 2. Var. resol. cap. 2. num. 98.* Vbi, quòd Barones non possunt prohibere suis subditis, ne eant ad molendum, nisi ad suum molendinum, dum nolunt aqu eicere vnde si non licet hæc prohibitio inter laicos, multò in nus respectu Ecclesiasticorum, vt docent *Laderch conf. 71. num. 5. Giouagn. lib. 2. consil. 29 num. 2. & 7.* quos citat, & sequitur *Gargiar lib. 2. consil. 74. num. 14.* Non valere similes prohibitiones contra Ecclesiasticos, nisi sint confirmatæ à Pontifice, sunt enim directè contra Ecclesiasticos si in eis exprimantur, vel indirectè, si prohibeantur subditi non ire, nisi ad molendina propria prohibentis, clarum enim est, per similes prohibitiones Ecclesiasticos graue damnum pati, dum perdunt molituram, quam ipsi poterant aquirere per suum molendinum. Quare vt ecclesiastici à similibus præiudicijs præleruentur, in Bulla Cœnæ Domini excom. 15. ita disponitur. Qui statuta, Ordinationes, Constitutiones, pragmaticas seu quælibet alia Decreta, in genere, vel in specie, ex quauis causa,

ia,

sa, & quouis quæsito colore, etiam prætextu cuiusuis consuetudinis, aut priuilegij, vel alias quomodolibet, fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quomodolibet restringitur, seu nostris, & dictæ Sedis, ac quaruncunq. Ecclesiarum iuribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expresè præiudicatur.

In his terminis casus nostri ***Pasqualig. Centur.*** 1.*q.*64.refert verba Bullæ, in qua sine dubio comprehenditur, trahere enim, seu instare, quòd Moniales debeant mittere suos saccos ad locum Macinæ bullandos, & ponderandos in grano, & farina est illis valde præiudiciale cum earum Iura exemptionis, & libertatis deprimantur, faciendo eas pares laicis, & subditis, ac si essent personæ laicales, & subditæ Datiarijs, seu Communitati; quod multò magis verificaretur, si laici prohiberentur ad molendum in molendinis Ecclesiasticorum Pariter læditur Ecclesia, si volentibus molere in molendinis Ecclesiarum præcipiatur, vt aliquid soluant Datiarijs, quia pauciores haberet delatores bladorum, quam si accederent sine tali onere, ***ex Calderino consil.*** 12. ***Anchar. consil.*** 13. ***Surd. consil.*** 301. ***num.*** 75. ***Sperell.dec.*** 41. ***num.*** 70.

Quare ex allatis rationibus Sanctimoniales in Domino confisæ, ab Illustrissima Dominatione vestra Iustitiam esse faciendam pro suo Monasterio sperant, sicut aliàs in simili causà ministrata fuit pro Monachis eiusdem ordinis.

CONSI-

CONSILIVM XC.

De Manutentione Sacristæ pro celebratione Missæ quotidianæ.

1 SAcerdos, cui incumbit celebratio Missæ quotidianæ à Iacobo Siliano in suo Testamento relictæ in Ecclesia S. Mariæ de Campanea Placentiæ Reuer. Fratrum Reform. S. Francisci celebrandæ, assignato eidem Salario 600. libr, conferre, & contribuere tenetur pro expensis in vsu paramentorum, vini, hostiarum, & ceræ tale stipendium quod correspondeat illis, quandocunque Sacristia non habeat annuos redditus proprios pro simili vsu.

2 Quòd autem iustè peti possit tamquam certum colligitur ex Resp. 7. Sacræ Congreg. super dubijs Decret. de celebr. Missar. illis verbis. *Ex eleemosynis Missarum celebrandarum nullam vtcunque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in missarum celebratione, nisi cum Ecclesiæ, & loca ipsa alios non habent redditus, quos in vsus earundem expensarum erogare licite possint*. Textus loquitur de administratoribus Sacristiarum, qui pro expensis nihil recipere possunt, quando Sacristia habet ad hoc proprios redditus, si ergo Sacristia Campaneæ nullos habet redditus ad hoc, iustè petit salarium æquiualens illis expensis, ac proinde illud contribuere tenetur. Neque enim verisimile est, quòd Testator voluerit celebrationem Missæ quotidianæ cum detrimento Sacristiæ, 3
immò voluisse, vt ea seruaretur indemnis contributione stipendij, cuius rei euidens argumentum est pingue salarium, nam taxatum excedit in 240, ergo de hoc excessu debet seruare indemnem Sacristiam. Quare Sacerdos iste debet contribuere æquiualens expensis prædictis, siquidem expensæ semper pertinent ad eum, de cuius vtilitate, seu interesse agitur. *Bald. in l.* Si 4
aliquando ff. de officio proconsul. Angel. in l. Turres C. *de operib. public. Grammat. consil.* 17. *Garz. de expens. & melior. cap.* 21. *num.* 30. Et ita docet *Alphonsus de Leone de offic. capell. q.* 8. *sect.* 5, *num.* 27. *& ex eo Pasqual. de Sacrif. Missæ. q.* 934. *& q.* 1176.

CONS.

CONSILIVM XCI.

An pactum Simoniacum extinguatur, ſi promiſſum detur titulo Gratitudinis.

1 SImeon habet Ius præſentandi ad Be-
neficiũ patronale;tertiusquidã ami-
cus patroni, & Clerici pactum inijt
cum Clerico, ſi dabis centum Simeoni præ-
ſentabit te ad Beneficium; promittit ille ſe
centum ſoluturum; interim Simeon dubitat,
an liceat ſibi,& Clerico hoc pactum, & edo-
cetur ab amico Theologo, quòd tale pactum
eſt ſimoniacum, vt colligitur *ex cap. De iu-*
2 *re 16. cap. Præterea 23. de iurepatr.* in qui-
bus locis tale pactum decernitur irritum, &
in dicto cap. 23. fit etiam mentio de dona-
tione; & in Trident. ſeſſ. 25. cap. 9. ita pro-
hibetur. *Nec dictum Iuſpatronatus vendere,*
aut alio quocunq; titulo in alias contra cano-
nicas ſanctiones transferre præſumere, si
ſecus fecerint Excommunicationis, & Inter-
3 *dicti pœnis ſubijciantur, & dicto Iurepatro-*
natus ipſo iure priuati ſint. Hic Barb. num.
81. in his terminis præſentationis *Viuian.*
lib 11. cap. 2. num. 4. & 5. vbi quòd talis
præſentatio eſt nulla, *per extr. com. de sim.*
Caſtropal. de sim. diſp. 3. p. 14.

4 Reſpondetur ad quæſitum non extingui
pactum ſimoniacum, ſed palliari eo titulo
gratitudinis, ſeu donationis, quia eſt im-
plicita executio pacti antecedenter initi,
ſunt enim duo contractus, vel ſaltem ſemi-
contractus ipſa executio gratitudinis; ergo
poſterior inficitur labe Simoniæ, argumen-
5 to eorum, quæ de correſpectiuitate dicit
Bart. *in l. Si neutri §. fin. de priuileg. credit.*
Felin. in cap. Paſtoralis; de reſer. deciſ. 12.
num. 7. apud Viuianum in terminis Iuriſpa-
tronatus quia actus ſubſequens præſumitur
6 correſpectiuus præcedentis, & in eius exe-
cutionem factus, *ex allegatis à Merlin. dec.*
820. *num.* 1. & in terminis gratitudinis *Caſ-*
tropal. de sim. p. 5. num. 6. excludentis Si-
moniam, excipit materiam Beneficiorum,
Quandocunque ergo actus ſunt correſpec-
tiui inducitur Simonia, *Fagnan. part. 6. ad*
cap. Tua nos, de Sim. num. 26. & cap. Præ-
terea, Ne Prælati eiues, num. 97. vt in caſu
hoc, ſe enim inuicem reſpiciunt, & cauſam
habent à Beneficio patronali, ergo adeſt Si-
monia.

Petrus Maria Paſſerinus ordinis Prædi- 7
catorum Procurator Generalis vir doctiſſi-
mus de elect. cap. 7. q. 11. à num. 196. pro-
bat non committi Simoniam mentalem
dando ſpirituale donum Benefactori tempo-
rali, vt ſatisfiat debito antidotali ex virtute
gratitudinis debito, & ex Beneficio tem-
porali orto, vbi pro ſe refert plures Docto-
res. Rationem reddit, quia non eſt illici-
tum, nec Simoniacum exequi id, quòd
debito naturali ex virtute eſt debitum; at
verò retribuere pro Beneficio temporali re-
cepto eſt debitum iure naturali, & à bene-
ficio temporali inſeparabile, ergo id perfi 8
cere licet. Sic Epiſcopus licitè remunerat
Clericos ſibi inſeruientes conferendo Bene-
ficia, modo cum illis pactum non interceſ-
ſerit ſoluendi illis mercedem collatione Be-
neficij eccleſiaſtici. In caſu autem noſtro
non eſt locus huic gratificationi, vt notum
eſt, ergo nec applicari poteſt hæc doctrina
Paſſerini, qui num. 205. & 206. ait, non eſ-
ſe licitum exigere ex pacto retributionem
gratuitam nec in ſpecie, nec in communi,
tum quia ſemper repugnat gratitudini red-
dere ex pacto; tum quia noua obligatio eſt,
& pretio æſtimabilis, ſub quo ſpirituale
promittitur. Ergo &c.

Dd CONSI-

CONSILIVM XCII.

An confiscatio bonorum habeat locum in occidente seipsum.

1 Vidam de loco Berceti territorij Parmensis repertus fuit suspensus fune in aere in propria domo, habens coronam B.V. reuolutam in bracchio prope manum, in cuius digito candelulam habebat retortam. Inquisitione factà talis homicidij auctor inuentus non fuit, vnde Iudex tulit sententiam præsumptiuam, quòd seipsum occiderit ex impatientià, & desperatione eo, quòd paulò ante Fœnile sibi incendio perierat. His positis quæritur, an eius bona sint subiecta fisco? An in eis debeant succedere consanguinei?

2 Responsio in casu nostro est negatiua quò ad primam partem, nam vt bona eius, qui sibi mortem intulit, sint fisci, requiruntur quatuor. *Primò*, quòd sibi mortem intulerit ex conscientià patrati antea criminis, quo crimen & mereatur mortem, & illi sit adiuncta bonorum Confiscatio. De crimine paret clare *l. fin. ff. de bonis eorum, qui ante sententiam mortem sibi consciuerunt.* Sic incip. *Qui rei postulati, vel qui in scelere deprehensi metu criminis imminentis, mortem sibi consciuerunt, hæredem non habent.* Quod crimen iam patratum debeat mereri mortem habetur ibidem his verbis: *ita demum bona eius, qui in reatu mortem sibi consciuerit, fisco vindicanda sunt, si eius criminis reus fuerit, vt si damnaretur, morte, aut deportatione afficiendus esset.* Quod tale delictum subiaceat confiscationi, paulo infra ibidem statuitur sic: *Ergo ita demum dicendum est bona eius, qui manus sibi intulit, fisco vindicari, si eo crimini innixus fuerit, vt si conuinceretur, bonis careret.* Et hæc reperiri non est dubitandum, cum citata lex clarè loquatur, & docent omnes cum Farinac. q. 128. de conscientià patrati criminis, *num.* 51. quod mortem mereatur, *sub num.* 75 quod habeat adiunctam confiscationem *sub num.* 77.

3 Secundò, vt bona sibi mortem inferentis, Fisci sint, necessarium est, quòd suicidium causam habeat à metu pœnæ mortis debitæ tali crimini, vt clarè dicitur in l. 2. C. Vbi causæ fiscal. his verbis: *An pater tuus mortem sibi consciuerit metu alicuius pœnæ, propterea bona à fisco vindicari debeant*, & hæc duo requisita clare exprimuntur in *l.* 1. C. *de bonis eorum, qui mortem sibi consc.* Huius requisiti Doctores citat idem Farinac. num. 51. Decianus qui *lib.* 9. *crimin. cap.* 2. *num.* 3. relato hoc requisito, dicit postea num. 6. quòd inter prædicta duo requisita, seu causas, videlicet conscientiam delicti, & metum pœnæ nulla videtur apparere differentia, qui conscius sui delicti manus sibi imposuit, non alià de causà id facere videtur, nisi vt se liberet à molestià futuræ accusationis, & multò magis à pœna infligendà. Sed reuera duo sunt, quorum posterius dependet à priori, sicut effectus à sua causa, ita pœna à delicto. Ipse Decianus apponit differentiam, quam quisque apud ipsum videre poterit, eam omitto scribere, quia parum vtilitatis est ad rem præsentem, certum autem est pœnam sequi ad culpam, & eam supponere. *l. Sancimus* 22. *C. de pœnis l. Si putator* 31. *ff. Ad leg. Aquil.*

Tertium requisitum est, quòd debet esse postulatus, seu depræhensus in crimine, vt habet expressè textus primo loco citatus *cap. fin. ff. de bonis eorum*. Et paulo infra reperitur sic: *Ergo aut postulati esse debent, aut in scelere deprehensi. vt si se interfecerint, bona eorum confiscentur*, ita ab js citatis Farinac. num. 60. Ratio est; nullus puniendus, est nec suis bonis priuandus, nisi processu proximo illo, qui à postulatione, & querela initium habet, ac proinde etiam debet constare de corpore delicti criminis perpetrati, & mortis suicidij, *ex allatis ab eodem num.* 93. 4

Denique quartum requisitum, quòd debeat esse conuictus, vel confessus de eo crimine, propter cuius conscientiam, & metum pœnæ sibi mortem consciuit, constat ex illis verbis: *Vt si conuinceretur* relat s sub textu 3. primi requisiti *Ex eodem Farin. num.* 53. Ratio est, quia nemo condemnandus est, nisi conuictus legitimè, aut confessus, *cap. l.* 2. *q.* 1. *l. qui* 16. *C. de pœnis*, deductum ex illo *Deuter. cap.* 17. *num.* 6. 5

Ex his hactenus præmissis infertur nostra responsio probata, nimirùm supradictum suipsius interfectorem suis non carere bonis, sed ea transferre ad suos hæredes, cum enim nullum commiserit delictum, inferri non potest, nec præsumi, quod sibi mortem consciuerit ex conscientia delicti, & metu pœnæ, sed omnino dicendum est, eius mortem aliunde habuisse originem, nimirùm ex infortunio incendij proprij Fœnilis, ex impatientia, ex desperatione, ac proinde in eius bonis succedere eius hæredes, & non fiscum, 6

vt cla-

vt clarè dicitur in *l.* 1. C. eod. *Ea propter fratrem, vel patrem tuum, si nullo delato crimine, dolore aliquo corporis, aut tædio vitæ, aut furore, vel insaniâ, aut aliquo casu suspendio vitam finiuisse constiterit, bona eorum tam ex testamento, quam ab intestato ad successores pertinebunt*. Concludendum ergo est in fauorem consanguineorum, bona huius qui se interfecit ex desperatione causata ab illo incendio, relinquenda esse illis, & nullo modo applicanda esse fisco, cum nulla lex, nec statutum Parmenses sit in contrarium, ac proinde standum, est iuri communi clarè disponentis bona pertinere ad consanguineos eius, qui se interfecit &c.

CONSILIVM XCIII.

De duplici potestate Episcopi Ecclesiasticà, & Laicali, quomodo illis vtatur?

1 PRælati ecclesiastici non solùm Episcopi, sed etiam Abbates tum seculares, tum regulares etiam Mendicantium, quandoq. honoris causa, & commodi Iurisdictionem laicalem adiunctam habent dignitati, sub titulo Ducatus, Principis, aut Comitis, vel alterius tituli, quæ potestates, & Iurisdictiones sicut inter se sunt omninò distinctæ, ita taliter exercendæ sunt, ne vna nō confundatur cum alia, indebità, & inutili vsurpatione, vnaquæq. enim suis terminis contenta esse debet.

2 Accidit casus talis, quòd dum Baricellus quendam reum captum in Comitatu N. dominij Episcopi sui duceret ad carceres episcopales, occisus fuit extra comitatum eiusdem Episcopi in territorio Ducali ab amicis rei capti. Dubitatur, an Episcopus per suos officiales possit formare Processum contra interfectores sui Baricelli, & procedere contra illos pœnis tum corporalibus, tum spiritualibus Censurarum?

3 Et videtur esse respondendum affirmatiuè per ea, quæ habet Marta de Iurisd. *part.* 3. *cap.* 1. Vbi probat, Episcopum quoslibet suam iurisdictionem perturbantes posse excommunicare, & alijs pœnis etiam temporalibus afficere *per l. Vn. ff. Si quis ius dic. non obtemp.* Et de Excommunicatione, *ex cap. Dilecto 6. de sent. excom. in 6.* & ex Bulla Cœnæ Domini, perturbantes Iurisdictionem ecclesiasticam ipso iure sunt excommunicati, *sub* 14. *Vers. Nec non, qui.* Hæc, & alia subijcit Marta. Sed his non obstantibus.

4 Respondendum est, Episcopum non posse procedere contra interfectores sui Baricelli nec gladio spirituali, nec temporali.

5 Probatur, quia certum est Episcopum in hac causa procedere non posse Iurisdictione ecclesiasticà, cum sit mere temporalis, & laicalis tam respectu Baricelli, quam capti iam fugitiui, cum totum hoc factum originem habeat à potestate, & Iurisdictione Comitiali, & non ab Episcopali Iurisdictione, vt patet ex facto narrato, ergo non potest in causa procedere vt Episcopus contra interfectores, & sic nec vti Iurisdictione spirituali eos excommunicando.

6 Neque enim debet fieri extensio ab vna specie Iurisdictionis ad aliam speciem, sed vnicuiq. assignandi sunt proprij actus, & operationes, vt dixerunt *Bartol. in l. Inter conuenientes ff. ad Manic. & Bald. in l. Recepta C. de Episcop. apud Martam part.* 4. *cap.* 184. *num.* 8. Deus enim has duas potestates inter se distinxit, *cap. Denique* 5. *cap. Cum ad verum* 6. *dist.* 96. vnde non licet eas coniungere, nec simul confundere, *ex eodem Marta part.* 4. *cap.* 123. *num.* 10.

7 Non solum non debent confundi, nec misceri simul hæ Iurisdictiones, quæ sunt diuersæ speciei, immo nec si essent eiusdem speciei, Episcopi enim, quibus sua diœcesis attributa est, ne in Ecclesias, quæ extra fines suos sunt, se ingerant, neue Ecclesias confundant, vt statuitur in prima Synodo Constant. cap. 2. multò minus talis confusio exercenda est in casu præsenti, vbi Iurisdictiones non sunt vnius speciei.

8 Adeo id verum est, vt si Episcopus duas diœceses habet inter se distinctas vnicuiq. assignatis proprijs Vicarijs, & Iudicibus, non possit confundere eorum potestates trahendo delinquentes ab vnà diœcesi, in qua deliquerunt ad aliam, vt docet *Mendos. cons.* 27. *Vers. Tertium capat, num.* 6. *apud Rotam part.* 4. *tom.* 3. *dec.* 537. *num.* 6.

9 Et id clarè deducitur in nostris terminis *ex cap. fin Ne cler. vel mon. in* 6. vbi decernitur, quòd Episcopus, siue quilibet alius Prælatus vel Clericus habens Iurisdictionem temporalem, si in sua Iurisdictione temporali committatur delictum morte dignum, ipse deleget, siue iniungat alicui, vt procedat in causa, adeo quòd morte secutà, per hoc Episcopus, nec alius delegans causam fiat irregularis. De qua re late *Rodriq. tom.* 2. *q.* 62. *art.* 9. *Sayr. lib.* 6. *cap.* 18. *num.* 17. *& in Claui Regia lib.* 7. *cap.* 11. *num.* 3. Cum ergo per seipsum non possit agitare causam sanguinis, sed per delegatum à se, ex hoc textu, & quidem potestate, tantùm temporali, & non ecclesiasticà, sequitur non posse vti gladio spirituali contra perturbatores suæ Iurisdictionis temporalis, quæ perturbatur, & non Spiritualis, quæ in hoc casu non consideratur, neq; enim a Iurisdictione temporali infertur ad spiritualem & ecclesiasticam, *Rota part.* 7. *dec.* 197. *num.* 2. *& part.* 9. *decis.* 220. *num.* 9.

10 Quòd nec temporaliter, seu corporaliter possit procedere contra præfatos interfectores, licet sint subditi eius in temporalibus quò ad præsens negotium, prescindendo à spirituali Iurisdictione, quæ hic non potest consi-

considerari, cum causa ad eum pertineat tantùm vt comes est, non vt Episcopus, probatur concludenter.

11 Et primò ex ipso textu cit. cap. Episcopus 3. *& fin. Ne cler. vel mon. in 6. Si homicidio, aut alio maleficio ab aliquibus in Iurisdictione sua commisso*. Ergo si delictum sit commissum extra suam Iurisdictionem, vt in casu nostro commissum fuit extra comitatum, non habet potestatem Comes procedendi nec per se, nec per alium contra interfectores, vt notant Doctores allegati à Barbosa super dictum caput.

12 Secundò, quia vt Iudex exerceat munus suum per se, vel per alium in foro externo, necessarium est, vt delictum sit factum intra suum territorium, & non extra, Iurisdictio enim contentiosa cohęret loco & territorio, & vltra non se extendit, *l. fin. C. Vbi de crimi. agi oporteat, vbi Bartol. & Bald. Alex. vol. 4. consil. 35. num. 19. Barb. ibidem num.* 10 Nam committens delictum in alieno territorio subditur Domino illius territorij ratione delicti, *Abbas in cap. A nobis, de foro compet. num. 7. & cap. fin. eod. num. 39. Couar. in cap. Alma mater part. 1. §. 10.* Iurisdictio enim non extenditur de loco ad locum, Giurba multis allegatis *consil. crim. 59. num. 19.*

Demum communissima opinio est, quòd 13 Iudex non potest procedere contrà suum subditum, qui crimen perpetrauit extra eius territorium, *Decianus lib. 4. cap. 16. num. 2. Farinac. q. 7. num. 19. quos cum alijs citat Guazin. Defens. 1. cap. 14. num. 1.* Et quamuis adsit contraria opinio, vt videri potest apud citatos, tamen de priori dubitandum non est in casu nostro, cum textus dicti cap. fin. sit clarus litem decidentis opinantium per allata superius hæc verba: *In iurisdictione suà commisso*. Ratio est, quia sufficit vnicuiq. Iudici suum expurgare territorium.

Ad rationem dubitandi respondetur, allata à Marta non obstare, nam in illa leg. 14
Vn. solùm dicitur, quòd nolentes obtemperare Iudici possunt cogi pœna edictali. In cap. Dilecto loquitur de defensione personæ, & bonorum per censuram Excommunicationis, in casu nostro non offenditur Comes, nec eius bona. Demum in Bulla Cœnæ Domini excommunicantur perturbantes Iurisdictionem ecclesiasticam non verò temporalem.

CONSI-

CONSILIVM XCIV.

An taciturnitas Copulæ ante Matrimonium habitæ inter Consanguineos, seu Affines irritet dispensationem Consanguinitatis, seu Affinitatis.

1 Negatiua est responsio. Tum quia Incestus non est impedimentum contrahendi Matrimonium vt notum est, & licet impediat, sed non dirimat, non ideo est Incestus exprimendus, quia in sententia omnium, Episcopus potest dispensare in Impedimentis non dirimentibus, *Bonac. q. 3. de Matrim. p. 15. num. 2.* Tum quia taciturnitas veritatis, quæ si fuisset expressa, dispensationem reddidisset faciliorem, non facit concessionem subreptitiam, Glos. V. Literas, cap. Super literis 20. in fine dicit: *Et generaliter vbicunq. solam veritatem tacuit, vel talem falsitatem expressit, qua tacita, vel expressâ Papa literas non dedisset, rescriptum inutile est.* Ibidem *Decius num. 9. Berous num. 8. Fagnan. ibidem num. 63.* Sed Papa si in hoc casu expressus fuisset Incestus, non negasset dispensationem, sed facilius dedisset, vt orator remoueretur ab occasione peccati, ergo non vitiatur dispensatio.

2 Tum quia nullo iure decernitur, copulam incestuosam esse exprimendam, vnde in Reg. 48. Cancell. de Dispensat. in gradib. consang. dicitur. *Voluit, quod in literis dispensationum super aliquo gradu consanguinitatis, vel affinitatis, aut aliàs prohibito, ponatur clausulâ; Si mulier rapta non fuerit. Et si scienter, ponatur clausula addita in quaterno.* Cum autem nihil dictum sit de Incestu, signum est, eius expressionem non esse necessariam. Tum quia responsa Sacræ Congregationis intelligenda sunt de Incestu publico, & probato iuridice, non de occulto, nemo enim tenetur propriam turpitudinem reuelare. Vel dic eis non esse credendum si autentice non exhibeantur ex Decreto Vrbani VIII. apud Dianam part. 11. tract. 8. resol. 53. immo *Fagnan. part. 2. ad cap. Cum Ecclesia, de elect. num. 16.* ab illis recedit. Vel dic, quandoq. oratores exprimere Incestum sic e doctos per tenentes opinionẽ contrariam, ac proinde mirum non est, si expediantur iuxta petitionem.

3 Hanc opinionem tenent *Nauar. consil. 2. de spons. alias consil. 10. fine. Salcedo ad Diaz cap. 126. Vers. vnde merito, Ouandus in 4. dist. 41. disp. Vn. ante 12. propos. Sa disp. num. 11. Henriq. lib. 12. cap. 2. num. 7. P. de Ledesma de matrim. q. 56. art. fin. dub. 2. diff. 3. Rodriq. tom. 2. cap. 238. num. 8. Vega tom. 2. cap. 34. casu 97. Basilius Poncius lib. 8. cap. 17. §. 6. num. 32. Gaspar Hurtad disp. 26. de matrim. diff. 5. Zeballos q. 737. num. 6.* Quos contra se citat *Castropal. de sponsal. disp. 4. p. vlt. §. 3. num. 2.* Hanc sententiam probabilissimam, & tutam vocauit *Diana part. 1. tract. 10. de legib. resol 44.* Addendo Costam, Gutierez, & Villalobos, & part. 8. tract. 3. resol. 81. Vers. Sed hoc, vbi citat *Auersam de matrim. q. 19 sect. 6. Ochagauiam tract. 4. q. 11. num. 4. Perez disp. 46. sect. 6. Prepositum par. 3. q 8 dub. num. 41.* Diana ibidem respondet argumentis oppositæ opinionis Quibus addo Gabrielem à S. Vincentio Carmelitam Discalceatum *de Matrim. disp. 9. q. 9. num. 76.* Habeo igitur pro hac opinione decemnouem Doctores, qui graues sunt, & opinio iam probata est in sua euidenti probabilitate, quam dictus Auersa Vers. *Negant*, appellat in rigore veram, & in praxi tutam.

Opposita opinio est quidem magis communis nullo tamen nititur iure, sed solo contenta est stilo Curiæ Vrbis, quæ solet expedire dispensationes in Datariâ cum hac clausulâ: *Dummodo non intercesserit copula.* Quare facienda est mentio copulæ in petitione dispensationis, aliter nulla & inualida est. Ita *Sanchez lib. 8. disp. 25. num. 8. Castropal. de Sponsalib. disp. 4. p. vlt. §. 3. num 4.* Procedit, si copula est publica, nam si est occulta, non presumitur Papa velle id cedere in ignominiam petentium dispensationem, vt docent *Sanchez & ex eo Castropal. cit. num. 6.* Vnde interrogati cum iuramento super copulam, si est occulta, possunt respondere æquiuocando, non enim tenentur suam reuelare turpitudinem, nec placet, quòd adiungitur ex illis *Riccius part. 4. resol. 536. & part. 4. decis. 38.* vti posse æquiuocatione in casu, quo nolunt 4

redhi-

adhærere dispensationem fori externi, sed recurrere ad sacram Pœnitentiariam, quia nullibi in iure inuenio hanc obligationem ad eam recurrendi, cum ex priori opinione non sit opus aliâ dispensatione, ex quo illa non redditur nulla ex taciturnitate copulæ, ex allatis Doctoribus, Sanchez num. 15. in illorum sententiam.

6 Hos sequitur Eminentissimus Laurentius Brancatus à Laurià Scotista in 4. Sent. disput. 38. art. 8. num. 241. vbi pro se citat Sanchez, & Corradum in praxi dispensat. lib. 7. cap. 3. limitantes, quando Copula est publica, quæ exprimenda est, aliter nulla est dispensatio, idem Brancatus *num.* 242. & 263. illos sequitur paucis Bartolomæus Mastrius Meldulensis Scotista *in* 4. *disp.* 7. *q.* 20. *art fin. num.* 522.

7 Demum, quòd neq. exprimenda sit copula habita ad finem facilioris dispensationis docet Auersa eàdem *q.* 19. *sect.* 6. *Vers. Quod si sponsa* citans pro se Sanchez lib. 8. disp. 25. num. 12. limitantem si vterq; sponsus talem habuit finem subdit Auersa *Vers. Verum*, copulam esse exponendam, quando illa est præcisa causa obtinendi dispensationem.

8 Ex his infertur, posse Episcopum, seu eius Vicarium Generalem executioni demandare apostolicam dispensationem sibi commissam, quandocunq. copula est occulta, nondum iudicialiter probata, sic enim intelligitur illa claus. *Dummodo copula inter eos non intercesserit.* vel alijs similibus verbis, dum enim Dataria expedit dispensationes matrimoniales, & alias pro foro externo, non se ingerit in causis fori interni, & conscientiæ, consequenter ea clausula limitatur ad Copulam iudicialiter notam, vt docent Auctores initio citati pro hac opinione, quam sequimur, & sic quoq. docet *Sanchez num.* 12.

Prædictis fortiter obstare videtur Pas- 9
qualigus *in singular. selectis q.* 184. vbi multis probat, quando extant opiniones contrariæ, quantumuis ambæ valde probabiles, in eo casu omnino sequendam esse eam, quæ est conformis stilo Curiæ Romanæ, & quia stilus declarat mentem Papæ; & quia Curia facit Ius, & pro vtraq. ratione refert iura, & rationes. Respondeo nostram opinionem non aduersari stilo Curiæ, quia in casu nostro loquimur de copulà occultà non exprimendà in petitione Dispensationis, sicut exprimenda est copula publica, & probata, de qua tantùm est stilus, vt dictum est superius, quare nostra opinio non aduersatur stilo.

CONSI-

CONSILIVM XCV.

An Iudici Vicario ab Abbate dandum sit Salarium.

1 Reuerendissimus Abbas insignis col-
leggiatæ S. Petri Oppidi Guastallæ
Mitratus, Ordinarius, & habens
Iurisdictionem quasi Episcopalem in Oppi-
do prædicto, & suo Territorio, quamuis pos-
sit commodè per seipsum exercere non so-
lùm animarum curam, sed etiam tempora-
liter administrare Iustitiam in suos subditos;
nihilominus ei à iure non prohibetur electio
Vicarij Generalis, tenetur tamen Abbas de
suis redditibus tribuere salarium, adeo quòd
nullo modo potest illud accipere à Reis, pe-
tendo ab eis sportulas, vt faciunt officiales
seculares. Singula probantur.

2 Primum, quòd sit Mitratus cum potestate
ordinaria quasi Episcopali, testatur *Ciarlin.
cap. 20. à num. 26. ad* 30. obtinet enim vti
secularis Abbas Beneficium ecclesiasticum
cum titulo Abbatiæ, *cap. Cum de beneficio,
de prabend. in 6.* vtens annulo, mitra, & ba-
culo pastorali, quæ dignitas est episcopali
proxima, de qua *Barbosa lib. 1. de iure ec-
clesi. cap. 17. num. 18. & 19.* Dicitur Ordina-
rius, & Iudex in omnibus suis Ecclesijs sibi
subiectis, *ex allatis ab eodem Barbosa num.*
8. non minus ac Episcopus in suis, *Angel.
Aretin. consil. 99. Tusebus lit. A. concl.* 11.
initio, ibidem; & de his Abbatibus exem-
ptis idem Barb. à num. 95. vsque ad finem,
multa dicit circa eorum iurisdictionem, licet
nihil tangat de constitutione Vicarij.

3 Secundum, quòd per se commodè possit
ministrare Iustitiam Clericis, & laicis, patet
ex districtu cingente territorium per quatuor
mille passus, ex paucitate Parochialium,
quæ sunt quinque, Sacerdotum, qui sunt
90. cum aliquibus Clericis; Episcopi verò
Clerus, populus, & diæcesis magna, & va-
sta esse solet, ideò Ius illi exhibuit Vicarium
Generalem, quem tamen sibi eligere non
tenetur, quando per se ipsum munus suum
exercere potest, sine præiudicio omnium sibi
commissarum, ex responso Sacræ Congreg.
4 & alijs allegatis à dicto *Barb. lib. 1. cap. 15.
num. 16.* A fortiori Abbas deberet per seip-
sum Iustitiam ministrare, quia ad mercena-
rium non pertinet de ouibus, sed de lana, &
caseo, officium ergo est Pastoris pascere
oues.

5 Tertium, quòd Abbas exemptus, & Nul-
lius, vt is, possit sibi eligere Vicarium, nul-
libi prohibetur, ergo eum sibi eligere potest,
concessum enim videtur, quod non est ad-
emptum *l. Si Sticho 54. ff. de peculio, cap.* 6
*Sunt nonnulli 25. 16. q. 1. cap. Iam nunc 8.
28. q. 1.* Nam certum est, habentem potes-
tatem Ordinariam in se, posse eam commit-
tere, & delegare alteri, & sic constituere 7
eum sibi in Vicarium, *l. More 5. l. Eum 13.
ff. de iurisd. om. Iud. Aut. Ad hac C. de iudic.
cap. fin. de offic. Ordin. cap. Cum Episcopus
7 eod. in 6.* Constat autem Abbatem Guas-
tallæ esse ordinarium in suâ Ecclesiâ, & terri-
torio, ergo potest sibi eligere Vicarium, qui
pro se Iustitiam administret suis subditis, de
quare non est dubitandum, inquiunt enim
Nauar. tom. 2. com. 3. num. 22. quod omnis
Prælatus potest sibi eligere Vicarium, *Silu.
V. Vicarius num. 1. Angel. V. eod. num. 5. &*
7. & magis in hisce terminis *Sbrozius de
Vicario Episcopi lib. 1. q 3 num. 39.* plures
citans. Quæ hactenus dixi valde placebunt.
Reuer. Abbati, forsan sequentia displice-
bunt, sed si attentè ad ea diriget suam con-
scientiam, vt spero, contentatus erit.

Quartum, quòd Reuerendissimus Abbas 8
debeat illi dare salarium ex suis redditibus
ecclesiasticis, quòd sine dubio meretur, ius-
tum namque est, vt illi consequantur sti-
pendium, qui pro tempore suum commo-
dare reperiuntur obsequium *Cap. Caritatem
12. q. 2.* & quia à domus eligitur repelli non de- 9
bet à mercede, *cap. Cum secundum 16. de
prabend.*

Nemo enim cogitur militare suis stipen- 10
dijs, *Paulus ad Corinth. 1. cap. 9. num. 7.*
sed operarius dignus est mercede sua, *ex
eodem Apostolo 1. ad Timoth. 5. num.* 18. Pro-
batur, quia non Rei, ergo Abbas, tenet
consequentia, quia nullus alius tenetur sa-
larium soluere.

Quod illud soluere non teneantur Rei 11
condemnati titulo sportularum probatur.
Tum quia id infertur ex etimologia huius
vocabuli *Sportula*, nam Glos. *V. Disposita,
Auth. de Iudicib.* expensæ appellabantur
Sportulæ, quia ponebantur in sporta, &
conseruabantur per Fiscum, & sic de publico
dabatur merces, seu salarium Iudicibus, er-
go non ex pecunijs Reorum. Tum quia af-
flictio non est danda afflicto, ex illo Naum
cap. 1. num. 9. *Non consurget duplex tribu-* 12
latio, cap. *Cum percussio 2. 7. q. 1 cap. Sunt
42. dist. 3. de Panit.* Sufficit ergo pœna tri-
bulationis. Tum quia ab eo debetur mer-
ces, & salarium Vicario seu alteri quomo-

Digitized by Google

docunque conducto à se, vt patet conducens enim ex hoc contractu se obligat ex natura rei, nemo enim censetur velle gratis alteri seruire, cui non tenetur; sed Vicarius non fuit electus, nec vocatus, nec conductus à subditis, sed ab Abbate, ergo hic, non illi, debet soluere salarium.

13 Restat ergo, quòd solutio salarij danda sit ab Abbate, qui conduxit Vicarium. Probatur. Tum ex titulo electionis, & conductionis, Vicarius enim suas operas locauit Abbati, cui gratis seruire non cogitur, *ex cap. Cum ex officij 16. de præsumpt.* quia vt dixi, nemo cogitur militare suis stipendijs. Tum ex tit. Ne Prælati vices suas &c. finis

14 enim, cur Sacri Canones sub dicto titulo prohibent, ne Prælati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu vendant, non solum est, vt Simoniam euitent, quæ incurritur vendendo spiritualem Iurisdictionem, vt docet *Glos. V. Pretio, cap. 2. & V. Regimen statuatur cap. 3. eod.* verum etiam, quia id est in grauamen Sacerdotum, & redundat in subuersionem iudiciorum *ex cap. 2. eod.* ille enim, cui conceditur sub annuo censu Iurisdictio; omnem adhibet curam, vt col-

15 ligat in Iudicijs exercendis non solùm censum Prælato soluendum, sed etiam exigit pro se salarium pro suis laboribus, quare Vicarius conductus sine salario est in præiudicium Clericorum, & populi, & contra eos subuertit Iudicium, ideò Prælatus salario constituto de bonis suæ Ecclesiæ debet. His malis occurrere. Tum quia congrua à Prælato de suis Ecclesiæ redditibus assignanda est Vicario, vt de illis viuere possit, ne grauet populum, *Rota par. 6. dec. 230. part. 7. decis. 304. Merlin. dec. 817. Ludouis. dec. 429.* & ibidem in Annotat. alijs citatis, quòd est constituenda super certis, non autem super incertis. Tum quia ad id facit *Reg.*

16 *55. in 6.* Commodum sentiens, & onus sentire debet; non enim ferendus est, qui lucrum amplectitur, & onus subire recusat, *l. Vn. §. Pro secundo, in fine C. de Caduc. toll.* Certum quoque est Episcopum de suis redditibus ecclesiasticis debere salarium conferre suo Vicario, *Glos. V. quantitate, cap. 1. & V. Regimen statuatur cap. 3. Ne Prælati vices suas, Seraph. decis 849. Barb. ad cap. 1. Ne Prælati, num. 5. & lib. 1. de iure eccl. cap. 15. num. 46. Sbrozzius de offic. Vicar. lib. 1. q. 55. & lib. 3 q. 54. num.*

17 *3. Pagnanus par. 6 ad cap. Quoniam, Ne Prælati, num. 8.* multis Iuribus, & Doctoribus citatis, *qui part. 7. ad cap. Presbiteri de Pœnis num. 36.* refert Sacram Congregationem declarasse, nullam portionem ex pœnis pecuniarijs assignari posse Vicario Episcopi tamen si ipse Episcopus egeat, potest eas sibi applicare, quia ordinata caritas est illa, quæ incipit à se, *l. Præses 6. C. de seruit. & aqua Merlin. decis. 458. num. 23.* Et ita docet multis citatis *Fagn. ad dictum cap. Presbiteri num. 18. Grattan. cap. 561. num. 8.* Si ergo Episcopus de suo debet dare salarium Vicario, à fortiori Abbas, qui est inferioris conditionis non solùm dignitate, sed etiam occupatione, cum longè minorem populum habeat sub sua Iurisdictione.

Demùm id clarè colligitur *ex cap. Cum ab omni 10. de Vita, & honest. cler.* vbi Iudices Ecclesiastici, & delegati prohibentur accipere decimam, vel quotam litis, seu sportulas, derogando consuetudini in contrarium, vbi de hac relate *Barb. num 9. vbi Glos. v. Præter expensas*, dicit, quòd Ordinarius dans delegatum debet ei de suo facere expensas *ex cap. Inter cætera, de offic. ordin.* 18

Quod si Abbas opponeret consuetudinem, seu suam paupertatem, aut ita conuenisse cum suo Vicario, ac proinde licitè accipere suum salarium ex Sportulis Reorum. Respondetur. 19

Ad primum, consuetudinem in hac materiâ, vt ecclesiastici sportulentur maximè in criminalibus non posse subsistere, cum sit perniciosa Reipublicæ, ac proinde euellenda, *cap. Mala 3. dist. 8.* consuetudo enim à lege reprobata non potest vires recipere, etiam obseruata vltra 40. annos, nisi probetur scientia specifica, & patientia Papæ, *ex Cardin. & alijs Fagnan. part. 2. ad cap. Dilectus de off. ordin. num. 21.* Non debet extendi in damnum tertij, *Rochus de Curte de consuet. num 316. cum alijs Mar. Antoninus lib. 1. resol. 102. num. 24.* Nec in ſuitur ex actibus coactis, & extortis, *Natta lib. 1. cons. 106. num. 12. Rota par. 3. dec. 616. num. 3.* 20 21 22

Ad secundum, nec excusat Abbatem paupertas, cum sit valde diues, præter enim Beneficium Abbatiale, obtinet quinque alia Beneficia satis pinguia, quorum redditibus potest manutenere Vicarium, qui in illo est potius voluntarius, quam necessarius, cum per se ipsum commodè possit regere Ecclesiam in temporalibus, & spiritualibus. 23

Ad tertium, non est licita conuentio, quòd gratis seruiat, cum graui præiudicio subditorum, vt nonnulli iam experti sunt expostulati vsque ad corticem, vt præfertur. Iustitia demum non patitur, vt oppressus sentiat onus, & incommodum, quòd subire debet alter, satis enim manifestum est, quòd Abbas, non Clerus, nec populus vocauit Vicarium, qui cum seruiat Abbati, ab eo mercedem recipere debet. 24

Et ita esse sentiendum &c.

CONSILIVM XCVI.

De erectione Altaris S. Ignatij, an sit Beneficium?

1 IAcobus de Nigris anno 1620. auctoritate Reuer. D. Abbatis Ecclesiæ Ciuitatis Guastallæ habentis iura quasi Episcopalia, erexit Altare S. Ignatij in Ecclesiâ Parochiali S. Martini cum obligatione nonnullarum Missarum celebrandarum in dicto Altari per Sacerdotem Capellanum nominandum, & eligendum per seniorem descendentium à dicto D. Iacobo. Præsenti autem anno 1667. vacauit Capellania per mortem D. Petri Struchæ, in cuius locum Cæsar de Ghisulfis nominauit D. Doctorem Benedictum in Capellanum, cui à D. Vicario Abbatiali collata fuit Capellania, & relaxatum Mandatum ad immissionem. Antequam verò ille mitteretur in possessionem monitus D. Franciscus Cagnolatus vti senior institit coram eodem Vicario protestando de nullitate prædictorum actuum, & ab eo obtinuit decretum Superfessorium, & vlterius processum non fuit.

2 Circa id sequentia consideranda sunt, & inspicienda ad fauorem D. Cagnolati contra D. D. de Ghisulfis. *Primò*, quid sit hoc Altare, seu Capellania, an Beneficium simplex qualificatum iurepatronatu, an simplex Capellania merè laicalis. *Secundò* quid importent illa verba: *Che la nominatione, & elettione del Capellano di detto Altare douesse spettare al piu vecchio de parenti, e descendenti del soddetto Giacomo?* *Tertiò*, an fuerit necessarium proponere edictum vacationis Capellaniæ ob mortem Capellani? *Quartò*, an nominatio Ghisulfi fuerit inualida? *Quintò*, an quoq. talis fuerit acceptatio nominationis, & collatio Capellaniæ *Sextò*, an nullum quoq. fuerit mandatum relaxatum de immissione? *Septimò* demum, an tenuerit decretum superfessorium obtentum à Cagnolato?

Prima Inspectio.

3 Hæc Capellania est propriè Beneficium, & Iuspatronatus. Primum probatur, quia habet requisita sex ad Beneficium ecclesiasticum nam primò est erecta auctoritate Abbatis; secundò habet titulum spiritualitatis S. Ignatij; tertiò, non potest conferri nisi Clerico; quartò, de facto collata fuit à Vicario, vt patet ex actis licet nullis; Quintò, collatio fuit facta in perpetuum, vt patet
etiam ex morte vltimi Capellani; Sextò
demum, hæc Capellania non retinetur neq
à conferente, nec à nominante, sed tertio
datur. Hæc requisita in omni Beneficio
ecclesiastico de communi docet *Felin. in*
cap. Nostra de Rescr. num. 9. & ex eo Iulia-
nus Viuianus de iurepatr lib. 1. cap. 1. num.
61. ad 66. reperiuntur in hac Capellania, vt
patet supra, ergo irrationabile est super ea 4
dubitare, & vocare eam simplicem Capel-
laniam, simplex enim Capellania dicitur
illa, quæ non confertur ab Episcopo, neq;
alio Prælato habente iura quasi Episcopalia,
sed ab alijs, immo laicis, cum sint laicales
institutæ scilicet, & collatæ à solo instituen-
te sine auctoritate ecclesiasticâ, vt docent
Gonzal. ad Reg 8. *Glos. 5 num. 20. Garz.*
part. 1. de Benef. cap. 2. num. 81. cum alijs Ca-
stropal part. 2. tract. 13. disp. 1. p. 6. num. 1. 5
hæ enim non merentur nomen Beneficij,
cum sint officiaturæ, quæ etiam à laicis
conferuntur, vt patet ex praxi, & insinuat
Rota part. 4. tom. 1. dec. 571. num. 1. & clarius
part. 2. dec. 254. Et in dubio presumitur Ca-
pellania potius Beneficium ecclesiasticum,
Merlin. dec. 501. num. 7. cum. Gonzal. Glos. 5.
num. 50 Lara de Anniuers. lib. 2. num. 59.

Alterum, quòd scilicet hæc Capellania 6
sit Iuspatronatus, manifestè probatur ex
definitione ipsius competente illi, nam Ius-
patronatus in sententiâ omnium apud Vi-
uianum *lib. 1. cap. 1. num. 42. & cap. 2. per to-* 7
tum, *Castropal. disp. 2. p. 2.* est potestas no-
minandi, seu præsentandi Clericum coram
Ordinario, qui illi conferat Beneficium, seu
instituat in illo fundato auctoritate Ordina-
rij a Patrono super suis bonis, vnde sic ap-
pellatur, quia de bonis patrimonialibus eri-
gitur, *Viuian. lib. 1. cap. 3. num. 11.* vbi etiam 8
vocatur Capella, quo nomine sepius vtitur
cum alijs Doctoribus. Hæc autem omnia
inueniri in hac Capellania nullus fanę men-
tis de ea bene informatus ex lecturâ Testa-
menti, & approbatione facta ab Ordinario
Guastallæ, id negare potest. Constat er-
go ex hac primà Inspectione hanc Capella-
niam esse Beneficium ecclesiasticum propriè
dictum, & patronale. Accedamus ad reso-
lutionem secundæ.

Secunda Inspectio.

9 In hac explicanda sunt hæc Testatoris
verba: *Che la nominatione, & elettione del
Capellano di detto Altare douesse spettare al
piu vecchio de parenti, e descendenti.* Nomi-
ne *Senioris* sine dubio venit natu maior, qui
habet maiorem ætatem, ex allegatis à Rota
par. 8. decis. 209. num. 5. Hoc autem com-
paratiuum *Senioris* respicit tantùm perso-
nas, quæ præsentare possunt ibi. *Mancan-
do la linea de parenti, e descendenti da esso*
10 *M. Giacomo, tanto de maschi, quanto di
femine, al più prossimo, e più vecchio de
quali s' aspettarà l' elettione di detto Capel-
lano, s' aspetti alla Vener. Compagnia &c.*
Excluditur ergo præsentandus à compara-
tione, cum seipsum nemo præsentare pos-
sit, *cap. Per nostras 26. de iure patr. Rota*
11 *part. 7. dec. 29. num. 20. Riccius part. 1. re-
sol.* 190. Et sic eius maior ætas non potest
supplere ætatem minorem, & eam augere in
Cæsare in præiudicium Cagnolati, qui est
senior in se contra Cæsarem prætensum
præsentatorem, qui tamen reuera non est
cum sit ætate minor. Non attenditur ergo
linea sub ratione vnius, quando testator
vult, quòd vnus tantùm ex descendentibus
à se, nominet Clericum, sed solùm quando
plures seniores debent simul nominare, vt
12 docet *Viuian. lib. 4. cap. 2. num.* 30. & cum
mens Testatoris omnibus modis seruanda
sit, *cap. vltima 4. 13. q. 2.* maximè in casu
nostro, in quo Testator vult, quòd senior
præsentet, & eligat Capellanum, ac proin-
de excludit quoscunque alios à se descen-
dentes. Et licet in nominante requirat duas
conditiones comparatiuas proximitatis, &
senectutis, non obstat puritas proximitatis,
dum ambo competitores Cæsar, & Francis-
cus sunt consororini, quia cum vnus alium
non excedat in hac qualitate proximitatis,
hæc non attenditur, sed alia nempe *Senec-
tus*, in qua est excessus, qui facit vnum
præualere in nominatione cum exclusione
13 alterius, par enim non agit in parem, nec
imperium habet, *cap. Innotuit 20. de elect.
l. Nam Magistratus 4. ff. de arbitr.* sed for-
tior superat, & vincit minus fortem, Lucæ
11. 22. *Si autem fortior eo superueniens vi-
cerit eum.* Nominatio ergo, & electio Ca-
pellani spectat ad Cagnolatum vti Senio-
rem inter proximiores.

Tertia Inspectio.

14 Edictum sine dubio proponendum, &
affigendum erat in hac vacatione pro no-
minatione, & electione Capellani, *cap. fin.
de elect. in 6.* & ibidem redditur ratio, dum
nullis vocatis, & non discusso negotio per
repentinam confirmationem cito, contra
doctrinam Apostoli imponit manus electo.
Subiungit Nos volentes huic morbo, &
fraudibus obuiare sancimus confirmationes
tales viribus omninò carere &c. Per edictum
ergo vocandi, & citandi erant habentes in-
teresse in hac nominatione, & electione, vt
etiam ibi insinuat Glos. V. Tales, ad eum 15
enim finem edicta affiguntur ad monendum
competitores, & inter se habentes, vt pos-
sint dicere, & opponere contra personas
nominantes, & eligentes, & contra elec-
tum, quantum opus est, vt omnia rectè, &
legitimè fiant, vt docet in terminis Iurispa-
tronatus *Viuian. lib. 9. cap. 1. num. 2. ex Bo-* 16
*cho de Curte, de iurepatr. V. Honorificum q.
38. num. 69. Lambert. lib. 2. de iurepatr. part.
2. q. 6. art. 2.* Aliter eius omissio nominatio-
em, & electionem reddit nullam, *ibidem* 17
*Viuian. num. 6. ex Bellamera dec. 611. Verall.
pat. 1. dec. 95. Seraph. dec. 399. Riccius part. 1.
resol.* 153. & institutionem, *Hieron. Gabriel
lib. 1. consil. 199. num. 2. Perez de Lara de
Anniuers. & Capellan. lib. 2. cap. 10. num. 31.
cum alijs Barb. ad dictum cap. fin.* Et certè
citatio & edictum non poterat omitti in hac
vacatione nisi cum præiudicio graui D. Ca-
gnolati, qui in ea habet interesse, vt patet
de mente Testatoris, qui expressè vult, &
mandat, vt nominatio, & electio de Ca-
pellano fiat per Seniorem patronum, ergo
de necessitate vocandus erat, *l. De vnoquoq.* 18
*ff. de re iud. l. Quod maior ff. de municip. per
Doct. in cap. cum omnes, de constit. Clem. sepe
de verb. signif. Caputaq. part. 2. dec. 375. nu.
2. apud Rotam part. 8. decis. 97. num. 4. part.
10. dec. 224. num.* 10. cum ipse sit *Senior* inter
eos, qui possunt nominare.

Quarta Inspectio.

Dominus Cæsar nominauit, & elegit in 19
Capellanum Sacerdotem Doctorem Bene-
dictum Ghisulphium, vt ex actis constat,
nullo præmisso edicto, nec citatus fuit D.
Cagnolatus, qui tamen citandus erat, ac
proinde sequitur, præfatam nominationem
& electionem Capellani fuisse nullam, *ex
cit. cap. fin. de elect. in 6. Viuian. lib. 9. cap. 1.* 20
per totum, non solùm defectu citationis, &
edicti, sed etiam, quia seruata non fuit
forma præscripta à Testatore, cuius disposi-
tio pro lege habenda est ex citatis à *Pasq.
q. 240. num. 4. in Auth. de nupt. §. Disponat,
& l. in conditionibus primum, ff de cond. &
dem.* præscribente in suo Testamento, quòd
nominatio, & electio fiat à *Seniore*, quod
cum factum non fuerit, fuit nullius roboris
facta à Ghisulfio, *Riccius part. 1. resol.* 157. 21
Rota part. 9. decis. 47. num. 20. decis. 61. num.
3. Præsentatio enim, seu nominatio in idem
enim recidunt, *Viuian. lib. 5. cap. 1. num.* 51.
facta à personà non legitimà, nullius mo-

menti est, *ex Campanili diuers. iur. Can. Rubr.* 11.*cap.*17. *num.*376. *Garz. part.*7.*de Benef.cap.* 15.*num.*35. *Rota part. 9.tom.*2. *dec.*446.*fine.* Non enim habebat qualitatem comparatiuam senectutis Cæsar nominans minor natu Cagnolato, ac proinde eius
22 defectu nulla extitit presentatio, seu electio, & nominatio, *ex allegatis à Rota part.* 10. *dec.*109.*fine*; Cum ergo constet, huiusmodi presentationem fuisse ab initio nullam, ob tot defectus, sequitur non posse conualidari, *Riccius part.*3.*resol.*529.*num.*1.

Quinta Inspectio.

23 Ex deductis infertur nullitas acceptatæ electionis, & collatæ Capellaniæ, qualis enim fuit nominatio, & electio Capellani, talis censeri debet ex parte D. Vicarij acceptantis, & instituentis D. Ghisulfium in Capellanum, cum id dependeat a nominatione facta; in tantùm enim Clericus instituitur in quantùm nominatur, ergo nullà existente nominatione, inualida quoq. erit ipsa collatio, & institutio, ex illis duobus defectibus, *edicti* scilicet non affixi, & electionis factæ à non *Seniore*, nam restitutio
24 sine edicto precedente est nulla, *Bellamera dec.*611.*Verall.part.* 1.*dec.*95. *Viuian.lib.*9. *cap.*1.*num.*6.*Gabriel.lib.* 1.*consf.*199.*num.*2. *Perez de Lara de Annuers. & Capell. lib.* 2. *cap.*10.*num.*31.*cum alijs Barb.ad cap.fin.de elect. in 6. sæpe citato* Non enim est instituendus, qui à vero Patrono non est electus, *Caualer.dec.*551.*num.*7. *Buratus decis.* 605. *num.*1.*cum alijs Ottobon. dec.* 107. *num.* 3. qualis non est Cæsar, vt patet ex actis, presentatio enim non veri Patroni non præiu-
25 dicat vero Patrono, *decis.* 42. *in opere Viuiani num.*8. Præsentatio ergo & institutio hæc cum sit facta contra formam fundationis inductam à Testatore est nulla in sententia omnium, *Riccius part.*1.*resol.*168.

Sexta Inspectio.

26 Mandatum de immissione relaxatum, sed non executum pro nihilo habendum, est quia suum non fuit sortitum effectum. Præterquam quod esto fuisset executum, adhuc possessio fuisset nulla ex inualiditate actuum eam precedentium, super quibus fundatur Iustitia possessionis, cum ergo acta precedentia fuerint nulla, inde Iustitia possessio-
27 nis, esse non potest; *l. Improba* 7. *ff. de aquir.& amit. possess.* Neque enim tale mandatum si fuisset executum iustam Beneficij
28 obtinuisset possessionem, cum *l. Iustè possidet, qui auctore Pratore possidet* 11. *ff. de aquir. vel amit. possess.* intelligatur, quando seruatus fuit Ordo Iudiciarius, in causa presenti non seruatus est, defectu edicti non affixi, ideo nulla possessio. Vnde possessio turbida, vt esset in casu presenti, manutenenda non esset ex sua incertitudine, immo potius manifesta Iniustitia.

Septima Inspectio.

D. Franciscus Cagnolatus vti senior ex 29
Patronis se opposuit nominationi factæ à D. Cæsare Ghisulfio minore ætate, vt patet ex actis vtriusq. competitoris, protestando, & dicendo, dictam nominationem, & inde secuta esse inualida, & nullius momenti, vt promisit probare, & exhibere Iura sua, quibus apparet ipsum esse seniorem, & sibi competere ius nominandi, excluso quocunq. alio, vnde D. Vicarius Abbatialis admisit eius instantiam supersedendo in causa. Quæ admissio omnino iusta, & valida fuit, ex quo promisit se ius suum probaturum; & hoc sufficienter suasit D. Vicarium omissio edicti, quod in omnibus nominationibus, & iurispatronatibus diseruandum est, cum regulariter agatur de præiudicio plurium Patronorum, qui solent vocari in similibus, vt probaui in 3. Inspectione.

Neque obstat primò, quòd non fuit ci- 30
tatus Cæsar, quia id spectabat ad ipsum Cæsarem, non ad Cagnolatum, qui sentiens se læsum in iure nominandi se opposuit, vt sua Iura tueretur, prouocatus enim non citat, sed se defendit à prouocante iam sciente præiudicium facere alteri Patrono competitore, ergo citandus non erat, quia certiorari vlterius non oportet eum, qui certus est, *Reg.* 31. *in* 6.

Non obstat 2. quòd circa Aue Maria se 31
opposuerit coram Vicario, dicendo de nullitate nominationis, & aliorum actuum, ac proinde eius oppositio sit suspecta vt quæ est facta de nocte, *Glos. in l. Furem, ff. de Sicar. Alex.consil.* 103. Vnde de nocte electio est prohibita, & actus iudiciales, vt docet *Nauar.consil.*8. *de elect.num.*12. Non ob- 32
stat in quam, quia nullibi prohibetur similes oppositiones prohiberi de nocte nec is actus est iudicialis, cum non à Iudice, sed à competitore sit factus; neque verum est, quòd sit prohibitum de nocte facere electiones, vt multis probat Passerinus ordinis Prædicatorum Procurator Generalis *de elect.cap.*12. *q.*8. *num.* 48. vbi ex Cardin. & eodem *Nauar. consil.*8. dicit, nomine noctis intelligi tempus tenebrarum, in quo sine candela videri non potest; *& Pelin. in cap. Consuluit, de offic. deleg.num.*18. dicit, quòd dies est ante solis ortum, & post occasum, quandiu homines possunt se videre sine lumine artificiali, seu lucernæ. Certum autem est post sonum *Aue Maria* homines se videre sine lucerna, ergo tunc etiam dies est. Ad quæ si aspexisset Fictus Bordonus
in

in sua Allegatione pro Cæsare non dixisset; *Et factum fuerit, vt fertur de nocte, & ideo sit omnino nullum, vel nullius momenti, vt notorium est iuribus vulgaribus*. Hæc iura vulgata non protulit, quia non inuenit.

33 Obijcit 3. Ab eodem Decreto fuisse appellandum minimè, quia cum sit nullum, & interlocutorium, illud etiam, nulla interposita appellatione nonquam transit in iudicatum, subiungendo decretum superfessorium esse nulliter factum à Vicario constito de actis possessorijs D. Cæsaris, qui manutenendus est in possessione presentandi, & prosequi immissionem possessionis reuocatis oneribus factis ab opponente &c.

34 Meus Bordonus fictus multa dicit, sed nihil probat, nescio ex qua lege vel, Doctore expiscatus fuerit illud interlocutorium Decretum, siue sit Vicarij, siue Cagnolati: & quomodo supponat iudicatum, quod probatum non fuit, nempe Cæsarem esse in quasi possessionem nominandi, cum non constet id in actis processus vt enim quis dicatur esse in possessione presentandi, necessarium est, quòd fuerit effectuata per institutionem, *Rota part.* 10. *decis.* 252. & 293. 35 *num.* 3. Quare cum Cæsar non probauerit effectuationem suæ presentationis, consistentem demum in possessionis immissionem Beneficij non dico in præsenti causa, sed nec in alia præcedenti quacunq. quod necessario probandum erat, sequitur oppositionem factam à Cagnolato fuisse veram, & validam nullo modo impugnabilem, ac proinde cassatis primis actibus factis à Cæsare, & pro Cæsare admittendus esse Cagnolatus ad nominationem &c.

CONSILIVM XCVII.

An Parochus mulierem accedentem ad Confessionale publicè à Confessione expellere possit?

1 Parochus mulierem vxoratam comparentem coram se, vt confiteretur sua peccata in confessionali, vbi præsentes erant alij pænitentes, publicè expullit nolens eius Confessionem audire eo quod post partum adiuit aliam Ecclesiam pro Benedictione. Dubitatum fuit, an licuerit talis expulsio, sine iniuriâ dictæ mulieris?

2 Parochus non sine iniuriâ mulierem illam reiecit, quam debebat audire cum alijs, dum paratus erat omnes indifferenter audire, & quia reiectio fuit publica cum dedecore mulieris vxoratæ, ciuis, & honestæ, ratio suadet, vt in eodem loco, à quo eam expulit à confessionali illatam iniuriam resarciat.

3 Quod hanc mulierem eum graui iniuria reiecerit, probatur manifestè ex eo quòd Confessarius ex officio talis debet suos subditos audire, quoties indigent hoc spirituali remedio, ex communiori opinione Doctorum apud *Dianam part. 2 tract. 16. resol. 2. Castropal. de hoc Sacram. par. 19. num. 3.* quandocunque grauiter indiget, & quicunque accedit ad pedes Confessarij præsumitur indigere, eum Confessio habeat pro obiecto peccata regulariter mortalia, ex quo sunt materia necessaria huius Sacramenti. Sic etiam docet *Laurentius Brancatus in 4. sent. tom. 2. disp. 21. prgsertim num. 11. de Lugo disp. 22. dicit num.* 2. Parochum teneri audire suum subditum frequentius, quia non solùm tenetur prouidere suis subditis in necessitate extremâ ne moriantur in peccato, vel tempore Sacræ Communionis, sed etiam illis prouidere debet de ijs, quæ necessaria existimantur ad piè, & christianè viuendum cum alijs, frequentia enim Confessionis præter remissionem peccatorum à multis malis præseruat pænitentes.

4 Nec Parochus excusari potest dicendo, hanc non esse sibi parochianam, quia vt ciuis suum habet Parochum in ciuitate. Esto enim id sit verum, certum quoque est, etiam dictum Parochum ruralem esse suum Sacerdotem proprium dum ruri manet in æstate vt est communis mos, & consuetudo ciuium in æstate, qui Rectorem ruralem recognoscunt in suum Parochum, & is illos admittit ad quæcunque Sacramenta habent ciues ad duo domicilia habitationis vnum ruri in æstate, & alterum in vrbe hieme, de quibus latè *Sanch. lib. 3. disp. 23. post num. 10. vers. Et confirmatur, & disp. 24. num. 2. & 3. Rota par. 4. tom. 3. dec. 629 num. 11. Barb. ad cap. 2. de sepult. & ad cap. fin. de foro compet. num. 13.* 5

6 Nec assignari potest rationabilis, causa huius reiectionis, quæ necessaria erat ex Nugno, & alijs apud præcitatum Dianam, nam in modo reiiciendi scilicet publicè grauiter errauit in detrimentum eius honoris, quia talis repulsa arguebat eam indignam Sacramento, nam quando pænitens est indignus absolutione secretissimè dimittitur; si non vult pænitere; nondum illam audierat Rector, & tamen eam imprudenter reiecit coram populo, error certè intolerabilis.

7 Si verò eam expulit, vt fertur quia ab alio Sacerdote, & in alia Ecclesiâ recepit Benedictionem post partum, rationabilis ex hoc capite non fuit expulsio, quia in eius potestate erat recipere benedictionem illam à quolibet alio Sacerdote, cum id munus Rituale Pauli V. non committat Parocho, sed Sacerdoti, non explicando in eo qualitatem Parochianatus, vnde Sacra Congregatio instante Archiepiscopo Bononiensi declarauit, mulierem posse benedici post partum in Ecclesijs regularibus Dub. 9. apud Peyrinum de Priuileg. ad constit. 7. Pij V. 8

9 Deinde casus noster colligitur ex cap. Nemo 14. de Sim. illis verbis: *Nec quemquam pœnitentem, vel minus dignè pænitentem gratia, vel fauore ad reconciliationem adducas, & testimonium reconciliationis feras eidem; vel quocunque liuore dignè pænitentem à reconciliatione remoueat, quia Simoniacum est vtrunque.* Parochus iste ex liuore, quod ea puerpera non accessit ad eum pro Benedictione, & sic perdidit munus honorarium, noluit audire, sed à Confessionali reiecit, ac proinde incidit in *Simoniam*, quia ea incurritur non solum recipiendo, sed etiam non recipiendo ex liuore causato ab interesse, si non admittatur, contrariorum enim eadem est disciplina.

Quare cogendus est ad resarciendam illatam iniuriam in eodem loco, die festiuo, & coram populo, vt qui publicè peccauit, publicè quoque agat pænitentiam restitutione honoris.

CONSI-

CONSILIVM XCVIII.

An corpore vitiatus sine Dispensatione possit recipere primam Tonsuram?

1 QVidam laicus licet gibbosus valde tamen doctus, & expers in agibilibus desiderat præsentari ad Beneficium patronale suæ familiæ, & sperat etiam officium Vicarij Generalis, & quoniam neutrum consequi potest sine primâ Tonsurâ, quærit, an ad eam possit promoueri sine dispensatione ab huiusmodi irregularitate gibbositatis. Pro resolutione difficultatis.

2 Suppono primò, laicum esse incapacem Beneficij ecclesiastici, ad quod promoueri non potest, nisi fiat Clericus, *ex cap. Cum adeo 17. de rescript. cap. Ex literis 6. de transact. cap. 2. de Institut.* Ita omnes Canonistæ locis citatis, nullo contradicente, *cum Barb lib. 3. de Iure ecclef. cap. 4. num. 26. de*
3 *Iurepatronatu Viuian. lib. 6. cap. 1. num. 2. Castropal. de Benefic. tract. 13. disp. 4. p. 7. num. 1.* Ratio est, quia Beneficium est quid spirituale ortum ex radice spiritualis Officij recitandi horas canonicas, *ex Lessio lib. 2. cap. 34. num. 1. & seq. Castropal. cit. disp. 1.*
4 *p. 1. num. 2.* Datur enim Beneficium propter Officium diuinum, *cap. fin. de rescr. in 6. Barb. lib. 3. de Iure eccles. cap. 4. num. 27.* Solus ergo Clericus est capax Beneficiorum.

5 Suppono 2. Laicum per susceptionem primæ Tonsuræ fieri Clericum, *cap. cum contingat 11. de aetate*, vbi appellatur Clericalis Ordo, Barbosa ibidem num. 6. ab aliquibus dicitur imprimere Caracterem, trāsfert ergo illa insignitum de statu laicali ad statum ecclesiasticum, & clericalem ex ibi dictis, & *cap. Ex literis 6. de transact. Glos. Clem. 2. de vita, & hon.* Et in hoc omnes conueniunt, quòd Laicus per primæ Tonsuræ susceptionem fit Clericus.

6 Suppono 3. celebrem esse quæstionem, an prima Tonsura sit Ordo, negantibus Theologis *in 4. dist. 24. D. Thoma ibidem q. 2. art. 1. D. Bonauent. art. 2. q. 1. Ibidem Scotus ad finem. Faber de Sacram. disp. 1. de Ordine post num. 25.* Affirmantibus Canonistis ex citato cap. Cum contingat 11. de ætat. vbi Barbosa num. 6. cum multis vocat Ordinem Clericalem, & imprimentem Caracterem, cum Viuiano *lib. 6. de Iurepatr. cap. 1. num. 8. Zenedo in Decret. collect. 105. num. 2.*

7 Nos sentimus cum Theologis, primam Tonsuram nullo modo esse ordinem. Probatur. *Tum quia* dispositio non est id, ad quod disponitur, vt notum est, quia nihil disponitur ad se ipsum. *Tum quia* non fuit disposita ad aliquod speciale munus Altaris, tonsuratus enim nullum habet officium circa seruitium, & ministerium Altaris, *Nauar. conf. 25. de temp. ordin.* certum autem est ex Tridentino *sess. 23. cap. 2.* vbi enumerantur septem, qui referuntur ad seruitium Altaris in Sacerdotio. *Tum quia* Tridentinum loco citato enumerat tantùm septem Ordines, inter quos non exprimitur prima Tonsura, ergo censuit ipsos propriè esse tantum septem. *Tum quia* nullus promoueri potest ad quemuis Ordinem etiam Hostiariatus, qui inter Ordines est infimus, nisi prius sit Clericus, vnde in Pontificali dum agitur de creando Clerico non dicitur de ordinando Clerico, sed de faciendo Clerico, qui ergo fit Clericus non dicitur ordinari, quia nullum recipit Ordinem, sed tantùm primam Tonsuram, per quam fit habilis ad recipiendos Ordines. *Tum quia* sub Sancto Siluestro Papa in Synodo eius *cap. 7. relata cap. a Subdiaconato 5. dist. 93.* enumerantur septem Ordines gradatim secundum eorum præcedentiam, ita quòd Hostiarius vltimus præfertur etiam Abbati, qui tunc erat merè laicus, nulla mentione facta de Tonsurâ, euidens argumentum, quòd illa nullam habet rationem Ordinis. *Tum quia* ex ordinatione cuilibet ordinato traditur potestas spiritualis exercenda in suo officio in ordine ad Sacramentum Altaris, in collatione verò Tonsuræ nulla potestas traditur, sed solùm Tonsuratus à statu laicali ad Clericatus statum transfertur, & fit idoneus ad plura, de quibus Paulo post dicam. *Tum quia* in conferendis Ordinibus singulis porrigitur, & traditur proprium Instrumentum indicans eorum proprium officium, & ministerium, quod facere debent; in collatione primæ Tonsuræ nihil porrigitur, nihil datur, immò capilli tonsione detrahuntur, & auferuntur. Patet ergo ex his rationem Ordinis in nullo competere primæ Tonsuræ, sed impropriè, & abusiuè appellari Ordinem. Ita omnes Theologi *cum Bonac. p. 1. de Ordine num. 6. Castropal. de Ordine p. 2. num. 4. §. Deinde*, qui respondet argumentis Canonistarum probantium.

Primò ex citato cap. Cum contingat, de 8
ætat. ibi: *Per primam Tonsuram, iuxta formam Ecclesia datam à talibus Clericalis Or-*

do

do conferatur. Volunt eam venire sub nomine Psalmistæ, Glos. V. eod. cap. 1. dist. 21. Secundò in Tridentino sess. 23. cap. 4. prohibentur initiari primâ Tonsurâ nondum confirmati; & cap. 6. tonsurati capaces Beneficiorum fiunt, si excesserint decimum quartum annum, & gaudent Priuilegijs, quæ habent constituti in Ordinibus minoribus, ergo prima Tonsura est ordo. Tertiò in cap. 1. de temp. ordin. prohibentur Episcopi itali ordinare Clericum Vltramontanum, sub condignis pœnis, & ordinatus est suspensus; vbi Glosa V. Clericum, dicit, hanc constitutionem intelligi de laico in Clericum ordinato, quod importat primam Tonsuram, secundum quam aliquis de laico fit Clericus. Quartò ideo laici sunt incapaces Beneficiorum, & Iurisdictionis ecclesiasticæ, quia carent Ordinibus; sunt verò capaces, si habent ad minus primam Tonsuram ex cap. Ex literis, de transact. & cap. 2. de instit. Quintò, tonsuratos percutientes sunt excommunicati, ex Can. Si quis, ergo prima Tonsura est Ordo, solùm enim ordinati gaudent Priuilegio Canonis. Refert ferè hæc argumenta Castropal. Sextò imprimit characterem, secundum Doctores allegatos à Barbos. in dictum cap. Cum contingat, de ætate, cum quibus Tintus de sacrâ Ordin. q. 5. art. 17. arg. 7. Ergo Ordo est.

9 Communis responsio est, quòd prima Tonsura in rigore, & propriè non est Ordo, sed tantùm dispositio ad illos recipiendos, & ad multa alia, vt dicam in sequenti supposito. Et hac distinctione concordantur præfatæ opiniones, vt videri potest apud Turrecr. in cap. Cleros dist. 21. num. 40. Archid

10 in dicto cap. & in cap. Nullus Episcopus, de ætate. Cardin. in Clem. Dudum de sepult. S. Anton. de ordinat. §. 6. cum alijs. Tintus q. 5. de sacra ordin. art. 17. num. 32. Castropal. p. 2. de Ordine num. 5. §. Non in quam. Vbi quòd est Ordo largè, & dicitur segregatio Clericorum à laicis, ita quòd appellatur Ordo, in quantùm dicit dispositionem segregatiuam fidelium superioris ordinis ab inferiori ordine; Tonsura enim disgregat; & separat laicos à Clericis, & hac ratione vocatur Ordo, sicut enim Ordo in totâ sua latitudine apud Catechismum de Sacr. Ordin. sect. 9. est dispositio superiorum, & inferiorum rerum, quæ ita inter se aptæ sunt, vt vna referatur ad aliam; ita prima Tonsura est Ordo, ac proinde dispositio, qua laici vti inferiores referuntur ad Clericos per eam tonsurationem effectos superiores ad illos; prima igitur Tonsura est

11 Ordo disgregatiuus, non vnitiuus, nam separat homines à statu laicali, & ponit eos in altiori, & præstatiori statu, qui nuncupatur Clericatus; Ordo verò vnitiuus dicit congregati onem plurium in eodem statu Clericali secundum inferiores, & superiores gradus tendentium ad vnum supremum gradum. Quamuis hæc conmmunis responsio sufficeret ad singula argumenta, tamen vt res magis clarè pateat contra Canonistas pono singulis proprium responsum.

Primò ad caput, Cum contingat, in quo Aduersarij magnam vim faciunt, respondetur Romanum Pontificem, non dicere primam Tonsuram esse in recto Ordinem, sed per eam conferri clericalem Ordinem, vnde nec ipsa est Ordo, nec Ordinem simpliciter confert, sed clericalem Ordinem, hoc est, prima Tonsura de laico tonsuratum facit Clericum, ex clericali Ordine disgregando scilicet tonsuratum à statu laico, & ponendo illum in statu ordinis Clericalis, non tamen per hoc dicitur propriè ordinari per primam Tonsuram, sed solùm præparari, & disponi, vt iam factus Clericus possit subsequenter ordinari, sicut enim Catechismus disponit adultum ad Baptismum, nec per hoc ipse est Sacramentum, & Nouitiatus disponit ad Professionem, non ideò est Professio, sed tantùm via ad Professionem, ita prima Tonsura est via, præparatio, & dispositio ad Ordines, quos nullus laicus recipere potest, ideo per primam Tonsuram de laico factus Clericus est aptus ad Ordines recipiendos, quia Clericus, ergo per primam Tonsuram nullum recipit Ordinem, ergo ea nullo modo est Ordo, sed solùm via ad Ordines. 12

Quod aiunt venire sub nomine Psalmistæ omninò improbabile est, nam Psalmista nullo modo potest dici prima Tonsura, nam Secundum Isidorum relatum cap. 1. dist. 21. Psalmista à Psalmis canendis dicitur, & cap. 1. dist. 25. Psalmista habet Officium canendi, & dicendi Benedictiones, Laudes, Sacrificium, responsoria, & quid quid pertinet ad peritiam canendi. Quod officium illius Concilium Cartaginense cap. 10. relatum cap. Psalmista 20. dist. 23. vnico Cantoris verbo perstrinxit sic Psalmista 1. Cantor, potest absq. licentiâ Episcopi, solâ iussione Præsbiteri officium suscipere Cantoris, dicente sibi Præsbitero. Vide, vt quod ore cantas, corde credas, & quod credis, operibus comprobes Et ibi rubrica dicit: Qualiter Psalmista ordinetur. Solus autem Episcopus, ordines conferre potest, ergo Psalmista ordo non est, si à Præsbitero conferri potest, ergo nec sub eius nomine venire potest prima Tonsura, vt sit Ordo, vt clarum est, quia tonsuratus nullum acquirit Officium cantandi, sed solùm dicitur præparari ad Ordines. Quibus rationibus tamquam certis, nescio quo fundamento dixerint primam Tonsuram esse Psalmistatum, & esse Ordinem cum S. Isidoro, si bene legatur, 13

gatur, non dicit esse Ordinem, sed Cleros, & Clericos diuidit in nouem gradus, enumerando inter Ordines præter septem ordinarios Episcopatum, & Psalmistarum, nulla facta mentione Tonsuræ, non per hoc dicendum est, Psalmistarum esse proprie ordinem, sed supponere dici de Clero, hoc ipso, quòd facit officium Clerici, dum in Ecclesià cantat, & supponi in eo Tonsuram; & licet idem Isidorus *cap. 1. dist. 25.* appellet gradus, & Ordines etiam, non ideo tamen id omninò tenendum est, cum non sit legislator; & in *praeced. cap. 1. dist. 21.* dixit Ordinem Episcoporum esse quadripartitum & tamen Ordo Episcopatus in ratione Ordinis, de quo nolo modo differere, vix vnus est in sententià Canonistarum negantibus Theologis, sicut de primà Tonsurà dictum fuit; patet ergo ex his equiuocum esse Ordinis verbum.

14 Secundo argumento de Tridentino respondetur nihil contra nos, nam aliud est, quòd quis nondum *confirmatus* non possit initiari primà Tonsurà, aliud hanc esse Ordinem, ex diuersis enim non fit illatio, nec à ratione Sacramenti infertur ad Ordinem, non enim valet consequentia à genere ad speciem. Quod subiungitur de initiato primà Tonsurà, quòd sit capax Beneficij, non bene infertur eam esse Ordinem, quia constat, solum primà Tonsurà initiatum esse capacem Beneficij, sufficit enim, quòd homo sit de numero Clerici, in quo computatur per receptionem solius Tonsuræ.

15 Tertiò ex argumento non bene deducunt laicum primà Tonsurà initiatum ab Episcopo Italo, sine debità licentià esse suspensum, ac proinde primam Tonsuram esse Ordinem, quia suspensio habet pro subiecto solum Ordinatos, nam respondetur, in illo textu clare dici: *Vt nullus Episcoporum Italiæ de cætero aliquem Vltramontanum clericum Ordinare præsumat* Prohibito ergo fit Episcopis respectu Clericorum, quales sunt, qui iam receperunt primam Tonsuram, ergo Ordinare Clericum non est dare illi primam Tonsuram, cum illam iam habeat, sed conferre vnum ex septem vulgaris Quod igitur tonsuratus ab alieno Episcopo non incurrat suspensionem docent *Toletus lib. 4. cap. 44. num. 4. Zerola V. Dimissoria* contra Bonac. eos citantem *disp. 2. Bullar. q. 1. p. 11. num. 18.* cum Toleto est Suar. *disput: 31. de cens. num. 58.* quia Tonsura non habet actum proprium, à quo tonsuratus possit suspendi, & sequitur ipse *Bonac. de suspens. p. 1. num. 11.* vbi id dicit esse probalissimum, *Castropal. de susp. p. 10. § 1. num. 4 §. Verùm.*

16 Confirmatur id, quia quando Pontifices volunt comprehendere sub pœnis male ordinatorum etiam perperam Tonsuratos de vtraq. mentionem faciunt, vt videri potest in Bullis Sixti V. incip. *Sanctum, & Salutare 91.* Clem. VIII. incip. *Romanus Pontifex 91.* Vrbani VIII incip. *Humanarum rerum 33.* vtuntur enim his verbis. *Ad Ordines maiores, vel minores, aut clericalem caracterem.* Volentes inferre, quòd prima Tonsura per caracterem clericalem significata sit diuersum, quid non solum specie, sed etiam genere ab Ordinibus, Quod etiam insinuatur *cap. fin. de tempor. ordin. in 6.* vbi prohibetur Episcopo conferre Tonsuram extraneis, sicut in præcedentibus tribus prohibitum erat conferre Ordines, per Gregor. X. in Concilio Lugdun. distinguentem Ordines à prima Tonsurà, quia non est Ordo, quod idem facit Tridentinum *cap. 6. sess. 23.* his verbis: *Nullus primà Tonsurà initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus,* arguens etiam in Iure, primam Tonsuram non haberi pro Ordine vnde pœnæ latæ contra ordinatos non comprehendunt tonsuratos. Rem adhuc clarius explicat Trident. *cap. 1. sess 21.* vbi quòd nihil dandum *pro collatione quorumcumq. Ordinum, etiam clericalis Tonsuræ.* Si Tonsura secundum Ius canonicum esset & ipsa ordo, certè comprehensa fuisset illis verbis *quorumcumq. Ordinum*, cum sint vniuersalissima comprehendentia, quæ alias non includerent, & tamen expressit etiam Tonsuram clericalem, euidens signum quòd nullo modo est Ordo, ita etiam *Lessius lib. 2. cap. 35. num. 132. Reginald. lib. 23. cap. 12. num. 174* contra Bonac. *in Bullar. disp. 2. q. 3. p. 14. num. 3.*

Quartò, laici dicantur incapaces Beneficiorum, & Iurisdictionis ecclesiasticæ, non quia carent Ordinibus, sed quia carent tonsurà clericali, quà tantùm positâ dicuntur facti capaces Beneficiorum, & Iurisdictionis, etiam si nullum habeant Ordinem, Clericatus ergo facit hominem capacem prædictorum, non qua Ordo, cum non sit, sed quia de laico facit Clericum, quod sufficit. Ita Tridentinum *sess. 23. cap. 6.* Laici ergo non sunt capaces Beneficiorum, sed tantùm Clerici, quales dicuntur habentes tantum primam Tonsuram, *Barbosa lib. 3. de iure Eccles. cap. 13. num. 159.* 17

Quintò facilis est responsio, quia Priuilegium canonis verificatur in eo, qui solius primæ Tonsuræ est cum ea propriè constituat hominem Clericum, & Ordines illam supponant. Tonsuratum ergo precise percutiens est excommunicatus per canonem: *Si quis 29. 17. q. 4.* vt citat ibidem Doctores *Barbosa num. 7.* 18

Sextò demum, falsum est, Tonsuram imprimere caracterem nam solùm tria Sacramenta Baptismus, Confirmatio, & Ordo conferunt caracterem, *de fide Can. 9. sess. 7. cap. 4. sess. 23.* certum autem est, primam 19

Tonsuram non esse Sacramentum, ergo nec imprimit caracterem, illa enim certè non significat nec confert gratiam recipienti illam. Nec Aduersarij aliquod fundamentum id asserendi referunt; & quod dicitur in præfatis Bullis relatis supra sub num. 16. primam Tonsuram dici caracterem Clericalem, non probat hoc, sed tantùm eam esse signum distinctiuum clerici à laico. Adde, quod caracter personam illum habentem facit idoneam, & aptam ad munera, quæ debet exercere caracterizatus, vt docent omnes Theologi; tonsuratus autem tali caractere non eget, cum ad nullum munus deputetur, sed tantum de laico dicitur factus Clericus non ad agendum, sed tantùm ad recipiendum, vt patet vlterius in sequenti supposito.

20 Suppono 4. primam Tonsuram esse essentialiter dispositionem in tonsurato per eam effecto de laico Clerico, ad recipiendam aliquam formam; nullus enim recipit Tonsuram vt tonsuratus, sed vt factus Clericus sit aptus, & idoneus ad aliquid spirituale, vel aliud recipiendum, quod venit sub illâ formâ, ad quam Tonsura disponit personam. Ea autem, quæ mouent hominem ad Tonsuram recipiendam, reduci possunt ad quatuor.

21 Ad primam reducuntur septem Ordines, & Episcopatus, ad quos principaliter, & immediatè est dispositio, quæ tonsuratum reddit aptum, & idoneum ad recipiendos Ordines, nullus enim laicus est aptus ad recipiendos Ordines, sed tantum constituti in Clericatu per primam Tonsuram, & in hoc omnes conueniunt.

22 Sub secundo capite comprehenduntur Beneficia quæcunque ecclesiastica, qui enim volunt Beneficia ad illa se disponere debent per receptionem primæ Tonsuræ, sine quâ illorum sunt incapaces, ex dictis sub num. 20.

23 Sub tertio sunt pensiones, nullus enim laicus, sed solus Tonsuratus est aptus ad recipiendam pensionem à summo Pontifice, ergo ad eam disponit prima Tonsura, & sic necessaria ad pensionarium. Ita colligitur ex Bulla 135. incip. *Ex proximo*, Pij V. vbi obligantur ad recitandum Officium B. V. *Nauar. cons. 63. de Simon. num. 6. alijs citatis Castropal. p. 2. tract. 13. disput. 1. de Benef. Eccles. p. 11. num. 1. §. Cæterum, Rota par. 6. decis.* 38. *num.* 10.

24 Sub quarto est Iurisdictio ecclesiastica fori externi, quid enim desiderat e. g. Vicariatum debet ad minus esse tonsuratus, prima igitur Tonsura est dispositio, qua tonsuratus fit aptus, & idoneus ad recipiendam iurisdictionem ecclesiasticam. Quare simplex Clericus primâ tantùm Tonsurâ initiatus potest fieri Vicarius Generalis Episcopi. Ita *cap. In noua* 22. 16. *q.* 7. *Barb. lib.* 1. *de iure eccl. cap.* 15. *num.* 14. *& Alleg.* 54. *num.* 4. vbi infinitos allegat. Nec vllus contradicit, quia certum est, laicos non posse tractare res ecclesiasticas, cap. 2. de iudic.

Itaque prima Tonsura disponit tonsura- 25
tum ad Ordines, Iurisdictionem, Beneficium, & Pensionem, ad quæ quatuor terminat in eo, qui prædicta recipere intendit.

Duo dubia proponuntur hic, vnum est, 62
an prima Tonsura ita sit necessaria ad prædicta quatuor, vt homo non possit licitè, nec validè promoueri ad singula illorum? Alterum est, an recipiens primam Tonsuram ad effectum consequendi Iurisdictionem, vti Vicariatum, Beneficium, vel Pensionem, sine animo recipiendi Ordines peccet?

Ad primum communis est responsio, va- 27
lidè recipi, si non licitè Ordines ab eo, qui non habet primam Tonsuram, quia iure ea non requiritur ad valorem Ordinum. Ita *Toletus lib.* 1. *cap.* 71. *Fornarius cap.* 3. *num.* 2. *ex illis Bonac. p* 5. *num.* 11. *cum alijs Castropal. p.* 5. *num.* 8. Receptio verò Beneficij, Pensionis, & Iurisdictionis est ipso iure nulla, quia Tonsura est de valore prædictorum Collationis, vt colligitur ex varijs iuribus adductis à Doctoribus allegatis *à Barbosa Allegat.* 54 *num.* 4. *Gabriel à S. Vincentio Discalceat. Carmel. disp.* 1. *q.* 1. *num.* 16.

Colligitur hinc, primam Tonsuram ma- 28
gis esse necessariam ad illa tria, quæ quis sine illa consequi nequit, quam ad Ordines, quos non tonsuratus validè recipit; vnde illa est dispositio inducens respectu Ordinum tantùm idoneitatem, & habilitatem ad eos recipiendos, non verò faciens tonsuratum de incapaci capacem, dum non tonsuratus potest validè initiari, ex quo supponitur capax, licet non idoneus, dum validè ordinatur sine prima Tonsurâ. Consequenter eius dispositio magis influit in illa tria, quam in Ordines, qui sine illâ esse possunt, sine quâ illâ tria esse nequeunt, ergo Tonsura essentialiter ordinatus ad illa tria, & accidentaliter ad Ordines, sicut Baptismus essentialiter ordinatur ad reliqua Sacramenta, quæ nulliter recipiuntur à non Baptizatis, & sicut Confirmatio accidentaliter ordinatur ad receptionem Ordinum, qui validè conferúntur nondum confirmato.

Sed quâ ratione intonsuratus per recep- 29
tionem v. g. Hostiariatus potest dici Clericus, cum nondum in sortem Domini per primam Tonsuram sit vocatus, & descriptus in libro Clericorum, certum enim est, quòd homo de laico fit Clericus mediante primâ Tonsurâ, quâ cum careat Hostiarius remanet adhuc laicus, quòd videtur absurdum, vt laicus ex officio fungatur munere Clerici, & non sit Clericus.

Dico, hunc laicum per receptionem huius

us primi Ordinis euadere Clericum, Clericatus enim valde relucet in Ordinibus, qui producunt eundem effectum, quem gignit prima Tonsura, quicquid enim præstat illa, efficere potest Hostiariatus, superior enim gradus perfectiori modo continet virtutem operandi, quæ reperitur in inferiori.

30 Ad secundum respondetur, recipientem primam Tonsuram ad effectum, & finem obtinendi Vicariatum, Beneficium, aut Pensionem, eum animo vlterius non procedendi ad Ordines, non peccare, quia nullo iure cauetur, vt recipiens primam Tonsuram, aut etiam quatuor Ordines minores teneatur ad reliquos promoueri. Ita *Sanch. lib. 7. disp. 31. num. 16. multis citatis, Diana par. 2. tract. 16. resol. 20. & par. 10. tract. 16. resol. 61.* apud nostrum Cotonium publicum in Vniuersitate Patauinâ Metaphysicum insignem *libr. 3. Contr. 1. de Ordine cap. 56. num. 111.* vbi Ledesmæ asserenti, eum, qui propter Priuilegia, absque animo ascendendi ad superiores Ordines minoribus initiatur, peccare mortaliter; respondet Tridentinum sess. 23. cap. 4. ab eo citatum, illis verbis: *Non secularis iudicij fugiendi fraude, sed vt Deo fidelem cultum*
31 *præstent.* Non præcipere, sed consulere Episcopis eiusmodi non ordinare. Vbi existimat esse mortale, si cum animo euadendi Iudicium seculare, non sit etiam seruiendi Deo, non ex præcepto Concilij, sed ex rei ipsius naturâ. Esto quòd possit nolle ascendere ad sacros, neque Episcopus id possit in minoribus constitutis præcipere, vt declarauit S. Congr. *teste Sellio in selectis Canon. cap. 19. num. 4. apud Dianam par. 4. tract. 1. resol. 10.* Qui ergo recipit primam Tonsuram ad effectum consequendi Beneficium &c. & non intendit vlterius procedere, sed
32 Deo seruiendi in eo, nullo modo peccat, quia hanc negatiuum sufficienter iustificat per illos duos fines, primarium seruiendi Deo in recitatione diuini Officij, & secundarium percipiendi fructus illius ad suum commodum,

Confirmatur id à fortiori, quia Acolitus stimulis carnis agitatus, vel alio fine honesto retrocedens ad seculum, & vxorem ducens nullo modo peccat *ex Sanch. & Castropal. p. 8. de ordine num. 9.* & alij omnes, ergo multò minus Tonsuram recipiens ex causâ honestâ, Beneficij &c. animo vlterius non procedendi, cum non dicatur retrocedere, sed manere in statu assumpto.

His ita suppositis, & explicatis in gratiam propositæ difficultatis, an scilicet, corpore vitiatus possit recipere primam Tonsuram sine dispensatione huius irregularitatis.

33 Responsio est affirmatiua, posse hunc sine dispensatione promoueri ad primam Tonsuram, ad effectum consequendi Beneficium.

Probatur, quia irregularitas solùm impedit susceptionem Ordinum, seu prima tonsura non est Ordo, ergo ea non impedit susceptionem primæ Tonsuræ. Maior probatur euidenter, quia secundum omnes Theologos, & Canonistas, irregularitas est Canonicum impedimentum prohibens irregularem à susceptione Ordinum, & ab exercitio susceptorum, Paulus Burgasius *de irregul. p. 1. q. 1.* referens Canonistarum definitionem irregularitatis, omnes autem in eo conueniunt, quod impediat susceptionem, & exercitium Ordinum, similiter Theologi *in 4. dist. 25. Scotus ibid. q. 1. n. 7. & 9. ex Vasingo*, inquit, quod est inhabilitas ad susceptionem, & executionem actuum Ordinum. *Siu. V. eod. n. 1. Bonac q. 1. de irregul. p. 1. num. 1. Suarez de Cens. disp. 40. num. 1.* Et omnes aliud non exprimunt, sin definitione irregularitatis, nisi quòd impediat susceptionem Ordinum, sequitur non impediri susceptionem primæ Tonsuræ, cum recta non sit Ordo, vt multis probaui supra.

Minor igitur, quòd prima Tonsura non sit Ordo superius probata, magis confirmatur, quia Ordo est Sacramentum, vt de fide definit Tridentinum *sess. 23. can. 3.* vbi dicitur *verè, & propriè Sacramentum*, sed prima Tonsura non est Sacramentum, ergo neq. Ordo, cum Sacramentum dicatur tamquam genus de singulis eius speciebus, nempe de septem Ordinibus, qui singuli sunt Sacramenta, genus enim prædicatur de singulis speciebus, & contentis sub illis secundum Logicos, cum ergo non prædicetur de prima Tonsura, ea non continetur sub Ordine, quod est Sacramentum in se, & in suis speciebus, vt communis Theologorum sententia docet contra paucos, apud *Barbos. ad citatam sess. 23. cap. 3. num. 2.* Vnde nescio, qua ratione id sustineant, cum illis apertè obstet Trident. locis citatis, idem sentit Scotus *in 4. dist. 24. q. Vn. num. 7. §. Saltem quicquid & num. 9. §. Siquæras.* 34

Præterea Ordo constat materiâ, & formà sicut cætera Sacramenta, & forma ab Episcopo ordinante profertur in porrectione materiæ; in primâ autem Tonsura nec materia porrigitur tangenda, nec forma datur ea enim verba: *Tu es pars* &c. quæ aliàs deberent esse forma, recitantur ab ipso Tonsurato, contra institutionem omnium Ordinum, quorum formæ ab Episcopo ordinante, non ab ordinato proferuntur. Ex his ergo, & alijs supradictis euidenter infertur irregularem posse promoueri sine dispensatione ad primam Tonsuram, ex quo non est verè Ordo.

Confirmatur, quia corpore vitiatus nullo modo est irregulariter respectu primæ 35
Tonsuræ, ergo ad eam promoueri potest

 sine

sine vllâ dispensatione. Probatur antecedens, nam vitium corporis, vt Gibbositas, Clauditas &c. non est irregularitas, sed naturalis effectus proueniens ex natura deficiente casu in suis operationibus, ergo datur huiusmodi defectus sine irregularitate, ergo quis potest esse Claudus Gibbosus, &c. & non irregularis, irregularitas enim est quid morale à lege Canonicâ inductum in personam corpore vitiatam, non ratione sui, sed in ordine ad aliud, est enim irregu-

36 laritas de genere relatiuorum, ita quòd non afficit fundamentum, nec in eo est, nisi quatenus est terminus ad quem refertur ipsum subiectum, sed irregularitas non habet pro termino primam Tonsuram, nullibi enim in Iure expressum est, corpore vitiatum arceri à susceptione primæ Tonsuræ, ergo in eo non est asserenda irregularitas in ordine ad primam Tonsuram tamquam eius terminum, certum enim est, quòd nulla irregularitas est asserenda, nisi sit expressa in Iure, *cap. 15. qui* 18. *de sent. excom. in 6.* Vitiatus ergo corpore vt talis, non habet adnexam irregularitatem, nisi illi per sacros canones impingatur in ordine ad aliquem terminum dedignantem talem defectum.

37 Ita sentit Aloysius Bariola *Mediolanensis ordinis Eremitarum S. Augustini*, *apud Bonac. q. 1. de irregul. p. 1. num. 4.* vbi ait, irregularitatem non impedire susceptionem primæ Tonsuræ, quia in odiosis non est facienda extensio de casu ad casum, & sic ab Ordinibus, à quibus arcet, ad primam Tonsuam, quæ non est Ordo nisi impropriè. Quod argumentum *Diana resol. 88. de irregular.* vocat maximum, non tamen sequitur, nec soluit. Bariolam sequitur *Thomas Hurtadus* Cleric. Minorum *tom. 2. Resolut. Moralium tract. 12. cap. 1. num.* 514. eodem ductus fundamento, quem refert, sed non sequitur idem *Diana par. 11. tract. 5. resol. 1.* vbi etiam citat pro hac sententia Escobar *in pract. confess. par. 2. lib. 6. cap. 5. num. 31.* Quibus addo Caramuelem in sua Theologia fundamentali quam Romæ existens correctam à se recussit, in fine totius operis concl. 17. Vers. Concluditur.

38 Contrarium communiter sentiunt Doctores *cum Bonacina q. 1. de irregul. p. 1. num. 4.* vbi respondet obiectis, & citat *Decis. Rotæ, quæ est 635. Seraphini*, *Diana cit. par. 11. tract. 5. resol.* 1. respondet obiectis Hurtadi, sequitur *Castropal. p. 5. de irregular. num. 2. Pasqualig q. 87.* qui tenent cum multis alijs, verius esse, irregularitatem impedire susceptionem non solum Ordinum, sed etiam primæ Tonsuræ, non tamen reprobant nostram opinionem, probant autem sequentibus argumentis.

39 Primum argumentum destruens fundamentum oppositæ opinionis sic formatur ab illis. Licet prima Tonsura non sit propriè Ordo, sed tantùm dispositio ad Ordines, quia tamen constituit tonsuratum in statu clericali, & secundum Sixtum V. ideo apud sacros canones obtinet nomen Ordinis, specialiter *in cap. cum contingat*, *de ætate*, cum ergo irregularitas sit inhabilitas ad Ordines, est etiam talis respectu primæ Tonsuræ, quæ est Ordo, secundum Canonistas, & Rotam Romanam, cuius plures decisiones refert Theodosius Rubeus *in suis singul. tom. 2. par. 2. V. Ordines ecclesiastici*, pro qua re vide etiam Barbosam *ad cap. 2. sess. 23.* quam plurimos referentem Doctores pro vtraq. parte, quòd prima Tonsura sit, vel non sit Ordo.

Huic argumento sufficienter respondi supra sub num. 12. dum respondendo ad cap. cum contingat, ibi Pontificem non asserere, primam Tonsuram esse Ordinem, sed esse Clericalem Ordinem, idest, Ordinem disgregantem tonsuratum à statu laicali, & reponentem illum, in statu clericali, quod ordo non præstat sed supponit, dum ille, qui ascendit ad Ordines, debet prius esse Clericus per primam Tonsuram. Adde, quòd prima Tonsura appellatur Ordo clericalis, non quia sit Ordo, sed ad differentiam coronæ clericalis, quia Clerica, vt ait *Glos. in fine casus cap. 1. de Cler. coniug. in 6.* est Tonsura supra caput, clericalis verò Ordo est Tonsura infra sumitatem capitis. 40

Dictum autem argumentum seipsum destruit, quia in eo supponitur, quod prima Tonsura non sit proprie Ordo, vt dicit Pasqualig, nec strictè talis, vt ait Bonacina, & Castropal. quòd licet non sit proprie Ordo, sufficit, quòd sub ordine latè sumpto comprehendatur. Si ergo prima Tonsura non est propriè Ordo, ergo solùm impropriè, ac proinde in odiosis non venit sub nomine Ordinis, est enim commune Legistarum & Canonistarum axioma, quòd lex pænalis non extenditur vltra propriam significationem, vt ipsemet Pasqualigus pro hoc axiomate confirmando plures Doctoros cumulat ibidem ad fauorem partis contrariæ. 41

Respondet ipse ad axioma dupliciter, primò, quia apud sacros Canones nomine Ordinis venit prima Tonsura, & sic Rota Romana procedit in iudicando, ex suppositione, quod sit Ordo. Sed per hoc non tollitur ius argumenti, quia Rota, nec Canonistæ se declarant, eam esse præsè, propriè, & rigorosè Ordinem, immo reconciliantes has opiniones, vt supra dixi sub num. 37. dicunt, Theologos negare rationem Ordinis presè accepti, non verò si latè, & impropriè sumatur, vt faciunt Canonistæ, quorum plerique negant rationem Ordinis primæ Tonsuræ, quorum nouem refert Quintanad. 42

tract.

tract. 6. singul. 4. num. 5. & 6. Igitur adhuc viget argumentum, quod irregularitas non se extendit ad Tonsuram, cum sit impropriè Ordo, cum pœnæ non extendantur ad casus improprios.

Ideo respondet secundò, quòd lex pœnalis extenditur ex identitate rationis, multis citatis Doctoribus, subdens, quòd non est propriè extensio, sed compræhensio, quando interuenit identitas rationis, quæ est anima legis; sed ratio, quæ militat in irregularitate quò ad Ordines, militat etiam quò ad primam Tonsuram, nam honor, qui debetur ministerio diuino, & facit, quod aliquæ personæ debeant censeri inhabiles ad Ordines, facit etiam, quòd debeant inhabiles haberi ad primam tonsuram, cum adhuc per ipsam deputentur diuino ministerio. *Negatur* ista identitas rationis, nam tonsuratus ad nullum ministerium diuinum deputatur, sed tantùm fit Clericus, vt habilis deinde deputari possit ad ministeria diuina receptione Ordinum, constat enim in collatione eius tonsuratum nullam accipere potestatem, per quam aliquod diuinum ministerium exercere possit, vt dixi supra sub num. 7. Euanescit ergo identitas rationis, remanente diuersitate.

43 Subdit, ex Sayro lib. 6. de consf. cap. 1. num. 1. quod lex de irregularitate non est pœnalis, quia irregularitas non est pœna; nec est odiosa, cum sit in fauorem diuini cultus.

44 Contra est, quia reuera est pœna, si non supponens culpam de sui natura, quia aliquæ incurruntur sine culpa, vt irregularitates ex defectu, tamen irregularitas est talis pœna, quæ si non punit corpus, impedit tamen à consecutione alicuius boni, cuius priuatio, seu impedimentum satis odiosum, & pœnale est, quod nemo negare debet, cum sit valde præiudiciale homini irregulari, siue ex culpa talis sit, siue sine culpa, ratio ergo pœnæ spectari potest dupliciter, vt supponit culpam, vel vt eam non supponit, respectu primi sunt irregularitates pœnales supponentes delictum, respectu secundi sunt irregularitates nullum supponentes delictum, sed tantùm defectum sufficientem ad inferentem pœnam impeditiuam, non afflictiuam.

Vel dic, quòd pœna duplex est afflictiua corporis, de qua hic non est sermo, alia priuatiua, seu impediens à consecutione alicuius boni, & in hoc sensu non solùm Censuræ, sed etiam Irregularitas est pœna, quia impedit à consecutione sacrorum Ordinum, quæ

45 sunt bona spiritualia. Itaque irregularitas verè est pœna, & ita docent *Scotus in 4. dist. 25. q. 1. Caietanus V. Irregularis. Faber. disput. 3. de Ordine num.* 4. nec contrarium habet Sayrus, qui solùm contra Sotum intendit, & bene irregularitatem non esse Censu-

46 ram. Quod denique ait, irregularitatem non esse odiosam, cum sit in fauorem diuini cultus; non suffragatur, quia aliter nulli ferè essent Canones odiosi, cum omnes tandem referantur ad diuinum cultum, in quantum animam regulant, & dirigunt ad hunc vltimum finem diuini cultus in Ecclesia Dei.

Allata verba ex Bulla Sixti V. incip. *Sanctum, & salutare* 91. faciunt pro nobis, sunt enim hæc: *Ad suscipiendum clericalem Caracterem, aliosque Ordines*, sub §. 1. item §. 2. *Ad primam Tonsuram, minoresque ordines suis subditis &c.* Sermo est de Abbatibus eos conferentibus. Item ibidem *Clericali caractere non legitimè insigniuerit, aut ad Ordines minores, vel sacros.* Nam disti nguit Clericalem caracterem, qui est prima Tonsura, vt patet ex dictis verbis, ab Ordinibus minoribus, & maioribus, ergo prima Tonsura nullo modo est Ordo, secundum Sixtum V. bona enim diuisio non patitur, vt vnum membrum sit alterum membrum, cum diuisio arguat diuersitatem in diuisis, & cum pars Ordinum includat omnes Ordines tam maiores, quam minores, certè excluditur ab illis Clericalis caracter. Hanc eandem distinctionem facit Vrbanus VIII. in sua incip. *Secretis eternæ* 33. contra male promotos §. 3. *Ad minores Ordines vel clericalem Caracterem vel* enim, seu *Aut* dictio disiunctiua ponitur inter diuersa, ergo prima Tonsura non est Ordo, dum non est minor, nec maior Ordo. 47

Hinc deducitur, Sacros Canones pœnam infligentes contra male promotos ad Ordines non comprehendere initiatos male prima Tonsura quando de ipsa nulla facta fuit mentio quia in odiosis non venit sub nomine Ordinis, *Nauar. consil.* 28. *de Sent. Excom. cum Auila Suar. Filliuc. Thesaurus Iesuita in praxi de pœnis eccles. V. Ordo cap.* 4. *Vers. Ampliant.* 48

Nec obstant decisiones Rotæ quia secundum datas informationes Aduocatorum, qui sequuntur opinionem Canonistarum, Item deciderunt, nullo in contrarium informante, vnde bene dixit Barb. supracitatus *ad cap. 3. sess. 23. §. Contra Glos.* Rotam sequi opinionem Canonistarum, ex suppositione quòd Tonsura sit Ordo, non discutiendo difficultatem, quia non fuit obiecta. 49

Secundum argumentum ex Pasqualigo est, quia apud Sacros Canones explicatur irregularitas tamquam inhabilitans ad ipsum statum clericalem, & ecclesiasticum ministerium, vt in cap. Si quis de laicis, vbi de irregularitate ex Bigamia dist. 34. ibi: *In Clericum nullatenus admittatur.* cap. Si laici, ead. ibi: Hic talis ad ministerium ecclesiasticum nullo modo adducatur. Item cap. Si quis viduam dist. 50. de eadem irregularitate ibi: Non admittantur ad clerica- 50

lem

lem, erit etiam inhabilitas ad primam Tonsuram, quia per ipsam tonsuratus ponitur in statu clericali.

48 ℟. Eos textus esse intelligendos Sacris Ordinibus, vt obseruat Gratianus *ad* 8. *&* 12. *cap. citata dist.* 34. quod idem dicendum est ad *cap.* 8. *dist.* 50. Et quod ita sit, lege precitatum *cap. Si laici* 12. vbi sic dicitur: Ad ministerium ecclesiasticum nullo modo adducatur, & concluditur. A ministerio alienus sit. Certum autem est, tonsuratum nullum ministerium exercere posse ecclesiasticum ex vi primæ Tonsuræ, quæ nullum officium, nullum munus tribuit initiato, sed solùm illum segregat à statu laico, & constituit in statu Clericali, vnde ibi nomine Clericatus venit initiatus sacris Ordinibus, vt scilicet bigamus non admittatur ad Clericatum. i. ad Sacros Ordines. Vel dic prohiberi Bigamum à prima Tonsurâ, non ratione eius, sed quatenus per eam vult efficaciter recipere Ordines, & seruire in ministerio ecclesiastico, in quo casu repellendus est, non autem in nostro, in quo non intendit vlterius procedere, sed tantùm fieri habilem ad Beneficium obtinendum.

49 Tertium argumentum. Praxis, & communis sententia legem interpretatur, ex allegatis ab eodem Pasqualigo num. 5. sed communis sensus tenet, quòd Irregularitas inducat inhabilitatem etiam ad primam Tonsuram, quia nullus vnquam oppositum dixit, ergo non est dicendum, quòd irregularis possit suscipere primam Tonsuram, quia lex obligat secundum interpretationem, quam habet à communi sensu.

50 Argumentum admittitur, sed negatur suppositum in quo fundatur, quia nullibi inuenitur lex, quæ dicat primam Tonsuram esse Ordinem. Nam id omnes colligere prætendunt, vel *ex cap. cum contingat, de ætate, vel ex cap. Cleros dist.* 21. *& alijs*, quę refert *Glos. V. Episcopus in Proæmio Sexti.* Sed supra aperte probatum fuit, eos textus nullam continere rationem suadentem primam Tonsuram esse Ordinem, ergo hæc praxis interpretandi hanc legem ruit, cum non sit lex, quæ possit interpretari, consuetudo enim legem interpretans supponit ipsius legis existentiam, secundum omnes apud *Suar. lib.* 7. *de legib. cap.* 18. Deinde asserta praxis magis facit pro nobis, quam pro Aduersarijs, nam omnes Theologi efficacibus argumentis negant primam Tonsuram esse Ordinem contra Canonistas, qui leuibus coniecturis parui momenti asserunt eam esse Ordinem, sed nec propriè, vt supra visum fuit sub num. 38. ergo praxis sic interpretandi magis facit pro Theologis, quam pro Canonistis. Et quòd antiquior sit sententia Theologorum, quam Canonistarum patet, quia Magister Sententiarum Petrus Lombardus natione Nouariensis, dignitate Episcopus Parisiensis clarebat anno 1140. *qui in* 4. *dist.* 24. recenset Ordines tantum septem, excludendo Tonsuram; Sacri autem Canones glossati fuerunt, & compilati à Bernardo Bottono Parmensi anno 1240. cuius nec est glos. V. Ordo confertur, sæpe citati *cap. cum contingat, de ætate*, & Bartolomeus Brixiensis Glossas adiecit Decreto Gratiani de anno 1256. *qui V. Psalmista cap.* 1. *dist.* 21. dicit Psalmistatum conferri à solo Sacerdote, quem ibi Isidorus connumerat inter gradus ecclesiasticos, ergo non inter Ordines, qui à simplici Sacerdote conferri non possunt, sicut Psalmistatus.

Quartum Argumentum eiusdem Pasqualigi, quod appellat fundamentum præcedentis, est hoc, quia quando prohibetur aliquid prohibentur etiam omnia, per quæ tamquam per media ex naturâ suâ ad ipsum ordinata, peruenitur ad illud; vnde cum prima Tonsura sit ianua ad Ordines, ergo inhabilis ad Ordines est etiam inhabilis ad primam Tonsuram. 51

Respondetur, illud axioma locum habere in ijs, in quibus militat eadem ratio, vt alijs citatis docet *Nauar. consil.* 4. *de Raptor. num.* 2. *Mascard. concl.* 102. *num.* 3. constat autem ex suprà dictis diuersam esse rationem, cum Tonsura non sit Ordo, quem recipere prohibetur tonsuratus irregularis, non verò laicus volens initiari primâ Tonsurâ. Deinde illud axioma verificatur, vbi antecedens necessarium est ad consecutionem subseqnentis, constat autem ex dictis sub num. 27. Ordines validè recipi sine Tonsurâ, ergo ex prohibitione consequentis non infertur prohibitio antecedentis. Præterea tunc ex prohibitione consequentis infertur prohibitio antecedentis, quando antecedens est de productione consequentis, vt patet in alienatione, quâ prohibitâ, censentur etiam prohibiti omnes illi actus, per quos ea producitur, *ex allatis à Naldo V. Alienatio num.* 5. Tonsura autem non producit Hostiariatum e. g. nec illius est actus, licet ad hunc supponatur secundum ordinem dispositionis, non secundùm valorem consecutionis. 52

Quintum argumentum ex Marchino refert Diana *par.* 11. *tract.* 5. *resol.* 1. § *Sed ego*. Nullum in totâ naturâ datur subiectum naturale, quod sit capax propriè dispositionis ad aliquam formam, quin etiam talis formæ non sit capax; sed prima Tonsura est dispositio ad Ordines, ergo si irregularitas impedit susceptione Ordinum, etiam primæ Tonsuræ receptionem. 53

Respondetur, hoc argumentum nihil probare, quia concludit, quod non seminauit, nulla enim fit mentio de irregularitate in præmissis. Quare sicut subiectum naturale 54

e.g.

e. g. lignum recipit dispositiones proprias caloris, & siccitatis, & tandem formam ignis ad quam per illas fuit dispositum, ita homo subiectum recipit Tonsuram dispositionem, & tandem formam e. g. Hostiariatus ad quam per Clericatum Tonsuræ fuit dispositus. Certè aliud non probat argumentum, irregularitas enim non habet rationem dispositionis, sed potius indispositionis, & impedimenti.

55 Sextum argumentum deducitur ex conditione statuum; nam irregularitas non afficit laicum, dum talis existit. Sed solùm vti existens de statu clericali, ergo afficit volentem initiari primâ Tonsurâ.

56 Respondetur nihil probare pro Aduersarijs, sed potius esse pro nobis, nam si laicum non afficit dum in suo statu manet, nec cum recipit primam Tonsuram, dum ante illius receptionem adhuc est laicus, quem statum exuit, dum initiatur, ergo irregularitas sequitur ad Clericatũ, dum Clericum, non laicum, impedit vlterius procedere.

57 Septimum argumentum, cum in hac quæstione duæ sint opiniones, res redditur dubia maximè contra nostram opinionem, quæ licet sit probabilis, non est tamen tutior, sicut opposita, quam sequentes nullo modo possunt incurrere periculum peccandi sicut in priori, ergo non est sequenda, maximè in causa irregularitatis, in cuius dubio tutior pars est sequenda, ex dictis *à Bonac. p. 5. de irregular.*

58 Respondetur, opiniones oppositas inter se nullum generare dubium quò ad conscientiam dubiam, sed vnumquemq. propriam sequi posse etiamsi, non sit tutior, sufficit enim quòd sit tuta, ex allatis *à Diana part. 1. tract. 13. resol. 1.* Ad illud, quòd in dubio irregularitatis sit sequenda tutior pars, respondeo in casu nostro non dubitari, sed opinari; deinde illud procedit in dubio *facti*, non in dubio *Iuris*, in quo nullus iudicandus est irregularis, *ex allatis à Bonacina loco citato.*

59 Octauum argumentum, sicut prohibitus profiteri in Religione & contrahere Matrimonium, est etiam prohibitus facere Nouitiatum, & contrahere Sponsalia, per regulam, seu axioma adductum in quarto argumento, & docet Sanchez *lib. 1. disp. 15.* ita prohibitus recipere Ordines prohibetur suscipere primam Tonsuram, siue sit Ordo, siue non. Valet consequentia ex identitate rationis, nam Tonsura est dispositio ad ordines, sicut Sponsalia, & Nouitiatus ad vtrumque Matrimonium respectiuè.

60 ℞. Est dispar ratio in dictis dispositionibus, nam sine Sponsalibus, & Nouitiatus non potest validè contrahi vtrunque Matrimonium, vt patet, nullo contradicente, de Professione *Sess. 25. cap. 15.* de Matrimonio carnali patet, quia sine promissione consistere non potest, præcedit ergo necessariò mutua promissio, vt inde postea sequatur, neque enim casu, sed consilio contrahitur. Prima verò Tonsura licet quantum ex se dicatur dispositio ad Ordines, & sit talis ex genere suo: non tamen simpliciter, sed tantùm ex suppositione, quòd quis velit subsequenter recipere Ordines, & ex quo validè sine ea recipi possunt, sequitur, eam non esse absolutè, & essentialiter de valore Ordinum, sicut Sponsalia, & Nouitiatus sunt de valore, & essentia vtriusque Matrimonij.

Denique rem totam concludamus in Ordine ad finem, propter quem hæc scripsimus in fauorem cuiusdam laici cupientis promoueri ad primam Tonsuram, non vt Ordines post modum recipiat; sed vt per receptam Tonsuram fiat habilis tamquam Clericus effectus ad obtinendum Beneficium; videmur enim aliquibus frustra laborasse in probando, quòd irregularis non eget dispensatione ad primam Tonsuram, quia hoc etiam concesso adhuc est inhabilis ex alio capite quia scilicet irregularis non potest promoueri ad Beneficium quodcunque illud sit, quia sacris Canonibus prohibetur efficaciter, itaut inualidè irregularis illud aquirat. Ita communiter Doctores *cum Castropal. disp. 5. de censur. p. 6. num. 5. & de Benef. disp. 1. p. 11. §. 3. num. 8. Bonac. de irregul. q. 1. p. 4. num. 6 Diana resol. 37. de irregular. & part. 11. tract. 5. resol. 1. Vers. Verum.* Probant *ex cap. Dudum 22. de elect. cap. Cum bona 8. de ætate, cap. 2. de Cler. pugnante in duello cap. Postulasti 7. de Cler. excom. min. cap. 2. de Cler. non Ordin. min.* Ratio est, quia Beneficiũ datur propter officiũ, sed irregularis non potest exercere aliquod Ordinis officium, ergo est incapax Beneficij. 61 62

Contraria nihilominus sententia præsertim in casu nostro est multum probabilis, vt docent Turrianus *lib. 7. de cens. disp. 58. dub. 2. Suar. disp. 40. sect. 2. num. 29.* vbi huius opinionis Doctores refert, licet num. 30. sit cum priori sententia, tamen in casu nostro videtur sentire, Beneficium habens adiunctam solum recitationem diuini officij non esse dimmittendum ab irregulari num. 19. ergo sicut illud licite retinet, ita & recipere potuisset. Lezana quoque *V. Irregularitas num. 5. in 4. notab.* ait irregularem esse capacem Beneficij non habentis adiunctam functionem alicuius Ordinis; vt in casu nostro accidit huic gibboso, qui solum tenetur recitare Officium diuinum, cuius recitatio non est actus Ordinis, ac proinde ab Episcopo ordinari potest primâ Tonsurâ, & conferre illi Beneficium, quo non constringitur recipere Ordines. Sed qui plura, si dubitatur dispensetur ab Episcopo, qui id facere potest iuxta probata hic consil. 63

CONSI-

CONSILIVM XCIX.

An permutatio Beneficiorum possit fieri inter consanguineos?

1 PResbiter Antonius Bertuccius obtinuit Beneficium Parochiale ab Episcopo Sarzanensi annui redditus 24. Scutorum; modo vix Semestre transacto desiderat illud permutare cum Beneficio simplici scutorum decem, cum suo nepote, qui Beneficium obtinuerat ab Episcopo Parmensi, in cuius diœcesi ambo reperiuntur. Nepos autem in concursu acto Sarzanæ iudicatus fuit ex concurrentibus ad dictam Parochialem dignior. Quæritur, an & quomodo ambo se gerere debeant in hac premutatione?

2 Respond. in primis, talem Permutationem esse prohibitam à Pio V. in sua Bulla 58. incip. *Quanta vbi* §. 5. Pontifex resignationem, ac proinde etiam permutationem, quæ sine resignatione non contingit, *ex Pa-*
3 *ris. lib. 11. de Resign. q. 5. num. 19.* fieri prohibet sub nullitatis pœna, quia in ea præsumitur fraus, vt alijs citatis dicit idem *Paris. lib. 13. q. 4. num. 11.* Quare miror, cur Nepos fuerit approbatus in ordine ad dictam Ecclesiam, non solum ob eam prohibitionem, sed etiam quia nondum vacat. Nec dicas excipi Parochiales. *Quia Resp. S. Congr. apud Fagnanum ad cap. Non sine de arbitr. in fine*, eas comprehendit. 4

In casu verò inter extraneos non prohibetur permutatio, etiam intra semestre, quia eam prohibitionem non inuenio; immo Beneficiatus iam obtinens Beneficium, illud resignare potest licet nondum missus fuerit in possessionem, *Paris. lib. 2. de Resign. q. 26.* Permutatio autem facienda est coram vtroq; Episcopo collatore, nam Beneficium simplex renunciandum est coram Episcopo Parmensi, Parochiale verò coram Sarzanensi, ex ea Regula *1. de reb. iur.* Res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur, & ita faciendum est &c. 5 6

CONSI-

CONSILIVM C.

Quomodo puniendus Sacrista de Furto Sacræ supellectilis?

1 Acrista, qui nonullas supellectiles sacras sibi cum inuentario consignatas distraxit cum notabili damno Ecclesiæ vltra prætium, & æstimationum librarū 400. nō criminaliter, sed tantùm ciuiliter videtur esse condemnandus ad resarciendum damnum illatum, cum salutaribus pænitentijs, & priuandus officio Sacristæ in futurum, secundum doctrinam *Bosi j tit. de Decreto Mediol. Vt non procedatur crimin.* à *num.* 14. Rationem adducit *Vermiliolus cons.* 322. *num.* 7. quia criminalitas cessat, quando negotium originem trahit à contractu, vt in casu præsenti de Inuentario cum rebus sacris à Prælato consignato Sacristæ, vnde cum Sacrista tamquam depositarius rerum sibi consignatarum, habeat obligationem eas conseruandi, sufficienter per illud inuentarium, & obligationem prouisum fuit indemnitati Sacristiæ, vt solùm ciuiliter conueniatur, & cogatur ad restitutionem, *ex eodem Vermil. cons.* 358. *num.* 6.

2 Non potest igitur Sacrista criminaliter condemnari non solum propter adductam rationem, sed præterea, quia non est confessus, neque conuictus, nam Martinus quamuis dicat, se res Sacristiæ habuisse à Sacrista, & eius nomine vendidisse, præsertim cuppam Calicis, dum tamen se exonerat aggrauando Sacristam, non probat, secundum *Farinac. q.* 60. *num.* 19. alij testes vt singulares non probant ad Condemnationem criminalem, *ex eodem Farinac. q.* 64. *num.* 30. & idcirco non est condemnandus ad pænam ordinariam furti.

3 Vlterius testes adducti contra Sacristam diuersas patiuntur exceptiones, nam Martinus est persona vilis, & infamis, habet enim vxorem meretricem, ideo tamquam inhabilis nihil pænitus probat; & eo magis, quia deponit, se vendidisse cuppam Calicis septem libris N. Aurifici, qui deponit in suo examini illi exbursasse libras octo, vel nouem in circa; variant ergo ambo, & non concordant in pretico, ac proinde nulli eorum credendum est.

4 Præterea Bordus deponit se emisse cuppam Calicis cum pauculo argento adusto precio lib. 20. 10. à quodam F. eiusdem professionis ab illo incognito, staturæ ordinariæ. & barbæ rubeæ; certè ista depositio nihil probat, quia non percutit immediatè, nec clarè personam venditricem, cuius notitiam non habet, ideo non probat, *ex Farin. q.* 71. *num.* 32. Nec prædicta signa quicquam faciunt, quia sunt vaga, & vniuersalia non indiuiduantia delinquentem, qui secernendus est à non delinquentibus, *ex eodem Farin. num.* 34. Demum non fuit recognitus à iudice, cum de hac recognitione nulla mentio fiat in processu. Ex his igitur, & alijs Iudex satis sibi debet habere persuasum, non debere procedere ad condemnationem criminalem, ad quam sequitur infamia, *l. Si furti* 8. *C. ex quib. causis infam. irreg. l. Non potest ff de furt. Glos. V. Emendatus cap. Testimonium* 54. *de testib.* Quod verum est etiam respectu Religiosorum apud Melfium Ordinis Minorum de Obseru. *cap.* 2. *de Panis fol.* 62. *&* 63. *per l. fin. ff. de furtis, & l. fin. ff. de priuileg. delict.* Quibus tamen non obstantibus.

Alter Doctor instat, esse in hac causa procedendum criminaliter, & seuerè puniendum Sacristam vt furem, & latrunculum, seu dilapidatorem rerum Ecclesiæ, cuius rationes sunt. 5

Iudex in iudicando debet sequi iura, & sacros Canones, ad hunc enim finem instituta sunt; sed in terminis nostris sacri Canones dicunt hunc esse criminaliter puniendum cap. fin. 10. q. 2. his verbis: *Si quis Episcopus nulla ecclesiastica rationis necessitate compulsus in clero suo, aut vbi forte non est Presbiter, de rebus ecclesiasticis aliquid præsumpserit vendere, & res ipsas Ecclesia propria restaurare cogatur, & in iudicio Episcoporum deijciatur auditus, & conuictus, & tamquam furti, aut latrocinij reus suo priuetur bonore.* Res est clara, si enim Episcopus ita rigorosè punitur, à fortiori simplex Sacerdos, quod etiam docet *Glos. V. Donec causa cap. Quia* 9. 3. *q.* 2. *Glos. V. De dilapidatione, cap. Licet Heli* 31. *de sim. Farinac. q.* 169. *num.* 9. *Caball casu* 136. *num.* 14. *Vers. Tertiò quia.* vnde Ciarbinius *cap.* 207. *num.* 45. *ex Diaz cap.* 139. ait, fures non deponi, sed condemnari. Neque ex restitutione factà liberatur à pæna, sed illam subire tenetur, *Glos. V. Cum augmento cap. Fraternitas* 11. 12. *q.* 2. *Glos. V. Deponatur, cap. Apostolicos* 13. 12. *q.* 2. non enim purgat vitium restituendo, *Glos.* 1. *cap. fin. dist.* 25. 6

Nec obstat, si quis dicat, verbum *Conuictus* restringi ad conuictionem per testes, per quos non fuit conuictus Sacrista. Nam 7

vt infra patebit conuictus probatur; & ad hanc obiectionem respondetur, eam restrictionem esse falsam, nam etiam per Instrumenta, & scripturas autenticas probatur, & conuincitur reus *ex l. fin. C. de probat. Glos. V. Conuictum cap. 1. 2. q. 1.* Sacrista autem propria manu scripsit, & subscripsit Inuentarium rerum sibi consignatarum, & recognouit pro suo in examine, licet negauerit se alienasse ea, quæ desunt, de quibus legitimè constat ex icontratione inuentarij coram testibus amicis eiusdem Sacristæ, ex quibus in processu apparentibus, concludenter, & per necesse patet, illum esse conuictum de rebus, quæ desunt à Sacristiâ.

8 Furtum autem de rebus sacris præsertim Calicis cap. fin. de furtis, est grauissimum delictum sacrilegium qualificatum non solum ex re sacrâ, verum etiam ex voto Paupertatis violato per Sacistam, profertur enim alienum auferendo non solum fur, sed simul etiam proprietarius, & quia sibi appropriat res Monasterij contra voluntatem sui Prælati, *Lezana v. Fur num. 2. Valentia, Lessius, apud de Bictis Capucinum q. 123.* vnde declarandus est priuatus voce actiuâ, & passiuâ *ex sess. 25. cap. 2.* Riccius *par. 2. decis. 27.* multis demonstrat grauitatem furti sacrilegi, vbi de Pixide, & Calice furtim sublatis. Deinde furtum hoc vti magnum inducit pœnam triremium, *Farinac. q. 19. num. 14. Guazzin. Defens. 33. cap. 4. num 6.* Insuper cum iste Sacrista res Ecclesiæ pretiosas, vt sunt Calices duo, sacræ vestes tum Sacerdotales, tum Altarium, alienauerit ad pretium lib. 400. reus est Excommunicationis latæ in extrauag. *Ambitiosæ.*

9 Partes ergo Iudicis erunt, declarare Sacristam priuatum voce actiuâ, & passiuâ, quia proprietarius, vsurpando sibi res ecclesiæ contra votum Paupertatis, & incurrisse Excommunicationem contra alienantes latam, & præterea condemnare illum ad triremes, quia delictum est nimis graue inspiciendo præcisè Calices fractos, & venditionem cupparum, in quibus Sanguis Iesu Christi pluries fuerat consecratum.

10 Respondendum modo est ad opposita, casum hunc dilapidationis bonorum Sacristiæ non esse ciuilem, sed merè criminalem, & Sacristam criminaliter, & non ciuiliter esse condemnandum, vt expressè patet in citato canone ibi: ***Et tamquam furti aut latrocinij reus.***

11 Nec quicquam facit ad rem Vermiliolus 10. consil. 322. vbi sermo est de contractu cuiusdam fabricationis inter Monasterium, & muratorem, qui non erat conueniendus criminaliter, sed tantùm ciuiliter, quia dolosa non fuit fabricatio &c. constat autem distractionem Cupparum, & aliorum fuisse dolosam ex modo vendendi, & mendacijs, vt quia volebat redimere Crucem restauratam apud Aurificem & constat Crucem non fuisse restauratam eo tempore. Et in alio loco *cons. 358. num. 6. & 7.* ait quòd criminalitas non habet locum quando dolus purgari potest per actionem ciuilem excontractu, vt contingit in Tutore, dum probat ex administratione rerum pupilli dominum nullum fuisse passum damnum, in casu autem nostro patet Sacristiam passam fuisse damnum forsan irreparabile, dum Sacrista vti pauper Religiosus illatum damnum resarcire non potest, & quamuis eius pater adhuc viuens forsan paratus sit ad damnum resarciendum, tamen id ignoratur, & reparatione nonquam damnum reparabitur adæquatè cum res sublatæ euanuerint.

Adde vt querelatus de mala administratione non dicatur fur necesse est, vt probet, res, quæ desunt, ab alijs fuisse sublatas saltem per coniecturas, de quibus ab allegatis à Merlino *decis. 188. num. 1.* vbi quòd fractura est bonum signum furti. In casu autem nostro nulla est fractio, nec ipse Sacrista probat, quomodo desint res a Sacristia.

Est autem lata differentia inter Tutorem, Procuratorem, & Sacristam, nam esto omnes isti teneantur custodiam habere rerum sibi commissarum, illi tamen res alienas contractare possunt ad vtilitatem Domini etiam sine eius licentiâ, Religiosus autem Sacrista ita custodire debet sacram supellectilem, vt semper maneat in Sacristia, ita quòd nec extraneis accommodare potest sine licentiâ Superioris, multò minus distrahere, & alienare, vt fecit iste Sacrista. 12

Dicunt agentes pro Sacrista, quòd quamuis desint res Sacristiæ, non ideo tamen probatur, eas distraxisse, nec super illis est conuictus sed contra est. Nam quamuis non esset conuictus testibus, quod negamus, tamen conuictus est per Inuentarium à se scriptum, subcriptum, & recognitum, vt supra dixi. 13

Martini depositio circa Calicem, & alia subsistit, erat enim eius amicus Sacrista, qui cum illius vxore non semel habuit commercium carnale, idcirco verisimile est, quòd Sacrista dederit ei eas res, quæ desunt quod maxime corroboratur ex eo, quòd res sacras ipse Martinus nolebat vedere, & edoctus ea ratione, quia volebat redimere crucẽ ab Aurifice, qui eã restaurauerat, aquieuit, & fecit, quod illi dixerat, ex resistentia ergo Martini, & ex informatione prædicta, & quòd se intendebat cum superiore, Martinus securus factus, res alienauit nomine Sacristæ, quæ circunstantiæ confirmant dictum eius. Quare quod dicitur testem se exonerante in non probare, *ex allegatis à Farinac. q. 60. num. 4. Vermigliol. cons 256. num. 6.* intelligitur, quando testis nullam adducit cau- 14

-sam

fam suæ exonerationis, vt hic facit, & ex obiecto pateret res illa esse Sacristiæ, ergo à Sacristà datas Martino, nisi Sacrista probet fuisse sibi furatas à dicto Martino, de quo non constat, cum capsæ, in quibus custodiebantur, non sint fractæ, & calices præsertim vt multum antiqui nonquam erant in vsu Sacrificij, vnde verisimile non est, quòd fuerint remoti à suo loco ab extraneo.

15 Vilis persona non est Martinus tum ex origine à personis honestis, tum ex arte Calzolarij, quam exercet nec paupertas eum reddit vilem, sed relinquit eum in suo statu habilitatis ad testificandum, *Farinac. q.57.num.75.* Nec infamis dici potest ex meretricio vxoris, quia infamia contrahitur vel ex proprio delicto, de quo hic non constat, vel ex alieno, vt in crimine hæresis *cap. statutum 15. de haret. in 6.* & hoc originem trahit à lege, nulla autem lege notatur infamia vir habens vxorem meretricantem, quando illius non est leno, Martinus autem semper id detestatus fuit, & à se reiecit vxorem, quæ vitam semper degit ab eo separatam.

16 Demus aliquam exceptionem contra Martinum, ea tamen attendenda non est, quia in probatione furti, ex quo est difficilis probationis, adhibentur etiam testes viles, & probant ex allegatis à Merlino supra. Præterea paupertas, non tollit, nec minuit fidem pauperi, sed est testis habilis, *cap. Si quis 8. de Testib. Dec. conf. 163. num. 6. Crauetta conf. 149. num. 11. ex Merlino decis. 635. num. 9. Farinac. q. 65. num. 252.*

17 Quò ad variationem pretij Calicis venditi, Martinus, & Hercules non dicuntur variare in substantia rei, cum ambo deponant de Cuppa, sed tantùm sint diuersi in numero pretij, quod non facit ad rem, dum non consideratur pretium, de quo non est questio sed res ipsa vendita, de qua queritur auctor distractionis. Deinde si spectentur numeri pretij cuppæ, venditæ dicuntur concordare ad minus in minori summa, quia minor continetur in maiori, *Farinac. q. 64. num. 235. & q. 65. num. 252. cum multis alijs citatis à Merlino decis. 314. num. 1.*

18 Bordus aurifex fatetur à Fratre incognito sibi staturæ ordinariæ, & barbæ rubeæ eiusdem Ordinis emisse cuppam calicis. Testis iste nullam patitur exceptionem in suà personà, ratione cuius nec à suo Procuratore repulsus fuit, ergo ex hoc capite probat concludenter Fratrem illum incognitum Cuppam vendidisse, quilibet enim præsumitur testis habilis, nisi probetur oppositum, *Glos. V. Idonei cap. 1. de testib.*

Nec obstat, quod Frater ille sit incognitus Aurifici quo ad nomen personæ, quia talibus signis, & circunstantijs, nempe, quod sit staturæ ordinariæ, barbæ rubeæ, eiusdem Ordinis, & habitet in eodem conuentu, ita Sacrista particularizatur, & indiuiduatur, vt illa sit demonstrata hæc numero cũ exclusione aliarum, quæ sunt in eodem Conuentu, cum nullus in eodem Conuentu reperiatur, qui omnes habeat circunstantias. Deinde nullus alius querelatus fuit super ablatione rerum Sacristiæ, præter ipsum Sacristam, ergo ipse est, qui cuppam calicis vendidit, nullus enim alius habebat sub sua custodia vtensilia Sacristiæ præter ipsum, ergo ille Frater rubeæ barbæ erat ipsemet Sacrista, & sic nota dicitur persona ipsi Aurifici. 19

Et hæc dotrina de indiuiduando personam ad vnicum numero indiuiduum colligitur ex definitione indiuidui, quam tradit Porphirius *ad finem cap. de specie bis verbis: Indiuiduum autem dicuntur huiusmodi, quoniam ex proprietatibus consistit vnum quodque eorum, quarum collectio nonquam in alio eadem erit.* Et ex his patet, signa, & circunstantias prædictas non demonstrare indiuiduum vagum, & incertum, sed simul iuncta singularizare solum ipsummet Sacristam, dum illæ simul sumptæ in eo solo inueniuntur, & non in alijs Fratribus. 20

Hinc est, quòd Iudex causæ in formando processu offensiuo non curauit recognoscere illum Fratrem, quia pro certo habuit per illas circunstantias adæquatè haberi pro recognito, dum alias excogitabilis non sit in tali causà. Et licet Aduersarius magnam vim faciat in omissà recognitione, tamen cum non probet, aliud Religiosum vendidisse Calicem, vt debuisset, dum constat ex confessione Aurificis eius emptio, ergo ab aliquo. 21

Loquendo autem de testibus singularibus manifestum est, eam exceptionem non habere locum in cuppis Calicem, nam Martinus, & Aurifices duo simul contestes sunt, & nonnulli etiam Religiosi concurrunt omnes in idem numero furtum de reb. quæ ab inuentario desunt. Immo datà singularitate testium, adhuc testes probant, dum multis alijs indicijs simul vnitis perficitur vna integra probatio, maximè concurrentibus duobus Sacerdotibus quò ad cuppas. Plenè igitur, & concludenter probant, maximè quia sunt adminiculati cum Instrumento inuentarij, *ex Ioan. Andr. & Abbate in cap. In nostra, de testib. cum alijs allegatis à Gabriel. concl. 4. de testib. num. 28.* 22

FINIS.

INDEX
RERVM NOTABILIVM
IN HOC LIBRO CENTVM VARIORVM CONSILIORVM

Prior numerus paginam poſterior marginalem indicat.

A

D

E

F

G

H

I

In

L

M

Conuentu.

Pracipum

Proba-

Q

S

FINIS.

Digitized by Google

PRIVILEGIA CLERICORVM

Reuerendiſs. P. M.

FRANCISCI BORDONI.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRIVILEGIA CLERICORVM

IN CONTROVERSIIS
OCCVRRENTIBVS

INTER IVDICES

ECCLESIASTICOS, ET LAICOS,

EXPLICATA

Per Reuerendiſs. P. M.

FRANCISCVM

BORDONVM

PARMENSEM.

Tertij Ordinis Regularis S. Franciſci
olim Generalem.

PARMÆ,
Typis Ioſeph ab Oleo, & Hippolyti Roſati. MDCLXXXIX.

DE SVPERIORVM CONSENSV.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO D.D.

HIERONYMO

TVSCHO

REGIENSI,

DIGNISSIMO

IN PATRIA CATHEDRALI

ARCHIDIACONO.

Digitized by Google

Illuſtriſsime, & Reuerendiſsime Domine.

THVSCORVM Generis, quo preſulges, Nobilitas, inconcuſſa Fides, munificentiſſima in eruditis per continua beneficia deuinciendis Magnanimitas, ſedula in omnibus Virtutibus excolendis Intenſio, ſemper EMINENS Eccleſiaſticarum Dignitatum Excellentia, ſingulæq; TVI animi Dotes, in copioſa Mœcenatum affluentia, quæ beneficiorum dulcedine delinitum animum poſſet inflectere, arcano me quodam impulſu mouent TVO Patrocinio hunc Tractatum comittere, vt ſub TVIS Auſpicijs ſecurior euadat, ſuis potiatur iuribus, ſuamq; authoritatem exerceat. Quis autem non videat hoc opus appoſitè Tuo Nomini debitum? Si enim Eccleſiaſticam ſpectemus Dignitatem, quam hic Liber egregiè ſuſtinet, ac ſi ampliſſimum Eccleſiaſtici Viri attendamus Miniſterium, nulli profectò potiori titulo quam Dominationi Tuæ Illuſtriſſimæ Opus dicari, aut ſub tutioribus Præſidijs, quam Tuis in lucem prodire poterat, quod profectò quis inficiabitur? ſi Tuæ animi Vires reuoluantur, ac Dotes, quarum tanta eſt copia, vt vix integris voluminibus inſcriberentur, nec alterum ipſa natura effundere queat Homerum, quo Te vt alterum Virtutis Achillem abſq; adulationis fuco exprimere valeat. Quapropter Tibi luculentiſſimum hunc offero Tractatum, ac talem, vt cum ſperem non vno

ſed

sed pluribus titulis tum Authoris sui, tum de quo differit argumenti, gratum fore: Author enim est Reuerendissimus Bordonus eximius Tertij Ordinis Seraphici Generalis, Vir pietate insigni, exacta vitæ ac disciplinæ regularis obseruantia, quem solidæ, multimodæq; doctrinæ Scriptorem plurima testantur Volumina; eius itaq; labor Tuum sanè quæritur auxilium Tua quidem protectione congaudet, cum ex magno Virtutis flumine profluxerit ad tuum sinum iure merito refluit *ad locum enim vnde exeunt flumina vt iterum fluuant reuertuntur*: Clericorum si quidem Sanctitatem, Iustitiam, Dignitatem, sermonem, fidelem, & morum amplectitur probitatem; Tu autem sacræ Clericali militiæ adscriptus cuncta veri Ecclesiastici specimina præstas amplissima, *Te ipsum præbens exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate*, Auita igitur humanitate suscipias Illustrissime Domine exiguum hoc in æternæ obseruantiæ symbolum, tot tibi titulis debitum de PRIVILEGIIS Tractatum, mihique singulare tui amoris priuilegium impertiaris, ac quot quot sacræ perlegeris delineamenta doctrinæ totidem animi obsequentis monumenta, percipias; Tua interim cum munusculum hoc sublimia non æquet merita, concludat epistolam Philosophus ille pauper Æschines auditor Socratis, cui dum à multis opulentissima præberentur munera, *nihil dignum se* (dixit Socrati) *quod tibi dare possim inuenio dono tibi quod vnum habeo, me ipsum*.

Addictiss. & Obsequentiss.
N. N.

INDEX
CAPITVM, ET QVÆSTIONVM
TRACTATVS PRIVILEGIORVM
CLERICALIVM.

Prior Numerus dat Paginam, posterior dat Columnam.

CAPVT PRIMVM.

De Statu, & Personis Ecclesiasticis.

SVMMARIVM. pag. 1.

CAPVT SECVNDVM.

De Origine Priuilegiorum Clericalium.

SVMMARIVM. pag. 6.

✠

CAPVT TERTIVM.

De Priuilegijs Ecclesiarum, & Locorum Piorum.

CAPVT QVARTVM.

De Aquifitione Priuilegiorum Clericalium.

CA-

CAPVT QVINTVM.

De Priuilegio Clericorum Beneficiatorum.

SVMMARIVM. *pag.*42.

1 *An habens solam Beneficij collationem gaudeat Priuilegio Fori.* 44.2.
2 *An sola possessio sufficiat sine valida collatione.* 45.1.
3 *Quid si ex Beneficio nullos percipiat fructus.* 45.1.
4 *An gaudeat habens Beneficium litigiosum.* 45.1.
5 *An qui resignauit Beneficium.* 45.1.
6 *An quodlibet Beneficium ecclesiasticum sufficiat.* 45.1.
7 *An habens manuale Beneficium.* 45.2.
8 *An habens Capellaniam.* 45.2.
9 *An habens Coadiutoriam.* 46.1.
10 *An habens Commendam.* 46.1.
11 *An habens Præstimonium.* 46.1.
12 *An habens Pensionem.* 46.2.
13 *An beneficiarius egeat tribus alijs requisitis à Tridentino.* 47.2.
14 *An requiratur declaratio amissi Beneficij vt perdat priuilegium fori.* 47.2.

CAPVT SEXTVM.

De Priuilegio Fori pro Clericis non beneficiatis.

SVMMARIVM. *pag.* 48.

1 *An tria Concilij requisita sint necessaria copulatiuè pro vsu priuilegij fori.* 49.2.
2 *An tonsuratus tantùm ea seruare teneatur.* 50.1.
3 *An Clericus cuiuslibet ætatis comprehendatur in Decreto Concilij.* 50.1.
4 *Qualis debeat esse Habitus clericalis.* 50.2.
5 *Quandiu debeat durare Habitus depositio ad perdendum priuilegium.* 51.1.
6 *Qualis debeat esse Tonsura Clericorum.* 51.2.
7 *Quid dicendum de Caluis à natura, vel morbo factis.* 52.1.
8 *An necessarium sit seruire Ecclesiæ.* 52.1.
9 *An necessarium sit mandatum Episcopi ad seruiendũ Ecclesiæ.* 52.2.
10 *An sufficiat seruire Ecclesiæ regulari.* 53.1.
11 *Quandiu debeat durare hæc seruitus.* 53.1.
12 *An sufficiat seruire Confraternitati, vel Hospitali.* 53.2.
13 *An qui non seruiuit hoc mense gaudeat priuilegio fori.* 53.2.
14 *An requiratur trina monitio ad perdendum priuilegium.* 53.2.
15 *An saltem requiratur Sententia declaratoria.* 53.2.
16 *An in Sacris constituti comprehendantur in hoc Decreto.* 54.1.
17 *An Nouitij, Tertiarij, & professi comprehendantur.* 54.1.
18 *An induci possit consuetudo contra hæc requisita.* 54.1.
19 *An derogatoria in fine cap. 6. sess. 23. referatur ad omnes partes Decreti.* 55.1.
20 *An perdens priuilegium Fori amittat aliud Canonis.* 55.1.
21 *An probabilis sit opinio Torreblanca, quod in eo capite non agatur de Clericis maioris ætatis.* 55.2.
22 *Quid statuat Synodus Nembrina*

CAPVT SEPTIMVM.

De Priuilegijs Clericorum Coniugatorum cum Virgine.

SVMMARIVM. pag. 58.

CAPVT OCTAVVM.

De Priuilegijs Clericorum Bigamorum.

SVMMARIVM. pag. 62.

CA-

CAPVT NONVM.
De Amisſione Priuilegiorum Clericalium.

CAPVT DECIMVM.
De mutatione Fori,& Status occaſione delictorum.

15 An

CAPVT VNDECIMVM.

De Carceratione Personarum Ecclesiasticarum.

SVMMARIVM. pag. 97.

CAPVT DVODECIMVM.

De Remissione Clericorum Carceratorum.

SVMMARIVM. pag. 104.

CAPVT TERTIVM DECIMVM.
De Probatione Clericatus.

SVMMARIVM. pag. 114.

CAPVT QVARTVM DECIMVM.
De Iudice Laico Criminali contra Ecclesiasticos.

SVMMARIVM. pag. 118.

6 An

CAPVT QVINTVM DECIMVM.

De Excommunicatione Bullę Cænæ Domini contra procesſantes Clericos.

sine

CAPVT SEXTVM DECIMVM.

De Priuilegio Fori Ciuilis Ecclesiasticorum.

SVMMARIVM. pag. 131.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

De Excommunicatione B.C.D. contra trahentes Ecclesiasticos coram Iudice laico.

SVMMARIVM. pag. 137.

3 *Quæ-*

Digitized by Google

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

De Præuentione inter Iudices.

SVMMARIVM. pag. 139.

CAPVT DECIMVM NONVM.
De exemptione Ecclesiasticorum à Gabellis.

SVMMARIVM. pag. 145.

CAPVT VIGESIMVM.
De Statutis laicorum contra, & pro Ecclesiasticis.

SVMMARIVM. pag. 153.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.
De Priuilegio Canonis.

85 *Quid*

percussio

CAPVT

CAPVT PRIMVM

De Statu, & Personis Ecclesiasticis.

SVMMARIVM.

1 ORDO *confunditur, si unicuiq; propria iurisdictio non seruatur.*
2 *Status ecclesiasticus hic non sumitur pro dominio temporali Pontificis.*
3 *Sed pro gradu personarum ecclesiasticarum.*
4 *Status importat permanentiam.*
5 *Status militantis ecclesiæ permanens usq; ad finem seculi.*
6 *Deus omnium rerum Creator specialiter status ecclesiastici.*
7 *Baptizati tantùm possunt ingredi statum ecclesiasticum.*
8 *Status hominis Christiani primus est à Baptismo, alter ecclesiasticorum.*
9 *Quis fiit de statu ecclesiastico per publicam deputationem ministri ecclesiastici ad speciale Dei seruitium.*
10 *Minister solus ecclesiasticus hominem Baptizatum potest ponere in statu ecclesiastico.*
11 *Status ecclesiasticus duplex Clericatus, & Monachatus.*
12 *Status uterq; est de iure diuino.*
13 *Christus à Deo sacerdos simul, & monachus creatus.*
14 *Christus primogenitus mortuorum, & viuorum.*
15 *Christus Apostolos fecit sacerdotes, Episcopos, & religiosos.*
16 *Horum status propriè viuorum dicitur.*
17 *Apostoli probãtur religiosi sub trib. votis.*
18 *Persona ecclesiastica est omnis utriusq; sexus auctoritate ecclesiasticâ deputata specialiter ad Dei seruitium in Ecclesiâ.*
19 *Duplex harum genus, clericorum, & monachorum.*
20 Clerici *nomine uenit omnis masculus à primo tonsura ad sacerdotium.*
21 *Clericus dicitur omnis ordinatus tonsura, vel ali..uo ordine.*
22 *Omnis clericus est persona ecclesiastica, nõ hæc est clericus, cum possit esse monachus.*
23 *Monachi enim non omnes clerici sed laici conuersi tempore S Siluestri Papæ.*
24 *Religiosi professi Claustrales sunt personæ ecclesiasticæ.*
25 *Nouitij quoq; fiunt legitima receptione habitus probationis.*
26 *Militares etiam nouitij sunt personæ ecclesiasticæ.*
27 *Moniales etiam nouitiæ sunt personæ ecclesiasticæ.*
28 *Oblati sunt personæ ecclesiasticæ.*
29 *Tertiarij quoq; & Sorores, si vouerint castitatem.*
30 *Tertiarij etiam seruientes monialibus.*
31 *Eremitæ pariter habitum religiosum gestantes de licentia superioris.*
32 *Incumbentes orationi in loco communi, vel solitario.*
33 *Non est necesse, quòd careant proprio in particulari.*
34 *Colobium est indumentum sine manicis.*
35 *Clerici saluatici sunt personæ ecclesiasticæ.*
36 *Licet sint bigami veri, vel interpretatiui.*
37 *Seruientes ecclesijs deputati ab Episcopo dicuntur saluatici clerici.*
38 Clericorum *nomine ueniunt religiosi in fauorabilibus.*
39 *Non in odiosis.*
40 *Quæ dicuntur de Clericis in materia priuilegiorum fauorabiliter intelliguntur dicta etiam pro religiosis.*

Digitized by Google

DE STATV, ET PERSONIS ECCLESIASTICIS.

QVoniam materia de priuilegijs fori criminalis personarum, quæ dicuntur esse de statu ecclesiastico, cum magnâ altercatione inter Iudices ecclesiasticos, & seculares sæpius agitur, ideo operæ pretium duxi huius priuilegij ab alijs segregatim verba facere, vt inde ijdem iudices clarè elicere possint, quandonam ecclesiastici gaudeant hoc priuilegio, vel illud amiserint, vt vnicuiq; iudici tribuatur ius suum in causâ iurisdictionis, ordo enim, qui in omnibus seruandus est, confunditur, si vnicuiq; propria iurisdictio non
1 seruatur, *cap. Peruenit* 39. 11 *q*. 1. Quia autem ecclesiasticæ personæ gaudentes priuilegijs clericalibus dicuntur esse constitutæ in statu ecclesiastico, ideo primo loco se offert prima quæstio.

2 Qæres igitur 1. Quid sit status ecclesiasticus? Non quæro de statu ecclesiastico sumpto pro dominio temporali, quod immediate Pontifex Romanus exercet in certis locis Italiæ mittendo officiales, qui regimen habent delegatum ab eo non translatum in illos e. g. Romæ, Maceratæ, Bononiæ, &c. Neque enim huius status cognitio pertinet, nec facit ad rem pro præsenti materiâ; sed de statu consistente in gradu, in quo constituuntur religiosi à clericatu, & à receptione habitus iuxta quod S. Hieronymus relatus in cap. Duo sunt 7. 12. q. 1. distinguit duo genera Christianorum in Laicos, & Clericos, sub quo nomine comprehendit non solum clericos ab ordine, sed etiam regulares quoscunq; iuxta quod infra latius declarabo.

3 ℟. Status ecclesiasticus est res spiritualis permanens à Deo collata hominibus baptizatis per ordinationem, & deputationem ministri ecclesiastici ad Dei speciale seruitium.

Dixi primò, quod est *res*, nam hæc vox est generalis significans quamlibet rem; siue temporalem, siue spiritualem, ad quam spiritualitatem rem restrinxi, vt definitionem hanc ponerem per genus proximum spiritualitatis, secernendo hunc statum à multis alijs, de quibus hic agendum non est.

4 Dixi 2. *permanens*, nam permanentia est de ratione status, qui dicit immobilitatem ex suâ naturâ, *ex D. Thoma* 2. 2. *q*. 183. *art*. 1. *Belarm. lib*. 2. *de monachis cap*. 2. *fine*, *Suarez tom*. 3. *de Relig. lib*. 1. *cap*. 1. *num*.
5 3. *Sanchez lib*. 5. *cap*. 1. *num*. 12. *&* 18. Dixi *ex sua natura*, quia status ecclesiasticus ecclesiæ militantis perpetuò duraturus est vsq; ad finem mundi, esto per accidens persona illum assumens quandoq; deserat, non propterea desinit, sed est persona, quæ illum abijcit, vt patet in clerico, qui in minoribus constitutus ordinibus illum deserit.

Dixi 3. *A Deo collata hominibus*, esto 6
Deus rerum omnium creator sit, sine quo res nulla de non esse potest transire ad esse, tamen respectu spiritualium speciali modo earum conditor est ex eâ differentiâ, quòd temporalia, & naturalia generali concursu de non esse transeunt ad esse, speciali verò dat esse spiritualibus, qui modus est excellentior, & præstantior, quam generalis eiusdem operatio, id exigente conditione effectus ex suâ ratione supernaturali.

Dixi 4. *hominibus baptizatis*, non enim 7
quis poni potest in hoc statu ecclesiastico, nisi prius ecclesiam sit ingressus per viam baptismi, qui habilitat personam, & facit dignam, vt possit connumerari cum alijs in hoc statu. Vnde assignari possunt in Christiano
tres status, primus à baptismo, à quo fit tran- 8
situs ad statum clericalem, qui est secundus nuncupatus ecclesiasticus, & tertius monachatus nuncupatus, ad quem fit transitus per personas secundi, & primi statuum.

Dixi 5. *per ordinationem, & deputationem* 9
ministri ecclesiastici ad Dei speciale seruitium. Multa spiritualia Deus hominibus confert vt sacramenta, gratiam & alia dona fidei, spei, &c. tamen hæc non constituunt personam donatariam in statu ecclesiastico, baptizatus enim, profeta, fidelis, &c. non est in statu ecclesiastico, vt patet; sed per ordinationem, & deputationem factam à ministro, hoc enim ipso, quod Dei minister ordinat laicum primâ tonsurâ transfert illum à statu laicali ad statum ecclesiasticum faciendo illum clericum; sic per dationem habitus religiosi facit monachum nouitium, & professione stabilit illum in hoc statu ecclesiastico, vnde monachi S. Benedicti suam professionem vocant stabilitatem; itaque per ordinationem clerici, per deputationem monachi dicuntur constitui in statu ecclesiastico, qui enim tõsurantur ab Episcopo in clericatu, vel à superiore regulari in monachatu, statim Deus confert illis hanc rem spiritualem in illis permanentem, per quam dicuntur esse in eo statu.

Dixi 6. *Ministri ecclesiastici*, nullus enim 10
homo licet baptizatus potest hominẽ quamuis baptizatum ponere in hoc statu, nisi ipse sit persona ecclesiastica iam connumerata, & adscripta in hoc statu ecclesiastico, qui sit vel Episcopus respectu ordinum, vel superior regularis respectu monachatus.

Dixi 7. *Ad Dei speciale seruitium*, quo nomine venit in primis cultus erga Deum, & Sanctos eius, administratio Sacramentorum, oratio, contemplatio, seruitus ecclesiarum,

&c.

&c. Hæc amplius infra patebunt.
Quæres 2. Quotuplex sit status ecclesiasticus?
11 ℞. Diuiditur in duas species, vna dicitur
clericatus, altera monachatus, de ipsis enim
status ecclesiasticus tamquam genus prædicatur,
nam in his apparet propriè ratio status,
qui dicit firmitatem, permanentiam, & stabilitatem
in gradu posito, siquidem qui à
statu laicali transit per primam tonsuram ad
statum clericalem intendit, si recto fine transit,
permanentiam in clericatu gradatim ascendendo
ad ordines; & qui recipit habitum
religiosum intendit permanentiam in religione,
quam professione firmat, & stabilit,
ergo clericatus, & monachatus sunt species
status ecclesiastici. Confirmatur, quia præter
stabilitatem important quoq; speciale Dei
seruitium cultus diuini, administrationis Sacramentorum,
contemplationis, orationis,
&c. per eas deputationes ordinationis clericalis,
& monachalis.
Quæres 3. An vterq; status sit de iure diuino
originem à Deo habens?
12 ℞. Affirmatiuè. Probatur auctoritate S.
Iacobi. cap. 1. num. 17. *Omne datum optimum,
& omne donum perfectum desursum est,
descendens à Patre luminum.* Sed status ecclesiasticus
clericorum, & monachorum est datum
optimum, & donum perfectum, vt patet
ex dictis, cum versetur circa cultum diuinum,
& administrationem sacramentorum,
13 ergo est à Patre luminum, & sic est de iure
diuino. Confirmatur, quia Christus Dominus
à Deo institutus fuit simul sacerdos,
& monachus, clericus quidem, & sacerdos
secundum illud Psalmi 109. *Tu es Sacerdos
in æternum secundum ordinem Melchisedech*;
monachus verò & religiosus, quia ex Sacris
literis habemus illum professe tria vota
Deo, ex quibus est status monachalis, & regularis,
nam obedientiam professus fuit, ad
Philip. 2. 8. *Factus obediens vsq; ad mortem.*
status enim regularis finitur morte; Paupertatem
quoq; obseruauit, Psal. 30. 11. *Infirmata
est in paupertate virtus mea.* Item Psal.
24. 16. *Vnicus, & pauper sum ego in laboribus
à iuuentute mea.* Item Psal. 39. 18. *Mendicus
sum, & pauper.* De eius virginitate Ierem.
3. 4. *Pater meus dux virginitatis meæ.*
Ex his ergo probatur clericalis, & regularis
status in Christo à Deo receptus non ab alio
14 homine, indecens enim erat, quod Christus
homo reciperet hunc statum ab alio homine,
ergo à Domino Deo, cõsequenter vterq; status
est de iure diuino in sua origine, & cum
is status dicatur viuentium, quia ordinantur
ad vitam spiritualem, sequitur, quòd
Christus sicut fuit primogenitus mortuorum
in suâ resurrectione, Ad Coloss. cap. 1. 18.
Apoc. 1. 5. ita & fuit primogenitus viuorum
in hoc duplici statu ecclesiastico, vnde ipse
tamquam caput Ecclesiæ, Apostolos voluit
esse prima membra huius status, dum illos
creauit Clericos, Sacerdotes, & Episcopos 15
ad diuina misteria, eosdemq; fecit religiosos,
& quidem nouitios ante Apostolatum, dum
erant discipuli, professos verò in Apostolatu,
iuxta illud: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti
sumus te.* Matth. 19. 27. Et verè dicitur 16
status viuorum, quia in eo exercentur opera
ab ecclesiasticis, quæ ducunt ad vitam æternam,
quæ nunquam deficit. Quòd Apo- 17
stoli fuerint religiosi sub tribus votis docent
*S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 4. ad 3. Pontius
Augustinianus lib. 7. de matr. cap. 2. Tamburr.
tom. 1. disp. 25 q. 1. num.* 38. quos &
alios citaui de profess. regul. in editionibus
Venetâ & Lugdunensi tom. 5. cap. 1. num.
9. ad 20. vbi id pluribus probaui. In specie
de clericatu, quod sit de iure diuino, multis
citatis docet Carolus Grassus in Prælud.
initio.
Quæres 4. Quid sit persona ecclesiastica,
quæ hoc nomen aquirit, dum est registrata
in hoc collegio status ecclesiastici?
℞. Est omnis vtriusq; sexus, quæ aucto- 18
ritate ecclesiasticà deputatur ad Dei seruitium
in ecclesiâ. Deducitur ex D. Hieronymo
relato in cap. Duo sunt 7. 12. q. 1. vbi referuntur
duo genera Christianorum, primum
est eorum, qui mancipantur diuino officio,
contemplationibus, & orationibus, quibus
conuenit cessare ab omni strepitu temporalium,
quos ibi Sanctus diuidit in duas
Classes, nimirum in Clericos, & Conuersos,
quo posteriori nomine veniunt monachi,
& religiosi, qui mutatione status dicuntur
conuersi ad Deum, & à statu temporali
ad spiritualem. Subdiuitur ergo hoc primum 19
genus Christianorum in Clericos, & Monachos,
qui sine dubio sunt personæ ecclesiasticæ,
quia sunt de statu ecclesiastico. Alterum
genus Christianorum vocatur à Sancto
Hieronimo laicorum, qui occupantur in negotijs
huius seculi; ita quòd non datur medium
inter vtrunq; omnis enim homo vel est
ecclesiasticus, vel laicus.
Quæres 5. Quisnam dicatur Clericus, &
subinde persona ecclesiastica?
℞. Nomine clerici propriè venit omnis 20
ordinatus à primâ tonsurâ vsq; ad Episcopatum
vtrinq; inclusiuè, quilibet enim istorum
graduum est clericus, originatur autem nomen
Clerici à primâ tonsurâ, quæ personam
de statu laicali transfert in statum clericalem,
ab eâ ergo, qui est promotus, appellatur Clericus.
Ita *Cap. Cleros 1. dist. 21. cap. Seriatim
14. dist. 32. cap. De persona* 38. 11. *q.* 1.
In quibus dicitur, quòd initiatus quolibet ordine
appellatur clericus. Solùm autem tonsuratus
dicitur clericus, cum à solâ tonsuratione
hoc nomen recipiat, *cap. Cum contingat
11. de ætate, cap. Ex literis 6. de transact.*

fati. Et ita docent omnes *cum Barb. Appell.* *50. initio, cum Corseto sing. 12. ad finem*, *Crauetta vol. 4. consil. 616. num. 14.* Et hoc est certum in materia fauorabili, & etiam odiosa, nisi sint constituti in aliqua dignitate, quæ excludat nomen Clerici quo ad pœnam, non quo ad denominationem, quæ personæ semper inhæret ratione caracteris.

21 Quilibet autem clericus dicitur persona ecclesiastica ex definitione ipsius ecclesiastici status, & eiusdem personæ, siquidem clericus est persona ex ordinatione deputata ad diuinum cultum, ergo ecclesiastica est; & ordo, qui facit clericum, appelatur ecclesiasticus, ergo ordinatus dicitur & ipse persona ecclesiastica. Colligitur *ex Glos. V. Conuersi cap. Duo sunt. 7. 12. q. 1. & Glos. V. Ecclesiasticis, cap. Quisquis 21. 17. q. 4. Rota in vna Veron. Pensionis 23. Febr. 1600. coram Cardinali Lancelloto, & decis. 95. apud Viuian. de Iurepatron. quos citat. Barb. Appellat. 199. num. 13. Bonac. in Bulla disp. 1. q. 16. p. 3. initio, Riccius par. 4. resol. 251. num. 1.* Quod quilibet Clericus etiam Papa vocatur persona ecclesiastica, & sic omnis ordinatus.

Quæres 6. An sit aliqua differentia inter clericum, & personam ecclesiasticam?

22 ℞. Eam esse differentiam, quod omnis clericus est persona ecclesiastica, non verò omnis persona ecclesiastica est clericus, non enim genera couertuntur cum suis speciebus singillatim acceptis, quia ad constituendam personam in statu ecclesiastico sufficit publica deputatio ad ecclesiæ seruitium facta per superiorem ecclesiasticum sine tonsura, & ordine, vt patet in religiosis, qui ab origine monachatus non erant clerici, oppportebat enim in primitiua ecclesia distinguere monachos à clericis, vt essent duo gradus inter se diuersi in statu ecclesiastico, vnde tẽpore D.

23 Siluestri Papæ Abbates monachorum erant sub gradu Ostiarij tamquam nõ Clerici, cap. A Subdiacono 5. dist. 93. Ergo datur persona ecclesiastica, quæ non est Clericus.

Quæres 7. An religiosi claustrales professi sint personæ ecclesiasticæ? Dixi, Claustrales, quia de Militaribus dicam infrà.

24 ℞. Religiosi professi non solum qua clerici, sed etiam conuersi sunt personæ ecclesiasticæ, quia eorum professione dicuntur esse de statu ecclesiastico, ex supradictis, ergo & personæ ecclesiasticæ, de professis Clericis non est dubitandum ex quo sunt professi, & Clerici, neq; de laicis, & conuersis religiosis, qui vocantur personæ ecclesiasticæ. Ita *Glos. V. conuersi dicti cap. Sunt duo 7. 12. q. 1. Glos. V. Ecclesiasticis cap. Quisquis 21. 17. q. 4. Glos. V. Ecclesiasticos cap. Sciant 12. de elect. in 6. ex his Rodriq. tom. 1. q. 123. art. 1. ad finem, Couar. in cap. Alma mater par. 2. §. 2. num. 8.*

Quæres 8. An nouitij illorum sint personæ ecclesiasticæ?

℞. Affirmatiuè, quia per legitimam receptionem habitus probationis fiunt de statu 25
ecclesiastico, recipiuntur per potestatem ecclesiasticam, & deputantur diuinis obsequijs. Ita omnes *cum Riccio par. 4. resol. 239. & 240. Sanchez lib. 6. cap. 10. num. 16. Iacintus Donatus Laynensis Ordinis Prædicatorum Rerum Regular. par. 4. tract. 6. q. 2. Rodriq. par. 2. q. 2. art. 10. Barb. Allegat. 12. num. 37.*

Quæres 9. An religiosi militares sint personæ ecclesiasticæ?

℞. Affirmatiuè, tam eorum nouitij, quam professi, deputantur enim publica auctoritate ecclesiastica ad seruiendum Deo impugnando infideles in defensionem fidei catolicæ. Ita colligitur ex citatis Glos. sub q. 7. & docent *Riccius par. 4. resol. 250. Donatus cit. par. 4. tract. 6. q. 8.* præsertim *num. 7. Sperellus fuse dec. 2. num. 99.* 26

Quæres 10. An moniales tam nouitiæ, quam professæ ordinum prædictorum sint personæ ecclesiasticæ?

℞. Affirmatiuè, quia & ipsæ tam nouitiæ 27
quam professæ receptione habitus, & Professione dedicãtur diuinis obsequijs, vt notum est, & sunt sub statu ecclesiastico, esto sint mulieres, quia eas non dedecet specialiter seruire Deo in statu monachali, licet repugnet in statu clericali. Et ita docent *Riccius par. 3. resol. 20.* extremis verbis *Grassus Effectu 1. num. 97. Dal Bene par. 1. cap. 4. dub. 13. num. 3. & Canon. in cap. De monalib. 33. de se. excom.* Iterum idem Riccius al. js allegatis *par. 4.* resol. 251. Vbi de monialibus non solum professis, sed etiam nouitijs.

Quæres 11. An oblati, & alio nomine appellati, licet professionem non emittant, sint personæ ecclesiasticæ?

℞. Affirmatiuè, quia receptione habitus 28
religiosi fiunt de statu monachali, manentes eũ religiosis professis Ita *Glos. V. Mutato habitu, cap. Vt priuilegia 24. de priuil. Glos. V. Religionis Conuersos cap. 5. de sent excom. Bonac. in Bulla disp. 1. q. 16. p. 3. num. 12. Grassus de Effect. cler. Eff. 1. num. 96.* Thomas dal Bene Theatinus Qualificator S. Officij Vrbis *par. 1. de immun. eccles. dub. 13. num. 7.*

Quæres 12. An Tertiarij S. Francisci sint personæ ecclesiasticæ, & alterius cuiuslibet Ordinis?

℞. Affirmatiuè, quia speciali modo deputantur seruitio Dei, & sunt approbati à Sede 29
Apostolicà tamquam diuersi à meris laicis, ac proinde constituti sub statu ecclesiastico, appellantur personæ ecclesiasticæ. Est communis *Grassus Effectu 1. num. 92. multis citatis, Dal Bene par. 1. cap. 1. dub. 13. num. 9. Barb. Allegat. 12. num. 41. Gratian. cap. 413. num. 45.* Et licet loquantur de Tertiarijs

in

in communi viuentes, & etiam de profiten-
tibus solemniter, quorum institutum verè re-
ligiosum Ego ipse profiteor; nihilominus
etiam Tertiarios non regulares, sed secula-
res, qui viuunt in proprijs domibus cum
proprio, & vxoribus, olim Sixtus IV. ap-
pellauit personas ecclesiasticas gaudentes
priuilegijs, & immunitatibus tam fori, quam
personæ, vt legitur in eius Bulla incip.
Sacrosancta quam rescripsi in meo Archiuio
sub Bullà 161. fol. 282. impressionis Par-
mensis sub Mario Vigna. Dixi olim, quia
postmodum Leo X. in Concilio Lateranensi
quo ad hæc reformauit, vt dicam infra cap.
4. Fœminę tamen Tertiariæ emisso continen-
tiæ voto morantes in proprijs domibus, vel
suorum remanent adhuc Personæ eccesiasti-
cæ cum illis priuilegia non sint sublata, *Dal
Bene cit. num.* 12. vt ibidem dicam.

Quæres 13. An Tertiarij cum habitu reli-
gioso seruientes monialibus Capucinis, vel
alterius ordinis sint personæ Ecclesiasticæ.

30 ℞. Affirmatiuè, quia dicuntur serui Ec-
clesiæ, deducitur *ex cap. Ecclesiarum seruos*
69. 12. q. 2. Bonac. in Bulla disp. 1. q. 16. p.
4. num. 18. *Dal Bene par. 1. cap. 4. dub.* 21.

Quæres 14. An Eremitæ sint personæ ec-
clesiasticæ?

31 ℞. Sic, si habitum gestent religiosum de
licentià Episcopi, vel Superioris regularis ei-
us ordinis, cuius habitum portant, ex hoc
enim constituuntur in statu ecclesiastico oc-
cupati in oratione, & contemplatione in suis
Eremitorijs à secularibus segregati, licet so-
litariè vitam degant, immo nec profitean-
tur Regulam aliquam, quia de ratione status
ecclesiastici sufficit, quòd persona auctori-
tate Superioris ecclesiastici deputetur ad
Dei cultum etiam sine aliquo voto, vt alijs
citatis dicit *Barb. ad cap. 24. de priuileg.*
num. 4. Et ità docent Marta *par. 4. de iurisd.*
casu 113. num. 1. ad 5. Antonius de Marinis
lib. 1. Resolut. quotid. cap. 114. num. 8. Gra-
ssus Effectu 1. num. 102. alios refert *Dal Be-*
ne par. 1. cap. 4. dub. 13. num. 15. Qui cum
multis tenet, eremitas esse personas ecclesia-
sticas, si viuant in communitate sub obedi-
entia Superioris, & sic gaudent priuilegijs,
canonis, & fori, *Rodriq. tom. 2. q. 62. num.*
20. si non habent proprium, quod non placet
mihi, cum ad statum ecclesiasticum, & vt
persona dicatur ecclesiastica non sit necessa-
32 rium aliquod votum, & in hoc casu Eremi-
tarum, sufficiunt hæc tria, *Primò* quod ere-
mita deferat habitum religiosum; *Secundò*,
quod sit sub obedientia superioris ecclesiasti-
ci, à quo habitum recepit. *Tertiò*, quod in-
cumbat orationi segregatus à secularibus in
eremitorio degens, ex hoc enim appellatur
eremita. Colliguntur hæc tria ex cap. Vn.
in 6. de excessib. Prælator. Refero verba, vt
quisque certus sit ita esse: *Per hoc tamen eis*,
qui vitã duxerint Eremiticam, seu solitariam
eligendam de maiorum suorum licentiâ, quin
cellas, mansiones, seu habitacula in Eremo,
siue locis, vbi non sit hominum habitatio de
propinquo possint aquirere, &c. Non est ne- 33
cessarium vt sit persona ecclesiastica, quod
careat proprio, cum Paulus primus Eremita
testatus fuerit, relinquendo Colobium At-
hanasio Alexandrino Episcopo, tunicam
vero beato Antonio. Colobium autem est
vestis sine manicis. Eremità ergo stat cum 34
proprio, *Glos. V. Eremita, sub cap. Pralatum*
8. *19. q.* 3. ex textu ipsius Gratiani. Vide
Lauretum Franchum *apud Pasqualig.* 4. 41.
Lezanam, tom. 2. cap. 7. Cespedem de exempt.
regul. dub 374. *num.* 3. Demum, qui sumunt
habitum propria auctoritate nulli superio-
ri ecclesiastico se subijcentes verè isti eccle-
siastici non sunt, sed mere laici, & locustæ,
quæ regem non habent, *Glos. V. Vero. cap.*
Qui vere 12. *16. q.* 1.

Quæres 15. An clerici saluatici sint Per-
sonæ ecclesiasticæ?

℞. Affirmatiuè, quia licet non ordinen- 35
tur ideo dicti saluatici, tamen cum assuman-
tur auctoritate superioris ecclesiastici ad ser-
uitium ecclesiæ, vt est vsus in Regno Nea-
politano, sub statu ecclesiastico sunt, & vo-
cantur personæ ecclesiasticæ, quandiu Eccle-
siæ seruiunt, & tales sunt, licet non deferant
habitum clericalem, immo, & si ducant
vxorem etiam ab alio corruptam, vt respon-
dit Sacra Congregatio teste *Riccio par.* 4. 36
resol. 225. *num.* 5. de istis agente à resol. 224.
ad 232. vbi sub resol. 226. probantur esse
personæ ecclesiasticæ. Horum origo dedu-
citur *ex cap. Ecclesiarum seruos 69. 12. q. 2.*
Glos. V. Minores, cap. 2. de foro comp. Non
gaudent priuilegio canonis, sed tantùm fori
criminalis, & ciuilis ratione personæ præci-
se, ne impediantur à seruitute ecclesiæ.

Numquid seruientes ecclesijs secularibus,
& Oratorijs Confraternitum cum sacco sint
personæ ecclesiasticæ.

℞. Vtique, quandocunq; deputati sunt 37
ab Episcopo ad habendum curam ecclesiæ,
pulsando campanas, seruiendo missis, ver-
rendo locum sacrum, claudendo, & aperi-
endo singulis diebus ecclesiam, aliter non,
quia ad hoc, vt deputatio personam deputa-
tam constituat in statu ecclesiastico, & faci-
ant eam ecclesiasticam necesse est, vt deputa-
tio fiat auctoritate Episcopi, solus enim Pa-
rochus, aut confrater officialis talem non
habet potestatem, ergo ab his deputatus non
potest dici clericus saluaticus. Patet id dictis
mox, & colligitur ex eodem Riccio resol.
226. per totam.

Quæres 16 An sub nomine *clericorum* ve-
niant religiosi non solum professi, sed etiam
nouitij, etiam moniales professæ, & noui-
tiæ?

℞. Affir-

38 ℞. Affirmatiuè, in fauorabilibus ita omnes, *Angelus V. Clericus initio, ibidem Siluester num. 1. Mar. Anton. lib. 1. resol.* 112. *casu 63. Vers. Primo, Barbosa cum Appellat. 51. num. 7. Bonac. in Bulla disp. 1. q. 16. 39.*
39 *p. 3. num. 9.* in odiosis autem religiosi non veniunt sub nomine *clericorum*, ex reg. Odia sunt restringenda, non dilatanda, ex ibidem allegatis à Barbosa.

Quare cum deinceps sermo erit de clericis in materia priuilegiorum clericalium, dicta de clericis præsertim in sacris cōstitutis intel-
40 liguntur etiam dicta pro relligiosis. Et ita docent omnes *cum Nauar. cons. 25. de priuileg. num. 7. Rodriq. tom. 2. q. 2. art. 3. Scaccia de Iudic. tom. 1. cap. 11. num. 82. Silu. V. Excom. 6. num. 7. Layman. lib. 4. tract. 9. cap. 7. num. 4. Vers. Ad extremum, Diana par. 1. tract. 2. resol. 129. initio.*

CAPVT SECVNDVM.

De Origine Priuilegiorum Clericalium.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegium est priuata lex seruanda à priuilegiato.*
2 *Priuata lex, quia priuat subiectione eum, cui alias priuilegiatus subijcebatur.*
3 *Priuilegium est beneficium eximens priuilegiatum ab alterius iurisdictione.*
4 *Priuilegium clericale eximit personam ecclesiasticam à foro seculari factam de foro ecclesiæ.*
5 *Homo nascitur laicus, & secularis.*
6 *Priuilegium aliud personale, aliud reale, mixtum ex his est clericale eximens personam cū suis rebus à seculari potestate.*
7 *Priuilegiū Clericale duplex canonis & fori*
8 *Hoc originem habet à Deo, illud ab homine Innocentio II. anno 1339.*
9 *Auctoritas Genesis 47. de terra sacerdotali liberà.*
10 *Auctoritas Esdræ lib. 3. cap. 8. de ministris templi exemptis.*
11 *Auctoritas Psalmi* 104. Nolite tangere Cristos meos.
12 Christi *nomine venit omnis ecclesiasticus.*
13 Tangere *importat vexationem.*
14 *Auctoritas Zachariæ cap.* 2. 8. Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.
15 *Auctoritas Lucæ* 10. 16. Qui vos spernit, me spernit.
16 *Superioris interest, ne subditi ab extraneis iudicentur.*
17 *Sacri canones expressè dicunt priuilegium clericale esse à Deo.*
18 *Leges pariter ciuiles.*
19 Discuti *significat iudicari.*
20 *Alij canones referuntur probantes exemptionem clericorum.*
21 *Exemptio Clericorum, quia sunt de sorte, & hæreditate Dei.*
22 *Filij Regis tributum non soluunt.*
23 *Bona Ecclesiarum sunt de patrimonio Christi, ideo non soluunt tributum.*
24 *Tributum signat subiectionem tribuentis ei, cui dat tributum.*
25 *Dare ecclesiæ, est illi rem datam consecrare, dum datur fit patrimonium Dei.*
26 *Bona ecclesiarum sunt sub dominio, & patrimonio Christi 77. infra.*
27 *Oblationes sunt dona Dei.*
28 *Quorū administratio est apud ecclesiasticos*
29 *Quòd priuilegiū clericale est directè à Deo excludit probabilitatē negatiuæ opinionis.*
30 *Asserentium improbabiliter contrarium.*
31 *Caracter clericalis non confert priuilegia, sed Deus immediatè ad illius positionem.*
32 *Priuilegium clericale est conforme iuri naturali de honorandis parentibus.*
33 Qui benè præsunt Presbiteri duplici honore digni habeantur. *Ad Timot. 1. cap. 5*
34 *Clericus quilibet maior quolibet laico.*
35 *Papa habet potestatem declarandi, dispensandi, & limitandi ius naturale ex causa.*
36 *Caractere posito Deus confert priuilegia tonsurato.*
37 *Fit hæres Dei tonsuratus aquirendo priuilegia clericalia.*
38 *Clerici nunquam de iure, sed tantùm de facto, & coactè fuerunt sub laicis.*
39 *Laici semper sunt infesti clericis.*
40 Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. *Roman. 13.*
41 *Gladium oportet sub gladio esse.*
42 *Chrisostomi Sancti sententia in hac materia exponitur.*
43 *Obedientia arguit subiectionem in obediente.*
44 Subiacete eis *Hebr. 13. 17. important iurisdictionem.*
45 *Paulus appellauit ad Cæsarem non legaliter, sed naturaliter.*
46 *Appellatio legalis est ad Iudicem communem vtrique parti.*
47 *Appellans spectatur vt actor sequens forum rei, sic appellauit Paulus.*
48 *Leges Imperiales contra clericos iniquæ, & nullæ erant.*
49 *Tonsurati, & minoribus insigniti non subsunt seculari potestati.*
50 *Reconuenitur clericus in ciuilibus, & in causa feudi coram domino iudicatur.*
51 *Cerimonialia, & iudicialia veteris Testamenti cessarunt in morte Christi, non priuilegia, quæ transierunt cum sacerdotio.*
52 *Loca scripturæ de iniurijs nō faciendis clericis referuntur etiam ad iudices laicos.*
53 *Vsurpans alienam iurisdictionem peccat mortaliter.*

54 Chris

Digitized by Google

34 *Christus dedit censum Cæsari de facto, ad euitandum scandalum.*
55 Da eis pro me, & te *explicatur.*
56 *Petrus in dando tributo Cæsari de facto repræsentabat patrem familias.*
57 *Ecclesiastici omnes sũt de familiâ Christi.*
58 *Exemptio de quâ in euangelio Lucæ est de gabellis.*
59 *Fideles omnes sunt de familiâ Christi, non tamen pars hæreditatis eius, nisi ecclesiastici.*
60 Iuris diuini *nomine nõ venit ius canonicũ.*
61 Omnia opera nostra operatus est Deus in nobis. *Isaia 26. 12.*
62 Clericorum *nomine priuilegiatorum veniunt omnes ecclesiastici.*
63 *Religio vera initium habuit à Christo in lege Euangelicâ.*
64 *Sacerdotium nostrum præstãtius antiquo.*
65 *Absurdum est dicere, bona ecclesiastica esse priuilegiata, non personas.*
66 *Priuilegium clericale tria continet Primò exemptionem personæ.*
67 *Secundò exemptionem eiusdem à quibuscunque officijs laicalibus.*
68 *Tertiò à legibus, & statutis laicorum quò ad vim coactiuam.*
69 *Bona ecclesiarum exempta ab oneribus iure diuino.*
70 *Exemptio personæ infert exemptionem bonorum illius.*
71 Omnia Dei opera sunt perfecta *Deuter. 32. 3.*
72 *Ecclesia, Monasteria, & alia loca pia cum suis bonis gaudent exemptione.*
73 Domus mea, domus Orationis.
74 Meum, Tuum *important dominium.*
75 Oblationum *nomine veniunt omnia donata, & relicta locis pijs.*
76 *Sacerdotium Christi succedit sacerdotio Aaronis.*
77 *Oblationes sunt iuris Ecclesiæ pro Sacerdotibus. 26. supra.*
78 *Patrimonium clericale gaudet priuilegijs iure diuino.*
79 *Patrimonium succedit loco beneficij.*
80 *Titulus antiquitus erat solùm beneficium ad quod clericus promouebatur.*
81 *Patrimonium etiam post receptum beneficium retinet priuilegia.*
82 *Nec renũciari potest nisi de licẽtia Episcopi.*
83 *Patrimonium faciendum est super re fructiferâ, & liberâ sine aliorũ præiudicio.*
84 *Clericus ordinatus sine patrimonio olim erat suspensus ab executione ordinum.*
85 *Episcopus verò tenebatur alere ordinatum pauperem, vel dare beneficium.*
86 *Suspensio illa sublata fuit.*
87 *Tridentinum cap. 2. sess. 21. renouauit solùm pœnas contra Episcopum ordinantem sine patrimonio.*
88 *Contra ordinatum sine patrimonio nihil innouauit, neq;*
89 *Contra eundem ordinatum cum patrimonio ficto.*
90 *Innouatur minimè, quod non est.*
91 *Esse fictè, & non esse paria sunt.*
92 *Legata pia incorporata loco pio gaudent priuilegijs.*
93 *Bona ecclesiastica dicuntur ea, quæ incorporata sunt ecclesiæ. 96.*
94 *Bona relicta clericis dicuntur relicta ecclesijs.*
95 *Legata non incorporata reguntur ab ecclesiasticis. 93.*
96 *Bona ecclesiastica sunt, quæ incorporata reguntur ab ecclesiasticis. 93.*
97 *Patrimonium laicale clericorum gaudet priuilegio ipsorum clericorum.*
98 *Bona ecclesiarũ non grauantur per publicâ necessitate sine speciali licentiâ Papæ.*
99 *Quibusnam conditionibus.*
100 *Bona clericorum propria gaudent iure diuino exemptione ab oneribus.*
101 *Patrimonium clericale inter bona ecclesiastica numeratur licet non incorporatum.*
102 *Ideo magis priuilegiatum, quàm laicale, quod non potest subrogari.*
103 *Patrimonialia laicalia perdunt priuilegium gabellæ, quãdo clericus negotiatur.*
104 *Si post trinam monitionem non derelinquit negotiationem.*
105 *Negotiator non est vendens fructus suæ possessionis, sed conductor, & emptor ad reuendendum.*
106 *Auctor librorum non est negotiator contrahendo cum impressore.*
107 *Onus ordinarium est illud quod inuariabile est affixum rei hyppotecatæ pro ipso.*
108 *Extraordinarium variabile est impositum rebus, vel personis.*
109 *Mixtum ex personis, & rebus.*
110 *Onus ordinarium quod est tributum transit cum re ad ecclesiam.*
111 Res transit cum onere suo *ordinario reali etiam ad ecclesiam.*
112 *Tributum soluebat ecclesia tempore D. Ambrosij.*
113 *Non ratione subiectionis, sed in gratitudinem defensionis ecclesiæ.*
114 *Tributis nouis non grauantur bona postquam sunt in possessione ecclesiæ.*
115 *Doctores nonnulli docent, ecclesiam non teneri neq. de ordinarijs tributis.*
116 *Bona ecclesiastica translata ad laicos amittunt priuilegium.*
117 *Iurisdictionis est actus imponendi onera, & gabellas.*
118 *Iurisdictionis nullum actum exercere potest laica potestas super ecclesiasticos.*
119 *Mutatione personæ mutatur conditio vel quòd ad futura.*
120 *Fiscus quò ad præterita vtitur iure priuati in futurum verò iure suo.*
121 *Fiscus, & ecclesia æquiparantur.*

122 *Trib*

122 *Tributum non solutum comitatur rem ad quemcunq. perueniat.*
123 *Hypotecata sunt bona debitoris ad quemcunq. perueniant.*
124 Nemo plus iuris &c.
125 Nemo dat, quod non habet.
126 *Latro & vsurarius vendentes in ementem non transferunt dominium.*
127 *Tributi ius transfertur cum re in tertium iure legis, non iure priuati.*
128 Nemo dat, quod non habet, *sufficit habere virtualiter, vel causaliter.*
129 *Onus tributi est de iure affixum rebus.*
130 *Datum Ecclesiæ dicitur eidem dedicatum, si proprium dedit, non alienum.*
131 *Priuilegium fori criminalis, & ciuilis procedit à iure diuino.*
132 *Federicus Imperator mandat hoc priuilegium seruari clericis.*
133 *Non enim inducit ius nouum, sed diuinum confirmat.*
134 *Imperatores posteriores Pontificibus in concedendis priuilegijs clericis.*
135 *Pontifices priores Imperatoribus in corroborandis priuilegijs clericalibus.*
136 *Scotus non dixit priuilegium fori criminalis esse originatum à Constantino.*
137 *Qui tamen fuit primus concessor mandans obseruari illud à Deo concessum.*
138 *Papa abrogare non potest canones de immunitate ecclesiarum.*
139 *Abrogare ius diuinum requirit potestatem independentem.*
140 *Illud tantùm limitare ex causa potest.*
141 *Hoc est delegare laicis suam potestatem.*
142 *Episcopus in his nihil potest.*
143 *Priuilegijs clericalibus nemo renunciare potest.*
144 *Quia sunt concessa toti collegio ecclesiastico.*
145 *Episcopus in eis consentire non potest.*
146 *Initiati tonsurà seu minoribus illa renuntiant facto, idest, perdunt.*
147 *Facto ergo non verbo renuntiant priuilegia.*
148 *Clericus, & nouitius redeuntes ad seculum non peccant.*
149 *In Sacris constituti, & professi non redeunt ad seculum.*
150 *Initiati minoribus, & nouitij redeuntes fiunt iterum laici.*
151 *Mutatione personæ mutatur priuilegium.*
152 *Status vltimus in omnibus attenditur.*
153 *Bigamia non tollit caracterem.*
154 *Bigamus Clericus est quò ad caracterem, laicus quò ad priuilegia.*
155 *Consuetudine nullà tolli possunt priuilegia clericalia.*
156 *Dei voluntati nemo resistere potest.*
157 *Consuetudo immemorabilis dabilis non est contra immunitatem ecclesiæ.*
158 *Probatur enim à iure.*
159 *Decretum irritans habente.*
160 *Tolerãtia Papæ in his præsumi non potest.*
161 *Consuetudo potentior statuto.*
162 *Statuere est actus iurisdictionis.*
163 *Interpretatio lata est facienda in materia immunitatis.*
164 *Opinio probabilis, quæ nititur solidis rationibus.*
165 *Communis, quæ habet sex Doctores ex professo eam tractantes.*
166 *Sequenda, quæ fauet ecclesiæ immunitati.*

DE ORIGINE PRIVILEGIORVM CLERICALIVM.

PRiuilegium, nomine eius inspecto, 1
est priuata lex, *cap. Abbatem 25. de verborum significat.* lex quidem, quia priuilegiatus in vsu illius debet seruare modum, & formam, quibus illi concessum fuit; priuata verò lex appellatur, quia priuat, hoc est eximit priuilegiatum à subiectione, qua
antea tenebatur. Spectato verò eodem in re, 2
& in effectu definitur beneficium, quo Princeps beneficiatum eximit à subiectione, & iurisdictione alienà ratione personæ, & re-
rum suarum, ab vtroq; simul, vel ab altero 3
tantùm. Quare priuilegium clericale est be-
neficium, quo Princeps personam ecclesia- 4
sticam eximit à iurisdictione seculari, quę in totum subijcitur iurisdictioni ecclesiæ, & quò ad personã, & quò ad bona illius. Hoc enim fuit necessariũ, & rationabile, ne ecclesiasticus duplici superiore diuersi fori immediatè grauaretur. Importat igitur hoc priuilegium exemptionem à iurisdictione, & foro seculari, cui ante ordinationem clericus erat subditus, omnis enim homo nascitur laicus, &
secularis, *ex allatis à Ciarlin. cap. 20. num. 4.* 5
ac proinde subiectus superior. seculari, à quo eximitur, cum adscribitur statui ecclesiastico, iuxta dicta præcedenti capite.
Diuisio priuilegij in personale, quod con- 6
ceditur personæ, quam sequitur vbique, nisi loco limitetur, & reale, quod respicit res, & bona priuilegiati, aptatur priuilegio clericali potissimùm, quod est generale, quia omnibus ecclesiasticis est concessum, & propriè mixtum ex personà, & rebus illius, cum enim ponatur in statu ecclesiastico persona perfectiore, quàm sit status secularis, exigit, vt in suo Beneficio sit perfectum, & sic mixtum ex personis, & rebus; datur enim ipsis ecclesiasticis in honorem ordinis clericalis, vt sicut ordo reuerendus est ex suà dignitate, ita & persona illo insignita honoranda est; nomine autem ordinis intelligo non solum ordinis sacramentum, sed etiam primam tonsuram, & deputationem ex auctoritate ecclesiasticà ad Dei speciale seruitium, iuxta dicta præcedenti quæstione. Sed accedamus calamo ad quæstiones.

Quæ-

Digitized by Google

Quæres igitur primò, à quonam origine habeat priuilegium clericale? Quod est quærere, an illud sit de iure diuino, an humano,
7 Canonico ne, an ciuili? Præmitto, duplex esse priuilegium clericale, Canonis, & fori; illud est de iure humano ecclesiastico concessum ecclesiasticis, ne percutiantur sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ reseruatæ extra articulum mortis in Concilio Lateranensi cap. 15. celebrato 1139. ab Innocentio II. registratum sub cap. Si quis 29. 17. q. 4. Remanet ergo difficultas quæstionis circa alterum priuilegium fori nuncupatum, quo persona ecclesiastica eximitur à seculari iurisdictione non solùm à foro seculari criminali, & ciuili, sed etiam ab omnibus oneribus personalibus, & realibus.

8 ℞. Priuilegium clericale à iurisdictione seculari à Deo concessum fuit ecclesiasticis omnibus, executum, corroboratum iuribus humanis, & explicatum iure Pontificio. A Deo igitur immediatè, directè, & formaliter concessum fuit, ita quod non tantùm habet fundamentum in iure diuino, nec tantum illi est conforme, sed ex ore eius originé trahit. Id probatur tum ex Sacra Scriptura, tum ex Sacris Canonibus, & legibus hoc asserentibus.

9 Primò probatur ex cap. 47. Genesis à num. 20. *Emit igitur Ioseph omnem terram Ægipti, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis, subiecitque eam Pharaoni, & cunctos populos eius à nouissimis terminis Ægipti vsque ad extremos fines eius præter terram sacerdotum, quæ à Rege tradita erat eis, &c.* Et infra num. 26. *Ex eo tempore vsque in præsentem diem in vniuersa terra Ægipti Regibus quinta pars soluitur, & factum est quasi in legem; absque terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit.* Et quod hæc exemptio procedat de ore Dei, testatur ibidem Sacra Scriptura cap. 45. num. 8. *Non vestro consilio; sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & Dominum vniuersæ domus eius, & Principem in omni terra Ægipti.* Quæ ergo Ioseph fecit in terra illa, operatus est de mandato Dei, ergo, & terram sacerdotalem mandauit esse liberam, non quia sacerdotes Idolorum Pharaonis mererentur tale priuilegium, sed ad exemplum sacerdotum veri Dei, qui longè verius merentur tale exemptionis priuilegium, vt notat Glos. ordin. ibidem Vers. Præter terram illis verbis. *Hoc significat Ecclesiæ terram, in qua veri sunt Sacerdotes liberam esse à censu mundano.* Et hæc Historia ad nostrum propositum refertur *in cap. Non min. 4. de immun. & à gloss. Diuino cap. Quamquam 4. de cens. in 6.* Antonius Clauarinus *relatus à Gatico tom. 1. sua catena Aurea fol. 448. ibidem Camillus Borellius fol. 591. Bursatus lib. 1. consil. 42. apud eundem Gaticum tom. 2. fol. 43.*

Secundò probatur ex lib. 3. Esdræ cap. 8. 10
num. 23. *Omnia secundum legem Dei fiant. Deo Altissimo, ne forte exurgat ira in Regnò Regis, & filij, & filiorum eius. Vobis autem dicitur, vt omnibus sacerdotibus, & leuitis: & sacris cantoribus, & Seruis templi, & scribis templi huius nullum tributum, neque vlla alia indictio irrogetur, nec habeat quisquam potestatem obijcere eis quicquam. Tu autem Esdra secundùm sapientiam Dei constitue Iudices, &c.*

Ex quibus manifestè constat, secundum legem Dei esse, vt personæ ecclesiasticæ sint omninò exemptæ, & quo ad personam, & quò ad bona, itaut nullus potestatem habens secularem eis quicquam obijciat tam ciuiliter, quam criminaliter; & hoc textu quoque vtitur Glos. in cap. Quamquam 4. de censib. in 6. ad probandum priuilegium clericale esse de iure Diuino.

Tertiò probatur ex illo Psalmi 104. 15. 11
Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari. Adducitur à Nicolao Eucrardo *Milderburgensi. cons. 30. num. 21. Vers. Iste enim* Nomine Christos meos veniunt non solum sacerdotes, qui proprie vnguntur Oleo sancto, dictio enim Christus significat vnctum, verum etiàm alij Ministri,
qui ad Sacerdotium omnes referuntur, qui 12
& si Oleo chrismatis non vnguntur, sunt tamen vncti gratia Spiritus Sancti, dum publica auctoritate ecclesiastica ad speciale Dei seruitium deputantur.

Tangere autem significat afferre mole- 13
stiam, & vexationem tam in persona, quàm in eius bonis, Terent. Pseud. Scena. Act. 1. *Si neminem alium potero, tuum tangam patrem, vel etiàm matrem emungam.* i. spoliabo eius bonis. Percutere importat iuxta illud Virgilij Egloga 1. *De Cœlo tactas memini prædicere quercus.* Sed quid adduco profana, si est in promptu illud Domini apud Iob. 1. 11. *Tange, quæ cuncta possidet,* hoc est, spolia illum omnibus bonis. Iure ergo Diuino ministri Dei prohibentur à vexatione personarum, & rerum suarum, quia sunt de illius familia, quæ gaudet priuilegijs domini sui, *cap. fin. de Offic. Archid.*

Quartò probatur ex illo Zacchar. 2. 8. *Qui* 14
tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Iam patet, qualem sensum habeat verbum *tangere* nempe significare vexationem personæ, & bonorum eius. Hunc textum citat Anacletus Papa in sua Epist. 1. sub initium, dum arguit quosdam, qui personas ecclesiasticas molestant, & persequuntur.

Quintò probatur ex verbis ipsius Christi 15
Lucæ 10. 16. *Qui vos spernit me spernit.* Qui vexat personas ecclesiasticas tam in persona, quàm in bonis dicitur spernere; & contemnere Christum ipsum, qui relucere debet in

Digitized by Google

suis Ministris, non obscurari; interest enim superioris, vt eius subditi ab extraneis non
16 iudicentur, *Rodriq. tom. 1. q. 36. art. 5. Vers. Praeterea. Rota apud Dianam par. 9. dec. 6. Vers. Adhuc dicebant* Quia id est contemnere proprium illorum superiorem.

17 Sacri Canones hoc idem testantur pluribus in locis, expressius, *cap. Non minus 4. de immun. cap. Quamquam 4. de Censib. in 6.* his verbis: *Cum igitur Ecclesia, ecclesiasticaeq; personae, & res ipsarum non solùm iure humano, quinimmò, & Diuino à secularium personarum exactionibus sint immunes*. Leo X. in Concil. Lateranensi sub sess. 9. in Bulla Reformat. Curiae prope finem, tom. 5. Concil. fol. 129. idem firmando testatur his verbis; *Et cum à iure tàm Diuino, quàm humano laicis nulla potestas in ecclesiasticas personas attributa sit*. Et rem prosequitur renouando diuersas constitutiones editas fauore ecclesiasticorum. Concilium quoque Tridentinum sess. 25. cap. 20. idem asseuerat, his verbis: *Personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutam*. Certum ergo est, & propetidem, immunitatem personae, & rerum eiusdem esse à Deo concessam personis ecclesiasticis.

18 Ius quoque imperiale hoc idem testatur, nam Constantinus pijssimus Imperator in Concilio Nicaeno dixit *Ad Dei solius iudicium reseruamini*, cuius rei testes sunt tres Imperatores, Valentinianus, Theodosius, & Arcadius, relati *in cap. in Continud. 5. 11. q. 1.* Et in cap. Si Imperator 11. dist. 96. *Non à legibus publicis, non à potestatibus seculi, sed à Pontificibus, & Sacerdotibus, omnipotentem Deum voluisse, Clericos, & Sacerdotes ordinari, & discuti*. Vbi non solum est sermo de ordinatione, & deputatione Mi-
19 nistrorum Dei, sed etiam de iudicio, ex illo verbo *discuti* quod significat examinationem, & discussionem, quam faciunt Iudices in causis, Glos. V. eod cap. 62. 12. q. 2. familiare est verbum discutere, pro iudicare, *cap. Discutere 6. 3. q. 6. cap. Indicantem 11. 30. q. 5.* Federicus Imperator relatus in Auth. ante leg. 32. C. de Episcopis, & Cler. inquit. *Statuimus, vt nullus ecclesiasticam personam in criminali quaestione, vel ciuili trahere ad iudicium seculare praesumat contrà constitutiones imperiales, & canonicas sanctiones*.

20 Sacri autem Canones prohibentes personas ecclesiasticas trahi ad iudices seculares in causis criminalibus, & ciuilibus plerique recensentur sub *Caus. 11. quaest. 1. & in tit. de iudic. cap. 4. 8. & 10 & in tit. de foro compet cap. Nullus 2. & in seq.* Demum in Bulla Coenae Domini excommunicantur Magistratus, Iudices, Notarij, Scribae, & Executores, & Subexecutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, siuè criminalibus contra personas ecclesiasticas, illas processando, banniendo, & capiendo, seù sententias contra eas proferendo, vel exequendo, sine speciali licentia Sedis Apostolicae.

Constat ergo ex his personas ecclesiasticas esse exemptas iure Diuino à secularibus potestatibus non solùm quò ad personas, sed etiam quò ad earum bona non solùm ecclesiarum, sed etiàm patrimonialium. Quod etiàm ratione duplici corroboratur.

Primò quidem, quia nomen *Cleros* latinè idem significat, quod sors, seù haereditas, dicti enim sunt Clerici, quia de sorte, & haereditate Domini sūt, *cap. Cler. dist. 21. cap. Cler. 5. 12. q. 1. & cap. Duo 7. eod.* vbi appellatur Reges, quod designatur per coronam, quam in capite habent, vt ibidem dicitur, quod ante dixerat Petrus in sua Epist. 1. cap. 2. *9. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus aquisitionis*, si ergo ecclesiastici honorantur titulo regali, signum est, quod sunt immunes, & quò ad personam, & quò ad bona à subiectione potestatum secularium, ad hunc effectum Christus Regis aeterni filius appellauit Apostolos fratres suos, quia cum ipso haeredes sunt Dei, & cohaeredes ipsius Christi, ex Apostolo ad Roman. 8. 17. ex hoc ergo capite dicuntur ecclesiastici esse exempti in omnibus à potestatibus secularibus. 21

Et ad hoc facit, quod Christus interrogauit Matth. 17. 24. *Reges terrae à quibus accipiunt tributum, vel censum? A filijs suis, an ab alienis?* Respondet Petrus. *Ab alienis* Filij ergo Regis non soluunt tributum, quia sunt exempti, pari ratione ecclesiastic. nulli potestati debent soluere tributum, cum sint Reges, haeredes Dei, & cohaeredes Christi. 22

Secundò, probatur, ecclesiasticos esse immunes iure Diuino ab oneribus quò ad bona, quae praecipuae habent ab Ecclesijs, quia bona ecclesiarum sunt de patrimonio Dei, cuius bona nulli subduntur tributo, datur enim tributum in recognitionem dominij, & subiectionis domino, cui tribuitur, Paulus ad Rom. 13. 6. *Ideò enim, & tributa praestatis*. Deus autem est omnium creaturarum supremus dominus, cui omnia debent subiectionis tributum, maximè homo, dum ergo homo dat, tribuit, dedicat, seù offert aliquid Ecclesiae in honorem Dei in vtilitatem Ecclesiae pro eius Ministris, & pauperibus, per huiusmodi traditionem, & consecrationem, seu dedicationem, idem enim important *ex Glos. V. consecratur, cap. Nulli 3. 12. q. 2.* dicatur Deo dare, & offerre tributum, ergo Deus dicitur dari tributi speciale aquisiuisse dominium, itaut dispositio rei tributae Ecclesiae, nullo modo possit esse sub dominio, & potestate laicali. Rerum ergo 23 24 25

go oblatarum Ecclesiæ dominium aquiritur
Deo, in cuius hæreditate dicuntur esse, & de
26 Patrimonio Christi, *cap. Expedit.* 13. 12. *q.* 1.
cap. Conuenior. 21. 23. *q.* 8. *prope finem, cap.*
Cum ex eo 34. *de elect. in* 6. *ibi Glos. V. Christi*
27 *cap. Saluator* 5. *extr. com. de Prabend.* Vn-
de, & dicuntur dona Dei, *cap. Saluator.* 8.
1. *q.* 3. Res ergo oblatæ Ecclesijs sunt sub
dominio, & patrimonio Christi, qui est Ec-
clesiæ caput, commendatæ ipsius ministris,
ad quas habent ius administrationis, *cap.*
28 *Nulli* 3. 12. *q.* 2. & dicuntur possideri ab illis,
& ab Ecclesia, quæ in illis est, *cap. Extrausa*
13. *de verb. signif.* Et ita docent omnes cum
Merlino dec. 902. Si ergo Deus habet specia-
le dominium rerum Ecclesiasticarum, vt pro-
batum est, sequitur, quod iure diuino sint
immunes à tributis, oneribus, & angarijs
potestatum secularium.

29 Hanc sententiam ita puto veriorem, vt opposita videatur carere probabilitate, dum Sacris Concilijs, & Pontificibus firmatur. Hanc sequuntur viginti quatuor Doctores ad dictum cap. 20. sess. 25. & multo plures idem *Barbosa refert lib. 1. de iure cap. 39 § V. num. 3. de Lugo disp. 36 de iust. num. 10. Diana par. 1. tract. 1. numerat triginta auctores, & par. 5. tract. 1. resol. 21. Vers. Dico, iterum latius par. 7. tract. 1. resol. 2. & seq. Sperellus dec. 37. initio*, & latius 133. *num.* 37.

30 Non desunt plerique Doctores tam Canonistæ, quam Iuristæ negantes, exemptionem, & immunitatem Ecclesiasticam esse directè, & immediatè à Deo, & de Iure diuino, in causis temporalibus, esse tamen id conforme iuri diuino, à quo moti Summi Pontifices, & Imperatores Ecclesiasticas personas cum suis rebus exemerunt, & immunes fecerunt à potestatibus secularibus. Et ita docent *Innoc. in cap. 1. de maior. Couar. 31. quæst. pract. num. 2. Vers. Secunda Conclusio, Dal Bene par 1. cap 1. dub. 2. sect. 1. num. 26. Castropal. par. 2. tract. 12. p. 1. num.* 4. cum alijs dicentes, exempionem Clericorum in causis temporalibus in iure diuino habere fundamentum, à iure tamen Pôtificio immediatè prouenire. Argumenta eorum referendo diluam.

31 Primum ex Castropalao est tale. Ex iure diuino naturali hæc exemptio non est, neq; ex diuino iure positiuo, ergo restat, vt solum sit de iure positiuo Pontificio. Antecedens quò ad primam partem probat, nam caracter clericalis ex se, & ratione sui non eximit Clericum à iurisdictione seculari. Tum quia hic caracter solum habet deputare hominem diuino cultui; sed hæc deputatio stare optimè potest cum subiectione temporali Principis, in ijs, quæ diuinum cultum non impediunt.

Primò, quia stante illo caractere Clericus sæpe subiectus fuit seculari Iudici, vt constat ex principio Ecclesiæ, *ex Paulo ad Rom. iuxta Chrysostomi explicationem, & Act. 25. & ex toto tit. C. de Sacros. Eccles. de Episc. & Cler.* Qua propter Iustinianus const. 83. primus concessit priuilegium fori, Clericis in ciuilibus tantùm, Episcopo non impedito, & in criminalibus eos subditos potestati seculari reliquit.

Secundò, quia modo clericus subijcitur iurisdictioni laicali, vt patet in minoribus initiatis ordinibus, neq; beneficium habentibus, iuxta Tridentinum sess. 23. cap. 6. qui priuilegio fori non gaudent.

Tertiò, in causa ciuili reconuentionis, & in causa feudi, & alijs infra subijcendis iurisdictioni seculari subditur.

Quartò, cum clericus graue delictum committit, ob quod curiæ seculari traditur interficiendus à iudice seculari iudicatur, & punitur, & non ex potestate ecclesiasticà, hæc enim ad punitionem corporalem non extenditur tametsi illam permittere possit. Ergo euidens est, ex iure diuino naturali hanc exemptionem prouenire non posse. Alias semper esset, & fuisset, & æqualis in omnibus clericis absq. vllà variatione, & mutatione.

Quòd neq; proueniat ex iure diuino positiuo idem Castropalaus probat, quia nullus est locus in sacrà scripturà, ex quo colligi possit.

Primò namq. ea, quæ ex veteri testamento referuntur pro contrarià sententià, in tantum vim habere possunt, quatenus iure naturali fundantur, nam alia omnia præcepta positiua antiqua aduentu Christi, & promulgatione legis gratiæ cessarunt.

Secundò, quod ibidem loquitur Propheta de iniuria, & violentia facta ijs, qui Deo sunt familiares, non de iudicio.

Tertiò, locus autem, qui ex Nouo Testamento refertur, hanc exemptionem minimè probat, quia ex illa responsione Petri solum Christus voluit inferre, ipsum vt pote filium naturalem æterni Regis, & dominum vniuersorum liberum esse à tributo, Petrum verò ex Priuilegio, propter eius specialem prærogatiuam, & dignitatem. Alias, si vellet ad omnes clericos extendere illud priuilegium non limitaret solutionem pro se, & Petro, sed illam æque pro omnibus alijs discipulis faceret.

Quartò, absurdum esse videtur ex æqualitate huius solutionis inferre, reliquos discipulos, & sacerdotes æqualem cum Christo, & Petro, eiusq. successoribus habere exemptionem.

Quintò, neq. obstat, clericos esse de familia Petri, vt inde dicamus, exempto Petro, eximi omnes clericos; quia non est verum exempto patrono ab al. quo tributo, eximi necessariò omnes illius familiares præci-

puè æquali exemptione.

Sextò, illa exemptio à tributis, ergo exemptio fori in criminalibus, & ciuilibus ex tali loco non infertur.

Septimò, eadem ratione omnes Christiani baptizati eximi possent à iurisdictione laicorum, quia sunt etiam specialiter de familia Pontificis, qui omnium Christianorum caput est.

Octauò, cum in aliquibus Pontificijs decretis dicitur, hanc exemptionem esse ex diuinà ordinatione, & iure diuino, ijs verbis nihil aliud intenditur, nisi ad similitudinem veteris factam esse, aut ex veteri lege originem trahere, aut ex particulari præceptopontifici dato concessam esse.

Hæc sunt argumenta ex parte à Couaruuia accepta ex cap. 31. ampliata, & corroborata à dicto Castropalao Hispano Legionensi pro eodem Hispano.

Persistendo igitur in nostra opinione communissima superiùs probata oportet supradictis argumentis respondere.

Ad argumentum principale, à quo omnia
alia dependent, respondeo, qod priuilegium
clericale, & exemptio personarum ecclesia-
32 sticarum est conformis iuri naturali ex præ-
cepto: ***Honora parentes***, quod intelligitur
etiam de personis ecclesiasticis quæ vti pa-
rentes spirituales christianis documentis al-
unt animas fidelium, ad quod facit illud Pau-
33 li ad Timoth. 1. cap. 5. 17. ***Qui bene præsunt***
Presbiteri duplici honore digni habeantur.
Non honorantur autem, quando subijciun-
tur laicis, Clericus enim est maior quolibet
34 laico, ***Glos. V. Maiores, cap. Sedes 15. de***
Resc. itaque eorum exemptio originem ha-
bet à præcepto isto, & à positiuo diuino or-
dinatur ***Genes. 47. & Esdra lib. 3. cap. 8.*** vt
visum fuit supra. A iure verò humano execu-
tioni demandatur, & declaratur auctoritate
Pontificià, habet enim Romanus Pontifex
potestatem declarandi, ampliandi, restrin-
gendi, & dispensandi, super ius diuinum in
casibus occurrentibus pro communi bono
35 Reipublicæ Christianæ iuxta illud sibi tribu-
tum Matth. 16. 19. *Quodcunq. ligaueris super
terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunq.
solueris super terram, erit solutum & in cælis.*
Panorm. *in cap. Proposuit de concess. præbend.
num. 20. Felin. in cap. Qua in Ecclesiarum,
de const. num. 19. Decius ibidem num. 44. late
Sanchez lib. 8. disp. 6. num. 5.* Et quòd Dei
ordinatione priuilegium clericale, exem-
ptionis à potestate seculari constitutum sit, ef-
ficaciter probatur ab effectu, quòd apud om-
nes nationes etiam barbaras Deum ignoran-
tes, Sacerdotes, & Ministri idolorum sunt
exempti, & priuilegiati, vt multis suadet,
Carolus à Basilicata Mediolanensis Episco-
pus Nouariensis in suo consilio extenso *per
Gaticum tom. 2. fol. 384.*

Ad primum argumentum dico, quod ca- 36
racter Clericalis hoc ex se non habet, vt exi-
mat tonsuratos à iurisdictione laicali, sed à
Deo immediatè ad positionem tonsurationis,
quæ de laico facit tonsuratum Clericum, di-
cit enim Episcopus tonsuratis: ***Hodie de foro
Ecclesiæ facti estis, & priuilegia clericalia sor-
titi estis.*** Sed à quo? A Deo, vt innuant ea
verba, quę dicit tõsuratus: ***Dominus pars hære*** 37
ditatis meæ. In tõsuratione promotus fit pars
hæreditatis Domini, quid ergo aquirit à Do-
mino, nisi ea priuilegia, per quæ fit de foro
Ecclesiæ, ne amplius dicatur subditus foro
seculari?

Tonsuratio ergo laicum de statu seculari transfert ad statum clericalem, deputatur ad diuinum cultum, & disponitur ad Ordines, ad quam deputationem sequuntur priuilegia clericalia tonsuratis à Deo collata mediante ministerio tonsurationis ab habente potestatem conferendi illam. Ad tonsurationem ergo sequuntur tria caracter, intelligas lector de caractere morali qui ex deputatione ad diuinum cultum consurgit, per quem distinguitur tonsuratus à reliquis Christianis, deputatio ad diuinum seruitium, & consecutio priuilegiorum.

Pariter falsum est, deputationem huius caracteris stare posse cum subiectione temporali Principis, dum promotus perseuerat in statu clericatus cum vsu priuilegiorum, quia status clericalis repugnat cum statu laicali, ergo posito vno alter destruitur, hinc laicus promotus ad primam tonsuram desinit esse in statu laicali, dum transit in statum clericalem; cum autem factus clericus possit amittere statum ecclesiasticum, & priuilegia, solo caractere remanente laicus censetur, & sub ratione personæ non vt clericus, sed vt secularis redit ad subiectionem secularem, vt infra id latius patebit.

Ad primum argumentum corroboratum 38
respondeo, verum quidem esse, clericos in
primitiuà ecclesia fuisse subiectos iudicibus
laicis de facto, non de iure, vt nunc quan-
doq. contingit per iniuriam iudicum qui vo-
lunt ignorare terminos suæ iurisdictionis, aut
ex inuidia, aut ex auaritia. Ita docent *Cas-
saldus de Imperat. q. 50. num. 13. Iodocus.
Coec. in Thesauro Catolico par. 1. lib. 7. de Hie-
rarch. Eccles. art. 22. quos citat. Barbosa ad
cap. Si imperator dist. 96. num. 2.* Ratio est,
quia Ecclesia, quæ tunc erat pusillus grex,
non poterat resistere, & sua tueri iura, quæ
& hac tempestate multum fatigatur in illo-
rum conseruatione, laici enim semper fue-
runt, & sunt infesti Clericis, *cap. Laici 14. 2.* 39
q. 7. Impotentia ergo resistendi satis probat
huiusmodi factum iniustum, vt docet Baldus
*in cap. Si clericus, de pace tenenda in vsib. feud.
Gulielmus Benedictus in cap. Raynutius V. V-
xorem, de testam. sect. 2. num. 165.*

Ad

40 Ad illud Pauli ad Rom. 13. *Omnis anima*
potestatibus sublimioribus subdita sit. Res-
pondeo facero pro nobis, loquitur enim de
vtràque potestate Sacerdotali, & regali, qui-
bus omnis homo subditus est, vnusquisq; suæ
potestati respectiuè, Clericus ecclesiasticæ,
laicus seculari, loquitur enim textus in plu-
rali *potestatibus sublimioribus*, nemo enim
sani intellectus negare potest ecclesiasticę po-
testati sublimitatem, cum excedat omnem
secularem, quæ & ipsa sublimis est in Impe-
ratores, & Regibus, subiecta tamen Sacer-
dotali, quia oportet gladium esse sub gladio,
41 *cap. Vnam sanctam, de maior.* de quà materia
latè tract. in Sacro Tribunali *cap. 2. q. 38 & 39.*
& cap. 5. q. 42. impressionis Lugdunensis.
42 Ad illud D. Chrysostomi refero eius ver-
ba, quæ omisit Castropalaus, ad dictum cap.
13. Roman. tom. 4. sub serm. 23. *Ostendens*,
quod ista imperentur omnibus, & Sacerdoti-
bus, & Monachis, non solum secularibus, id
quod statim in ipso exordio declarat, cum di-
cit: *Omnis anima potestatibus supereminenti-*
bus subdita sit. Etiamsi Apostolus sis, si E-
uangelista, si Propheta, siue quisquis tandem
fueris, neq. enim pietatem subuertit ista subie-
ctio. Et non simpliciter dicit: obediat, sed sub-
dita sit. Ex his verbis benè perpensis, hic
Sanctus nō intendit potissimum hic agere de
subiectione relatà ad iurisdictionem, sed de
subiectione honoris, & reuerentiæ, vt clarè
colligitur ex illis verbis: *Et non simpliciter*
dicit: obediat, sed subdita sit. Verbum enim
Obediat refertur ad potestatem iurisdictionis,
43 iuxta illud ad Hebr. 13. 17. *Obedite Preposi-*
tis vestris. Obedientia enim arguit iurisdic-
tionem in eo, cui debetur, cum sit executio
eius, quod à superiore imperatur, & licet ver-
bum illud: *Et subiacete eis* importet etiam iu-
44 risdictionem, per hoc tamen non excludit
subiectionem reuerentiæ, & honoris, vt col-
ligitur ex eodem textu, vbi dicitur, quod à
subditis reddantur debita, *Cui tributum, tri-*
butum, cui honorem, honorem. Ab ecclesiasti-
cis honor præstetur Principi, & potestati se-
culari, quia inquit Sanctus ista subiectio non
subuertit pietatem, qui potissimam conside-
rauit subiectionem honoris, non iurisdictio-
nis, nisi respectiuè ad iudices competentes, &
ideo non curauit agere de subiectione iuris-
dictionis, quæ spectat ad Principes, quod in-
dicauit subsequentibus verbis: *Neque enim de*
quouis Principum sermo mihi nunc est, sed de
ipsa re. Omnis ergo homo subditus est pote-
statibus sublimioribus, laicus potestati secu-
lari, ecclesiasticus potestati Ecclesiæ, & illis
promiscuè debetur honor ab omnibus.
45 Ad illud appellationis Pauli ad Cæsarem
dico, ex ea nihil concludi, nam non appel-
lauit ex vi Iuris positiui, quò subditus appel-
lat ad superiorem vtrique communem; sed
iure naturali, quò vnicuiq; licet implorare
auxilium ab eo, qui potest compescere ve-
xantem iniquè proximum; cùm enim Pau-
lus non posset se eximere à suis presecutoribus
necesse habuit recurrere ad Cæsarem, & non
ad Petrum, non quia Cæsar esset suus iudex, 46
sed quia eius prouocatio erat naturalis, quæ
coram quolibet potente adiuuaret oppres-
sum, licet non subditum, non legalis, quæ
supponit appellantē, & cū iudicem, à quo fit
appellatio, esse subditum illius, ad quem fuit
facta appellatio. Quare cum appellatio Pau-
li fuerit naturalis ad repellendam violenti-
am, non arguit subiectionem eius ad Cæsa-
rem. Et id est, quod alij dicunt, Paulū non
de iure, sed de facto appellasse, alijs citatis
Bonac. in Bulla disp. 1. q. 16. p. 2. num. 7.
Dic alio modo, cum Paulus vexaretur à sub-
ditis officialibus Cæsaris, rectè ad Cæsarem
non tamquam suum superiorem, sed iudicem 47
proprium persecutorum subditorum recur-
sum habuit, actor enim sequitur forum rei,
non sui iudicis, ex vulgatis iuribus; in casu
autem appellationis Paulus actor erat ad re-
pellendam propriam vexationem, persecuto-
res verò de actoribus euaserant rei, quia pu-
niendi de eorum iniquà vexatione erant à
Cæsare eorum superiore. Res est clara, quia
e. g. quando Clericus prætendit iustitiam
contra laicum, non recurrit ad Iudicem ec-
clesiasticum, sed ad Iudicem secularem, *cap.*
Si clericus 5. de foro compet.
Loquendo autem de legibus imperiali- 48
bus, quæ editæ fuerunt ab exordio Ecclesiæ,
constat, illas nullius momenti fuisse, sed illos
legislatores vt qui carebant lumine fidei nul-
lam agnoscebant differentiam inter suos
subditos, & ecclesiasticos, ideo cogebant
eos ad sua tribunalia. Constantinus autem
statim ac cognouit lumine gratiæ magnam
esse differentiam inter Gentiles, & Christia-
nos, omnes leges contra catolicam Ecclesiā
conditas aboleuit, & mandauit, ecclesiasti-
cos trahendos esse in omnibus causis ad suos
Superiores Episcopos, vt supra visum fuit.
Ad secundum dico, omnino falsum esse, 49
Clericos in minoribus constitutos beneficio
carentes esse subiectos iurisdictioni fori secu-
laris, nam solum subduntur, cum carent de-
bitis requisitis ad formam Tridentini *sess. 23.*
cap. 6. probatis enim defectibus requisitis, &
ab Episcopo declaratione facta, quòd non
gaudent priuilegio clericali, statim fiunt de
foro seculari, nec amplius dicuntur esse Cle-
rici, sed meri laici reputantur, ergo non qua
Clerici subduntur iurisdictioni seculari.
Ad tertium dico, Clericum reconueniri 50
posse à laico reo coram suo iudice laico sta-
tim, & incontinenti post litem contestatam
in causa ciuili cap. 1. de mutuis petit. Pari-
ter Clericum feudatarium in causa feud. tam
in possessorio, quam petitorio iudicari à do-
mino seculari, *cap. Cæterum 5. de Iudic. cap.*

Verum

Verum 7. de foro compet. Et in his casibus iudex secularis quà talis non dicitur iudicare Clericum, sed vt delegatus iure ecclesiastico.

Ad quartum falsum est, iudicem secularem personam sibi traditam iudicare, & punire Clericum, cum enim per degradationem declaratus sit non amplius gaudere priuilegio clericali, sed à statu ecclesiastico deiectus ad secularem, sicut erat ante clericatum, non iudicatur, nec punitur Clericus, sed laicus. Et ita docet *Glos. in cap. Accedens dist. 50. & in cap. Ad abolendam de haret. V. Praerogatiuam, & in cap. Degradatio.*

Ad argumenta alterius partis, quòd Priuilegium clericale non proueniat à iure diuino positiuo respondetur contra eundem Castropalaum.

51 Ad primum dico, cum hic non agatur de ceremonialibus, neq; de iudicialibus, quæ in morte Christi cessauerunt tamquam figuræ adueniente ipso figurato, *ex D. Thoma 1. 2. q. 103. art. 3. de ceremonialibus, & q. 104. art. 3. de iudicialibus*; sed de priuilegijs, & exemptionibus Clericorum in ordine ad Sacerdotium, cum hoc translatum fuerit per Christum in legem nouam, necesse quoque fuit, vt Sacerdotum, & aliorum Ecclesiæ ministrorum priuilegia, & exemptiones Veteris Legis transirent arg. eorum, quæ dicuntur cap. 3. de constit. Neque enim Sacerdotium nouæ legis est minoris conditionis, & excellentiæ in Christo capite omnium Sacerdotum, quam fuerint Sacerdotes, & Ministri antiquæ legis, qui tot priuilegijs abundabant.

52 Ad secundum dico in illis textibus, de quibus supra sub num. 15. non solùm agitur de violentia, & iniuria non faciendis Clericis à personis priuatis, sed neq; etiam, & à fortiori à personis publicis, & potestatibus secularibus, grauis enim est iniuria, quæ infertur à non iudice suo, qui proinde vsurpando alienam sibi iurisdictionem peccat mortaliter,

53 *D. Thom. 2. 2. q. 60. art. 6. Nauar. consil. 2. de haret. num. 4. Vers. Secundo.*

54 Ad tertium patet, Christum Dominum dedisse quidem censum, & tributum Cæsari, non de iure, sed de facto tantùm ad eum finem, ne scandalizarentur Ministri exactores tributorum, vt dicitur in Euangelio Matth. 17. 26. qui Christum, & Apostolos coegissent altercationibus ad solutionem. Christus ergo vt Rex, & filius Regis æterni erat liber à tributo nulli creaturæ subiectus, Petrus verò cum cæteris Apostolis ex priuilegio diuino erat liber, & exemptus. Nec obstat, quod

55 Christus dixerit Petro: *Da eis pro me, & te*, quasi exclusis alijs discipulis, quia paterfamilias solus tenetur pro se, & familia sua. Ex Euangelio igitur habemus personas ecclesiasticas esse iure diuino exemptas, & liberas à tributis secularibus ministris dandis, cum Christus pro se, & Apostolis dederit solùm de facto, non de iure tributum ministris Cæsaris. Demum illa verba: *Da eis pro me, & te*, non limitant priuilegium, sed solùm demonstrant executionem tributi factam fuisse pro Christo, & Petro, quia ambo erant patresfamilias, Christus omnium discipulorum, Petrus post eum cæterorum Apostolorum, ergo bene dixit: *Da eis pro me, & te*, quia ambo dederunt pro omnibus, quia tum constituebant vnam familiam, nominando Petrum, qui futurus erat paterfamilias post ascensionem Domini in Cœlum.

Ad quartum nego, sequi illud absurdum ex æqualitate solutionis, quia ea æqualitas ibi attenditur in nummis, & in illo facto, non in causa solutionis, nam Christus liber erat naturaliter à tributis, Petrus verò ex priuilegio, quod sufficit, ne dicantur æquales in priuilegio.

Ad quintum, cum Petrus in hoc repræsentet patremfamilias, sicut ipse eximitur ita & eius familia, & licet quandoq; concedatur patrono priuilegium, non ideo in eo communicant eius familiares, quia respectu illorum non est paterfamilias, nec hi sunt in hac re de eius familiâ, omnes autem ecclesiastici sunt de familiâ Christi, cum sint pars hæreditatis eius, ergo sunt etiam hæredes priuilegij, non sic familiares, qui non sunt hæredes patroni. 56 57

Ad sextum, esto illa exemptio, de qua fit mentio in Euangelio Matth. 17. 24. fit tantùm immunitas à gabellis, non inde sequitur, ecclesiasticos esse subiectos in criminalibus, & ciuilibus causis secularibus, quia ex alijs locis sacræ Scripturæ tam antiquæ relatis sub probat. 3. & 4. tum nouæ sub probat. 5. colligitur exemptio priuilegij fori criminalis, & ciuilis, & id ratio suadet, si enim Clericus habet exemptionem iure diuino rerum suarum, à fortiori propriæ personæ, quæ pretiosior est bonis, & bonis priuilegium est concessum propter personam, ergo persona supponitur esse magis priuilegiata ex axiomate Aristotelico. Propter quod vnum quodq. tale, & illud magis. 58

Ad septimum dico, fideles laicos per Baptismum subijci quidem Romano Pontifici, sed quia per baptismum non dicuntur fieri pars, & hæreditas specialis Dei, ideo non sunt exempti à tributis, neq. à foro seculari, neq. enim tonsurantur per baptismum. 59

Ad octauum dico, nomine *iuris diuini* in Concilijs, & in cap. Quamquam de censibus in 6. relatis sub num. 17. venire propriè ius à Deo datum, & scriptum in libris Veteris, & Noui testamenti, quorum verba rescripsimus supra in probationibus, non verò per eadem verba intelligi ius Canonicum, cum id vt pote datum à Pontificibus, & in Concilijs omninò sit aliud à iure diuino, cum 60

fit

sit datum à solo Deo. Et certè in prædictis locis satis clarè distinguitur inter se vtrunq. ius, cum de vtrisq. vt diuersis fiat mentio non æquiuoca sed vniuoca, & expressa; falsum ergo est, quòd nomine Iuris diuini veniat Canonicum.

Et ex eis respondetur ad diuersos textus, quos pro se refert Couar. cap. 31. Pract. quæst. Vers. Tertia, probans verba illa *ius diuinum* accipi lato modo pro iure Canonico, quod reuerà videtur improbabile, cum cap. Quamquam, & Concilium Lateranense, vt mox dixi, & retuli sub num. 17. manifestè distinguat vnum ab alio. Refero textus ex Couaruuia.

Primus, habetur in cap. cum de diuersis, de Priuilegijs in 6. *Prouidemus quod ibidem de cætero regatur, & vigeat Studium iuris diuini, & humani, Canonici videlicet, & ciuilis.* Manifestè patet ex his verbis fieri mentionem, & distingui triplex Studium scilicet *iuris diuini*.i. Sacræ Scripturæ, quæ & Theologia appellatur, *& humani, canonici videlicet, & ciuilis.* Ecco alia duo studia, & docet hoc Glos. V. videlicet. Non ergo illa verba *Studium iuris diuini* explicantur, & significant ius canonicum, & ciuile, sed per hæc explicatur ius humanum. Adde, quod nullus vnquam dixit, ius ciuile, esse ius diuinum, sed ius humanum diuidi in canonicum, & ciuile quæ duo omnino sunt diuersa à diuino, quod proinde non potest explicari pro humano. Insuper textus loquitur de studio Romæ erectio, ne ergo imperfectum sit illic studium defectu interpretationis Sacræ Scripturæ, cuius cognitio præ alijs necessaria est, dicendum est, nomine studij iuris diuini intelligendum esse diuersum à iure canonico, & ciuili.

Secundus textus ab eo citatus est in cap. Celebritatem 22. de consecr. dist. 3. *Quia alia est ratio causarum secularium, alia diuinarum.* Vbi nomine *diuinarum* veniunt causæ canonicæ, quæ in materiâ infamiæ diuersæ sunt à lege ciuili. Res ita est. Tamen aliud est ius, de quo hic, aliud est causa, de quâ non est quæstio, ideo is textus non facit pro Couaruuia.

Tertius textus ab eo refertur ex cap. Violatores 5. 25. q. 1. Contra eum agit, *cuius nutu, & gratia sancti canones editi sunt* Nihil probat ad suum intentum. Sensus enim illorum verborum est, quod sacri canones fiunt à Sanctis Patribus Spiritu Sancto inspirante, & docente, quod non significat, ius diuinum dici Sacros canones, sed illos Dei nutu fieri à Patribus, & summis Pontificibus,

61 est enim de fide, quod *omnia opera nostra operatus est in nobis*. Isaiæ 26. 12.

Quæres 2. Cum Priuilegium clericale, vt hactenus probatum est, sit de iure diuino à Deo ipso ordinatum, & concessum Clericis, an sub hoc nomine *Clericorum* veniant quæcumq. personæ, quas in præcedenti capite appellauimus Ecclesiasticas, nempe Clericos, & Monachos, cum suis adnexis, Clericis saluaticis, Seruis, Tertiarijs & Eremitis?

Respondetur affirmatiuè, & probatur ex 62 auctoritatibus Sacræ Scripturæ supra adductis Genesis 48. 26. *Absq. terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit* Non dicit *sacerdos*, sed *terra sacerdotalis*, insinuans omnes, qui viuebant ex eâ, esse de iure diuino exemptos; certum autem est, præter Sacerdotes, Pontificem, & Leuitas, qui figurabant nostros Clericos in lege veteri fuisse etiam quosdam monachos, qui erant figura nostrorum verorum Religiosorum sub Christo, à quo 63 omnis vera Religio sumpsit exordium, de quibus S. Hieronymus in Epist. ad Rusticum inquit: *Filij prophetarum, quos monachos in veteri Testamento legimus.* Et Ioannes Chrysostomus Homil. 1. in Marcum, ait: Sicut Sacerdotij Principes sunt Apostoli, sic *Monachorum Princeps Ioannes Baptista est.* In lege ergo veteri duo erant genera Hebræorum publicâ deputatione seruientium specialiter Deo in Templo, Sacerdotes, & Monachi, quibus in nouâ Euangelij respondent 64 duo genera Christianorum, nimirùm Sacerdotes, & Monachi, cum suis ministris his inferioribus, & quidem perfectiori modo, quia exordium habent à Christo, qui omnium est caput; Ecclesiastici siquidem veteris legis erant figura nostrorum, Sed omnes Ecclesiastici Clerici, & Monachi illius temporis viuebant ex bonis terræ Sacerdotalis; ergo & Ecclesiastici nostri temporis, qui illis successerunt viuunt ex bonis terræ Sacerdotalis; hoc est, exemptis à secularibus potestatibus, si ergo terra Sacerdotalis erat libera, & Priuilegiata de iure diuino, à fortiori ipsæ personæ Ecclesiasticæ, absurdum est enim dicere, quod Deus Priuilegiauerit bona Eccle- 65 siastica, & non ipsos Ecclesiasticos, cum persona sit dignor Priuilegio, quam sint eius bona, dum hæc sunt libera propter personam. Confirmatur id Clarius ex textu Esdræ lib. 3. cap. 8. num. 24. supra relato num. 10. *Vobis dicitur, vt omnibus sacerdotibus, & leuitis, & Sacris Cantoribus, & seruis templi, & scribis templi nullum tributum.* Colligitur enim ex his Deum exemisse omnes templo, vel in officio clericali, vel monachali, aut alio modo seruientes à potestatibus secularibus, ergo omnes Ecclesiasticos, qui soli specialiter publice sunt deputati ad diuina seruitia in Ecclesia Dei.

Confirmatur ex cap. Quamquam 4. de censibus in 6. vbi dicitur, quòd ius diuinum eximit omnes personas Ecclesiasticas à potestatibus secularibus cum suis rebus: *Cum igitur ecclesiæ, ecclesiasticæq; personæ, & res ipsarum non solum iure humano, quinimmo & diuino,*

diuino &c. Idem dicitur in Concilio Lateranensi, & Tridentino. Vide has auctoritates sub num. 17. declarant enim ius diuinum ita esse intelligendum; nomine autem personarum ecclesiasticarum veniunt omnes clerici, monachi etiam nouitij, & alij, vt probatum fuit sub capite primo per totum, ergo omnes illi sunt exempti quò ad suas personas iure diuino. Et ita docent omnes citati supra sub num. 29. Addo *Rodriq. tom. 2. q. 62. art. 2. Tambur. tom. 1. disp. 15. q. 19. num. 11. & seq. Ambrosin. de immun. cap. 16. num. 4.*

Quæres 3. Quid contineat hoc priuilegium clericale ratione personæ?

66 ℞. Continet tria. *Primò*, quòd non possit persona Ecclesiastica puniri corporaliter. *Secundò*, quòd non sit obligata seruire de personâ potestati seculari. *Tertiò*, quòd non sit subiecta legibus secularibus.

Primum ex auctoritatibus iuris diuini allegatis supra in probationibus tertiâ, quartâ, & quintâ, & comprobatur ex iuribus Canonicis citatis supra sub num. 17.

67 Secundum, non potest cogi ad aliquod officium vile, & sordidum exercendum, quia dedecet statum ecclesiasticum, cum Ecclesiastici à S. Petro Epist. 1. cap. 1. num. 9. appellentur genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus aquisitionis, vt supponitur ex cap. Si Imperator, relato supra sub n. 18. Vnde Episcopus, nec alij Ecclesiastici citantur ad ferendum testimonium l. Nec honore 7. C. de Episcopis, & Cler.

68 Tertium est, quòd Ecclesiastici non sunt subiecti legibus ciuilibus, nec statutis secularium, ex vi coactiuâ, itaut earum transgressores puniri non possint neque in personâ, neque in rebus suis, quia laici non possunt punire Ecclesiasticos, cum non sint subditi legislatoribus secularibus. Quoniã autẽ Ecclesiastici dicũtur esse partes Reipublicæ, ideo cum rationabile sit, vt partes omnes suo toti cohæreant, ideo ex vi directiuâ subduntur, non quà leges tales sunt sed ex vi iuris naturalis, ne fiat iniustitia proximo, vnde in contractibus tenentur seruare leges ciuiles, & statuta, quia quoad hæc fundantur in Iustitia, quæ vnicuiq; seruanda est. Et ita docent omnes cum *Felino in cap. Ecclesia S. Mariæ de const. t. num. 88. ad 91. Suarez lib. 4. de immun. cap. 13. Castropal. p. 8. num. 1. 2. & 3.*

Quæres 4. An sicut persona Ecclesiastica iure diuino est exempta in personâ secundùm illa tria, de quibus in præcedenti quæstione, ita & eius res eodem iure diuino sint exemptæ. Bona autem sunt *Primò* illa, quæ sunt Ecclesiæ propria, vt situs in quo Ecclesia, monasterium, hospitale, locus pius, &c. est fabricatum, beneficiũ, & quæcumq; alia bona donata, relicta, vel quouis alio modo Ecclesiæ, vel alijs pijs locis aquisita pro personis ecclesiasticis, & pauperibus alendis. *Secundò* patrimonium Clerici ascendentis ad ordinem Subdiaconatus. *Tertiò* bona relicta pro adimplendis legatis missarum, & elemosinarum, quæ sunt distribuendæ pauperibus. *Quartò* bona patrimonialia, quorum Clerici sunt domini proprietarij quouis titulo laicali ea possideant, vel ab intestato, vel ex testamento, emptione, &c.

℞. Prædicta quatuor genera bonorum 69
de iure diuino sunt exempta à potestatibus secularibus, à quibus nullo modo auferri, aut onerari possunt. Probatur Tum quia terra Sacerdotalis libera est, ex probatis num. 9. Tum quia prohibetur tributare Ecclesiasticos, & eis irrogare indictionem super eorum bona, supra num. 22. Tum quia idem comprobatur *ex cap. Quamquam de censib.* claris verbis: *Cum igitur ecclesiæ, Ecclesiasticæq; personæ, ac res ipsarum non solum iure humano, quinimmo & diuino à secularium personarum exactionibus sint immunes.* Ratio est, quia ab exemptione personæ infertur exemptio bonorum, quia bona sunt accessoria personæ, & propter hominem creata sunt, *l. In pecuniariam 28. ff. de Vsuris.* S. Ambr. 70
in lib. de Noe, & Arca relatus lect. V. Dominicæ Sexagesimæ. *Sed quia propter hominem illa facta erant, eo vtique deleto, propter quem facta sunt, conse uens erat, vt etiam illa delerentur, quia non erat quis his vteretur.* Sed exemptio personæ est de iure diuino ex probatis, ergo & eorum bona iure diuino sunt exempta, quali ergo exemptione vtitur persona, tali eius bona fruuntur; persona enim non potest plenè, & perfectè esse exempta, nisi talis sit etiam respectu bonorum, cum ergo persona iure diuino sit exempta, consequenter etiam eius bona, nisi dicamus Deum Ecclesiasticis contulisse Priuilegium, & exemptionem imperfectam, quod tamen non solum absurdum est dicere; sed etiam hæreticum, ex eo, quòd omnia Dei opera sunt perfecta. *Deuter. 32. num. 3.* 71
Exemptio ergo bonorum sequitur exemptionem personæ, in cuius gratiam sunt, vt docent allegati à Sperello decis. 135. num. 61. & ita docent quam plurimi *à Barbosa citati in cap. Ecclesia S. Mariæ, de constit. à num. 19. & in cap. Quamquam, de censib. in 6. num. 2.*

Primum genus bonorum, sub quo sunt 72
Ecclesiæ, cæmiteria, monasteria, hospitalia, & huius generis loca pia, sine dubio est immune, & liberum à quacumq. subiectione, & onere, cum eius dominium immediatè sit apud ipsum Deum, qui eius proprietatem speciali modo sibi reseruauit sub administratione suorum ministrorum Ecclesiasticorum, qui illorum curam habent, & administrationem nomine Dei, nam administrator propriè ille appellatur, qui rei alienæ curam habet.

bet. Quod horum dominium sit apud Deum
73 ipse testatur, dum dicit: *Domus mea, domus orationis vocatur*. ex prioribus verbis *Domus mea* colligitur eius proprietatem esse Dei eo quod pronomina possessiua *meum, tuum,*
74 important dominium, & proprietatem, *cap.* 2. 12 *q.* 1. *iuncta glos. V. Omnium*. Ex posterioribus *Domus orationis*, non esse huiusmodi loca oneranda per laicos, ne turbentur ministri, dum occupantur in cultu diuino, cuius sunt omnes oblationes, quæ Ecclesijs fiunt, quas Dominus dicit esse suas, & reliquit sub administratione clericorum, de quorum iure dicuntur esse Numer. cap. 18. per totum. Dixi etiam num. 26. & 27.

75 Nomine autem oblationis veniunt quæcunq; bona Ecclesijs relicta sub quouis titulo, non solum quæ dantur in decimis, in oblationibus Sacerdoti ad altare, sed etiam in titulum beneficij, donationis, aut legati, huiusmodi enim bona dicuntur communi nomine oblationes, vt videri potest apud Socinum libello primo de oblationibus. Horum autem bonorum dominium, & proprietas offertur Deo, quæ pie Deus decreuit esse iuris sacerdotalis ex cit. c. 18. Numer. & ministrorum aliorum inseruientium Deo in templo, & Ecclesiæ. Et licet ibi Deus verba dirigat ad Aaron, & filios eius in perpe-
76 tuum, tamen quia cessauit in morte Christi genus leuitarum, & in eius locum successit sacerdotium Christi, ibi à Deo disposita in figura, nunc intelliguntur verificata in sacerdotio Christi, & ministrorum eius, vt quod competebat, & à Deo datum erit sacerdotio Leuitico, tribueretur etiam sacerdotio Christiano, vt probatur ex illo D. Aug. relato cap. 3. de Constit. *Translato sacerdotio, necesse est vt, legis translatio fiat*. hoc est, vt ea immunitatis priuilegia sacerdotio Aaroni concessa à Deo transferrentur ad sacerdotes Christi, neq; enim isti Sacerdotes sunt inferioris conditionis, sed longe maioris, & perfectioris notæ, sequitur ergo quod bona relicta Ecclesijs dicantur illarum propria ex diuina ordinatione, de qua sub prima quæstione dictum fuit ex Genesi, & Esdra, & quidem clarius ex cit. cap. 18. Numer. num. 9. *Omnis oblatio, & sacrificium, & quidquid pro peccato, atq; delicto redditur mihi, & cedit in Sancta sanctorum tuum erit, & filiorum tuorum*. Et hoc ius sæpius repetit, quod dominium, proprietas, possessio, & administratio rerum Deo oblatarum sunt sacerdotum, & ministrorum Christi, ad quos translatum fuit sacerdotium, quod erat apud Aaronem. Quare Bonifacius Papa relatus cap. Nullius 3. 12. q. 2. inquit: *Nulli liceat ignorare, quod*
77 *Domino consecratur, siue fuerit homo, siue animal, siue ager, quicquid semel fuerit consecratum, Sanctum Sanctorum Domino erit, & ad ius pertinebit sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis, qui à Domino, & Ecclesia, cui competunt, aufert, vastat, inuadit, vel eripit*. Quæ ergo relinquuntur Ecclesijs Deo dicuntur donata, & ecclesijs quæ eorum dominium habent, vt patet ex lege diuina expressa in cit. cap. Numer. vnde & dicuntur patrimonium Christi, *cap. cum ex eo*, 34 *de elect in 6. ibi Glos. V. Christi, cap. Saluator extr. com. de Prabend. cap. Ex causa* 13. *de verb. sign. cap. Nullus* 3. *cap. de rebus* 22. *cap. Diaconi* 35. 12 *q.* 2. Quæ enim, vt ibi dicitur, traduntur Ecclesiæ, dicuntur Deo dedicari tamquam speciali domino illorum, vnde dicuntur dona Dei, *cap. Saluator* 8. 1. *q.* 3. & sic tradunt *Panorm. in cap Non minus, de imm. Eccl num.* 6. *Innocent. in cap. Literis, de restit spol. Sperell. dec.* 71. *num.* 16. Quare cum Dominus sit specialis proprietarius bonorum ecclesiasticorum cum ipsis Ecclesijs, sine dubio prohibetur, ea onerari per potestates seculares gabellis, & alijs tributis, & grauaminibus, aliter Christus de domino fieret seruus, impositio enim onerum arguit dominium ex parte imponentis, & subiectionem ex parte onerati, quod dicere impium est. Bona ergo ecclesiarum sunt immunia ab oneribus laicalibus. Ita omnes apud *Barbosam in statutum cap. Quamquam, de censib. in* 6. *Diana par.* 7. *tract.* 1. *resol.* 5. *Merlin. decis.* 902. *Castropal. p.* 9.

Secundum genus bonorum pertinet ad Patrimonium ecclesiasticum pro ascensu ad 78
subdiaconatum, huius autem generis bona gaudent priuilegijs, quibus fruuntur bona ipsarum ecclesiarum, ergo iure diuino, & canonico, sunt excempta, & libera ab oneribus, & iurisdictione secularium, ita quod non possunt collectari, nec iudicari à foro seculari. Ita docet omnes, quos refert Barbosa *ad cap.* 4. *de Prabend. n.* 9. *Diana part.* 1. *tractat.* 2. *resol.* 39. *Sperell. decis.* 35. *num.* 1. *dec.* 37. *num.* 77. *Mar. Anton. lib.* 1. *resol.* 88. *num.* 2. vbi eam exemptionem vocat de iure diuino, & merito, tum quia habent nescio quid spiritualitatis, dantur enim clerico in sacris constituto duplici ratione, & vt decenter viuere possit cum decore status clericalis, vt habet Tridentinum sess. 21. cap. 2. & quia datur in quasi mercedem spiritualis obsequij, quod præstat ecclesiæ. Alia 79
ratio forsan magis propria ea est, quia patrimonium clericale subrogatum fuit in locum Beneficij, antiquitus enim nullus ordinabatur sine legitimo titulo, qui tunc erat beneficium, cuius fructibus alebatur ordinatus, vt habetur *cap.* 1. & 2. *dist.* 70. & *alibi*, 80
vnde *in cap. Cum secundum* 16. *de prabend.* dicitur, quod clerici debent viuere de patrimonio Christi, quod consistit in bonis, & beneficijs ecclesiarum, cum ergo patrimonium clericale ob multitudinem clericorum successerit in locū, & subrogationē beneficiorū,

sequitur, quod debeat gaudere omnibus priuilegijs, quibus gaudent bona Ecclesiarum, subrogatum enim sapit naturam eorum, in quorum locum subrogatur, ex allegatis à Barb. Axiom. 213.

81 Quod si Ordinatus recipiat Beneficium congruens suæ sustentationi, adhuc clericale patrimonium retinet priuilegia, quia non definit esse tale per receptionem Beneficij, sed perseuerat in suâ qualitate. Ita Spinus *in suo Speculo de test am. Glos.* 18. *n.* 72. *Azeuedo, Ceualos, & alij, quos citat Barb. ad dictum*

82 *cap.* 4 *de Prabend. num.* 9. Verum quidem est, quòd renuntiari, & alienari potest de licentia Episcopi ex Tridentino cap. 2. sess. 21. esto Beneficium receptum sufficiês sit ad sustentationem beneficiati, vt tenet communior opinio eorum, quos citat *Barb. ad Tridentinum num.* 63. & sequitur Fagn. *ad cap. Episcopus. de Prabend. num.* 46. Ea ratione, quia beneficium non succedit locô patrimonij.

83 Noto hîc vnum in designandis bonis pro Patrimonio clericali non esse damnum inferendum tertio, vnde si bona assignata habent onera affixa siue pro personis priuatis, siuè pro Camerâ Ecclesiasticâ, siue Ducali, adhuc remanent subiecta solutioni, & ex alijs bonis liberis patrimonium est constituendum, nisi ea sint ita frugifera, vt possit satisfieri vtrisq; neque enim Iustitia patitur, vt onera tributaria diuidantur soluenda ab alijs personis in loco existentibus, seù habentibus ibidem bona sua, vt probaui resol. 107.

Placet hîc subnectere resolutionem quæstionis, an Ordinator, & Ordinatus incurrant aliquam pænam, si promoneatur in Sacris sine titulo aliquo Beneficij, seù Patrimonij clericalis ante ordinationem?

84 Iure antiquo cap. 1. & 2. dist. 70. qui ordinabatur sine titulo incurrebat suspensionem Ordinis suscepti, Ordinator verò tenebatur alimenta præstare Ordinato de mensâ suâ, donec ei prouideat de Beneficio, vel nisi de suâ, vel paternâ hæreditate subsidium vitæ possit habere, *cap. Non liceat* 2. *cap. Episcopus* 4. *cap. Cum secundum* 16. Vbi Ordinatus sine titulo eximitur à pænâ prædictâ suspensionis, *de Prabend. & cap. Si Episcopus* 37. *eod. in* 6.

85 Itaq; Episcopus tenetur alere suum subditum

86 quem sine titulo ordinauit, sic verò Ordinatus amplius eam suspensionem non incurrit, sublatam per dictum cap. *Cum secundum.* Quoniam autem Tridentinum Sess. 21. cap. 2. per hæc verba: *Antiquorum Canonum pænas super his innouando* dedit occasionem dubitandi, quas pænas inouauerit, an solùm pænas contra Episcopum de alendo Clerico sine titulo ordinato, an etiam contra ipsum ordinatum sine titulo? Vel etiam cum titulo Beneficij, seu Patrimonij clericali, sed fictô?

Licet Sixtus V. in suâ incip. *Sanctum, & salutare* 91. in Bull. & apud Quaranta V. Ordo, contra malè promotos renouauerit omnes pænas tam contra Episcopos, quam malè promotos, vbi etiam agitur de Ordinatis sine patrimonio, tamen Clemens VIII. in suâ incip. *Romanum Pontificem* 11. in Bullar. & ibidem eam Sixti redux t ad terminos Iuris communis, ac proinde tota difficultas reducitur ad Ius commune illorum capitum relatiuè ad Tridentinum.

Dico Tridentinum non innouasse pænas antiquorum canonum nisi contra Episcopum, nequaquam contra Ordinatum, siue simpliciter sine titulo, siue cum titulo fictô. *Primum* de pænis innouatis contra Episcopum, qui tenetur alere Ordinatum sine titulo manifestè patet ex dictis verbis: *Antiquorum canonum panas super his innouando.* Quatuor enim sunt canones supracitati, in quibus mentio fit de alendis Clericis quorum canonum verba ferè referuntur in textu Tridentini ibi: *Donec Beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, vnde viuere possint.* Adhuc ergo Episcopus tenetur ad eos alendos, si ordinati sunt sine titulo. Non verò si exhibuerunt Beneficium, vel Patrimonium, ab Episcopo reputatum verum, & reale, licet ex parte rei sit nullum, cum enim Episcopus non sit in culpâ, pænam non meretur. *Castropal. de cons. disp.* 4. *p.* 10. §. 1. *fine* Vide Fagnanum *part.* 4. *ad cap. Cum secundum, de Prabend. num.* 61. 87

Secundum, quòd Tridentinum nihil innouet pænarum contra Ordinatos sine titulo, vel cum titulo fictô, probatur, quia S. Congr. referente eodem Fagnano n. 63. respondit, esse innouatas pænas tantùm contra Episcopum, quia Concilium renouauit pænas non abrogatas, quales sunt latæ contra Episcopum, non contra Ordinatos iam abrogatas per dictum caput *Cum secundum*, & quidem hoc respondit de Ordinatis sine titulo ex eo n. 63. & cum titulo ficto idem respondit die 27. Nouemb. 1610. ipso referente in fine. Vide Barbos. Allegat. 20. num. 25. ad 27. referentem tres opiniones, tenentem tertiam quæ docet Concilium innouare solùm pænas contra Episcopum, non contra Ordinatos sine titulo, & recenset in hanc sententiam 24. Doctores. Ego autem nego Tridentinum renouasse pænam suspensionis contra promotum non solum sine titulo, sed etiam cum titulo fictô, *ex Castropalao part.* 3. *de Ordine p.* 12. *n.* 67. *&* 8. *quod repetit par.* 5. *de censur. disp.* 4. *p.* 10. §. 1. *fine, Sayr. lib.* 4. *de cons. cap.* 14. *n.* 6. *Gonzal. Glos.* 5. §. 10. *n.* 25. quos Barbosa *ad cap. cum secundum, de Prabend. n.* 7. *Vers. Quæstio*, citat cum alijs, asserens cum Castropal. hanc esse probabiliorem. Rationes apud Castropalaum habes; quibus addo alias. Tum quia illa duo capita dist. 70. loquuntur simpliciter 88 89

de

de Ordinato sine titulo, ne verbum quidem
de Ordinato cum titulo ficto, contra quem
90 nullæ inueniuntur pænæ, ergo Tridentinum
nullas dicitur innouare pænas, quæ non exi-
stunt, innouatio enim habet pro obiecto rem
alias existentem, neq; enim dicitur renouari,
quod nunquam extitit. Tum quia esto lo-
querentur etiam de Ordinato titulo ficto, ad-
huc Concilium ad eas innouandas respectu
tituli ficti non extenderetur, sicut eas non
innouat respectu tituli non extantis, de quo
potissimum loquitur textus vtriusq; capitis
dictæ dist. 70. quia si Concilium non innouat
pænas respectu tituli non extantis, de quo fit
expressa mentio in eâ dist. 70. multò minus
innouat pænas contrà promotum ex titulo
ficto, de quo nullum verbum in ea dist. 70.
91 Tum quia rem non extare, & esse, sed fictam,
æquiparantur, itaut fictum patrimonium
spectetur ac si non esset factum, *arg. l. Quoties ff. qui satisd. cogantur. l. Si autem nullum C. de legit. hæred. Thomaset reg. 117. Simon Vaz de locis iu. N. n. 31.* sed Concilium nihil inno-
uat contra promotum sine titulo, ergo neq;
contrà promotum cum titulo ficto, qui æqui-
parantur titulo, non extanti.
92 Tertiũ genus bonorũ de legatis pijs pro mis-
sis, vel eleemosynis, & dotib. distribuendis,
spectari potest dupliciter. *Primò*, vt bona sunt
incorporata Eccles. vt ex eius fructib. sustẽten-
tur Ministri ecclesiast. celebrantes, vel vt ex
eisd. fructib. dẽtur eleemosynæ, & dotes. *Se-
cundò*, quatenus legatorum, bona remanent
apud seculares, qui tenentur satisfacere; hu-
ius autem generis bona apud laicos rema-
nentia spectari possunt dupliciter, vel .s. pro-
ut omnia hæreditatis bona indistinctè, & ge-
neraliter remanent obligata oneribus lega-
torum; vel quatenus talis fundus, talis domus
&c. solùm destinatus fuit ad satisfaciendum
legatis. *In primo sensu* huiusmodi bona one-
rata legatis pijs incorporata Ecclesiæ, seu al-
teri loco pio sunt exempta vtroq; iure diuino,
& canonico à collectis, & onerib. laicorum.
ex cap. Quamquam, de censib. sunt enim bona
ecclesiastica, cum sint deputata ad cultum
diuinum ex conditione ipsorum legatorum,
licet non sint incorporata titulo Beneficij, ita
tamen Ecclesiæ propria sunt, vt non nisi bo-
93 na Ecclesiarum dici possint, & de patrimo-
nio Christi sunt, quod enim relinquitur Cle-
ricis, Ecclesiæ censetur relictum *l. Annua §.
94 Actio ff. de annuis legat.* Et dicuntur esse sub
regimine Ecclesiæ, *cap. Nouerint. 10. q. 1.* Et
ita docent *Perez de Lara lib. 2. de Anniuers. cap. 6. num. 16. Vers. Et non solùm*, & alij in-
fra citandi.
In secundo sensu puto non dari exemptio-
95 nem, quousque modo bona spectentur, quia nec
sunt bona Ecclesiæ, nec ecclesiastica, cum
nullum habeant titulum ex ecclesiasticis, cum
non sint incorporata, neq; proinde ab Eccle-
siasticis regantur, sed sunt bona mere laica-
lia, arg. eorum, quæ tradit *Rota par. 5. decis. 238.* Quicquid dicat præfatus *Perez, & Alphons. de Leone, quos citat Pasqual. de Sacrif. Missæ q. 1036. n. 6.* limitans, si sint separata ab
hæreditate, gaudere scilicet immunitate, non
autem, si legatum sit soluendum de massâ
communi totius hæreditatis, in quo sensu
cum ipso conuenio, non autem in priori ip-
sius, quia vt dixi, iuxta vtriusq; inspectionem
bona semper remanent laicalia. Eius autem
ratio, quòd specialis fundus destinatus dica-
tur conuersus in vsum pium, & cultum Dei,
hoc non sufficit, non enim res, & fundus talis 96
recipit nomen ecclesiasticæ rei, nisi aut in-
corporetur Ecclesiæ, aut regatur, & admini-
stretur ab Ecclesiasticis, debet enim Ecclesia
esse proprietaria, & domina rerum cum ad-
ministratione per suos ministros, vt de profa-
nis fiant ecclesiasticæ.
Quartum genus bonorum consistit in bo- 97
nis patrimonialib. laicalib. quorum Personæ
ecclesiasticæ sunt domini proprietarij, posses-
sores, &c. Huius generis bona gaudent pri-
uilegio clericali, vt sint exempta ab oneri-
bus, & gabellis, & collectis, quæ imponuntur
rebus per potestatem laicam, quæ cum iuris-
dictionem non habeat in Ecclesiasticos, vt
notum est, ideo eorum bona aggrauare non
potest; & id verum est non solum iure ca-
nonico, sed etiam diuino, vt testatur Ponti-
fex Romanus in cap. Quamquam 4. de cen-
sib. in 6. ibi. *Cum igitur Ecclesia ecclesiasticæq; personæ, ac res ipsarum, non solum iure humano, quinimmò, & diuino à secularium personarum exactionib. sint immunes.* Bona ergo
non solùm Ecclesiarum, sed neq; propria ip-
sorum Clericorum collectari, nec onerari
exactionib. possunt, expressè *cap. Non minus 4. cap. Aduersus 7. de immun. Eccles. cap. 1. & 3. eod. in 6.* in quibus locis prohibetur laicis
impositio onerum, & gabellarum super bonis
Ecclesiarum, & ipsorum Ecclesiasticorum, &
si occurrat grauis necessitas pro subueniendo
communi vtilitati Reipublicæ, Episcopus, &
Clerici non possunt quicquam in subsidium
contribuere, nisi de speciali licentiâ Sedis
Apostolicæ, sub pæna excommunicationis
contra imponentes, & exigentes particula-
res personas, eis etiàm auxilium, consilium,
aut fauorem dantes etiam occultè, & inter-
dicti contra Vniuersitates, reseruatorum;
& suspensionis contra Prælatos, & Ecclesia-
sticos aquiescentes eis absq; expressa licentiâ
Sedis Apostolicæ, vt patet ex cap. 3. eo- 98
dem in 6. Adest etiam excommunicatio
Bullæ Cænæ Domini 18. contra exigen-
tes, accipientes, procurantes, auxilium,
consilium, vel fauorem dantes in prædic-
tis, tam contra bona Ecclesiarum, quam
personarum ecclesiasticarum.

99 Quæ autem conditiones requirantur, vt
de bonis ecclesiasticis subueniatur Reipublicæ,
referuntur *in decis. 103. apud Tambur. tom. 3.*
quæ est Peniæ *in Brundusina Gabella* 13.
Febr. 1604. de quàre etiam *Diana par. 9.*
tract. 1. resol. 11. de eàdem immunitate bo-
norum ecclesiasticorum Merlinus decis. 902.
quam etiam extendit idem Tambur. *decis.*
104. *& Diana in calce part. 5. decis.* 11. Aliam
decis. *sub num.* 105. extendit idem Tambur.
quæ est Burati 19. *Aprilis* 1619.

100 Bona ergo non solùm Ecclesiarum, sed
etiam propria Clericorum gaudent priuile-
gio immunitatis, vt non possint aggrauari à
potestatibus secularibus, neq; per eorum
statuta, & pragmaticas, etiam propter
communem vtilitatem, vel necessitatem.
Ita Felin. *in cap. Ecclesia S. Mariæ num.* 89.
Decius ibidem num. 55. *de constit. Gramat.*
dec. 100. *num. 9. & 16. Marta part. 4. casu 1.*
n. 39. Grassus Effect. 2. n. 199. et 200. Sperellus
dec. 12. num. 18 quos pro se citat Ciarlin. *cap.*
138. *num. 26.* Alios plures refert Barbosa *in di-*
ctis cap. 7. de immun. et 4. de Censibus in 6.
Nec obstat, quòd huiusmodi bona dican-
tur merè laicalia, & non ecclesiastica, ex
quo nullum habeant specialem titulum nec
101 Beneficij, nec Patrimonij Christi, neque
nomine Ecclesiæ gubernentur ab ecclesiasti-
cis, neq; sint subrogata in locum bonorum
ecclesiasticorum, vt patrimonium clericale,
quod subrogatur in locum Beneficij, nam
antiquo tempore nullus ordinabatur nisi
cum vero titulo Beneficij, in cuius locum ob
multitudinem Clericorum, qui videbantur
necessarij pro spirituali seruitio Christiano-
rum, suffectum fuit clericale patrimonium, cu-
ius bona non nisi Clericus administrat pro sui
sustentatione, nec ea alienare, & relinquere
potest sine licentià Episcopi, ex quo patet ea
connumerari inter bona ecclesiastica, vnde
ea sunt magis priuilegiata, quàm patrimo-
nialia laicalia, cum non substituantur pro
Beneficijs, vt Clericale, & ita docet cum alijs
Ciarlin. cap. 138. *num.* 24. nihilhominus ipsa,
102 scilicet bona patrimonialia Clericorum laica-
lia gaudent priuilegio exemptionis ex supra
probatis, quia ab exemptione personæ in-
fertur exemptio bonorum eius, vt priuile-
gium exemptionis sit perfectum vt dixi supra
sub num. 70.

Quæres 5. An huiusmodi bona patrimo-
nialia laicalia Clericorum sint subiecta datijs,
& gabellis, si per ea Clerici negotientur?

103 ℞. Affirmatiuè, quia id exprimitur in dic-
to cap. Quamquam, de censib. in 6. illis ver-
bis: *Pro rebus proprijs, quas non causa nego-*
tiandi deferunt vel deferri faciunt, seù trans-
104 *mittunt, &c.* Vnde Clerici negotiatores post
tertiam monitionem perdunt priuilegium
clericale quò ad sua bona, de quibus scilicet
debeant soluere datia, & gabellas, expressè
cap. fin. de Vita & honest. Cler. Et ita docent
omnes Doctores, quos locis prædictis citat
Barbosa, positâ scilicet illa monitione trinà,
& non aliter. Negotiator autem non est,
qui vendit fructus suæ possessionis, Decius *in* 105
cap. Ecclesia S. Mariæ de constit. fine l. Legatis
63. ff. de legat. 3. Numquid dicitur negotia- 106
tor, quia alio modo non potest imprimere sua
Manuscripta, nisi suis impensis, vel concor-
dando cum Impressore emendo tot libros, si
postea illos vendat? Dico, quod non, quia
cum non vnus liber cudatur, sed quamplu-
rimi, vt exigit natura huius artis in bonum
commune, & auctor vnico indigeat, alios
cogitur vendere, vt seruetur indemnis, &
recuperet expensum, ideo lucrum cum non
intendatur, sed sequatur ex conditione hu-
ius artis, lucrator non dicitur negotiari, sed
solus Impressor, qui directè lucrum intendit,
& quærit. Deinde vendens fructus superflu-
os ad propriam sustentationem, quos ex suà
possessione percepit, non dicitur negotiator
ex dictis, ergo neq; qui vendit fructus partus
sui intellectus mercator dicitur.

Quæres 6. An bona Ecclesijs aquisita ex
quouis titulo, emptionis, donationis, hære-
ditatis, legati, &c. transeant cum oneribus
suis ad Ecclesiam, in cuius dominium, &
possessionem transeunt? Quæstio non est
de oneribus censuum, liuellorum, emphi-
teusium, & de fideicommissis, & alijs obli-
gationibus realibus, transeunt enim cum his
oneribus, vt exigit iustitia commutatiua in-
ter contrahentes, vel alio modo disponen-
tes. Restat erga quæstionis difficultas circa
tributa, quibus bona erant oneiata ante-
quam peruenirent ad manus Ecclesiarum, &
aliorum piorum locorum.

Notandum pro resolutione, onera esse in
in triplici differentià, alia sunt ordinaria,
alia extraordinaria, alia ex his mixta, et
sermo est de reali, nam personale non tran-
sit, cum allegatis à Barb. Axiom. 199. num.
5. & 6.

Onus ordinarium, quod solet appellari
census, & tributum Principi debitum, est 107
quid certum, & determinatum, in numero,
vel pondere, aut mensurà, ac proinde inua-
riabile affixum fundo durans perpetuò cum
ipso fundo transiens ad quamquam perso-
nam, aut communitatem quouis modo pri-
uilegiatà, cum fundus propter talem oneris
impositionem sit obligatus, & hypothecatus
pro Principe, vnde dicitur imponi rebus ip-
sis pro ipsis rebus præscindendo à persona
eidem subiectà. Ita Bart. *in l. vn. C. de va-*
cat. public. muner. lib. 10. Iason in lect. 1. leg.
Placet. C. de Sacros. Eccles. num. 6. Bald. vol.
5. consil. 407. initio, Mantica lib. 11. de tacitis
tit. 18. num. 13. Vocatur etiam *prædiale*, quia
collectum soluitur ex fructibus prædiorum,
ex l. Indictiones C. de ann. & tribut. lib. 10.

Capra Reg. 96. num. 40. Bellon. conf. 40. initio Burfat. conf. 42. num. 7. Anfoffius apud Gaticum vol. 2. fol. 598.

108 Onus vero extraordinarium est illud, quod ex causis occurrentibus imponitur, vnde non habet certam solutionem, sed variabilem, quæ determinatur habito respectu ad indigentiam Reipublicæ in casibus occurentibus, quando Communitas indiget pecunijs. Imponitur autem personis, vel capiti, vel bonis illorum, & huiusmodi onus non recipit hypothecam, quæ solùm cadit super re certâ, & in taxatione habetur etiam respectus Official ū, quibus in re hac debetur stipēdiū Ita *Bartol. conf. 180. initio Menoch. conf. 297. num 3 Gallia consil. 59. num. 31. Mantica cit. num. 15. cum alijs dictus Anfosfius apud Gaticum Vol. 2. fol. 599.* Extraordinarium dicitur etiam illud, quod est impositum, sed nondum declaratum in numero, mensurâ, nec pondere, quia adhuc incertum dicitur. *Angelus de Vbaldis conf. 24.*

109 Mixtum verò onus dicitur illud, quod imponuntur personis pro rebus, ita quod obligatio cadit formaliter super personam, quantitas vero pecuniæ super rem, ex cuius fructibus solutio determinatur. *Bald. in l. Propter honorem C. Qui bonis cedere poss. Iohannes Baptista Gaccia apud Gaticum Vol. 1. fol. 726. num. 22.* His præmissis.

110 ¶. Onus ordinarium iam impositum rebus dum sunt in dominio secularium transit cum illis apud Ecclesiam, & personas ecclesiasticas, ex hoc communi axiomate: *Res transit cum onere suo*, scilicet reali assixo inuariabiliter rei transeunti; in terminis

111 huius axiomatis, *cap. Pastoralis 28 cap. Cum non sit 33. de decimis, cap. Si quis 42. 16. q. 1. Glos. V. Sub tributo cap. Non minus 4. de immun. Glos. V. Bonorum, cap. 3. de immun. in 6.* Ita ex his textibus quamplures cum B rbosâ *Vol. 3 conf. 1. Rimin. Iun. lib. 1. conf. 25. num. 13. Nicol. Euerard. conf 42.* ex. nio apud Hieronymum G ticum Ord nis S. Dominici, sępius citatum, in sua Catena Aureâ Collegentem Doctores benemeritos de Immun. Eccles. *Vol. 1. fol. 247. & fol. 288. vbi Iohannes Baptista Trottus fol. 5. Michael Angelus Caccia Nouarensis, fol. 127. Petrus Paulus Buttinonus Mediol. fol. 141. Iacobus Mandellus de Albâ lib. 1. conf. 8. ibidem fol. 407. Fabricius Zumallus fol. 615. Lancellottus Gallia conf. 50. ibidem fol. 677. Carolus Ruinus lib. 4 conf. 117. apud eundem Gaticum Vol. 2. fol. 55. Angelus de Vbaldis conf. 24. fol. 77. Dominicus Gemin. conf 19. fol. 79. Domin. Anfossus fol. 597. Diana part 1. tract. 2. resol 42. Vers. Non reticeam, Sperellus dec. 35. num. 4.* Alios pluquam quadraginta refert Barbosa *ad cap. Non minus 4. de Immun.*

112 *Ecclef. num. 6.* Et n n non est, quòd hæc sententia tot habeat assertores, quia etiam tempore D. Ambrosij, Principi tributum solutbat Ecclesia, ex cap. Si tributum 27. 11. q. 1. *Si tributum petit Imperator, non negamus, agri Ecclesiæ soluunt tributum.* Intellige de agris, qui tunc cum tali onere transierunt ad Ecclesiam, vt colligitur ex cap. Tributum 22. 23. q. 8. ibi *Quia de exterioribus Ecclesiæ, quod constitutum antiquitus est, pro pace, & quiete, quâ nos tueri, & defensare debent, Imperatoribus persoluendum est.* Datur ergo ab Ecclesia tributum Principi, non in signum subiectionis, cum Ecclesia nulli laico quantumuis magno, & sublimi etiam Imperatori, qui filius Ecclesiæ primarius est, sit subiecta, sed in recognitionem defensionis sibi exhibitæ à Principe. Ecclesia ergo 113 soluit huiusmodi onus, quod fatetur esse annexum rebus, quas aquisiuit cum tali onere, ne ergo sit iniusta, cum iustitiæ sit cultrix, tenetur soluere tributum suis rebus annexum. Quare cum Princeps nolit defraudari de suo tributo, nec iustum sit, quod eius subditi super alienis rebus geauentur vltra quod eis contingit, meritò Ecclesia hoc soluit.

Postquam autem bona transierunt ad Ecclesiam cum antiquo tributo, deinceps oneranda nequaquam sunt, quia de laicalibus transierunt in ecclesiastica, & ita in æpernum esse de dominio, & proprietate Ecclesiæ, nulli deinceps seculari potestati Regali, Ducali, aut Imperiali subiecta, ac proinde exempta à quibuscunq; tributis, & oneribus deinceps non imponendis, quæ onera respectu Ecclesiæ non essent realia, & inuariabilia, sed extraordinaria, & variabilia nullatenus imponenda, cum hæc prohibeantur *cap. Non minus 4. de immun. & cap. 1. & 3. eod. in 6. et in Bullâ Cœnæ, excom. 18.* 114

Graues non desunt auctores, qui negant bona oneribus affecta transire ad Ecclesiam cum oneribus, quos refert Gaticus Vol. 1. fol. 387. & Vol. 2. fol. 67. cum Bernardino Landriana, & Natta. Probant *primò*, per canones, & leges *cap. Non minus de Immun. et cap. 1. eod. in 6. cap. Quamquam, cap. Peruenit. de censib. in 6. l. Placet C. de Sacrof. Eccles. l. 1. & 2. & Auth. Item nulla Communitas C. de Episc. & Cler.* in quibus locis bona Ecclesiarum eximuntur à quibuscunq; oneribus etiam ordinarijs, & non tantum extraordinarijs. Probant *secundò*, quia mutatione personæ, mutatur conditio rei, *Bart part. 1. conf. 180* & mutatione personæ mutatur Priuilegium *l. Paulus §. 1. ff. de aquir. hæred.* Probant *tertiò*, quia nemo plus iuris potest transferre in alterum, quam sibi competere dignoscatur, Reg. 79. in 6. Sed in translatione rei a laico ad Ecclesiam non potest ab illo transferri hoc onus tributale, cum in eo sit resolutum, & extinctum, ergo non dicitur res transire cum onere, suo. Probant *quartò*, 115

quia

quia sicut res Ecclesiæ translata ad laicum statim incipit esse subiecta tributo, ex quo
116 facta est laicalis, *Peregr. de iure fisci lib. 6. tit. 14. num. 45 & 46.* Ita è contrà laicalis res, ipso iure, quo efficitur ecclesiastica exime-
117 tur ab obligatione tributi. Probant *quintò*, quia imponere onera, & gabellas est actus Iurisdictionis potestatis secularis super suos subditos; sed Ecclesia, & Ecclesiastici non sunt subditi potestatibus secularibus, nec su-
118 per istos possunt exercere aliquem actum Iurisdictionis non solùm criminalis, sed nec ciuilis, vt luce clarius est, *cap. 1. cap. Si Imperator 11. dist. 96. cap. Non placuit 23. cap. Laicis 24. 16. q. 7. cap. Ecclesia 10. de constit. cap. Cum laicis 12. de reb. Eccles. non alien. cap. Decernimus 2. de iudic. cap. Tua 25. de decim.* Ergo impositio onerum non potest simul cum re à laico transire ad Ecclesiam, impositio enim quò ad imponentem supponit Iurisdictionem, & quò ad impositum respicit personam subiectam imponenti onus super eius bona: Probant *sextò* quia semel Deo dicata non possunt amplius transferri in profanos vsus, Reg. 51. in 6. siquidem illorum Deus est specialis dominus, & patronus pro Ecclesiâ, quæ est eius Sponsa.

Sed hæc non obstant, cum illud axioma *Res transit cum onere suo*, scilicet reali, & ordinario ad quemcumque; etiam priuilegiatum, qui illud respuere non potest, cum sit affixum perpetuò rei. Argumenta autem non probant; contrà id, quod suprà diximus, sed confirmant, quod diximus in præcedenti quæstione non posse grauari bona postquam ad Ecclesiam, seù Ecclesiasticos peruenerunt, non verò bona iam oneribus affecta non transire cum oneribus, vt patet ex vi ipsorum argumentorum mox soluendorum.

Ad primum patet ex dictis, si quidem sacri Canones, & Leges prohibent, ne quis audeat imponere onera, talleas, & gabellas bonis Ecclesiarum, vel Ecclesiasticorum, & nihil disponunt de bonis laicalibus transeuntibus ad Ecclesiam, seù ecclesiasticas personas.

119 Ad secundum, quòd mutatione personæ mutetur etiam conditio rei, *ex l. 1. C. de imposit. lucr. lib. 10. Bald. lib. 1. consf. 31.* id verificatur, vt non possit amplius onerari, & grauari, sicut grauabatur, dum res erat possessa sub personâ laicâ, dum enim Ecclesia incipit esse in possessione rei ad se translatæ, vtitur suo priuilegio, vt deinceps non gra-
120 uetur; sicut facit Fiscus, qui succedens priuato pro antiquo tempore vtitur iure priuati, sed postquam successit, vtitur suo priuilegio, *l. Fiscus 6. ff. de iure fisci* quod facit ad rem nostram, æquiparantur enim ad inuicem Fi-
121 scus, & Ecclesia, *Bart. & Imola in l. Si cum hominem ff. de fideiuss. & in cit. l. 1. de imposs. sub §. Res verò*, vbi dicitur, quod res transit cum suo grauamine; reddit rationem ibidem *Gloss. V. Transfertur*, quia si onus non sit solutum, quasi comitatur rem, sicut onus hypothecæ præteriti tributi, *l. Imperatores ff. de publie.* Vnde *Gloss. V. Potestatem*, *cap. Si tributum 27. 11. q. 1.* ait, quod omnia bona illorum, qui tenentur alicui soluere tributum, sunt illi iure pignoris obligata, *ex l. 1. C. In quib. caus. pign. contr.* Argumentum ergo nihil contrà nos probat, dum conuincit non posse imponi noua tributa, non verò non esse soluenda antiqua in futurum. Et quod Ecclesia soluat tributum de rebus emptis subiectis tributo, expressè l. Si diuina 8. C. de exact. tribut. 122 123

Ad tertium, ex Reg. Nemo plus iuris &c. dico, eam Regulam esse veram, quia nemo dat, quod non habet, *cap. Daibertum 24. l. q. 7. cap. Quomodò 41. dist. 4. de consecr.* Vnde latro vendens rem furto sublatam non transfert dominium in emptorem, quia illud in se non habebat, ac proinde emptor rem tenetur restituere, cum eius non sit, *l. in eiusdem 2. C. de furtis*. Neque vsurarius potest in alium transferre dominium vsurarum, cum illud sibi non potuerit aquirere, *Bonac. de mutuo p. 14. num. 3.* Nec impugnatur propter hoc nostrum responsum, quia non ex vi contractus, aut alio titulo transferens dicitur hoc ius soluendi tributum transferre in Ecclesiam, sed transit non iure priuato, sed auctoritate legis, quæ hoc onus reale infixit fundo irreuocabiliter, *ex cit. l. Si Diuina 8. C. de exactor. Tribut.* Et circà eam Reg. Nemo dat, quod non habet obserua ex Thomasetto Reg. 191. Si dans non habet actu, & formaliter rem dandam, sufficere si habeat virtualiter, vel causaliter, nam Sacerdos existens in peccato mortali gratiam non habet, tamen illam confert pænitenti absoluendo illum bene dispositum ad illius receptionem, in quo casu Sacerdos dicitur illam habere causaliter in virtute absolutionis. Onus ergo tributarium transit auctoritate legis non traditione rei factâ per laicum. 124 125 126 127 128 129

Ad quartum respondetur, argumentum nihil probare in proposito, quia consequens non bene infertur ex antecedenti, nam in hoc asseritur, quòd fundus statim ac est sub dominio laici fit subiectus futuris tributis, in consequenti verò infertur, quòd res statim ac fit Ecclesiæ eximitur non solùm à futuris, sed etiam à præteritis; infertur ergo in conclusione, quod præmissum non fuit in antecedente; debet ergo Ecclesia continuare solutionem antiqui tributi, & eximi à nouis in futurum; sicut è contrà, laicus subijcitur nouis, & futuris tantùm tributis, & eximitur ab oneribus ecclesiasticis, quæ soluebat Ecclesia suis Prælatis.

Ad quintum dico, illud argumentum nihil probare ad rem, quia contrà onera antiqua

qua imposita rebus ant quam perueniant ad Ecclesiam non loquitur antecedens, sed tantum contrà onera non imponenda à laicis super bona possessa ab Ecclesiâ, quod verum est, vnde debebat inferre hoc, quod in præmissis assumpsit, non illud, de quo nihil in præmissis.

130 Ad sextum dico, quòd cum donans, seù vendens Ecclesiæ non possit tradere ius, quod suum non est, non dedicauit Deo alienum ius, sed tantùm proprium, quod sibi competebat, idcò illud non potuit dedicare Deo, sed tantum quod suum erat. Quare ius tributi remansit in suâ profanitate, & de hoc non loquitur argumentum.

Quæres 7. An Ecclesiastici gaudeant priuilegio fori tam criminalis, quam ciuilis, Deo directè largiente?

131 ℞. Ecclesiastici habent à Deo immediatè priuilegium vtriusque fori, ex scilicet non possint citari, iudicari, nec puniri in personâ, nec in bonis, & hoc est certum, & probatum in præcedentibus maximè quò ad priuilegium fori criminalis num. 11. *Nolite tangere Christos meos* nu. 14. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*; num. 15. *Qui vos spernit, me spernit.* Quæ auctoritates potissimum probant priuilegium fori criminalis. Ex quibus etiam probatur priuilegium fori ciuilis, qui enim citat, & iudicat super bonis Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum, sine dubio illos tangit, dum per sententiam cogit illos ad eius executionem; immo & spernit illos, quos sibi subijcit Iudex incompetens. Et vtrunque priuilegium à Deo Ecclesiasticis datum manutit obseruari Federicus Imperator relatus in Auth. ante l. 32. C. de

132 Episc. & Cler. his verbis. *Statuimus, vt nullus ecclesiasticam personam in criminali quæstione, vel ciuili trahere ad iudicium sæculare præsumat contrà constitutiones imperiales, & canonicas sanctiones.* Vbi subditur, quod laicus trahens Ecclesiasticum ad seculare tribunal cadit à iure suo, & causam perdit, & ità docent citati a Barbosa super hanc Autenticam num. 7. & antecedenter sub num. 4. refert Doctores paucos, qui ex hoc textu probant exemptionem Clericorum esse de iure humano, quibus opponit

133 sequenti num. 5. plusquam viginti Doctores asserentes esse de Iure diuino Ecclesiasticorum exemptionem, & hoc est ità verum, vt dixerim supra sub num. 29. oppositam carere probabilitate. Ad hoc autem statutum imperiale dixi tum illud esse executiuum iuris Diuini, & Canonici, & non inductiuum noui iuris.

Quæres 8. Quis primò concessit priuilegia clericalia Clericis?

134 ℞. Primò Deus, Secundò Petrus cum suis Successoribus, tertiò Imperatores, ità quòd Pontifices Romani, & Imperatores per suas constitutiones concessionem à Deo factam Clericis, & alijs personis potius demandauerint, & iusserint obseruandam esse. *Primum* de Diuinâ concessione patet ex hactenus dictis in hoc capite. *Secundum* de concessione S. Petri probatur ex Epist. 1. S. Clementis ad Iacobum, his verbis: *Si qui ex fratribus habent negotia inter, se inter cognitores sæculi non iudicentur, sed apud Presbiteros Ecclesiæ quicquid illud est dirimatur.* Anacletus anno 84. creatus in Epist. 1. ... prope finem incipit: *Priuilegia enim Ecclesiarum, & Sacerdotum Sancti Apostoli iussu Saluatoris intemerata & inuiolata omnibus decreuerunt manere temporibus.* Idem ... Alexander I. anno 109. creatus ... cap. Relatum 14. 11. q. 1. Alia exempla refert Diana par. 7. tract. 1. resol. 7. contrà Rabardeum asserentem priuilegia Clericorum originem habuisse ab Imperatoribus. Sed iste vir nomine Michael Rabardeus Optatus Gallus, 135
quem Diana ex professo par. 7. initio impugnat, toto cœlo errat, quia manifestè constat præscindendo etiam à iure Diuino, & comparando Pontifices cum Imperatoribus, illos præcessisse istos in concessione priuilegiorum, nam nullus Imperator vsque ad Constantinum, qui creatus fuit anno 306. concessit priuilegia Clericis, cum omnes eius prædecessores fuerint persecut. Ecclesiam, & Ecclesiasticos vsque ad internecionem, priuilegia ergo Imperatorum inceperunt ab ipso Constantino, qui lumine fidei perfusus, & illuminatus concessit, vt Ecclesiae publicè ædificarentur, quod antea à prohibebatur ab Imperatoribus fidem Christi contemnentibus. Pro hac re lege Cod. in tit. de Sacros. Eccles. & tit. de Episc. & Cler. nam in l. Omnia 33. C. de Episcop. & Cler. Confirmantur omnia priuilegia ab Imperatoribus concessa locis pijs à Constantino vsque ad Leonem creatum 457. & subsequenter Federicus voluit eos gaudere priuilegio fori tam criminalis, quàm ciuilis, cuius verba retuli præced. quæstione. Patet ergo manifestè, Imperatores fuisse vltimos in confirmatione Priuilegiorum clericalium.

Nec Scotus in 4. dist. 13. q. 2. Vers. dicitur tamen: ibi: *Illud priuilegium videtur concessum ab Imperatore Constantino.* Intendit 136
asserere, quòd Constantinus primò concesserit priuilegium fori criminalis ex quo perditur degradatione actuali à Sacerdote tradendo curiæ seculari ad vltimum supplicium; sed solùm, quòd fuit primus inter Imperatores, qui voluit vt obseruaretur tale priuilegium Clericis concessum à Deo, cuius Imperatoris verba retuli supra sub num. 137
18. Quod si Comitulus *lib. 1. Reprobat. q. 93. apud Dianam part. 7. tract. 1. resol. 7. num. V.* voluisset æquo intellectu considerare, non dixisset, ipsum grauiter errasse, neque enim Scotus

Scotus apertè dixit, illud priuilegium originem traxisse à Constantino, sed concessum quòd non arguit originationem, cum quis concedere possit aliquod priuilegium ab alio, iam concessum. Non errauit ergo Scotus, sed Comitolus trahendo in malam partem dictum Scoti, quòd poterat bene interpretari.

Quæres 9. An Pontifex Romanus possit abrogare huiusmodi priuilegia clericalia, vel saltem ea limitare, & concedere laicis facultatem non solùm puniendi Ecclesiasticos, sed etiam imponendi onera super bonis Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum? Ratio dubitandi est, quia ex dictis patet, hæc priuilegia fori criminalis, & ciuilis, & exemptionis ab oneribus esse à Deo concessa ipsis Ecclesijs, & Ecclesiasticis personis, ergo illa eis auferre non potest, & cum Legem Dei auferre non possit, & cum eis huiusmodi priuilegia non dederit.

138 ℞. Papa non potest abrogare, & destruere priuilegia fori, & exemptiones ab oneribus, & gabellis, sed tantùm limitare, & dispensare ex causâ, vt Ecclesiastici in prædictis subjciantur laicis in certis casibus.

139 Primum probatur, quia abrogare Ius diuinum requirit potestatem absolutam, & independentem, quàm nulla creatura habet, cum omnia in esse, & operari dependeant à Deo primo Motore; sed nulla creatura quamuis eminens, nec ipse Pontifex eam habet, vt patet, ergo non potest hæc priuilegia abrogare, & destruere. Hoc deducitur ex cap. *Sunt quidem 6. 25. q. 1.* Quare Papa non potest facere legem generalem, quod omnes Clerici conueniri possint indifferenter coràm Iudice laico, per hoc enim destruit priuilegium fori. Ita docent *Cardin. Alex. & Abbas in cap. Perpendimus de sent excom. Nata lib. 3. cons. 495. num. 15. Roland. à Valle lib. 1. cons. num. 15. cum multis alijs Grassus Effectu 1. num. 19. Barb. ad cap. Ecclesia S. Mariæ 10. num. 21.*

140 Secundum, quòd possit limitare, declarare, & in illis dispensare, probatur, quia cum Deus non deficiat in necessarijs, credendum est, suo Vicario ea omnia concessisse, quæ rationi non aduersantur, sæpè enim casus occurrunt necessarij, in quibus Pontifex dispensando declarat subditos non obligari tunc legem seruare, sed posse Papam apponere manum, quam Deus ipse apposuisset in beneficium communitatis. Vide de hac dispensatione super Ius diuinum naturale, & positiuum decalogi Doctores, quos citat Barb. ad cap. Non est 3. de Voto, vbi discrepant Doctores in modo, quo Papa potest agere, alij asserentes, ipsum scilicet dispensare, hoc est tollere obligationem à subdito, alij dicunt declarare in tali causa legem non obligare subditum, sed quicquid sit de hoc, omnes sentiunt Papā posse limitare hæc priuilegia, & patet ex praxi, nā in Bulla Cænæ supponitur, posse Iudices seculares de licentia Papæ expressâ, carcerare, & sententiare etiàm ad mortem Ecclesiasticos, & in cap. 2. Nullus excusatur tempore necessitatis à murorum, seu ciuitatis custodia, de immun. Eccles. vbi in cap. Aduersus 7. vrgente necessitate de licent à expressâ, & obtenta Ecclesiastici præstant subsidium laicis, cum eorum facultates non suppetunt, iuxtà quòd suprà dixi sub num. 98.

Ego autem non curando de vocabulis, sed de re, dico Pontificem dando licentiam laicis potestatibus iudicandi criminaliter, seu ciuiliter Ecclesiasticos in persona, seu in rebus non dispensare, non declarare Ius diuinum, sed potestatem sibi à Deo communicatam delegare laicis, vt eam nomine suo exerceant, quòd est diuersum à concessione priuilegiorum à Deo facta Clericis, vt non sint de foro laicali, non autem Deus prohibuit Pontifici delegationem huius generis. 141

Quæres 10. An Episcopus aliquid possit diminuere de his priuilegijs?

℞. Negatiuè, quia non potest mutare ius canonicum, multo minus alterare diuinum, vnde nihil prodesse potest consensus ipsius Clerici, cum his priuilegijs renuntiare non possit, vt infrà probabo. Neque enim Episcopus potest dare licentiam suo Clerico, vt consentiat in Iudicem laicum, vt docet *Gloss. V. Clerici, cap. Significasti 18. de foro compet.* Et ita docent *Suarez lib. 4. de immun. cap. 31. num. 4. Farinac. q. 8. num. 13. Castropal. p. 11. num. 3.* 142

Quæres 11. An ipse Ecclesiasticus possit renuntiare huiusmodi priuilegijs?

℞. Nullus potest renuntiare priuilegijs Clericalibus verbo volens perseuerare cum habitu, & Tonsura in statu Ecclesiastico; vtique verò facto ipso deserendo statum Clericalem depositione vestis cum tonsura, si sit Clericus, vel primæ tonsuræ, vel in minoribus etiam constitutus, vel Nouitius in Religione; Clerici verò in Sacris constitut, sicut & Professi, sicuti non possunt deserere statum suum, ita neque renuntiare Priuilegijs nec facto nec verbo. 143

Prima pars de Priuilegijs non renuntiandis exprimitur in c. Si diligenti 12. de foro comp. prope finem his verbis! *Cum non sit Beneficium hoc personale, cui renuntiare valeat, sed potius toti Collegio ecclesiastico publico sit indultum, cui priuatorum factio derogare non potest.* Priuilegium enim clericale, canonis, & fori atque rerum non conceditur ratione personæ sed in honorem Status ecclesiastici. Est communis *Couar. in cap. Quamuis, de pactis par. 2. initio num. 9. Barb. ad dictum cap. num. 4. Farinac. q. 8 num. 16. Suar. lib. 4. de immun. cap. 31. initio, Castropal. p. 11. initio Grassus Eff. 1. num. 42. & 43.* 144

Ita

Ita quòd nec cum iuramento facta renuntiatio valeat, vt docent omnes cum eod. Graſ-
145 ſo num. 46. locis citatis; vnde neq. Episcopus in hoc conſentire poteſt, nec conſenſus de facto præſtitus valet, vt dixi ſupra, & docent *Suarez. cit. num. 4. Graſſus num. 48. Scaccia lib. 1. de iudic. cap. 11. num. 28. Farinac. num. 13. Caſtropal. num. 3.* Non poteſt ergo ſimplici verbo renuntiationis Eccleſiaſticus abdicare à ſe hæc Priuilegia, cum non ſint propria perſonæ, ſed Status eccleſiaſtici, vtiq. verò de facto, vt mox probabo.

146 Secunda pars, quòd in minoribus conſtituti, & ſolùm tonſuratus poſſint de facto renuntiare Priuilegijs clericalibus etiam priuatà auctoritate probatur, quia poſſunt liberè ab hoc ſtatu recedere deſerendo habitum, & tonſuram, viuendo ſeculariter; & ducendo vxorem, proficiſcendo ad militiam, vel etiam artem exercendo indecentem Statui clericali, hoc enim eſt de facto renuntiare Priuilegijs, ſeù potius ea perdere per tale factum, quòd indecens eſt Statui eccleſiaſtico, vt be-
147 ne diſtinguit *Gloſ. V. de facto cap. fin. de Vità, & honeſt. Cler.* vbi, quòd Priuilegium verbo non poteſt renuntiari, ſed vtique facto perdi. Et id patet ex praxi, quotidie enim videmus Clericos minoribus initiatos, & Nouitios redire ad ſeculum relinquentes Statum eccleſiaſticum, quòd rationabili causà exiſtente nullum eſt peccatum, vt docent *Toletus lib. 4 cap. 18. num 4. Azor. par. 1.*
148 *lib. 13. cap. 14. q. 14. Sanchez lib. 7. diſp. 31. num. 7. Barboſ. ad cap. 5. ſeſſ. 23. num. 7.* Nouitius pariter intra annum probationis, ſi non habet votum perſeuerandi, poteſt recedere abſque Apoſtaſiæ, notà, & noxà inquit textus *in cap. Conſulti 20. de Regular.* Non peccat ergo recedens vt docent omnes ſuper dictum caput, ſaltem mortaliter, *cu Sanchez lib. 9. diſp. 33. num. 18. lib. 4. cap. 1. num. 20. Peyrin. de Prælato cap. 1. num. 104. Ego cum alijs cap. 9. de Profeſſ. regul. q. 21. num. 43.* Neuter ergo recedendo fit Apoſtata, quia non habet obligationem perſiſtendi in eodem ſtatu.

149 Tertia pars de conſtitutis in Sacris, & profeſſis quibuſcumq. etiam laicis, quòd non poſſint renuntiare Priuilegijs eccleſiaſticis nec verbo, nec facto, probatur quia non poſſunt deſerere Statum eccleſiaſticum, & deſerentes de facto ſunt Apoſtatæ, ſunt enim ambo perpetuò Deo conſecrati ſolemni voto Continentiæ, & Profeſſionis, vnde Pontificale præſcripſit Episcopis., vt moneant eos, qui volunt recipere Subdiaconatum his verbis: *Fratres dilectiſſimi ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem promouendi, iterum atq. iterum conſiderare debetis attentè, quod onus hodie vltrò appetitis; hactenus enim liberi eſtis, licetq. vobis pro arbitrio ad ſecularia vota tranſire; quòd ſi hunc Ordinem ſuſceperitis, amplius non licebit à propoſito reſilire, ſed Deo, cui ſeruire regnare eſt, perpetuò famulari, &c.* Ex quibus verbis patet non eſſe peccatum mortale redire ad ſeculum ante receptionem Subdiaconatus ex communi apud *Barb. ad cap. 4. num. 7. ſeſſ. 23.* Itaque Clericus initiatus minoribus ſicut Tonſuratione aquiſiuit Priuilegia, ita eis renuntiat, ſeù verius ea perdit deſertione Status eccleſiaſtici, relicto habitu, & tonſurà, viuendo ſæculariter. Id autem facere non poteſt in Sacris conſtitutus, & profeſſus, quia Statum eccleſiaſticum deſerere non poteſt.

Hinc ſequitur Clericum tonſurà, vel mi-
noribus initiatum redeundo ad ſeculum ſi- 150
eut, & Nouitium fieri iterum ſecularem, & eſſe purum laicum in ordine ad Priuilegia clericalia, cum amplius non ſit Clericus, ideo nec meretur Priuilegia clericalia, vt patet illo axiomate: mutatione enim Perſonæ mu-
tatur Priuilegium, l. locatio 9. ff. de public. 151
& Vectigal. *Craſſius in addit. ad lib. 2 Cap. 116. num. 5. Grilenz. conſ. 69. num. 9.* maximè quando fit tranſitus ad ſtatum incompatibilem cum priori, vt notau. *Reſol. 36. q. 32. num. 88.* Attenditur quoque in omnibus
vltimus ſtatus, vt docet *Rota par. 8. dec. 69.* 152
num. 18. & 19. Cum ergo vltimus ſtatus ſit ſecularis, hic attendendus eſt in perſonà; & ſic vticarens Priuilegijs eccleſiaſticis, cum non amplius ſit Eccleſiaſticus. Quamuis autem non amplius ſit Clericus, nec perſona eccleſiaſtica reuerſus ad ſeculum, amiſſis omnibus Priuilegijs non tamen amittit caracterem, cum is in animà inamiſſibiliter ſit impreſſus, nullà poteſtate humanà deſtruibilis vt docent omnes cum Rotà extensà à Barboſa Allegat. 49. num. 17. vbi quòd bigamia realis, & interpretatiua licet exuat Clericum omnibus Priuilegijs, & Statu ec-
cleſiaſtico, cap. Vn. de bigamis in 6. non 153
tamen ei auſert caracterem, & ſic bigamia non eſt contraria Clericatui, nec illi repugnat, vt docent *Ioan. Andr. in cap. Super de bigamis num. 12. Rota in Nouiſſ. dec. Vn de bigam. Nauar. de redit. monit. 5. q. 57. num. 9. 12. & 13. Archid. in cap. Lector diſt. 34. num. 2.* Clericus ergo in minoribus deſerens Clericatum non relinquit caracterem, reſpectu cuius dicitur Clericus, ſed reſpectu Priuilegiorum laicus eſt, & pro tali habendus eſt, *Rebuffus de pacificà poſſeſſ. num. 193. Nauar. conſil. 1. de bigam. ex eis Corradus de diſpenſat. Apoſtol. lib. 2. cap. 1. num. 9. Tabiena V. Bigamia num. 4. Angel. num. 10. Sanchez lib. 7. diſp. 46. num. 12. Candidus de Ordine diſquiſ. 56. art. 6. num. 13.* In ſacris Conſtitutus, & Profeſſus continuò retinent non ſolùm caracterem, ſed Clericatum cum ſuis Priuilegijs, licet quandoque hæc amittant, vt ſuo loco dicetur.

Quæres 12. An aliquà conſuetudine tolli

D possint,

possint, & abrogari Priuilegia clericalia?

155 ℞. Nulla consuetudine quantumuis immemorabili tolli possunt priuilegia à personis ecclesiasticis. Ratio est, quia hæc Priuilegia procedunt à Iure diuino, vt probatum fuit initio huius capitis; sed Dei voluntati nemo

156 resistere potest, Genesis cap. 50. 19. nec inducere consuetudinem contrariam eius ordinationibus, de quo nullus dubitat, esto talis consuetudo prætenderetur immemorabilis, *cap. 1. de consuet. Azor. part. 1. lib. 5. cap. 13. q. 2. Surd. consf. 301. num. 52. Barb. ad cap. 10. de constit. num. 20. Sperellus decis. 37.*

158 *num. 28.* Hæc autem consuetudo contra Priuilegia Ecclesiarum, & Clericorum reprobatur à iure, *cap. Clerici, de iudic. cap. cum terra 14. de elect. cap. ad nostram 3. cap. cum inter 5. de consuet. Cap. Nouerit. 49. de sent. excom.* Iure quoq. ciuili reprobatur per Auth. *Cassa C. de sacrof. eccles.* ergo nullius est momenti, neque vmquam vires resumere potest, cum omnes actus eius ab initio, & continuè reprobati sint. Confirmatur, quia

159 consuetudo reiecta, & impedita per decretum irritans nunquam subsistit nec viget etiamsi per mille annos exercita fuerit, quia decretum irritans inhabilitat Personas, quæ nunquam validè, nec vtiliter operari possunt, defectu habilitatis, & potestatis, & inficit titulum, & possessionem, & operatur nullitatem vsq. ab initio, ex adductis à *Rota part. 4. tom. 2. decis. 312. num. 39. & 40. & tom. 3. decis. 574. & part. 5. dec. 48. num. 6.* Sed in cap. Aduersus 7. de Immun. Quæcunq. acta à Laicis facta contra immunitatem Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum declarantur perpetuò nulla, ergo nulla consuetudo est, nec induci potest contra ecclesiasticam Immunitatem. Rem hanc fusè prosequuntur *Sperell. dec. 37. Diana par. 1. tract. 2. resol. 4. & par. 4. tract. 1. resol. 1.* vbi ex communi sententia tenet, nec in aliquo particulari casu, hanc consuetudinem locum habere posse, cum nullo modo existat; *& par. 7. tract. 1. resol. 18.* refert iure esse omninò reprobatum

160 Rabardeum, neq; præsumi potest tolerantia Papæ, per quam dari possit subsistentia huic consuetudini, quia cum sit vtroq. iure reprobatà, & singulis annis per Bullam Cænæ Domini infirmetur efficaciter, non potest rationabiliter talis tolerantia præsumi, sed oppositum omnino inferri *Vericell. tract. 8. q. 1. num. 9. & 10.* Vide *Barb. in cap. Ecclesia 10. de constit.* Vbi reprobat opinionem eorum, qui asserunt, Clericos prætendentes se oppressos contra iustitiam posse per viam violentiæ recurrere ad Principes laicos, impugnando eorum argumenta.

Quæres 13. An saltem lege, vel statuto laica possit derogari Priuilegijs clericalibus saltem quò ad exemptionem bonorum, vt possint collectari, & oneribus grauari?

℞. Negatiuè, Probatur tum quia si non 161 potest Consuetudo, quæ potentiùs operatur, quàm Statutum, *Alex. lib. 6. consil. 119. num. 10. Felin. in cap. 1. de sponsal. num. 4.* Ergo multò minus Statutum. Tum quia statuere est actus Iurisdictionis, *l. 1. ff. de iurisd. om.* 162 *iud. Baldus lib. 1. consf. 31. Decius in cap. Quæ in Ecclesiarum. de constit. num. 38.* Vnde Statuti ius, & potestas regulatur à iurisdictione, *ex eodem Decio in cap. Ecclesia, eodem num. 89.* Sed laici contra Ecclesiam, vel ecclesiasticas Personas, & earum bona nullam habent iurisdictionem, vt docent omnes in cap. Ecclesia S. Mariæ, vbi id expressè determinatur, ergo nihil statuere possunt in præiudicium Ecclesiarum, & ecclesiasticarum Personarum, & earum bonorū, cum terra sacerdotalis de iure diuino, Vt initio probatum fuit, sit libera ab omni onere. Ita quòd nec aliquâ causâ honesta, possit vim dare huiusmodi Statutis ex allegatis *à Sperello decis. 10. initio, dec. 12. num. 18. dec. 123. num. 5. & 6.*

Quæres 14. An Leges, & Canones de Immunitate ecclesiastica sint latè, an strictè interpretanda tàm in dubio iuris, quàm in dubio facti.

℞. Interpretanda est latè, cum sit materia 163 de se fauorabilis, iuxta Reg. fauores sunt ampliandi, & odia restringenda. Deinde summa est ratio, quæ pro Religione facit, *l. sunt personæ 43. ff. de relig. & sumpt. funer.* Maximè cum à Deo specialiter data sit Ecclesijs, & earum Ministris ex probatis sub primâ quæst. hic. In dubio ergo siue iuris, siue facti fauendum est Immunitati non solum ab Ecclesiasticis sed etiam à Principibus, & Iudicibus laicis. Ita omnes *cum Giurba consf. 10. num. 25. Senatus Granat. dec. 29. num. 6. Ciarlin cap. 116. num. 62. Sperell. dec. 60. num. 13. Diana par. 6. tract. 1. resol. 30. q. 6. Farinac. q. 8. num. 3. & cap. 8. de immun. num. 123. Grassus Eff. 1. num. 531. & 532.* Procedit tam in dubio iuris, quàm facti, tum quia vtrunq: specificatur ab ipsa Immunitate, ad quam terminatur. Tum quia vtrunq; dependet à materia fauorabili Ecclesiæ, ac proinde semper redundat ad honorem Ecclesiæ, cum etiam faueatur ipsi reo prætendenti fauorem dependenter ab Ecclesia, cui nullum præiudicium est faciendum.

Quæres 15. Quando concurrunt opiniones circa causas fauorabiles, vt est hæc de Immunitate, quarum vna est minus communis, & altera magis communis sibi opposita: Vel vna singularis, altera sibi opposita communis. Quænam est sequenda? Præmitto opinionem illam esse probabilem, 164 quæ vna, vel pluribus solidis rationibus firmatur mouentibus intellectum opinantis ad assentiendum potius vni parti, quam oppositæ. Communis autem opinio est illa,

quam

165 quam ad minus sex Doctores tenent, quam ex professo tractarunt, *Nauar. cap.27.n. 289.* Singularis ergo, seu non communis diceretur ea, quæ minoribus numero Doctoribus, seu peritis constat. His præmisis.

R. Quamuis sequi possit opinionem magis communem, quia illa præsumitur magis adhærere veritati, si tamen sit munita probabilibus rationibus, quia non à multitudine Doctorum, sed à rationibus sumit suam probabilitatem *l. 1. §. sed neq. C. de iure veteri enucl.* Attenditur ergo opinio communis in iudicando, si sit probabilis *Rota par. 6.dec. 304. num* 4. in opinionibus verò æqualibus Iudex habet arbitrium, ex allatis à *Vercello tract.2. q.18.*

166 Nihilominus multi tenent etiam in opinionibus eam esse sequendam, quæ fauet immunitati Ecclesiæ, cum semper causa sit fauorabilis. Ita docent *Grat.cap.88. num.6. cap.131.num. 2. Pacian. Resp.7. num. 123. Diana par. 6. tract.2. resol. 4. fine, & tract. 1.resol.24. Ciarlin. cap. 129. num. 48. & 49.* Et cum in his persona gaudens immunitate semper sit rea, ideo ei fauendum cum opinione, quæ pro eâ facit, *Nauar cap. 27.num. 287.*

CAPVT TERTIVM

De Priuilegijs Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum Piorum.

1 *Ecclesia alia materialis, & localis.*
2 *Basilica dicitur domus Regia.*
3 *Basilica dicitur maior Ecclesia.*
4 *Fundata sine auctoritate Episcopi non est Ecclesia.*
5 *Alia formalis, seu viuens, & personalis, quæ est spiritualis Congregatio baptizatorum profitentium eandem Christi fidem sub Pontifice Romano.*
6 *In quâ sunt etiam animæ Purgatorij.*
7 *Localis multiplex est à denominatione locorum.*
8 *Formalis vnica est ab vnitate fidei sub Romano Pontifice.*
9 *Vniuersalis, quia amplectitur omnes ad se venientes per Baptismum.*
10 *Capax est vtraque bonorum tam mobilium, quam immobilium.*
11 *Quando capit habere, & possidere stabilia.*
12 Dominium *triplex, supremum absolutum, & independens soli Deo, & Christo conueniens. Medium, seu proprietatis competens non solum singularibus personis, sed etiam corpori morali, & communitati. Infimum competens Principi non pro se, sed pro Communitatis vtilitate, & necessitate.*
13 *Deus habet dominium supremum super omnes res ecclesiæ, & quidem speciali modo, quia eius patrimonium sunt.*
14 *Quod idem dominium habuit Christus in terris, & nunc.*
15 *Donum Dei est quicquid habet ecclesia.*
16 Dominus his opus habet. *id est à Domino Christus. Matth. 21. 3.*
17 Misit immundos spiritus in porcos. *Mar-* [illegible].
18 *Donatione transfertur dominium traditione rei.*
19 *Ecclesia localis habet dominium proprietatis sibi relictorum.*
20 *Dona ecclesiorum dicuntur earum dotes.*
21 *Ecclesia, & Rector sponsa, & sponsus.*
22 *Sponsa est domina suæ dotis.*
23 *Rector administrationem habet, non dominium rerum ecclesiæ.*
24 *Domini duo in solidum esse non possunt.*
25 *Rector est procurator, non dominus rerum ecclesiæ.*
26 *Est dominus suorum redditnum.*
27 *Papa habet dominium vniuersale plenum super omnia bona ecclesiarum.*
28 *Collegiata est domina rerum sibi relictarum.*
29 *Ecclesia, & Monasterium habent dominium.*
30 *Hæres, & legatarius sunt domini sibi relictorum.*
31 *Monachus quicquid aquirit suo Monasterio aquirit.*
32 *Locus Pius est ille, in quo exercentur opera pia.*
33 *Loca pia erecta auctoritate Episcopi dicuntur religiosa, & ecclesiastica, non autem alia.*
34 *Hospitale, & Confratria sunt domini sibi relictorum.*
35 *Veniunt sub nomine* Ecclesiæ.
36 *Laici nullam potestatem habent super bona ecclesiorum.*
37 *Iudicando, vel imponendo onera.*
38 *Ecclesia localis domina est sibi relictorum.*
39 *Eius bona collectari non possunt.*
40 *Neque Monasteriorum.*
41 *Venientium sub nomine* Ecclesiæ.
42 *Milites non tenentur hospitari Regulares.*
43 *Hospitales, & Confratriæ gaudent Priuilegijs Clericalibus.*
44 *Etiam loca pia non Ecclesiastica.*
45 *Destructa ecclesia auctoritate Episcopi perdit Priuilegia.*

DE PRIVILEGIIS ECCLESIARVM, ET LOCORVM PIORVM.

Ecclesia alia dicitur materialis, alia formalis. Materialis Ecclesia est fabrica, 1

& ædificium auctoritate Episcopi fundata, in qua fideles conueniunt ad orandum, ad recipienda Sacramenta, & ad audienda diuina officia. Appellatur etiam Basilica, quòd nomen etiam ante Catolicam Ecclesiam significabat pallatium Regis, seù locum, in quo agebantur publica negotia, nunc significat Ecclesiam, & meritò, quia est domus Regis æterni, vnde quælibet Ecclesia vocari potest Basilica, quia in omnibus habitat Christus Rex Æterni Patris Filius, *cap.* [redacted] *Basilica* 10. 16. *q.* 7. *Ioannes Andr. in cap. Nobis V. Ecclesiam de iurepatr.* Templum ante consecrationem vocat Basilicam, post consecrationem Ecclesiam, sed hæc speculatio nihil vtilitatis est; sed potior significatio videtur esse ea, vt illæ Ecclesiæ solùm vocentur Ba-
2 silicæ, quæ sunt maiores, vt Romæ Basilica Saluatoris, S. Petri, S. Pauli, & similes, vt docet *Barb. de iure Eccles. lib.* 2. *cap.* 1. *num.*
3 10. Appellatur Oratorium ab exercitio orandi in eo, *cap.* 6. & 7. *dist.* 42. Fabrica autem
4 fundata sine auctoritate Episcopi Ecclesia non est, sed ædificium profanum, non ecclesiasticum, nisi post modum ab eo approbetur, cap. Nemo 9. dist. 1. de consecr.

5 Ecclesia verò formalis, quæ est viuens dicitur, & personalis, est spiritualis congregatio hominum baptizatorum diuinam fidem profitentium sub Pontifice Romano ordinata ad cultum diuinum. Hanc definitionē latius explicaui *in meo Sacro Tribunali cap.* 1. *q.* 4. *à num.* 18. impressionis Lugdunensis.

6 Vocaui Viuentem, & Personalem, quia constituitur ex personis viuentibus siue vita spirituali, vt includerem etiam animas morentium in gratia Dei, quæ detinentur in Purgatorio, cum enim nondum perceperint æterna gaudia non possunt dici de Ecclesia triumphante, in qua non exercentur actus militiæ, & tribulationis, sicut in hoc mundo super terram, & sub terra, siue vita corporali, vt qui in Ecclesia Dei congregantur corpore, & anima siue spirituali in Purgatorio.

7 Ecclesia localis à diuersitate locorum appellatur, Romana ab vrbe Roma, à Mediolano Mediolanensis, à Bononia Bononiensis, &c. Ecclesia verò personalis vnica est nuncupata Romana à Pontifice, qui in dirigendo eam in rebus fidei, & morum, errare non potest, nec decipere fideles, cum Christus Petro, & eius Successoribus legitimis
8 promiserit infallibilitatem illis verbis: *Fides tua nonquam deficiet*, vt latius docui, & firmaui in eodem Sacro Tribunali cap. 5. per totum. Ecclesia ergo Romana appellatur vniuersalis, & generalis loco non restricta, cum in vniuersum mundum se extendat, cuius dogmata, quæ ad fidem, & mores vniuersæ Ecclesiæ, omnes fideles, omnes Ecclesiæ locales, si volunt esse Ecclesiæ Christi debent sequi sine vlla discrepantia, & credere, aliter huius Ecclesiæ, quæ Christi vnica Sponsa est, filij non sunt, nec illius 9
membra. Hæc autem Ecclesia Romana vt vniuersalis plures, immo omnes species verarum Ecclesiarum viuentium habet sub se, quibus communicat sua sacra dogmata; vnica ergo est vnitate dogmatum fidei, multiplicatur verò in suis speciebus, quibus ea communicat recipientibus, aliter si resistant, non sunt de Ecclesia Dei. Differunt inter se localis, & personalis, quod illa est immobilis à loco ad locum, vt patet ad occulum, hæc verò est mobilis quo ad personas, cum vnus fidelis possit esse modo sub vna Ecclesia locali, modo sub alia, immobilis tamen est in dogmatibus, quæ sunt æternæ veritatis. Sed gressum dirigamus ad quæstiones.

Quæres 1. An vtraque Ecclesia localis, & personalis sit capax bonorum temporalium tam immobilium, quam mobilium? Dico *temporalium*, quia non est dubitandum de spiritualibus, quibus quotidiè viuens nutritur.

℞. Affirmatiuè, & probatur, quia nullo 10
iure diuino naturali, aut positiuo Ecclesia prohibita fuit aquirere, & possidere bona siue mobilia, siue immobilia, quia siue illis temporaliter, & corporaliter seruari non potest, Ecclesia enim adiuta in temporalibus proficit in spiritualibus *cap. Fundamenta* 17. *§. Isti de elect. in* 6. *cap. Per venerabilem, Qui filij sins legit.* Id autem clare deducitur ex Sacra Scriptura, nam Iudas vti dispensator portabat loculos Ioan. 13. 29. *Loculos habeas Iudas* & in eis aliquando habuit ducentos denarios, vt legitur Marci 6. 37. *Euntes emamus ducentis denarijs panes, & dabimus ei manducare.* Per plures annos post mortem Christi stabilia, & immobilia, quæ homines retinent in patria ad culturam agrorum non habuerunt Apostoli, nec eius Successores, ne detinerentur, dum per vniuersum mundum ituri erant ad prædicandum; vnde Melchiades Papa relatus cap. Futuram 15. 12. q. 1. inquit. *Futuram Ecclesiam in gentibus Apostoli prauidebant, idcirco prædia in Iudæa minimè sunt adepti, sed pretia tantummodo ad fouendos egenos.* Quare paulo post cæperunt possidere stabilia, vt testatur Vrbanus relatus cap. Videntes 16. 11
12. q. 1. *Videntes Summi Sacerdotes, & alij, atque Leuitæ, & reliqui fideles plus vtilitatis posse afferre, si hæreditates, & agros, quos vendebant, Ecclesijs, quibus præsidebant, Episcopi haberent, eo quòd ex sumptibus eorum tam præsentibus, quam futuris temporibus plura, & elegantiora ministrare possent fidelibus communem vitam ducenti, bus, quam ex pretio ipsorum, cæperunt prædia, & agros, quos vendere solebant matricibus Ecclesijs tradere, & ex sumptibus eorum

rum viuere. Ex his patet etiam immobilia, agros, *&* prædia acceptari à Ministris Ecclesiæ, quæ tamen vendebant, vt ex pecunia se, & pauperes alerent; & subsequentur cæperunt oblata retinere, vt melius occurrerent indigentijs pauperum. Rem hanc latius tractaui in Sacro Tribunali cap. 1. q. 40. num. 201. Vbi hæreticorum argumentis respondi. Rem hanc fusè prosequitur Barbosa lib. 3. de iure Eccl. cap. 17. sub initium.

Quæres 2. Sub cuius dominio sunt res mobiles, & immobiles Ecclesiarum? Præmitto triplex dominium. Primùm dicitur su-
12 premum, vniuersale, & absolutum, atque independens, quòd competit soli Deo vti omnium rerum Creatori, & Christo eius filio redemptori nostro, iuxta illud Psal. 23.
13 *Domini est terra, & plenitudo eius*, citati *in cap. Tua nobis 26 de decim. cap. Saluator 8. 1. q. 3. cap. Qui Christi 1. cap. Qui abstulit 6. 12. q. cap. Cum secundùm 26. de Præbend.* In quibus locis dicitur, quòd bona Ecclesijs data, sunt de Patrimonio Christi, & sic illorum dominium Christus dominus habet, id quòd notaui etiam cap. 2. num. 23. & 26. Secundum genus dominij est illud quòd quis habet super re propria, de qua habet ius disponendi nomine proprio, nisi à lege prohibeatur, de quo agitur in tit. de aquirendo rer. dom. Tertium dicitur dominium improprium, quòd est ius disponendi de re in bonum tantùm commune, nisi ea prohibeatur disponenda, vnde Princeps nihil sibi appropriare potest, cum tunc dispositio non dicatur facta in commune bònum. *Bart. in l. Si quis vi §. Differentia ff. de aquir. possess. nu. 4.*
14 3. Dominiũ bonorũ tam immobiliũ, quã mobiliũ, & se mouentium est penes Christum loquendo de dominio supremo, & independenti; Ecclesia verò quælibet habet dominium secundi generis, quòd est dependens à dominio supremo, super omnia bona sibi relicta quouis titulo. Eius verò Rector nullum habet dominium nisi super fructus rerum, quos suos facit per administrationem illorum, nomine ipsius Ecclesiæ, in qua administrationem habet.
15 Prima pars de Christo domino rerum Ecclesiarum patet ex allatis textibus, nam quicquid habet Ecclesia est donum Dei, *cap. Saluator 8. 1. q. 3.* ergo apud ipsum est dominium, cum hoc in donatione perfecta tran-
16 sferatur in donatarium *l. in ædibus 9. ff. Do-*
17 *nari ff. de Donat.* Confirmatur ex multis locis Sacræ Scripturæ, mittit immundos Spiritus in porcos in mari suffocatos, & erat magnus grex Marci 5. 11. quòd Iesus non fecisset, si non fuisset illorum dominus; asinam quoque, & pullo eius vsus fuit Christus tamquam re sua, ait enim Matthæi 21. 3. *Si*
18 *quis vobit dixerit aliquid, dicite, quia Dominus his opus habet. i.* Christus, qui illius dominium habet, *Dominus. i.* Patronus. Christus ergo non solùm nunc sed etiam quando viuebat cum Apostolis dominium habebat rerum sibi oblatarum, & hoc multis Sacræ Scripturæ textibus probat *Gloss. V. Asserit Extrau. Ioannis XXII. incip. Cum inter de Verbor. signif. Rota par. 6. dec. 139. num. 20.*

Secunda pars, quòd Ecclesia ipsa mate- 19
rialis, & localis habeat dominium secundi generis rerum omnium sibi donatarum, vel quouis alio modo aquisitarum, probatur tum quia Ecclesia est capax bonorum cuiuscunque generis, ergo si illi aquiruntur, illorũ dominium habere dicitur, & sine traditione possessionis fit illorum domina, *l. Vt inter 19. C. de Sacros. Ecclef.* Tum quia res Ecclesiarum dicuntur ipsarum dotes, nulla enim
fundatur Ecclesia sine dote, *Gloss. V. Domum* 20
cap. Nemo 9. dist. 1. de consecr. Vnde, & eius Rector dicitur Sponsus, & Ecclesia eius spon-
sa, *cap. licet 4. de translat. Episcop. Gloss. V.* 21
in coniugorum, cap. 1. 34. q. 1. Sed Sponsa 22
est domina suæ dotis, & dicitur eius Patrimonium, *l. 3. §. Sed vtrumque in fine ff. de minor l. in rebus 30. C de iure dotium*, ergo, & Ecclesia sub suo habet dominio suam dotẽ, cum sit eius Patrimonium. Ecclesia ergo suæ dotis, & omnium sibi oblatorum ipso iure est domina immediata. Et ita docent *Bart. in l. 1. C. de Sacros. Ecclef. in 6. quæst. quinta quæst. princip. Tiraquel. de pia causa priuileg 39. Menoch de Arbitr. casu 256. num. 28. Bursat. cons. 55. num. 0. ex illis Rota part 7. dec. 212. num. 4. Castropal. de iust. part. 7. §. 3. num. 2. Vers. Tametsi Barb. ad l. fin. C. de Sacros. Ecclef. num. 9.*

Tertia pars, quòd Rector Ecclesiæ solùm 23
habeat administrationem non dominium rerum immobilium, probatur, tum quia eiusdem rei duo insolidum, & in eodem ordine dominij domini in solidum esse non possunt
l. Si quis certo 5. §. Si duobus vehiculum ff. 24
commod. Tum quia sicut dotis dominium habet vxor, & non maritus, ex supradictis, qui solam habet administrationem, Vide Barb. ad l. Doce Ancillam 9. C. de rei vend. Doctores distinguentes dominium naturale apud vxorem, *&* ciuile apud maritum, hoc est ratione administrationis, & sic non est propriè dominium, sicut illud vxoris; ita Ecclesia Sponsa habet dominium super dote sua, & non eius Sponsus Rector. Ita quòd apud Rectorem neque dominium, neque dotis Ecclesiæ possessio est, sic docent *Alex. lib. 1. cons. 81. num. 17. Paris. lib. 1. cons. 24. num. 5. Rota in Neuis. decis. 1. de restit. spoliat. Caputaq. par. 3. dec. 174. num. 4. ex illis Rota part. 6. dec. 291. num. 8.*

Quarta pars, quòd Rector habeat admi- 25
nistrationem dotis, & bonorum Ecclesiæ cui præficitur, probatur tum ex dictis mox,

tum

tum quia Rector est procurator, & non dominus rerum Ecclesiæ, *cap. Fraternitatem. 2. de donat. ex cap. fin. 12. q. 1. ibi. Procurationem gerimus, non proprietatem nobis vsurpatione damnabili vindicamus*. Vide Doctores super *cap. Edoceri 21. de Rescript.*

26 Quinta pars, quòd sit dominus solùm fructuum Ecclesiæ, cui seruit, probatur, quia illorum est vsufructuarius, habens illorum dominium vtile pro sustentatione vitæ suæ, cum facultate de illis disponendi pro libito. Ita communior opinio docet *cum S. Thoma 2. 2. q. 185. art. 7. & quolib. 6. q. 8. art. 12. ad 3. sequitur cum alijs Barb. lib. 3. de iure cap. 17. num. 10.* Respondens obiectis. Licet enim in primitiuâ Ecclesia omnia essent communia ad vsum Ministrorum, pauperum, & fabricæ, tamen processu temporis facta bonorum diuisione, & partitione Parochialiū ad euitandas discordias, fuit necessarium vnicuique Ecclesiæ assignare propria bona pro sustentatione Ministrorum, & ipsius Ecclesiæ vtilitate, qui enim seruit Altari, de Altari viuere debet. Itaque Rectores, & beneficiati sunt domini suorum redd.tuum, & de illis disponere possunt pro suo libito, ita obtinuit praxis, & consuetudo immemorabilis ab omnibus approbata.

Quæres 2. Quale dominium, administrationem, & potestatem habeat Romanus Pontifex super bona quæcumq; Ecclesiarum in vniuerso orbe terrarum.

27 ℞. Papa est dominus non tamen proprietarius, sed vniuersalis omnium bonorum Ecclesiarum per vniuersum orbem, habens liberam absolutam, & plenam potestatem, & administrationem, atq; dispensationem super eisdem bonis ecclesiasticis independenter à quacumq. etiam supremâ potestate Imperatorum, & Regum disponendi de illis iuxta potestatem sibi à Deo collatam in concessione Papatus, ita quòd Beneficium vni concessum dare alteri potest, ex causâ, & non aliter. Ratio est quia Christus Dominus reliquit eum in locum suum, vt visibiliter disponeret de bonis Ecclesijs relictis, in bonum commune, sicut ipse Dominus fecisset, si nobiscum visibiliter mansisset, ergo de bonis Ecclesiæ debet disponere ex iustâ causâ, sicut ipse Christus, cuius est dispensator ministeriorum Dei, non dominus absolutus, cum in administratione à Christo debeat dependere. Et cum hoc dominium sit vniuersale non solùm ratione omnium Ecclesiarum, verùm etiam respectu Personarum ecclesiasticarum, & pauperum, atq. ipsarum ædificiorum, in commodum proprium superfluum huiusmodi bona conuertere non potest, sed tantum, quantum decet eius Dignitatem; tale enim dominium proprietatis non est, respiciens scilicet eius tantum vtilitatem, & commodum, sed vniuersale, & quasi improprium referendum in commodum, & vtilitatem Reipublicæ ecclesiasticæ, iuxta superius dicta de triplici dominio, & hoc dominium appellari etiam potest dominium iurisdictionis, & potestatis, per quam Pontifex dispensare, & distribuere potest bona ecclesiastica iuxta potestatem a Deo sibi traditam illis verbis: Quæcunq; ligaueris, vel solueris super terram, erunt ligata, vel soluta in cœlis. Verbum enim *Quæcunq;* est vniuersalissimum comprehendens præsentem materiam. Et quòd Papa habeat Dominium liberum, & plenum disponendi res Ecclesiarum docent *Decius consil. 341. num. 8. & 9. Baldus consil. 175. Socinus Senior Vol. 1. consil. 13. cum alijs Fagnanus part. 5. ad cap. Relatum, Ne Cler. vel Mon. à num. 26. Merlinus decis. 775. num. 20.* vbi dicit, quòd Papa est dominus omnium bonorum Ecclesiarum, & habet iure monarchico plenam dispositionem in vniuersâ Ecclesiâ. Et in aliâ eiusdem dec. 486. vbi de seculari ratione Beneficiorum omnium regularium Canonicorum S. Augustini in Catalonia. Et in alia Coccini dec. 81. num. 9. & 10. p. 5. Recent.

Quæres 3. An Ecclesia Collegiata sit domina proprietaria suorum bonorum, an corpus Collegij Canonicorum?

℞. Omnia bona relicta eidem dicuntur esse in dominio proprietatis Ecclesiæ collegiatæ, quia & ipsa est Ecclesia, cui additur qualitas collegialitatis, sine adeptione iurium eiusdem in ratione Ecclesiæ, sed Ecclesia quælibet domina, & proprietaria suæ dotis, & rerum suarum ex probatis sub q. 1. ergo & collegiata localiter, & materialiter spectata. Quatenus verò personaliter spectatur, & vt viuens in corpore morali membrorum Collegiatorum, sub hac consideratione ipsum corpus rerum Ecclesiæ administrationem habet in ratione communitatis singuli verò Canonici, & Beneficiati suorum fructuum sunt domini, & proprietarij sicut dictum fuit in præcedenti quæstione priori. 28

Quæres 4. An Ecclesia, an Monasterium, an corpus in communi, vel particulariter sit dominus rerum suarum?

℞. Ecclesia regularis, & Monasterium est dominus proprietarius suorum bonorum, corpus verò regulare in communi est pariter dominus, quandocunq. eidem relinquitur aliquid exprimendo in obliquo Ecclesiam suis Ordinis, sicut è contra dicitur Ecclesia domina proprietaria eorum, quæ sibi relinquuntur exprimendo in obliquo ipsum Monasterium, seu Religiosos e. g. si quis relinquat hoc modo Lego, instituo meum hæredem Ecclesiam Fratrum S. Cosmæ. Item. Relinquo Fratribus S. Mariæ domum meam, &c. Ratio horum est, quia hæres institutus, vel legatarius fit dominus rerum sibi relictarum, si est capax *ex tit. de aquir. rerum dom. & Instit.* 29 30

& Instit. de diuis. rerum §. Per traditionem. Fit enim patrimonium eius, cui aquiritur, *Rota par. 5. dec. 259. num. 9. Barbosa in Auth. Ex testamento C. de secundis nupt. num. 4.*

31 Cōfirmatur illo axiomate: Quicquid aquirit Monachus, aquirit pro Monasterio, non dicit suæ Ecclesiæ, *ex cap. Vn. 18. q. 1. Gloss. penult. in cap. 1. de testam. Nauar. tom. 2. Comment. 2. de Regul. num. 3. Rodriq. tom. 2. q. 29. art. 5. Less. lib. 2. cap. 21. dub. 11.* Itaque ille est dominus proprietarius, cui relinquitur, siue sit Ecclesia, siue Monasterium, bonorum autem vtriusq; administrationem habent Superiores Monasterij. . . .

Quæres 5. An alia loca pia habeant dominium rerum quarumcunq; sibi relictarum?

32 Locus pius est ille, cuius exercitiū ordinatur ad opera pietatis, vt ad alendos pauperes, ad recipiendos peregrinos, cæcos, orphanos &c. In his similibus occupantur Hospitalia, & Confraternitates. Sunt autem in

33 duplici differentiâ hi loci, alij sunt erecti auctoritate Episcopi, & dicuntur religiosa, & ecclesiastica cum rebus sibi adiacentib. & cohærentibus, quibus locis ipsorum bona incorporantur, & sic eodem iure censentur, quo ipsa loca pia, quæ sicut sunt religiosa, & ecclesiastica, ita & res earum, vnde sunt de foro Ecclesiæ, sicut ipsa loca ex cap. 3. de foro compet. Ita multis citatis Barb. lib. 2. de iure cap. 11. num. 66. ad 90. Alij verò erecti sunt ex pietate Fidelium laicorum sine vllâ auctoritate Episcopi ideo remanent loca quidem pia nuncupata ex pijs operibus, quæ ibi exercentur, sed non possunt dici religiosa, nec ecclesiastica, quia hæc denominationes non nisi ab Episcopo recipiuntur, quando eius auctoritate fundantur, vnde in ecclesiasticis adest Ecclesia, vel Altare, vel Capella, a quibus desumitur ratio spiritualitatis, religiositatis, seu ecclesiastici; in profanis verò nihil illorū inuenitur, nisi pium Nomen sub inuocatione alicuius Sancti sine illius dedicatione ab Episcopo factâ, licet adsit Altare ex lapide sacro, ista ergo loca pia sacra non sunt, nec ecclesiastica, quia titulum non habent ab Episcopo erectum.

34 ℞. Locus pius vtriusq. speciei habet dominium proprietatis omnium bonorum sibi relictorum, illi enim vti capaci incorporantur per eorum traditionem; & loquendo de Religiosis, & Ecclesiasticis scilicet fundatis auctoritate Episcopi, probatur, quia hi loci in fauorabilibus veniunt sub nomine Ecclesiæ, vt Hospitale, Confraternitas, & similes,

35 *Menoch. Remedio 1. Recuper. num. 24. Mascard. concl. 869. num. 11. cum alijs Barb. ad cap. Si quis 6. de reb. Eccles. alien. n. 5.* Sed Ecclesiæ habent dominium rerum suarum; vt probatum fuit suo q. 1. ergo & loca pia. Quorum bonorum administratio residet apud officiales à corpore Confratrum destinatos ad id munus, vt de Confraternitatibus colligitur ex Bulla Clem. VIII. incip. *Quæcunq.* 115. his verbis §. 8. *Quibus etiam Ministris, Officialibus, & alijs prædictis, eleemosynas, & alia oblata Christianæ caritatis subsidia, iuxta modum, & formam per Ordinarium loci præscribendum &c. potestas detur.* Nihil autem in proprios vsus conuertere possunt, cum solam facultatem habeant disponendi pro alijs, non pro se, iuxta tenorem officij, ad quod fuerunt electi. Idem dicendum est de omnibus alijs locis pijs. Vide Merlin. dec. 632. num. 4. & 5. vbi quod Confratres manutenendi sunt in administratione suæ Sacristiæ, quia sunt eorum Confraternitates de foro Ecclesiæ, Rota par. 5. dec. 144. num. 17.

Quæres 6. An potestas laica aliquam habeat potestatem dominij super res, & bona Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum locorum piorum?

℞. Nullam habere potestatem iudicandi de rebus siue mobilibus, siue immobilibus ipsarum ecclesiarum, &c. neque super illis imponendi gabellas, & alia onera ex quacunq. causâ etiam vrgentissimâ. Probatur. Tum ex dictis cap. 2. num. 9. quia terra sacerdotalis est libera à quocunq; iudicio, & exactione seculari ex Sacrâ Scripturâ. Tum quia bona Ecclesiarum sunt sub potestate iurisdictionis ecclesiasticæ, quæ exercetur per Iudices ecclesiasticos, priuatiuè ad laicos. Et ita docent Sacri Canones, quòd laici in his se ingerere non possunt *cap. 1. & 19. dist. 96. cap. indicatum 5. dist. 89. cap. In noua 22. 16. q. 7. cap. fin. de reb. eccles. alien.* Nisi de licentia Episcopi, *cap. laici 37. cap. Inuentum 38. 16 q. 7.* A quo Confratres eam licentiam habent ex citata Bulla Clementis VIII. In Bulla quoq; Cœnæ Domini id grauiter interdicitur in excom. 17. & 18. 36 37

Quæres 7. An Ecclesia materialis gaudeat priuilegijs Clericalibus? Hoc est, an sit quò ad eius bona exempta à foro ciuili, & à gabelis, & alijs oneribus contributionum. Nam hic sermo est tantùm de Ecclesiâ materiali, & locali, non de viuente, & personali.

℞. Gaudet exemptione ab vtroq; Primum probatur, quia vt dictum fuit mox, potestas secularis in ratione Iudicij nullam potestatem habet in causis ciuilibus bonorum Ecclesiarum, ergo Iudex laicus super illis iudicare non potest. Tum quia terra Sacerdotalis, cuiusmodi sunt bona Ecclesiarum, est libera, vt probatur cap. 2. num. 9. subiecta solùm Iudicibus ecclesiasticis, *cap. Decernimus 2. cap. Quanto 3. de iudic. cap. Si clericus 5. de foro comp.* Vnde in Bulla Cœnæ Domini excommunicantur, qui Personas ecclesiasticas, Capitula, Conuentus, & Collegia Ecclesiarum quarumcunq; coram se ad suum tribunal trahunt, vel trahi faciunt, directè, vel indirectè, quouis quæsito colore. Sermo 38

hic

hic est de tractu ciuili, & quò ad bona siue
sint propria ipsarum Ecclesiarum, seu Ca-
pitulorum, Conuentuum, & Collegiatarum,
siue ipsarum Personarum ecclesiasticarum,
quæ vti reæ trahendæ sunt ad Forum eccle-
siasticum, certum enim est, quòd actor tra-
hens debet sequi forum rei, *cap. 5. & 8. de
foro comp.*

39 Alterum, quod bona Ecclesiarum non
possint collectari, nec subijci gabellis, &
alijs oneribus, probatur. Tùm quia imponere
gabellas, & onera est actus Iurisdictionis; sed
Laicus nullā habet iurisdictionem nec super
Personas ecclesiasticas, nec super eorum bo-
na siue propria, vel Ecclesiarum, vt patet ex
q. 6. ergo super eis gabellas, & onera impo-
nere non potest. Tum quia sunt de patri-
monio Christi ex q. 2. ergo nullo modo pos-
sunt subijci alicui gabellæ, vel tributo, cum
Christus nulli humanæ creaturæ, & quò ad
Personam, & quò ad suum patrimonium
subijciatur. Et ita expresè prohibetur *cap.
Non minus 4. Cap. Aduersus 7. de Immun. cap.
1. & 3. eod. in 6. Clem. eod. & Extrauag. Ioan-
nis XXII. eod.* & Bulla Cænæ Domini ex-
communicans imponentes collectas, deci-
mas, & alia onera Ecclesiasticis, & eorum, &
Ecclesiarum, ac Monasteriorum bonis. De
qua vide Bonac. disp. 1. q. 19.

Quæres 8. An Monasteria, & conuentus
Religiosorum vtriusq; sexus gaudeāt exemp-
tione suorum bonorum vel subijciantur in
causis ciuilibus, & oneribus laicis?

40 ℞. Ab vtrisque sunt exempta sicut bona
Ecclesiarum Clericorum, vt colligitur ex
allegatis textibus in præcedenti quæstione,
nam in cap. 3. de immun. in 6. fit etiam
mentio de regularibus Personis, & Ecclesijs
ipsis regularibus, præterquam quòd Mona-
steria, & Conuentus in fauorabilibus veniunt
41 sub nomine Ecclesiæ, *Verall. par. 1. dec. 289.
num. 1. Camillus Borella in summa decis. par.
1. tit. 2. num. 13. Barbosa V. Ecclesia num.* 10.
Sed Ecclesiæ gaudent, ergo & Monasteria.
Et ita docent omnes cum *Tambur. tom. 1.
disp. 15. q. 21. Vide Bullam Pij V. incip. Dum ad
vberes XI.* concedentis amplissimam exemp-
tionem Ordinum Mendicantium pro eorum
Personis, & rebus à solutione gabellarum,
& quarumcunq; contributionum, & ab one-
42 re hospitandi milites. Quam extendunt
Quaranta V. Priuilegia Regularium, &
Confect. Bulla 2.

Quæres 9. An loca pia, vt Hospitalia, &
Confratriæ gaudeant Priuilegijs clericalibus?
nimirum ab exemptione fori ciuilis, & ga-
bellarum, & aliorum onerum?

43 ℞. Affirmatiuè, quia ordinanda sunt Hos-
pitalia ab Episcopo, *Cap. de Xenodochijs, &
cap. Ad hæc, de Relig. domib.* vbi Barbosa citat
quamplures, & ex opinione multorum hanc
exemptionem extendit etiam ad bona Hos-
pitaliū, & aliorū locorū piorum; licet non sint
fundata auctoritate Episcopi, sunt enim or- 44
dinati huiusmodi loca ad pietatis opera, con-
sequēter debent gaudere Priuilegijs piæ cau-
sæ. Idem colligitur ex cap. Cum contingit
Clem. de relig. domibus. De confraterni-
tatibus Vide Barb. lib. 2. de iure cap. 11. num.
82. ad 90.

Quæres 10. An Ecclesia destructa, seu al-
ter locus pius gaudeat Priuilegijs quibus gau-
debat ante destructionem?

℞. Non gaudet, cum amplius non sit, 45
vnde eius bona cum suis Priuilegijs vniuntur
alteri Eccl. Ita *Tiraq. in tract. Cessante causa p.
1. n. 312. Sanch. lib. 9. disp. 15. n. 37.* Gaudet
verò Immunitate pro eis, si ab alio fuit de-
structa, quàm ab Episcopo, quia per solam
destructionem auctoritate Episcopi potest
profanari, in quo casu solùm perdit hoc Pri-
uilegium. Ita alijs citatis *Barb. lib. 2. de iu-
re cap. 3. num. 62. Ego de Immun. cap. 3. q. 5.
num.* 24.

CAPVT QVARTVM

De Aquisitione Priuilegiorum Clericalium.

1 *Priuilegium Canonis concessum fuit anno 1139.*

2 *Priuilegium Fori criminis, & ciuilis.*

3 *Exemptio à gabellis, & alijs oneribus.*

4 *Priuilegia clericalia aquiruntur deputatione Personæ Dei seruitio.*

5 *Per receptionem Tonsuræ, aut habitus Religiosi.*

6 *Duo genera Christianorum, Laicorum, & Ecclesiasticorum.*

7 *Clericus tonsuratione aquirit Priuilegia.*

8 *Ex tonsuratione sequitur caracter clericalis, & ex vtroque Priuilegia.*

9 *Iura quoq. mentionem faciunt de his Priuilegijs.*

10 *Clerici saluatici quænam priuilegia habeant.*

11 *Inualidè promoti nihil aquirunt, vtique malè promoti.*

12 *Cap. 10. sess. 7. & 23. de ordinatis ab extraneis.*

13 Gaudere *supponit gaudentem habere Priuilegium.*

14 *Promoti ab alieno Episcopo non gaudent Priuilegij vsu ex Vrbano VIII.*

15 Gaudeant *importat pœnam comminatoriam sumptam cum negatione.*

16 *Promotus per saltum omissa Tonsurâ aquirit Priuilegia.*

17 *Ordinatus ante annos discretionis aquirit Priuilegia.*

18 *Collatione Habitus religiosi aquiruntur Priuilegia.*

19 *Probatur per Auth.* Ingreſſi *de Sacroſ. Eccleſ.*
20 *Etiam à Militaribus.*
21 *Et Nouitijs omnibus.*
22 Ingreſſi *ſc. receptione habitus, & profeſſionis.*
23 *Nouitius gaudet priuilegijs fori criminalis, & ciuilis.*
24 *Atque gabellarum.*
25 *Nouitij etiam Militares.*
26 *Sixtus V. ſubiecit criminoſos ingredientes iudicibus ſecularibus.*
27 *Suſtulit. Clem. VIII. volens, eorum profeſſionem valere.*
28 *Moniales etiam nouitiæ primo ingreſſu aquirunt priuilegia.*
29 *Moniales gaudēt priuilegijs regularium.*
30 *Demonſtratiue, & taxatiue ſtare.*
31 *Tertiarij S. Franciſci triplicis generis, non religioſi, & ſolitarij; regulares, & in communitate viuentes.*
32 *Ab initio habiti ſunt perſonæ eccleſiaſticæ.*
33 *Tertiarij & alij in domibus ſuis non gaudent Priuilegijs.*
34 *Bulla Leonis X.* Dum intra.
35 *Non gaudent Priuilegio canonis.*
36 *Mulieres cum ſolo voto ſimplici gaudent omnibus priuilegijs.*
37 *Contra opinionem aliorum improbabilem.*
38 *Tertiarij S. Franciſci habent Regulam Nicolai IV.*
39 *Mulieres hæ violantes votum perdunt priuilegia.*
40 *Viuentes in communi vel obedientia voluntaria Pius V. coegit ad profeſſionem.*
41 *Legatum relictum mulieri monachandæ datur recipienti habitum in domo ſua.*
42 *Tertiarij cum Religioſis habitantes gaudent eorum priuilegijs.*
43 *Tertiarij ſeruientes Monialibus gaudent.*
44 *Familiares gaudent iiſdem.*
45 *Collegium faciunt tres.*
46 *Eremitæ gaudent Priuilegijs clericalibus.*
47 *Seruus Promotus aquirit Priuilegia illis priuandus reſpectu domini.*
48 *Niſi ponat alium in ſuum locum.*
49 *Excarceratus cum fideiuſſione promotus non gaudet reſpectu Iudicis.*
50 *Ordinati infra annum ſedis vacantis non gaudent priuilegio fori criminalis.*
51 Gaudeant *requirit ſententiam declaratoriam.*
52 *Ordinatus ab extraneo non gaudet Priuilegio fori criminalis.*
53 *Ordinatus ab extraneo Epiſcopo cum falſis dimiſſorijs non gaudet priuilegio fori.*
54 *Mala promotio non impedit aquiſitionem Priuilegiorum cum dentur à Deo.*
55 *Nulla promotio illicita impedit aquiſitionem Priuilegiorum.*
56 *Ordinatus ſine dimiſſorijs aquirit illa.*
57 *Etiam ſimoniacè ordinatus.*
58 *Et per ſaltum.*
59 *Spurius, & homicida.*
60 *Fugiens è Carcere.*
61 *Exiliatus item promotus.*
62 *Bigamus quoq; promotus.*

DE AQVISITIONE PRIVILEGIORVM CLERICALIVM.

IN præſenti capite agendum eſt de aquiſitione Priuilegij clericalis, per quos actus ſcilicet aquiratur, & quibus perſonis aquiratur.

Præmitto vnum, Priuilegium clericale diuidi in Priuilegium canonis, quo Clericum percutiens incurrit excommunicationem Papæ reſeruatam, quam induxit Innocen-
tius II. anno 1139. & ſic eſt tantùm de iure 1
canonico. & in priuilegium fori dicens ex-
emptionem à poteſtate ſeculari ratione per- 2
ſonæ, & ratione rerum; reſpectu perſonæ in ordine ad ſubiectionem, quòd in tribus perſona eſt exempta, *Primò*, ne puniatur in corpore per ſententiā, & alijs modis vexetur, citatione, captura, carcere, &c. & hoc vocatur priuilegium fori criminalis, quo perſona dicitur exempta à Iudice ſeculari. *Secundò*, ne cogatur ſeruire in officio aliquo ſeculari. *Tertiò*, ne ſubijciatur quò ad vim coactiuam legibus, & ſtatutis ſecularium
poteſtatum. Priuilegium ſpectatum ratione 3
rei duo importat. Primò, ne Perſona eccleſiaſtica quo ad bona non ſolum Eccleſiarum, quorum adminiſtrationem habet, ſed etiam ſuorum bonorum, quorum Perſona eccleſiaſtica eſt proprietaria, & domina trahatur coram Iudice ſeculari, & dicitur hoc Priuilegium ciuilis fori. Immo, & priuilegium fori criminalis, vt non puniatur pœna pecuniaria, aut ablatione ſuorum bonorum à Iudice ſeculari ob delictum. Demum hoc priuilegium eximit ab oneribus, gabellis, & datijs impoſitis à poteſtatibus laicalibus. His præmiſſis.

Quæres 1. Quando, & quibus actibus aquiruntur huiuſmodi priuilegia à Perſonis eccleſiaſticis?

℞. Priuilegia huiuſmodi aquiruntur per 4
actum deputationis perſonæ per Superiorem eccleſiaſticum ad Dei ſpeciale ſeruitium in Eccleſia præſtandum. Per hunc ergo deputationis actum ſeruitio Eccleſiæ perſona de laica, & ſeculari fit eccleſiaſtica, & deſcribitur in Catalogo Status eccleſiaſticorum, vt probaui ſub capite primo, & ipſo iure Priuilegia huiuſmodi aquirit à Deo immediatè, poſita deputatione huiuſmodi per publicam auctoritatem Miniſtrorum eccleſiaſticorum.

Quoniam autem Chriſtianorum duo ſunt
tantùm genera, nempè Laicorum, & Eccle- 5
ſiaſticorum, & horum pariter duo, nempe Clericorum, & Monachorum ex probatis

cap. 1. per totum, ideò duobus modis contingere potest huiusmodi deputatio, per quã aquiritur priuilegia clericalia, vel collatione
6 primæ tonsuræ, vel collatione habitus Religiosi, iuxtà quòd probatur in sequentibus.

Quæres 2. Quando, & per quem actum Clericus tam verus, quam Saluaticus aquirat Priuilegia clericalia?

7 ℞. Clericus verus per tonsurationem ipso Iure aquirit Priuilegia clericalia, nam per primam tonsuram de laico fit Clericus transeundo à Foro seculari relicto ad forum ecclesiasticum, & hoc ex diuina dispositione, posita enim tonsuratione per legitimum Ministrum Deus facit Clericum, conferendo illi caracterem; per quem Persona tonsurata dif-
8 fert à reliquis Christianis, & disponitur ad Dei seruitium ad recipiendum Ordines, & ipsum caracterem immediatè sequuntur priuilegia. Res est certa, & probata in Pontificali Romano sub tit. de Clerico faciendo, nam Episcopus post collationem primæ tonsuræ monet tonsuratos his verbis; *Filij carissimi animaduertere debetis, quòd hodie de foro Ecclesiæ facti estis, & priuilegia clericalia sortiti estis. Cauete igitur, ne propter culpas vestras illa perdatis & habitu honesto, bonisque moribus, ac operibus Deo placere studeatis*. Loquitur autem pluraliter. *Priuilegia clericalia sortiti estis*. Ac proinde de omnibus supradictis sermo est, nempe de Priuilegijs canonis, fori criminalis, & ciuilis, ratione Personæ, & rerum.

9 Competunt ergo Clericis non solùm in Sacris, sed etiam in minoribus constitutis, immò tonsuratis tantùm, vt dicitur in allegata sub fortate Pontificalis, Episcopus enim ad illos solum dirigit verba suæ animaduersionis, & ita docent omnes cum Tridentino *sess. 23. cap. 6.* Idem statuitur *in causa 11. q. 1. ferè per totum, cap. Et si Clerici 4. cap. Clerici 8 de iudic. cap. 1. & 2. de foro compet.* De foro criminali, & ciuili prædictis locis, & de gabellis, *cap. Non minus 4. cap. Aduersus 7. de immun. cap. 1. & 3. eod. in 6. in Clem. Vn. eod. tit. & in cap. 1. extrauag. Comm.* Vide Bonacc. *in Bulla disp. 1. q. 16. p. 3. Farin. q. 8. num. 1. & 5. Castropal. p. 6. de criminali, p. 7. de ciuilibus, p. 9. de Gabellis & tributis Barb. lib. 1. cap. 39. §. 5. num. 15 Alleg. 13. per totam.*

10 ℞. 2. Clericos saluaticos ii, dictos, qui non tonsurantur, per publicam deputationem factam ab Episcopo aquirere tantùm priuilegium fori criminalis, & ciuilis Personæ à seruitijs personalibus, respectu bonorum nullum; & debent seruire gratis duo tantum in Cathedralibus, & vnus in collegiatis iuxta responsum Sacræ Congregationis extensum per Barbosam *lib. 1. de iure cap. 39. §. 3. num. 20.* vbi vocantur Diaconi saluatici, quos ego vocaui Personas ecclesiasticas in ordine ad ea priuilegia cap. 1. num 35.

Quæres 3. An tonsuratus inualidè, vel illicitè tantum aquirat Priuilegia clericalia?

℞. Inualidè tonsuratus nihil aquirit, cum 11
nec sit factus Clericus, nec vllum acceperit caracterem, ergo neque aquisiuit Priuilegia clericalia, hæc enim consequuntur ad clericatum, & caracterem, tamquam effectus ad suam causam. Illicitè verò ordinatus adhuc cum validè sit ordinatus, ac proinde accepit caracterem, consequenter etiam Priuilegia clericalia, cum verè Clericus euaserit Sacra tonsuratione. De primò habeo Donatum par. 4. tract. 2. q. 9. dicentem nulliter ordinatum carere priuilegio fori, adde tu omni Priuilegio carere, cum per nullam tonsurationem adhuc sit merus laicus. De secundò patet ex Tridentino sess. 7. cap. 10. vbi infrà annum vacationis S. sedis ordinatus etiàm cum literis dimissorijs, seù reuerendis ab alieno Episcopo in minoribus ordinibus 12
nullo Priuilegio clericali præsertim in criminalibus gaudet. Et licet ibi nulla fiat mentio de prima tonsura, sed tantùm de ordinibus Minoribus, nihilominus non excluditur prima tonsura, vna enim lex declarat aliam maximè circà eandem materiam; Tridentinum autem sess. 23. cap. 10. decreuit tonsuratum contrà decretum dicti capitis non gaudere vsu sui priuilegij; ergo idem dicendum est de tonsurato contra formam dicti capitis 16. sess. 7. Itaque illicitè, validè tamen tonsuratus recipiendo caracterem clericatus, aquirit quoque priuilegia illum consequentia, Deus enim sua opera non facit imperfectè, ergo donando caracterem tradit etiam Priuilegia, quæ Statum clericalem consequuntur. Confirmatur id ex quodam responso Sacræ Congregationis relato à Farinacio par. 2. ad cap. Cum contingat, de Ætate num. 117. vbi, cum ei relatum fuisset Episcopum Cauensem declarasse, quendam Clericum primæ tonsuræ Priuilegio fori priuatum, eo quòd tonsura non imprimeret caracterem. Sacra Congr. binis literis 12. Maij 1620. & 16. Nouembris 1621. eidem Episcopo iniunxit, vt decretum reuocaret, & obliteraret. Imprimitur ergo caracter, & aquiruntur Priuilegia etiam ex illicità ordinatione, vt melius ad propositum nostrum respondit eadem Sacra Congregatio apud eundem num. 118. quemdam Abbatem validè contulisse primam tonsuram, & caracterem impressisse cuidam sibi non subdito, ac proinde aquisisse priuilegia clericalia.

Dices in præcit. to cap. 10. sess. 7. potius contrarium infertur, nimirum ordinatum ab alieno Episcopo Sede vacante nullum aquirere Priuilegium, inquit enim textus: *Et sic ordinati si in minoribus ordinibus fuerint constituti nullo Priuilegio clericali præsertim in crimi-*

criminalibus gaudeant. Nam Priuilegio non gaudere idem est ac illud non recepisse in sua ordinatione, qui enim habet Priuilegium illo vti potest, non verò, qui illo caret.

13 ℞. Verbum *gaudere* importare vsum Priuilegij iam habiti, ille enim propriè gaudet, qui re vtitur sibi fauorabili, ergo supponitur inesse Personæ, vnde qui non debet gaudere, censetur illo priuari quò ad vsum, ac proinde cum priuatio supponat habitum, consequenter in casu nostro supponitur Priuilegium clericale, sed pro tunc sine vsu, vt insinuat illa negatio. *Nullo Priuilegio*. Et hanc responsionem comprobo per Bullam Vrbani
14 VIII. incip. *Secretis* 33. vbi quod ordinati ab alieno Episcopo etiam tonsurati cum falsis literis non gaudeant fori Priuilegio, his verbis; *Nihilominus secuta tamen prius desuper Iudicis ecclesiastici declaratione, fori Priuilegio minimè gaudere*. Licèt Priuilegio aquisito gaudere non possunt, tamen cum debeat sequi declaratio, vt subsint Iurisdictioni seculari, manifestè infertur ipsos habere Priuilegium, sed illis non prodesse post declarationem.

15 Confirmatur, quia verbum *gaudeant* importat, pænam esse comminatoriam, & sic non priuari, nisi per sententiam, vt dicunt *Nauar. cons.* 28. *de tempor. Ordin. Sanchez lib.* 7. *disp.* 46. *num.* 18 *Barbosa ex illis ad cap.* 10. *dicta sess.* 7. *num.* 22. *Bonac. in Bulla disp.* 1. *q.* 16. *p.* 3. *num.* 5. *Vers. Respondeo primò*. Ergo supponitur Priuilegium clericale aquisitum in promotione illicità, sed sic Ordinatum in pænam, illius vsu esse priuandum per sententiam.

Quæres 4. An omissà Tonsuratione promotus ad aliquem ex Ordinibus minoribus, vel solùm in Sacris v. g. in Subdiaconatu constitutus in tali ordinatione aquirat Priuilegia clericalia?

16 ℞. Affirmatiuè, per quemcunque Ordinem primò receptum etiam per saltum aquirit Priuilegia. Probatur, quia Ordinatio per saltum facta tenet, vt docent omnes Canonistæ *in cap. Vn. de Clerico per saltum ordin.* & in ea imprimitur caracter, licet non recipiat executionem, ibidem cum alijs Barbosa num. 8. Ergo, & recipit Priuilegia clericalia, habent enim connexionem cum caractere, ità quòd ad illum consequantur.

Quæres 5. An Ordinatus ante annos discretionis aquirat Priuilegia clericalia?

17 ℞. Affirmatiuè, quia recipit caracterem, ex citatis à Barbosa *in dictum cap. Vn. de Clerico per saltum promoto, num.* 6. Ergo aquirit Priuilegia clericalia.

Quæres 6. An, & quomodo Monachi, & Religiosi aquirant Priuilegia clericalia?

18 ℞. Collatione habitus religiosi factà ab habente potestatem conferendi habitum, per huiusmodi enim habitus regularis receptionem persona fit ecclesiastica, & ponitur in Statu ecclesiastico, & aquirit Priuilegia clericalia. Probatur per Auth. *Ingressi Mona-* 19
steria ipso ingressu se, suaque dedicant Deo, ne ergo de his testentur, vt pote nec domini rerum. Habetur post leg. 12. C. de Sacros. Eccles. Dum ergo per ingressum Religionis, habitus receptione homo non solùm personam suam, sed etiam bona Deo dedicat, consequenter bonorum eius per huiusmodi dedicationem Deus modo speciali dicitur fieri dominus, & bona transeunt in Patrimonium Iesu Christi; ex quo sequitur talia bona non esse amplius sub dominio secularium, ac proinde ex hac dedicatione, persona ingressa dicitur aquisiuisse Priuilegia clericalia, per quæ exempta est à foro tum criminali, tum ciuili, tum à gabellis, & Priuilegium canonis adeptus; Itaque Religiosi professi claustrales gaudent omnibus Priuilegijs clericalibus, patet de Priuilegio canonis, cap. Si quis 29. 17. q. 4. De priuilegijs fori criminalis, & ciuilis *Decian. lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 29. & 30. *ex eo Grassus Effectu* 1. *num.* 108. *Dal Bene p.* 1. *cap.* 1. *dub.* 9. *Castropal. p.* 2. *num.* 10. Qui idem dicunt de exemptione à gabellis, tum quia singuli Professi licet non sint capaces dominij, tamen in ratione communitatis, & Ecclesiæ, gaudent Priuilegio à gabellis, cum eorum bona sint sub Patrimonio Christi, cui se cum bonis dedicarunt. Tum quia sunt Personæ ecclesiasticæ non minùs ipsis Clericis, ex dictis cap. 1. num. 24. ergo gaudent Priuilegijs non solùm fori, sed etiam gabellarum ex citatis iuribus sub num. 9.

Dicta procedunt etiam de Militaribus pro- 20
fessis, vt docent omnes, quos citat *Grassus Effectu* 1. *num.* 100. *Barb. Allegat.* 12. *num.* 45. *Castropal. cit. num.* 10. *Vers. Sextò*, *Dal Bene par.* 1. *cap.* 1. *dub.* 11. Sunt enim verè Religiosi, & Personæ ecclesiasticæ ex communissimà opinione, cui nullus contradicere debet negando esse Personas ecclesiasticas.

Quæres 7. An, & quando Nouitij tam claustralium, quàm militarium aquirant Priuilegia clericalia?

℞. In collatione habitus Nouitiorum fac- 21
tà à superiore Nouitius aquirit Priuilegia clericalia, vt probatum fuit præcedenti quæstione, ex quo enim non solum professus, sed etiam Nouitius per primum ingressum se, & sua bona dedicat Deo per dictam authenticam aquirit Priuilegia, & fit de foro ecclesiastico, & sic eximitur à foro seculari, quò ad criminalia, dum personam suam dedicat Deo, & quò ad ciuilia, & gabellas ex dedicatione rerum suarum, esto enim de illis infra annum disponere possit bimestri ante professionem ex Tridentino sess. 25. cap. 16. nihilominus id non tollit huiusmodi dedica-

tionem rerum, nisi secutâ professione, consequenter dedicatio rerum durat vsque ad terminum Professionis, quâ positâ cessat, quia erat inducta reuocabiliter, & sub conditione, nisi aliter disponatur de bonis.

22 Nec obstat, quòd plerique Doctores, quos citaui cap. 10. de Paupertate religiosa num. 4. per ingressum exponant Professionem, qui est secundus ingressus, tamen non absurdè intelligi quoq; potest de primo ingressu respectu Nouitiorum, in quo sensu intellexit *Benedictus Ægidius in Repet. l. 1. C. de Sacrosf Eccles. part. 4. §. 2. num. 19. Marta de iurisd. part. 4. casu 95. num. 18. cum alijs*. Nouitius ergo cum sit persona ecclesiastica ex probatis cap. 1. num. 25. gaudet in primis Priuilegio canonis, expressè cap. Religioso 21. §. Quamuis, de sent. excom. in 6.

23 Gaudet quoq; priuilegijs fori vtriusq; & gabellarum, tum quia seipsum, & bona sua primo ingressu Deo dedicat; tum quia fit Persona ecclesiastica receptione habitus. Est communis *apud Barb. Allegat. 12. num. 37. Marta part. 4. casu 121. num. 22. Farinac. q. 8. num. 46. Castropal p. 2. num. 10. Vers. Secundo Grassus Effectu 1. num. 78.* Non solum Clerici, sed etiam Laici, & Conuersi, *Glos. V. Electionibus, cap. Ex eo 32. de elect. in 6. Nauar. consil. 25. de priuileg. Barb. cit. num. 38.*

24 De exemptione à gabellis, & alijs oneribus laicalibus docent *Gutierez de Gabellis q. 95. num. 22. Castropal. p. 2. num. 10. Sanch. lib. 6. cap. 10. num. 16. Diana par. 1. tract. 2. resol. 37. Barbosa ad cap. Aduersus 7. de immun. nu. 11. & lib. 1. de iure cap. 39. §. 2. num. 40. Riccius par. 3. resol. 1. 32. Donatus par. 4. tract. 6. q. 27. Ego cap. 11. de professione regul. q. 22.* in Editionibus Venetâ, & Lugdunensi. *Dal Bene par. 1. cap. 1. dub. 9. num. 4. Grassus effectu 1. num. 131.* Quicquid dicant pauci sine vllo fundamento.

25 Idem dicendum est de Nouitijs militaribus, cum & ipsi se suaq; Deo dedicent; & sint Personæ ecclesiasticæ. Ita *Dal Bene part. 1. cap. 1. dub. 11. num. 2. & 3. Diana par. 4. tract. 1. resol. 36. Barbosa Alleg. 12. num. 46. Alleg. 13. num. 14. & lib. 1. de iure cap. 39. §. 5. num. 26.*

26 Dices cum nonnullis, Nouitios claustrales non gaudere priuilegio fori ex Bulla Sixti V. incip. *Cum de omnibus* 71. in quâ iussit criminosos Religione ingressos omnino esse expellendos, & attentâ nullitate susceptionis Habitus, & Professionis, Iudices laicos posse illos capere, & punire non expulsos à Religione, si constiterit ipsos Iudices ante susceptionem habitus de ipso crimine aduersus eos accusationem suscepisse, vel inquisitionem instituisse, vt etiam legitur in eius sequenti Bullâ incip. *Ad Romanum*, illius declaratiua.

℞. Clementem VIII. in suâ incip. *In suprema* 83. dictas Bullas reduxisse ad terminos iuris communis, illis verbis *Quò ad eam partem, per quam eorum, qui formam in eisdem constitutionibus præscriptam de cætero non seruauerint, & quò ad alios casus ibidem expressos, in quibus receptorum in quibuscunq; etiam Mendicantium Ordinibus, Professio nulla declaratur, ad terminos iuris, & Sacrorum Canonum, perinde ac si præcedentes Constitutiones in illa parte editæ non fuissent, auctoritate Apostolica tenore præsentium reducimus.* Nullus autem ex sacris Canonibus statuit criminosos ingredientes Religionem esse puniendos ab eo seculari Iudice, qui ante illorum ingressum recepit accusationem, vel inquisitionem, ergo criminosi ingressi, statim incipiunt gaudere Priuilegijs clericalibus. Quare cum horum Professio valida sit, valida quoq; erit collatio, & receptio Habitus religiosi in ordine ad probationem, & professionem. Et ita docet Bartolomæus Vecchius Capucinus in Praxi Nouitiorum disp. 12. quem pro se citat Diana *part. 1. tract. 1. resol.* 33. referens ex eo, quòd licet Nouitius non possit puniri à Iudice seculari in personâ, posse tamen in bonis. Donatus autem par. 4. tract. 2. q. 9. & 11. asserit adhuc Nouitios accusatos, vel inquisitos posse capi, & puniri à Iudice seculari, quia eorum receptio nihil operatur, cum sit irrita, ac proinde non gaudent priuilegio fori, & canonis. Sed meo iudicio id improbabile est, quia Clemens VIII. reduxit Bullas Sixti ad terminos Iuris communis respectu Nouitiorum, ac proinde ex parte ipsorum receptionē habitus, & professionis voluit valere, remanentibus pænis contra Superiores, qui in Nouitiorum receptione non seruant formam in illis præscriptam. Citat autem pro se Sanchez lib. 4. cap. 1. vbi num 21. nihil dicit in terminis Priuilegiorum, sed professionem istorum criminosorum, & aliorum debitis, & ratiocinijs reddendis obnoxiorum, & illicitam esse horum receptionem ex parte admittentium, qui adhuc subduntur pænis, si non seruant formam in eis præscriptam.

27

Quæres 8. An Moniales Nouitiæ, & Professæ gaudeant Priuilegijs clericalibus.

℞. Affirmatiuè, nam illis aquiruntur per collationem Habitus religiosi legitimè illis factam per suos Superiores, iuxta dicta de viris Nouitijs, & Professis, nam Moniales illorum gaudent Priuilegijs, quæ ipsis aptari possunt, *D. Anton. par. 3. tit. 16. cap. 3. Paludanus in 4. dist. 38. q. 2. num. 17. Silu. V. Religio 3. num. 3. Angel. V. Nouitius num. 6. Tambur. disp. 17. q. 1. initio, de Abbatissis, Donatus par. 1. tract. 6. q. 3.* vbi citat ad hoc Bullas Pontificias. Quod verum est, esto non sint amplius subiectæ suis Regularibus, 28 29

cum

cum non mutauerint substantialia regulæ, & regularis Status, propter quòd participant Priuilegia regularia, est in Bullis Pontificijs fiat mentio de subiectione earum Prælatis Regularibus, quia talis expressio sumitur demonstratiuè, & prout res se habebat tempo-
30 re Bullæ conditæ, non autem taxatiuè, cum deceat Principis beneficium esse mansurum, vt docet *Tambur. cit. num. 5. & Ego resol. 52. num. 69.* vbi, quòd in fauorabilibus veniunt sub nomine Religiosorum, *Castropal. p. 2. num. 10. initio*. Et sunt Personæ ecclesiasticæ, vt probaui cap. 1. num. 27.

Itaque gaudent non solùm Priuilegio canonis, ex cap. de Monialibus 33. de sent. excom. Sed etiam Priuilegio fori criminalis, & ciuilis, *Deian. lib. 4. cap. 9. num. 31. Graffius Eff. 1. num. 97. Bonac. in Bulla disp. 1. q. 16. p. 3. num. 15. Tamb. de Abbatissis disp. 17. q. 6.* Non subduntur Gabellis, nec alijs oneribus laicorum *Tambur. tom. 1. de Abbatibus disp. 15. q. 18.* Vbi de decimis non soluendis, & q. 21. de gabellis, & de Abbatissis disp. 17. q. 5.

31 Quæres 9. Quandonam Tertiarij S. Francisci, & aliorum Ordinum aquirant Priuilegia clericalia? Præmitto, Tertiarios esse in triplici differentia nostris temporibus. *Primò* namque ex suâ institutione degebant in proprijs domibus cum proprio, & cum vxoribus in suâ professione promittentes seruare diuina præcepta cum Regulâ, quam illis præscripsit S. Pater Franciscus confirmatâ à Nicolaò IV. in sua Bullâ incip. *Suprà montem 1.* in Bull. Nouo sub datum 15. Augusti 1289. Vbi quòd non possunt visitari à laicis sub cap. 16. Subduntur Episcopis quò ad dispensationes in abstinentijs cap. 18 Quò ad punitionem verò sunt subiecti Visitatori electo per eos vel Sacerdoti regulari alicuius approbatæ Religionis, vel Custodi, seù Guardiano Ordinis Minorum ex quo infertur eos ab initio fuisse Personas ecclesiasticas, quòd &
32 firmauit Sixtus IV. incip. *Sacrosancta* in nostro Archiuio Bullarum impressarum Bullâ 161. & apud de Sillis fol. 49. & Confectum Bullâ 8. sequendo plures solemnissimos (vt dicit Bullâ) vtriusque Iuris Doctores, qui docuerunt, illos vti Personas religiosas, & ecclesiasticas gaudere Immunitate, & libertate ecclesiasticâ, sub datum Calendis Decembris 1473. *Secundò* Fratres Tertiarij S. Francisci dicuntur illi, qui sub solemni Professione trium votorum viuunt in communitate, sicut omnes alij Regulares aliorum Ordinum, sub eâdem Regulâ, detractis nonnullis, vel sub Regulâ Leonis X. acceptâ ex priori Regulâ S. Francisci, & hi omnes originem trahunt ab illis Tertiarijs, de quibus diximus, qui se eleuauerunt in Statum propriè religiosum, cum iam haberent Regulam S. Francisci iam approbatam, de quibus Ego egi in meo Cronicon de Tertiarijs Regularibus, cuius Ordinis ego indignus sum alumnus, & professor; & hos gaudere immunitate, & Priuilegijs clericalibus nulla est difficultas, cum sint verè, & propriè Religiosi, & Personæ ecclesiasticæ, & sic quòd dictum fuit de alijs Religiosis tùm Professis sub q. 6. tum Nouitijs q. 7. applicandum est his Tertiarijs dictis Regularibus ad differentiam aliorum, de quibus supra, qui dicuntur Tertiarij seculares. *Tertij* generis Fratres dicuntur illi qui collegialiter viuunt vel cum Claustralibus habitant.

His præmissis quæstio restringitur ad Tertiarios seculares in proprijs domibus degentes, qui sunt primi generis: & ad eosdem cum claustralibus habitantes, nam de secundis nō est difficultas, cum constet esse verè Religiosos, vt dixi. Neque quæstio procedit de Tertiarijs in communi viuentibus collegialiter sub obedientiâ voluntariâ, quia tales Religiosos sine solemni Professione sustulit Pius V. per suam Bullam incip. *Lubricum vitæ 76.* in Bull. Nouo Quibus expeditis.

℞. Tertiarij primi generis in suis domibus cum habitu religioso nullo gaudent priuilegio Clericorum Canonis, fori, aut gabellarum, tam masculi, quam fæminæ, exceptis mulieribus vouentibus castitatem. Qui verò masculi, & fæminæ cum Religiosis claustralibus habitant aquirunt Priuilegia regularia ab ipso punctò receptionis Habitus religiosi sibi per legitimum Superiorem collati. 33

Prima pars, quòd Tertiarij in proprijs domibus degentes nullis gaudeant Priuilegijs clericalibus, probatur per Bullam Leonis X. incip. *Dum intra* 22. §. 19. his verbis. *Fratres autem, & Sorores Tertij Ordinis; nec non Mantellati, Corrigiati, Pizocate, Cordelati, & alij quocunque nomine nuncupati, in proprijs domibus habitantes, sepulturam vbi voluerint, eligere valeant, Sed die Paschatis tantùm Eucharistiam, nec non Extremam Vnctionem, cæteraque Ecclesiastica Sacramenta, Pænitentiæ Sacramento dumtaxat excepto, à proprio Sacerdote accipere; & ad onera, quæ Laicis incumbunt, perferenda teneantur; & in foro seculari coram Iudicibus secularibus conueniri possint, & ne Censura vilescat ecclesiastica, & ne minoris auctoritatis Interdicti sententia reputetur, ijdem dicti Tertij Ordinis ad diuina audienda in Ecclesijs suorum Ordinum, tempore Interdicti nullatenus admittantur, si causam dederint Interdicto, vel causam ipsam renuntiens, seù foueant, aut dantibus auxilium, consilium, vel fauorem quoquo modo præstiterint.* 34

Et ità, quòd non gaudeant priuilegijs fori criminalis, & ciuilis, nec sint exempti à gabellis, & alijs oneribus docent omnes *cum Miranda p. 1. q. 36. art. 4. conclus. 3. Dal Bene*

Dal Bene par. 1. cap. 4. dub. 13. num. 9. Vers. Dixi. Castrop. p. 2. num. 10. Vers quintò. Barb. Allegat. 12. num. 41. Vers. Controuersum. *Donatus part. 4. tract. 17. q. 7.* Vbi probat non esse Personas religiosas, neque ecclesiasticas, licet (addo ego) pro talibus habitæ fuerint ante Bullam Leonis X. *Suar. disp. 22. de censur. num. 20.* excludentis eos à Priuilegio Canonis, *Ciarlin. cap. 18. num. 16.* ab omni Priuilegio, *Idem Dal Bene cap. 2. dub. 4. sect. 4. num. 10. Bonac. in Bulla disp. 2. q. 3. p. 6. sect. 3. num. 10.* *Castropal. disp. 3. de censur. p. 23. §. 1. num. 14. Barbosa in can. 29. 17. q. 4. num. 15.* In terminis de Priuilegio Canonis, quo non gaudent. Non
35 obstantibus illis, qui contrarium sententiant, nimirùm eos gaudere omnibus Priuilegijs clericalibus, quia loquuntur ante Bullam Leoninam.

36 Secunda pars de exceptione Mulierum vouentium, quòd gaudeant omnibus Priuilegijs sui Ordinis, est expressa in dictâ Bullâ Leonis 10. sub §. 20. his verbis: *Ac mulieres Virginalem, seu Cælibem, aut Castam vidualem expresso voto, & sub dicto Habitu vitam ducentes, Priuilegijs, quibus Fratres Ordinis, cuius Tertiæ Regulæ habitum gestant gaudere debeant.*

Sorores ergo huius generis licet sub voto tantùm Castitatis, & simplici viuentes in proprijs domibus, aut consanguineorum, seù affinium, vt idem Pontifex declarauit in sequenti Bullâ incip. *Nuper in sacro.* Ibidem extensâ, gaudent Priuilegijs eius Ordinis, cuius habitum gestant, nempe Canonis, Fori criminalis, ciuilis, & rerum suarum, ne subdantur Iudicibus secularibus, neque gabellis, & alijs oneribus, quia sunt Personæ ecclesiasticæ, vt dixi cap. 1. num. 29. Et ita docent quatuordecim Doctores, quos pro se citat Donatus *par. 4. tract. 17. q. 3. num. 17.* inter quos cito *Portellum V. Tertiarij num. 7. Compend. Rodriq. resol. 137. num. 8. Dianam part. 1. tract. 2. resol. 84. part. 4. tract. 1. resol. 31. Vers. Notandum. Barb. lib. 1. de iure cap. 39. num. 41. & cap. 43. num. 7. Gratian. cap. 413. num. 38. & cap. 449. num. 8.*

37 Contra hanc opinionem, quæ omninò certa est, cum expressè firmetur in Bullâ prædictâ Leonis X. & in sequenti eiusdem declaratiuâ prioris, se opponunt *Rodriquez tom. 3. q. 72. art. 3. Vers. circa quas, & q. 74. art. 11. & Rogens Sanfelicius tom. 3. dec. 418.* apud dictum Donatum à num. 8. negantes, Mulieres Tertiarias votum Castitatis habentes, & in domibus suis degentes gaudere Priuilegijs. *Probant primò*, quia hæ Tertiariæ nec propriè, nec impropriè, nec largè, nec strictè sunt Personæ ecclesiasticæ, vt patet de Tertiarijs Viris extra septa Monasterij degentibus, neque hæ Fæminæ habent Regulam, neq; profitentur vota Religionis, bona possident, habent velle, & nolle, & possunt contrahere matrimonium. *Probant secundò* votum cælibatus harum Mulierum ad præscriptum Concilij Lateranensis in dictâ Bullâ Leonis X. non est solemne, sed simplex; sed hoc votum non impedit, quin hæ Mulieres possint validè contrahere Matrimonium, quamuis peccent contra votum Castitatis. *Probant tertiò*, quia Episcopus non tenetur explorare earum voluntatem, dum domi faciunt hoc votum, an illud emittant liberè, vel coactè, sicut explorat in Fæminis volentibus profiteri cum Monialibus intra Monasterium, ex cap. 17. sess. 25. vbi de istis Mulieribus sermo non est. *Probant quartò*, quia faciunt solùm votum Castitatis sine alijs duobus, vt declarauit Leo in aliâ Bullâ, & ideo non inducit obligationem Monachalem, sed tantum obligat ad sui obseruationem. *Probant quintò* ex cap. Indemnitatibus 43. §. *Supradicta*, de elect. in 6. vt Mulieres in seculo viuentes, vt Pænitentiam agant, & liberius vacent Deo, si communem vitam degant sub vnius Superioris obedientiâ, gaudent Priuilegio fori, alias non. *Probant sextò* ex constitutionibus Pij V. & Gregorij XIII. consonis Concilio Tridentino, quæ quidem constitutiones per clausulas ibi appositas nunquam censentur abrogatæ, nisi in specie abrogentur. *Probant septimò* Thorres, & dictus Sanfelicius, quia sic seruatur, & ita decisum fuit.

Ego autem miror, hos Doctores ita sentire contra expressam, & claram mentem Concilij Lateranensis concedentis his Mulieribus votum Castitatibus habentibus, & extra clausuram degentibus, vt debeant gaudere Priuilegijs eius Ordinis, cuius Habitum portant, & suppono eos vtramque Bullam legisse, & noluisse intelligere, vt malè pro suo arbitrio conseruarent, & corroborarent opinionem, quæ probabiliter vigebat ante Concilium Lateranense, licet etiam opposita esset multò magis probabilior non solùm pro his Fæminis, sed etiam pro Masculis degentibus in suis domibus, quam approbauit generaliter Sixtus IV. vt vidimus supra initio quæstionis. Itaque istorum opinio contra has Fæminas est omninò improbabilis, cum apertè repugnet determinationi Concilij Lateranensis volentis, quòd hæ Fæminæ gaudeant Priuilegijs sui Ordinis.

Pro responsione argumentorum; obseruandum est, quæ in illis assumuntur media, intentum nullatenus probare, nec has fæminas excludere à Priuilegijs.

Ad primum dico, has Fæminas esse Personas ecclesiasticas, vt expressè asserit Sixtus IV. in citatâ Bullâ; loquor de Tertiarijs S. Francisci, ad cuius similitudinem sermo de alijs intelligitur, cum Leo X. de omnibus simul

mul eodem modo loquatur. Et patet ex probatis cap. 1. Vbi, quòd ea dicitur Persona ecclesiastica, quæ deputatur Dei seruitio auctoritate publicâ Ecclesiæ, hæ autem Mulieres per illud votum factum in manibus Superioris regularis deputantur, & dedicantur Deo, ergo sunt Personæ ecclesiasticæ, vt probatur ibidem num. 29. Subdit, quòd non habent Regulam; non legerunt Bullam Nicolai IV. supra citatam confirmantis.

38 Tertiariorum S. Francisci Regulam *Glos. V. Obedientiam Clem. 1. de relig. domib.*

Subiungit quòd non profitentur vota Religionis, bona possident & matrimonium possunt contrahere, intellige validè, non licitè. Hæc vti vera conceduntur, non tamen excludunt eas à Statu ecclesiastico, cui in genere sufficit publica Ecclesiæ deputatio ad Dei seruitium, vt dixi. Clerici seculares sunt verè, & propriè Personæ ecclesiasticæ, & tamen carent Regulâ, bona possident, & in minoribus constituti ducentes virginem adhuc remanent personæ ecclesiasticæ, ergo cum hæc non destruant rationem Ecclesiastici, in Clericis, nec in Fæminis.

Ad secundum argumentum dico verum esse hoc votum esse simplex, & contractum ab eis matrimonium valere, licet Mulier contrahendo peccauerit mortaliter ponendo impedimentum obseruationi sui voti. Quid inde? Neque enim votum simplex destruit rationem ecclesiastici, nec votum solemne ponit Personam ecclesiasticam, alias Nouitij non essent Personæ ecclesiasticæ, votum ergo vt sic non facit Personam ecclesiasticam, *Barbosa ad cap. 24. de Priuileg.* Ma-

39 trimonium autem non tollit, nec ponit personam in Statu ecclesiastico, vt dictum fuit. Verum quidem est, quòd Sorores huius generis omninò perdunt Priuilegia clericalia, quia illis conceduntur sub istâ qualitate voti cælibatus, ibi: *Expresso voto, & sub dicto habitu vitam ducentes*. Hæ duæ qualitates simul quandiu illis adhærent operantur in eis vsum Priuilegiorum, quibus si se, vel alterâ spolient, depositione Habitus, secularem accipiendo, vel contractione Matrimonij, ipso iure perdunt Priuilegia, quæ illis duabus qualitatibus inhærebant Personæ, quæ omninò fit laica, & secularis.

Ad tertium de exploratione Mulierum ingredientium clausuram, vt sint Moniales verum quidem est. Concilium loqui de illis, non de extra degere volentibus in proprijs domibus. Sed hinc nihil inferri potest contra Priuilegia harum Mulierum, & sic argumentum ineptum est, & inutile.

Ad quartam pariter conceditur totum, & quod illud votum nullam inducit obligationem monachalem, ergo hæ Mulieres non sunt Personæ ecclesiasticæ, non bene infertur, quia Clerici seculares non vouent, nec vllam habent obligationem monachalem, ergo non sunt Personæ ecclesiasticæ, vana est consequentia.

Ad quintum in cap. Indemnitatibus Solù disponitur, quòd Moniales nisi sint professæ nō eligant, nec eligātur nisi sint expressè professæ, quoniam autem in certis Prouincijs adsunt quædam mulieres, quæ nec proprijs renuntiant, nec Professionem emittunt regularem, ideo ad has Pontifex non extendit, quod dixit de Monialibus. Ergo ex his nihil inferri potest contra nostras Sorores, quæ non sunt de genere earum Mulierum; prætquam quòd in eo textu ne verbum quidem de Priuilegijs clericalibus.

40 Ad sextum dico, Bullam Pij V. incip. *Circa Pastoralis Officij* § 3. solùm disponere de Mulieribus Tertiarijs cuiuscunque Ordinis in communi viuentibus cum solemni voto, vel sine eo, eas scilicet cogendas esse ad Professionem, & Clausuram. De illis verò, quæ in proprijs domibus degunt, ne verbum quidem. Idem disponit Gregorius XIII. in sua incip. *De sacris Virginibus* 8. §. 6. Idem Gregorius in alia incip. *Ex benigna* 7. apud Confect. pro nobis facit, non pro Donato loco cit. par. 4. tract. 17. q. 3. num. 7. vbi dicit, eundem Pontificem innouasse omnia Priuilegia, & extendisse illa ad omnes Tertiarios, & Tertiarias etiam de Tertio ordine de Penitentia in Congregatione tamen viuentes, seu seorsim, disiunctim, & singillatim, prout clarè colligitur ex illis verbis; & ponit verba, quæ tamen non faciunt pro eius intentione interpretatione, sed contra ipsum expressè sunt, vt patet ex verbis Bullæ ab eo relatis hoc tenore.

Necnon Ordinibus Fratrum Minorum Regularis Obseruantiæ, & Sanctæ Claræ, ac Tertio de Pœnitentiâ nuncupatio etiam in Cōgregatione sub obedientiâ Fratrum Minorum de Obseruantia huiusmodi degentibus, Superioribus, Fratribus, Monialibus etiam Tertiarys nuncupatis, Sororibus: Personis, Monasterijs, Domibus, Ecclesijs, & locis præfatis, &c. In quibus verbis ab eo rescriptis, neque in tota Bullâ exprimuntur illa verba: *Seu seorsum, disiunctim, & singillatim* ab eo ibidem posita tanquam à dicta Bulla extracta, cum in eâ non legantur. Et certè illud aduerbium. *Etiam in Congregatione* includit nostras Tertiarias non solum in Congregatione viuentes, sed etiam sub voto viuentes in proprijs domibus, & ad has primò videtur Pontifex respexisse per illud verbum *Etiam* ampliatiuum exprimens casum minus dubitabilem, & implicans casum magis dubitabilem ex allatis à Barbosâ hac dict. 112. per totam.

Ad vltimum dico honoris causa illam decisionem intelligi quò ad Fæminas carentes voto, aliter decisio facta contra habentes votum

tum iniusta, & iniqua est, cum sit contra expressam dispositionem Concilij Lateranensis, habentem decretum irritans.

Adiungi potest responsio huic casui, an legatum relictum mulieri, quando Monacabitur possit dari mulieri Tertiariæ recipienti habitum alicuius approbatæ Religionis cum voto simplici castitatis ad formam huius Bullæ Leonis X.

41 ℞. Potest dari, immo dandum est Mulieri nominatæ licet non ingrediatur clausuram Monialium sub tribus votis solemnibus, sed maneat in seculo sumendo habitum religiosum à Superiore Ordinis, qui eius Castitatis votum recipiat, vt possit consequi legatum, & hoc alia ratione non probatur, nisi quia gaudet omnibus Priuilegijs eiusdem Ordinis, quibus gaudent Religiosi, & Moniales sub tribus votis dicti Ordinis, cuius habitum illa recepit, in hoc enim æquiparatur Monialibus sub tribus votis in clausurâ manentibus. Rem hanc latius probaui consil.46.Manuscripto, & cap.3.de Legatis quęst. 19. Idem cum alijs tradit ipse Donatus n.23.

42 Tertia pars, quòd Tertiarij Fratres, & Sorores cum claustralibus manentes gaudeant Priuilegijs, probatur ex eâdem Bullâ his verbis: *Collegialiter autem viuentes, seu cum Claustralibus habitantes, ac Mulieres virginalem, seu cælibem, aut castitatem vidualem expresso voto, & sub dicto habitu vitam ducentes, Priuilegijs quibus Fratres Ordinis, cuius Tertia Regula habitum gestant, gaudere debeant.* Modo autem nulli sunt collegialiter viuentes, sed omnes effecti sunt Religiosi sub tribus votis ad formam Constitutionis Pij V. quam citaui initio quęstionis, reliquum ergo intelligitur de habitantibus cum Religiosis sub tribus votis in conuentibus, & Monasterijs Tertiarijs viris. Clausula verò inserta intelligitur de Mulieribus huiusmodi, de quibus diximus in præcedenti secundâ parte, quæ immo locum etiam habere potest in alijs Sororibus, quæ manent intra claustra Monialium cum solo voto Castitatis, ne sint deterioris conditionis earum, quæ cum eodem voto manent extra clausuram.

Et ita de his Tertiarijs cum claustralibus habitantibus, quòd gaudeant Priuilegijs sui Ordinis, ac proinde sint exempti à foro criminali, ciuili, & à gabellis, & alijs oneribus tum personalibus, tum realibus, eâ ratione, tum quia sunt Personæ ecclesiasticæ ex probatis cap.1.num. 29. tum quia familiares Religiosorum gaudent eorum Priuilegijs maximè for *ex Abbate, & Socino Gratian. cap.* 413. *num.* 42. Docent in terminis istis *Gratian. cap.* 449. *num.*8. *Castrop. p.*2. *num.* 10. *Vers. Quinto Barb. Aleg.* 12. *num.* 41. *Bonac. in Bullâ disp.* 1. *q.* 16. *p.* 3. *num.* 17. *Dal Bene par.* 1. *cap.* 4. *dub.* 13. *num.* 12. *Vers. Quod adeo verum est.*

Quæres 10. An Tertiarij manentes extra claustra, sed propè, vel etiam remotè, vnus, vel duo, aut plures seruientes Monialibus mendicantibus gaudeant Priuilegijs clericalibus?

℞. Affirmatiuè, quia ex deputatione factâ per Superiores Monialium cum gestatione habitus aquirunt Priuilegia clericalia tam canonis, quam fori vtriusque & exemptionis à gabellis, & alijs oneribus; sunt enim Personæ ecclesiasticæ, vt dixi cap.1. num. 30. Familiares enim Religiosorum gaudent eorum priuilegijs, vt alijs citatis refert Gratian.cap. 413.num.42. Id autem deducitur *ex cap. Ecclesiarum seruis* 69. 12.*q* 2. *& ex cap. Nullus* 2. *de foro comp. iuncta gl. V. Minores.* Et ex Bullâ Leonis illis verbis: *Collegialiter autem viuentes, aut cum claustralibus habitantes.* Nam si tres sunt seruientes simul habitantes, cum faciant Collegium, *Bart. in l. Prætor ff. Vi bonor. rapt. ex l. Neratius* 85. *de Verbor. sign. ex Glos. V. Vbi Congregatio cap.* 1. 10. *q.* 1. *Barbosa cap.* 2. *de Canon. num.* 12. dicuntur viuere collegialiter, & sic gaudent Priuilegijs sui Ordinis: Immo & in sequentibus verbis: *Cum Claustralibus habitantes*, comprænduntur; habitant enim propè Monasterium, & victum, ac vestitum recipiunt à Monialibus, quibus inseruiunt, dum viuunt de eisdem eleemosynis. Ita docent *Bonac. in Bulla disp.* 1 *q.* 16. *p.* 3. *num.* 18. *Dal bene cap.* 4. *dub.* 21. *Morla in Emporio iuris part.* 1. *tit.* 2. *num.* 140. *ex eo Grassus Eff.* 1. *num.* 131. vbi subdit ex dicto Morla, id restringi ad Ecclesias in terris Pontificis; sed errat, quia Ecclesia vbique confert Priuilegia suis seruis, cum in toto orbe terrarum illis indigeat.

43

44

45

Quæres 11. An Eremita aquirat Priuilegia clericalia?

46 ℞. Affirmatiuè, si recepit habitum religiosum ab Episcopo, vel Superiore regulari, sub quorum obedientiâ respectiuè viuat in loco remoto à secularibus incumbens orationi, cum his enim requisitis est Persona ecclesiastica ex probatis cap. 1. à num. 31. ad 34. ergo gaudet Priuilegijs clericalibus. Ita docent *Bonac. in Bulla disp.* 1. *q.*16. *p.*3. *n.*18. *Vers. Ex quo*, *Grassus Effectu* 1. *num.* 102. *Castropal. p.*2. *num.* 10. *Dal Bene cap.* 4. *dub.* 13. *num.* 15.

Quæres 12. An ex malà promotione aquirantur, & simul perdantur Priuilegia clericalia? Refero prius quinque casus, in quibus ex malâ promotione Clericus non gaudet Priuilegijs clericalibus.

47 Primus ex cap. Ex antiquis 9. dist. 54. Vbi dicitur de seruis promotis sine consensu Domini, quòd sunt restituendi illis his verbis: *Exuti religioso priuilegio ad dominorum suorum possessiones iustâ debuerint admonitione compelli.*

compelli. Vbi quòd Sacerdos remanet in suo Ordine, cæteri restituuntur dominis suis. Per admonitionem ergo factam ab Episcopo compulsi, statim perdunt Priuilegia omnia, respectu ipsius domini, non aliorum, illa enim retinent, vt docet *Suar. disp. 51. de censur. sect. 3. num. 13. Campanilis in Diuers. iuris canon. Rubr. 11. cap. 8. num. 6. ex eis Barb. ad cap. 2. dist. 54. num. 3.* Etiam Priuilegium canonis perdunt, vt docent idem *Suar. cit. sect. 1. num. 48. Molina de iust. tract. 3. disp. 56. num. 2.* contra Angelicam *V. Seruitus num. 5. Sayr. lib. 6. cap. 14. num.*
48 *5. Glosam V. Ceciderit dist. cap. 2.* Si tamen in Sacris constituti offerant alium in seruitutem, sunt liberi, & Priuilegijs suis vtuntur quia sufficienter satisfactum est damno illato domino, vt colligitur excit. cap. 9. Ita *Suarez cit. sect. 3. Toletus lib. 1. cap. 59. num. 4. Miranda tom. 1. q. 17. art. 2. concl. 3. & ex eis Barb. ad cap. 11. dicta distinct. 54. num. 2.* Et ex his patet ad quæstionem, tertium malè promotum, hoc est, contradicente domino, aquisiuisse Priuilegia clericalia, ex quo illis exuendus est, carens enim non exuitur, sed habens.

49 Secundus casus est in Laico pro causâ criminali carcerato, cum fideiussione dimisso, qui si interim promoueatur recipit quidem caracterem validè ordinatus, aquirens proinde Priuilegia, sed illis ab Episcopo priuandus, & restituendus suo Iudici, quia non minus est seruus Iudicis reus iste, quam Seruus ordinatus contra voluntatem domini sui; sed is exuitur Priuilegijs, ex mox dictis, ergo, & reus existens in possessione Iudicis. Ita *Anna consil. 140. num. 11. Graffius Effectu 1. num. 114. ex illis Fagnanus ad cap. Magnus, de obligat. ad ratior. num. 87.* Infertur itaque ex hoc casu, reum hunc promotum licet malè aquisiuisse Priuilegia illis exuendum.

50 Tertius casus colligitur ex cap. 10. sess. 7. Tridentini, vbi promotus Sede vacante ad Ordines minores infra annum à die vacationis etiam cum literis dimissorijs, seu reuerendis Capitulorum Ecclesiarum, nisi fuerit Beneficio Ecclesiastico recepto, vel recipiendo coarctatus, *nullo Priuilegio clericali præsertim in criminalibus gaudeat.* Quamuis ea negatiua, *Nullo Priuilegio gaudeat* importaret aliter malè promotum non aquisiuisse Priuilegium fori criminalis, tamen res ita non se habet, cum enim illud verbum
51 *gaudeat* importet pœnam comminatoriam, vt docent *Nauar. conf. 28. de temp. ordin. Sanch. lib. 7. disp. 46. num. 18. ex illis Barb. ad cit. cap. 10. sess. 7. num. 22. Bonae. in Bulla disp. 1. q. 16. p. 3. num. 5. Vers. Respondeo primò,* non incurritur, nisi post sententiam; rinantem illum suis Priuilegijs, vel Priuilegio illo fori criminalis, ergo supponitur illum ea aquisiuisse in suâ promotione. Ergo, ex hoc capite mala promotio non impedit aquisitionem priuilegiorum.

Quartus casus ex cap. 10. sess. 23. vbi 52
promoti cum literis sui Superioris ab alio, quàm à suo Ordinario, siue Seculares, siue Regulares eodem Priuilegio fori criminalis non gaudeant. Ergo idem dicendum est, sicut de præcedenti.

Quintus casus habetur ex Bullâ Vrbani 53
VIII. incip. *Secretis 37.* his verbis sub §. 4. *Italos verò si quos in posterum clericali caractere insigniri, vel ad minores Ordines promoueri ab alieno Episcopo cum falsis dimissorijs, etiamsi qualitatibus per Concilij Tridentini decretum cap. 16. sess. 23. requisitis præditi sint, nihilominus, secutâ tamen prius desuper Iudicis ecclesiastici declaratione, fori Priuilegio minimè gaudere, sed seculari iurisdictioni, vt anteà, plenè in omnibus subiacere, & subiectos esse respectiuè volumus.* Ordinatus ergo cum falsis dimissorijs non gaudet, Priuilegio fori, secutâ tamen declaratione, ergo ante eam gaudet, quod signum est simul cum caractere recepisse hoc Priuilegium cum alijs. Ex his.

R. Ex quâuis mala promotione non impeditur aquisitio Priuilegiorum, quamuis 54
malè promotus non possit gaudere Priuilegio clericali, vt ex allatis casibus probatum fuit. Ratio est, quia Priuilegia clericalia sunt de iure diuino, quæ Deus confert Ordinato ad impressionem caracteris, ergo nullo impediri possunt defectu, & illicitâ promotione, cum Dei ordinationi nullus resistere possit. Vide dicta q. 3.

Quæres 13. An ex quâuis aliâ illicitâ promotione impediatur aquisitio Priuilegiorum?

R. Nulla alia illicita promotio impedit, nec priuat Priuilegijs aquisitis; neutrum enim aliquo iure exprimitur. Confirmatur, 55
quia si non impediuntur in prædictis casibus enumeratis in præcedenti quæstione, in quibus mortificantur, multò minus in alijs, in quibus nulla fit mentio de illorum impedimento, nec mortificatione. Hinc sequitur.

Primò, ordinatum, seu tonsuratum sine 56
literis dimissorijs non impediri à consecutione priuilegiorum clericalium. Ita *Marta de iurisd. p. 4. casu 149. num. 7. Bonae. in Bulla disp. 1. q. 16. p. 3. num. 5. Vers. Respondeo 2. Ricciuspart. 3. resol. 318. Barb. Alleg. 8. num. 19.* Quicquid dicat Diana *p. 3 tract. 1. resol. 62. & par. 4. tract. 1. resol. 26.* ordinatum sine dimissorijs minimè gaudere Priuilegio fori. Sed in hoc errat citando pro se Bullam Vrbani VIII. quæ, vt visum fuit supra sub num. 53. loquitur tantùm de promotis cum falsis literis, non autem sine literis, quia nullus inuenitur, qui velit ordinare sine literis, multi verò qui ordinant cum literis, quæ ab eis creduntur veræ, licet quandoque

 doque

doque sint falsæ, ibi: *Cum falsis literis*, hæc enim verba non includunt negationem dimissoriarum, sed præcisè earum falsitatem; & cum nullus ordinet quemquam sine literis, ideo Bulla Vrbani ad hunc casum non se extendit arg. l. Nam ad ea ff. de legib. quæ sc. rarò accidunt, lex non se extendit.

57 Secundò sequitur, simoniace ordinatum non impediri à consecutione Priuilegiorum, cum nullibi hæc pæna imponatur simoniacè ordinatis, licet multis alijs pænis onerentur, vt videre est in Exer. 2. de simon. in Bulla Pij V. incip. *Cum primum* 5. Sixti V. incip. *Sanctum* 91. & Clem. VIII. incip. *Romanum* 40. quas extendit Quaranta V. Ordo.

58 Tertiò sequitur, promotum ante legitimam ætatem, & extra tempora aquirere Priuilegia clericalia, cum validè sit ordinatus cum impressione caracteris, ad vtrunq; enim sequitur consecutio Priuilegiorum, cum nullo iure prohibeatur eorum aquisitio ex dictis defectibus. Ita *Diana part. 4. tract. 1. resol. 26. ex Squilantes cap. 7. dub. 3. num.* 29. Contra Bernardum Diaz, Rolandum, & Cassaneum, quos citat Pereira par. 2. de Manu Regia cap. 26. num. 18. Vasquez Alleg. 45. num. 20.

59 Quartò sequitur, ordinatum per saltum e.g. omissa tonsura, vel alio Ordine, aquirere Priuilegia, quæ non habebat defectu primæ tonsuræ nullibi enim inuenitur prohibita huiusmodi aquisitio Priuilegiorum. *Diana p. 9. tract. 4 resol. 5. Vers. Nota etiam* dicit, aquirere Priuilegium Canonis. Dictu, & Priuilegium fori, quia omnia simul aquiruntur, nam Pontificale inquit; *Hodie de foro Ecclesiæ facti estis, & priuilegia clericalia sortiti estis.* Ergo omnia, neq; enim potest esse de foro seculari, qui est de foro Ecclesiæ.

60 Quintò spurius, & homicida, licet non possint vti irregulares licitè promoueri ad Ordines, tamen promoti valide ordinantur, consequenter aquirunt priuilegia clericalia etiam in tonsuratione, vt docet *Alex. lib. 6. cons. 149. initio Roland. à Valle cons. 4. num. 19. & seq. ex illis Fagnnanus par. 2. ad cap. Magnus de obligat. ad ratioc. num. 75.*

61 Sexto, fugiens è carcere, si tonsuretur, cum recipiat caracterem valida existente promotione, consequenter etiam priuilegia, cum horum aquisitio nullibi prohibeatur. Nec dicas hunc comparari seruo, quia id falsum est, nam seruus caret libertate; fuga autem à carcere est species libertatis, *l. Quis sit fugitiuus 17. §. Idem ... ff. de ædil. edict.*

62 Septimo, in exilium missus à Iudice seculari, si nondum finito tempore exilij promoueatur ad primam tonsuram aquirit Priuilegia clericalia, cum eam validè receperit licet illicitè; nec obstat, quod sit seruus pænæ, quia hæc impedit solùm licitam promotionem, non validam tonsurationem cum aquisitione caracteris, & Priuilegiorum.

Octauò, laicus bigamus promotus, licet prohibeatur, tamen validè ordinatur cum caractere, & Priuilegijs, cum nullibi id prohibeatur, licet Clericus bigamus ea perdat ex cap. Vn. de bigamis in 6. vt infra latius dicam suo loco. 63

Nonò censuratus, hoc est excommunicatus, vel suspensus, aut interdictus, si promoueatur, aquirit Priuilegia Clericalia, quia censura non impedit illorum aquisitionem, cum talis effectus illis non tribuatur à iure aliquo. *Diana par. 4. tract. 1. resol. 26. fine.* 64

CAPVT QVINTVM.

De Priuilegio fori Clericorum Beneficiatorum.

1 *Decretum Tridentini Cap 6. Sess. 23. extenditur.*
2 *Beneficium Ecclesiasticum definitur, & declaratur.*
3 *Nullus illud obtinere potest nisi saltem tonsuratus sit expletis 13. annis.*
4 *Beneficium ex parte iuris quid spirituale est ex parte fundi corporale.*
5 *Perpetuitas est de essentia, & intrinseca ratione beneficij.*
6 *Res Deo, & Ecclesia dicata non potest conuerti in prophanos vsus.*
7 *Perpetuitas intrinseca oritur ex perpetuitate Officij ex recenti & ex institutione.*
8 *Perpetuitas ex parte Collationis non est intrinseca beneficia.*
9 *Beneficium Papa potest conferre ad nutum, & ad tempus.*
10 *Priuilegium fori importat exemptionem personæ, & bonorum à laica potestate.*
11 *Forus laicus, & ecclesiasticus omnino sunt diuersi.*
12 *Sola Collatio sufficit ad gaudendum priuilegia.*
13 *Contra nonnullos requirentes etiam possessionem.*
14 Habere *importat dominium, & proprietatem.*
15 *Renuntians perdit prima* Collationem, *postea possessionem.*
16 *Possessio sufficit, licet titulus fuerit nullus.*
17 *Sufficit beneficium, licet ex eo fructus non percipiantur.*
18 *Etiam litigiosum.*
19 *Resignans, non amplius gaudet, nisi sibi reseruauerit possessionem.*
20 *quodcunq; beneficium sufficit.*
21 *Manuale, & non manuale beneficium quid sit.*
22 *In dubio censetur nõ manuale, & perpetuũ.*

23

Digitized by Google

23 *Manuale beneficium conseruat Beneficiato priuilegium fori.*
24 *Capellania alia ecclesiastica, alia laicalis.*
25 *Illa conseruat priuilegium fori cum sit Beneficium.*
26 *Coadiutoria est ius seruiendi coadiuto non valenti ministrare in Ecclesia.*
27 *Coadiutor non gaudet priuilegio fori. Contrarium tenent alij.*
28 *Commendatarius gaudet priuilegio fori.*
29 *Præstimonium beneficium ecclesiasticum est ius percipiendi certam portionem ex beneficio alieno extractam, & datur in titulum pro subsidio studij.*
30 *Gaudet illo Priuilegio fori.*
31 *Pensio est ius exigendi fructus ex alieno beneficio, sine titulo.*
32 *Pensionarius non gaudet.*
33 *Contra nonnullos.*
34 *Tridentinum in hoc capite continet magis de odio, quam de fauore.*
35 *Beneficia ante Tridentinum dabantur post septennium.*
36 *Nunc post 13. cœpto 14. tantum.*
37 *Pensiones exprimuntur in Bullis, vt beneficiarius se obliget pensionario.*
38 *Beneficiarius gaudet priuilegio fori, licet non seruet alia tria requisita.*
39 *Homicida in sex casibus perdit beneficium ipso iure.*
40 *Et in casu, quo non gestat vestem talarem, & tonsuram ex Bulla Sixti V.*
41 *Præfata pœna ipso iure incursa non exequuntur, nisi per sententiam declaratoriam.*
42 *Pœna enim priuationis requirit sententiam hominis declaratoriam delicti.*

DE PRIVILEGIO FORI CLERICORVM BENEFICIATORVM.

QVamuis, vt visum fuit præcedenti 4. capite promoti ad clericatum, acquirant priuilegia clericalia, vt tamen illis vti, & gaudere possint, loquendo de priuilegijs fori criminalis, & ciuilis, atq. rerum suarum, sunt necessariæ aliquæ conditiones, quę recensentur in cap. 6. sess. Tridentini 23. pro tonsuratis, & constitutis tantum in ordinibus minoribus, non autem pro initiatis sacris ordinibus, vt patet ex sequenti Decreto eiusdem Concilij huius tenoris.

1 *Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere. Is etiam fori priuilegio non gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat; aut clericalem habitum, & tonsuram deferens alicui Ecclesia ex mandato Episcopi inseruiat; vel in seminario clericorum, aut in aliqua Schola, vel vniuersitate de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores ordines suscipiendos versetur. In clericis vero coniugatis seruetur constitutio Bonifacij VIII. quæ incipit: Clerici, qui cum vnicis; modo hi clerici alicuius ecclesia seruitio; vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem ecclesia deseruiant, vel ministrent, & clericali habitu, & tonsura vtantur. Nemini quo ad hoc priuilegio, vel consuetudine etiam immemorabili suffragante.*

In hoc capite, vt procedamus clariori modo, agendum est tantum de priuilegio fori respectu beneficiati clerici, pro cuius intelligentia præmittenda sunt duo, Primo quid sit beneficium? Secundo quid importet Priuilegium fori.

2 Beneficium autem ecclesiasticum est ius perpetuum recipiendi per Clericum fructus ex bonis immobilibus frugiferis Ecclesiæ ratione spiritualis officij, authoritate ecclesiastica. Ex hac definitione, quæ à nullo negari debet in re, quatuor colligo esse de ratione beneficij. *Primo*, quòd sit ius perpetuum annuos fructus percipiendi ex re frugifera immobili sub dominio Ecclesiæ existenti, ipsa enim est domina proprietaria bonorum suorum, vt probaui cap. 3. num. 19. *Secundo*, quòd sit institutum auctoritate ecclesiastica, laicorum enim id munus non est, cum non possint rem profanam spiritualizare & facere ecclesiasticam, dum nullam habent potestatem spiritualem fori ecclesiastici. *Tertio*, datur cum onere recitandi diuinum officium, & administrandi sacramenta fidelibus, & alia munera ecclesiastica exercendi, & precipue celebrandi missam, & alia diuina Officia, iuxta conditiones, obligationes, & onera, quæ imponuntur beneficiarijs in fundatione beneficiorum, *Quarto*, solis clericis conferuntur, in quibus duo ex necessitate requiruntur ex dicto capite Tridentini, & quòd Clericus ad minus sit tonsuratus, & quòd expleuerit annum ætatis suæ decimum tertium. Hæc autem collatio fit vel à Papa, vel ab Episcopo, vel ab alio Prælato etiam regulari, iuxta conditiones in fundatione appositas. 3

4 Alia duo præterea consideranda sunt, vnum, quod hoc Ius Beneficiorum est spirituale, & incorporale ex annexione diuini Officij, quod beneficiatus præstare debet ex cap. fin. de rescr. in 6. adhærentia enim spiritualibus sunt spiritualia *arg. l. Quæ religiosis 43. de Vsur.* & quia etiam per institutionem potestatis ecclesiasticæ spiritualizatur. Ipsa verò res immobilis corporalis, & frugifera cum suis fructibus remanet corporalis, & profana in se, cum ordine tamen ad spiritualitatem ipsius iuris, respectu cuius dicitur esse de foro Ecclesiæ. Dantur autem annui fructus Clerico beneficiato, quorũ est dominus, vt probaui c. 3. n. 26. propter ministeriũ, quod facit Ecclesiæ, quia qui Altari seruit de Altari viuere debet, ex 1. Corinth. 9. 13.

5 Alterum Beneficio essentiale, est perpetuitas cum enim fundetur super re immobili frugiferâ, quæ in se perpetuò manet, auctoritate ecclesiasticâ res Deo oblata, & Ecclesiæ, acceptatur ab eius Ministris, & transit sub Patrimonio Christi, *ex probatis cap. 3. num. 13. & 14.* ideo cum illa perpetuò sit dedicata, non potest in profanos vsus conuerti,
6 *cap. Ecclesia 9. de immun. Eccles. Reg. 51. in 6.* ac proinde perpetuò manet sub Iure Be-
7 neficij. Et hæc perpetuitas oritur quoque ex Officio per ministros exercēdo in Ecclesiâ, cum enim detur illud, *ex. cit. cap. fin. de rescr. in 6.* necesse est, quòd Beneficium sit tale, quale exigit eius Officium; sed Officium in Ecclesiâ militante perpetuò exercendum est donec ea vniatur cum triumphante, ergo & Beneficium debet institui perpetuum, vt eius Ministri sibi inuicem succedentes ex eius fructibus sustentari possint.
8 Huiusmodi autem perpetuitas in Beneficijs spectari potest dupliciter. *Primò* respectu institutionis, in quo semper sensu est in illis, iuxta mox probata. *Secundò* respectu ipsius Clerici beneficiati, cui confertur perpetuò. i. dum vixerit. Hæc perpetuitas respectu Clerici cessat, quando ex aliquo suo defectu meretur priuari, in quo casu priuatus dicitur mortuus. Illa verò semper durat, cum sit essentialis, & intrinseca Beneficio, posterior verò non, cum sit accidentalis; quare Papa pro suo arbitrio potest conferre Beneficium ad nutum suum alicui, & auferre etiam in tali casu sine cau-
9 sâ, *Glos. V. Perpetui cap Vn. de capell. in 6. cap. Si gratiosè 5. de rescr. in 6. Glos. V. A Romano.* Vide Castropal. disp. 1. de Benefic. p. 5. Et ex his tolluntur variæ altercationes super perpetuitate Beneficiorum.
10 Priuilegium Fori, de quo in hoc Tridentini capite, importat exemptionem non solùm Personæ quò ad casus criminales, & ciuiles, quòd Clericus non possit iudicari in Personâ, nec in bonis suæ Ecclesiæ, nec in bonis suis proprijs condemnari nec criminaliter, nec ciuiliter; sed etiam quò ad grauamina, & impositiones onerum, & gabellarum per ministros seculares. Id ergo important illa verba *Fori priuilegio non gaudeat.* Sine enim actione Fori ea fieri non possunt, esse enim de Foro alterius, & ei subijci, sunt idem, Clerici autem omnes sunt de Foro Ecclesiæ, ergo exempti à foro seculari, non enim coeuntur hi duo Fori. Et ita docent
11 *Suarez lib. 4. in Defens. fidei cap. 27. num. 14. Layman. lib. 4. tract. 9. cap. 7. num. 3. Castropal. p. 9. de Reuer. num. 13. Barb. ad cap. Aduersus 7. de Immun. num. 7. Dal Bene part. 1. cap. 1. dub. 5. sect. 5.* referens opiniones. Est communis contra aliquos apud Dianam *par. 1. tract. 2. resol. 36.* vbi refert decisum contrarium à S. Congr. Non placet, quia Clericus esset fauorabilior quò ad bona, quam quò ad Personam, quod est absurdum. Sed accedamus ad quæstiones.

Quæres 1. An habens solum titulum Beneficij, hoc est, collationem sine eius possessione gaudeat Priuilegio Fori?

℞. Sufficit sola Beneficij collatio facta à legitimo Superiore, per eam enim dicitur habere Beneficium, iuxta verba Tridentini: 12
Nisi Beneficium ecclesiasticum habeat, ante enim collationem habet ius ad rem, post verò ius in re, *cap. Quamuis. fine de concess. prabend. Glos. ibidem in fine casus. Habere* 13
enim propriè importat proprietatem, & dominium, non possessionem, *l. Habere 188. ff. de verb. signif. Mar. Anton. lib. 3. resol. 48. num. 12. Vers. Primo.* Et ita docent *Paris. lib. 7. de resignat. q. 1. num. 47. Couar. lib. 3. Variar. cap. 16 initio. Bonac. in Bulla disp. 1. q. 16. sect. 1. p. 6. num. 24. Fagnan. par. 3. ad cap. Si quis, de foro comp. num. 30. Castropal. p. 5. num 5 Barbosa in cap. 6. sess. 23. num. 12. Dal Bene par. 1. cap. 4. dub. 5.* Requirentes, quod collatio sit valida.

Contrarium, quòd non sufficiat collatio quamuis valida, sed necessaria sit possessio collati Beneficij, aliter ex hoc capite non gaudeat Priuilegio Fori docent *Clarus q. 36. Vers. Hoc autem, Menoch. cons 350. num. 6. Mascard. concl. 302. num. 16. & 17. Farinac. q 8. num. 70.* Asserentes non solùm teneri probare vnum, sed etiam alterum, scilicet collationem, & possessionem Beneficij, si vult se eximere à potestate seculari. Probatur *Primò*, quia absq; possessione ius tituli ex collatione non est firmum, dum per possessionem corroboratur, ex Parisio cit. num. 101. *Secundò*, quia si solus titulus sufficeret ad hoc Priuilegium, competeret eodem tempore possidenti, & instituto, quod est absurdum, cum possessio postponatur titulo. 14

Ad primum argumentum respondeo, titulus legitimè collatus est firmissimus, ità quòd possessio firmatur per titulum, quem possessor si turbatur tenetur ostendere ad sibi firmandam possessionem, *Glos. V. Obtineri Reg. 1. in 6.* vnde possessio facilius perditur, quam titulus, *ex allegatis ab eodem Parisio lib. 1. q. 5. num. 18.*

Ad secundum respondeo non sequi, quia clarum est collationem præcedere possessionem. In casu autem resignationis renuntians perdit primò collationem, secundò possessionem, resignatarius primò acquirit collatum Beneficium, subsequenter eius possessionem, & hoc procedit in resignatione, in vacatione nullus dicitur possidere. 15

Hinc à fortiori sequitur solam actionem sine intitulatione non sufficere, quia nullo modo Clericus dicitur habere Beneficium, *Riccius par. 3. resol. 319.*

Quæ-

Quæres 2. An sola possessio sufficiat, quando titulus, & collatio fuit nulla, eo quòd e. g. Beneficium collatum fuit irregulari, illegitimo, &c.

℞. Sufficit, quia dicitur habere Benefi-
16 cium, qui illud possidet, neq; enim nos distinguere debemus, vbi lex non distinguit, sed sequi factum, quod ipsa lex indicat, cum enim possessio sit quid facti ea probata, defendit Clericum, ne subijciatur, Iudici seculari. Ita decisum fuit in Magna Curia Vicar. Neapolit. *Franc. dec. 183. Thorres in Compend. decis. Neapol. V. Clericus. Dal Bene par. 1. cap. 4. dub. 6. Grassus Eff. 1. num. 340. & 1194. Barbosa in hoc cap. 6. sess. 13. num. 13.* Stante ergo nullitate collationis, post priuationem Beneficij, in futurum perdit Priuilegium Fori, nisi habeat alia requisita in hoc capite expressa.

Quæres 3. Quid si ex Beneficio nullos percipiat fructus numquid gaudet Priuilegio Fori.

℞. Affirmatiuè, quia reuerà habet Bene-
17 ficium, licet aliquos non percipiat fructus, nam perceptio illorum non est de intrinsecâ ratione Beneficij, quod consistit in iure percipiendi fructus, non in exercitio, & perceptione illorum. Ita Barbosa *Alleg. 12. nu. 7. Riccius par. 3. resol. 312. Castropal p. 2. num. 3. Dal Bene par. 1. cap. 4. dub. 5. fine,* referens S. Congr. respondisse 18. Martij 1618. quod promotus ad Ordines cum collatione Beneficij reditus duorum scutorum annuorum Priuilegio Fori gaudet.

Quæres 4. An habens Beneficium litigiosum gaudeat Priuilegio Fori?

18 ℞. Affirmatiuè, quia qualitas litigiosi illi adueniens non destruit naturam, & essentiam Beneficij, sed imo illius existentiam probat, & tantùm perturbat titulum, & possessionem eius, ergo cum adhuc dicatur habere Beneficium gaudet Priuilegio Fori.

Quæres 5. An qui resignauit Beneficium gaudeat Priuilegio Fori.

℞. Non gaudet, quia per resignationem
19 perdidit omne Ius, quod in Beneficio habebat, *Paris. vol. 4. consil. 143. num. 19. Crauetta cons. 341. num.* 3. quos & alios citat *Riccius par. 3. resol. 308. num.* 1. qui ita sentit in hac quæstione. Addo ego, prosequi gaudimentum Priuilegij Fori, si sibi reseruauit possessionem vsq; ad collationem faciendam à Prælato resignatario, vsq; enim ad illud tempus dicitur habere possessionem, & eam sibi retinere, *ex Parisio lib. 1. q. 5. num. 37.* quam perdit per actualem collationem factam resignatario. Renuntiatio autem suum sortitur effectum, quando acceptata fuit à superiore, & non ante, vt docet idem Paris. cit. num. 24.

Quæres 6. Quale debeat esse Beneficium, vt Clericus dicatur gaudere Priuilegio Fori?

Nam multiplex est, aliud est Curatum, habens scilicet adiunctum curam animarum; aliud Simplex carens curâ animarum; aliud Iuspatronatus nuncupatus.

℞. Quodcunq; Beneficium ecclesiasticum ex illis sufficit ad vsum Priuilegij Fori ad tex- 20
tum Concilij, quod sicut non distinguit inter Beneficia, ita & veniunt sub nomine Beneficij.

Quæres 7. An habens manuale Beneficium gaudeat Priuilegio Fori?

Beneficium manuale est illud, quod con- 21
fertur ad tempus, & tolli potest ex alijs causis, quàm à iure expressis. Non manuale verò, quod simpliciter perpetuò confertur, non auferibile nisi ex causis in iure expressis, Ita. *Glos. V. Electione in Clem. Et si principalis, de rescr. & Clem. Quia regulares, de supplend. negl. Prælat. Castropal. de benef.*
disp. 1. p. 2. num. 4. In dubio censendum est 22
perpetuum, non Manuale, quia perpetuitas est qualitas Beneficij propria ex parte collationis.

℞. Gaudet, quia Beneficium manuale est propriè, & verè Beneficium, non enim 23
caret perpetuitate intrinsecâ, iuxta dicta sub num. 5. & 7.

Dices, multi cum Castropal. cit. num. 7. Riccio par. 4. dec. 204. num. 9. tenent, Manuale esse impropriè Beneficium, cum perpetuò non conferatur.

Primò Fagnanus *in cap. Ad audientiam de Rescrip. sub num* 117. 118. & 120. Manuale propriè venire sub nomine *Beneficij* in fauorabilibus, non in odiosis, sed textus Tridentini est fauorabilis, ergo comprehendit etiam Beneficium Manuale. Secundò, illa temporaneitas ex parte conferentis ad tempus, & ad nutum suum non est qualitas intrinseca, & essentialis, sicut perpetuitas ex parte institutionis, iuxta dicta sub num. 5. ergo ea manualitas non reddit Beneficium impropriè tale, sed relinquit illud simpliciter tale, dum remanet adhuc cum sua perpetuitate intrinsecâ.

Quæres 8. An habens Capellaniam gaudeat Priuilegio Fori?

Duplex est Capellania; vna ecclesiastica, 24
quæ confertur ab Episcopo, vel alio Prælato in titulum; altera dicitur laicalis instituta à testatore, vel ab alio mandante pro se celebrari missas, & alia diuina Officia cum facultate suis hæredibus eligendi Capellanum, qui celebret. Illa dicitur collatiua, Hæc electiua. *Suarez lib. 4. de Horis Canon. cap. 22. num.* 11. Vbi dicitur illa prior verum Beneficium cum obligatione recitandi Horas Canonicas. De vtraq; *Rota par. 2. dec. 254. par. 4. tom. 1. dec. 571. n. 1. tom. 3. dec. 637. n. 2. & 3.* In quibus locis prior Capellania dicitur Beneficiũ cum sit fundata auctoritate Episcopi illis *Castropal. de benef. disp. 1 p. 6. per totum.*

℞. Cæ-

Digitized by Google

25 ℞. Capellaniam habens collatiuam primi generis gaudet Priuilegio fori, est enim verè, & propriè Beneficium, de quo loquitur textus Concilij. Ita docent *Riccius par. 2. dec. 190 num. 10. Barbosa hic ad Trident. num. 16. & Allegat. 12. num. 9. Castropal. de Reuer. p. 2. num. 3.* Capellanus verò electus ab hæredibus testatoris ex hoc capite non gaudet Priuilegio Fori, quia non dicitur habere Beneficium.

26 Quæres 9. An habens Coadiutoriam gaudeat Priuilegio fori.

Coadiutoria est ius seruiendi coadiutoria non valenti ministrare in Ecclesia, ideo illi datur Coadiutor. Duplex est, Perpetua, & ad tempus. Illa cum futurâ successione à solo Papa datur. Coadiutoria autem non est propriè Beneficium, cum Clericus coadiutor habeat solùm merum exercitium seruiendi carens titulo, & Possessione Beneficij, quæ sunt tantùm apud Coadiutum. *Rota par. 4. tom. 1. dec. 410 num. 5.* Quod autem non sit propriè Beneficium de communi Doctores refert Barbosa *lib. 3. cap. 10. num. 50. de iure.*

27 ℞. Non gaudere, quia nec titulum, nec possessionem Beneficij habet, ergo nec Beneficium. Quicquid dicant in contrarium *Nicolaus Garz. de Benef. par. 2. cap. 5. num. 98. Sebast. Cæsar de Eccles. Hierarch disp. 14. § 9. num. 8. Squilans. de Priuileg. Cler. cap. 7. num. 11. Torrell. lib. 15. de Magia cap. 6. num 7. ex illis Barb. Allegat. 12. num. 9. & hic in Trident. num. 17. & Castropal. p. 2. num. 3.* ea ratione, quia illa Coadiutoria habet adnexum obsequium spirituale, quod perpetuum Beneficium vocari potest saltem ad hunc effectum gaudendi Priuilegio fori. Quæ vt insufficiens reijcitur, cum Tridentinum requirat consecutionem Beneficij, non obsequium sine Beneficio, neque enim obsequium facit Clericum beneficiatium.

Quæres 10. An habens Beneficium in commendam gaudeat Priuilegio fori?

28 ℞. Affirmatiuè, quia habens Beneficium in commendam dicitur reuerà Beneficium habere, quia commenda est titulus, *cap. Qui plures 3. 21. q. 1. cap. Dudum 54. de elect.* In quibus locis dicitur, quod quis potest habere plura Beneficia, vnum in titulum, alterum in commendam, vide ibi Glos. V. intitulatam. Et ita tenet *Riccius par. 3. resol. 311. per totam.*

Quæres 11. An habens Præstimonium gaudeat Priuilegio fori?

29 Præstimonium autem, de quo vsus viget in Hispania, est Beneficium ecclesiasticum quod potestate ecclesiastica confertur Clerico in subsidium, vt commodius studere possit. Definitur autem in titulum, & propter officium, quia sic præstimoniati tenentur recitare Horas Canonicas, *ex Nauar. cap. 21. de orat. num. 9. Soto lib. 10. de iust. q. 5. art. 3. Suar. lib. 4. de Horis cap. 22. num. 8.* His positis.

℞. Gaudere, quia reuerà dicitur habere Beneficium ecclesiasticum est enim Præstimonium verè Beneficium, ex allatis à *Barb. lib. 3. de iure cap. 4. num. 64. & cap. 8. num. 14.* Ita docent idem *Barb. ex Alleg. 12. num. 11. Gonzal. ad Reg. 8. Cancell Glos. 15. §. 2. num. 10. Castropal. p. 2. num. 3.* De præstimoniis vti Beneficijs fit mentio *in cap. fin. de conceß. præbend. in 6.* in Tridentino *seß. 14. cap. 9. & seß. 23. cap. 18.* 30

Quæres 12 An habens Pensionem gaudeat Priuilegio fori? Pensio est ius exigendi certos fructus ex alieno Beneficio. Differt à Præstimonio, quod datur in titulum cum obligatione ad Horas Canonicas, neutrum reperitur in Pensione, quæ etiam non habet rationem perpetuitatis ex parte suæ institutionis, cum extinguatur morte pensionarij, Beneficium autem perpetuò durat, & ex naturâ suâ transit à personâ ad personam, quod non inuenitur in Pensione. 31

℞. Non gaudere, quia vt patet ex mox dictis Pensio non est Beneficium. Et ita docent *Paris. lib. 1. de Resign. q. 10. num. 70. fine*, ex S. Congr. 19. Iunij 1586. *Graffus Effectu 1. num. 1199. Garz. de benef. par. 1. cap. 5. num. 70. Riccius par. 2. dec. 71. num. 11. & dec. 192. num. 10.* 32

Contrarium, quod Pensionarij gaudeant Priuilegio Fori docent *Barb. Alleg. 12. num. 8. Castropal. p. 2. num. 4. Del Bene par. 2. cap. 4. dub. 4. Pignatus ad cap. Ad Audientiam de Rescr. num. 131. ad cap. Cum in cunctis, de elect. num. 103.* Probant *Primò*, quia in fauorabilibus Pensio venit sub nomine Beneficij. *Secundò*, quia data in titulum dici potest ius perpetuum percipiendi fructus, siquidem non finitur durante vita, quæ autem pro tota vita conceduntur, perpetua sunt. *Tertiò*, quia rationes adductæ à parte contraria probant Pensionem sub nomine *Beneficij* non comprehendi in odiosis, vtique in fauorabilibus, vt est casus præsens de Priuilegio Fori. Hos quoque Sperellus sequitur dec. 66. à num. 34. ad 38. *Quartò* ita respondit Sacra Congregatio immo ipse Pontifex die 18. Decembris anno 1576. nimirum Clericum Primæ Tonsuræ in habitu incedentem, Pensionem, non Beneficium, habentem, nec Ecclesiæ Seruientem gaudere Priuilegio Fori ad instar obtinentis Beneficium. His tamen non obstantibus. 33

Persistendum est in priori opinione, quia Pensio Beneficium non est. Tum quia ius percipiendi fructus ex alieno Beneficio extinguitur scilicet Pensio morte Pensionarij; morte verò Beneficiati non extinguitur Beneficium, cum ex parte sua sit perpetuum. Tum quia Beneficio adnexa est obligatio recitandi Horas

Horas Canonicas, non Pensionibus. Tum quia Pensio oritur ex Beneficio, ergo non habet rationem Beneficij, quod ex alio non nascitur. Tum quia pensio ex sua natura non intitulatur, sicut Beneficium.

Ad primum argumentum respondetur, esto nomine *Beneficij* veniat Pensio, in fauorabilibus, nihilominus in Tridentino nomen *Beneficij* sumitur eodem modo secundo loco, sicut primo; in primo autem loco sumitur
34 præcisè, propriè, & strictè, vt omnes concedunt, ergo, & secundo loco, probatur quia vtraque dispositio habet magis de odio, quam de fauorabili, nam nullus Clericus sicut non potest habere Beneficium nisi post decimum quartum annum ætatis, ita neque gaudere Priuilegio Fori nisi habeat Beneficium, vel, &c. vtraque ergo dispositio refert odium, si enim non extarent hæc duo decreta Tridentini certè Clerici inferio-
35 ris ætatis possent habere Beneficia post septennium de iure communi, ex allatis à Barb. ad cap. 2. de Ætate num. 4. quod Tridentinum reduxit ad annum decimum quartum, ante quem nullus Clericus potest Beneficium obtinere, sufficit autem attingere dictum
36 14. annum, vt decisum refert idem Barbosa cit. num. 5. Et sic tollitur ratio D. Fagnani differentialis.

Ad secundum dico perpetuitatem Beneficij non referri ad personam, sed ad naturam ipsius Beneficij, quod mortuo Beneficiario adhuc viget, & confertur alteri, de quâ perpetuitate dixi supra num. 5. Castropal. autem loquitur de perpetuitate ex parte Beneficiati, quod est extra rem, quia Pensio extinguitur morte Pensionarij, non verò Beneficium morte Beneficiati, quod alteri confertur.

Ad tertium patet ex dictis in responsione ad primum, vtramq; dispositionem Tridentini, in quibus fundantur nostræ rationes habere magis de odio, quam de fauore, ideo cum supponatur falsum in eo argumento, nihil probatur.

Ad quartum cum producantur responsiones contrariæ, argumentum nihil probat, quia vna responsio alteram perturbat.

Prosper Fagnanus locis citatis producit duas rationes ad probandum, quòd Pensionarius gaudet Priuilegio Fori. *Primò*, quia Cancellaria habet Pensionarium pro Beneficiato, ideo vult exprimi in Bullis Pensiones, sicut Beneficia. *Secundò* quia Pius V. Bullâ suâ coegit Pensionarios ad dicendum Officium saltem B. Mariæ paruum, ergo pensio Beneficium est.

37 Ad primam dico, Regulam Cancell. 44. velle, vt exprimantur Pensiones, quia non expediuntur literæ Beneficiorum resignatorum, nisi de consensu illius, qui Pensionem soluere debet, vt securus sit Pensionarius.

Ad secundum, ex eo quòd pensionarius obligatur recitare Officium B. V. non infertur, quòd pensio sit Beneficium, quia multi Sacris constituti tenentur ad Horas Canonicas, quod onus maius est, & tamen plerique carent Beneficio. Deinde obligatio non constituit Beneficium, sed ad hoc iam constitutum sequitur, ergo pensioni non potest tribuere rationem Beneficij.

Quæres 13. An Beneficiarius ad gaudendum Priuilegio Fori debeat esse munitus tribus requisitis in hoc capite Tridentini expressis, hoc est, gestare habitum clericalem, tonsuram, & seruire Ecclesiæ?

℞. Nagatiuè, quia particula *seu* in textu Tridentini vti disiunctiua sequentia requisita mox dicta separat à Beneficiatis, postulans illa in clericis minoribus ad effectum gaudendi Priuilegio Fori ad formam Tridentini. Est communis *apud. Barb. hic num. 11.* vbi ad hoc recenset triginta Doctores, *& Alleg. 12. num. 6.* Sequitur Riccius *par. 3. resol. 350. & par. 4. dec. 357.* 38

Quæres 14. An ipso iure priuatus Beneficio perdat etiam Priuilegium Fori? e. g. homicida in sex casibus, scilicet, ex Abortu, ex Assassinio, ex parricidio, ex Cardinalicidio, ex Episcopicidio, & ex Prælaticidio, & ex odio S. Officij, quos referunt *Castropal. de Benef par. 8. disp. 6. Thesaurus Iesuita de Pœnis V. Homicidium cap. 1.* Ex Bullâ quoque Sixti V. incip. *Cum Sacrosanctum 92.* Contra quoscunque Beneficiatos, & Pensionarios, qui non deferentes vestem talarem, & tonsuram incurrunt ipso iure eorum priuationem. De qua Fagnan. agit *par. 3. ad cap. Si quis, de foro comp. Barb Allegat. 9. num. 16. Sperellus dec. 66. à num 27.* 39 40

℞. In neutram pœnam Clericus Beneficiatus incurrit nisi per Sententiam declaratoriam facti, quod scilicet commisit tale homicidium, vt supra, qualificatum, quòd non gestauit vestem talarem, nec tonsuram. Ratio est, quia lex inferens ipso iure pœnam priuationis, ad eius tamen executionem vlterius requiritur Sententia declaratoria, quòd tale delictum commiserit, propter quòd incurritur pœna priuationis ipso iure, communis ergo sententia est, quod pœna non incurritur executiuè, nisi per Sententiam declaratoriam delicti, incurri ferendam in causis ecclesiasticis per Iudicem ecclesiasticum. Ita docent communiter Doctores, quos citat Barb. *ad cap. Cum secundum, de hæret in 6. num. 8.* In terminis Bullæ Sixti V. respondit S. Congreg. 6. Octobris 1612. Clericum Beneficio ipso iure priuatum non perdere Priuilegium Fori, nisi per Sententiam facti declaratoriam à Iudice ecclesiastico ferendam ipso Clerico citato, referente dicto Fagnano *num. 5. Sperell. dec. 66. à num. 20.* Idem Fagnan. num. 26. dicit, non requiri, quòd 41 42

Cleri-

Clericus beneficiatus seruiat Ecclesiæ, Bulla enim Sixti requirit tantùm vestem talarem, & tonsuram, nullâ mentione factâ de seruitio Ecclesiæ præstando. Itaque Priuilegium Fori à beneficiatis perditur non defectu habitus, & tonsuræ, sed respectu priuationis Beneficij positâ declaratione huiusmodi defectus.

CAPVT SEXTVM.

De Priuilegio Fori Clericorum non Beneficiatorum.

1 *Tria requiruntur in eo ad gaudendum Priuilegio Fori, habitus, tonsura, & seruitium Ecclesiæ.*
2 *Decretum Tridentini in omnibus suis partibus est odiosum.*
3 *Lex est odiosa imponens grauamen.*
4 *Olim post septennium Clericus erat capax Beneficij simplicis.*
5 *Ante Tridentinum Clericus gaudebat Priuilegio Fori gestans habitum, vel tonsuram.*
6 *Tria illa copulatiuè sunt necessaria ad vsum Priuilegij Fori.*
7 *Copulatiua requirit concursum copulatorum.*
8 Nisi *importat formam.*
9 *Tonsura est magnæ solemnitatis.*
10 *Tonsuratus tenetur seruire Ecclesiæ, si vult gaudere Priuilegio Fori.*
11 *Decretum loquitur de Clerico cuiuslibet ætatis tam maioris, quàm minoris.*
12 *Habitus clericalis debet esse nigri coloris, quò ad longitudinem seruatur vsus patriæ modò descendat ad crura.*
13 *Synodus Nembrina extenditur.*
14 *Omissio habitus per octomestre facit perdere Priuilegium Fori.*
15 *Depositio habitus, & illius desertio diuersa sunt, hæc non illa eijcit Priuilegium.*
16 *Casus depositionis referuntur.*
17 *Casus desertionis referuntur.*
18 *Tonsura, hoc est Clerica, fit in posteriori parte superiori capitis, renouanda singulis mensibus.*
19 *Caluities succedit in caluis loco tonsuræ.*
20 *Seruitium spirituale Ecclesiæ est necessarium pro vsu Priuilegij, etiam sine cotta.*
21 *Temporale seruitium pro Ecclesiâ non sufficit.*
22 *Mandatum Episcopi ad seruiendum Ecclesiæ non est necessarium.*
23 *Seruitium potest fieri Ecclesiæ etiam regulari.*
24 *Seruitus sufficit vnica saltem in mense.*
25 *Etiam in Oratorio Confraternitatis.*
26 *Qui seruiuit præcedente, mense captus gaudet.*
27 *Monitio trina vbi est necessaria.*
28 *Non tamen in his requisitis Tridentini.*
29 *Sententia declaratoria est necessaria.*
30 *Clerici in* Sacris *non subduntur huic decreto.*
31 *Clericus in minoribus deponens habitum præsumitur illum deserere, non in sacris.*
32 *Religiosi professi, Nouitij, & eorum Tertiarij non sunt comprehensi in hoc decreto.*
33 *Consuetudo induci potest contra Tridentinum.*
34 *Quidam negant induci posse contra Concilia.*
35 *Consuetudo potest derogare Concilijs etiam generalibus.*
36 *Consuetudo induci potest contra Leges solo consensu interpretatiuo.*
37 *Lex Conciliaris non est potentior Lege Papali.*
38 *Concilia non includunt clausulam derogatoriam.*
39 *Clausula* Nemini, quò ad hoc priuilegio. &c. *cap. 6. sess.* 23.
40 *Sublatâ consuetudine, &c. intelligitur de præteritâ non in futurum.*
41 *Amittens Priuilegium Fori, etiam canonis in hoc cap. 6. sess.* 23.
42 *Torreblancæ opinio est probabilis, & corroboratur.*
43 *Cap. 6. Sess. 23. intelligitur affirmatiuè, & negatiuè.*
44 *Synodus Parmensis explicatur.*
45 *Monitio, & citatio differunt.*
46 *Mercede seruiens Ecclesiæ gaudet Priuilegio.*
47 *Seruitij loco sufficit studere cum habitu, & tonsura.*
48 *Etiam sine licentiâ Episcopi.*
49 *Quibuscunque scientijs, non tamen medicinæ.*
50 *Episcopus excluso Iudice seculari etiam præueniente potest punire suum Clericum.*
51 *Carentem priuilegijs Tridentini.*
52 *Responsum* S. Congreg. *refertur.*
52 *Non creditur, nisi exhibeatur in formâ probante.*

DE PRIVILEGIO FORI CLERICORVM NON BENEFICIATORVM.

1 IN hoc capite agendum est de Priuilegio Fori in ordine ad Clericos non Beneficiatos, primâ tonsurâ, seu Ordinibus, tantùm minoribus insignitos, qui vt gaudere possint eo Priuilegio debent esse muniti tribus requisitis ad tenorem cap. 6. sess. 23. Tridentini, his verbis: *Is etiam fori Priuilegio non gaudeat, nisi Beneficium ecclesiasticum habeat.* De quo satis dictum est in præceden-

c⟨a⟩lenti capite. *Aut clericalem habitum, & tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiat*. De quibus requisitis hic agendum est, præscindendo interim à Clericis in Seminarijs, & in Scholis, de quibus postea.

2 Præmitto vnum, quòd hoc Decretum Tridentini in omnibus suis partibus est odiosum, quia addit grauamen Clericis iam priuilegiatis, cui non subijciebantur ante ipsum Concilium in ordine ad gaudimentum huius Priuilegij Fori, vt mox probabo, er-
3 go est odiosum ex quo imponit grauamen, ex hoc enim Lex denominatur odiosa, vt docent omnes cum *Suarez lib. 5. de legib. cap. 2. num. 3.* sicut, & quæ limitat ius commune, *idem num. 15. Tiraquel. de Retract. in præfat. num. 65. Ioann. Andr. in cap. fin. de verb. signif. in Gloss. V. Similibus*.

4 Nam loquendo in primis de Clericis, isti post septennium iure communi poterant recipere Beneficia simplicia, vt probatur *cap. præced. num. 36.* Vnde Fagnanus *ad cap. in cunctis de elect. num.* 104. ait, per hoc caput Tridentini corrigi Ius commune, dum Clericus ante decimum quartum annum non potest habere Beneficium, sicut poterat an-
5 te Concilium. Ante Concilium pro gaudimento Priuilegij Fori sufficiebat ferre, vel tonsuram, vel habitum, & nullum præscribebatur seruitium Ecclesiæ, vnde secundum communem opinionem Clericus in minoribus non beneficiatus, non coniugatus sine habitu incedens Priuilegio Fori gaudebat vsque ad tritam incedens, post quam non resumpsit illum, perdebat Priuilegium Fori, ut testatur *ex Claro q. 36. Vers. Hac autem, Fagnan. ad cap. Si quis, de foro compet.* Quæ tamen non sunt modo necessaria post Tridentinum, vt dicam infra; nec sufficit vnum ex illis tribus, iuxta interius dicenda, quòd alias sufficiebat, nempe gestatio habitus, aut tonsuræ tantum. Ita docent *Gloss. V. Non potest, cap. Ioannes 7. de cler. coniug.* carens tonsura gaudet Priuilegio Fori, *Ioannes Andr. in cap. Contingit 45. de sent. excom. in 2. opposit. ibidem Cardinalis. Cepolla cons.* 11. *num.* 42. *Capra cons.* 97. *num.* 87. *Vers. Aut incedit in habitu, quos citat Fagn. ad dictum cap. num.* 60. *Barb. Alleg.* 12. *num.* 21. Innixi eo cap. Contingit vbi loquutur textus disiunctiuè de habitu, vel tonsura ad gaudendum Priuilegio Fori; & in hoc differebat Clericus non coniugatus à coniugato, nam hic non gaudebat Priuilegio Fori, nisi simul detulisset cum habitu clericali tonsuram; *ex cap. Vn. de cler. coniug. in 6.* cui Tridentinum addidit seruitium Ecclesiæ, ne modo sit melioris conditionis, quam Clericus inconiugatus, cum quo in hoc comparatur, licet antea is esset melioris conditionis, quàm nunc, quia antea cum vnico requisito gestationis habitus, vel tonsuræ gaudebat Priuilegio Fori, ad cuius gaudimentum requirebatur antea delatio vestis, & tonsuræ, cui nunc Tridentinum adiunxit seruitium Ecclesiæ. Et ex his patet Tridentini Decretum hoc esse odiosum.

Nec obstat, quod adducit Fagn. ad dictum cap. Si quis, de foro compet. per Concilium videri aliquo modo innouatum ius antiquum, quàm nouum statutum factum nam in cap. fin. dist. 92. promoti deputabantur ad seruitium Ecclesiæ cantantes, & psallentes Horas Canonicas diu, & noctu. Non obstat, inquam, quia ibi nulla fit mentio de vsu Priuilegij consequendo ex hac pià seruitute, sed tantùm dicitur, quòd nolentes psallere eijciantur de Clero, excommunicentur, vt legitur in summario. His præmissis.

Quæres 1. An dicta tria requisita gestandi habitum, tonsuram, & seruitium in hoc capite præscripta copulatiuè requirantur ad vsum Priuilegij Fori?

℞. Affirmatiuè, nam exprimuntur cum copulatiuâ, Et, requirente concursum illorum trium, ita quòd vnum, nec alterum ex illis tribus sufficiat, sed omnia tria illa debet probari in Clerico, aliter non gaudet Priuilegio, sed illud amittit. Copulat ua ergo requirit concursum copulatorum *Pelin in cap. 2. de Rescr. num* 3 *Vers. Copula, Paris Vol.* 1. *cons.* 95. *num.* 6. *Decian. lib.* 4. *cons.* 44. *num.* 52. *Ludouis. dec* 308. *num.* 7. Et confirmatur, quia ea dictio *Nisi* in hoc capite importat formam, *Osasch. dec* 174. *num.* 2. *Grat. Vol.* 1. *cons.* 15. *Mar Anton. lib.* 1. *resol final. casu* 32 *vers. pro Episcopo, Barb. hac add* 117. *n.* 10. Quà non seruata à Clericus his tribus non ⟨…⟩ non gaudet Priuilegio Fori, sed ⟨…⟩, cum non seruauerit formam, quæ ⟨…⟩ Priuilegio, hoc est conseruat in esse, ⟨…⟩ loquar. Et ita docent *Riccius part.* ⟨…⟩ *par* 3. *resol.* 309. *Castropal. p.* ⟨…⟩ *hic num.* ⟨…⟩ *Alleg.* 12. *num.* 19. *Fagn.* ⟨…⟩ *ad dictum cap. Si quis de foro compet. num.* 19 *&* 46. *Dal Bene Par.* 1. *cap.* 4. *dub* 8 *num.* 4. *&* 26. *Sperell. dec.* 26. *num.* 4. *Vercell. tract.* 8. *q.* 8. 6 7 8

Contrarium, quòd sufficiat deferre habitum sine tonsurâ, tenent *Mar. Anton. lib.* 3. *resol.* 48 *num.* 8. *&* 10. *Capiblancus de Officio Baronum tom.* 1. *Pragm.* 8. *par.* 3. *num.* 29. *Eliteus Danza in Pugna Doct. cap.* 1. *de Cler. num.* 15. *quos* refert *Diana Part.* 4. *tract.* 1. *resol.* 93. cuius dubij resolutionem remittit ad Sacram Congregationem. Quia tonsura non est tantæ solemnitatis, nec demonstrat Clericum, sicut facit habitus. Et Mat. Anton. ait, quòd licet Tridentinum loquatur per copulatiuam, sicut cap. Si iudex, de sent. excommun. in 6. tamen Doctores ius anti-

quum explicantè disiunctiuè, ergo & ita explicandum est Tridentinum, ne corrigat ius antiquum.

Respondetur ex tenore Tridentini requiri illa tria copulatiuè, & probatum fuit, & ad primam rationem nego non esse magnæ solemnitatis, immo maximæ, quæ & ipsa di-
9 stingu t Clericum à non Clerico, licet non ita patenter, facit ergo officiū suū, ergo meritò pro formâ apponitur. Ad secundum dico Concilij statutum addere huiusmodi grauamina Clericis, ac proinde corrigere ius antiquum, vt probaui supra sub num. 5.

Quæres 2. An Clericus tantum tonsuratus debeat illa tria seruare, si vellit gaudere Priuilegio Fori?

Ratio dubitandi est, quia per tonsurationem Clericus nullam recipit potestatem spiritualem, per quam ex Officio possit seruire Ecclesiæ, cum prima tonsura solùm personam faciat de laico Clericum distinguendo eam à laicis, & disponendo ad recipiendos Ordines, cum ergo ex Officio non possit seruire Ecclesiæ, saltem hoc tertium requisitum seruare non tenetur, ex quo non potest eodem modo seruire, quo ordinati inseruiunt Ecclesiæ, licet possit deferre habitum, & tonsuram, quæ videntur sufficere ad gaudimentum Priuilegij Fori. His non obstantibus.

10 ℞. Teneri seruire, si vult gaudere Priuilegio Fori, si quidem textus loquitur etiam de initiato primâ tantùm tonsurâ, sic enim incipit hoc caput: *Nullus primâ tonsurâ initiatus*. Et infra loquens de Priuilegio Fori, prosequitur his verbis: *Is etiam fori Priuilegio non gaudeat*. Pronomen *is* refertur non solùm ad ordinatos in minoribus, sed etiam ad tonsuratum, cum relatiuum referat omnia præcedentia. Et ex illis patet responsio ad rationem dubitandi, nam tonsuratus & si ex Officio suæ promotionis, cum nullum receperit Ordinem, non dicatur seruire Ecclesiæ, tamen eidem seruire potest psallendo, inseruiendo in Missæ, & incedendo in Processionibus, quæ non requirunt Ordinem.

Quæres 3. An Clericus tonsuratus, vel in minoribus constitutus cuiuslibet ætatis, siue maior siue minor ætate, teneatur seruare hæc tria requisita, si vult gaudere Priuilegio Fori?

Dubitandi occasionem præbet illud pronomen *is*, nam vti relatiuum refert initiatum sub ætate minori ibi: *Ante decimum quartum annum Beneficium possit obtinere* nullus sc. Clericus, & sic sermo est de Clericis minoribus ætate. Quare Franciscus Torreblanca de Magia lib. 3. cap. 9. num. 40. & ex eo Didacus Antonius Frances Episcopus Barbastrensis in suo Pastorali Regularium par. 3. Voto 3. num. 11. & seq. tenent, Tridentinum ob eam rationem nihil disponere de Clericis ætate maioribus; Quos paulò ante sequebar in causâ cuiusdam Cleri. i nomine pariter Ioseph sicut & ille præfati Episcopi; sed nunc re melius, & verius perpensâ muto opinationem in certam veritatem. Infra q. 21.

℞. Clericus cuiuscunq; ætatis, si vult gaudere Priuilegio Fori debet seruare illa tria ad formam Tridentini, quia loquitur de Clericis cuiuslibet ætatis in primâ dispositione de Beneficijs illis verbis: *Nullus primâ tonsura initiatus, aut etiam in minoribus constitutus ante 14. annum Beneficium possit obtinere* habet enim hunc sensum, Clericus ante 14. annum non potest obtinere Beneficium, vtique post illud tempus, importat enim dispositionem negatiuam respectu impuberum vsque ad annum decimum tertium completum, & respectu aliorum maioris ætatis habet conceptum affirmatiuum in sua dispositione, ita quòd quilibet Clericus expleto anno 13. etiam si esset centum annorum potest obtinere Beneficium, ergo Tridentinum manifestè in eâ dispositione de Beneficijs obtinendis loquitur de Clericis excedentibus annum 13. ergo etiam de eisdem in maiori ætate constitutis. Quare pronomen *is* subsequens in textu refertur ad Clericos cuiuscunq; ætatis, vt non possint gaudere Priuilegijs, nisi seruent illa tria, & ex his patet ad rationem dubitandi. Doctorem non inueni ita loquentem, nec distinguentem. 11

Quæres 4. Qualis debeat esse habitus Clericalis primum requisitum ad gaudendum Priuilegio Fori?

℞. Debet esse vestis decens statum Religiosum, nigri scilicet coloris, & longa iuxta vsum patriæ. Probatur ex cap. fin. 21. q. 4. vbi dicitur, quòd debet esse quò ad colorē honesta, inter coloratas vestes decentior semper fuit habita nigri coloris; vnde in Clem. 2. de Vita, & honest. Cler. Clerici prohibentur irrigatas, & partitas vestes portare, hoc est, diuersi coloris, vt notat ibi Glos. V. Partita, sub pæna amissionis fructuum ipso iure sui Beneficij per semestre, carentibus Beneficio etiam in Sacris constitutis imponitur pæna inhabilitatis ipso iure ad Beneficia. 12

Dixi, *longa iuxta vsum patriæ*, licet enim in iure describatur talaris, *cap. pen. dist. 23. Glos. V. Sacerdotali cap 3. 21. q. 4.* Vnde & dicitur Stola, *Glos. V. Stolis cap. 1. 21. q. 4.* idest stans ad talos, est enim vestis longa vsq; talos, pedis. Tamen in Concilio id non exprimitur, vnde hoc reliquit iuxta morem regionis, & patriæ, quod habet *Glos. initio caus. 21. q 4.* Et ita docent *Farin. q. 8. num. 69. Bonac. in Bulla disp. 1. q. 16. sect. 1. p. 6. num. 30. Grassus in Præfat. à num. 270. ad 280. Sperell. dec. 17. num. 44.*

Sinodus Nembrina fol. 97. hæc statuit: *Qui Bene-* 13

Beneficium, aut Pensionem non habent, vel tantum non percipiunt ex bonis ecclesiasticis, quantum in sua constitutione Sixtus V. requirit, si nullam ferant vestem, quæ speciem habeat clericalis habitus pro primà, & secundà vice mulctabuntur pænà decem aureorum; tertià vero vice omni clericali Priuilegio priuabuntur. Ii etiam qui induent genus illud Sagi, quod vulgo dicitur Giustacore, aut viatoriam penulam, quæ Italicè dicitur Palandrano, eandem pænam incurrent. Reijcitur ergo ab habitu clericali Giustacore, & Palandranum, vnde horum alterius gestatio non excusabit à præfatis pænis; quod si sub Palandrano loco Manteli, habeat vestem Clericalem attingentem talos, vel aliquanto breuiorem ad femi crura, dum itinera sunt lutosa; vt contingit in hieme, immo tunc prudentis est fimbriam vestis eleuare etiam ad genua, ne deturpetur, non erit reus harum pænarum, nec poterit priuari nisi postquam bis aliàs soluerit dictam pænam; iterum infra q. 22.

Quæres 5. Quamdiu durare debeat depositio habitus clericalis, vt Clericus deponens dicatur Priuilegium Fori perdidisse?

14 R. Qui non detulit per octo menses continuos habitum clericalem non gaudet Priuilegio fori. Ita ex Sello in Selectis cap. 18. num. 19. decisum 28. Martij 1682. refert Barbosa ad hoc caput num. 29. his verbis: *Clericum repertù à Curià seculari sine habitu clericali, donec doceat de suo Clericatu in carceribus laicis posse detineri, dummodo non sit notoriè Clericus, & si per octo menses ante carcerationem habitum dimiserit priuilegio clericali nullo modo gaudere, si à Curià, vt supra captus fuerit in tali habitu.* Dicunt prædicti.

Confirmari id potest, quia iure communi ex cap. Vn. de Vita, & hon. in 6. decernitur, quòd Clerici joculatores per annum continuum id infame exercitium frequentantes post id tempus perdunt omne Priuilegium clericale. Si ergo illis annus conceditur ad sibi prouidendum, vt infames deferendo non perdãt Priuilegia, à fortiori idem tempus esset concedendum in casu nostro, cum depositio habitus non sit tam grauie delictum, cum & illum Clerici deferere possint redeundo ad seculum, ergo non videntur perdidisse Priuilegium, qui non excesserunt octomestre in non gestatione habitus. In Hispanijs depositio habitus per quadriennium, & in Francià pariter, facit perdere hoc Priuilegium, vt refert Dal Bene part. 1. cap. 4. dub. 8. num. 16. Sed quoniam id nonnulis minimè placet, alià via responderi potest.

15 Notandum, aliud esse deponere hab'tum, vt non reliquatur, sed ex aliqua causa, vt post factum resumatur, fiue causa sit licita, hæc enim non facit perdere hoc Priuilegium. Aliud est deserere habitum animo redeundi ad seculum, quod licet, vel nequendo statum ecclesiasticum cum suis Priuilegijs. Exemplis res declaratur.

Primò, deponitur causà infirmitatis, non deseritur. *Farinac. q. 8. num. 67.* & in domo, licitè deponitur, & in lecto, *Sperell. dec. 132. n. 29. & 30.* Vnde captus non dicitur sine habitu, cum non teneatur illum deferre in domo ad hunc effectum.

Secundò, tempore bacchanalium deponitur, non defertur ab eo, qui incedit laruatus, similiter ad piscandum, ad ludendum, ad saltandum &c.

Tertiò, si Clericus pauper, exercet opus rurale ad sui sustentationem, vel etiam recreationis causà in suo hortulo. *cap. 1. de celebr. miss.*

Quartò, si deponat ad occidendum inimicum, ad luxuriandum, ne cognoscatur, non dicitur illum deserere. *Bonac. in Bulla disp. 1. q. 16. sect. 1. p. 6. num. 26. Dal Bene cap. 4. dub. 8. num. 20. Ciarlin. cap. 20. num. 56.* Item dic in similibus casibus, in quibus causa non habet tractum successiuum inducens depositionem habitus.

Dimissio verò habitus ex causà habente tractum successiuum est propriè desertio habitus, & transitus ad statum laicalem inducens amissionem Priuilegiorum. Quando ergo Clericus deponit habitum faciendo actum contrarium Statui clericali, censetur illum deserere, & nolle amplius esse in numero Clericorum, ac proinde incipit carere Priuilegijs, e. g. si ducat vxorem, si fiat miles, si publicè exerceat aliquam artem mechanicam, &c. Barb. ad cap. 3. de Apost. num. 4. at, vt Clericus dicatur priuatus Priuilegio ob non gestationem habitus, necessaria est tanta perseuerantia, vt publicè existimetur laicus. Quare qui per annum dimisit habitum, ista perseuerantia per notabile tempus inducit animum renuntiandi Clericatui, & Priuilegijs vt docet *Decian. lib. 4. cap. 9. n. 92. Farinac. q. 8. n. 68. Guazin Defens. 20. cap. 9. num. 37. Alderan. Mascard. de General. Statutorum interp concl. 1. num. 111. apud Sperellum dec. 26. num. 9.* 17

Quæres 6. Qualis debeat esse Tonsura? Et an semper deferenda, alter perdatur Priuilegium?

R. Tonsura est illa orbicularis Capillorum abrasio in capite magis tendens ad partem posteriorem capitis, & sic nomen *Tonsura* in Tridentino accipitur ad differentiam Primæ Tonsuræ, quam expressit initio eiusdem capitis, per quam abscinduntur capilli in parte inferiori ad aures, vt dicitur in Pontificali, & dicitur *Prima*, quia præcedit secundam tonturam; quæ fit orbiculariter in posteriori parte capitis, quæ vocatur *Clerica*, vt notat *Glos. in casu, fine, cap. de* 18

Cler. coniug. in 6. de quâ plura *Glos. V. Et tonsuram Clem. 2. de Vita, & hon.* Est autem renouandaad minus singulis mensibus, dum enim capilli crescunt, figura in Tridentino nuncupata Tonsura, quia fit ex tonsione capillorum, euanescit, ideo renouanda, cum & ipsa sit necessaria ad gaudimentum Priuilegij Fori, vt probatum fuit supra sub q. 1. Vt docent ibi allegati. Quòd si aliquando omittitur tonsuratio, non ideo semper perditur Priuilegium, quia verba Tridentini non sunt ita rigorosè, nec captiosè interpretanda, vt continuò sine intermissione deferatur cum habitu, cum aliquandò ex causa habitus deponatur sine desertione, vt probatum fuit §. præced. sic & Tonsura ex obliuione, vel ex defectu tonsoris, vel ex aliquâ aliâ causâ, quæ non arguat desertionem ipsius; neq; enim in hoc Tridentini capite adest tale verbum, quod physicam continuationem delationis habitus, & Tonsuræ importet, vnde ea verba ciuiliter, & moraliter accipienda sunt, & non cum tanto rigore, illud enim dicitur continuè fieri, quod pro maiori parte temporis fit, vt in hac re dixit Quaranta V. Habitus clericalis, in Addit.

Quæres 7. Quid dicendum est de caluis ex naturâ, vel factis ex culpa morbi gallici, aut aliter numquid teneantur deferre hanc tonsuram, vt gaudeant Priuilegio Fori?

19 ℞. Non esse necessarium, quia ad impossibile nemo tenetur, non enim possunt radi capilli, vbi non sunt. *Sanchez lib. 7. disp. 46. apud Dal Bene cap 4. dub. 8. num. 6. Castropal. p. 2. num. 7.* ait, gestationem habitus ita esse frequentem, & continuam, vt tamen non excludat aliquando intermissionem, cum sufficiat, quòd Clericus fuerit solitus vtrunque gestare, à frequenti enim vsu denominatio est accipienda, *Farinacc. q. 8. num. 66. Barbosa Alleg. 12. num. 20. Sanch. cit. num. 8.*

Ego autem dico, Caluitiem esse loco Tonsuræ, quia cum Tonsura sit abrasio, seu abscissio capillorum in posteriori summitate capitis quę est illorum ablatio benè, infertur, Caluitiem succedere loco tonsuræ, dum capilli non extant, quos extantes præcidit rasura subsequenter excrescentes, quod impedimentum tollit Caluitis ponens perpetuam spheram nuditatis in vertice capitis. Ex hoc ergo Clerici calui dicuntur, & ipsi habere Clericam non indigentem renouatione.

Quæres 8. An præter delationem Habitus clericalis, & Tonsuræ sit necessarium seruire Ecclesiæ? & quale sit illud seruitium?

20 ℞. Est necessarium seruire Ecclesiæ ex illis verbis: *Alicui Ecclesiæ inseruiat.* Hæc autem seruitus debet esse spiritualis, & ex officio præcipuè Ordinum susceptorum, cum id prælcribatur tamquam via ad maiores Ordines, vt dicit ibi Tridentinum: *Quasi in via ad Maiores Ordines suscipiendos versetur.* Non potest ergo Clericus per hoc seruitium melius disponi, & fieri idoneus ad superiores Ordines, nisi exercendo in Ecclesiâ actus suorum Ordinum, & superinde psallendo, seruiendo missis, & interessendo Processioni bus, qui sunt actus communes, licet non ex officio Ordinis omnibus Clericis, etiam solùm tonsuratis. Hoc ergo seruitium consistit in spiritualibus, de quibus supra dixi. Ita *Couar. lib. 2. Variar. cap. 1. num. 9. Mu. sil. in Addit. ad Capiciam dec. 161. num. 10. Grassus Effectu 1. num. 1177. ex illis Sperell. dec. 26. num. 14. Dal Bene par. 1. cap. 4. dub. 8. num. 36. Riccius par. 3. resol. 309.* Contra aliquos quos profe citat *Diana par. 3. tract. 1. resol. 69.* Non est autem necessarium seruire cum Cotta *ex Dal Bene cap. 4. dub. 8. num. 32.* quia Cotta importat decentiam, & ornatum, quæ non infringunt realem seruitutem, quam solam exigit Tridentinum.

Quare inseruiens Ecclesiæ pro Aduocato, pro Notario, aut Procuratore non dicitur seruire Ecclesiæ ad hunc effectum gaudendi Priuilegio Fori, vt dicunt præcitati; & cum *Barbosa lib. 1. de iure cap. 39. §. 2. num. 53. & Dal Bene cit.* referentibus declarationem S. Congr. 28. Ianuarij 1603. asserentis non gaudere immunitate Fori, qui seruiunt solùm in aperiendis ianuis Ecclesiæ, & in accendẽdis lampadibus. Hic tamen ego habeo difficultatem, cũ reuerà sit seruitus spiritualis qua Ostiarius facit aperiendo, & claudendo portas Ecclesiæ, cum id illi assignetur pro suo officio, & cimbalum percutere, vt dicitur in Pontificali, ergo ianitoris, & campanarij officium exercens videtur ex hoc gaudere Priuilegio fori. 21

Quæres 9. An ad hoc spirituale seruitium in ordine ad gaudimentum Priuilegij Fori sit necessarium mandatum Episcopi deputantis Clericum ad seruitium talis Ecclesiæ?

℞. Mandatum, de quo Trident num his verbis: *alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiat*, expressum, nec speciale est necessarium, sufficit interpretatiuum inclusum in ipso seruitio, Tridentinum enim requirit seruitium hoc in actu, & effectu, & aliud non intendit per illud mandatum, nisi executionem, vnde mandatum expressum non est necessarium, quia qualitas mandati, vel licentiæ est leuis, & satis est, vt concurrant illa tria, quæ sunt pot ora. Respondit S. Congregatio referente Fagnano p. 3. ad cap. 51. quis, de foro comp. num. 23. his verbis: *Sed hanc difficultatem sustulerunt duæ antiquæ decisiones Congregationis, quarum altera declarauit, Priuilegio Fori gaudere Clericum minorum Ordinum in habitu, & tonsurâ incedentem, inseruientemq; Ecclesiæ, tametsi absq; vllo mandato Episcopi. Altera* 22

deter-

determinauit, talem Clericum inseruientem alteri Ecclesia, quam ei, cui mandauerat Episcopus, vt inseruiret, nihilominus gaudere Priuilegio Fori, nimirùm, quia qualitas mandati, vel licentia est leuis, satisque est concurrere, quæ potiora sunt, &c. Sufficit ergo, quod Clericus alicui Ecclesiæ seruiat realiter. Ita docent *Mar. Anton. lib 3. resol. 48. Riccius par. 4. dec. 111. Vers. Sed in hoc, & ibidem dec. 154. num. 2. Barb. hic num. 32. & Alleg. 12. num. 14. Sperell. dec. 26. num. 31. Dal Bene cap. 4. dub. 8. num. 27.* Clarius ergo absq; alio mandato censetur deputatus Ecclesiæ parochiali, in qua Sacramenta recipere debet, & solent Episcopi in literis testimonialibus ordinationis id exprimere. Ex quibus infertur, Clericum inseruientẽ Ecclesiæ de mandato Vicarij Episcopi, gaudere Priuilegio clericali, ex allatis à *Diana par. 9. tract. 6. resol. 6.*

Quæres 10. An seruitium præstitum à Clerico seculari cum suo habitu, & tonsura Ecclesiæ Regulari etiam non parochiali sufficiat ad gaudendum Priuilegio Fori.

23 ℞. Affirmatiuè, quia in Tridentino per illa verba *Alicui Ecclesia inseruiat*, nulla fit Ecclesiarum limitatio, ergo sub eo vocabulo veniunt tam regulares, quam seculares, in vtrisq; enim ex æquo seruiri potest in ordine ad ascendendum ad maiores Ordines. Quod verum est, etiam si Episcopus deputasset Clericum ad seruitium Ecclesiæ secularis, quia mandatum, & licentia, seu deputatio huiusmodi non inficit seruitium realiter factum, quod solum attenditur à Concilio in ordine ad gaudimentum Priuilegij Fori. Non potest tamen Episcopus Clericum secularem deputare ad seruitium Ecclesiæ Regularis, nisi velit Superior regularis, cum Ecclesia sit exempta à iurisdictione Episcopi.

Quæres 11. Quanta debeat esse ista seruitus, an sufficiat semel in mense seruire Ecclesiæ, canendo semel in Choro, vel Missæ, aut vni processioni inseruire?

24 ℞. Debet esse frequens in seruitio Ecclesiæ; & nõ sufficit bis, aut ter seruire, sed debet continuare, & perseuerare inseruitute, vt docẽt *Gratian. cap. 440. n. 6. Diana par 1. tract. 2. resol. 34. vers. Notandum, Riccius part. 4. dec. 111. num. 5. Graßus Eff. 1. num. 1183. Barb. Alleg. 12. num. 14. & hic num. 33.* referens responsum S.C. eum, qui in synodo præstitit obedientiam Episcopo, & per paucas vices fuit in choro, & in processionibus gaudere Priuilegio Fori. Quare putat Clericum huic oneri satisfacere, & Priuilegio Fori gaudere, licet semel in mense seruiat Ecclesiæ, vel seruiendo missæ, aut cantando in choro, &c. quia reuera dicitur seruire ad hunc effectum per paucas vices ex dicto responso Sacræ Congregationis. Vnde non est opus, vt seruiat omnibus diebus festiuis, & dominicis, vt contra Burgium docet *Dal Bene cap. 4. dub. 8. num. 32.*

Quæres 12. An Clericus satisfaciat seruiendo Ecclesiæ, Confraternitatis, sicut si seruiat Ecclesiæ Regulari? An etiam in Hospitali?

25 ℞. Affirmatiuè, quia seruit *alicui Ecclesia*, de mente Tridentini, quod ad nullam Ecclesiam limitauit seruitutem sed vnamquamque reliquit aptam, & idoneam ad id munus, & seruitutem, *Diana par. 1. tract. 2. resol. 34. Dal Bene cap. 4. dub. 8. num. 34.*

Quæres 13. An qui seruiuit præcedenti mense, sed non in hoc, in quo captus fuit ex mandato Iudicis secularis, gaudeat Priuilegio Fori?

26 ℞. Affirmatiuè, quia dicitur proximè seruisse, neq; enim quotidie tenetur seruire, id enim non exprimitur in Concilio. Confirmatur, quia Iuris interpretatione ille dicitur seruire, qui nihil operatur, ex eo, quod fuit impeditus, vel quia litem habebat, quia erat infirmus, quia erat in villa, &c. non est ergo necesse, quòd seruierit illo tempore, quo occidit, vel quo captus fuit. Ita *Grassus Effectu 1. 1180. Galletus V. Clericus à Riccio citatus par. 4. dec. 111 num. 5. à Sperello dec. 26. num. 29. & 30. Diana part. 1. tract. 2. resol. 34.*

Quæres 14. An vt Clericus perdat Priuilegium Fori præter defectum illorum trium requisitorum hactenus explicatorum, prætere-
rea requiratur illa trina monitio, de quà fit 27
mentio *in cap. fin. de Vita, & hon. Cler. & cap. In audientia 25. & cap. Contingit 45. de sent. excom.* in quibus Clerici dimissis habitu, & Tonsurá, non perdunt Priuilegium clericale, nisi post tertiam monitionem eis faciendam a suis Prælatis, si vlterius procedunt in re sibi prohibita.

28 ℞. Negatiuè, quia Tridentinum requirit tantum abiectionem, vel habitus, vel tonsuræ, vel seruitij, nulla factà mentione monitionis, ad quam sequatur amissio Priuilegij, quod ipso iure perditur defectu vnius ex illis tribus requisitis, vt patet in textu. Et ita docent omnes cum Barbosa *ad dictum cap. 25. de sent. excom. num. 3. Allegat. 12. num. 22. Ciarlin cap. 36. num. 48. Riccius par. 1. resol. 540 Fagn. ad cap. Si quis, de foro comp. num. 21.* refert decisum à Sacra Congregatione.

Quæres 15. An saltem requiratur Sententia declaratoria, quòd non seruauerit vnum ex illis tribus?

29 ℞. Affirmatiuè, ratio conuincens est hæc, quia pæna legalis non incurritur, nisi per Sententiam declaratoriam eius causæ, propter quam incurritur, vt docent omnes, quos citaui supra cap. 5. num. 41. & 42. & iterum dicam in cap. de Amissione Priuilegij clericalis; sed priuatio Priuilegij

Fori

Fori in Tridentino est legalis contra Clericos incedentes sine habitu, & Tonsurâ, ergo non incurritur executiuè, nisi per Sententiam factam ab Episcopo, quod Clericus non seruauerit præscripta in Tridentino pro gaudimento Priuilegij Fori. Ita *Castropal. p. 6. num. 5. Grassus Effectu 1. num. 7 10 & seq. Dal Bene par. 1. cap. 6. dub. 5. sect. 2. num. 8.* Iterum infra cap. 9. num. 6.

Quæres 16. An Clerici in Sacris constituti sine illis tribus requisitis gaudeant Priuilegio Fori?

30 R. Nullum horum est necessarium ex vi Tridentini, quia loquitur solùm de tonsuratis, seù minoribus initiatis. Ratio differentiæ est, quia in Sacris constituti retrocedere non possunt ad seculum sine vitio Apostasiæ ab Ordine ex cap. 1. de Apost. vnde si inueniatur sine habitu, aut Clericâ non possunt præsumi reuersi ad seculum, & sic facti de statu laicali; initiati verò tonsurâ, vel minoribus, cum sine peccato possint redire ad seculum, & fieri de statu laicali, si inueniantur sine signis clericalibus præsumi possunt transisse ad statum laicalem. Ita Antonellus *de Regim. Eccles. Episcop. cap. 1. num. 6.*

Quæres 17. An Religiosi, tam Nouitij, quàm Tertiarij, & professi fruantur huic Decreto Tridentini ad gaudendum Priuilegio Fori?

32 R. Negatiuè, cum enim sit odiosum restringens gaudimentum Priuilegij non est extendendum ad illos, cum Religiosi in odiosis non veniant sub nomine Clericorum. Confirmatur, & quia non sunt capaces Beneficiorum; & quia nec dicuntur esse in seminarijs Episcoporum; & quia illis Episcopus non assignat cu nam Ecclesiæ debeant seruire. Nemo contradicit, cum textus Tridentini sit clarus.

Quæres 18. An consuetudo inducta non seruandi vnum, vel alterum ex illis tribus requisitis ad vsum Priuilegij Fori ad formam Tridentini, valeat, & vires acceperit?

Ratio dubitandi est, quia Tridentinum in fine huius capitis damnat omnes consuetudines etiam immemorabiles his verbis: *Nemini quò ad hoc, Priuilegio vel consuetudine, etiam immemorabili suffragante.*

33 R. Consuetudo inducta valet, quia non est contra immunitatem Clericorum, sed illis fauorabilis, ac proinde cum disponat hæc consuetudo idem, quod intendebat Ius antiquum per nouum correctum, vt non teneantur Clerici ad illa tria copulatiuè, iudicanda est probabilis, & rationabilis, vt dicunt Rochus de Curte in tract. de statutis sect. 6. num. 11. vbi in terminis putat, valere consuetudinem, quòd Clerici gaudeant Priuilegio clericali, etiam si habitum, & tonsuram non deferant, citans pro se *Fulgos. cons. 123.* Et idem docet *Bartol. Thegeus in tract. de crimin. part. 15. num. 19.* Quos citat, sed non sequitur.

Fagnanus par. 3. in cap. Si quis de foro compet. num. 63. & 65. dicit, verius esse, propositam consuetudinem Ecclesiæ Mediolanensis non esse obseruandam, quia consuetudo contra Concilia generalia legitimè, & validè introduci non potest *ex Host. & Ioanne Andr. in cap. cum laicis, de reb. Eccles. non alien.* probantibus *per text. in cap. Canones, & cap. Sicut Sancti, & dist 15.* in quibus locis asseritur, Concilium generale esse obseruandum sicut Euangelium. Rationem quoque affert, quia lex conciliaris videtur habere clausulam derogatoriam ad sequentes contrarias dispositiones. Præterea requiritur expressus Papæ consensus, vt valeat consuetudo ex Rota apud Caualerium, in causâ Romanæ Concordiæ S. Petri 12. Febr. 1610. 34

35 Sed contra, quòd scilicet consuetudo valeat contra Legem conciliarem, nam Tridentinum in hoc capite sustulit Priuilegia, & consuetudines etiam immemorabiles, quæ obstabant legibus conciliaribus, de quibus fit mentio in cap. Vn. de Cler. coniug. in 6. vt notat ipse Fagn. num. 62. ibi autem Bonifacius VIII. innouat constitutionem Concilij Lateranensis, & Parisiensis, licet hoc non sit generale, tamen non tollit vim huius argumenti, ergo Concilium Tridentinum abrogando eas consuetudines, supponit, vires habuisse contra Concilium etiam generale, & hoc est certum etiam de mente Tridentini, quod in plerisq; capitibus plurium Sessionum, in quibus agitur de Reformatione, reuocat consuetudines inductas contra Concilia generalia, quæ in suo Robore permansissent, si illas non sustulisset, ergo inducibilis est consuetudo contra Concilia.

36 Confirmatur id, quia consuetudo induci potest rationabilis contra Leges pontificias, cum solo legali, & interpretatiuo consensu Papæ *ex cap. fin. de consuet. l. De quibus ff. de legib.* quam sententiam Castropal. de consuet. p. 2. §. 4. num. 3. appellat communem, & receptissimam, citando *Panorm. ibidem num. 13. Sanchez lib. 7. disp. 4. num. 11. & 14. & disp. 82. num. 20. Suarez lib. 7. de legib. cap. 13. à num. 6. Bonac. disp. 1. de legib. q. 1. p fin. §. 1. num. 34. Diana par. 6. resol. 13. de consuet. vers. verùm, & vers. & ideo, vbi citat Rotam coram Coccino Ianuarij 1625.* Sed leges conciliares non sunt potentiores legibus factis à Pontifice extra Concilium cum illas Papa confirmet, & corroboret, sicut sine eius auctoritate non valent, cum ab eo vires recipiant, vt multis citatis docet ipse *Fagnan. part. 2. ad cap. Antigonus de pactis num. 44.* Ergo sicut derogatur consuetudine legibus papalibus, ita est Conciliaribus. 37

Ad cap.

Ad cap. Canones, cap. Sicut sancti dist. 15. respondeo, Concilia generalia esse veneranda, & obseruanda sicut Sanctum Dei Euangelium quò ad ea, quæ spectant ad Fidem, quò ad reliqua derogari posse in aliquibus per contrariam consuetudinem.

38. Ad primam eius rationem negatur, Concilia includere eam clausulam contra consuetudines, nisi exprimatur, cum sit odiosa, ac proinde non subintelligatur. Ad secundam, falsum esse requiri expressum Papæ consensum ad inducendam consuetudinem, cum ex receptissimà sententià, vt dixi supra, sufficiat consensus interpretatiuus, & legalis.

Quæres 19. An illa clausula: *Nemini, quò ad hoc Priuilegio, vel consuetudine, etiam immemorabili suffragante*. Referatur ad omnes partes dispositiuas, an solùm ad vltimam respectu Clericorum coniugatorum? Item an referatur tantùm ad derogationem præteritarum consuetudinum, an etiam ad futuras?

39 ℟. Ad primum, eam clausulam referri ad omnia præcedentia, *ex l. Et si 3. §. Filius. ff de liber. & posth. cap. Secundo 41. cap. Inquisitioni 71. de appellat.* maximè cum agatur hic de Priuilegio Fori in omnibus partibus dispositiuis huius capitis. Confirmatur, quia in hoc capite respectu omnium partium corrigitur Ius commune, quo aliàs Clericus cum altero ex requisitis gaudebat Priuilegio Fori, vt dictum fuit supra, ergo corrigitur quoque, & tollitur simpliciter consuetudo respectu totius capitis. Et ita in his terminis loquitur Fagn. ad dictam cap. Si quis, de foro compet. num. 60. & 61.

40 ℟. Ad secundum, per illam clausulam non impediri, nec abrogari futuram consuetudinem, quæ introduci potest, vt probaui præced. q. & confirmatur per *Gloss. V. consuetudine Clem. Statutum de elect.* dicentem, sublatà consuetudine censeri solum reuocari eam, quæ est de præterito, non quæ in futurum introducitur, quam sequuntur *Domin. in cap. 1. de consuet. in 6. col. fin. & Abbas num. 8. apud Barb. claus. 87. num. 11. Suarez lib. 7. de legib. cap. 7. num. 2. apud Dianam par. 6. tract. 5. resol. 24.* Qui Barb. citatus distinguit, si verba referantur ad consuetudinem, quæ tunc vigebat non censetur prohibita consuetudo futura, vtique si verba generaliter prolata comprehendere possint futuram consuetudinem; in casu autem nostro, & clausulà: *Nemini quo ad hoc, Priuilegio, vel consuetudine etiam immemorabili suffragante*. Sola præterita tempore conditi decreti Concilij poterat suffragari tunc, ergo illa sola fuit subdita, non in futurum inducenda, quia initio conditi decreti non poterat suffragari cum nondum esset.

Quæres 20. An amittens Priuilegium Fori defectu alicuius ex requisitis Tridentini, perdat etiam Priuilegium Canonis?

℟. Clericus tonsuratus, & etiam in minoribus ordinibus constitutus, non deferens habitum, tonsuram, nec Ecclesiæ seruiens ad tenorem Tridentini, licet ipso iure amiserit Priuilegium Fori, nondum tamen illud Canonis perdidit, quod tamen in consequentiam perdit, postquam Iudex Ecclesiasticus Sententiam tulit declaratoriam, ipsum non amplius gaudere Priuilegio Fori, remittendo ipsum ad curiam secularem propter aliquod delictum, quo venit puniendus. Ante ergo declarationem gaudet Priuilegio Canonis, immo, & Fori, quia præter, Sententiam iuris requiritur quoque Sententia hominis, vt patebit infra in cap. de Amissione Priuilegij clericalis, gaudet ergo Priuilegio Canonis, quia Tridentinum non loquitur de illius amissione, sed tantùm de amissione Priuilegij Fori, quod longe diuersum est ab illo, quod solùm post declarationem, quòd Clericus non gaudet Priuilegio criminalis, amittitur, ea ratione, quia amplius non est Clericus, sed laicus non secus ac ille, qui abiecto habitu, & tonsurà duxit in vxorem corruptam, vel aliter non vult amplius esse Clericus. Et cum hàc distinctione saluatur vtraque opinio, & responsum Sacræ Cõgregationis, quæ die 16. Octobris 1582. declarauit, eos, qui Priuilegio Fori priuãtur in cap. 6. sess. 23. non inteligi priuatos Priuilegio Canonis, quam refert Fagna. par. 3. cap. Si quis; de foro compet. extremis verbis illius capitis, & probat id pluribus à nu. 72. vsque ad finem, intelligendum secundum priorem partem distinctionis, quòd scilicet, Clericus per Tridentinum priuatus Priuilegio Fori defectu requisitorum, non censetur priuatus ex vi eiusdem Tridentini ante declaratoriam, Priuilegio Canonis, *cum Gonzal. Gloss. 5. §. 5. num. 7. cum alijs Diana par. 1. tract. 2. resol. 34. Riccius par. 1. resol. 541. num. 5. & par. 3. decis. 315. num. 4. Barb. Alleg. 12. num 32. & ad cap. 29. 17. q. 4. num. 9.* Post verò declarationem, quòd Clericus non gaudeat amplius Priuilegio Fori, neque proinde Priuilegio Canonis, inteligendi sunt alij cum *Feliciano, Suarez, Bannes, apud Dianam, & Barb. ad dictum cap. 29. 17. q. 4. num. 8.* Declaratus enim non gaudere Priuilegio Fori in criminalibus, certè nec gaudet Priuilegio Canonis, cum amplius non sit Clericus, sed Laicus. Vide etiam Dal Bene cap. 4. dub. 9. Vide iterum infra cap. 9. q. 22. 41

Quæres 21. An probabilis sit opinio Torreblancæ, quam secutus sum consulendo pro D. Ioseph de Aleo in consil. Manuscripto 98. & contra quam respondi supra hic sub q. 3.

℟. **Est probabilis, ac proinde Tridenti-** 42

num

huim in eo cap. 6. sess. 25. non loquitur de Clericis primâ tonsurâ, & Ordinibus minoribus insignitis in maiori ætate constitutis, sed tantùm de impuberibus, & puberibus. Id autem clarè probatur ex verbis illius capitis: *Nullus initiatus ante decimum quartum annum possit obtinere Beneficium*. Hic sermo est de impuberibus, & puberibus, non de maioribus, vt patet expressione præfati anni. Præterea ea verba. *Vel in Seminario Clericorum, aut in aliquâ Scholâ*, vel Vniuersitate *de licentia Episcopi quasi in via ad maiores Ordines suscipiendos versetur*. Applicari non possunt maioribus, quia similes personæ prouectæ ætatis non recipiuntur in seminario, quod institutum fuit pro pueris; cap. 18. ead. sess. Nec inueniuntur in scholis nec dicuntur esse in viâ ad maiores Ordines, quod proprium est puberum, cum maiores ætate, si obtineant dispensationem simul omnes Ordines maiores suscipere valeant. Quare cum maioribus prædicta applicari non possunt, nec ipsa Lex conciliaris ad ipsos adaptari potest, *Ang. l. 4. §. Totus ff. de damno infecto cap. Indemnitatibus*, §. *fin. de elect. in 6.* Quare subsequens dispositio Tridentini illis expressa verbis: *Is etiam Fori Priuilegio non gaudeat* refertur solum ad impuberes, & puberes, quibus sine dubio omnes præfatæ clausulæ Tridentini applicari possunt, congruè referendo, iuxta quod mox dicam?

Confirmatur. Tum quia hæc opinio valde fauet Immunitati Clericorum, ne a laicis iudicentur, ergo sequenda ex sua probabilitate. *Gratian cap 83. num. 6. cap. 131. num. 2. Diana part. 6 tract. 1. resol. 24. prope finem alijs citatis*. Tum quia Tridentini dispositio odiosa est, adiungit enim onera, & grauamina Iuri antiquo, quod Clericis omnibus concedebat sine illis Priuilegium Fori, iuxta quod dixi supra sub num. 2. ergo restringenda est, vt supra.

Quidam Doctor in causâ contra Clericum maioris ætatis probat, opinionem Torreblancæ aduersari Tridentino, per sequentia verba: Quia in principio Concilium disponit nullum Clericum ad Beneficium esse admittendum nisi postquam peruenerit ad ætatem quatuordecim annorum, postea dicit: *Is etiam Fori Priuilegio non gaudeat, nisi Beneficium ecclesiasticum habeat*. Ergo si repetita intelligitur qualitas ætatis minoris quatuordecim annis in hac secundâ dispositione quò ad Fori Priuilegium, dabitur Clericus beneficiatus minor quatuordecim annis, & consequenter resultat contrarietas in eodem capite, quia potest conferri Beneficium Clerico minori annis quatuordecim. Vel si hoc negatur, dispositio Concil.j contrahit impossibilitatem, dum vult Clericum beneficiatum, qui reperiri non potest, frui posse priuilegio fori Hæc D. S.

Non conuincit hoc argumentum omnino 43 falsum, nam illa dispositio beneficialis exprimitur negatiuè in ordine ad Clericum impuberem, affirmatiuè verò respectu puberis, & facit hunc sensum, quem nemo negare potest, sc. Clericus impuber vsque ad 14. annum exclusiuè non potest obtinere Beneficium, vtique verò puber ab anno decimo quarto. Qualitas ergo puberis, non impuberis repetitur in Clerico beneficiato gaudente Priuilegio Fori. In sequenti verò dispositione de tribus requisitis, & alijs intelligitur vtraq; qualitas impubertatis, & pubertatis repetita, aliter nec alij Clerici puberes non beneficiati gauderent Priuilegio Fori, si illa dispositio restringeretur ad minores quatuordecim annis. Textus ergo loquitur de vtrisq; respectu Priuilegij, de impuberibus negatiuè quò ad Beneficium, affirmatiuè verò de puberibus. Et ex his omninò certis tollitur contrarietas, & impossibilitas in opinione Torreblancæ, qui, vt diximus, loquitur, vt nos explicauimus.

Et ex his infertur, cum D. Ioseph non comprehendatur sub dispositione Tridentini, ac proinde sufficere, quòd detulerit Habitum clericalem vt docent *Farin. q. 8. nu. 91. Gratian. cap. 190. num. 10 cum alijs Fagn. part. 3. in cap. si quis de foro camp. num. 60 & 61. num. Alleg. 12. num. 21. qui num. 22. tradit*, attento iure ant quo non posse Clericum declarari priuatum Priuilegio Fori, nisi post trinam monitionem.

Neque est necessarium, quòd Clericus deferat vestem talarem, sed talem, qualem exigit mos patriæ, & regionis, *ex Farin. q. 8. num. 69. Bonac. in Bulla disp. 1. q. 16. sect. 1. p. 6. num. 30. Sperell. decis. 17. num. 44.* Talem enim vestem talarem non exprimit Tridentinum.

Quæres 22. Quid determinet Synodus Nembrina Illustrissimi D. D. nostri Caroli Episcopi Parmæ, circa delationem habitus clericalis?

R. Sub fol. 97. legitur sequens decretum. 44 *Qui beneficium* quod supra extensum sub num. 13. non repeto. Sed de eo emergunt duæ difficultates Prima, an Clericus captus cum veste appellatâ Giustacore gaudeat Priuilegio Fori quousq; bis mulctatus, declaretur postea non gaudere, & remitti Curiæ seculari; Secunda, an dictum Decretum sit contra Tridentinum, quod non requirit trinam monitionem, sicut videtur requirere Synodus.

Ad primam, talem Clericum in vim huius Synodi non posse immediatè priuari, vel declarari priuatum Priuilegijs clericalibus, nisi præcedat illa duplex mulctatio, quâ securâ, & prosequens deferre Giustacore, declarandus est non amplius gaudere Priuilegio, & aliter

aliter non potest Synodus intelligi, cum clarè loquatur.

℞. Ad secundam, dictum decretum non aduersari Tridentino, cum nihil disponat de mulctis; ergo cum id reliquerit arbitrio Prælatorum, potuit Episcopus circa hoc disponere, sine violatione Tridentini: Nec quis dicat, Tridentinum non requirere trinam monitionem, vt probatum fuit supra sub num. 27. vt videtur exigere Synodus. Respondetur enim id falsum esse, esto enim non possit mulctare sine citatione Clerici, non
45 tamen sequitur necessariam esse monitionem, quia aliud est citatio, aliud monitio, ea enim ordinatur ad mulctam, monitio verò ad resipiscendum, & obediendum Legi. Neque in Tridentino mandatur Iudici, vt Clericus, qui non seruat ea requisita statim declaretur priuatus, sed simpliciter dicitur. *Priuilegio Fori non gaudeat*, & cum requiratur sententia declaratoria, quòd non seruauerit illa tria, antequam careat Priuilegio, & Tridentinum super ea nihil disponat, reliquit hunc modum sub dispositione Synodorum, meritò igitur Illustr. D. Episcopus, declarationem protrahit post secundam mulctam. Et ex his patet Synodum non aduersari Tridentino.

Quæres 23. An Clericus non gratis, sed mercede seruiens Ecclesiæ in habitu, & tonsura gaudeat Priuilegio Fori?

46 ℞. Affirmatiuè, quia Tridentinum requirit simpliciter seruitium Ecclesiæ nihil determinando de mercede, neque gratis seruitute, ergo sufficit seruitus siue gratis, siue mercede fiat, nam operarius dignus est mercede sua, & qui Altari seruit, de Altari viuere debet.

Quæres 24. An Clerici Scholares existentes in seminario, vel extra studentes ad gaudendum Priuilegio Fori præter Studium, debeant habere etiam illa tria requisita, sc. deferre habitum, & tonsuram, & seruire Ecclesiæ?

47 ℞. Præter habitum, & tonsuram requiritur aut seruitium Ecclesiæ, vel quod sit in Seminario, aut Scholâ de licentia Episcopi, vt non obscurè deducitur ex verbis hisce Tridentini cap. 6. sess. 23. *Is etiam Fori Priuilegio non gaudeat, nisi clericalem habitum, tonsuram deferens alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel vniuersitate de licentia Episcopi.* Qui ergo non seruit, necesse est, vt sit vel in Seminario, vel in Scholâ aliter non gaudet hoc Priuilegio, quia prædicta tria sunt necessaria ad gaudendum Priuilegio, habet ergo Clericus electionem vnius ex duobus, aut seruire Ecclesiæ, aut esse in Seminario, aut in Scholâ; igitur aut studere, aut seruire cum delatione habitus, & tonsuræ vbique. Et ita declarauit S. C. referente Fagnano par. 3. in cap. Si quis, de foro compet. num. 19. his verbis: *Ad hoc, vt Fori Priuilegio gaudeat, requiri, & sufficere ea, quæ aliquo ex infrascriptis capitibus sigillatim sunt adnotata. Vt obtineat Beneficium ecclesiasticum. Vt clericalem habitum, & tonsuram deferens in aliquo Seminario de licentia Episcopi degat. Vt in habitu, & tonsurà incedens in aliqua Schola de licentia Episcopi versetur. Vt habitum, & tonsuram gestans in aliqua Vniuersitate de licentia Episcopi moretur.* In his ergo omnibus requirit semper delationem habitus, & tonsuræ, loquendo autem de beneficiatis nullam facit mentionem de habitu, & tonsura, ergo sine his gaudent Priuilegio Fori.

Sicut autem supra sub. q. 9. num. 2. dictum fuit, non esse necessarium mandatum Episcopi deputantis Clericum ad seruitium Ecclesiæ, ita neque licentia est necessaria pro Schola, hoc ipso, quòd Clericus realiter studet, & scholam frequentat; in seminario autem nullus recipitur sine illius consensu. Textus, & S. C. distinguunt scholam ab Vniuersitate, vnde nomine scholæ venit etiam priuata, nomine Vniuersitatis publica, cuiusmodi sunt scholæ Iesuitarum, immo & aliorum ordinum, qui ex præscripto Tridentini debent docere suos non solùm Sacram Scripturam ex cap. 1. sess. 5. sed etiam alias scientias, & Philosophiam, nam hæ scientiæ multum conducunt ad Sacram Scripturam, immo, & scientiæ legales valde vtiles sunt Clericis, & Religiosis; vnde his incumbentes dicuntur morari in Vniuersitate, excluso tamen Studio Medicinæ, quod non prodest Canonistis, nec Theologis: non obstante cap. fin. Ne Cler. vbi Gomez in Reg. De non toll. q. 3. fine, ex Abbate in cap. Ne magnopere num. 8. dicit, licere Clericis, & Religiosis ad maiorem perfectionem, & intelligentiam in scholis publicè Ius ciuile audire. 48

Quæres 25. An Clericus declaratus non gaudere Priuilegio Fori, adhuc puniri possit ab Episcopo?

℞. Negatiuè, quia per eam declarationem aquisitum fuit Ius Iudici sæculari, in eius enim gratiam facta fuit declaratio, & id confirmatur ex Responso Sacræ Congreg. infra sub num. 52. extenso, illis verbis: *Subsint iurisdictioni Episcoporum, aut Ordinariorum, illorumque cognitioni, ne dum in causis, in quibus ijdem Episcopi, seù Ordinarij præueneruntt, vel etiam in quibus non præuenerunt, videlicet, si neque à Iure, neque ab homine, per declarationem, seruatis seruandis factam Priuilegijs clericalibus denudati, seu priuati sint.* Et aliud non vult dicere ex Riccio, Bonac. in Bul'à d sp. s. q. 16. sect. 1. p. 6. num 33. cum alijs dicentibus, Patres in Concilio concedentes Laicis posse punire 49

Clericos, si carent requisitis, non ideo abstulisse iurisdictionem Ordinarijs, intellige posse illos punire, non declarando eos carere Priuilegio Fori, etiam instante fiscali laico pro declaratione, vt possit aquirere ius ad puniendum.

Quæres 26. An Episcopus in omni casu, quo in minoribus constitutus delinquens, licet non gaudeat Priuilegio Fori ad tenorem Tridentini, possit illum punire cum exclusione Iudicis secularis, licet is præuenerit per captum Clericum non gaudentem Priuilegijs?

51 ℞. Affirmatiuè, quia non est rationabile, quòd per delictum, aut defectum Subditi, Superior perdat potestatem, quam in eum habet. Et ita respondit Sacra Congregatio Romano Pontifice non semel approbante, vt refert Sperel. decis. 133. num. 84. Vers. Et propterea, eius tenoris.

52 *Die 12 Nouembris 1630. Factà relatione Sanct. D. N in causà Leodiensi 9. eiusdem in S Congr. Concilij propositâ. Sanct. Approbauit declarationem factam, vt Clerici etiam non habentes requisita cap 6. sess. 23. de Reform. licet ipsi tamquam contrauenientes ordinationi S. Concilij, non possint per seipsos allegare Priuilegium Fori, nihilominus subsint iurisdictioni Episcoporum, aut Ordinariorum, illorumque cognitioni, ne dum in causis, in quibus ijdem Episcopi, seù Ordinarij præuenerunt, verùm etiam, in quibus non præuenerunt, videlicet, si neque à iure, neq; ab homine per declarationem seruatis seruandis factam, Priuilegijs clericalibus denudati, seu priuati sint.*

Hanc autem declarationem, vt subiungit idem Sperellus idem Pontifex sæpius confirmauit, & canonizauit, & signanter in sequenti resolutione.

Die 1. Augusti 1634. idem Sanct. D.N occasione relationis status Ecclesiæ Neapolitanæ ad remouendam omnem difficultatem, denuò iussit omninò obseruari supradictam opinionem supra firmatam in causa Leodiensi.

Hoc responsum est valdè vtile ipsi Clerico, qui à magno cum dispendio ipsius rei probatur gaudere, vel non gaudere Priuilegio Fori; facit quoque pro quiete, Iudicantium, quia hac responsione manifestè constat, Iudicem secularem debere sine altercatione restituere Clericum, siue gaudeat Priuilegio Fori, siue non.

An credendum sit Sperello, vel alteri referenti tale responsum ad verbum?

53 ℞. Iudicem non teneri credere, nisi exhibeatur in formâ authenticâ, scilicet, solito sigillo, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, & Secretarij eiusdem Congregationis, pro tempore existentium munitum. Ita de mandato Vrbani VIII. edidit Decretum Sacra Congregatio, extensum apud Dianam par. 11. tract. 8. resol. 53.

CAPVT SEPTIMVM.

De Priuilegijs Clericorum Coniugatorum cum Virgine.

1 *Clerici coniugati alij non sunt bigami, qui sc. cum virgine contraxerunt alij bigami.*
2 *Laicus habens vxorem virginem potest promoueri ad omnes Ordines.*
3 *Cap. Vn. de Cler. coniug. in 6. extenditur.*
4 *Cap. 6. sess. 23. extenditur quò ad Clericos coniugatos.*
5 *Conditiones requisitæ, vt coniugatus gaudeat Priuilegijs.*
6 *Quæ sunt Canonis, & Fori criminalis.*
7 *Non autem Fori ciuilis & gabellarum.*
8 *Criminosus punitur in corpore, & etiam in bonis.*
9 *Clericus coniugatus quò ad bona habetur pro laico.*
10 *Incapax Beneficij, obtentum perdit.*
11 *Et pensionis.*
12 *Vicarius esse non potest.*
13 *Vxor eius non gaudet Priuilegijs.*
14 *Quia pendent à Clericatu, cuius ipsa est incapax.*
15 *Qualis debeat esse eius habitus, & tonsura.*
16 *Quale eius seruitium.*
17 *Ministerij vox comprehendit seruitium tam temporale, quam spirituale.*
18 *Copulatiuè seruare debet ea requisita.*
19 *Monitio trina in his non est necessaria.*
20 *Contrahens cum muliere à se corrupta dicitur duxisse virginem.*
21 *Ducens corruptam putatam virginem non gaudet Priuilegijs.*
22 *Ducens mulierem corruptam extra copulam gaudet.*
23 *Non est necesse, quòd sponsus sit virgo.*
24 *Bigamia sumitur per nominationem à sponsa aliàs corrupta ab alio.*
25 *Bigamia non contrahitur à ducente vxorem ab alio marito non cognitam.*
26 *Bigamia oritur ex binis nuptijs validis consumatis.*
27 *Bigamia ex inualido priori Matrimonio etiam consumato non oritur in secundo Matrimonio.*
28 *Impedimentum non præstat, quod de iure non sortitur effectum.*
29 *Inualidè factum pro non facto habetur.*
30 *In sacris dispensatus ad vxorem gaudet Priuilegijs.*
31 *Probare debet vxorem esse virginem.*
32 *Renuntiare Priuilegijs non debet.*
33 *Recuperantur resumpto habitu.*
34 *Mortuâ vxore recuperantur.*

DE

DE PRIVILEGIIS CLERICORVM CONIVGATORVM CVM VIRGINE.

1 PRo complemento tractatus de Priuilegio Fori ad tenorem cap. 6. sess. 23. reliquum est, vt videamus, an, & quomodo Clerici tonsurati, seu etiam in minoribus constituti, & coniugati gaudeant Priuilegio Fori ad formam eiusdem capitis. Et quoniam Clerici coniugati sunt in duplici differentiâ, alij cum vnicâ, & virgine coniuncti in Matrimonio; alij cum corruptâ coniuncti, qui vocantur bigami. Hic agendum est de coniugatis cum virgine, in sequenti de coniunctis cum corruptâ.

Quæres 1. An Clericatus debeat præcedere Matrimonium cum virgine, an subsequi illud? Et an sit differentia inter vtrunq; actum?

2 R. Laicus habens vxorem virginem potest promoueri ad Ordines minores, etiam sine licentiâ vxoris, quia hoc illi non præiudicat, cum isti Ordines adiunctum non habeant votum castitatis. Quod si vlterius procedere velit ad Ordines sacros, id facere non potest, nisi de consensu vxoris, quæ si est iuuenis debet & ipsa profiteri in aliqua Religione, si est senex sufficit votum simplex Continentiæ manendo extra domum mariti promoti ad sacros Ordines. Ita ex ca. *Episcopus dist. 77. & cap. Coniugatus, de conuers. coniugat. Sanch lib. 7. disp. 39 num. 6. Castropal. de Sponsal. disp. 3. p. 6. §. 11 num. 18. & seq.* E contra Clericus in minoribus non prohibetur deducere vxorem virginem, & quidem semel, iuxta caput, quod mox referam, & cum ea consumare Matrimonium; & licitum vtique eo quòd non habet votum Continentiæ, vlterius verò procedere ad Ordines sacros non prohibetur, tamen vxor consentiens in promotionem debet vouere Continentiam, & viuere in domo separatâ, si senes sit; si iuuenis ingredi, & profiteri in Religione ex citatis Doctoribus. Siue ergo præcedat Clericatus, siue non, parum refert ad præsens institutum cum Matrimonium semper dicatur contractum cum vnicâ, & virgine. De Priuilegijs ergo clericalibus istorum hic agendum, ad tenorem cap. Vn. de cler. coniug. in 6. & cap. 6. sess. 23. Referam dictum titulum, sequentis tenoris.

3 *Clerici, qui cum vnicis, & virginibus contraxerunt, si tonsuram, & vestes deferant clericales. Priuilegium retineant Canonis ab Innocentio Papa II. Prædecessore nostro editi in fauorem totius Ordinis clericalis; & cum iuxta Parisiense Concilium nullus Clericus distringi, aut condemnari debeat à Iudice seculari, præsenti declaramus edicto, huiusmodi Clericos coniugatos pro commissis ab eis excessibus, vel delictis, trahi non posse criminaliter, aut ciuiliter ad Iudicium secularem; nec ab ipsis secularibus Iudicibus eos debere personaliter, vel etiam pecuniariter, nec per vllam viam concedatur eisdem Iudicibus, quod per aliam negatur, vllatenus condemnari. In cæteris autem, si vt præmittitur, tonsuram, vel vestes deferant clericales, etiam in præmissis, eos gaudere nolumus Priuilegio clericali.*

Hoc Decretum Tridentinum sess. 23. cap. 6. innouauit, & adiunxit grauamen feruendi Ecclesiæ præter delationem habitus, & tonsuræ his verbis. *In Clericis verò coniugatis seruetur constitutio Bonifacij VIII quæ incipit. Clerici, qui cum vnicis, modo hi Clerici alicuius Eccles. a seruitio vel ministerio ab Episcopo deputati eidem Ecclesiæ deseruiant vel ministrent & clericali habitu & tonsura vtantur.* Hæc duo Decreta Bonifacij, & Trident. inexplicantur in sequentibus quæstionibus in ordine ad vsum Priuilegiorum Clericalium tàm Canonis, quàm Fori, in criminalibus, ciuilibus, & gabellis. 4

Quæres ig tur 2. quæ conditiones requirantur in Clerico coniugato, vt gaudeat Priuilegio Canonis, & Fori?

R. Tria. *Primò* quòd Clericus vnicam, & virginem tantum duxerit. *Secundò*, quòd deferat vestes clericales, & tonsuram. *Tertiò* quòd seruiat Ecclesiæ sibi ab Episcopo deputatæ. Hoc postremum exprimitur in Tridentino, prorsus ab hibentur etiam in constitutione prædicta Bonifacij VIII. Itaque ex parte [illegible] dicitur dispositio odiosa, dum [illegible] Clericum, si vult gaudere Priuilegio Canonis & Fori, ad seruiendum Ecclesiæ, quo Bonifacius non adiunxit iure contentus illis tribus, matrimonio cum vnicâ, & virgine, tonsurâ, & veste clericali. Et ita docent omnes *cum Castropal. p. 2. num. 9. Ciarlin. cap. 53. num. 11. Barbosa Allegat. 12. num 25.* 5

Quæres 3. An Clerici coniugati gaudeant Priuilegio Fori non solùm quò ad criminalia sed etiam quò ad ciuilia, & gabellas?

R. Gaudent tantùm quò ad criminalia, itaut non possint puniri neq; in personâ, neq; in bonis suis, vt clarè dicitur in textu. Et ita docent omnes cum *Farinac. q. 8. num. 7. Sanch. lib. 7 disp. 46. num. 22. Barb. ad dictum cap. Vn. de Cler. coniug. num. 81. Ciarlin. cap. 53. num. 4. Dal Bene cap. 4. dub. 11. sect. 1. num. 11.* 6

Non gaudent ergo Priuilegio Fori quò ad sua bona, sed trahuntur ciuiliter ad Iudicem laicum, & onerantur gabellis, sicuti si essent laici. Probatur expressè per *cap. Ex parte 9. de cler. coniug.* vbi, quòd isti Clerici in rebus suis non gaudent Priuilegio clericali, vt etiam probatur ex citato textu Vn. vbi nulla mentio fit de bonis eorum exemptis 7

nisi respectu criminalis causæ, in quâ nec pecunialiter puniri possunt, vnde textus concludit: *In cæteris autem si vestes, vel tonsuram deferant, eos gaudere volumus Priuilegio clericali*. Et ita docent præter citatos Canon. in præcitatis textibus, *Couar. cap. 31. Variar. num. 6. & 7. Gutier. de iuram. cap. 17. num. 11. & 12. Barb. Alleg. 12. num. 25. & ad cap. 6. Trident. num. 44. Dal Bene cit. num. 11. Sanchez loco pro se citat 25. Doctores*.

Dices, obstat expressè textus cap. Vn. supra extensi ibi: *Trahi non posse criminaliter, nec ciuiliter*. Ergo gaudet vtroq; Priuilegio Fori, criminalis scilicet, & ciuilis. Confirmatur, quia Tridentini verba *Non gaudeat Priuilegio Fori* comprehendunt vtrunq; forum, immo & gabellas, vt probaui initio capitis 5. num. 10. Et ita docent *Marta de iurisd. par. 4. casu 153. Riccius par. 4. dec. 320. num. 5. Grassus Eff 1. num. 81. Barb. ad cap. 6 sess. 23. num. 44. Alleg. 12. num. 25. Vers. Quamuis* multis alijs citatis.

8 Respondetur veriorem esse opinionem Iura restringentium Priuilegium Fori solum ad criminalia. Ad primum dico, Iudicem posse procedere contra criminosos, & delinquentes duobus modis criminaliter distringendo personam, & ciuiliter in bonis, quæ est causa ciuilis, secundùm quam vnus litigat contra alium super bona, non super crimine. Ad confirmationem dico Tridentinum comprehendere vtrunq; Priuilegium Fori personæ scilicet, & rerum, vt probaui cap. 5. num. 10. respectu Clericorum non coniugatorum. Respectu verò coniugatorum innouat constitutionem Bonifacij VIII. & eis adiungit seruitium Ecclesiæ, ne isti sint magis priuilegiati Clericis non coniugatis in illis requisitis, quos voluit esse pares, dispares verò in Priuilegijs, ita enim conueniebat statui illorum. Quare Clerici coniugati re-

9 putantur quò ad bona sua vti laici, vt multis allegatis *Ciarlin. cap. 53. num. 6.*

Quæres 4. An Clericus coniugatus sit capax Beneficij?

10 ℞. Negatiuè, ex cap. Sane 2. de Cler. coniug. nam cap. Vn. de Cler. coniug. in 6. aliud illi non concedit, nisi Priuilegia Canonis, & Fori criminalis, vt visum fuit. Est communis *Flamin. lib. 4. de resig. q. 2. num. 7. Barb. ad cit. cap. 2. num. 2.* alijs citatis, ita quòd nec Episcopus cum eo dispensare potest, *Sanchez lib. 7. disp. 42. num. 18. Garz. par. 7. de benef. cap. 5. num. 4. ibid. Barb. & Alleg. 72. num. 78. Ciarlin. cap. 53. num. 42. Castropal. disp. 6. de benef. p. 3. §. 8. num. 7.* Quod si Clericus ducat vxorem licet virginem etiam in minoribus constitutus ipso iure priuatur Beneficio, quod obtinet, *Sanch. lib. 7. disp. 42. Castropal. cit. num. 3.* Et alij omnes.

Quæres 5. An sit capax pensionis? & eam habens ducendo vxorem perdat illam.

℞. Clericus habens pensionem ipso iure perdit eam per contractum Matrimonium, quia alio Priuilegio clericali non gaudet, nisi Canonis, & Fori criminalis, ergo illud perdit ducendo vxorem, nec proinde vlterius capax est, dum Matrimonium perdurat. Ita *Gigas de pens. q. 54. num. 4. Puteus lib. 2. dec. 449. Rota par. 8. decis. 33. num. 2.* Eâ ratione quia Pensio datur ratione Clericatus, qui expirat per Matrimonium. Sed meo iudicio, hæc ratio non habet locum in Clerico coniugato cum virgine, quia Clericatus in eo adhuc viget, & honoratur ratione Priuilegij Canonis, & Fori criminalis; procedit ergo in Clericis bigamis, qui omnino sunt exuti Clericatu, & Statu ecclesiastico, meri laici. 11

Quæres 6. An Clericus coniugatus possit esse Vicarius Episcopi?

℞. Negatiuè, quia alio Priuilegio clericali non gaudet, nisi Canonis, & Fori criminalis, vnde cum habeatur in alijs pro laico, non potest esse Vicarius. Ita *Sbrozius de officio Vicarij lib. 1. q. 31. Barb. Alleg. 54. num. 6. Sanch. lib. 7. disp. 48. num. 14. Ciarlin. cap. 53. num. 8.* Qui dicunt ei committi posse negotia temporalia. 12

Quæres 7. An eius Vxor gaudeat Priuilegijs clericalibus?

℞. Negatiuè, quia est incapax spiritualis qualitatis, Clericatus scilicet, propter quem Clerici gaudent Priuilegijs Canonis, & Fori criminalis. Et ita quòd non gaudeat Priuilegio Canonis docent *Imola in cap. 2. de foro compet. num. 3. ibi Alex. de Neuo num 21. Felin. num. 3. cum alijs Sanchez lib. 7. disp. 47. initio*. Quòd non gaudeat Priuilegio Fori docent *Iohannes Andr. ad Speculat. tit de cler. coniug. cum alijs Sanch. lib. 7. disp. 47. num. 3.* Nonnulli tenent oppositum, quia Vxor gaudet Priuilegijs mariti, quod verum est, quando Priuilegia oriuntur à causâ, cuius capax esse potest mulier; constat autem hoc Priuilegium Canonis, & Fori criminalis oriri à qualitate Clericatus, cuius est incapax mulier. 13 14

Quæres 8. Qualem habitum, & tonsuram debeat deferre Clericus coniugatus, vt gaudeat Priuilegio Canonis, & Fori criminalis?

℞. Eundem habitum, & tonsuram deferre debet, & eodem modo, quibus vtuntur Clerici non coniugati, si volunt gaudere dictis Priuilegijs, iuxta dicta cap. 6. à num. 12. ad 17. de habitu clericali, & à num. 18. ad 19. ibi enim dicti applicantur etiam ad Clericos coniugatos. 15

Quæres 9. Quale seruitium Clericus coniugatus debeat præstare Ecclesiæ vt gaudeat Priuilegijs Canonis, & Fori Criminalis.

℞. De-

16 ℞. Debet seruire vel spiritualiter in Choro cantando, & psallendo, seruire Missis, & interesse Processionibus; vel etiam temporaliter officio Notarij, & Procuratoris, Ianitoris, Campanarij, Scopatoris, &c. Differre autem seruitium præstandum à Clericis simplicibus ab eo, quod est faciendum à Clericis coniugatis, vt colligitur ex diuerso modo loquendi textus in Tridentino, nam de Clericis non coniugatis dicitur *Alicui Ecclesiæ inseruiat*. Loquendo verò de coniugatis, inquit: *Alicui Ecclesiæ seruitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ seruiant, vel ministrent*. Nam verbum
17 *Ministerium* est officium commune spirituali, & temporali, Christus enim spiritualia, & temporalia suis discipulis ministrabat.

Quæres. 10. An Clericus coniugatus debeat habere copulatiuè hæc tria requisita, vt gaudeat Priuilegijs Canonis, & Fori criminalis?

18 ℞. Affirmatiuè, nam exprimuntur per coniunctiuam, iuxta dicta de Clericis non coniugatis cap. 6. q. 1. num. 6. Multis allegatis: *Cuarl. cap. 53. num. 11. Castropal. p. 2. num. 9.*

Quæres 11. An ad perdendum hæc Priuilegia requiratur trina monitio facienda Clerico non deferenti habitum, nec tonsuram, nec seruienti Ecclesiæ?

19 ℞. Negatiuè, quia id non exigitur neq; in cap. Vn. neque in Tridentino, cum ipso iure dicatur priuatus per Sententiam Iuris, hoc ipso, quòd deficit in vno ex tribus illis requisitis; iuxta quod dictum fuit in cap. 6. num. 27. Et ita docent *Couar. cap. 32. Practic. quæst. num 1. Grassus Effectu 1. num 84.*

Quæres 12. An Clericus contrahens cum muliere à se corruptà gaudeat Priuilegijs?

20 ℞. Gaudet, quia adhuc dicitur contraxisse per fictionem Iuris cum Virgine, quia non diuisit carnem ab eà, dum suam cum vnicà commiscuit, & vniuit, ac proinde fingitur duxisse virginem. Confirmatur, quia ex cap. Debitum 5. de bigamis, contrahens cum desponsatà tantùm alteri non euadit bigamus, quia cum non fuerit cognita à sponso primo, & sic ab altero non cognita, pro virgine habetur in eo quod ducens eam non fit bigamus. Ita *Glos. V. Contraxerunt, in hoc cap. Vn. de cler. coniug. in 6. Sanchez lib 7. disp. 84. num. 14. Suarez disp. 49. Sect. 3. num. 6. Castropal. de cens. disp. 6. p. 8. num. 4. & de Reuer. disp. Vn. p. 2. num. 9.*

Quæres 13. An gaudeat Priuilegijs ducens corruptam, quam putabat virginem.

21 ℞. Negatiuè, quia is est bigamus, priuatus omni Priuilegio, cap. Vn. de bigam. in 6. Ita docent *Glos. in cap. Nemo 12. dist. 32. Sanch. disp. 84 num. 15. Sayrus lib. 6. de cens. cap. 4. num. 11. cum alijs Barbosa ad hoc cap. 12. dist. 32.*

Quæres 14. An gaudeat Priuilegio ducens Mulierem, quæ seipsam vitiosè manibus corrupit, vel per aliam personam sine copula?

℞. Gaudet, quia corruptio inducens bigamiam debet procedere à copulà inter personas diuersi sexus. 22

Quæres 15. An gaudeat Priuilegio Clericus qui fornicatus fuit cum Muliere, ducens postmodum Virginem.

℞. Affirmatiuè, quia viri corruptio non facit hominem bigamum, sed fæminæ corruptio. Ratio ergo cur Fæmina debeat esse Virgo, & non Vir, ea est, quia vir significat Christum, qui sibi Synagogam copulauit, & quia noluit ei obedire, dimisit eam in infidelitate sua corruptam, & sibi adiunxit Ecclesiam Gentium, quæ illi seruiuit, & seruit in Fide existens immaculata, & sine rugà in nullo corrupta, semper illi fidelis, ideo maior castitas requiritur in vxore, quam in viro, qui ad similitudinem Christi potest diuidere carnem suam, hoc est, habere successiuè plures vxores, sicut Christus sibi successiuè copulauit Synagogam, & Ecclesiam. *Glos. V. Cognitum, cap. Debitum 5. de bigamis*. Quare Theologi cum S. *Toma in 4. dist. 27. q. 3. art. 1. quæst. 3.* aiunt, virum non à se, sed ab vxore sumere speciem Bigamiæ tamquam à termino, ideo à diuisione carnis vxoris per corruptionem denominatur vir bigamus, idest carens vnitate carnis ob diuisionem vxoris cognitæ alias ab alio, *Castropal. de censur. disp. 6. p. 8. num. 4.* 23 24

Quæres 16. An Clericus contrahens cum muliere, quam virginem duxerat alter, sed non cognitam, quia vir eius mortuus est antequam consumaret Matrimonium, gaudeat Priuilegijs?

℞. Affirmatiuè, quia dicitur contraxisse cum vnicà, & ea virgine, ea enim sponsa non dicitur suam carnem diuidere cum secundo marito, dum à priori non fuit cognita. Confirmatur, quia diuisio carnis oritur ex binis nuptijs consumatis, cap. *Cognoscamus 14. dist 34.* Expressè cap. Debitum 5. de bigamis, vbi ergo non est Bigamia ibi est Matrimonium cum vnicà virgine. Ita *Sanch. lib. 7. disp. 46. num. 3. Castropal. de Reuer. p. 2. num. 9.* 25 26

Quæres 17. An primo Matrimonio cum virgine contracto, & nullo declarato post consumationem illius, dicatur secundò contrahens pariter cum virgine gaudere Priuilegijs?

℞. Affirmatiuè, quia cum primum Matrimonium etiam consumatum non conuenit, ducens secundam virginem non dicitur contraxisse Bigamiam, quæ solùm incurritur ex binis nuptijs consumatis, veris, & validis, vt dixi in præced. quæstione, ergo gaudet Priuilegijs; non enim præstat impedimen- 27

28 dimentum, quod de iure non fortitur effectum, Reg. 52. in 6. inualidè enim factum
29 reputatur ac si non esset factum, *l. Non putauit §. Non quauis ff. de bonor. possess. contra tabul. l. 1. §. Nihil. ff. de inoffic.* Ergo contrax t cum vnica virgine. *Sanch. lib. 7. disp. 46. num. 3.*

Quæres 18. An in Sacris constitutus, si ex dispensatione Apostolicà ducat virginem in vxorem, gaudeat Priuilegijs? Pariter idem quæritur si ducat viduam?

30 ℞. Gaudet in vtroque casu, quia dispensatio impedit contractionem Bigamiæ similitudinariæ in vtroque casu. Immo hæc Bigamia sicut non ponit Priuilegium, ita nec tollit, cum sacer Ordo inducat huiusmodi Priuilegia. Ita decisum *ex Cellio refert. Barb. ad cap. 6. sess. 23. num. 45.*

Quæres 19. An Clericus coniugatus teneatur probare suam vxorem fuisse virginem, quando eam duxit, ad effectum gaudendi Priuilegijs in casu si ei obijciatur fuisse corruptam ab alio?

31 ℞. Affirmatiuè, & sufficit, quòd testes dicant, mulierem reputatam fuisse virginem. Ita omnes cum *Couar in Practic. quæst. cap. 31. num. 7. Vers. Tertio, Farinac. q. 8. num 8 Grassus Eff. 1. num. 89. Ciarlin. cap. 53. num. 13. & 14.*

Quæres 20. An Clericus coniugatus possit his Priuilegijs renuntiare non solum facto, sed etiam verbo?

32 ℞. Verbo renuntiare non potest, sed tantùm facto, desertione requisitorum, quod est potius ea perdere, quam illis renuntiare, vt dixi cap. 2. num. 146. ad 152. Dicitur enim in textu cap. Vnic. de Cler. coniug. in 6. *Si tonsuram, & vestes deferant clericales Priuilegium retineant* Canonis *&c.*

Quæres 21. An perdita Priuilegia desertione habitus possit quis ea recuperare resumendo habitum, tonsuram, & seruitium Ecclesiæ?

33 ℞. Affirmatiuè, etiam resumendo illum, quia licet illa perdiderit per Sententiam Iuris, tamen cum ante Sententiam Iudicis declaratoriam ea absolutè non perdiderit quasi tantùm in eo suspensa fuerint, facilè recuperantur, cum in eo non fuerint extincta, nisi sequatur declaratio, quod deficit in requisitis.

Quæres 22. An, qui Priuilegijs vsus non fuit viuente vxore, possit illis vti ea mortuà, resumptione habitus, quem abiecerat, quando duxit vxorem?

34 ℞. Potest, resumptione habitus, quia in eo non erant extincta, sed tantùm suspensa, cum Matrimonium cum vnicà, & virgine illa non destruat, nec extinguat. Ita tenent multi cum *Sanchez lib. 7. disput. 46. num. 49. Barb. Allegat. 12. num. 27. Ciarlin. cap. 53. num. 21.* An requiratur licentia Ordinarij in resumptione dicam infra sub cap. 10. quæst. 7.

CAPVT OCTAVVM.

De Priuilegijs Clericorum Bigamorum.

1 *Clerici coniugati alij sunt cum vnicà, & virgine, alij cum pluribus, vel vnà corruptà, & hi dicuntur bigami.*

2 *Lamech inuentor Bigamiæ, seù potius Poligamiæ, qui simul plures habet vxores.*

3 *Bigamia prohibet susceptionem Ordinum, & exercitium susceptorum Iure ecclesiastico.*

4 *Bigamia est diuisio carnis proueniens ex copulà matrimoniali.*

5 *Bigamia supponit vnionem* Erunt duo in carne vna.

6 *Quod intelligitur etiam de vnione cum meretrice.*

7 Sanctior est copula mentium, quam corporum *S. Bonauentura.*

8 Copula *triplex Carnalis licita, Carnalis illicita, & Spiritualis, sic triplex Bigamia.*

9 *Bigamia vera est diuisio carnis proueniens ex duplici Matrimonio consumato primò cum virgine, secundò cum quacunq; muliere.*

10 *Contrahitur etiam ante Baptismum, cum sit ex defectu.*

11 *Matrimonium cum vnicà & virgine consumatum non generat Bigamiam.*

12 *Duo eius Matrimonia debent esse valida, & consumata.*

13 *Interpretatiua oritur ex Matrimonio consumato cũ vidua post mortẽ prioris viri.*

14 *Secundò hæc oritur ex Matrimonio consumato cum corruptà ab alio extra Matrimonium.*

15 *Tertiò oritur ex matrimoniali copulà cum propriâ vxore, quæ adulterarat.*

16 *Ducens vxorem aliàs a se tantùm cognitam non fit bigamus.*

17 Bona *fides quòd vxor ducta sit virgo non excusat a Bigamia.*

18 *Ex matrimonio nullo cum corruptà non contrahitur Bigamia.*

19 Copula *illicita non inducit Bigamiam veram, nec interpretatiuam.*

20 *Textus loquentes tantùm de Bigamià similitudinarià.*

21 *Similitudinarià Bigamia non sunt capaces voto solemni carentes.*

22 *In similitudinarià requiritur Matrimonium attentatum, in alijs validum, & consumatum.*

23 Contr

23 *Coactus cognoscere Adulteram adhuc est Bigamus.*
24 *Bigamia vera, & interpretatiua incurritur sine peccato, alia cum peccato.*
25 *Ducens virginem sponsam non cognitam a priori viro non fit bigamus.*
26 *Non est bigamus cognoscens virginem, si priorem vxorem corruptam nō cognouit.*
27 *Non est Bigamus cognoscens secundam virginem, non cognitâ primâ.*
28 *Fornicatio non producit Bigamiam.*
29 *Similitudinaria oritur ex habente votum solemne Castitatis cognoscendo vxorem.*
30 *Vera, & interpretatiua oritur ex Matrimonio valido, similitudinaria ex nullo.*
31 *Licet contrahat cum virgine.*
32 *Religiosi omnes ex voto, cognoscendo à se ductam fiunt bigami.*
33 *Religiosa professa nubendo fit bigama.*
34 *Bigamia præter exclusionem ab Ordinibus excludit etiam à Beneficijs, & alijs.*
35 *Iurisdictio duplex, alia fundatur in Clericatu, alia in Professione*
36 *Vota bieunij inducunt Bigamiam.*
37 *Votum Castitatis simplex non inducit Bigamiam.*
38 *Bigamia vera, & interpretatiua contrahitur à Laicis, & Clericis in minoribus, similitudinaria à solis habentibus votum solemne Castitatis, vel bieniȷ.*
39 *Bigamus nullus promoueri potest, nec ministrare in susceptis.*
40 *Bigamus validè ordinatur, sed illicitè.*
41 *Laicus bigamus promotus aquirit Priuilegia clericalia.*
42 *Non fit tamen capax Beneficij, nec Pensionis.*
43 *Priuilegium Canonis aquirit.*
44 *Et Fori criminalis, & ciuilis.*
45 *Atque rerum suarum.*
46 *In pœnalibus non fit extensio de casu ad casum.*
47 *Capax non est Prælatura, nec alterius Officij ecclesiastici.*
48 *Deijci potest Bigamus ad priorem statum laicalem.*
49 Deijcitur *.i. deponitur.*
50 *Professione Bigamia tollitur.*
51 *Clericus initiatus tonsurâ, & minoribus factus bigamus perdit omnia Priuilegia.*
52 *Caracter per superuenientem Bigamiam non deletur.*
53 *Clericus tamen factus bigamus pro laico habetur.*
54 *Vnde Bigamia hac, est contraria Clericatui.*
55 *Incapax Beneficij, Pensionis, & aliorum Officiorum Ecclesia.*
56 *Resumptione habitus, & tonsura post mortem vxoris non recuperat Priuilegia.*
57 *Bigamia facit perdere Beneficia, & Pensionem etiam Matrimonio rato tantùm.*
58 *Bigami similitudinarij non perdunt Priuilegia clericalia.*
59 *Nec Beneficia, & Pensiones ipso iure, nisi secutâ sententiâ.*
60 *Similitudinarij sunt ipso facto excommunicati.*
61 *Est hæreticus dicens posse ducere vxorem.*
62 *Et ducentes sunt vehementer suspecti de hæresi.*
63 *Priuatur nemo sine culpâ, nisi subsit causa.*
64 Quomodo placeat vxori, & diuisus est 1. *Corinth.* 7. 34.
65 *Bigami non prohibentur ingredi Religionem.*
66 *Papa dispensat super quâlibet Bigamiâ.*
67 *Sed cum magnâ difficultate.*
68 *Habet potestatem dispensandi in Iure diuino, extra materiam Fidei, & Sacramentorum.*
69 *Episcopus potest tantùm super similitudinariâ.*
70 *Simi litudin tria quandoq; reperitur cum verâ, siù interpretatiua.*
71 *Dispensandi facultas nun nam comprehendit Bigamiam veram, & interpretatiuam, nisi exprimatur.*
72 *Dispensatio in irregularitate Bigamiæ, & homicidij pari passu currit.*
73 *Generalis non est Officialis Papæ.*
74 *In generali concessione non veniunt, quæ specialiter petita non concederentur.*

DE PRIVILEGIIS CLERICORVM BIGAMORVM.

CLerici coniugati sunt in duplici differentiâ, alij, qui ducunt in vxorem vnicam tantùm mulierem, & illam virginem, de quibus actum est in præcedenti capite. Alij sunt, qui contrahunt Matrimonium cum corruptâ ab alio, quàm à ducente, & hi dicuntur bigami, de quibus hic agendum est, & de eorum Priuilegijs, si aliquibus gaudent, pro cuius rei intelligetiâ. 1

Quæres 1. Quis fuerit inuentor Bigamiæ? Et quis bigamos prohibuerit ab ordinibus ecclesiasticis.

℞. Inuentorem dicunt fuisse Lamech, in Genesi Cap. 4. 19. vbi dicitur, quod accepit sibi in vxores Ada, & Sella, quæ simul cum eo viuebant. Hic tamen nos Bigamiam non sumimus hoc modo, sub quo vocatur Polygamia, cum quis scilicet, simul duas habet vxores, vel plures viuentes eodem tempore, qui cum sit de hæresi suspectus subditur Iudicio S. Inquisitionis, de quo dixi in meo Sacro Tribunali cap. 22. à quæst. 30. Sed hic sermo est de eo bigamo, qui successiuè plura contraxit Matrimonia, iuxta inferius dicenda. Bigamia autem est canonicum impedimentum prohibens susceptionē Ordi-

Ordinum, Originem trahens ab Apostolis,
nam S. Paulus 1. ad Timoth. cap. 3. initio,
inquit: *Oportet Episcopum irreprehensibilem
esse, vnius vxoris virum*. In primitiua enim
Ecclesia, qui plures habuerat successiuè,
non poterat esse Episcopus, vtique qui cum
vnicâ, & virgine contraxerat, quod exclu-
dit Bigamiam. Postmodum Apostoli vna-
nimi consensu leges condiderunt canonicas,
ne vllus bigamus promoueretur ad Ordines,
vt patet ex eorum Canonibus 17. 18. & 19.
& in Decreto, & Decretal. in tit. de biga-
mis sæpius idem prohibetur. Ita docent om-
nes Theologi *in 4. dist. 33. Scotus q. 2. Vers.
Dico ergo. Faber de Ordine disp. 3. num. 235.*

Quæres 2. Quid, & quotuplex sit Biga-
miæ?

4 ℞. Est diuisio carnis proueniens ex copu-
lâ carnali in Matrimonio. Diuisio autem
supponit duorum vnionem, iuxta illud Ge-
nes. 2. 24. *Et erunt duo in carne vna*, quod
intelligitur non solum de copula Matrimo-
niali, & licitâ ex allegatâ auctoritate, sed
etiam de copulâ meretricali, fornicariâ, &
illicitâ, secundùm illud Corinr. 1. cap. 6.
5 num. 16. An *nescitis qui adhæret meretrici,
vnum corpus efficitur, erunt inquit, duo in
carne vna*. Tandem ex copulâ spirituali men-
tium fit vnio hominis cum corpore Christi,
6 ibid. num. 15. *Nescitis quoniam corpora ve-
stra sunt membra Christi*. Facit, quod dicit
S. Bonauentura in Lucam cap. 11. *San-
ctior est copula mentium, quam corporum.*

7 Copula ergo alia est spiritualis, qua ani-
ma fidelis in gratiâ existens dicitur vnita
Deo, quà ratione ordinatus in Subdiaconū,
& Nouitius profitendo, se Deo consecran-
tes per solemne votum Castitatis copulan-
8 tur Deo. Hinc fit, quòd sicut triplex est co-
pula vniens duo simul, nempe carnalis licita
ex Matrimonio carnali, illicita ex Fornica-
tione, & spiritualis ex Matrimonio spiritua-
li Ordinationis, & Professionis religiosæ, vt
dictum fuit; ita & triplex est Bigamia ex tri-
plici Matrimonio, scilicet, carnali vero, ex
quo oritur Bigamia vera, carnali ficto, ex
quo oritur interpretatiua, & spirituali Matri-
monio, ex quo oritur Bigamia similitudina-
ria, respectu vnionis, à qua initium habet
ipsa Bigamia, quæ specificatur per diuisio-
nem, sine qua existere non potest, & hoc
magis infra patebit in explicatione harum
specierum, quæ sunt Bigamia vera, Inter-
pretatiua, & Similitudinaria.

Quæres 3. Quid sit Bigamia, vera, &
propria?

9 ℞. Est diuisio carnis aliàs vnitæ in priori
Matrimonio valido, & consumato cum vni-
câ, & virgine, proueniens ex secundo Ma-
trimonio pariter valido, & consumato cum
quacunque muliere quamuis etiam virgine.
Hæc definitio explicatur; namque requirun-
tur duo Matrimonia carnalia, valida, &
consumata, in primo datur vnio carnis in-
ter virum, & vxorem, quæ virgo duci de-
bet à viro, qui aliàs nullum contraxit Ma-
trimonium; in secundo pariter valido, &
consumato, dicitur caro diuisa, ex quo ap-
pelatur Bigamia. Cum autem ambo Matri-
monia debeant esse valida, non potest vir
simul habere duas vxores, sed post mortem
vnius ducēdo secundam euadit bigamus co-
gnoscendo illam; prima autem vxor, cum
qua vir contrahit debet esse virgo, si enim
duceret corruptam non incurreret hanc Bi-
gamiam, sed interpretatiuam, de qua mox;
secunda vero sufficit si sit vel virgo,
vel corrupta. Præterea, ista duo Matri-
monia debent esse consumata cum eodem
viro respectu vtriusque vxoris, nam Biga-
mia perficitur ex diuisione carnis aliàs vnitæ
vnio autem, & diuisio eiusdem oritur ex
duobus copulis licitis. Demum hæc Biga-
mia oritur ex prædictis Matrimonijs contra- 10
ctis non solum post Baptismum, sed etiam
ante, vel etiam vno ante Baptismum, altero
post contracto; Baptisma enim non tollit
hunc impedimentum, cum non sit peccatum,
sed defectus tollendus solum per dispensa-
tionem. De hac Bigamia agitur *cap. Acu-
tius 2. cap. Deinde 3. dist. 25. cap. Maritum
3. dist. 33. cap. Sequis 8. cap. Cognoscamus
14. dist. 34. & alibi.*

Ex his infertur, quòd si quis primò con- 11
trahit cum virgine, eam cognoscendo non
fit bigamus per hoc, quia nec ipse, nec ipsa
diuisit carnem, cum non adsit hic diuisio
carnis, sed tantùm vnio, ergo primum Ma-
trimonium dicitur à viro contractum cum
vnicâ, & virgine, quod est necessarium ad
inducendam Bigamiam per subsequentem
carnis diuisionem.

Quare hæc duo Matrimonia debent esse 12
valida, & consumata, aliter non contrahi-
tur hæc Bigamia. Ita omnes *Sayrus lib. 6.
cap. 3. num. 18. Angelus V. Bigamia num. 1.
Faber de Ordine disp. 3. num. 228. Hiquaus
in 4 Sent. Scoti dist. 33. q. 2. num. 10. Vers.
Petes, Bonac. de Irregul. q. 2. p. 5. num. 2.
Barb. 49. initio Vers. Vera Bigamia, Miran-
da tom. 2. q. 8. art. 2. Sanch. lib. 7. disp. 83.
num. 2. Castropal. de cens. disp. 6 p. 8. num. 2.*
In hac ergo specie Bigamiæ vir est causa Bi-
gamiæ propriè dictæ, cum ipse sit non so-
lum causa vnionis, sed etiam diuisionis, ma-
ximè quando ambæ vxores sunt virgines.

Quæres 4. Quid sit Bigamia interpretatiua?

℞. Est illa, quæ prouenit à copula Matri- 13
moniali cum propria vxore ab alio corrup-
tâ. Quod contingit tripliciter.

Primò, quando quis ducit in vxorem vi-
duam mortuo priori marito, nam ea car-
nem, quam vnierat cum primo marito, di-
uidit

Digitized by Google

uidit copulando se cum secundo, vtroque Matrimonio existente valido. Ita colligitur *ex cap. Si quis viduam 13. dist. 34. cap. Lector. 18. eod. cap. De bigamis 3. de bigamis*, & alibi. Ita supracitati.

14 Secundò, quando quis ducit corruptam ab alio per copulam illicitam, & fornicariam, *cap. Curandum 9. cap. Præcipimus 10. cap. Si quis 15. dist. 34.* Est communis.

15 Tertiò, quando propria vxor fuit adultera, nam maritus postea eam cognoscendo cum eâ diuidit carnem, quam coniunxerat cum adultero. Est textus expressus *in cap. Si eius 11. cap. Si laici 12. dist. 34.* Procedit primò, esto per vim fuisset violata eius pudicitia, siue maritus habeat cognitionem, seu dederit causam, siue non, quia Bigamia non est pœna proueniens ex delicto, quod possit ignorantia excusare, sed est defectus, qui sine peccato incurritur. Ita *Castropal. de cens. disp. 6. p. 8. num. 3. Faber de Ordine disp. 3. num. 260. Sanch. lib. 7. disp. 84 num. 15. Sayr. lib. 6. cap. 4. num. 19.*

Quæres 5. An ducens vxorem à se tantùm corruptam ante Matrimonium fiat bigamus in cognoscendo eam per copulam matrimonialem?

16 ℞. Negatiuè, quia carnem, quam cum illo ante Matrimonium fornicariè vnierat, per copulam matrimonialem subsequentem non diuisit, sed magis se illi vniuit per copulam licitam, vnde fingitur duxisse virginem. Ita docent omnes *cum Glos. V. diuisit, cap. Debitum 5. de bigamis, Sayr. lib. 6. cap. 4. num. 17. Hiquæus tom. 9. in Scotum dist. 33. q. 2. num. 11 Vers. Vltimum Faber de ordine disp. 3. num. 256. Sanch. lib. 7. disp. 84. num. 14. Barb. Allegat. 49. num. 7.* Aliqui oppositum sentiunt apud Sanchez, quorum rationibus respondet, quibus etiam patet ex dictis, quià nulla carnis diuisio in hoc casu inueniri potest, cum caro carni semper vnita fuerit, & numquam diuisa, cum nullo alio se vnquam copulauerit, vt casus supponit.

Quæres 6. An bona fides, quòd mulier ducta sit virgo excuset à Bigamia si est corrupta ab alio?

17 ℞. Negatiuè, quia bona fides solùm excusat à peccato, non à defectu, vti est Bigamia, qui non est peccatum. Ita *Diana multis citatis par. 4. tract. 2. resol. 41. Barbosa Alleg. 49. num. 9. Bonac. q. 2. de irregul. p. 5. num. 10.* E contra credens ducere corruptam quæ reuerà est virgo, illam cognoscendo non fit bigamus, cum carnem vniat, non diuidat. Confirmatur, quia non ex errore, non ex opinione inducitur Bigamia, sed ex reali copulâ matrimoniali cum corruptâ ab alio *Sanchez cit. disp. 84. num. 8.*

Quæres 7. An ducens viduam, & eam cognoscendo, incurrat Bigamiam, si eius Matrimonium est nullum?

℞. Negatiuè, quia Bigamia prouenit ex copula matrimoniali, non fornicariâ, vt esset hæc, *ex cap. Quia de bigamis*. Ita Sanchez *lib. 7. disp. 84. num. 11.* Nec obstat cap. Nuper. & cap. fin. cum ea ratione, quòd habuerit affectum contrahendi, effectu subsecuto copulæ. Quia illi textus loquuntur de Bigamiâ similitudinariâ, quæ contrahitur ex copula Matrimonij damnati contra habentes votum solemne Castitatis. Certum enim est, Bigamiam veram, & interpretatiuam prouenire ex copulâ licitâ, similitudinariam verò solùm ex illicitâ, vt infra patebit q. 13. Idem dicendum est, si quis contraxit duo Matrimonia inualida, nam nullam ex hoc incurrit Bigamiam, siue duxerit corruptam, siue virginem, quia per copulam illicitam non contrahitur Bigamia vera, neque interpretatiua, vt docent *Auila Henriq. Conincb. quos contra se citat Castropal. disp. 6. p. 8. num. 8. & 10.* & quamplures alios citat Sanchez lib. 7. disp. 84. num. 3. asserentes esse bigamum ex duobus Matrimonijs licet inualidis, & nituntur citatis textibus *cap. Nuper, cap fin. de bigamis, & cap. Decernimus 2. Quotquot 24. 27. q. 1.* Quia sufficit affectus maritalis cum effectu secuto, licet deficiat significatio Sacramenti, quod importat vnitatem Christi cum Ecclesiâ, à quâ numquam se diuisit. 18

19

℞. In illis textibus fieri mentionem tantùm de Bigamiâ similitudinariâ, quæ importat hoc commune cũ alijs bigamis, nempe duo Matrimonia, alterum vnionis, alterum diuisionis, cum eâ differentiâ quòd Matrimonium in verâ Bigamiâ primum debet esse carnale, & validum cum virgine consumatum. In interpretatiua sufficit etiam fictum cum corrupta modo verum, & validum sit, & consumatum secundum. In similitudinariâ Matrimonium debet esse spirituale per Clericum in sacris constitutum, vel Professum contractum per solemne votum Castitatis, validam dicens vnionem animæ cum Christo eius sponso, & subsequens carnale, per quod persona Deo solemniter dicata copulando se carnaliter cum muliere diuidit vnionem spiritualem, quam cum Christo contraxerat, & euadit bigamus similitudinarius per sacrilegam. Vnde præcitati textus, & adducta ratio nihil aliud probant, quàm Bigamiam similitudinariam & nullo modo veram, aut interpretatiuam, quarum non sunt capaces Deo consecrati per solemne votum Castitatis, qui solùm incurrunt similitudinariam ducendo vxorem, licet inualidè propter votum solemne, quod est impedimentum dirimens attentatum Matrimonium. Itaq; ad contrahendam Bigamiam veram, & interpretatiuam sufficit, & necessarium est, vt secundum 20 21

22 ſaltem Matrimonium ſit validum, & conſumatum; ad contrahendam verò ſimilitudinariam, primum, quod eſt ſpirituale, neceſſario debet eſſe validum, ſecundum, quod eſt carnale, debet eſſe nullum.

Quæres 8. An maritus à Iudice coactus cognoſcere vxorem ſuam adulteram, eo quòd non potuit probare Adulterium, per hanc copulam inuoluntariè factam, euadat bigamus interpretatiuus?

23 ℞. Affirmatiuè, quia ex textib. ſupracitatis 11. & 12. diſt. 34. id colligitur, cum abſolutè loquantur, quòd nullo modo talis admittatur ad miniſterium Eccleſiæ; ergo ſiue cogatur, ſiue ſpontè accedat ad vxorem adulteram incurrit Bigamiam; neq; enim eſt delictum, ſed merum impedimentum quod ſine peccato incurritur. Ita do-
24 cent *D. Thomas in 4. diſt. 27. q. 3. art. 1. quaeſt. 3. ad 4. D. Anton. par. 3. tit. 28. cap. 3. Rodriq. tom. 1. cap. 158. concl. 3. Sanch. lib. 7. diſp.* 84. *num. 17. Barb. ad dicta cap. 11. & 12. diſt. 34.* vbi citat alios auctores.

Quæres 9. An ducens in vxorem virginem alterius ſponſam non conſumato Matrimonio, morte ſuperueniente, vel Monaſterium ingreſſo, eam cognoſcendo, fiat Bigamus?

25 ℞. Negatiuè, quia eadem cauſa non poteſt producere ſimul, & ſemel contrarios effectus; ſed copula cum hac virgine producit vnionem duorum in carne vna, ergo eiuſdem diuiſionem, quæ inducit Bigamiam, efficere non poteſt. Ita *ex cap. Delictum 5. de bigamis, Sayrus lib. 6. cap. 4 num. 9. 13. & 16. Sanch. lib. 7. diſp. 83. num. 4. cum alijs Barb. hic num. 2.*

Quæres 10. An contrahens cum viduà, mortuà ante conſumationem Matrimonij, fiat bigamus contrahendo cum virgine, vel viduà ſecutà copulà?

26 ℞. Non fit bigamus cognoſcendo vxorem ſuam virginem, vtique ſi cognoſcat viduam. Primum probatur, quia cum ea carnem non diuiſit defectu copulæ. Ita Couar. *in Clem. Si furioſus part. 1. §. 2. num 2. Maiol. de irregul. cap. 33. Vecchius in Praxi Nouit. diſp. 5. dub. 3. num. 3. Rota par. 2. Recent. dec. 519. num. 5. Barb. ad cap. 5. de bigamis num.* 2. Secundum patet ex q. 4. quia eam cognoſcendo diuidit carnem, quam antea mulier alteri coniuxerat.

Quæres 11. An contrahens cum virgine mortua ante conſumationem Matrimonij, fiat bigamus cognoſcendo aliam virginem, cum qua poſtmodum contraxit?

27 ℞. Negatiuè, quia hic eſt tantum vnio carnis, non diuiſio, ex qua oritur Bigamia. Confirmatur, quia ex vidua mortua ante conſumationem matrimonij non oritur Bigamia ex ſecundo matrimonio cum virgine, ex probatis q. 9. Ita expreſſe *cap. fin. diſt. 34. Capella Tholoſana q. 253. fine, Sayrus lib. 6. cap. 4. num. 2. & 3. hic Barboſa.*

Quæres 12. An ex pluribus Fornicationibus oriatur Bigamia ex parte viri?

℞. Negatiuè, quia in Fornicationibus 28
deficit copula vere Matrimonialis neceſſaria in ſecundo Matrimonio vero, per quam diuiditur caro Ita *cap. Fraternitatis 7. diſt. 34. cap. Quia 6. de Bigamis, Roriq. part. 1. cap.* 158. *concl. 1. Barb. hic num. 2. & Allegat. 49. num. 12. Sanchez lib. 7. diſp. 83. num.* 3. Dixi *ex parte viri*, quia Bigamia ſuam ſpeciem accipit ex parte fœminæ quouis modo cognitæ, vt enim dictum fuit ſub q. 4. ducens corruptam fit bigamus eam cognoſcendo, cum reſpectu illius fiat bigamus interpretatiuus.

Quæres 13. Quid ſit Bigamia ſimilitudinaria?

℞. Eſt illa, quæ contrahitur a perſonis 29
Deo ſolemniter dedicatis per votum ſolemne Caſtitatis, attentantibus Matrimonium de facto, cognoſcendo ductam à ſe ſiue virginem, ſiue corruptam, ſiue à ſe, ſiue ab alio. Ratio, eſt, quia ducendo vxorem ſe diuidit à Chriſto, cui in vnitate Spiritus promiſerat Continentiam, & vnit ſe mulieri affectu maritali. Ita cap. *Præsbiter 4. diſt. 28. cap. Si Subdiaconus 17. diſt. 34. cap. Nuper, cap. fin. de bigamis*, in quibus locis & alibi agitur de Ordinatis in Sacris; *cap. Quotquot 24. cap. Monacho 32. 27. q. 1.* de Religioſis profeſſis. Et ita docent omnes *cum Nauar cap. 27. num. 105. Suar. diſp. 49. de conſ. ſect. 4. num 6. Sayrus lib. 6. cap. 4. num. 22. Sanchez lib. 7. diſp. 85. Barb. Allegat. 49. num. 15. Caſtropal. diſput. 6. de conſ. p. 8. num. 11. & 12. Hiquaeus tom. 9. ad Scotum in 4. diſt. 33. q. 2. num. 12. Faber de Ordine diſp. 3. num. 261.*

Differt autem hæc Bigamia à reliquis, 30
nam vera cauſatur à duobus Matrimonijs validis, & conſumatis, interpretatiua pariter procedit à duobus, ſed ſufficit, quod ſecundum ſit conſumatum verum, & validum Matrimonium, primum poteſt eſſe etiam fictum, vt in meretricibus Bigamia verò ſimilitudinaria licet reſpiciat & ipſa duo Matrimonia, primum tamen debet eſſe ſpirituale, vt viſum eſt, & validum, ſecundum vero debet eſſe carnale, non verum, ſed nullum, & fictum, & impeditum ne attentatum exeat verè eſſe validum, cum ſolemne votum illud dirimat; itaq; Bigamia oritur ex Matrimonio valido carnali conſumato reſpectu veræ, & interpretatiuæ, ſimilitudinaria verò ex copulà ſacrilegà nullius Matrimonij.

Quæres 14. Quid ſi in Sacris conſtitutus, vel Profeſſus contrahat cum virgine numquid fit Bigamus ſimilitudinariè cognoſcendo eam?

℞. Affir-

31 ℟. Affirmatiuè, quia diuidit se à Christo, cui se vnierat per solemne votum, & vnitur mulieri, hæc enim Bigamia habet diuisionem per copulam cum muliere, cui se vniuit relinquendo spiritualem vnionem Christi. Ita pluribus citatis *Sanch lib. 7. disp.* 85. *num.* 5. *ex Glos. fin. cap Sane, de cler. coniug. Castropal. dist.* 6. *de cons. p.* 8. *num.* 12. *Barb. Alleg.* 49. *num.* 15.

Quæres 15. An omnes Religiosi professi non solùm Clerici in Sacris constituti, sed etiam in minoribus, & laici, seù conuersi, qui Ordinibus carent, si ducant vxorem eam cognoscendo fiant bigami similitudinarij?

32 ℟. Affirmatiuè, quia ex voto Castitatis cum Christo contraxerunt Matrimonium spirituale, Professio enim appellatur Matrimonium spirituale, vt probaui cap. 18. de profess. regul. q. 27. num. 50. sed se coniungendo carnaliter cum muliere etiam virgine dicta, diuiditur à Christo, ergo fit bigamus. Ita ex capitibus citatis 24. & 32. 27. *q.* 1. *Sanchez lib.* 7. *disp.* 85. *num.* 8. *Bonac. q.* 2. *de Irregul. p.* 5. *Vers. Bigamia, Sayrus lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 22. *Castropal. disp.* 6. *de cons. p.* 8. *num.* 11. *Barb. ad cit. cap. & Allegat.* 49. *num.* 15.

Quæres 16. An Religiosa professa nubendo viro fiat bigama ab eo cognita?

33 ℟. Affirmatiuè, vt colligitur ex cap. Quotquot 24. 27. q. 1 citato ex illo verbo *Præuaricata* communi Personis vtriusque sexus. Ratio est, quia non minus mulier professa vnit se Deo per solemne votum Castitatis, quam vir, & masculus, sed is cognoscendo mulierem à se ductam præuaricatur, & diuidit se à Christo, ergo pari ratione mulier professa ducendo virum, & ab eo cognita, diuidit se à Christo, cui promiserat nolle se commisceri alicui homini. Ita docent *Henriq. lib.* 12. *de matrim. cap.* 6. *num.* 10. *in Comment. lit. H. Castropal. disp.* 6. *de cens. p.* 8. *num.* 11. *Sanch. lib.* 7. *disp.* 85. *num.* 8. & clarius *lib.* 5. *cap.* 9. *num.* 23. *Tambur. de iure Abbatissarum disp.* 28. *q.* 13. *Pellizar. de monial. cap.* 8. *q.* 33. *num.* 46. Asserentes non solùm Religiosam professam se vnientem cum homine in figurà Matrimonij, esse bigamam similitudinariam, sed etiam viduam secularem esse bigamam interpretatiuè, & irregularem, non respectu Ordinum, cum mulieres illorum sint incapaces, sed quò ad Prælaturam, & Superioritatem in Religione. De quà re etiam *Barbosa lib.* 1. *de iure cap.* 45. *num.* 22.

Compendiator Rodriquez resol. n. 2. 23. reijcit hanc sententiam, quia lex pænalis loquens de viris, non extenditur ad fœminas, & probat, tum quia irregularitas est inducta à iure ad arcendum primò, & directè viros à susceptione Ordinum, quorum fæminæ sunt incapaces. Tum quia non sunt capaces Iurisdictionis spiritualis, ergo frustra implicantur Bigamià, quæ illis nocere non potest, non enim fæmina fit bigama, sed vir per ipsam.

℟. Illud cap. Quotquot 24. 27. q. 1. ex- 34
presse, & directè loqui de fæminis religiosis. Ad primam rationem dico, irregularitatem præter exclusionem ab Ordinibus, alios habere effectus, nam reddit illos incapaces Beneficiorum, & Iurisdictionis spiritualis ordinariæ, vt omnes docent cum *Bonac. p.* 4. *de irregul. Castropal. p.* 5. Et licet loquantur de Beneficijs, & Iurisdictione, quæ fundantur in Clericatu, tamen comprehænditur etiam Officium Superioritatis in quibusdam ordi-
nibus Mendicantium respectu virorum lai- 35
corum, qui sunt capaces Superioritatis, & Religiosarum fæminarum Abbatissarum, Priorissarum, &c. quarum Officium est potestas spiritualis iurisdictionis fundata in professione, quæ sine dubio est quid spirituale, vt pluribus probaui in Sacro Tribunali *cap.* 2. *q.* 3. *à num.* 12. *& tom.* 3. *resol.* 78. *num.* 104. *& tom.* 4. *resol.* 110. *q.* 21.

Quæres 17. An vota bienij, quæ in Societate Iesu non sunt solemnia, inducant bigamiam in professo cognoscente vxorem à se ductam?

℟. Affirmatiuè, quia vota bienij produ-
cunt eos effectus, quos solemnis Professio 36
parit, vt expressè colligitur ex Bulla 89. Gregorij VIII. incip. *Ascendente* §. 17. & 18. Ergo possunt inducere Bigamiam, si professus abutatur voto Castitatis ducendo, & cognoscendo à se ductam. In his terminis *Pelliz. tract.* 7. *cap.* 5. *num.* 88. *citans Filliucium. & Præpositum*, diuidit enim se per copulam affectu maritali à Christo, cui se vnierat per votum Castitatis religiosum.

Quæres 18. An ex voto simplici Castitatis in seculo emisso incurratur Bigamia tam ex parte masculi, quam fæminæ votum hoc habentium?

℟. Negatiuè, quia iura loquuntur tantùm 37
de voto Castitatis emisso intuitu Ordinis sacri, vel Professionis regularis, dedicatio enim personæ, quæ Deo vnitur per votum Castitatis dependere debet ab auctoritate Ecclesiæ, & non à personà priuatà, *Sanch. lib.* 7. *disp.* 85. *num.* 11.

Quæres 19. An seculares, & ecclesiastici, nimirum Clerici, & Religiosi eodem modo contrahere possint quamlibet Bigamiæ speciem, quæ est Vera, Interpretatiua, & Similitudinaria?

℟. *Primò*, secularis solùm potest contra- 38
here duas priores species. Veram contrahit. cum Matrimonium secundum consumat cum qualibet muliere virgine, vel viduà, diuiditur enim tunc caro, quæ antecedenter vnita erat in præcedenti Matrimonio. *Secun-*

dò contrahit laicus Bigamiam interpretatiuam, cum ducit mulierem corruptam ab alio, quam à se. Non potest verò laicus contrahere similitudinariam, quæ supponit vnionem ex voto ab Ecclesia inducto, quo caret persona laica, & fecularis. Hæc patent ex hactenus dictis. *Tertiò*. Clericus in minoribus constitutus, & etiam tonsuratus eodem modo possunt cótrahere Bigamiam ducendo scilicet secundā vxorem, vel corruptā iuxta mox dicta. Cum autem careat voto, non potest incurrere bigamiam Similitudinariam. *Quartò* demum Clericus in Sacris constitutus, & Religiosus vtriusque sexus professus solùm Bigamiam similitudinariam, & non alias contrahere possunt, quia hæc specificatur à voto posita carnali copulā in figura Matrimonij. Itaque cum vnaquæq; Bigamia suam habeat speciem, vna non commiscetur cum aliā, nam differunt specie inter se, siquidem vera oritur ex Matrimonio vero consumato supponente aliud Matrimonium verum. Interpretatiua oritur ex Matrimonio consumato cum viduā supponente aliud Matrimonium verum, vel fictum. Demum Similitudinaria oritur ex copulā carnali attentati Matrimonij per habentem solemne votum Castitatis. Patent hæc omnia ex supradictis.

Quæres 20. An omnis bigamus siue laicus, siue ecclesiasticus ex illis tribus Bigamiæ speciebus sit irregularis, itaut non possit promoueri ad Primam Tonsuram, ad Ordines minores, neq; ad maiores?

39 ℞. Affirmatiuè, vt clarè colligitur ex textibus allatis in definitionibus singularum eius specierum. Bigamia ergo vti irregularitas nuncupata ex defectu impedit susceptionem Ordinum, & exercitium susceptorum. Est communis *Sayrus lib. 6. cap. 3 & 4. Bonac. p. 5. Suarez disp. 49. de cons. Sanch. lib. 7. disp. 84. Faber de Ordine disp 3. num.* 227. Nullus contradicit. Ratio huius prohibitionis, quia multiplicans nuptias valdè suspectus est de incontinentia, quam abhorrere debent Ministri Ecclesiæ, vt alijs valeant prædicare continentiam, non solùm verbo, sed etiam exemplo. Hæc autem irregularitas vocatur ex defectu Sacramenti, quia bigamus deficit in repræsentatione vnionis Christi cum Ecclesia, quæ est vnius vna, quam vnitatem significare non potest bigamus, qui carnem suam diuisit, meritò igitur ob hanc imperfectionem impeditur ab Ordinibus recipiendis. Tale impedimentum non habet, qui vnicam, & virginem duxit, qui ideo non arcetur ab Ordinibus, cum repræsentet huius Sacramenti vnionem Christi cum Ecclesia virgine, quæ caret maculà, & rugà semper manens vnita Christo sponso suo.

Bigamus non solùm est irregularis quò ad Ordines, sed etiam quò ad primam tonsuram, esto non sit Ordo, vt clarè dicitur in Can. 18. Apostolorum illis verbis: *Qui duas sorores duxit, aut consobrinas, Clericus esse non potest.* Sed Clericus fit per tonsurationem, ergo eam nec recipere bigamus prohibetur. Idem expressè colligitur ex textibus allegatis sub q. 3. & 4. prohibentibus simpliciter, ne bigamus fiat Clericus, nullus autem Clericus fieri potest, nisi per primam tonsuram.

Quæres 21. An bigamus sine dispensatione recipiens Primam Tonsuram, vel Ordines validè ordinetur, & caracterem recipiat?

℞. Affirmatiuè, licet peccet mortaliter. 40
Probatur, quia huiusmodi prohibitio non continet decretum irritans, immo nec continere potest, quia quandocumque adest materia, & forma cum intentione Ministri, & suscipientis, Ordo sortitur suum effectum. Est communis apud Sayrum *lib. 6. cap. 1. num. 25. Bonac. q. 1. de irregul. p. 4. num. 1. Suarez disp. 40. de cens. sect. 1. num. 1.* Procedit etiam respectu Primæ Tonsuræ cum exeat in actum per sua essentialia non obstante Bigamiā. Ita *Diana par. 11 tract. 5. resol. 1. Vers. Hinc deducitur*, contra aliquos.

Quæres 22. An laicus bigamus sine dispensatione promotus ad Primam Tonsuram, & ad Ordines aquirat Priuilegia clericalia?

℞. Affirmatiuè, quia ad consecutionem 41
Caracteris sequitur aquisitio Priuilegiorum, vt probatur cap. 4. Positam enim tonsuram sequuntur Priuilegia, dum enim laicus per Primam Tonsuram fit Clericus, & de foro ecclesiastico, necessariò aquirit Priuilegia clericalia, id enim regulariter importat esse de foro ecclesiastico.

Confirmatur, quia nullo iure impeditur ab aquisitione Priuilegiorum, sed tantùm manet suspensus ab executione Ordinum. Id colligitur ex cap. Si quis viduam 13. dist. 34. iuncta Glos. & Turrecr. vbi, quòd minus punitur laicus bigamus promotus, quàm Clericus factus bigamus, qui priuatur Priuilegio clericali, ergo non ille, cum ex eādem promotione implicat posse prouenire Priuilegiorum aquisitionem, & priuationem: sufficit ergo, quòd maneat suspensus ab executione Ordinem, vel ab eorum susceptione.

Quæres 23. An laicus bigamus siuè verè siuè interpretatiuè factus Clericus sine dispensatione, sit capax Beneficiorum, & pensionum?

℞. Negatiuè, quia cum Beneficium detur 42
ad seruitium, & officium præstandum Ecclesiæ, cui non potest bigamus seruire ex cap. 17. sess. 23. ideo capax non est beneficij, vt docent *Rebuffus de pacif. possess. n. 19. Sayrus lib. 6. de censuris cap. 5. num. 9. cum alijs Barb. hic num. 4. & Alleg. 49. num.*

num. 17. Idem dic de pensione, si enim excluditur à Clericatu, ita & pensione, quæ solis Clericis datur. Potest dici, quòd non excluditur à pensione, quia nullum seruitium debet pensionarius præstare Ecclesiæ, sed solùm recitare Officium paruum B. Mariæ.

Quæres 24. An laicus bigamus, factus Clericus, aquisierit Priuilegium canonis? Intellige semper sine dispensatione.

43 ℟. Affirmatiuè quia promotione ad Primam Tonsuram aquirit Priuilegia clericalia, ergo, & hoc, cum nullibi prohibeatur eius aquisitio.

Quæres 25. An talis aquisierit Priuilegium fori criminalis, & ciuilis?

44 ℟. Affirmatiuè, quia nullibi prohibetur istis huiusmodi Priuilegium. Confirmatur, quia gaudet Priuilegio Canonis, vt mox dictum fuit, ergo & hoc Fori, & quidem à fortiori, turpe enim est Clericum distringi à laico Iudice.

Quæres 26. An talis gaudeat Priuilegio rerum suarum, vt non possit subicij oneribus datiorum, & gabellarum?

45 ℟. Affirmatiuè, quia hoc exemptionis Priuilegium eis ablatum non est, sunt enim veri Clerici constituti in statu ecclesiastico, ergo non sunt priuati hoc exemptionis Beneficio.

Dices, Clerici coniugati cum virgine non gaudent hoc Priuilegio, *cap. Ex parte 9. de cler. coniug.* & dixi cap. 7. num. 7. Ergo nec bigamus iste.

46 ℟. Cum in pœnalibus non sit facienda extensio à casu ad casum. *l. Factum cuiq.* §. *In pœnalibus ff. de regul. iuris cap In pœnis, de regul iuris*, & diuersi sint casus, alius est enim Clericus coniugatus, alius non coniugatus, ideo non valet inferre ab vno ad alium.

Quæres 27. An talis sit capax Prælaturæ, aut alterius Officij ecclesiastici?

47 ℟. Negatiuè, quia vt irregularis sicut non potest sine dispensatione promoueri, & de facto promotus Officium Ordinis non potest exercere, ita neq; capax est Prælaturæ, aut Potestatis dependentis ab Ordine. Colligitur ex cap. 17. sess. 23. vbi bigami arceantur à seruitio Ecclesiæ, ergo ab Officijs, & Prælaturis ecclesiasticis.

Quæres 28. An talis bigamus sine dispensatione promotus sit deijciendus à Statu ecclesiastico, in quo se posuit per receptam tonsurationem, vel Ordinem, aliquem ex minoribus.

48 ℟. Est in libertate Episcopi eum detrudere, & remittere ad Statum laicalem, quia in Ecclesiam Clericorum non intrauit per ostium; nihilominus si procuret dispensationem retineri potest cum alijs Clericis. Nec obstat cap. Si quis viduam 8. dist. 50. vbi dicitur: *Si quis viduam, aut ab alio dimissam duxerit, non admittatur ad Clericatum. quod si irrepserit, deijciatur* Intellige, nisi procurauerit sibi dispensationem. Vel dic *deijciatur*, hoc est deponatur, qui non possit exercere aliquem Ordinis actum, ex Turrecr. hic, Carb. Allegat. 49. num. 18. importat ergo, quòd non habeat executionem Ordinis. 49

Quæres 29. An Professione Bigamia tollatur, vel Baptismo?

℟. Bigamia contracta ante Baptismum abstergitur Professione, & Baptismo, si post viuit cum bonâ opinione *cap. Laici 6. dist. 53.* Et ita tenet *Anton. in cap fin. de Bigamis nu. 9. & ibi Abbas num. 2.* Contrarium tenent *Suarez disp. 49. sect. 6. num. 16 Sanch lib 7. disput. 86. num. 4. cum alijs P. yrin. de Prælato q. 4. cap. 5. num. 100.* Concordari possunt; istos loqui de bigamis talibus effectis post Baptismum. Et licet Baptismus non tollat defectus, vt est Bigamia, sed solùm peccata originalia, & actualia, vt docent omnes cum *Scoto in 4. Sentent. dist. 33. q 2, Vers. Cum igitur, tom. 9. num. 7. Sanch. lib. 7. disp. 83. num. 9.* Tamen Romanus Pontifex, vt fecit Innocentius I. relatus in præcitato cap. hunc effectum adijcere potest Baptismo, sicut fecit Professioni, hoc enim modo infideles alliciuntur ad Fidem catolicam. 50

Hactenus actum est de laicis bigamis verè, vel interpretatiuè promotis sine dispensatione, quibusdam Priuilegijs gaudeant, vel non gaudeant; restat videre è contra de Clericis post promotionem factis bigamis ducendo vxorem, qui sunt in duplici differentiâ, alij sunt Clerici in Minoribus constituti; alij Sacris initiati audentes ducere vxorem, & similiter Professi, illi vocantur bigami veri, vel interpretatiui, isti dicuntur similitudinarij, vt patet supra in proprijs quæstionibus.

Quæres 30. An clerici initiati iam Tonsura, vel minoribus Ordinibus, si antequam ascendant ad maiores fiant Bigami verè, vel interpretatiuè ipso iure sint priuati omnibus Priuilegibus clericalibus?

℟. Affirmatiuè ex decretali Siricij Papæ electi anno 384. relata cap. Quisquis 5. dist. 84. his verbis: *Quisquis clericus, aut viduam, aut certè secundam coniugem duxerit, omni ecclesiasticâ dignitatis Priuilegio mox nudetur, laica sibi tantùm communione concessâ.* Et quia dubitabatur, an hæc denudatio, & priuatio Priuilegiorum esset ipso iure, an requireret sententiam Iudicis, Gregorius X. relatus in 6. titulo de bigamis respondit, esse latæ sententiæ his verbis: ***Altercationis antiquæ dubium præsentis declarationis oraculo decidentes, bigamos omni priuilegio clericali declaramus esse nudatos, & Coercitioni Fori secularis esse addictos consuetudine*** 51

ſuetudine contraria non obſtante. Ipſis quoq; ſub anathemate prohibemus deferre tonſuram, vel habitum clericalem. Iſta ergo priuatio afficit ſolum Clericos tonſuratos, & etiam in minoribus conſtitutos, qui poſt Clericatum duxerunt vel viduam, vel ſecundam coniugem; vnde excluduntur ducentes vnicam, & Virginem; neceſſe quoq; eſt, quod Matrimonium ſit validum, vnde hæc pœna locum non habet in Sacris conſtitutis, neq; in Profeſſis, quorum attentatum Matrimonium ſemper eſt nullum. Eſt communis, *Suar. diſp. 49. de cenſ ſect. 5. num. 5. Sayrus lib. 6. cap. 5. num. 2. Caſtropal. par. 8. de cenſ. num. 13. Graſſus Effectu 1. num. 991.* qui cum quibuſdam num. 998. hanc pœnam reſtringit ſolùm ad bigamos proprios, ſed reuera errat, quia ex primo textu clarè colligitur vtrunque bigamum, verum, & interpretatiuum affici hac pœnà.

Quæres 31 An hæc Bigamia vera, ſeu interpretatiua priuās Clericum omni Priuilegio, deſtruat in eo caracterem, & ſtatum eccleſiaſticum, ita vt fiat merus, & purus laicus, ac ſi numquam fuiſſet Clericus?

52 ℞. Caracter clericalis ſemper manet non ſolùm in ordinatis, ſed etiam in tonſuratis tantùm, quia in vtriſq; eſt ſignum ſpirituale, nullum habens contrarium, per quod deſtrui poſſit. Confirmatur, quia de eiùs nudatione non fit mentio in præfatis textibus, neq; enim venit ſub nomine Priuilegij clericalis, quod conſequitur ad ipſum caracterem, Theologi enim diſtinguunt tres Ordinum effectus, Caracterem, Gratiam, & Immunitatem, quæ comprehendit Priuilegia Canonis, & Fori perſonæ, & rerum, Caracter ergo non venit ſub nomine Priuilegij, quo bigamus priuetur. Bigamus ergo retinet ſolum caracterem. Ita *Rota par. 2. dec. 357. num. 4. par. 5. dec. 7. num. 3. dec. 12. num. 25. dec. 50. num. 6 & 7. dec. 450. num. 8. & 9. Riccius par. 1. dec. 20.* Perdendo autem Priuilegia clericalia, & prohibitus deferre tonſuram, & habitum ſub excommunicatione comminatorià, pro Clerico non eſt habendus, niſi ratione Caracteris, ſed pro laico, ac ſi numquam fuiſſet Clericus, & hoc in ordine ad fauores, & Priuilegia, in his enim æquiparatur ſeculari, qui nullo clericali Priuilegio gaudere poteſt, & cum habeat Caracterem mortifica-
53 tum, vt dixit Rota cit. dec. 450. num. 14. cenſendus eſt ſecularis, & laicus, cum nihil patenter retineat de ſpectantibus ad Clericatum. Ita docent *Rebuffus de pacificà poſſeſſ num. 193. Nauar. conſ. 1. de bigamis, Conradus de diſpenſat. Apoſtol lib. 2. cap. 1. num. 9. Tabiena V. Bigamia num. 4. Angelus num. 10. Sanchez lib. 7. diſp. 46. num. 12. Candidus de Ordine diſquiſit. 46. art. 6. num.* 13. Debet ergo viuere, & veſtire ſeculariter ſicut faciunt alij laici, vnde Socinus in
cap. 1. de Apoſtatis num. 8. dicit, quòd hæc 54
Bigamia eſt contraria Clericatui, quia illum deſtruit in ſuis Priuilegijs, licet non corrumpat Caracterem. Dicta procedunt de eo, qui non fuit diſpenſatus ſuper ea ad retinendum aliquod Priuilegium, vt obſeruat Turrecr. in citatum cap. Quiſquis 5. diſt. 84.

Colligitur hinc hunc eſſe incapacem Be- 55
neficij, Penſionis, & Dignitatis eccleſiaſticæ dum eſt priuatus omni Priuilegio, ea enim ſunt Clericorum Priuilegia ex eo, quòd ſeculares illorum ſunt incapaces. Confirmatur quia alij bigami facti ſcilicet ante Clericatum talibus Priuilegijs non gaudent, vt probatum fuit ſupra, multò minus iſti, qui præter Caracterem nihil aliud de Clericatu habent.

Quæres 32. An mortuà vxore reſumptis habitu, & tonſurà recuperet Priuilegia clericalia, quibus nudatus fuerat?

℞. Negatiuè, quia adhuc viget Bigamia, 56
donec diſpenſetur, continuò influens in ſuum effectum priuationis Priuilegiorum, neque enim reſumptio habitus, & tonſuræ hanc habent facultatem conferendi de nouo Priuilegia, quibus nudatus fuerat.

Quæres 33. An Clericus Beneficium habens, vel Penſionem, aut Officium Eccleſiaſticum perdat hæc per ſuperuenientem Bigamiam? Quod eſt etiam quærere, an Clericus perdat Beneficia, & alia ducendo vxorem?

℞. Bigamia inducit amiſſionem Beneficij, 57
& penſionis ipſo iure, quo Clericus ducit vxorem viduam, vel ſecundam, etiam nondum conſumato Matrimonio, probatur, quia tranſeundo per Matrimoniū ad ſtatum laicalem pro laico habetur, ac proinde illud ſtatim perdit, & ſimiliter penſionem, & alia Officia propria Clericorum, cum vti de numero laicorum factus, illorum poſſeſſionis fiat incapax, ergo ipſo iure amittit illa, ita in terminis de Beneficijs, multis citatis, *Sanchez Diſp. 42. num. 4. & 5. & colligitur ex cap. 1. de Cler. coniug. vbi Barb. num. 2. quamplures citat, & ipſe Sanchez.* Perduntur quoque penſiones, vt docent *Clarus q. 74. Verſ. Clericus. Nauar. de orat. cap. 21. num. 53. Graſſus Effectu 5. num. 12. cum alijs Barb. cit. ad cap. 1. de Clericis coniugat. num. 6. & Allegat. 57. num. 206. Caſtropal. de Benef. diſp. 6. p. 3. §. 7. num. 4. Bonac. q. 1. de Irregul. p. 4. num. 6.* Procedunt dicta, licet nullum ſit Matrimonium defectu ſolemnitatum Tridentini, *Gratian. cap. 5. num. 39. Ricciull. lib. 7. cap. 2. num. 32. Barb. cit. num. 9.* Non vacat ſi deficiat conſenſus, vt obſeruat. ibidem num. 10. idem Barboſa citans Doctores, qui num. 11. ait Beneficium non vacare per ſponſalia,

Quæ-

Quæres 34. An bigami similitudinarij, quales sunt ordinati in Sacris, & Professi in approbatâ Religione, perdant Priuilegia clericalia, Beneficia, & pensiones, & incurrant excommunicationem?

58 ℟. Primò, non perdunt Priuilegia clericalia Canonis, & Fori personæ, & rerum, quia nullibi in iure nudantur his Priuilegijs, sicuti minoribus initiati, propter eam differentiam, quia in Sacris constituti, & Professi continuò manent in suo Statu clericali, & ecclesiastico, sicuti etiam Professi, non enim recedere possunt à suo statu, vt possunt initiati inferioribus Ordinibus, qui sine Apostasiâ redire possunt ad seculum, ac proinde isti vti seculares sunt ipso iure priuati Priuilegijs clericalibus, quæ laicis non competunt, non autem in Sacris constituti, neque Professi, cum remaneant sicut prius in suis statibus ecclesiasticis.

59 ℟. Secundò, Beneficia ipso iure, & pensiones non perdere, nisi secutâ sententiâ, vt colligitur *ex cap. Decernimus 2. dist. 28. cap. Eos 10. dist. 32. cap. Placuit 3. ead.* vbi mandantur remoueri ab Officio, & Beneficio. Ita docent *Sanchez lib. 7. disp.* 43. *num.* 4. qui *disp.* 85. *num.* 10. vult cum nonnullis hanc irregularitatem Bigamiæ esse potius ex delicto contracti Matrimonij per prohibitos, *Barb. ad cap. 1. de Cler. coniug. num.* 7. multis citatis, *Fagnanus tom. 2. ad cap. Nuper, de bigamis num.* 26. Et hæc est differentia, quòd minoribus initiati Matrimonium contrahentes ipso iure perdunt Beneficia, quia hæc irregularitas vti ex defectu, & non ex delicto non requirit declaratoriam sicut Bigamia in Sacris, & Professis importans delictum, ac proinde requirens sententiam respectu priuationis incurrendæ in Beneficijs.

℟. Tertiò, sunt ipso facto excommunicati,
60 quamuis non cognouerint mulierem ductam siue viduam, siue virginem, non reseruatur, ita *in Clem. Vn. de consang. Sayrus lib. 3. cap. 22. num. 21. cap. 23. num.* 34. Comprehenduntur etiam fœminæ, *Bonac. in Bulla disp. 2. q. 4. p. 1. Farinac. q. 138. num.* 97. Demum asserentes Clericos in Sacris
61 constitutos, & Professos solemniter posse Matrimonium contrahere, & contractum esse validum excommunicantur in can. 9. sess. 24. Ac proinde ita asserentes sunt for-
62 maliter hæretici. Contrahentes verò sunt de vehementi suspecti de hæresi, ac proinde subiecti Officio S. Inquisitionis, *Carena par. 2. tit. 17. num. 10. Ego in Sacro Tribunali cap. 22. q. 28. num.* 53. Textus Tridentini dixit *solemniter* ergo non est hæreticus asserens Iesuitas ex biennio professos posse contrahere, quia non sunt solemniter professi.

Dices ex primo, & secundo responso sequi Clericos bigamos similitudinariè peccantes in contrahendo Matrimonium esse melioris conditionis, Quam sint Clerici bigami veri, vel interpretatiui, qui non peccant ducentes vxorem, sicut Professi, & in sacris constituti, cum isti non perdant Priuilegia, nec Beneficia, nisi per sententiam; illi verò ipso iure omnia perdunt; puniuntur ergo innocentes, & peccatores exempti sunt, quod magnam arguit iniquitatem.

℟. Hoc argumentum benè concludit, 63 quando Iudex procedit ad punitionem ex culpâ precedente, quod non facit Legislator, qui legaliter punit, etiam culpè non existente, modo adsit causa ad tenorem Reg. 23. in 6. vbi, quod sine culpa, nisi subsit causa, &c. quia Clericus in minoribus, qui intendebat seruire Deo, se reddidit indignum ad gaudendum Priuilegijs clericalibus, & Beneficijs, dum eligit seruire vxori, iuxta illud Apostoli P. Corinth. 7. 34. *Qui autem cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.* 64 Nota postrema verba *Et diuisus est* i. reliquit Statum clericalem reuersus ad secularem, meritò igitur est nudatus Priuilegijs, & Beneficijs in ipso actu contractionis Matrimonij quæ non conueniunt secularibus. Illi verò, idest, Professi, & in sacris constituti neutrum perdunt ipso iure, quia cum etiam post Matrimonium remaneant in Statu clericali, à quo non possunt recedere æquum est vt non perdant per illud delictum Priuilegia, & priuentur Beneficijs propter sacrilegium perpetratum in attentatione Matrimonij, se diuidendo à Christo.

Quæres 35. An bigami veri, & interpretatiui prohibeantur ingredi Religionem?

℟. Non prohibentur, cum ingressus tam 65 primus, quàm secundus non sit promotio ad Primam Tonsuram, neque ad Ordines, vt notum est, & de ingredientibus in Ordine Conuersorum docent *Nauar. cons. 8. de conuers. coniugat. Vecchius de Nouitijs disp. 5. dub. 3. num. 2. cum alijs Peyrinus de Prælato q. 2. cap. 5. num* 100. Addo ego recipi etiam posse alios in numero Clericorum ad seruitium Chori, cum, vt dixi, id non sit promotio ad Ordines, & quòd bigami laici recipiantur dixi supra sub q. 29. num. 50. ex textu cap. Laici 6. dist. 33. Et quò ad Clericos bigamos factos ducendo vxorem, probatur, nam *in cit. cap. 5. dist. 84. & cap. Vn. de bigamis in 6. relatis supra sub q.* 31. prohibentur solùm deferre tonsuram, & vestem clericalem, & hoc viuente vxore, non tamen arcentur ab ingressu Religionis, ergo admitti possunt, & gaudebunt omnibus Priuilegijs Regularium suorum, quę consequuntur per primum ingressum in Religionem.

Quæres 36. An Papa possit dispensare super qualibet Bigamia?

℟. Affirmatiuè, quia omnis à iure ecclesiastico inducta fuit, vt dixi sub q. 1. ergo 66 dispen-

dispensare potest. Redditur tamen in hoc difficilis propter honorem Apostoli Pauli, qui dicitur hoc induxisse canonicum impedimentum. Est communis, *Sanchez lib 7. disp. 87. num. 6. Hiquaeus cum Scoto tom. 9. in 4. sent. dist. 33. num. 7. & 13. Faber de Ordine disp. 3. num. 262. Donatus Ordinis Pradicatorum splendor de rebus Regular, Part. 3. tract. 5. q. 34.*

67 Dices, Bigamiam esse de iure diuino, vnde in cap. Nuper 4. de bigamis dicitur: Non liceat dispensari. Responsum est in promptu, ex dictis namq; constat esse de Iure ecclesiastico; & illa verba; *Non liceat dispen-*
68 *sari*, solùm important difficultatem, non impossibilitatem, ex citatis Doctoribus. Immo dato, quòd hoc Bigamiæ impedimentum esset de iure diuino, adhuc Papa Christi Vicarius dispensare posset, habet enim à Deo in casibus occurrentibus necessarijs, & vrgentibus potestatem dispensandi in omnibus, extra articulos Fidei, & Sacramenta, vt docent Canonistæ, & plerique Theologi, prout refert *Diana par. 8. tract. 3. resol. 2.*

Quæres 37. An Episcopus possit dispensare cum suis bigamis ad Ordines quoscunq;?

69 ℞. Non potest in verà, & interpretatiuà, sed tantũ in similitudinarià. Primũ probatur *ex cap. Quicunque 56. dist. 50.* vbi dicitur illis adempta omnis spes promotionis, ergo, & dispensationis, & in cap. Si quis 8. eod. dicitur, quod si bigamus irrepserit, deijciatur; *& in cap. Quisquis 5. dist. 84. & in cap. Vn. de bigamis in 6.* non solùm sunt ipso iure priuati Priuilegijs, sed etiam spoliati habitu, & tonsurà, ergo videntur indispensabiles. Est communis Doctorum, quos citat *Barb. Allegat. 49. num. 22. Donatus par. 3. q 35. num. 7.* referens responsum S. Congr. quòd Episcopus non possit dispensare laicum bigamum ad Primam Tonsuram, & Beneficium simplex. Barbosa *quoque in decis. Apost. Collect. 69. V. Bigamus*, refert *ex Aldano, & Lezana V. eod. num. 4. fine*, non posse Episcopum dispensare cum Ostiario bigamo, vxore mortuà, vt in Ordine suscepto ante Bigamiam interpretatiuam ministret, anno 1630. 13. Aprilis in Teretrana.

S. Thomas, & ex eo Sanchez lib. 7. disp. 86. num. 11. cum multis ex antiquis tenent Episcopum dispensare bigamum, ex cap. Lector 18. dist. 34. sed reuerà id ibi Episcopis non conceditur, sed ipse Pontifex illum Lectorem dispensauit. S. quoque Thomas excusandus est, quia suo tempore altercabantur, an bigamus esset priuatus Priuilegijs clericalibus an priuandus ex vi cap. Quisquis 5. dist. 84. quam altercationem sustulit Gregorius X. in Concilio Lugdunensi relato cap. Vn. de bigam. cui Concilio non potuit interesse morte præuentus; postmodum verò Doctores, qui scripserunt fauore Episcoporum, vt possint dispensare, audiendi non sunt, quia satis clarum est ex eo Concilio, eos non posse dispensare, dum mandat sub anathemate non posse deferre habitum, nec tonsuram, arguens id, carere illos dispensationis spe.

Secundum, quòd possit dispensare in Bigamià similitudinarià, probatur *ex cap. 1. Qui Cler. vel vou. cap. Sane 4. de Cler. coniug.* vbi, quòd Episcopus potest in Sacris constitutos dispensare in vsu susceptorum, & in promotione ad vlteriores, qui de facto duxerant vxores quascunque siue corruptas, siue virgines. Est communis, *Sanchez lib. 7. disp 86. num. 20. Castropal. p. 8. num. 19. Donatus par. 3. tract 5. q. 35. fine. Barb. Allegat. 49. num. 26. & 27.* vbi ait dispensare etiam in similitudinarià, si ex delicto oriatur, ex Matrimonio contracto cum viduà, vel corruptà, & non tantùm cum virgine. Ego autem dico in Sacris constitutum ducentem in vxorem quamcumque fœminam, siue viduam, siue corruptam, siue virginem dispensari posse super huiusmodi Bigamià similitudinarià, quæ simul esse non potest interpretatiua, nec vera, cum differant inter se specie, ex dictis supra in earum definitionibus. Et licet dari casus possit, quòd quis sit bigamus verus, & interpretatiuus, & etiam similitudinarius, vt si quis sine dispensatione bigamus fiat Clericus in
minoribus, & postea ducat vxorem corrup- 70
tam, vel virginem, & vxore mortuà, recipiat Subdiaconatum, vel profiteatur in Religione, & deinde attentet Matrimonium, & aliter contingere non potest; in hoc casu Episcopus non potest dispensare in similitudinarià, impediente verà, vel interpretatiuà, & ita intelligendum est *cap. Nuper 4. de bigamis, Gloss. V. Dispensatiuè cap. 1. Qui cler. vel vou. cap. Sane 4. de cler. coniug.*

Quæres 38. An Prælati Regulares dispensare possint cum suis Nouitijs, & Professis in quacunque specie Bigamiæ?

℞. Possunt solùm dispensare in similitudi- 71
narià iure ordinario, sicut Episcopi, tam in contractà post Professionem, quàm ante. Sic docent *Suarez disput. 49. de cens. sect. 6. num. 18. Lezana V. Bigamia num. 6. Castropal. p. 8. num. 21. Donatus par. 3. tract. 5. q. 36. num. 1. Barb. Allegat. 49. num. 31.*

Non verò possunt dispensare in verà, neq; interpretatiuà, tum quia negatur Episcopis vt visum fuit. Tum quia excipitur in eorum Priuilegijs, vt legi potest in eorum Maremagno apud Lezanam *tom. 5. Predicatorum* §. 42. *in eorum Bulla in Comment. num. 127. Minorum in Bulla* §. 49. *Eremitarum S. Augustini* §. 44. *Seruitarum* §. 36. *Minimorum* §. 49. *Carmelitarum* §. 54. *& 63.* Exceptio ergo ista habenda est pro certà regulà negante Regularibus dispensationem super Bigamia

gamia

gamia ex defectu, esto de eà exceptione non fieret expressa mentio, nisi in terminis proprijs nominaretur eius dispensatio con-
72 cessa. Ita docent *Rodriq. tom. 1. q. 24. art. 2. Miranda tom. 2. q. 8. art. 1. q. 5. Vecchius de Nouitijs disp. 15. Barbosa Alleg. 49. num.* 30. Et sic reuóco, quod dixi resol. 11. num. 33. Quorum aliqui dicunt posse dispensare ad Ordines minores.

Donatus citatus par. 3. tract. 5. q. 36. num. 6. multis citatis tenet, Prælatum Regularem suos subditos dispensare posse in Bigamià quoque verà, & interpretatiuà ex vi Priuilegiorum, sicut dispensant in similitudinarià.

Probat primò, ex Priuilegio Cartusianis concesso eorum Generali, vt suos subditos dispensare possit in omnibus irregularitatibus in foro conscientiæ nullà exceptà, ac etiam in homicidio voluntario circa Altaris ministerium. *Bruno Chassaing. Ordinis Minor. in Recollect. Priuileg.* qui multa dicit, posse fieri à Regularibus per eorum Priuilegia, quæ certè iam abrogata sunt, tract. 4. cap. 1. Propos. 4. ait, hanc concessionem factam fuisse Cartusianis à Sixto IV. & referri in Compend. Priuileg. *Mendic. V. Absolutio extraordinaria quò ad Fratres* §. 4. Sed talis concessio non dicitur facta Cartusianis, vbi Vers. Aduerte, dicit subintelligi exceptionem Bigamiæ; præterquam quòd illud est viuæ vocis oraculum, & non autenticum, ideo cum sit sublatum ad nihil deseruit. Adde, quòd ab illa vniuersali *In omnibus irregularitatibus* excipitur semper Bigamia vera, & interpretatiua, vt supra dixi.

Probat 2. ex Priuilegio concesso Minoribus à Sixto IV. quòd possint dispensari in omnibus irregularitatibus, exceptis Homicidio, & Mutilatione, *ex compendio V. Absolutio extraordin. num.* 5. ergo includitur cum cæteris irregularitatibus etiam Bigamia, quia non potest includi in exceptione cum irregularitate ex Homicidio, quæ omnium est grauissima.

℞. Illud Priuilegium non esse ex Bullà, sed oraculum supra allatum, ac proinde nihil probare. Præterea, esto irregularitas ex homicidio voluntario sit maxima, ac proinde in eius exceptione non videatur inclusa; nihilominus in ordine ad dispensationem pari passu videntur currere, vnde negatà dispensatione irregularitatis ex homicidio, intelligitur etiam negata in Bigamia, cum in hac Papa cum magna difficultate dispenset, vt patet ex cap. Nuper 4. de bigamis, quare esto in exceptione non exprimatur, subintelligitur tamen in ea expressa, vt dixi initio huius quæstionis; & cum idem Sixtus IV. in vtroque Magno mari Prædicatorum, & Minorum, in exceptione eam expresserit, non est verisimile in illo oraculo velle concedere illius dispensationem, quam sibi retinuit in vtroque Mari magno.

Probat 3. ex Priuilegio à Martino V. Vallisoletanis concesso dispensandi super omnibus irregularitatibus prouenientibus etiam ex homicidio, membrorum truncatione, aut enormi sanguinis effusione, modo aliquid horum trium non sit notorium.

℞. Esse viuæ vocis oraculum licet autenticum, quod vti reuocatum nostris temporibus nihil probat, nihil valet; refertur in Compend. Mend. V. Dispensare num. 24. Addo, quòd in iure non inuenio irregularitatem incurri propter sanguinis effusionem, nisi sequatur mors, vel membri mutilatio, ergo pro suspecto habetur, arguit in concedente imperitiam.

Probat 4. ex priuilegio Ordini Dominicanorum concesso à Iulio II. dispensandi in omnibus irregularitatibus etiam Papæ reseruatis.

℞. Illud esse oraculum viuæ vocis, ac proinde modo non subsistere. Nec valet, quod subiungit, Vrbanum VIII. oracula Papæ facta suis officialibus, inter quos sunt Generales Ordinum, declarasse adhuc vigere. Quia Donatus licet hic asserat, Generales esse Papæ officiales, tamen id negat part. 73
1. tract. 16. q. 11. Immo idem Iulius II. apud Rodriq. Bulla eius 17. in Priuilegijs dispensandi mandat seruari Mare magnum Sixti IV. qui, vt vidimus initio, excludit à dispensatione Bigamiam.

Probat 5. ex Priuilegio Bullato Pauli III. incip. *Exponi* concesso eisd. m Vallisoletanis Benedictinis dispensandi super quibuscunque irregularitatibus per eos contractis pro tempore, quauis occasione.

℞. Licet hoc Priuilegium sit Bullatum, & extendatur à Rodriq. Bulla 10. huius Pontificis, tamen in eà Bullà, & similibus semper intelligitur excepta Bigamia, & homicidium, quorum dispensatio cum maxima difficultate conceditur, vt dictum fuit supra. Et pro hac re facit illud commune axioma: In generali concessione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter in specie non esset concessurus, nisi cum maximà difficultate. Et 74
præterea ea, quæ speciali nota, & eleganti nomine digna, non veniunt sub generali concessione.

Nec valet respondere axioma procedere, quando in concessione exprimuntur maiores casus, vt patet in concessione Martini V. & Iulij II. cum dictione *etiam* maximè in Priuilegijs Regularium amplianda, quia sunt leges perpetuæ.

Contra enim est, quia argumentum hoc supponit subsistentiam concessionis, quæ respectu illorum Pontificum fuit vti oraculum, vt superius dictum fuit. Deinde, certè Papa talem dispensationem non solet concedere

cedere in specie, multò minus in genere. Demum vt patet initio quæstionis subintelligitur semper excepta Bigamia cum homicidio, nisi eorum dispensatio in terminis istis concedatur.

CAPVT NONVM

De Amissione Priuilegiorum Clericalium.

1 *Pontificale Romanum asserit posse perdi Priuilegia clericalia.*
2 *Quæ sunt Canonis, & Fori criminalis, ciuilis, & rerum.*
3 *Abutens Priuilegio meretur illud perdere.*
4 *Pœna priuationis Priuilegij nō asseritur, nisi sit expressa in iure.*
5 *Cum sit inducta ab ipso iure.*
6 *Sententia declaratoria requiritur ad amissionem Priuilegiorum.*
7 *Pœna etiam Iuris ipso facto inflicta non exequitur nisi per Sententiam.*
8 *Qualitas dat Iurisdictionem non habenti, quando debet operari eum ea.*
9 *Iudex laicus super Clericum aquirit Iurisdictionem per Sententiam declaratoriam, quod perdiderit Priuilegium Fori.*
10 *Sententia solùm in subditos actu fertur.*
11 *Iudex ecclesiasticus declarando Clericum non gaudere Priuilegio fori, adhuc habet illum sibi subditum.*
12 *Condemnans ad triremes perpetuò Clericum merentem mortem, iure condemnat.*
13 *Promotio mala in quinque casibus inducit amissionem Priuilegy fori.*
14 *Defectus vnius ex requisitis à Tridentino inducit amissionem Priuilegij fori.*
15 *Beneficiatus non ferens vestem, & tonsuram perdit Priuilegium ex Sixto V.*
16 *Ducens vxorem quando perdit Priuilegium.*
17 *Mimi perdunt Priuilegia.*
18 *Hæreticus solùm per declarationem.*
19 *Assassinus perdit Priuilegia.*
20 *Assistinus qui occidit pretio accepto.*
21 *Clericus occidens Principem alias suum non perdit Priuilegia.*
22 *Crimen læsæ maiestatis requirit, lædentem esse actu suum subditum.*
23 *Gestans arma non perdit illa, nec Priuilegia.*
24 *Miles verò perdit.*
25 *Censuratus non perdit.*
26 *Nec irregularis.*
27 *Nec depositus, sed solùm degradatus.*
28 *Transit enim in Potestatem Iudicis secularis.*
29 *Post degradationem.*
30 *In quibus casibus Degradandus est tradendus curiæ seculari.*
31 *Officium laicale habens non perdit Priuilegia.*
32 *Negotiator perdit* Priuilegium *fori.*
33 *Macellarius, & ca-pona perdunt Priuilegium.*
34 *Immiscens se enormibus.*
35 *Incorrigibilis, qui post trinam monitionem, non se emendat.*
36 *Monitio qualis debeat esse?*
37 *Enormia delicta quanam sint?*
38 *Clericus mentiens se Laicum non perdit Priuilegia.*
39 *Mandax non perdit* Priuilegia.
40 *Perdens vnum* Priuilegium *non perdit aliud.*
41 *Dicta de Clericis habent locum in Religiosis.*
42 *Priuilegia, quæ extincta, quæ suspensa in Clericis?*
43 *Dubia resoluenda in fauorem rei.*
44 *Fauendum Immunitati.*
45 *Opinionem minus probabilem, & minus communem potest sequi Iudex pro Clerico.*

DE AMISSIONE PRIVILEGIORVM CLERICAL.

Pontificale Romanum Gregorij XIII. 1
loquens Tonsuratis dirigit ad eos sequentia verba: *Filij carissimi animaduertere debetis, quòd hodie de Foro Ecclesiæ facti estis, & Priuilegia clericalia sortiti estis. Cauete igitur, ne propter culpas vestras illa perdatis, & habitu honesto bonisq. moribus, ac operibus Deo placere studeatis.* Per Primam ergo Tonsuram aquiruntur Priuilegia clericalia, per ipsam enim promotus à statu laicali, & seculari transit ad clericalem, & statum ecclesiasticum, & aquirit Priuilegia clericalia, quæ potissimùm sunt Priuilegium 2
Fori tam criminalis, quam ciuilis respectu personæ, & bonorum suorum, per illud enim eximitur à seculari Iudice, coram quo iudicari non potest criminaliter, nec ciuiliter, nec onerari gabellis, datijs, & tributis in suis bonis. In hoc capite agendum est de amissione dictorum Priuilegiorum Fori, & Canonis quoq; sunt enim missibilia ab illis propter eorum culpas, & alias ob causas, vt patebit infra; adest enim illud commune axioma, quòd ille perdit suum Priuilegium,
quo ille abutitur, *cap. Vbi ista 7. dist 74. cap.* 3
Priuilegium 63. 11. q. 3. cap. Licet quibusdam 18. de Regul. Cap. Tuarum 11. de priuileg. cap. fin. de Penit. fine in 6 Modi autem quibus perduntur referuntur à *Glos. V. Priuilegium cit. cap. 63. & V. Contrauenerint, cap. Cum accessissent, de constitut.*

Præmitto quæstionibus vnum, ad incurrendam nempe amissionem Priuilegiorum cleri-

clericalium, itaut Clericus dicatur per illorum perditionem esse factus de Foro seculari, & subiectus Iudici seculari, vel quò ad omnia, vel quò ad aliquid, requiri duo. Vnum, quòd hæc pœna
4 amissionis, seu priuationis Priuilegiorum non est asserenda, nec imponenda Clericis, nisi reperiatur expressa in iure canonico, pœna enim à iure inflicta non asseritur, nisi sit
5 in iure expressa *Glos. V. Exui cap. fin. de iurepatr.* vbi Barbosa plures refert Doctores; amissio autem Priuilegiorum clericalium sine dubio est pœna Iuris, vt infra patebit, ergo asserenda, nec infligenda Clericis, nisi inueniatur lege Apostolicà inflicta.
6 Alterum est, quòd Iudex secularis non potest trahere ad suum tribunal, nec citare, aut punire, vel criminaliter, nec ciuiliter agere contra Ecclesiasticum, nisi prius Iudex ecclesiasticus illum declaret perdidisse Priuilegia omnia, vel aliquod eorum, factà enim declaratione, Clericus statim fit subditus, & de Foro seculari, in eo, in quo declaratus fuit non gaudere exemptione. Et hoc esse necessarium probatur. Tum quia
7 pœna etiam iuris non incurritur nisi per Sententiam Iudicis latam declaratoriam delicti, vel alterius causæ, propter quam pœna incurritur, *l. Eius qui 29. de iure fisci* ibi: *Verum oportet constare prius, & de crimine pronuntiari.* cap. Cum secundum 19. *de haret. in fine, in 6.* idem dicit, *Bartol. super dictam legem, alijs citatis hic Barb. num.* 8. Tum quia qualitas, quæ dat Iurisdictionem non habenti, in primis probanda est l. 2. §.
8 sed si *dubitatur. ff. de iudic. cum alijs Bartol. in l. Multum ff. de condit. & dem. Farinac.* in terminis istis, *q.* 8. *num* 58. *& 86. Panorm. in cap. Si Clericus 5. de foro comp. num. 6. & 9. Castropal. de Reuer. disp. Vn. p. 6. num. 3. & 5. Grassus Effectu 1. num. 713. ad 716.* Sed Iudex laicus numquam habet iurisdictionem super Clericum, esto de iure Cleri-
9 cus inciderit in pœnam priuationis Priuilegiorum ipso iure inflictam, nisi post declarationem factam a Iudice ecclesiastico super delicto, vel causa inducentibus priuationem Priuilegij, huiusmodi enim Sententia tribuit iurisdictionem Iudici laico, qui certò scit, se posse eam exercere super suum subditum talem declaratum per eam sententiam.

Confirmatur id ex Bullà Gregorij XIV. de immun. reorum ad Ecclesiam confugentium, qui puniri non possunt, nisi postquam Iudex ecclesiasticus declarauerit, illos non gaudere Immunitate. Pariter Vrbanus VIII. vt retuli cap. 4. num. 53. statuit, Ordinatos primà Tonsurà, vel Minoribus falsis dimissorijs ab alieno Episcopo factà declaratione per Iudicem ecclesiasticum de malà ordinatione, non gaudere Priuilegio fori, sed subiacere Iudici seculari, sicut prius.

Hæc autem sententia ferenda est à Iudice ecclesiastico, & non à seculari, vt dicitur *in cap. Si Iudex 12. de sent. excom. in 6. & in cap. Cum secundum 19. de haret. in 6. supra citata*, & in Bullis præcitatorum Gregorij, & Vrbani. Ratio est. Tum quia fertur de materià ecclesiasticà. Tum quia omnis sententia à Iudice non habente sub se, & sibi subiectum personam, pro qua, vel contra quam fertur, nulla est *Leg. fin. C. si non à compet ind. cap. Ad audientiam 3. de consuet. cap. 4. de iudic.* Vnde Trident. sess. 14. cap. 7. inquit. *Natura, & ratio iudicij illud exposcit, vt sententia in subditos dumtaxat feratur*; certum autem est Ecclesiasticos con- 10
tinuò esse subiectos Iudicibus ecclesiasticis, non solùm ante huiusmodi Sententiam, sed etiam post, non enim per eam Sententiam à se abdicat potestatem, sed tantùm declarat, Iudicem secularem agere posse contra eum, in eo sensu, quòd si Iudex ecclesiasti- 11
cus factà declaratione, quòd non gaudeat priuilegio Fori, carceratum remittat ad Iudicem secularem, tunc illum iudicabit Iudex secularis tantùm, in casu autem fugæ à manibus Iudicis, si caperetur à ministris Episcopi, tunc Iudex ecclesiasticus vti præueniens, & qui non abdicauit à se iurisdictionem in habitu, titulo præuentionis, excluso iudice seculari, iud cium faciet contra ipsum, iuxta dicenda cap. 18. num. 28. & facit Resp. Sacræ Congreg. extensum in cap. 6. num. 52. Et sic intelligendi fuut Bonac. quem citaui cap. 6. num. 50. & Grassus Eff. 1. num. 1289. vbi ex Scaccia, & alijs dicit, quod Iudex laicus poterit Clericum carentem Priuilegio Fori, condemnare ad Supplicium mortis, quod merebatur, licet Iudex ecclesiasticus loco mortis eum condemnauerit ad triremes in perpetuum. Non placet, quia Iudex ecclesiasticus, cum rectè, & iuridicè functus fuerit officio suo, condemnando Clericum ad triremes perpetuò, cum non possit ad mortem condemnare, nullum ius videtur habere Iudex laicus, tum quia idem bis pro eàdem causà non est puniendus. Tum quia hæc pœna æquiparatur morti, immo ex sua diuturnitate videtur maior, & non vna mors, sed mille mortes. Tum quia sequitur hoc absurdum, quod Clericus habens vsum suorum Priuilegiorum non posset dignè, & iustè puniri ab Episcopo in casu, quo mereretur mortem, si non posset tradi seculari, eo quòd habet vsum suorum Priuilegiorum, non enim omne homicidium priuat Priuilegijs clericalibus. Citatus Bossius hoc non dicit, legi enim attentè, & non inueni. His præmissis.

Quæres 1. An ex malà Promotione perdantur Priuilegia? Quæstio supponit Ton-

furationem siue bene, siue male receptam, nam ea contrarios effectus producere non potest, nimirum aquisitionem Priuilegiorum, quæ ad illam semper sequuntur, vt probaui cap.4. & eorum amissionem, vnde quæstio refertur ad Promotionem Ordinum tàm minorum, quàm maiorum.

13 ℞. In quinq; casibus mala Promotio infert amissionem Priuilegiorum, seu non gaudimentum illorum, propter Primam Tonsuram, iuxta quod dixi eodem cap. 4. q. 12. à num. 47. ad 54. Remitto illuc Lectorem, ne bis idem referibam.

Quæres 2. An, & quomodo defectu requisitorum in Tridentino Clericus perdat Priuilegium Fori?

14 ℞. Defectu vnius ex illis tribus requisitis ipso iure perdi Priuilegium Fori, vt probaui cap.6.q.1. vbi etiam retuli contrariam opinionem asserentium ad amissionem Priuilegij ea copulatiuè requiri, ita quòd gaudeat Priuilegio, qui vnum ex illis seruat, præsertim deferendo habitum, & hæc opinio non est improbabilis.

Quæres 3. An beneficiatus non gestans habitum, nec tonsuram, nec seruiens Ecclesiæ perdat Priuilegium Fori?

15 ℞. Negatiuè ex vi Tridentini, quia illa tria non requirit beneficiato Clerico, vt probaui cap. 5. num. 38. Attentâ verò constitutione Sixti V. perdit, si non defert habitum, & tonsuram, ex adductis eod. cap. num. 40 & ita docent *Bonac. in Bulla disp. 1. q. 16. sect. 1. p. 6. num. 21. Dal Bene cap. 4. dub. 7.* Idem dic de Pensionario, qui nominatur sub Bulla prædicta Sixti V.

Quæres 4. An ducens vxorem perdat Priuilegium Fori?

16 ℞. Ducens vnicam, & virginem Priuilegium Canonis, nec Fori criminalis perdit, si deferat habitum, tonsuram, & seruiat Ecclesiæ, vtique reliqua fori ciuilis, & gabellarum, vt probaui cap.7. num.4. ad 7. factus verò bigamus verus, vel interpretatiuus ipso iure perdit omnia Priuilegia clericalia, ex probatis cap. 8. num. 51. Procedunt dicta respectu Clericorum Tonsuratorum, & in minoribus constitutorum, nam in Sacris si ducant vxorem, Priuilegia non perdunt ex ibi dictus num. 58.

Quæres 5. An Ioculatores, Goliardi, seu Buffones exercentes hanc artem perdant Priuilegia clericalia?

17 ℞. Clerici etiam Sacris initiati per annum hanc artem continuò exercentes, sunt ipso iure priuati omni Priuilegio clericali. Infra annum ter moniti si non desistunt, per sententiam Iudicis ecclesiastici, à quo fuerunt moniti, priuantur. Expresse *cap. Vn. de Vita & hon. Farinac. q 8. num. 97. Bonac. in Bulla disp. 1. q. 16. sect. 1. p. 6. num. 1. Vers. Dixi.* Possunt tamen infra annum dispensari, ne perdant Priuilegium, vt *ex Deciano, & Ambrosiano docet Bonac. cit. num. 12.*

Quæres 6. An hæreticus careat Priuilegijs clericalibus?

℞. Ex vi hæresis non amittit Priuilegia, sed tunc cum degradatur tradendus curiæ seculari *ex cap. Ad abolendam 9. de haret.* Nullibi enim inuenio hanc priuationem ex vi hæresis. Et ita intelligendi sunt *Farinac. q. 189. num. 33. Barbosa ad cap. 29. 17. q. 4. num. 2.* contra allegatos à Diana *par. 9. tract. 4. resol. 12. in fine.* 18

Quæres 7. An Assassinus sit priuatus Priuilegijs clericalibus? 19

℞. Clericus etiā in sacris cōstitutus caret Assassinus omni Priuilegio clericali, cum sit diffidatus .i. occidendus impune à quolibet, ex cap. 1. de homicidio in 6. Est communis, *Barb. in Bulla disp. 1. q. 16. sect. 1. p. 6. num. 16. Castropal. de Reuer. p. 6 num. 3 Cæsar de Pascimallis in libello inser. Pausinomut, constituto 46. num. 95.* multis citatis, *Farinac. q. 8. num. 82.* vbi ait non requiri degradationem, sed tantùm declarationem per Iudicem ecclesiasticum, quod sit Assassinus, *sub num 85.* Assassinus autem ille dicitur, qui pretio accepto occidit proximum. De quo latius egi in tract. de Homicid o cap. 12. 20

Quæres 8. An occidens Principem perdat Priuilegia clericalia?

℞. Negatiuè, quia hæc priuationis pœna nullibi in Iure exprimitur. Adde quòd homicidium à Clerico factum in personam Principis aliàs sui, non esse crimen læsæ maiestatis, quod propriè committitur à seculari tantum actu subdito occidente suum Principem. Ita *Farin. q. 112. num. 231.* Vnde nec tradendus est curiæ seculari, *Barbosa lib. 3. cons. 22. Barb. ad cap. Si quis 19. 22. q. 5.* Sed solum puniendus est a Iudice ecclesiastico, *Farinac cit. num. 232. & 233. & decis. crim. 241. fine, Diana par. 3. tract. 1. resol. 16. Panimolla, const. 46. num. 72.* 21 22

Quæres 9. An gestans arma sine licentia perdat Priuilegia clericalia?

℞. Negatiuè, quia nullibi in iure exprimitur hæc pœna. *Dal Bene part. 1. cap. 4. dub. 2. num. 22.* 23

Quæres 10. An factus miles perdat Priuilegia? 24

℞. Affirmatiuè, quia verè dereliquit habitum, attento præsertim Tridentino, & sic respectu Ordinum minorum. In sacris verò constitutus exercens militiam, post trinam monitionem prosequens, ipso iure perdit omne Priuilegium clericale, tamquam incorrigibilis, si se exercuit in enormibus, vt docet Carena resol. 11. per totam, respondendo Doctoribus, quos trahit in suam sententiam num. 14. nimirum Clericum militem siue in minoribus, siue in sacris

perde-

perdere Priuilegia Fori, & Canonis quando exercuit sæuâ, post trinam monitionem non resipiscendo. Et ita est, quia in cap. Ad audientiam 25. de sent. excom. quæritur an miles Clericus perdat Priuilegium Canonis, postea Papa in responsione subdit; *De Priuilegio Clericorum subsidium aliquod habere non debeat*. Responsio enim est generalis de Priuilegio clericali, quod vtrunque compræhendit.

Quæres 11. An censuratus perdat Priuilegia? Hoc est, Excommunicatus, Suspensus, & Interdictus.

25 ℞. Negatiuè, quia nullibi in iure reperitur hæc pœna priuationis Priuilegiorum per censuratos. Confirmatur, quia nulla Censura petit hunc effectum priuationis, Dal Bene *par. 1. cap. 2. dub. 4. sect. 3. num. 8. Grassus Effectu 1. num. 641.* Etiamsi insordescat in Excommunicatione, ac etiam sit denuntiatus, & non toleratus, quia hæ qualitates talem non inferunt pœnam, cum nõ sint maioris efficaciæ ipsâ Censurâ, quicquid dicat idem Grassus in seq. numeris, alijs allegatis cum suis rationibus, quæ tangunt naturam, & efficaciam ipsius excommunicationis, non hunc priuationis effectum, qui non pertinet ad censuram, sed ad legislatorem, qui hoc non statuit, ergo id inferendum non est ex illorum rationibus, quæ non sunt actiuæ, sed ex legislatore.

Quæres 12. An irregularitas priuet Clericum Priuilegijs clericalibus?

26 ℞. Negatiuè, quia inter eius effectus is non numeratur. Ita *Molina tom. 4. disp. 56. fine, ex eo Carena resol. 11. num. 16. Riccius par. 3. resol. 3 14. & 294. Grassus Eff 1. n. 526.*

27 Quæres 13. An clericus depositus, seu degradatus amittat Priuilegia?

℞. Depositus talis dictus verbaliter nullum perdit Priuilegium, quia hæc pœna non connumeratur inter effectus depositionis, quæ solum priuat Clericum Officio, & Beneficio absq; spe illa recuperandi. Degra-

28 datus verò ea perdit, ex cap. Degradatio 2. de Penis in 6. hisce extremis verbis: *Eximimus te omni Ordine, Beneficio, & Priuilegio clericali*. Ita docent *Bonac. de Censur. disp. 4. initio, Barb. bic, & Allegat. 100. num. 2. Suarez. disp. 30. de censur. sect. 1.*

29 *num. 8 Castropal. de cens. disp. 4. p. fin. num. 2. & 5.* vbi quòd degradatus transit in potestatem Iudicis secularis, ac si numquam fuisset Clericus.

Quæres 14. In quibus casibus Clericus sit degradandus, vt possit tradi curiæ seculari?

30 ℞. In omnibus casibus, in quibus Clericus tradendus est curiæ seculari, degradandus est, qui tres in iure enumerantur. Primus est, quod degradatur hæreticus formalis, & contumax, *cap. Ad abolendam, cap. Excommunicamus, de heret. & cap. 1. eod. in 6. Barb. alleg. 110. n. 111.* Secundò degradatur falsificator literarum Apostolicarum, *cap. Ad falsariorum, de crimine falsi.* Tertiò degradatur exercens sodomiam. Etiam si sit Cardinalis *Pius V const. 70. Barbosa Allegat. 110. num. 19.* Et quia nullibi prohibetur degradatio Clerici incorrigibilis enormia delicta committentis, patet degradari, & sic practicatur, vt docet *Farin. q. 8. num. 81.* Vide huiusce rei opiniones apud Dianam *par. 1. tract. 2. resol. 129. Vers. Sed aliquis, Castropal. de cens. disp. 4. p. fin. num. 13. Grassus Eff. 1. num. 836.*

Quæres 15 An Clericus accipiens Officium laicale perdat Priuilegia?

℞. Negatiuè, *ex cap. Cum contingat 13. de foro comp.* vbi, coram suo Episcopo conueniendus est, nisi Priuilegium, vel consuetudo aliud inducat. Confirmatur *ex cap. Sacerdotibus 2. Ne cler. vel mon.* Vbi licet prohibeantur esse Officiales laicorum, non tamen priuantur Priuilegijs clericalibus. Verba enim illa: *Indignum est eis ab Ecclesia subueniri, per quos constat in Ecclesia scandalum generari*. Non important, ipsum posse puniri à Iudice laico, sed Ecclesiam non debere ei parcere, sed seuerè punire illum iuxta excessus suos, quos et iam ratione Officij perpetrauit. Ita *Abbas in cap. Cum contingat cit. Couar. in Pract. cap. 33. num. 6. Decian. lib. 4. cap. 9. num. 143. Bonac. de leg. disp. 10. q. 2. p. 1. §. 1. num. 24. Diana par. 1. tract 2. resol. 8 cum alijs Barb. ad cit. cap. Sacerdotibus, num. 4. Dal Bene par. 2. cap. 9. dub. 35. sect. 1. num. 16.* Distinguit, quò ad districtionem lubesse Iudici ecclesiastico, quò ad redditionem rationum laico patrono, cogendus tamen per ecclesiasticum, si renuat reddere rationem. 31

Contrarium, quòd iudicari, & puniri possit à Iudice laico docent *Farinac. q. 8. num 98. Cenedus Collect. 61. num. 6. Borella de Præstantia Regis. Catolici. cap. 71. num. 34.* citati cum alijs à Barbosa ibidem. Qui nituntur citatis textibus iam explicatis.

Quæres 16. An negotiator perdat Priuilegia clericalia?

℞. Clericus negotiator perdit solum Priuilegia Fori ciuilis, & gabellarum. Si post trinã monitionem non deserit negotiationem, positã demum declaratione, quòd post tertiam monitionem prosecutus fuit negotiationem statim perdit dicta priuilegia *cap. fin. de Vita & honest.* Et ita docent omnes, *cum Bertach. de Episcopo par. 1. lib. 4. num. 96. de Gabellis par. 3. num. 3. Aufrer. de potest. iudicis laici super pers. eccles. Regula 1. fallent. 16. num. 24. Grassus Eff. 1. num. 844 Barb. ad hoc cap. num. 2. Diana part. 1. tract. 2. resol. 46. par. 2. tract. 1. resol. 44. & par. 4. tract. 1. resol. 28. Bonac. disp. 1. Bulla q. 16.* 32

q. 18. *sect.* 1. *p.* 6. *num.* 14. *Panimolla const.* 46. *à num.* 106. *& seq.* De dictâ trinâ monitione.

Quòd si post trinam monitionem se retrahat à negotijs, immo etiam post declarationem, obediendo subsequenter, ex hoc capite recuperat Priuilegium Fori ciuilis, & rerum cum non amplius sit negotiator, Priuilegium enim hoc non erat suppressum, perditum simpliciter, nec extinctum, sed suspensum, & mortificatum propter negotiationem, & ea tantùm durante. Ita *Glos. V. Suis facultatibus, in cit. cap. fin. de Vita, & hon. ibi alijs citatis Barbosa.*

Quæres 17. An agens Macellarium, seu Cauponem perdat Priuilegia?

33 ℞. Clericus coniugatus, qui per se ipsum eam exercet artem ter monitus, & non desistens, vel desistens, sed rediens ad idem, priuatur omni Priuilegio clericali. Clericus verò non coniugatus cum habitu, & tonsurâ illud exercens nullum perdit Priuilegium quò ad personam, sed quò ad res suas. *Clem.* 1. *de Vita, & hon. cler. Decian. lib.* 4. *cap* 9. *num.* 136. *Graffius Effectu* 1. *num.* 968. *Bonac. in Bulla disp.* 1. *q.* 16. *sect.* 1. *p.* 6. *num.* 15. *Farinac. q.* 8. *num.* 43.

Quæres 18. An immiscentes se in delictis enormibus perdant Priuilegia clericalia?

34 ℞. Clericus minoribus, seu maioribus initiatus se enormibus delictis immiscens, post Depositionem, post Excommunicationem, & post Anathematizationem, non correctus, sed vlterius in alio crimine deprehensus comprimendus est per potestatem secularem, signum euidens, quòd amisit Priuilegia. *cap. Cum non ab homine* 10. *de iudic.* Illa tria includunt monitionem, vnde communis est opinio, quòd Clericus se immiscens enormibus, siue portet habitum, siue non, requiri trinam monitionem. Ita *Suarez disp.* 22. *sect.* 1 *num.* 9. *Ambros. cap.* 7. *num.* 28. *Bonac. in Bulla disp.* 1. *q.* 16. *sect.* 1. *p.* 6. *num.* 11. *Vers. Sed mihi, Castropal. p.* 6. *num.* 5. *Farinac. q.* 8. *num.* 54. Vbi quòd non requirit hanc trinam monitionem. Dictu, trinam monitionem requiri respectu constitutorum in Sacris, & in casu quò agatur de perditione Priuilegiorum respectu incorrigibilitatis; si verò agatur tantùm de amissione Priuilegij Fori respectu depositionis habitus, seu tonsuræ, non requiritur, nisi declaratoria ad formam Tridentini.

Quæres 19. Quid sit incorrigibilitas in Clerico ad effectum perdendi Priuilegia clericalia?

35 ℞. Incorrigibilitas consistit in trinâ monitione, quæ nullum sortita est effectum emendationis in monito. Ille ergo est incorrigibilis, qui ter monitus, ac proinde super tria delicta punitus, vlterius delinquit. Id colligitur ex ipsâ trinâ monitione, qui enim in prima monitione resipiscit, non corrigitur secunda vice, qui verò non emendatur in primâ, nec in secundâ monitione sed vlterius delinquit, certè tertiò monetur. De hac trina monitione habetur expresse *cap. fin. de Vita, & hon. Cler. cap. In audientia* 25. *cap. Contingit* 45. *de sent. excom. Clem.* 1. *de vita, & honest.* Vbi quòd monitio debet esse expressa, ita quòd nominibus proprijs moniti debent exprimi cum suis cognominibus, qui declarandi sunt carere Priuilegijs, vt dicit ibi Glos. V. Nominatim; non sufficit ergo monere in genere, sed monendorum nomina, & cognomina exprimenda sunt, nec sufficit vna pro tribus sed tres esse debent distinctæ cum interuallo aliquot dierum ab vna ad alteram, Glos. V. Tertio. Et ita docent omnes, Anton. *Gomez tom.* 1. *Variar. cap.* 2. *num.* 6 *Couar. in cap. cum sibi, de test am. num.* 5. *Menoch. lib.* 4. *præsumpt.* 9. *num.* 5. *Gutter. lib.* 1. *Canon. cap.* 1. *num.* 27. *Suar. disp.* 9. *de cens. sect.* 2. *num.* 10. *Sayrus lib.* 2. *de cens. cap.* 12. *num.* 17. *& lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 11. *Gratian. cap.* 190. *num.* 11. *Barb. in dicta Clem. num.* 11. *Graffius Eff.* 1. *num* 893. 36

Quæres 20. Quænam sint ea delicta enormia, propter quæ incorrigibilis perdit Priuilegia?

37 ℞. In cap. Cum non ab homine 10. de Iudicijs, nominantur Homicidium, Furtum, & Periurium. Farinac. q. 8. num. 59. loquendo de iure ciuili, ait, illud delictum esse enorme, quod in magnum damnum, & iniuriam proximi perpetratur. Iure verò canonico, quod infamiam inducit, & quod exercitium Ordinum, retentionemq; Beneficiorum impedit in Clericis. Enumerantur autem *in cap. Infames* 17. 6. *q.* 2. *Graffius Effectu* 1. *num.* 923. *citat Doctores.*

Quæres 21. An à Iudice interrogatus, quis nam sit, Laicusne, an Clericus, si fateatur se laicum, cum reuera non sit laicus, Perdat priuilegia?

38 ℞. Negatiuè, quia nullibi in iure reperitur per mendacium perdi Priuilegia clericalia. Ita *Foller. in Praxip.* 1. *partis* 3. §. *Et si confitebuntur num.* 122. *Guidopapa Sing.* 534 *Gironda Hispanus de explicat. priuileg. q.* 183. *quos, & alios citat Riccius part.* 4. *dec.* 9. *num.* 5. Vbi addit mendacium non puniri nisi in casibus à iure expressis, *cap. Quisquis* 11. *q.* 3. *Menoch. de arbitr. centur* 3. *casu.* 276. *num.* 9. Et ita conclusum fuit in Curia Archiepiscopali Neapolitana, vt idem Riccius testatur. 39

Quæres 22 An perdens Priuilegium Fori, amittat etiam illud Canonis: Et è contra perdens priuilegium Canonis, perdat etiam illud Fori?

40 ℞. Amittens vnum non perdere aliud necessariò, quia non habent necessariam connexio-

nexionem adinuicem, relatiuè ad illos Canones, qui inducunt eorum amissionem ex diuersis causis. Attento tamen Concilij Decreto illud Canonis in consequentiam perditur, vt dixi cap. 6. num. 41. Quandoque perditur illud Canonis, non Fori, vt in casu, de quo in cap. Si vero 3. de sent. excom. vbi Clericus turpiter inuentus cum vxore, matre, sorore, vel filia, percussus caret Priuilegio Canonis, quia percutiens non incurrit excommunicationem, & tamen non perdit Priuilegium fori. Clericus ergo in minoribus retinet Priuilegium Canonis, licet non gestet habitum, nec tonsuram nec seruiat Ecclesiæ, licet tunc non gaudeat Priuilegio fori de iure Tridentini, quo tandem dicitur exutus posita declaratione, quòd non seruauerit præscripta Tridentini, & in consequentiam perdit quoque illud Canonis.

Quæres 23. An dicta de Clericis locum habeant etiam in Professis?

41 ℞. Affirmatiuè, respectiuè tamen ad delicta, & artes ciuiles, sicut enim Clerici perdunt Priuilegia clericalia, ita & Professi. Vide citatos *à Diana par. 1. tract. 2. resol. 129.*

Quæres 24. An in supradictis casibus Priuilegia amissa sint extincta, & perpetuò, amissa non tantum suspensa.

42 ℞. Quandiu durat causa, propter quam sunt amissa, tandiu perseuerat in eis eorum perditio, quia causa deperditiua continuò influit in eorum remotionem; cessante verò causa, cessat quoque eius deperditionis effectus, & sic recuperantur amissa Priuilegia, recepto iterum habitu, tonsura; & seruitio Ecclesiæ ab ijs, qui seruire tenentur. Qui verò manifestè deseruerunt habitum, & statum clericalem, viuendo seculariter, vt possunt facere in minoribus constituti, dicuntur magis ea perdidisse, quam quòd sint in eis suspensa. De suspensione autem illorum colligitur *ex Clem. 1. de Vita, & hon. ibi Glos. V. Quandiu, & cap. fin. de Vita, & hon. vbi Glos. fin. arg. cap. 4. & 5. 15. q. 6.* in quibus locis suspenditur Priuilegium fidelitatis debitæ à subditis suo Principi, seu Patrono, quousque permanserit in delicto suo, quo remoto, restituitur. Ita docent *Silu. V. Excom. 6. num. 4. Graffus Effecta. 1. num. 1232. Bonac. in Bulla disp. 1. q. 16. sect. 1. p. 6. fine, Barb. ad cap. fin. cit. de Vita, & hon.* in fine. Suspenditur Priuilegium Canonis in eo, qui turpiter inuentus fuit cum vxore, &c. iuxta dicta q. 22. num. 40. ex quo occidens illum, non est excommunicatus.

Quæres 25. An Iudex secularis possit procedere contra Clericum, quando dubitatur, an gaudeat Priuilegio Fori? Seu melius Quæres, an in dubio sit resoluendum pro Iudice contra Clericum. Certum enim est, vt dictum fuit in tio huius capitis, Iudicem secularem non posse procedere contra Clericum, nisi prius Iudex ecclesiasticus declarauerit, illum non gaudere Priuilegio fori. Restat ergo difficultas in eo, an ipse Iudex ecclesiasticus in dubio, an Clericus amiserit hoc Priuilegium debeat ferre sententiam fauore Rei contra Iudicem secularem?

℞. In dubio, resoluendum est, Clericum gaudere Priuilegio Fori. Ratio est. Tum quia cum partium iura sunt obscura, reo fauendum est potius, quam actori, *cap. 11. de Reg. iur. in 6.* Clericus autem est reus, & Iudex secularis actor. Tum quia fauorabiliores rei potius, quam actores habentur, *l. 168. ff. de reg. iur.* Tum quia semper in dubijs benigniora proferenda sunt, *l. 57 ff. eod.* Tum quia in re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus iustius est, quam tutius *l. 153. ff. eod.* Confirmatur, quia in dubijs circa Immunitatem Ecclesiæ, ei fauendum est, & eius Clericis. Ita docent omnes *cum Sperello dec. 60. num. 13. Giurba cons. 10. num. 25. Farinac. cap. 8. de Immun. num. 123. & q. 8 num. 33. Graffus Effectu 1. num. 531. Diana par. 6. tract. 1. resol. 30. q. 6.* Dixi etiam *cap. 2 q. 14. num. 163.* 43 44

Quæres 25. Pro quo declarare debet Iudex ecclesiasticus, quando sunt opiniones pro Clerico, & pro Iudice seculari?

℞. Potest Iudex declarare Clericum gaudere Immunitate, & Priuilegio fori, licet opinio, quæ facit pro Clerico sit minus probabilis, & minus communis, dummodo fulciatur solidis rationibus, neque enim in hoc casu agitur de Iustitia, quæ prosit vni, & præiudicet alteri, cum dum causa ventilatur, Iudex laicus nullam ius habeat in Clericum. Præterea Iudex ecclesiasticus est dominus non solùm causæ, sed etiam personæ Clerici spectati etiam vt rei, potest enim, si vult, eum punire, excluso Iudice seculari, etiam si declarauerit pro Iudice seculari contra Clericum, per hoc enim non abdicat à se iurisdictionem suam ordinariam, & fortiorem, quam sit ea Iudicis laici, quæ dependet in hierà declaratoria Iudicis ecclesiastici, vt dixi hic num. 11. Cum ergo respectu opinionum locum habeat comparatio Rei, & Actoris, pro ipso reo contra Iudicem actorem faciunt dicta in præcedenti quæstione. Doctores citaui cap. 2. q. 15. num. 166. 45

CAPVT

CAPVT DECIMVM.

De Mutatione Fori, & Status occasione delictorum.

SVMMARIVM.

1 *Quatuor modis mutatur Forus.*
2 *Nemo iudicatur ab alieno Iudice.*
3 *Nisi se illi subijciat.*
4 *Iurisdictio contentiosa afficit Personam in territorio Iudicantis.*
5 *Modis tribus quis est subditus in criminalibus, origine, domicilio, & delicto.*
6 *Fortior est iurisdictio ex delicto, quàm ex alijs duobus modis.*
7 *Iudex fit in actu per citationem etiam solùm verbalem.*
8 *Perpetuando suam iurisdictionem etiam contra eum, qui solùm mutauit Forum.*
9 *Non contra eum, qui mutauit non solùm Forum, sed etiam Statum secularem in Ecclesiasticum.*
10 *Probatur iuribus diuino, & humano vtriusq; iuris.*
11 *Mutans ergo solùm Forum remanet adhuc subditus Iudici, qui eum citauit.*
12 *Status secularis ita opponitur ecclesiastico, vt nihil illius remaneat in transeunte ad ecclesiasticum.*
13 *Nouitij gaudent* Priuilegio *Fori, & mutant statum, & se suaq; dicant Deo.*
14 *Mutatio Fori licet, maximè a seculari ad ecclesiasticum.*
15 *Pœna est contraria voluntati.*
16 *Concurrentibus duabus causis attenditur potior magis quàm minor.*
17 *Laicus delinquens factus Clericus non punitur à laico praueniente citatione.*
18 *Iurisdictio ecclesiastica est potentior, & ideo facit cessare laicalem.*
19 *Status dignior minus dignum comprimit.*
20 *Nec in bonis puniri potest.*
21 *Bona enim sequuntur* Personam, *& eius conditionem.*
22 Priuilegij *enim concessio vtrunque copulatiuè comprahendit.*
23 *Exemptus simpliciter quò ad omnia censetur priuilegiatus.*
24 *Confugiens ad Ecclesiam nec in bonis molestari potest.*
25 *Opinio aduersariorum probantium iudicari posse Clericum post delictum.*
26 *L. 1. ff. de pœnis in pœnis inspicitur tempus delicti, sc. in imponendis.*
27 *L. 19. ff. de iurisd. omn. iud. quòd mutans Forum adhuc subijcitur priori Iudici, qui citauit, intelligitur quò ad mutationem tantùm Fori.*
28 *Esse in diœcesi, & de diœcesi differunt.*
29 *Exemptus locus dicitur esse extra diœcesim.*
30 *Diœcesis, & territorium aliquando pro eodem accipiuntur.*
31 *L. 7. ff. de iudic. quòd superueniens Priuilegium non eximat priuilegiatum à iurisdictione prioris Iudicis, intelligitur, si non mutauit statum.*
32 *Leges ad inuicem contrariæ non allegantur.*
33 *Iurisdictio non potest perpetuari, quando superuenit alia maior.*
34 *Reconuentio per laicum contra Clericum non datur in criminalibus.*
35 *Accusatus non potest accusare, nisi prius se purget.*
36 *Immunitas Ecclesiæ non solum Ecclesijs, sed etiam Personis conceditur.*
37 *Argumentum valet ab Immunitate Ecclesiæ ad Priuilegium Fori.*
38 *Laicus de crimine perpetrato in seculo punitur à Iudice ecclesiastico factus Clericus.*
39 *Promotus in carcere aquirit Priuilegium, & sic non potest amplius puniri à Iudice laico.*
40 *Diligentibus, non negligentibus iura subueniunt.*
41 *Fugiens à carcere, promotus non potest amplius puniri à Iudice laico.*
42 *Promotus nemo dicitur in fraudem ad declinandum Forum.*
43 *Iure suo vtens nulli facit iniuriam.*
44 *Fugere è carcere iusto licet.*
45 *Relinquens locum obligationis ad eam euitandam non peccat.*
46 *Dolum non facit vtens iure suo.*
47 *Status mutatio in melius nulla prohibetur.*
48 *Citatus non tenetur se tradere manibus Iudicis.*
49 *Carceratus fracto carcere non peccat fugiendo.*
50 *Cap. 4. sess. 23. explicatur.*
51 *Minoribus initiatus sine peccato redit ad seculum.*
52 *Peccatum non impedit aquisitionem Priuilegiorum.*
53 *Fraus reperitur in prohibitis.*
54 *Iure suo vtitur agens sine peccato.*
55 *Quando illud excludi potest ex concursu alterius causa.*
56 *Fraus in promotione quando præsumatur in sententia aliorum.*
57 *Resumptione habitus recuperantur Priuilegia.*
58 *Caracter non perditur amissione Priuilegiorum.*
59 *Vnde à solo Iudice ecclesiastico puniatur.*
60 *Habitus desertio facit perdere vsum Priuilegij & resumptio recuperare.*
61 *Contumacia non potest plus operari, quàm consensus in Iudicem.*
62 *Mutatà personà mutatur status rei.*

63 *Finis*

DE MVTATIONE FORI, ET STATVS OCCASIONE DELICTORVM.

Solent malefactores delictis perpetratis mutare Forum, quod quantùm spectat ad præsens institutum contingere potest *Primò* transeundo de vno territorio ad aliud. *Secundò*, mutando statum personæ, & Forum quoque, vt accidit laico, dum post delictum promouetur ad Primam Tonsuram, vel fit Nouitius in aliqua Religione. *Tertiò*, è contra, quando Clericus, vel Nouitius post perpetratum crimen abiectis habitibus clericali, seu religioso reuertuntur ad seculum, antequam promoueantur ad Subdiaconatum, vel Professionem. *Quartò*, cum secularis aliàs Clericus post commissum delictum resumit habitum, & tonsuram, similiter si Nouitius iterum fiat, vt declinent forum eius Iudicis, sub quo deliquerunt. 1

Præmittendum autem est, quòd nemo potest iudicare, nisi suos subditos, & non aliorum subditos, *cap. Iudicare de subditis* 2

61. 11. q. 3. Iurisdictio enim exercetur in subditos, l. Si idem 11. ibi: *Intra iurisdictionem iudicantis sit.* Non enim quis iudicari potest pro, vel contra ab extraneo Iudice, nisi se illi subijciat, l. Est receptum
3 14. ibi: *Subijciat se iurisdictioni alterius ff. de iurisd. omn. Iudic.* Non sufficit autem delinquentem habere sibi subditum, sed præterea ipse Iudex debet intra suum territorium iudicare, aliter iudicatus extra territorium non tenetur obedire Iudici, iuxta l. fin. eod. *Extra Territorium ius dicenti, impune non paretur. Idem, & si supra iurisdictionem suam velit ius dicere.* Et hoc idem
4 dicitur cap. 2. de constit. in 6. Iurisdictio enim contentiosa, qualis potissimùm est illa, quæ exercetur in criminalibus, cohæret loco, & territorio, sicut nebula in tota palude, *Paris. Vol. 4. cons. 16. num. 21. Curt. Iun. cons. 41. num. 9. cons. 158. num. 24. Octau. Gloris. Resp. 3. num. 9. cum alijs Barb. ad dictum cap. 2. de constit. num. 15.* Quòd delinquens debeat esse intus, & in territorio Iudicantis docet S. Paulus eximius legum Doctor 1. Corinth. cap. 5. num. 12. *Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt iudicare? Nonne de ijs, qui intus sunt, vos iudicatis, nam eos, qui foris sunt, Deus iudicabit.*

5 Tribus autem modis delinquens supponitur iurisdictioni Iudicis, & fit illi subditus, Primò, ratione Originis, quia deliquit in loco, vbi natus est, *l. Incola ff. de municip.* Secundò, ratione Domicilij, *l. 1. ff. de interd. & releg. l. Relegatorum §. Interdicere autem, eod. & cap. fin. de foro compet.* Tertiò ratione Delicti perpetrati in territorio alieno, *l. 1. C. de iurisd. om. iud. l. 1.*
6 *& l. Si cui §. Penult. de accusat. l. Solent. ff. de custod. reor.* Farinac. q. 7. sub initium, subdens, hunc tertium modum esse alijs potentiorem. Differunt autem in eo, quòd ratione Originis, & Domicilij quis dicitur subditus etiam antequam delinquat, ita quòd Iudex ex solà existentià Originis, vel Domicilij dicitur habere iurisdictionem in eos; ratione verò Delicti tunc Iudex incipit habere iurisdictionem in delinquentem, quam ante Delictum non habebat, cum nullo modo esset antea illi subditus, ex quo aduena, adeo quòd per solam perpetrationem Delicti commissi in eius territorio aquisiuit iurisdictionem contra ipsum.

7 Notandum autem est, quòd in Iudice duo spectantur, potestas in habitu, quam aquirit Origine, Domicilio, vel Delicto, iuxta superius dicta; & exercitium, cum actu agit contra malefactorem, tunc enim Iudex dicitur esse per citationem non solùm realem .i. per capturam, sed etiam per citationem verbalem, & in scriptis, & vtraq; perpetuat iurisdictionem in Iudice, ita quòd superueniens Priuilegium fori pro reo, pendente iudicio, nihil prodest reo, nec tollere potest Iudicis iurisdictionem in actu cæptam, ita quòd iudicium ab eo finiendum est, à quo cæptum fuit, *l. Vbi captum 30. ff. de iudic. l. si quis postea 7. cod. l. Cum quadam puella 19. de iurisd. omn. iud.* procedit in Iudice originis, seù domicilij, respectu verò Iudicis ex delicto tantùm, vt contingit in aduenis, requiritur captura, ne vti possit Priuilegio, vt colligitur *ex Aut. Qua in Prouincia C. vbi de crim. agi oportet.* 8

Procedunt dicta in eo, qui simpliciter mutauit Forum, non Statum personæ, vt 9
patet *ex l. Si filius 6. ff. de tutel. & ratioc.* vbi pater tenetur de dolo facto à filio circa administrationem tutelæ, dum erat filius sub patrià potestate, si verò erat emancipatus non tenetur, mutatio ergo status eximit; idem in facto milite, quia non solùm mutauit Forum, sed etiam personæ Statum, vt fecit, qui nomen dedit militiæ; non remittendus puniendus à priori Iudice, sub quo postulatus fuerat de homicidio, *l. Qui cum vno 4. §. Reus ff. de re milit.* Quo eodem Priuilegio vtuntur ecclesiastici, tam Clerici, quam Religiosi Nouitij, & Professi, valet enim argumentum à milite armatæ militiæ ad militem cælestis militiæ Euerard, loco 36.

Et quidem hoc verum est non solùm argumento deducto à dicta lege de re milit. 10
sed etiam iure diuino auctoritatibus citatis cap. 2. de orig. Priuileg. Cler. *Nolite tangere Christos meos. Qui vos spernit me spernit*, & similibus. Quæ auctoritates dicuntur à Deo pro omnibus ecclesiasticis, cum omnes sint pars hæreditatis Dei. Habent ergo diuinum Priuilegium Ecclesiastici, vt non tangantur, non spernantur à Iudicibus secularibus, qui dum iudicant illos, quorum non sunt Iudices, dicunt tangere, hoc est, distringere, & spernere, grauem enim iniuriam, & damnum infert non Iudex fungens officio Iudicis, quo caret.

Leges quoq; ciuiles approbant, quod Deus donauit personis ecclesiasticis, vt legitur in Auth. Statuimus C. de Episc. his verbis: *Statuimus, vt nullus ecclesiasticam Personam in criminali quæstione, vel ciuili trahere ad iudicium seculare præsumat contra constitutiones imperiales, & canonicas sanctiones.* Rèm latius explicaui cap. 2. sub initium à num. 18. Lex ergo ciuilis expressè, & clarè prohibet ne quis Iudex secularis præsumat trahere ad suum iudicium Personam ecclesiasticam in criminalibus, non distinguendo, inter delicta, neque inter tempus quo fuerunt commissa, siue in seculari, siue in statu ecclesiastico, neque proinde nos distinguere debemus, consequenter trahendi non sunt coram Iudice secularis

culari; neque pro delicto commisso ante, neque post; si enim possent trahi pro delicto antea commisso, iam non seculares, sed ecclesiasticæ Personæ traherentur, dum fieret iudicium tempore, quo sunt ecclesiasticæ, & sic violaretur hæc lex, quæ simpliciter prohibet vexationem personarum ecclesiasticarum in criminalibus, non enim persona exui potest hàc conditione, dum iudicatur super delicto commisso ante receptum statum ecclesiasticum per sacram tonsurationem.

11 Quod autem supradicta lex *Si quis postea* cum alijs intelligatur de simplici mutatione fori, quæ non impedit iurisdictionem prioris Iudicis, probatur etiam per cap. Proposuisti 19. de foro compet. vbi fit mentio tantùm de mutatione fori, non personæ, ibi; *quia postmodum iurisdictionis alterius esse capit.* Vnde secundum Iohannem Auream hic non procedit in Clerico, qui licet mutauerit forum laicalem in ecclesiasticum, non potest puniri super delicto à Iudice seculari, quod commiserat dum erat laicus, licet citatus fuerit ante promotionem, quia non solùm Forum, sed etiam personæ statum mutauit alium aquirendo statum, nempe ecclesiasticum, per quem excluditur potestas laicalis simpliciter, & absolutè respectu cuiuscunque delict quouis tempore perpetrati; Iudex enim laicus potestate seculari iudicat, seculariter autem iudicare non potest, nisi personam sibi seculariter subditam, dum iudicium exercet.

12 Certum autem est, quòd ecclesiastica nihil secularitatis habet, siquidem hi duo status se inuicem excludunt à personâ, cap. *Duo sunt genera* 7. 12. q. 1.

13 Et loquendo de Nouitijs, præter dicta, cum & ipsi sint Personæ ecclesiasticæ, vt probaui cap. 1. num. 25. stabilitur magis per Auth. *Ingressi* vbi dicitur, quòd Religionem ingressi non solum seipsos, sed etiam sua bona dedicant Religioni, euidens argumentum, quod nullus Iudex laicus potest contra eos procedere super delictis in seculo commissis, condemnando eos in personâ, nec in bonis, neque enim laicus super ea, quæ Deo dicata sunt, potestatem, & iurisdictionem habet, propter plura, & quia mutarunt Forum, mutarunt Statum, & quia se, & sua Deo dicarunt. Vide Grassum Eff. tu 1. num. 78.

14 Quoniam autem vnicuiq; licitum est mutare Forum, & Statum, vt docent *Socin. in cap. fin. de foro compet. q. 10. Marcambr. consil. 69. num. 87.* maxime in ordine ad Clericatum, & Monachatum, cum persona per hanc mutationem se Deo specialiter dedicet, nec proinde fraus hic præsumenda est directè, tum quia naturale est cuiq; fugere pœnas, cum sint contrariæ voluntati hominis *D.Thom. 2.2.q. 18. art. 3.* tum quia 15 quando concurrunt duæ causæ, vna naturalis, altera accidentalis, prior attenditur, 16 *l.Qui habent 3. ff. de tutelis.* Similiter cum concurrunt causa finalis, & impulsiua, illa attenditur magis, *Sotus in 4. dist. 15. q. 2. art. 3. apud Megalium conf. 23. n. 12.* Seruire autem Deo est causa finalis, & naturalis respectu promotionis, fuga vero pœnæ, & declinatio Fori est causa accidentalis, & impulsiua inducens executionem Promotionis.

Quæres igitur 1. An laicus post crimen perpetratum promotus ad Primam Tonsuram possit iudicari, & puniri à Iudice laico?

℞. Negatiuè licet præuentus fuerit citatione, nec in personâ, nec in bonis. Probatur *Primò*, quia per promotionem ipso iure aquisiuit Priuilegium Fori ecclesiastici ex Pontificali Gregoriano, cuius verba retuli cap. 4. num. 8. ergo exemptus est à Foro seculari; quem per promotionem dereliquit, neq; enim delictum quamuis grauissimum potest impedire aquisitionem Priuilegij clericalis, cum nullo iure reperiatur tale impedimentum introductum prohibens aquisitionem Priuilegiorum clericalium, maxime cum talis effectus à Deo, non ab homine procedat ex dictis cap. 2. & 17 4. *Secundò*, quia potentior est iurisdictio, & 18 subiectio ecclesiastica, quam vtraq; secularis, ea enim originem trahit à sacra promotione in Personis ecclesiasticis, hæc verò ab humana potestate, illa proinde est maior, & independens, hæc minor, & dependens, cum omnis potestas desuper sit, Paulus ad Roman. 13. initio, necesse est ergo, quòd ecclesiastica præualeat; sequitur sic promotum omninò aquisiuisse Priuilegium Fori, vt à Iudice seculari distringi non possit. *Tertiò* quia accusatus de crimine capitali, factus postmodum miles non remittitur ad Iudicem secularem, sed iudicatur à Iudice militiæ, *l. Qui 4. ff. Reus ff. de re milit.* Ergo Clericus factus post delictum, non potest iudicari à seculari, cui subdebatur ille tempore delicti. Consequentia probatur, quia valet argumentari à milite armatæ militiæ ad militem cælestis militiæ, *Euerard. loco 56. Barb. loco 71.*

Confirmatur, quia aquirens nouum 19 Statum præstantiorem, & dignorem eximitur ab inferiori Statu, onere, & seruitute, nam Iudæus, vel Paganus in seruitute positus si fiat Christianus euadit liber *l. Fraternitatem 15. dist. 52.* Tutor positus in dignitate, vel factus Senator absoluitur ab onere tutelæ *l. Spadonem 17. §. Scire ff. de excusat. tutor.* Arbiter Sacerdos factus non tenetur arbitrari, sed fit liber, *l. Non distinguemus 37. ff. de arbitr.* Laicus qui habebat munus, & officium laicale eximitur à

muneribus factus Sacerdos, *l. Prætor* 12. *ff. de Vacat. & excusat. muner.* Ex quibus deducitur, mutatione Status inferioris ad Statum maiorem, non esse amplius Personam subiectam, quò ad illum priorem, cum non amplius sit sub illo.

Confirmatur 2. quia sicut laicus post delictum perpetratum aquirit Priuilegium, vt non possit molestari à suo Iudice seculari, quamdiu manserit in Ecclesia, vel loco Religioso ex Bullà Gregorianà, eo magis si promoueatur ad Primam Tonsuram, vel ad Ordines, cum mutet statum, quem laicus confugiens ad Ecclesiam non mutat. Ita docent *Bonac. de legib. disp.* 10. *quæst.* 2. *p.* 1. *§.* 1. *num.* 16. *& in Bulla disp.* 1. *q.* 16. *sect.* 1. *p.* 5. *num.* 8. *Marta de iurisd. par.* 4. *casu* 121. *num.* 8 *Genuens. cap.* 8. *num.* 5. *cum alijs Diana par.* 1 *tract.* 2. *resol.* 26. *Giurba cons. crim.* 15. *num.* 32. multis alijs citatis.

Secundum, quòd non possit puniri in persona, docent omnes præcitati, in quo conueniunt cum alijs Doctoribus sentientibus laicum post commissum delictum effectum Clericum non posse puniri corporaliter, in quo omnes conueniunt, differentes solùm in eo, quòd tales effecti Clerici possunt puniri in suis bonis, vt infra dicam respondendo contrariæ opinioni.

20 Tertium, quòd tunc nec in bonis puniri
possint, probatur. Tum quia ab exemptione Personæ infertur exemptio bonorum,
quia bona sunt accessoria Personæ, & prop-
21 ter hominem creata, *ex l. In pecudum ff. de
vsu. Oldrad. cons.* 83. *num.* 3. *l. fin. de censib.
alijs citatis Sperel. dec.* 135. *num.* 61. Tum
quia Priuilegium clericale censetur plene, &
22 perfectè concessum in promotione, cum
proueniat à Deo posità tonsuratione per
Episcopum, opera enim à Deo prouenientia non sunt imperfecta, sed plena, & completa. Tum quia Pontificale loquitur generaliter, & pluraliter his verbis: *Hodie de Foro Ecclesiæ facti estis, & Priuilegia clericalia sortiti estis*. Forus autem Ecclesiæ eximit non solùm personam, sed etiam bona illius à Iudice seculari, Bulla Cænæ Domini ex com. 15. Promotus non vnum aquirit tantùm Priuilegium scilicet Personæ, sed plura, cum in numero plurali exprimantur, his verbis, *Priuilegia Clericalia*,
ergo, & hoc de bonis eorum. Tum quia
23 exemptus simpliciter, censetur vniuersaliter exemptus, *Gloss. V. aliquid, cap. Frater noster* 52. 16 *q.* 1. Tum quia reus confugiens ad Ecclesiam post delictum non potest molestari in Personà, neque in rebus suis puniri, ex Gregorianà, attento cap. id constituimus 36. 17. q. 4. ibi: *De morte, & debilitate, & omni pænarum genere sint securi*. Ergo multò minus laicus effectus Clericus, cum in omnibus sit effectus de foro Ecclesiæ. Et ita docet Genuens. *in Praxi Neapol. cap.* 8. *num.* 4. *& alij.*

Contraria opinio, quòd Clericus factus 24
post commissum delictum debeat remanere subiectus Iudici seculari, sicut fuisset, si non fuisset promotus ad Primam Tonsuram, & Ordines, minores, est quamplurium Doctorum, inter quos plerique id concedunt in casu, quo promotus fuit in fraudem Iudicis secularis; & inter illos quidam concedunt esse puniendum non corporaliter, sed tantùm in bonis suis. Vide Doctores citatos *à Gratiano cap.* 226. *num.* 29. *&* 30. in quibus locis asserit, promotum in fraudem non posse puniri corporaliter, sed tantùm in bonis *Giurba cons.* 15. *num.* 32. *&* 35. *Bonac. de legib. disp.* 10. *q.* 2. *p.* 1. *§.* 1. *num.* 18. *Vers. Ex dictis, Grassus Eff.* 1. *num* 1071. *& seq. Pasqualig. q.* 304. *num.* 3. *&* 8.

Probant hanc opinionem *Primò* ex l. 1. 25
C. de Pænis, vbi dicitur, quòd in delictis inspicitur tempus commissi delicti. *Secundò*, ex l. Cum quædam puella 19. *ff. de iurisd. omn. iudic.* vbi mutatio fori post Sententiam, vel litis contestationem non impedit prioris Iudicis iurisdictionem. *Tertiò ex l, Si quis postea* 7. *ff. de iudic.* vbi, quòd Priuilegium Fori superueniens, pendente Iudicio, non eximit quem à iurisdictione. *Quartò, ex cap Designata* 2. *cap. Præterea* 3. *dist.* 51. Vbi Imperator reuocat suos curiales promotos contra suam voluntatem, ergo non gaudent Priuilegijs clericalibus. *Quintò ex cap. Ex antiquis* 9. *cap. frequens* 10. *cap. Si seruus* 19. de seruis non ordinandis sine consensu dominorum suorum, aliter reuocantur ab illis ad seruitutem. Euidens argumentum, quòd laicus promotus post delictum non gaudet aliquo Priuilegio, sed remanet de Foro laicali, sicut prius.

Ad primum ex l. 1. C. de pænis nihil con- 26
tra nos, quia ibi sermo est de pænis imponendis, dum quæritur, an reus puniendus sit pænà, quæ vigebat tempore commissi delicti, an alià, quæ erat in vsu tempore Sententiæ? Respondet Vlpianus inspiciendum esse tempus delicti. Nihil verò in eo textu agitur sub quo Iudice conueniendus sit, & puniendus qui commisit delictum, & postea mutauit Forum. Ita *Dynus in l. Idem Vlpianus ff. de excusat. tut. apud. Fagn. p.* 2. *ad cap. Magnus, de obligat. ad ratioc. Decius in cap. Proposuisti, de foro compet. num.* 50.

Ad secundum ex l. 19. de iurisd. om. Iud. 27
colligi mutationem Fori non impedire iurisdictionem prioris Iudicis, quando mutatio est simpliciter localis; in casu autem nostro mutatur Forus cum Priuilegio adiuncto, nam promotus mutat Statum, quia de laico fit Clericus, & aquirit Priuilegium,
quod

quod illum eximit in totum à iurisdictione, respectu cuius antea suberat Iudici laico. Immo in casu præsenti promotus non solùm mutat Statum aquirendo Priuilegium, sed quodam modo mutat etiam locum cui cohæret iurisdictio laicalis, *l. fin. C. Vbi, & apud quos*, nam persona exempta licet dicatur esse *in Territorio*, non tamen dicitur
28 esse *de Territorio*, sed extra illud, & coincidit cum eà distinctione esse *in Diœcesi*, sed non *de Diœcesi*, exemptus ergo dicitur esse
29 in *Territorio* secundum situm, non secundum subiectionem, *Panorm. in cap. Apostolicæ 9. de donat. num. 3. Sigism. Capucin. de elect. dub. 51. num. 2. Sperell. dec. 504. num. 47. Ciarlin. cap. 10. num. 5. Gonzal. Glos. 43. à num. 180.* Quia locus exemptus cum suis Personis dicitur esse extra Territorium, & Diœcesim eius Superioris, à quo est exemptus. *Ioan. Andr. in Clem. de foro compet. V. Quia nomine, Glos. V. aut earum parte, Rodriq. tom. 1. q. 36. art. 1. §. Primum*, vbi quòd Episcopus non potest visitare Ecclesias exemptas existentes intra suam Diœcesim, quia censentur esse extra Diœcesim quò ad subiectionem, *Puteus lib. 3. decis. 83. Rota par. 2. Diuers. decis. 207. Vitalin. in Clem. 2. de priuileg. num. 44.* Laicus ergo promotus ad Clericatum non mutat simpliciter locum, de qua mutat one loquitur citata lex, sed Statum laicalem in clericalem aquirendo Priuilegium exemptionis à iurisdictione Iudicis laici, & totus fit de Foro ecclesiastico sine mutatione locali secundùm situm, sed tantum secundùm subiectionem, & sic allatus textus nihil probat contra nos.
30 Addo sub nomine *Diœcesis* venire etiam *Territorium*, & pro eodem recipiuntur, *ex Cocbier. Ciarlin cap. 230. num. 73. text. in Clem. Ne Romani, de elect. vbi Glos. V. Diœcesis, Rota part. 1. dec. 615. num. 6.* Differunt solùm in eo, quòd locus dicitur Diœcesis respectu Iurisdictionis episcopalis, Territorium verò respectu Iudicis secularis.
31 Ad tertium ex l. 7. ff. de iudic. quòd superueniens Priuilegium Fori, iudicio pendente, priuilegiatum non eximat à iurisdictione prioris Iudicis, respondeo in primis verum esse, si non adiungitur mutatio Status, deinde in eo textu, & sequenti sermonem esse de causa ciuili, non criminali; deinde oppono alium textum l. Qui cum vno 4. de re milit. de quo dixi supra, quod homo delinquens, & postea factus miles debet puniri à Iudice militiæ, sic factus Clericus à Iudice ecclesiastico. Vel dic leges adinuicem contrarias non allegari, secundum
32 Bartol. *in l. In ambiguo ff. de reb. dub. num. 2. Alex. in l. 1. ff. solut. matr. col. 2. Felin. in cap. 1. de const. circa finem.* Aut dic in præcitatis agi de causa ciuili, vt dixi, in l. autem 4. de criminali.

Ad quartum, & quintum nihil contra nos, nam in textibus allegatis; in quarto Imperator reuocat de facto, non de iure quosdam curiales; in quinto restituuntur serui in minoribus ordinati sine consensu suorum dominorum, non enim erant sui iuris, ideo Seruus vt res aliena restituitur domino suo, Ecclesia enim est cultrix Iustitiæ. Adde in his textibus non de causâ criminali tractari.

Prosper Fagnanus in cap. Magnus, de oblig. ad rat oc. à num. 25. ad 75. quæstionem hanc fusè tractat referendo opiniones, qui tandem sub num. 54. ponit has conclusiones in causis criminalibus.

Prima est, Iudex secularis, qui verbaliter citauit laicum, qui post commissum delictum factus est Clericus, potest in causa illa procedere, & pronuntiare. Reprobaui supra sub num. 17.

Secundà. Idem iudex potest sententiam suam exequi realiter in bonis Clerici. Reieci supra sub num. 20.

Tertia. Non tamen post eandem Sententiam exequi in Persona, nec Clericum personaliter distringere. Est communis.

Quarta. Iudex secularis, qui pro criminali causâ realiter .i. per capturam Personæ citauit laicum, qui dum detineretur, factus est Clericus, potest eum distringere, & punire etiam in personam.

Non placet prima, & secunda eius conclusio superius à nobis iam impugnatæ, tollunt enim gratis, & sine fundamento Priuilegium clericale Fori, quod tamen tolli non potest, nec impediri, quin aquiratur, cum illud sequatur ex diuinâ dispositione ad Caracterem clericalem, vt docet ipsemet Fagnanus par. 2. ad cap. Cum contingat de Ætate, num. 82. & 112. & tamen hic negat id, dum vult laicum post delictum promotum puniri posse à Iudice seculari, à quo tamen puniri non potest, dum actu habet Priuilegium, nondum illo denudatus per Sententiam Iudicis ecclesiastici. Impugnat autem rationes contrariæ opinionis, quas in sequentibus defendo.

Impugnat primò rationem Bellameræ, qui dicebat, laicum esse incapacem puniendi Clericum propter Priuilegium Ordini concessum, supponendo, iurisdictionem perpetuari in Iudice laico, quia fuit præuentus ante Clericatum propter principium habile, licet postea ad eum casum peruenerit à quo non potuit incohari. Et confirmat exemplo Clerici reconuenti coram eodem Iudice seculari.

Contra est quia non potest perpetuari Iurisdictio, quando superuenit alia maior Iurisdictio, vt est non solùm diuina, sed etiam ecclesiastica maior laicali, *cap. Suscipitis 6. dist.* 33

dist. 10. *cap. Duo sunt* 10. *dist.* 96. *cap. solicitè; de maior*. Sed Ecclesiæ potestas declarat in Tonsuratione validè collatâ, tonsuratum, eo dic, quo tonsuratur, desinere esse de Foro laicali, & fieri de Foro Ecclesiæ, & sortiri omnia Priuilegia clericalia de iure diuino, ergo impossibile est, quòd laicalis iurisdictio possit perpetuari, contra diuinam dispositionem, & ecclesiasticam declarationem. Reconuentio autem iure exprimitur cap. 1. de mutuis petit. Vbi inconti-
34 nenter fieri debet post litem contestatam coram eodem Iudice, & hoc solùm in causis ciuilibus, non in criminalibus, *Glos. V.*
35 *Aut condemnari cap. de foro compet.* quia accusatus non potest accusare in eodem Iudicio, nisi prius se purgauerit, ita 3. *q.* 11. *per totam, Farinac. q.* 8. *num.* 99. Euanescit ergo Iurisdictio laicalis ipso actu Tonsurationis, superueniente ecclesiasticâ, quæ secularem perimit.

Impugnat 2. ideo rem Deo dedicatam non restitui priori Domino, quia non potest amplius redigi ad profanos vsus; at verò Clericus non ita eximitur à potestate secuları, quia in certis casibus remanet subiectus.

Contra est, quia nullo sacro Canone, aut aliâ lege ecclesiasticâ inuenitur tonsuratum esse subiectum Iudici laico, alias destrueretur formalis ratio Tonsurationis, quæ de laico, facit Clericum, & de Foro Ecclesiæ cum suis Priuilegijs; Clericus ergo simpliciter eximitur à potestate laicali, itaut ex nullo delicto remaneat subiectus seculari potestati, cum nullo iure id caueatur.

Impugnat 3. quia alia est ratio rei inanimatæ, alia animatæ, nam res inanimata Deo dicata non restituitur, restituitur verò animata, vt patet cap. Ex antiquis dist. 54. vbi seruus permittens in se Ordinationem restituitur domino suo, quia deliquit, sicut qui tonsuratur, vt se subtrahat à suo Iudice, ergo adhuc est sub Iudice laico, sicut seruus sub domino.

Contra est, quia non delictum priuat seruum Priuilegio clericali, sed in causa huius priuationis est præiudicium, quod patitur dominus in seruitute vnde ibidem in textu, seruus sic ordinatus contra voluntatem Domini exuitur per ecclesiasticam potestatem suo Priuilegio, & restituitur suo domino. Nullibi verò in iure reperitur, exuendum esse Priuilegio clericali promotum, cum ex promotione illius nullum præiudicium sit illatum Iudici, nulla .n. Iudicis violatur iustitia, sicut contingit in ordinatione serui. Ea ergo differentia rei animatæ, & inanimatæ, non facit ad rem, nec paritas in delinquendo impellit ad restitutionem in vtroque casu, sed tantùm in priori ob læsionem Iustitiæ, quæ non reperitur in posteriori.

Impugnat 4. quia non valet arguere ab Immunitate Ecclesiarum ad Priuilegium Fori quandoquidem Priuilegium Fori, fuit concessum rei animatæ .i. Clericis; at Immunitas non fuit concessa confugientibus, sed rei inanimatæ .i. Ecclesiæ, quæ non est priuanda, & cuius Priuilegium ita violatur per extractionem liberi, sicut captiui, cum sit locale.

Contra est, quia Immunitas ecclesiastica 36
non solùm Ecclesijs, sed etiam personis indiuisibiliter concessa fuit, cum sit in honorem illius, & in commodum istius; & non potest adæquatè intelligi, nisi ambo simul percipiantur, vt notum est, vnde, & appellatur Priuilegium mixtum ex Ecclesiâ, & Personâ *ex allatis à Sperello dec.* 59. *initio*. Et notaui *in Tract. de Immun. eccles. cap.* 22. *q* 3. *num.* 11. Ex quo patet valere argumentum ab Immunitate ecclesiasticâ ad Priuilegium Fori, cum vtrunque concedatur Personis, 37
cum relatione, hoc ad Ordinis dignitatem, illud ad Ecclesiæ honorem, & sic vtrunque in consequentiam personis conceditur.

Quæres 2. A quonam ergo Iudice iudicandus erit iste Clericus antea laicus dum commisit delictum? Absurdum enim est, quod remaneat impunitus?

R. Puniendus est à Iudice ecclesiastico. 38
Ratio, quia illi est subiectus in actu tempore Iudicij puniendi non ratione Delicti, sed Clericatus, omnino exemptus à Iudice seculari, cui suberat tempore commissi delicti in habitu tantum, & non in actu exercendi Iudicij, eum soli Ecclesiastico eo tempore subijciatur etiam actu. Confirmatur, quia ex probatis non potest puniri à Iudice seculari tempore iudicij, ergo ab Ecclesiastico, cum non detur medius Iudex inter ipsos. Ita *Clarus q.* 36. *num.* 48. *Ambros. cap.* 19. *num.* 5. *& alij omnes* in casu non sit puniendus à seculari, in sententiâ etiam Aduersariorum.

Quæres 3. An promotus dum detinetur in carcere sub Iudice seculari possit puniri in personâ, & bonis ab eodem Iudice seculari? Affirmat Fagnanus supra Vers. Quarta. Est magis speculatiuus, quam practicus.

R. Promotus hoc modo non potest puni- 39
ri à Iudice seculari. Probatur, quia per promotionem amisit Forum laicalem, & acquisiuit Forum ecclesiasticum cum omnibus suis Priuilegijs, id enim est effectus necessariò procedens à Iure diuino, positâ Tonsuratione, vt patet ex dictis hic sub num. 10. & cap. 4. per totum. Confirmatur, quia Iudex vti negligens sibi imputet amissionem sui subditi, iura enim non subueniunt negligentibus, sed diligentibus, *l. Non* 40
enim 16. *ff. ex quibus causis maior*. Et negligentiæ ignosci non debet, *l. Veluti* 7. *ff. de edendo.*

Non

Non dicas, carceratus, si cum fideiussione dimittatur domum suam, & interim promoueatur, non gaudet Priuilegio Fori, ex dictis cap. 4. num. 49. Ergo idem dicendum est, & quidem à fortiori in casu nostro, cum non exierit carcerem. Respondetur enim, me ibi dixisse, ad promotionem illum assecutum fuisse Priuilegia clericalia, & forum mutasse, ac proinde non posse distringi nec in personâ, nec in bonis. Verum quidem, est quòd Iudex ecclesiasticus potest declarare, eum vti non posse Priuilegio, cum quasi reputetur seruus non valens vti suo Priuilegio. In casu autem præsenti Iudex non meretur reportare hoc commodum ex suâ negligentiâ, præterquam quòd censetur renuntiasse iuri suo.

Sed quid dicendum in casu, quo carceratus fracto carcere fugit, & paulò post promouetur ad primam Tonsuram, numquid iterum capi poterit, & puniri à Iudice laico?

41 ℞. Non posse capi iterum, nec puniri à Iudice laico, quia promotione aquisiuit Priuilegia clericalia amisso Foro seculari, à quo transiuit ad Forum ecclesiasticum. Confirmatur, quia per fugam aquisiuit suam libertatem, iuxta de hac re dicta cap. 4. num. 60.

Quæres 4. An post delictum promotus dicatur in fraudem ordinatus ad declinandum Forum secularem?

42 ℞. Negatiuè. Tum quia qui vtitur iure suo nulli facit iniuriam, nec fraudem, *cap.*
43 *Quod debetur 2. 14. q. 1. cap. Cum Ecclesia 31. de elect. Glos. V. Iniuriam*, modo id faciat non animo nocendi, sed vt sibi prosit. Sed laicus iste recipiendo Ordines, aut so-
44 lùm Primam Tonsuram, certè nulli facit iniuriam maximè Iudici, & sibi valdè prodest, ergo promotus vtitur iure suo nulli præiudicando. Tum quia, licet fugere è carcere etiam iusto, *Mazuchell. de casibus reseruat. disp. 2. cap. 3. num. 13.* ergo, & declinare Forum secularem per Tonsurationem, quæ est medium honestum, & ordinatum ad murandum Forum secularem in ecclesiasticum, licet enim mutare *ex allega-*
45 *tis hic num. 14.* Tum quia sicut licet recedere à loco, vbi est præceptum locale ieiunandi, vel abstinendi ab operibus seruilibus, seu audiendi Missam, etiam si recedat, vt se eximat ab obligatione, quia non adstringitur ibi manere ad satisfaciendum obligationi locali, vt alijs citatis docet *Diana par. 1. tract. 9. resol. 18. & 19. Pasqual. de ieiunio decis. 214. vbi num. 3.* plures citat in hanc sententiam, quia non facit fraudem legi, etiamsi se subtrahat ab illius obligatio-
46 ne, quia nullus videtur dolo facere, qui suo iure vtitur *Reg. 56. ff. de reg. iur. l. quod & lex 3. ff. de liber. homin. exhibend.* Ita & iste
47 promotus hoc Tonsurationis medio iure suo vtitur ad recedendum à Foro seculari. Tum quia in hoc non tenetur obedire Iudici manendo in statu laicali, cum mutatio status nulli prohibeatur ab inferiori ad superiorem, & perfectiorem, ergo cum in hoc non fiat iniuria Iudici, neque fraus, aut dolus committitur contra Iudicem. Et ita docet *Marta de iurisdic. part. 4. casu 121. num. 18. & 19.* Vide ipsum.

Contrarium, quòd Laicus in fraudem promotus dicatur, quando promouetur post citationem non solùm realem per capturam, sed etiam verbalem, docent *Farinac. q. 8. num. 66. & 110. Barb. Allegat. 12. num. 29. cum alijs Castropal. de Reuer. p. 3. num. 3.* Probant *Primò* ex Trid. sess. 23. *cap. 4. Primâ Tonsurâ non initientur, qui Sacramentum Confirmationis, &c. de quibus probabilis coniectura non sit, eos non secularis Iudicij fugiendi fraude, sed vt Deo fidelem cultum præstent.* In hoc autem casu Prima Tonsura præsumitur recepta non ad seruiendum Deo, sed ad declinandum Forum laicalem, quod est contra mentem Concilij, ergo nec Tonsuram, nec Priuilegium recipit. *Secundò*, iste promotus peccat mortaliter recipiendo Tonsuram, vt docent *Bannes 2. 2. q. 12. art. 1. §. De secunda. Ledesma par. 1. Summæ de Sacram. ordin. cap. 7. concl. 3. cum alijs Barb. ad hoc cap. num. 6.* ergo vt indignus non recipit Priuilegium Fori. *Tertiò*, dolus, & fraus nemini debent patrocinari, *cap. Sedes 15. cap. Ex tenore 16. de rescr.* Quia ex dolo nemo lucrum consequi debet, l. Ne ex dolo 13. de dolo malo. *Quartò* ex consecutione taliter Priuilegij fori, immunitas hæc est fomentum delictorum.

Respondeo. *primò* generaliter, præfata argumenta supponere delinquentem promoueri in fraudem Iudicis, quod tamen per ea argumenta non probatur, sed oppositum per nos probatum fuit, promoueri scilicet sine fraude, dum vtitur iure, neque enim tenetur remanere in eo statu, in quo erat tempore delicti, vt cadat in manus Iudicis, nec citatus tenetur comparere, & tra- 48
dere se in manibus eius, nec carceribus, *Farin. q. 48. num. 17.* immo carceratus potest licitè fugere fracto etiam carcere, *ex Lessio* 49
lib. 2. cap. 31. dub. 5. Pasqual. q. 98. num. 7. Ergo à fortiori potest promoueri, vt eius iudicium effugiat.

Ad primum ex Tridentino dico, illum 50
textum referri ad ordinatorem, & sic fraudem se tenere ex eius parte, non ex parte promoti, qui suum quærit commodum, & conseruationem suæ libertatis, & vitæ, habet enim duplicem causam suæ promotionis, vt dixi num. 16.

Ad secundum, probabilior est opinio, 51
quæ negat, promotum præcisè, vt gaudeat Priuilegijs clericalibus, nolens vlterius ascende-

scendere ad Ordines, peccare mortaliter, pro qua opinione septem Doctores refert contra se Barbosa Allegat. 11. num. 16. & pro se sex, ea ratione, & quia id vergit in maximum Reipublicæ detrimentum, nec non in grauem Ecclesiæ iniuriam. Sed neutrum verum est; non detrimentum, quia id Respublica non patitur, cum delinquens puniatur à Iudice ecclesiastico; non iniuria, quia sicut sine peccato, quod iniuria supponit, recedere potest ordinatus in minoribus, vt colligitur ex Pontificali Gregoriano in tit. de Ordinat. Subdiac. his verbis. *Fratres dilectissimi ad sacrum Subdiaconatus Ordinem promouendi, iterum, atq; iterum considerare debetis attente, quod onus hodie vltrò appetitis; hactenus enim liberi estis, licetque vobis pro arbitrio ad secularia vota transire; quod si hunc Ordinem susceperitis, amplius non licebit à proposito resilire, sed Deo, cui seruire regnare est, perpetuo famulari.* Ita & sine peccato promoueri ad Primam Tonsuram, & ad Ordines minores cum intentione non vlterius progrediendi, dum enim ei licet regredi ad seculum, quia in receptione Tonsuræ non obligatur ascendere, licet quoque sumere illam cum intentione vlterius nō progrediendi, dum nullam contrahit obligationem sumendi Ordines. Itaq; ex verbis Pontificalis apertè constat, promotum ad seculum reuersum nec venialiter peccare, ergo supradicta opinio ex hoc capite erit improbabilis, dum legem expressam in contrarium habemus. Vlterius, dato etiam quòd sit peccatum promoueri cum intentione non vlterius procedendi, non ideo promotus ca-

52 ret Priuilegio Fori, quia nullo iure probatur, peccatum impedire acquisitionem Priuilegiorū, sicut nec impedit impressionem Caracteris, ad quem necessariò sequitur consecutio Priuilegiorum. Adde, quòd animus procedendi, vel non procedendi ad Ordines, & seruiendi Deo, est de ijs, quæ latent in animo promoti, ideo nihil operantur ad extrinsecum, nec expedit vti iuramento, quia promotus exponeretur periculo peierandi, quicquid dicant allegati à Grallo Effectu 1. num. 1100. & 1125.

Ad tertium dico, verū quidem esse, quòd fraus, & dolus nemini debent patrocinari, tamen in huiusmodi promotione nec dolus, nec fraus reperitur, dum promotus vsus fuit iure suo, nemo enim expectare tenetur sui capturam, dum ei licet mutare Forum, vt

53 effugiat manum Iudicis, nam dolus, & fraus habent locum in ijs actionibus, quæ prohibentur, vt dicit *Fagundez Praecepto 1. lib. 1. cap. 7. num. 7. apud Dianam par. 1. tract. 9. de ieiun. resol. 19.* vt dixi ex eodem Diana in probatione quæstionis. In casu autem nostro nulla lex prohibet reis mutare Forum laicalem in ecclesiasticum.

Ad tertium, hanc exemptionem non esse fomentum delictorum, dico, quia ab Episcopo reus promotus puniendus est, ne delicta remaneant impunita.

Dices, tunc quis vitur iure suo, cum agit aliquid sine peccato, seu cum agit aliquid sibi non prohibitum; sed Rei irregularitatis, cuiusmodi sunt delinquentes fugientes forum secularem, prohibentur promoueri, & si promouentur peccant, ergo tunc non vtuntur iure, sed in fraudem dicuntur promoti.

℟. Primò, Reus sine peccato promouetur ad Primam Tonsuram esto sit irregularis, quia irregularitas est canonicum impedimentum, prohibens susceptionem Ordinum, & eorum exercitium, vt docent omnes Theologi morales; sed Prima Tonsura non est Ordo, vt docent Teologi, & pleriq; Canonistæ, de quibus dixi in libello de Primà Tonsurà Mutinæ impresso, & alibi, impugnando D. Prosperum Fagnanum. 54

℟. 2. Prohiberetur promotio ratione indignitatis personæ ob irregularitatem, non verò ratione mutationis, & declinationis Fori, cum nullibi id reperiatur interdictum, ergo ex hac parte vtitur iure suo, ac proinde hic fraus interuenire non potest. 55

Quæres 5. Quandonam præsumatur fraus in promotione in sententià eorum, qui eam admittunt?

℟. Præsumitur fraus, quando Laicus post accusationem, vel denuntiationem, & in reliquis actibus subsequentibus, etiam post condemnationem, promouetur, aliter promotus ante querelam non præsumatur ordinatus per fraudem, hanc distinctionem refert alijs citatis, & sequitur *Farinac. q. 8. num. 110. & 111. Gr. sīni Effectu 1. num. 1076.* contra alios cum Castropal. *par. 2. de Recusat. disp. Vn. p. 3. num. 4. cum Suarez de Immun. cap. 15. num. 17.* Præsumi etiam fraudem, quando post delictum statim ante inquisitionem promouetur, quia præsumitur promotus tantùm ad Forum secularem declinandum, & delictum esse commissum cum spe se Priuilegio clericali protegendi à Iudice seculari. Sed reuera id præsumi non potest, cum Forus secularis hactenus nihil sit operatus, ex cuius actione desumi possit præsumptio, quòd delinquens ab eà actione motus fuerit ad promotionem. 56

Quare si Clericus probet, se Ordinem recepisse animo seruiendi Deo, non dicetur in fraudem tonsuratus, vt si dicat, se Ordinem suscep sse ad satisfaciendum voto, quod ante commissum delictum fecerat, vtrumq; autem probare debet, & non sufficit iuramentum, Farinac. q. 8. num. 114. aliter quisq; se defenderet iuramento, vnde illud permittendum non est ad euitandum periurium, sequitur *Bonac. de legibus disp. 10. q. 2. p. 1. §. 1. num.*

num. 18. *Vers. Alij vero.* Tamen Grassus nũ. 1099. multis citatis tenet defectum probationis suppleri posse iuramentum, id mihi non placet ob rationes adductas. Demum si post delictum ab Acolitatu transeat ad Subdiaconatum, nulla hic fraus præsumi potest, ex quo ad seculum redire non potest, sicut in Minoribus, & Tonsurâ constitutus regredi potest ad seculum.

Quæres 6. An Clericus, qui abiecto habitu clericali viuebat seculariter tamquam alter laicus, commisso delicto, effugiat Iudicium seculare resumptis habitu, tonsura, & seruitio Ecclesiæ, vt faciunt alij promoti in minoribus?

57 ℞. Resumptione habitus coronæ, & seruitij Ecclesiæ statim recuperat Priuilegia, quæ habebat, quando primò recepit Primam Tonsuram, ac proinde iudicari, & puniri non potest à Iudice seculari. Probatur, quia existens in statu clericali, cum habitu, tonsura, & seruitio Ecclesiæ gaudet Priuilegijs clericalibus, ac si illa nunquam amisisset, sed talem statum assumit, qui habitum aliàs relictum resumit, ergo gaudet Priuilegijs recuperatis resumptione habitus.

Cõfirmatur, quia amissio Priuilegiorũ ob non gestationẽ habitus, & tosuræ, ex quibus Clericus in minoribus regressus est ad seculum, non est pœna priuationis, cum nulla præcesserit culpa ex dimissione habitus, quia Clericus in minoribus sine peccato, vt probatum fuit hic sub num. 51. reuerti potest ad seculum, ergo cum non dicatur priuatus Priuilegijs, sed illa amisisse, illa recuperare resumptis ijs, quibus illa antea conseruabat. Praterea sic habitum clericalem deferens non ideo perdit Caracterem, quia indelebiliter manet impressus in anima, cum nullum

58 habeat contrarium sui ipsius destructiuum, vt patet ex dictis cap. 2. num. 153. & 154. Ita docent omnes *cum Castropal. p. 3. num. 2. Sanchez lib. 7. disp. 46. num. 29. Suarez lib. 4. de Immun. cap. 27. num. 18. Caprain consil. 97. num. 35. Alex de Neuo cons. 62. num. 2. cum. alijs Barb. ad cap. 3 de Apost. num. 4. Ciarlin. cap. 36. num. 47. & cap. 53. num. 20 & 21.* Et circa hoc nulla est difficultas, cum omnes concedant, resumptione habitus cum cæteris requisitis, simpliciter loquendo, & sine relatione ad delictum commissum ante resumptionem habitus aliter resumens cum relatione ad delictum perpetratum ex contrarià opinione adhuc durare esse de Foro seculari sicut ante propter hoc delictum, cuius argumenta infra perpendentur.

59 Ego autem dico per resumptionem habitus faciam esse simpliciter de Foro Ecclesiæ, ac si illud delictum non commisisset, & id probatur omnibus argumentis, quibus firmatum fuit, Laicum delinquentem promotum ad Primam Tonsuram amisisse forum secularem, & esse de Foro Ecclesiastico, ac proinde non posse puniri à Iudice seculari, iuxta dicta hic sub quæst. 1. Quæstio enim præsens ferè nihil ab illa differt, cum in vtràque fiat transitus ad statum clericalem assumptione habitus, vel per Tonsurationem, vel per resumptionem requisitorum.

60 Probatur ergo præsens quæstionis resolutio *Primò* quia sicut causa priuationis Priuilegij est desertio habitus, per quam Clericus à statu clericali transit ad statum secularem, & sic ab vno foro ad alium, ita ea cessante, per resumptionem habitus à foro laicali transitur ad forum ecclesiasticum, ergo à Iudice huius fori iudicandus est. Consequentia tenet, quia sicut vigente causâ viget effectus, ita ea cessante cessat effectus, *cap. Cum cessante 60. de Appellat. cap. Et si Christus §. Quemadmodum 26. de iureiur. cap. Magnæ 7. ad finem de, Voto. Probatur* 2. Si posset citari, & iudicari à seculari, sequeretur, quod plus operari posset 61 contumacia, quam ipsius Clerici consensus, qui non potest consentire in Iudicem laicum, *in cap. Si diligenti, de foro compet.* ergo contumacia non potest esse causa puniendi hunc Clericum, si non comparet, cum sit quid minus efficaciæ, quam consensus in Iudicem, *ex Bartolo, & Guidop apa Marta par. 4. casu 121. num. 8. l. Si filius ff de tutel. & ratior. distr. Surd. cons. 396. num. 19. Probatur* 3. quia mutationis status, & non solum loci, mutatur Forus, *Aufrer. decis. ad Capellam Tolosanam* 144. & mutatà conditione personæ, mutatur status rei *l. 1.* 62 *C. de Impos. lucr. descr. Rota par. 6. dec. 339. num. 74.* Et in omni materià semper attenditur vltimus status, *Marescott. lib. 11. Var. cap. 55. num. 22.* 63 *Loterius de re benef. lib. 1. q 34. num. 21. & 24. Rota par. 8. decis. 69. num. 19.* Ergo hic attendendus, cum ergo nunc agatur de causà clericali delinquentis, à Iudice ecclesiastico expedienda est, cum sit hic, & nunc de eius foro, & non de foro seculari. *Probatur* 4. ex cap. Si iudex 12. de sent. excom. in 6. ibi: *Tonsuram, & vestem deferens clericales pro tali reputare debemus.* Quia attenditur vltimus status, reputari ergo debet de foro ecclesiastico. 64 *Probatur* 5. quia inspiciendus est status in quo Persona conuenitur, *Alex. in l. Nemo ff. de legat. 1. num. 31. Probatur 6.* quia vnicuiq; licet mutare forum si præuentus. i. captus non sit. *Bald. in l. Si quis postquam ff. de iud. Barb. ibidem num. 50. Sociu. in* 65 *cap. Penult. art. 4 princip. q. 1. de foro compet. Tuschus lit. P. concl. 646. num. 9. Marcabr. cons. 69. num. 88.*

Et ita docent plerique citati à *Castropal. p. 3. num. 2. Vers. Caterum, Barbos. Alleg. 12 num.*

num. 28. dum dicunt gaudere Priuilegio fori; sequitur enim necessariò, quòd non possunt habitum clericalem resumentes puniri à Iudice laico, & puniri pro delicto commisso, quando erat laicus, vt declarauit Sacra Congregatio apud præcitatos Barbosam, & Castropalaum, atque Ciarlinum cap. 53. num. 22.

Multi, tamen contrariæ sunt opinionis asserentes, posse adhuc puniri, non obstante Habitus resumptione, quia attenditur tempus delicti commissi, vt probant, eo enim ipso, quòd crimen committitur, quæsitum est Ius illi, cuius subest Iurisdictioni, Auth. *quà in Prouincià C. Vbi de crim. agi oportet*. Sed his respondi sub q. 1. falsum quoque esse Ius aquisitum Iudici, cui suberat tempore commissi delicti, in hoc enim attenditur tempus, & conditio Personæ, quando iudicanda est, tunc enim est propriè subdita in actu, iuxta quod dixi initio huius capitis.

Alij dicunt puniri posse in bonis, non in Personâ, quorum argumentis sub prima quæstione respondi. Quibus addo contra illos, quia aquisitio Priuilegij fori est indiuisibilis, ergo Persona illud aquirit & quo ad se, & quo ad bona in causa criminali. Confirmatur, quia redeundo ad eundem statum in quò alias erat, necesse est aquirere integrum Priuilegium, quod ille status exigit, nempe Priuilegium fori quò ad personam, & bona, aliter non dicitur restitutus ad pristinum statum, sed in alium à priori diuersum. Deinde nulla est assignabilis rationabilis causa, cur aquirat vnum, & non aliud, Priuilegium .s. personæ, & non rerum, cum hæ sequantur dispositionem, & conditionem Personæ cum eiusdem Priuilegio,
66 *Ioan. de Lign. Imola, & Cardin. in Clem. de Immun. Euerard. consf.* 42. *num.* 13. Res enim sequuntur conditionem Personæ, & ei copulantur in ratione Priuilegij, ex cap. Quamquam, de censib. in 6. vbi copula vtrunque coniungit ad idem in ratione Immunitatis. Vlterius Priuilegia conceduntur & aquiruntur secundum Iuris dispositionem, cap. *Ex parte, de verb. signif Berous lib.* 1. *consf.* 15. *num.* 9. *Moditius* §. *Principum placita dub.* 212. *num.* 7. *Rodriq. tom.* 1. *q.* 11. *art.* 6. *Reg.* 15. Sed Iura in concessione Priuilegij fori præsertim criminalis concedunt adæquatè, & perfectè, hoc est, vt sit exemptus quò ad personam, & bona sua respectu Iudicis punientis, cap. Vn. de Cler. coniug. in 6. ergo &c.

Quæres 7. An ad legitimam Habitus resumptionem, & Priuilegiorum consecutionem requiratur licentia Ordinarij resumenti habitum?

67 ℞. Affirmatiuè. Probatur *Primò*, quia non datur regressus ad renuntiata, *l. Quæritur* 14. §. *Si venditor, ff. de ædil. edict.* vbi quod remittentibus actiones suas non datur regressus, quod habet etiam *Glos. in cap. Periculosum* 8. 7. *q.* 1. *Secundò*, quia recedens à Collegio animo non redeundi ad illud, propriâ auctoritate non potest redire, quia ab eo se dismembrauit, ergo idem dicendum est de Clerico, qui propriâ auctoritate se alienauit à consortio Clericorum. *Tertiò*, quia perdidit statum clericalem transeundo ad laicalem, retinendo solum caracterem sine Priuilegijs, talis enim est laicus in hoc, *Rebuffus de pacific à possess.* 68
num. 193. *Nauar. cons.* 1. *de bigamis, ex illis Corradus de dispens. Apostol. lib.* 2. *cap.* 1. *num* 6. *Rota part.* 5. *decis.* 50. *num.* 4. & 6. & *dec.* 450. *num.* 8. & 9. Ergo resumere debet habitum de licentiâ Ordinarij, sine quo nec laicus, qui nunquam fuit Clericus, accipere potest solum habitum sine licentia. *Quartò* nemo per se ipsum aquirit perditum 69
Priuilegium, cum id semper detur à priuilegiante, debet enim esse distinctio inter dantem, & recipientem, *cap. fin. de instit.* de naturâ enim relatiuorum est, vt vnum non sit alterum, Arist. in cap. Ad aliquid.

Confirmatur, quia in multis locis id præscribitur in Synodis, vt patet in Regiensi apud Ciarlin. cap. 36. num. 59. & Neapolitanâ apud Riccium par. 2. decis. 168. Et de hoc nullatenus dubitandum, quando per legem, aut Synodum, vel ab homine Clericus est priuatus habitu clericali, & tonsurâ simpliciter, vt quando Clericus fit bigamus verus, aut interpretatiuus, aut priuatur habitu ab Episcopo, neque enim pœ- 70
nitentiatus potest se eximere propriâ auctoritate à pœnâ sibi impositâ.

Contrarium, quòd propriâ auctoritate 71
possit resumere, etiamsi in prohibeatur in Synodo & consequatur Priuilegia, docet *Sperell. dec.* 26. *num.* 19. *Riccius par.* 2. *dec.* 268. *quem sequitur Diana part.* 4. *tract.* 1. *resol.* 18. *Vers. Notandum.* Probat *primò*, quia semel Clericus nunquam desinit esse Clericus. *Secundò* per dimissionem habitus mortificantur Priuilegia, quia Clericus eis vti non potest, licet remaneant in habitu, & sint suspensa tantum, & non extincta; vnde de solâ resumptione priuatâ habitus fiunt in actu. *Tertiò*, cum illis Clericus renuntiare non possit, cum sint concessa illi non ratione Personæ, sed Ordinis facilè redeunt, & sic priuatâ tantum resumptione habitus.

℞. Per derelictionem habitus animo vi- 72
uendi seculariter, Priuilegia non solum mortificari, sed perdi, & extingui, vnde ex hoc necessaria videtur ad ea recuperanda non priuata, sed publica habitus resumptio. Quare *ad primum Dico*, verum esse, quod semel Clericus, semper est Clericus, itaquòd à seculo regressus ad statum clericalem 73
nem

non eget de nouo recipere Ordines, cum ex Caractere continuò maneant, indigere verò authoritate Episcopi pro resumptione habitus, & recuperatione Priuilegiorum, quæ ex nunc dicuntur recuperari ex adductis à
74 Ciarlin. cap. 36. num. 52. *Ad secundum* patet Priuilegia non solùm mortificari, sed etiam extingui ex derelictione status Clericalis. *Ad tertium*, derelictione habitus vt fecularitèr viuat, non dicitur renunciare Priuilegijs, sed ea perdere defectu requisitorum, quæ in se conseruare non vult, ideo volens redire, & recuperare Priuilegia cum Episcopo agere debet.

Quæres 8. An Episcopus possit dare licentiam irregulari, & degradato, qui morte non fuit punitus?

75 R. Affirmatiuè, quia resumptio habitus non est actus Ordinis, sed restitutio Clerici ad statum ecclesiasticum, vt possit gaudere
76 Priuilegijs, quibus antea carebat. Ita *Riccius part. 3. decis. 235.* Et sicut non tollit Priuilegia ex probatis cap. 9. num. 26. ita neque impedit eorum recuperationem, nisi sit degradatus; in isto autem non sufficit resumptio Habitus etiam de licentiâ Episcopi, sed specialis dispensatio super degradatione, & restitutione Priuilegiorum, vt colligitur ex Pontificali Gregoriano. In tit. Ordo suspens. Sacrorum Ordin. fol. 205.

Quæres 9. A quonam puniendus sit Clericus, qui post delictum abiecto habitu viuit fecularitèr?

77 R. A solo Iudice ecclesiastico puniendus est etiamsi præueniatur à Iudice laico. Probatur, quia mutatione status dignioris in
78 minus dignum Ius quæsitum non tollitur, nec tolli potest. Auth. *Quæ in Prouincia C. Vbi de crim. agi oportet. Auth. Licitatio, §. Quod illicitè ff. de public. l. fin. de priuat. delict. l. fin. ff. de furtis, Auth. Si necesse C. de donat. inter vir. cap. 2. de translat. Episcopi.* Ex quibus textibus, & alijs, infra citandis deducitur, mutatione status non tolli Ius quæsitum in delictis, nisi aliud adijciatur. Et ita docent ferè omnes *cum Farinac. q. 8. num. 66. Gratian. cap. 226. Sayrus lib. 12. cap. 7. num. 9. Verf. Si autem, Graffus num. 647. Ciarlin. cap. 223. Guazin. Defenf. 1. cap. 10. num 8. Gratian. cap. 226. Giurba consil. 15. à num. 12. ad 28.* in quibus locis latius, Doctoribus, & exemplis idem probat respondendo obiectis. Confirmatur id ex Responso Sacræ Congr. approbante Vrbano VIII. relato supra cap. 6. q. 26. vbi, quòd Iudex ecclesiasticus, licet sit præuentus à feculari Iudice, eo nihilominus excluso potest suum Clericum in minoribus etiam constitutum, licet careat requisitis Tridentini, punire, nam illi in hoc subiectus est ratione Caracteris, quem non perdit, licet fiat laicus, quò ad amissionem Priuilegiorum. Vide dictum Giurbam dicto conf. 15. respondentem obiectis.

Quæres 10. A quonam sit puniendus laicus simul delinquens cum Clerico?

R. Vnusquisque eorum à proprio Iudice distringendus est, quia quilibet Iudex suos subditos iudicat, neque enim hæc complexitas in crimine causat mutationem fori, nec dat iurisdictionem vni in præiudicium alterius. Confirmatur, quia licet vnum sit delictum respectu patientis, multiplex tamen est respectu agentium, ac proinde sicut puniendi sunt diuersi non solùm numero, sed etiam specie statuum, ita & formatio processus, & sententia debet esse multiplex, & à diuersis Iudicibus. Ita docent *Aymon. lib. 2. consil. 232. Couar. quæstion. Var. cap. 34. sub initium Osafebius decis. Pedem. 103. num. 10. Clarus q. 36. num. 41. Graffus Eff. 1. num. 135.* 79

Contrarium, quòd in casu laicus sit subiectus Iudici ecclesiastico, docet cum multis *Farin. q. 8. num. 151.* ea ratione, quia Priuilegiatum, & magis dignum trahit ad se minus dignum. Alij cum *Castropal. part. 6. num. 11. Verf. Cæterum*, è contra dicunt, Clericum trahendum esse ad forum fecularem, qui tamen postea probat contrarium, vt infertur ex eius probationibus. Conueniunt ergo in hoc, quòd ambo sub eodem Iudice distringendi sunt. Probant *Primò*, quia continentia causæ non est diuidenda, ne sequantur diuersæ sententiæ super eodem delicto, nam mors, quæ inferri potest à Iudice laico, non potest pronunciari contra Clericum ab ecclesiastico Iudice. *Secundò*, in causis connexis plures licet diuersi fori, coguntur litigare apud eundem Iudicem, *l. 1. ff. de quib. rebus apud eund. Iud.* Ex sequentibus responsionibus patebit causam esse diuidendam, vt etiam probatum fuit initio.

Ad primum ergo argumentum de continentiâ causæ dico, habere locum in causis ciuilibus, *cap. fin. de rescr. l. Nulli C. de Iudic.* in quibus quandoque concurrunt plures personæ, etiam Clerici, ac proinde diuersorum Fororum, inter quos non diuiditur continentia causæ, sed sub eodem Iudice causa terminanda est respectu omnium, cum negotium sit expediendum vnicâ sententiâ. In criminalibus verò respectu Iudicum ecclesiasti, & fecularis causa patitur diuisionem, quia diuersimodè puniuntur delinquentes, laicus ad mortem ex homicidio appensato, Clericus verò ad triremes perpetuò. 80

Ad secundum quoque eadem responsio danda est, cum ille textus manifestè loquatur de litigijs in ciuilibus.

Ad illud axioma: Magis dignum trahit ad se minus dignum. Respondeo locum ha- 81

bere in causis fauorabilibus, vt dicit *Puteus lib. 3. decis. 157.* Si tractatio sit fauorabilis, nam *l. Si communem 10. ff. Quemad. seruit.* dicit pupillum, & tutorem eadem vti via, quà non vteretur si non esset tutor, quia in diuiduis retinet quis per socium, quod per se non potest. Et in *cap. Per suas, de arbitris* dicitur, quod laicus simul cum Clerico potest esse arbiter, concurrunt duo in eundem effectum, quem diuidim efficere non possunt. Patet etiam ex his non posse deduci quicquam pro continentiâ causæ criminalis, dum in allegatis fit sermo de ciuilibus, & rebus fauorabilibus extra materiam crim nis.

82 Adducunt quoque l. Si quis vxori, de furtis, vbi fur ratione societatis non gaudet Priuilegio societatis, quia vxor furatrix tenetur solum de actione rerum amotarum, socius verò actione furti, & tamen ambo fuerunt socij in furto rerum mariti. Sed ad rem non facit, cum solum detur modus, quo proceditur in hac causâ furti, vnde si ambo sunt laici puniuntur ab eodem Iudice laico, si socius est Clericus, a Iudice ecclesiastico, vxor à seculari, dissimiles enim sunt modi procedendi.

Quæres 11. A quonam sit puniendus Nouitius, qui delictum commisit ante ingressum Religionis?

83 R. Laicus, & Clericus quoque, qui post delictum commissum, ingrediuntur Religionem, puniendi sunt à solo Iudice regulari, & non à Iudice seculari laicus aliàs, nec Clericus ab Episcopo etiamsi sit Parochus.

Primum, quòd Nouitius puniendus sit solùm à Iudice regulari pro delicto in seculo perpetrato, dum erat laicus, probatur eisdem argumentis, quibus supra sub q. 1. probatum fuit secularem, qui post delictum promotus fuit ad Ordines, esse puniendum

84 ab ecclesiastico Iudice; Confirmatur, quia vterque nihil retinuit de foro seculari, sed in omnibus exemptus, factus vterque est de Foro ecclesiastico, ergo vterque à solo Iudice ecclesiastico puniendus est, vterque enim ex æquo gaudet Priuilegio Fori criminalis, probaui de Nouitio hoc cap. 4. q. 7. à num. 21. ad 27. vbi, quod Bulla Sixti V. reducta fuit à Clem. VIII. ad terminos Iuris communis. Et ita docent *Marta par. 4. casu 121. num. 22. Diana part. 3 tract. 1. resol. 33. Dal Bene cap. 6. dub. 14. sect. 4. Grassus Effectu 1. num. 78. Ego cap. 11. q. 15. de Profess. Regul.*

85 Secundum, quod nō possit puniri à laico Iudice, cui suberat tempore delicti, probatur, quia nullæ reliquiæ subiectionis remanserunt apud Iudicem secularem, respectu cuius erat illi subditus, neq; enim se compatiuntur duo Fori secularis, & ecclesiastici in eodem subiecto, & subdito, vt probaui loco citato multis citatis.

Tertium, quòd nec Episcopus possit punire Clericum aliàs suum, dum commisit delictum ante ingressum in Religionem; Probatur. Tum quia nullus Clericus, etiamsi sit Parochus, potest à suo Episcopo impediri ab ingressu Religionis cap. 1. & 2. dist. 19. ergo ingrediendo, in totum se eximit ab eius Iurisdictione. Tum quia ingressus se totum cum suis bonis dedicat Deo sub potestate Superioris regularis, Auth. Ingressi, iuxta dicta Cap. 4. num. 19. & 22. ergo nihil relinquitur pro Episcopo, in quo se fundare possit pro puniendo Clerico aliàs suo. Ita docui cap. cit. ex eo, quòd constat de Immunitate, & exemptione amplissima religiosorum ab Episcopis. 86 87

Dices *Primò* in iudicandis delinquentibus attenditur tempus, quo delictum fuit commissum, vt dicitur l. 1. ff. de pœnis, sed delictum commissum fuit eo tempore quo Laicus erat sub Iudice seculari, & Clericus sub Episcopo, ergo ab his ingressus Religionem puniendus est, & non à Superiore regulari. *Secundò* ad fundandam, & stabiliendam Iudicis iurisdictionem attenditur tempus delicti perpetrati, vt sciatur ad quem spectet Iudicium; *l. Quid ergo ff. de suis qui not. infam. Bart in l. quod ait ff. 1. Ad leg. cui. de Adulter. Abbas in cap. fin. de sent. excom. num. 2. Ambr. de Immun. cap. 19. num. 3. Decian. lib. 4. cap. 20. num. 5. Tertiò,* in delictis initium spectatur fauore rei *l. si quis ff. de furtis*, eo enim ipso, quòd crimen committitur, quæsitum illi est Ius, cuius subest iurisdictioni, *Auth. Qua in Prouincia C. Vbi de crim. agi oportet. l. Licitatio §. quod illicitè ff. de public. l. fin. de priuatis delict. l. fin. de furtis*, a ijs citatis à Giurba *consil. 15. num. 12.* Ac proinde *Quartò* iurisdictio quæsita Iudici ratione alicuius qualitatis, in criminosâ personâ, constitutionis actus, aut delicti tempore, mutatâ qualitate non tollitur *Castr. in l. 1. C. Vbi de ratioc. agi oportet, & in l. fin. in princ ff. de iurisd. omn. iud. Giurba ibidem.* sed tempore delicti perpetrati Laicus, & Clericus erant sub Iudice seculari, non regulari, ergo ab illo, non ab hoc sunt iudicandi. *Quintò*, ita tempus delicti est inspiciendum, vt non prosit mutatio status, *Glos. 1. V. Commissa C. Vbi de crim. agi oportet Gratian. cap. 226. num. 22. Sextò*, sicut Actoris dignitas nō mutat Rei forum, ita nec Rei dignitas Actori obesse debet; nec Reum ipsum excusat, *l. si quis securio, fine, ff. ad l. Cornel. de falsarijs.* Vnde nec necesse est, quòd Iudex ecclesiasticus, vel secularis præueniat Regularem, *ex Grasso num. 649. & alijs citatis ab eodem Giurba. Septimò*, si Clericus committat homicidium dum Clericus est, & postea ducat vxorem, pro

pro delicto illo adhuc est suppositus Episcopo, *ex Claro q. 36. num.* 11. *&* 12. *Gratian. cap.* 226. *n.* 2. multis alijs citatis per Giurbam.

Confirmatur exemplis Primò, quia Scholaris pro gestis tempore Studij conueniendus est coram Rectore Studij, licet non sit amplius Scholaris *Castr. l. fin. C. de iurisd. omn iud. Gratian. cap.* 226. *num.* 19. Secundò, officialis pro gestis in Officio debet factus Clericus stare sindicatui coram sindicatore, *l. si quis curialis C. de Episcopo & Cler.* Tertiò qui dum erat Miles delinquit, a Iudice militari puniendus est, licet desierit esse Miles, *ex allatis a Gratiano cit. cap.* 226. *num.* 3. *&* 19. Quartò, Clericus, qui fuit Notarius in curia Episcopali, si inde recedat, & fiat bigamus cogitur respondere coram Episcopo de gestis tempore sui Officij Notariatus, non ratione Clericatus, aut Bigamiæ, sed Officij, quod habuit in Curià, *Gratian. num* 18 *Giurba cons.* 15. *a num.* 20. *ad* 28. Denum in terminis nostris hanc difficultatem Sixtus V. in sua Bullà in-
88 cip. Cum de omnibus 71. in Bul. Nouo resoluit fauore illorum Iudicum, sub quorum iurisdictione erant delinquentes tempore delicti antequam ingrederentur Religionem, vt ab illis post ingressum, & non à Regularibus Superioribus punirentur, ergo huic determinationi standum est, cum sit clara, cuius verba sunt hæc. *Iubemus eos*, scilicet criminosos *qui sic de facto recepti erunt, habitu spoliari, & a Religione expelli, & nihilominus si expulsi non fuerint, volumus, & pariter declaramus habitus susceptionem, & Professionem penitus nullam esse censeri. Ac propterea attenta nullitate habitus, & Professionis licere quibuscunq; Iudicibus, curijs etiam secularibus, ad quos, seu quos spectat contra eos, vt prius Iuris, & facti remedijs opportunis ex officio, vel ad cuiuscumq; instantiam, vel querelam, ciuiliter, criminaliter, aut mixtim procedere.* Qui in subsequenti Bulla incip. *Ad Romanum* præcedentis declaratoria, quò ad criminosos sic statuit: *Tunc demum id locum habere volumus, & non aliter cum actis publicis constiterit, ipsos Iudices, & curiam secularem ante susceptionem habitus de ipso crimine aduersus eos accusationem suscepisse, vel inquisitionem instituisse.* Vtramq; Bullam extendit Quaranta V. Monasteria, & Conuentus Regularium virorum. Quibus non obstantibus.

Remaneat firma responsio data, scilicet delinquentes post delicta ingressos Religionem, esse puniendos solùm à Superiore regulari, cum per receptionem habitus non solùm mutauerint Forum in omnibus, & per omnia, cui suberant tempore delicti,
89 contraxerunt enim domicilium intra Monasterium, in quo educantur Nouitij, vt docent omnes cum *Sanchez lib.* 4. *cap.* 39. *num.* 20. *fine, & lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 22. *Suarez tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 14. *&* 15. *Barb. Allegat.* 4. *num.* 63. quos cum alijs citaui *cap.* 11. *de* Profess. *Regul. num.* 12. *editionis Venetæ, & Lugdunens. tom.* 5. Verùm etiam titulo exemptionis & personæ, loci, siquidem Regularium exemptio tam à laicis, quam ab Ordinarijs ecclesiasticis est amplissima, quò ad perso- 90
nas, quò ad loca, & quò ad eorum bona etiam respectu Nouitiorum, vt videri potest de omnibus Personis religiosis in Marimagno Prædicat. apud Lezanam §. 31. & num. 93. in specie de Nouitijs in Marimagno Eremit. S. Augustini §. 14. num. 31.

Confirmatur, quia Nouitij gaudent om- 91
nibus Priuilegijs Professorum, *Riccius par.* 4. *resol.* 241. *quem cum alijs citaui de Profess. regul. cap.* 12. *num* 7. sed Professi solùm à suis Superioribus regularibus iudicantur criminaliter, ergo & Nouitij. Faciunt dicta à Nouario de elect. fori q. 46. num. 5. Reliquum est, vt respondeatur obiectis.

Ad primum, negamus esse attendendum tempus delicti in quærendo, sub quo Iudice delinquens sit iudicandus, vtique verò quando agitur de pænà imponendà, vt dixi supra sub num. 26. Et quidem de Laico post delictum facto Religioso, quòd debeat iudicari solùm à Iudice regulari, non inspecto sub quo Iudice esset tempore delicti patet, quia non solum Forum, sed etiam con- 92
ditionem personæ mutauit, quæ spectanda est, cum Iudex laicus nullam Personam ecclesiasticam astringere possit, *Decian. lib.* 4. *cap.* 24. *num* 2. cum quo, & alijs, est in *hoc Giurba cons.* 15. *num* 39. Lex cum 1. de pænis propriè intelligenda est de pænà imponenda, si enim dubitatur quænam pæna sit imponenda an illa, quæ erat in vsu tempore delicti, an alia quæ viget tempore sententiæ, respondet legislator, esse imponendam eam tempore commissi delicti. Item iuuenis occidit alium ante annum decimum octauum expletum, condemnatus verò in anno decimo nono, non confiscantur eius bona, quia attenditur tempus delicti, non sententiæ.

Ad secundum, quòd ad fundandam Iu- 93
risdictionem attendatur tempus delicti, vt sciatur quis sit Iudex ad puniendum tale delictum, respondeo, quòd cum fiat subditus vel ratione domicilij, vel rei, vel contractus, vel delicti ex cap. fin. de Foro compet. obiectio solùm videtur habere locum, quando quis sortitur Forum ratione delicti, tunc enim ad fundandam Iurisdictionem, quæ ante non habebatur, inspicitur tempus delicti, quod dat Iurisdictionem non habenti, *ex hoc capite fin. de foro compet.* Vnde ea obiectio fundandi Iurisdictio-

nem

nem propriè restringenda est ad Forum, vbi delictum fuit commissum, non ad Forum domicilij, seu originis, aut rei, seu contractus, cum in his non controuertatur, ex quo res, & contractus non moueantur loco, sicut variabilis est Forus domicilij, & delicti in personis delinquentibus cum eà tamen differentià, quòd delinquens in proprio domicilio non oportet, quòd delictum fundet Iurisdictionem in Iudice eiusdem domicilij, cum eam iam habeat, & possit exercere contra delinquentem, quam tamen non habet respectu aduenæ, respectu cuius eam aquirit, & fundat ex delicto, quod
94 committit in suo territorio, Quare aquisitio Iurisdictionis ex delicto, potior est, cum huiusmodi, iurisdictio sit potentior, & efficacior alijs, vt docet *Riccius part. 2. resol. 88. ex eo Nouarius de elect. fori, sect. 4. q. 12.* De hac autem propriè non agitur hic ab his Doctoribus, cum transiens ad Religionem supponatur de domicilio eius Iudicis à quo fit transitus ad statum Religionis; vnde si ratione delicti suo situs aduena transeat ad Religionem etiam in loco, vbi egit delictum, ipso iure desinit Iudex præcisè esse talis, si delinquens fiat Nouitius, licet enim fundet suam Iurisdictionem super delictum, nnn tamen exercere potest Iurisdictionem, nisi illum habeat actu in suis fortijs, cum Iurisdictionem solùm habeat, nondum in actu, quam actualem aquirit per realem citationem, & capturam, sicut alij Iudices, quorum subdit. possunt declinare Forum, ad quod facit *Decius in cap. Quoniam de rescript. num.* 3. vbi dicit, quod Iurisdictio quandoque competit in habitu, & non in actu, in quo casu subditus fugiens Forum Iudicis, eximitur ab eius Iurisdictione. Itaque illud axioma: *Tempus delicti attenditur in fundatione iurisdictionis* habet proprie locum contra aduenam delinquentem in alieno territorio, vbi territorij Iudex nullam habet Iurisdictionem, nisi eam, quam ex delicto aquirit, Iudex verò idem respectu propriorum subditorum ex domicilio, re, aut contractu, iam habet Iurisdictionem super eos etiam ante delictum, ergo non est opus, quòd eam fundet ex delicto. Prædicta autem cum referantur ad simplicem mutationem Fori, non habent locum in casu nostro, vbi additur etiam mutatio Personæ, ratione cuius euanescit Iurisdictio prioris Iudicis ; ex dictis 27. & 34.

Ad l. Quid ergo 12. ff. de his, qui not. infam. nihil ad propositum, ibi enim dicitur, quòd si filius duxit vxorem tempore luctus ignorante patre, patet non fit infamis, licet ratum habeat postea factum filij. Textus reddidit ibi rationem, quia inspicitur initium nuptiarum, non earum exitus ad con-
95 trahendum infamiam. Quare non facit ad rem præsentem, non enim inquiritur, quam donam incurratur pæna, sed ad quolnam spectet distringere delinquentes. Abbas citatus ad cap. fin. de sent. excom. pro nobis stat, dum dicit, quòd pæna delicto imponitur habito respectu ad tempus delicti, non ad tempus sententiæ. Bartolus verò nihil scribit super eal. 12. ff. de adult. in meo Codice Veneto. Decianus loquitur tantum de præuentione Iudicum. Ambrosinus pro nobis est, vbi num. 4. ait Laicum puniri ab Ecclesiastico, quia mutauit statum Personæ.

Ad tertium in ea leg. Si quis 6. de furtis 96
dicitur, furtum à seruo factum in seruitute, non dici manifestum, nisi eum deprehenditur cum furto exportans illud secum, ergo deprehensus cum furto postquam dimissus fuit, non dicitur seruus fur manifestus, quia tēpore furti non fuit deprehensus. Quæ decisio legalis non facit pro Aduersarijs, cum ibi doceantur Iudices cognoscere, quan donam furtum dicatur manifestum, vel non manifestum, à deprehensione scilicet, non ab ablatione sine deprensione. Clarum autem est, aliud esse cognoscere furtum manifestum à non manifesto, aliud à quonam puniendus sit fur, de quo nihil. In leg. quoq; fin. cod. nihil ad propositum, solùm enim dicitur, quod agens actione furti, debet se subscribere ad pænam Talionis. In leg. fin. de priuatis delictis, solùm dicitur, quod agens ciuiliter de crimine, non tenetur se inscribere. Demum in l. Licitatio 9. de public. & vectigal. §. Quod illicitè punitur, & ciuiliter. Patet ex dictis, nihil inferri posse contra nostram conclusionem.

Auth. qua in Prouincia C. Vbi de crim. 97
agi oportet, dicitur, quòd captus in loco delicti, vel in quo quis aliàs sortitur Forum conueniri personali, reali, vel etiam mixta actione non obstante quocunq; Priuilegio exemptionis. Non obstat, tum quia Ecclesiasticus capi non potest negante Bullâ Cœnæ Domini ; tum quia lex ciuilis non potest infirmare Priuilegia ecclesiastica ; tum quia ea Auth. loquitur de priuilegiatis sine mutatione personæ.

Ad quartum respondi in supradictis l. fin. 98
ff. de iurisd. omnium Iudicum solùm dicit non puniri existentem extra territorium, & l. 1. C. Vbi de ratioc. sermo est de redditione rationum, quæ non spectant ad præsentem materiam in criminalibus. Qualitas ergo 99
secularitatis, sub qua Iudex laicus fundat suam iurisdictionem sine dubio tollitur per superuenientem qualitatem Clericatus, seu Monachatus, qui status ecclesiastici, cum non possint stare simul cum qualitate secularitatis, necesse est, quòd adueniente 100
qualitate ecclesiasticâ destruatur qualitas præcedens, vti inferior, & minus potens, consequenter Iudex laicus non amplius agere

agere potest contra Clericum, qui defecit
in secularitate.

101 Ad quintum falsum est, quòd non prosit
mutatio status, nam facit cessare potesta-
tem prioris Iudicis, vt patet ex hactenus di-
ctis, non enim est simplex mutatio localis,
& Fori, sed etiam status Personæ, qui vti
potentior destruit antecedentia.

102 Ad sextum dico in ea l. Si quis 21. in tit.
C. non ff. determinari solum, Tabellionem.
qui ante erat Decurio, vel post, accusatum
de falso in conscribendis instrumentis, esse
subijciendum quæstioni. i. torturæ ad eruen-
dam veritatem. Nihil verò, cuinam Iudici
subijciatur, itaq; dignitas Decurionatus eum
non excuset à torturà, sicut nec dignitas
promotionis ecclesiasticum excusat à tortu-
rà, quando eam meretur circa factum per-
petratum ante promotionem.

103 Ad septimum dico Clericum non obstan-
te reditu ad seculum subijci Episcopo pro
delicto commisso tempore Clericatus, quia
esto redierit ad seculum, tamen cum adhuc
Clerici reliquias retineat ratione Caracteris
indelebilis ab eius animà, hinc est quòd
puniendus est à solo Iudice ecclesiastico,
stante coniunctione delicti cum Clericatu
perfecto. Ingressus verò Religionem Cleri-
cus post delictum, puniendus est solùm à Iu-
dice regulari ob Priuilegia, & dedicationem
sui factam in Religione, respectu cuius est
omninò liber à iurisdictione Episcopi. Res
autem sic se habere non potest respectu Iu-
dicis laici, qui nullum ius, nec Priuilegium
habet distringendi in tali casu Clericum li-
cet factum secularem.

104 Ad exempla suo confirmatione, respon-
deo ad primum, scholarem teneri responde-
re sub Rectore, licet non amplius sit schola-
ris, quia non mutauit forum per dimissio-
nem Studij in causis ciuilibus, si debeat ali-
quid occasione Studij; qui si sit Clericus
respondere non tenetur cum sit exemptus.
Idem dic in alijs exemplis, iura enim illa
trahi non possunt ad Ecclesiasticos, qui non
ligantur iuribus ciuilibus, sicut laici.

105 Ad Bullam Sixti V. dico, Pontificem ibi:
*Volumus, & declaramus licere quibuscunq;
iudicibus*, dare licentiam, & facultatem Iu-
dicibus secularibus iudicandi criminaliter
Religionem ingressos, qui erant criminosi
ante ingressum. Quæ responsio confirmatur
ex Bulla Clementis VIII. qui omnia redu-
xit ad terminos Iuris, ac proinde Iudices
seculares modò talem facultatem non ha-
bent super Nouitios aliàs criminosos, iuxta
dicta cap. 4. num. 26. & cap. 8. num.
4. & 27.

Quæres 12. A quonam puniendus sit Ter-
tiarius, qui ante ingressum Religionis deli-
ctum commiserat? Nomine Tertiarij venit
quilibet ingrediens licet non profiteatur,
siue dicatur oblatus, siue commissus, aut
alio nomine appelletur. De his egi cap. 1.
num. 29. & 30. de eorum Priuilegijs cap. 4.
num. 31. ad 45.

℞. Subduntur Iudicibus regularibus, 106
quia gaudent omnibus Priuilegijs, quibus
fruuntur Nouitij, & Professi ex allatis locis
præcitatis, vnde dicta de Nouitijs præced.
quæst. illis applicantur. Vide Grassum Effe-
ctu 1. num. 92.

Quæres 13. A quonam sint puniendi Ter-
tiarij viuentes in proprijs domibus delin-
quentes tàm ante receptionē habitus, quàm
post receptionem, & abiectionem habitus?

℞. Semper à Iudice seculari, quia quò ad 107
temporalia sunt merè laici, & seculares nul-
lis ecclesiasticorum Priuilegijs Fori gauden-
tes, vt probaui cap. 4. num. 34. Solùm his
Priuilegijs gaudent mulieres, quæ habent
votum Castitatis, vt ibidem num. 36. docui.

Quæres 14. A quonam sint puniendi No-
uitij, & Tertiarij dimisso habitu fugientes à
Religione, nolentes amplius seruire?

℞. Puniendi sunt à Superiore regulari, 108
quia sub eius iurisdictione sunt actu cum de-
lictum commiserint viuentes ecclesiasticè,
& religiosè, & pro quouis crimine etiam
Homicidio. Ita *Abbas in cap. Cum contin-
gat de ætate num.* 21. *Nauar. cons.* 6. *de fo-
ro comp. num.* 4. *Nouarius de elect. fori sect.*
1. *q.* 35. *Ambrosin. cap* 22. *num.* 11. *Rodriq.
tom.* 2. *q.* 2. *art.* 10. *Farinac. q.* 16. *num.* 46.
cum alijs Giurba cons. 15. *num.* 9. Non so-
lùm si in Claustro delinquat, sed etiam ex-
tra, cum non desinat esse Religiosus, *ex eo-
dem Giurba num.* 10. *ex Riec. par.* 2. *dec.*
121. *& Nouitio cit.* Ego pluribus de iudice 109
Nouitiorum cap. 11. de profess. regular.
Quòd si fugiat abiecto habitu, euanescit po-
testas Superioris regularis, quia derelicto
habitu cum nihil retineat de Monachatu
subditur simpliciter ei Iudici, cui potuisset
subesse eo tempore, quo deliquit, in quo
differt à Clerico, in quo licet habitu abiec-
to remanet perpetuò Caracter clericalis. Ita
Ambros. cap. 22. *num.* 11. *Bouadilla lib.* 2.
Politic. cap. 18. *num.* 87. *cum alijs Giurba
cons.* 15. *num.* 10. *Ego resol.* 54. *num.* 131.
§. Secundum, vnde reuoco *quod dixi cit.
cap.* 11. *q.* 7. *num.* 23. Homo enim imperfe-
ctus est, & quotidie mutat opinionem, cum
liberum habeat Arbitrium illuminatum ab
intellectu nunc vno modo, nunc alio, ita
quòd nunquam in eodem statu manet, esset
enim vir aliter perfectissimus, & nolle se
cognoscere creaturam.

Quæres 15. An Clericus eodem die accu-
satus coram Iudice seculari, quo promotus
fuit ad Primam Tonsuram, possit puniri à
Iudice seculari?

℞. Siue præcedat accusatio promotio- 110
nem, siue promotio accusationem, & quæ-

relam,

ctam, non poteſt iudicari à ſeculari Iudice, cum non obſtante delicto, neque accuſatione etiam præcedente Tonſuratione, ſit factus de Foro Eccleſiæ in ipſo puncto promotionis, vt multis probauimus hic ſupra ſub q. 1. in dubio verò an præceſſerit accuſatio, an promotio, concludendum eſt in fauorem Immunitatis, cap. 2. num. 163. Quare Fiſcalis dicens prius porrectam eſſe accuſationem, quàm factam promotionem debet id probare, quicquid dicat ex Scaccia Graſſus nu. 1136. Fiſcalem habere pro ſe præſumptionem Iuris, ac proinde transferre onus probandi in Clericum, nam præſumendum eſt in dubio pro Clerico. Sed quicquid de hoc, patet, Clericum ſemper eſſe de Foro Eccleſiæ, donec declaretur nou gaudere Priuilegio.

Quæres 16. Quiſnam Iudex poſſit viſitare, & cognoſcere de corpore delicti Perſonæ eccleſiaſticæ, aut laicalis vulneratæ, vel occiſæ?

111 Eſt communis ſententia, cui nemo contradicit, quod Iudex non poteſt inquirere, nec in cauſa procedere, niſi prius certam habeat cognitionem de corpore delicti, formaliter quoque vti taliter cogniti, quod ſcilicet ab homine occiſa fuerit perſona, ſi enim à fulmine e.g. vlterius non procedatur, aliter acta nullius ſunt momenti, vt docent omnes *ad leg. 1. ff. ad Syllanianum, Farinac. q. 2. per totam, Carena part. 2. de S. Officio tit. 12. num. 170. & part. 3. tit. 1. num. 23. Philippus de Bictis Ordinis Capucinorum in Epitome cauſar. crimin. q. 12.* quos citaui in mea Praxi crimin. cap. 6. tom. 5. impreſſionis Lugdunenſis.

112 ℞. Illum poſſe, immo debere viſitare, & cognoſcere de corpore delicti, ad quem ſpectat inquirere, & formare proceſſum contra delinquentem, ab eo enim proceſſus initium capit, vt patet ex dictis, ergo ab eodem vtrunque procedere debet.

113 Primò hinc deducitur Iudicem eccleſiaſticum facere *Viſum repertum*, vt aiunt, per ſe, vel ſuum fiſcalem, quando percutiens, & percuſſus ſunt ambo Clerici, quia cum ambo ſint Clerici, à nullo alio delinquens puniri poteſt, ergo ab hoc ſolo præordinatur proceſſus à viſitatione corporis delicti. Et in hoc ſenſu me declaro ſuper eo, quod dixi cit. cap. 6. num. 11. Non poſſe laicum Iudicem cognoſcere corpus delicti Clerici occiſi ſcilicet à ſolo Clerico.

114 Secundò infertur, nullum Iudicem eccleſiaſticum, vel laicum ſecularem poſſe Viſum repertum facere corporis Perſonæ regularis occiſæ, vel vulneratæ ab alio Regulari, ſiue intra Clauſtra, ſiue extra, quia ſolus Iudex regularis eſt dominus huius delinquentis, ac proinde cum ab eo ſolo fieri debeat proceſſus, ab eodem quoque facienda eſt recognitio corporis delicti.

Sed quoniam ab initio perpetrationis delicti, manifeſtè non conſtat de perſonâ delinquentis, & quia poteſt dubitari rationabiliter de cooperatoribus ad homicidium, ideo in vtroque caſu ſolent procedere tam Iudex laicus, quam eccleſiaſticus, vt occaſione datâ poſſint procedere contra delinquentem, quod facere non poſſunt non præmiſsâ cognitione delicti. 115

Tertiò infertur vtrunque Iudicem recognoſcere corpus delicti, quando Clericus offenſus fuit ſimul ab alio Clerico, & Laico, quia vterque delinquens debet puniri quò ad pœnam temporalem à ſuo Iudice proprio, vt probaui hic q. 10. à num. 79. quoad excommunicationem eſt ſubiectus Iudici eccleſiaſtico etiam ſecularis, quia cauſæ ſpirituales expediuntur ſolùm ab Eccleſiaſticis. 116

Quartò infertur vtrunque Iudicem recognoſcere occiſum quando delictum eſt mixti Fori, eſto delinquens ſit Laicus, quia delicta mixti Fori punibilia ſunt, ab vtroque Iudice ex præuentione, iuxta quod dicam infra ſub cap. 18. Exemplum pono in percuſſione facta in Eccleſiâ, vel extra contra Clericum, nam hæc eſt mixti fori, & ſic Laicus puniri poteſt etiam à Iudice eccleſiaſtico, ſi præueniat delinquentem. Vide Sperellum deciſ. 3. num. 20. referentem Doctores circa hunc caſum percuſſionis ſacrilegæ mixti Fori. 117

Dubitatur, cuiuſnam ſint ſpolia occiſi?

℞. Eſſe hæredum occiſi, ſoluta mercede illi officiali, qui fecit *Viſum repertum*, non enim de facto ſuccedit Fiſcus, cum nullum ius habeat in occiſum innocentem ex hoc capite, ergo ſolus hæres.

Quoniam autem contrarium practicatur, ſi occiſus eſt laicus, ſpoliatur à fiſco ſeculari, ſi Clericus à fiſco eccleſiaſtico, nulla præuentionis ratione attentâ in cognitione corporis delicti, quia ab hac non dependet ſpoliatio occiſi, cum præuentio reſpiciat potius delinquentem, quam patientem. Ratio eſt quia vnuſquiſque occiſus ex capite ſpolij remanet ſubiectus ſuo Iudici, ſicut erat ante, non enim perſona ex morte mutat forum quò ad ea, ſecundum quæ vlterius tractari poteſt; vnde Rei poſt mortem quæruntur, licet extinctum ſit crimen, quò ad bona, quæ ipſorum erant, vt colligitur ex *l. Lucius 9. ff. de iure fiſci*, ac proinde idem dicendum de patiente quò ad ſui ſpoliationem, eſto enim mortuus ſit, & non amplius homo, cum non conſtet ex anima, ſolo corpore humano remanente, tamen quò ad bona ſua quæcunq; homo eſt ſecundùm quid, & retinet inſignia, vnde Clerici cum ſuis indumentis clericalibus ſepeliuntur; ipſi, & Laici decedentes excommunicati ſed pœnitentes 118

ante

ante mortem, qui petierunt absolutionem, obtinent absolutionem, vt possint sepeliri in loco sacro, vt expressè docet Rituale Romanum. Addo, quòd probabile est, percutientem Clericum mortuum esse excommunicatum, vt dicam infra de hac excommunicatione; signum euidens, quòd in his moralibus mortuus habetur pro tali, qualis erat, dum viueret.

CAPVT VNDECIMVM.

De Carceratione Personarum Ecclesiasticarum.

SVMMARIVM.

1 *Captura est species citationis, qua dicitur realis.*
2 *Citatio est vocatio malefactorum in ius coram Iudice.*
3 *Duplex*, Verbalis, & Realis, *ad eius valorem tria requiruntur.*
4 *Commissio Iudicis, à qua dependet captura, actus Iurisdictionis 27.*
5 *Vnde data à Iudice incompetente capturam facit nullam.*
6 *Citatio est principium Ordinis iudiciarij.*
7 *Intimatio Citationis fit* Verbo, *vel* Scripto, *vel* Capturà.
8 *Relatio executa Citationis fit coram Iudice.*
9 *Officiali fides adhibetur in spectantibus ad suum Officium.*
10 *Citatio legitima perpetuat Iurisdictionem etiam in delegato.*
11 *Licet operetur virtute delegantis.*
12 *Iudex prior impeditur per superueniens* Priuilegium, *quo mutatur forus, & qualitas Personæ.*
13 *Iudex laicus caret potestate ecclesiasticà.*
14 *Potestas maior comprimit minorem.*
15 *Potestas ecclesiastica maior seculari.*
16 *Priuilegium mutans Forum, & qualitatem in Personà impedit priorem Iudicem.*
17 *Captura est actus mandatus à Iudice contra suum subditum.*
18 *Vnde duo requirit, mandatum, & quod captus sit subditus mandantis.*
19 *Captus perfectè dicitur carceratus.*
20 *Fuga est species libertatis.*
21 *Licet ex carcere etiam iusto, immo, & fracto.*
22 *Carceri se tradere nemo tenetur.*
23 *Carcerem non frangit fugiens ad Superiorem.*
24 *Carceris mala referuntur.*
25 *Carcer est ad custodiam, non ad pœnam nisi per condemnationem.*
26 *Iniustitia carceris semper obijci potest contra Iudicem.*
27 *Iurisdictionis actus est carceratio 4.*
28 *Probatio semiplena requiritur, nisi timeatur fuga.*
29 *Ecclesiasticus non ita facile carceratur sicut laicus.*
30 *Iudex laicus non carcerat Ecclesiasticum.*
31 *Aliter est reus censura Canonis, & Bullæ Cænæ.*
32 *Etiam illius birruarij capientes.*
33 *Episcopus carcerat suos Clericos.*
34 *Regulares suos, etiam Nouitios, & Tertiarios.*
35 *Episcopus carcerat Regulares extra claustra notoriè delinquentes.*
36 *Non verò intra claustra esto delinquerint extra.*
37 *Extra territorium non fit captura.*
38 *Fragranti in crimine repertus dicitur paratus delinquere, vel delinquens.*
39 *Laicus non potest capere Ecclesiasticum repertum in fragranti crimine.*
40 *20. Horis detineri potest à viro adulter repertus cum vxore.*
41 *Carceratio à laicis facta in Clericum repertum in fragranti crimine nulla est.*
42 *Captura de Religiosis non fit per Episcopum in Ecclesia regulari.*
43 *Ecclesia regularis exempta ab Episcopo.*
44 *Clericus non potest capi in Ecclesia, vtique Religiosus.*
45 *Mandatum generale sufficit ad capturam.*
46 *Canonicus sicut alij Clerici carceratur.*
47 *Nobiles non carcerantur de Iure, consuetudo est in contrarium.*
48 *Iudex laicus non potest committere capturam contra Clericum.*
49 *Textus de captura referuntur.*
50 *Laici capientes Clericos sunt excommunicati.*
51 *Clericus, de cuius Priuilegio dubitatur capi non potest.*
52 *Clerici ignoti licet captura.*
53 *Cap. Si iudex 12. de sent. excom. in 6.*
54 *Cognitio Clericatus spectat ad Iudicem Ecclesiasticum.*
55 *Negligentia ecclesiastici Iudicis non suppletur à laico.*
56 Suadente diabolo *importat peccatum mortale.*
57 *Ius canonicum non dicit Clericum capi posse à seculari.*
58 *Nullum ius aquirit Iudex laicus capiens Clericum.*
59 *Clericus non excommunicatur pro debitis, si sit pauper, nec carceratur.*
60 *Capere Clericum cum habitu, vel sine habitu.*

DE CARCERATIONE PERSONARVM ECCLESIASTICARVM.

1 QVoniam captura est species citationis,
abs rè non erit, sed ad propositum
prætermittere aliquid de citatione quantum fa-
cit ad nostrum institutum in causis crimi-
nalibus contra Clericos, & alios Ecclesia-
sticos.
2 Citatio autem definiri potest vocatio de-
linquentis ad respondendum super interro-
gationibus sibi faciendis à suo Iudice cõpe-
tenti. Duplex est. Verbalis, & Realis. Verba-
lis est, qua reus verbo, vel scripto vocatur
3 in Ius. Realis verò est ipsamet captura Rei.
Vtrunq; colligitur ex *l. Neque 22. ff. de in ius
vocando.* Tria autem requiruntur ad eius va-
lorem. Commissio Iudicis, Executio citatio-
nis, & Relatio nuntij, defectu vnius prædi-
ctorum citatio redditur nulla, *Bald. in l. fin.
C. de ferijs, Felin. in cap. Gratum, de offic.
deleg. col. 3. Carena de S. Officio par. 2. tit.
2. initio. Scaccia lib. 1. cap. 39. num 2. ex il-
lis Guazin. Defens. 10. cap. 2. num. 1.* De
singulis requisitis aliquid dicendum.
4 Commissio iudicis est necessaria ad valo-
rem citationis, qui. executio citationis de-
pendet ab actu Iurisdictionis mandãtis cita-
tionem, sine cuius auctoritate nemo citari
potest verbaliter, nec realiter, *ex Bart. Ab-
bas in cap. 1. de iudic. num. 33. Barb. multis
allegatis ad cap. Proposuisti, de foro compet.
num. 3. Roland. Vol. 1. cons. 90. num. 32.
Fuluius Pacian. lib. 2. de Probat. cap. 48.
5 num. 69. Barb. ad cap. Ex parte 12. de rescr.
num. 3.* Et in materia præsenti de citatione
Ecclesiasticorum, mandatum Iudicis secu-
laris nullum est, cum sit à Iudice incompe-
tenti, qui personam ecclesiasticam citare
non potest, cum enim citatio sit principium
6 Ordinis iudiciarij. *Glos. V. Non conuenti cap.
Ecclesia 10. de constit.* & Iudex secularis
non possit iudicare Personam ecclesiasti-
cam, cap. 2. de foro compet. ergo neq; ad
hunc effectum citare, consequenter hæc
commissio spectabit ad Iudicem ecclesiasti-
cum. *Barb. ad cap. Praterea de dilat. num. 6.*
7 Executio citationis consistit, vt Nuntius
exhibeat verbo, vel scripto citationem in
manibus suis, vel ad domum, vel in loco
publico affigat scriptam citationem, quan-
do non inuenitur reus, qui solet se abscon-
dere, vel fugere. Intimanda ergo est citatio
reo, vt admonitus compareat coram Iudice.
Colligitur ex l. Si quis postea 7. ff. de iudic.
ibi: *In ius vocatus* cap. Proposuisti 19. de
foro compet. ibi: *A te citatus.* Quæ verba re-
ferri non possunt ad commissionem, sed ad
eius effectum, debet ergo reus esse citatus
facialiter, & monitus, si potest inueniri, vt
dicunt Doctores in præcitatis capitibus,
*cum Socin. num. 19. Decian. lib. 4. cap. 21.
num. 7. Clarus cap. 31. num. 15.*
Relatio executę citationis facienda est, 8
cum de ea constare debeat in iudicio, &
non præsumatur cum sit quid facti, *Guaz.
Defens. 10. cap. 2. num. 2. & 3.* vbi, quòd
ei regulariter creditur, nam officiali fides
adhibetur in suo officio, *Vantius de nullit.* 9
ex defectu citationis num. 40. Vide *Guaz.
Defens. 10 cap. 3.* vbi latè de huiusmodi Re-
latione, *Carenam part. 2. de S. Officio
num. 14.*
Citatio legitimè facta, & absoluta iuxta 10
illius tria requisita producit vnum notabi-
lem effectum in Iudice citante, nimirùm,
quòd perpetuat illius Iurisdictionem contra
reum citatum, qui post citationem mutauit
forum *l. Si quis postea 7. de iudic.* Vbi dici-
tur, quòd Priuilegium Fori superueniens
pendente Iudicio non eximit quem à iuris-
dictione prioris Iudicis. *l. Cum quadam 19.
ff. de iurisd. om. Iud.* Mutatio Fori post sen-
tentiam, vel litis contestationem, prioris
Iudicis iurisdictionem non impedit. Non-
nulli autem non requirunt litis contestatio-
nem, sed dicunt sufficere citationem solam
varbalem perfectam scilicet ex illis tribus
requisitis, & hoc verius est de Iure canoni-
co, vt clarè colligitur *ex cap. Gratum 40.
cum Glos. V. Vt non caperit, cap. fin. de of-
ficio legat. cum Glos. fin. cap. Proposuisti 19.
de foro compet. Glos. V. citatus* Ita docent
pleriq; Doctores citati *à Barb super dictum
cap. Gratum num. 3. Gratian. cap. 156. num.
11* Qui cum alijs dicunt per citationem per-
petuari Iurisdictionem tam in Iudice dele-
gato, quàm in ordinario. Et ratio est, quia
vbi ceptum est semel Iudicium, ibi & finem
accipere debet, *l. Vbi 30. ff. de iudic.*
Est autem differentia inter præfatos tex-
tus, nam in l. 7. & 19. cap. 19. sermo est de
perpetuatione Iurisdictionis cœptæ exerceri
per priorem Iudicem, qui non potest impe-
diri per superueniẽs Priuilegium aut muta-
tionem fori sub alio Iudice. In cæteris verò
cap. 20. 30. de offici. deleg. & cap. fin. de
offi. legati sermo est de Iudice delegato, qui
non obstante delegantis morte, cœptum Iu-
dicium per citationem potest prosequi, quia 11
licet delegatus operetur, & fungatur Iurisdi-
ctione alterius, non suâ, *l. Solet 16. ff. de
iurisd. omn. iudic.* morte tamen delegantis
in delegato perseuerat, si reum citauit, *l.
More 5. ff. eod.* Vnde in isto casu à nullo
Priuilegio, vel mutatione Fori dicitur Iu-
risdictio impediri, nec à morte, quando ci-
tatus fuit reus ante mortem delegantis. In
priori verò casu impediri potest Iudex prior
ab alio Iudice, si nondum citauit reum.
Aduertendum tamen est, prout probaui
præcedenti cap. num. 27. 78. 92. & 101. 12
quod prior Iudex quandoque impeditur per
secun-

Digitized by Google

secundum, licet citauerit reum, qui postea mutauit non solum forum, sed etiam qualitatem personæ à statu scilicet secularitatis ad statum ecclesiasticum. Tum quia Iudex laicus est inhabilis ad iudicandum criminaliter Ecclesiasticum, cum auctoritate diuinâ, & iure humano non solùm canonico, sed etiam ciuili, exemptus sit a iurisdictione seculari, nam ad iudicandum criminaliter Clericum necessaria est iurisdictio ecclesiastica, cuius est incapax laicus, Grassus Effectu 1. num. 6. *Giurba cons.* 67. *num.* 6. *&* 7. Tum quia potestas maior superueniens vincit, & opprimit minorem, iuxta illud Lucæ 11. 22. *Si autem fortior eo superueniens vicerit eum*; sed maior est Potestas ecclesiastica, quam secularis, *cap. Suscipitisne 6. dist.* 10. *cap. Solitæ.6. de maior.* ergo illa hanc vicit, & superat. Tum quia l. 7. & 19. & cap. 19. loquuntur tantùm de mutatione Fori, non qualitatis personæ, quod arguit diuersitatem iurisdictionis, illi autem textus loquuntur de eâdem iurisdictione scilicet seculari. Demum *l. Vbi acceptum* 30. *de iudic.* non habet locum respectu Personarum priuilegiatarum, quæ habent mutationem Fori, & qualitatis, *Socin. consil.* 94. *num.* 3. *Natta cons.* 590. *num.* 15. *vol.* 3. *Franch. decis.* 100. *in fine*, *cum alijs Notarius de el. &. fori sect.* 1. *q.* 1. *num.* 20. Sed transeamus ad capturam quæ est species citationis, vltra ea, quæ de ipsa in genere hactenus diximus.

13

14

15

16

17 Captura est actus, quo de mandato Iudicis appræhenditur malefactor sibi subditus ad effectum carcerandi illum; ne fugiat, sed vt reddat rationem vilicationis suæ, & subijciatur condemnationi conuictus, vel confessus de delicto. Ad eam tamen, vt iusta sit, duo requiruntur; vnum, quòd Iudex det mandatum executoribus, ex quo captura dicitur actus iudicialis, & iurisdictionis ex parte commissionis. Vide Farinac. q. 27. num. 3. & 8. Alterum, quòd mandatum dirigatur contra subditum committentis, & mandantis capturam, ratione originis, vel domicilij vel delicti, iuxta dicta cap. præced. num. 5.

18

19 Quamuis ligatus per satellites dicatur captus, talis autem absolutè, & simpliciter nondum dicitur esse sub potestate Iudicis, nisi postquam est in carceribus constitutus, vnde si ante carcerationem se eximat è manibus birruariorum, liber dicitur, quia sicut fuga è carcere est species libertatis, *l. Quis sit fugitiuus* 17. §. *Idem recte ff. de adil. edict.* Vnde, & fugere potest licitè è carcere etiam iusto, fracto *Lessius lib.* 2. *cap.* 31. *dub.* 5. *Pasqual. centur.* 1. *q.* 98. *num.* à fortiori fugere è manibus satellitum, neque enim reus tenetur se tradere in manibus executorum, neque se carceri mancipare, *Farinac. q.* 48. *num.* 17. immo carcerem non dicitur frangere, qui fugit ad Superiorem, *Host. Innoc. & Abbas in cap. vt debitus*, *de appellat.* quia itineris areptio est loco appellationis, *cap. Cum olim*, *de dolo*, *cap. Cum causam*, *de officio deleg. Giurba cons.* 69. *num.* 19. 23

20

21

22

Carcer autem dicitur omnis locus, à quo quis exire non potest, prohibitus inde exire, *Glos. V. Custoditur*, *l. Qui neque ff. de verb. signif. Berous dec.* 215. *num.* 15. Vnde retentus domi habetur pro carcerato, *Rimin. Iun. cons.* 738. *Gama dec.* 318. *Riccius par.* 2. *decis.* 226. *apud Nouar. sect.* 2. *q.* 26. *num.* 13. *&* 14. 24

Carcer autem regulariter non datur ad pœnam, sed ad custodiam, ne iustum fugiat Iudicium, tamen pœnam semper adiunctam habet, *Caball. crimin. resol. casu* 142. *num.* 3. quia mala mansio est, l. *Item apud Labeonem*. *l. Quæstionis*, *ff. de iuretur. Tuschus lit. C. concl.* 79. *num.* 2. est cruciatus corporis, *Natta consil.* 319. & species seruitutis, *l. Titio §.* 2. *ff. de cond. & demonstr. Mascardus de Probat. concl.* 266. *num.* 6. multa incommoda infert, *Franc. dec.* 317. *num.* 4. grauamen continuum infert, *Gomez Variar. par.* 3. *cap.* 10. *num.* 10. *Tusch. lit. C. concl.* 90. *num.* 5. semper excipi potest de carceris iniustitiâ, *Seraph. de iuuam. priuileg.* 132. *num.* 9. *Mar. Anton. lib.* 3. *resol.* 29. *num.* 20. referente Giurba consil. 66. num. 7. vbi, quòd non inquirendus, nec puniendus, non est carcerandus. Est autẽ carceratio exercitium Iurisdictionis, *Peregr. Variar. lib.* 1. *tit.* 1. *num.* 85. *Giurba consil.* 66. *num.* 6. Præmissis adiungamus quæstiones. 25

26

Quæres igitur primò quid requiratur vt possit carcerari Persona ecclesiastica? 27

℟. Prærequiritur semiplena probatio, nisi timeatur fuga; illud probatur; quia talis probatio est necessaria, quæ Iudici det Ius ad torturandum reum in casu, quo neget delictum, si enim Iudex non potest torturæ reum subijcere, iniqua est carceratio, quæ ordinatur ad punitionem, quæ dari non potest reo non conuicto, nec confesso, ergo talia indicia præcedere debent, quæ etiam sufficiant ad carcerationem, qualia ad torturam. It. Farinac. q. 27. à num. 111. & in causis S. Officij, *Carena Par.* 3. *tit.* 2. *num.* 24. *Diana Par.* 4. *trat.* 8. *resol.* 111. Nisi timeatur fuga, quia tunc quodlibet indicium sufficit esse probatum, immo carceratur ex sola confessione vulnerati, Farinac. q. 27. num. 125. ad 29. Item repertus in fragranti crimine capi potest, constat enim sufficienter de delicto, *Guaz. defens.* 5. *cap.* 3. *num.* 18. *cap.* 8. *&* 9. *latius de hac re*, *Philippus de Bictis Capucinus in suo Epitome q.* 79. *num.* 13. Vide quæ dixi in praxi Crimin. 28

min. cap. 66. per totum tom. 5. Impress. Lugdun.

29 Licet Ecclesiasticus non ita facile sit carcerandus sicut laicus propter dignitatem Ordinis, vt alijs adductis docet *Farinac. q. 27. num. 72. & 74. Possent. & singul.* 132. cum illi sint in Ecclesia Dei, vt candelæ super candelabrum alijs lucentes, *Grassus de Effect. cler. in Praludio num. 11.* Nihilominus, quando constat de eorum delictis, cum extinxerint candelam ex malis actibus fumigantem in odorem malè olentem non minus carcerandi sunt, quam laici.

Quæres 2. Quisnam committere, & mandare possit capturam contra ecclesiasticas personas?

30 R. Nullus laicus Iudex potest committere capturam contra illas, sed solus earum Iudex ecclesiasticus, Episcopus contra suos Clericos, & Superior regularis contra suos Religiosos Nouitios, Tertiarios, & Professos.

Primum, quòd nullus laicus possit capere illas, probatur, quia mandatum capiendi est actus iurisdictionis contentiosæ, vt dixi supra sub num. 4. & 27. Sed laicus nullam iurisdictionem de se habet contra Ec-

31 clesiasticos, cum illius sit incapax *ex allegatis à Grasso Effectu 1. num. 6.* ergo carcerare non potest Ecclesiasticum. Est communis, *Abbas in cap. Vniuersitatis num. 11. de sent. excom. Marsil. cons. 126. num. 23. Zabarella cons. 12. num. 3. cum alijs Grassus Effectu 1. num. 1. 584.* Et sunt excom-

32 municati in Bulla Cœnæ Domini non solùm committentes capturam in causis criminalibus, sed etiam exequentes capturam contra Personas ecclesiasticas capiendo illas, de qua censurâ Bonac. in Bulla disp. 1. q. 20. p. 1. num. 13. de actione capiendi.

33 Secundum, quòd Episcopus mandet capturam suorum Clericorum, probatur, quia ipse solus exercere potest Iurisdictionem contentiosam in suos subditos, tales ratione originis, vel domicilij, vel delicti quoque Ita docent omnes *in cap. fama 35. de sent excom. ibi Abbas num. 6.* Vbi quòd alij Ordinarij possunt carcerare habentes Iurisdictionem Fori externi.

34 Tertium, quòd Prælati regulares carcerent subditos, probatur, quia & hi habent potestatem Iurisdictionis contentiosæ, ergo suos possunt carcerare. Ita *Abbas in cap. pracitato num. 6. Ego resol.* 135. *tom.* 3. *q.* 2. expressè *cap. Abbates* 16. 18. *q.* 1. *Peyrin. in Formul. lit. C. cap. 4. num.* quem cum alijs citaui *in Praxi crim. tom. 5. Impress. Lugdun. cap. 66. num. 17. & de profess. cap. 11. q. 4.*

Quæres 3. An Episcopus possit carcerare Regulares?

35 R. Vtique repertos in fragranti crimine extra Claustra, non autem in Monasterio, licet extra commisissent delictum quodcunque etiam grauissimum. Primum probatur quia ratione delicti fit de Foro Ordinarij, ergo capi potest, & patet ex praxi, & docent *Portellus par. 1. casu 19. Piasecius par. 2. cap. 3. num. 43. Nald. V. Episcopus num. 28. Bariola V. Episcopus*, seruata formâ Tridentini sess. 25. cap. 14. si notoriè deliquerit extra clausuram. Ratio est, quia aliter instare Episcopus non potest Prælato regulari, vt suum subditum puniat, nisi constet ipsum deliquisse extra clausuram, quod probatur per examen factum in curia Episcopali contra Religiosum captum in fragranti crimine.

Contrarium tenui resol. 7. q. 10. *cum Compend. Rodriq. resol. 62. num. 8. qui resol. 63. num. 10. Peyrin. ad const. 2. Sixti IV. num. 64* tenet posse capi, si fuga timeatur, *Diana resol. 132. de Regular.* Sed reuerà talem fugæ timorem satellites habere possunt semper (dico ego) ergo possunt absolutè semper capere repertum in fragranti crimine, ex quo simpliciter muto opinionem, quam tenui dicta resol. 7. q. 10. & controu 35. num. 25. & resol. 135. q. 9. tom. 4. impress. Lugdun. & dico, vt supra, posse Episcopum committere capturam contra Religiosos Nouitios, Tertiarios, & Professos extra claustra repertos in fragranti crimine.

Secundum verò, quòd non possit committere capturam contra eosdem Religiosos, vt capiantur intra clausuram, probatur expressè *ex Clemen. 1. de excessibus Prælator. Clem. V. in sua Bulla incip Et si cunctorum 2. apud Confect.* id prohibetur omnibus Ordinarijs locorum sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendâ. Ratio est, quia captura fieri non potest extra territorium, vt docent omnes, *Bossius de captura num. 39. Anton. Gomez de delictis cap. 9. num. 4 Folier. fol. 31. cum alijs Guazin. defens. 5. cap. 1. num. 27.* Est enim actus Iurisdictionis contentiosæ, qui non exercetur extra proprium territorium, in hoc enim casu Monasterium censetur esse extra territorium mandantis capturam, vt dixi præced. cap. num. 29. Immo nec capi potest extra Monasterium, etiam si deliquerit extra illud, cum non dicatur esse in fragranti crimine, nisi qui actu peccat, non verò qui heri deliquit, hodie enim capi non potest, nec qui manè deliquit, capi potest in vesperis, cum actu nô sit in actione delicti. Et sic concordari possunt contrarium dicentes. Vide supradictum Peyrinum in ea constit. Sixti IV. num. 64. vbi de Nouitijs, & Professis non subiectis capturæ Episcopi committentis.

Quæres 4. An Birruarij possint capere Personam

sonam ecclesiasticam repertam in fragranti
crimine, ad eum finem, vt eam consignent
suo Superiori? Ac proinde an Iudex secula-
ris talium commissionem capturæ dare pos-
sit? Infra 21. q. 99. iterum in sententiam
aliorum.

39 ℟. Nullus laicus, officialis potest capere
Personam ecclesiasticam repertam in fra-
granti crimine .i. volentem male agere, vel
actu male agendo etiam ad eum finem, vt
captum statim consignet suo Superiori. Ra-
tio est, tum quia nullum Ius canonicum id
concedit laicis, vt dicit *Host. in cap. Nuper,
de sent. excom. apud Pauor. in cap. 10. de
iudic. num.* 11. Tum quia laici non possunt
capere Clericos, & ad iudicium trahere,
nisi id de mandato faciant Prælatorum,
quorum illi sunt Iurisdictioni subiecti, &
quorum est corrigere criminosos, vt scribi-
tur *in cap. Vt fama 35. de sent. excom.* quem
textum citat *Glos. V. Deprabensus cap.* 10.
citato de iudic. Et idem dicitur *in cap. Si Cle-
ricos 15. de sent. excom. in 6.* quòd Episco-
pus faciens capere Clericos propter eorum
excessus per laicos, non incurrat excommu-
nicationem. Ex quibus manifestè patet lai-
cum sine mandato Episcopi non posse cape-
re Clericum etiam repertum in delicto, ex
quo in prædictis textibus captura ordinatur
ad punitionem faciendam à proprio Præla-
to. Ita docent *Marta par 4. casu 42. num.
17. Megal. de cens. lib. 3. cap. 11. num. 7.
Sousa in Bulla Cana cap. 16. disp. 82. num.
8. Barbosa in cap. 2. de Vita, & hon. num.
7. ex eo Diana par. 1. tract. 2. resol.* 11.

Communis tamen opinio contrarium
docet, secularem nimirum potestatem posse
capere, & ligare Clericum paratum, vel de-
præhensum in fragranti crimine, dedu-
cendum infra spatium viginti horarum ad
suum Superiorem ecclesiasticum. Barbosa
super dictum cap. Vt famæ, num. 5. refert
duodecim Doctores, cũ quibus est *Farinac.
q. 8. num. 118. ad 123. Graßus Effectu 1.
num. 534. ad 553. Dal Bene cap. 6. dub. 12.
Bonac. in Bulla disp. 1. q. 16. p. 5. num. 24.
& 25. Castropal. p. 6. in fine* tribus concur-
rentibus; primò, præsumptione fugæ; se-
cundò, vt non potuerit a proprio Prælato
obtineri licentia capiendi illum; tertiò, vt
statim remittatur ad proprium Iudicem.
Probant primò, quia id non faciunt suaden-
te diabolo, sed bono fine, vt retrahatur à
malo, & innocens defendatur. Secundò *ex
l. De raptoribus 41. C. de Episcopis, &
Clericis* Tertio *ex l. Capite 25. ff. ad leg.
Iul. de adulter.*

Respondeo ad rationem, malum impedi-
ri posse sine captura, arcendo volentem ag-
gredi proximum; & potest læsus in rebus
extrahere rem ablatam è manibus furis
absq; eo, quòd illum capiat, & deducat ad
Iudicem puniendum; & in casu quo debi-
toris fuga timeatur domi retineri potest,
monendo eius Superiorem, vt mittat satel-
lites ad eum capiendum. Vbi ergo agitur de
proprio interesse detineri potest domi, & nõ
ex aliâ causâ.

Ad illas leges dico, eas non facere ad
rem, cum in eis ne verbum quidem de Ec-
clesiasticis, solum in l. capite, fit mentio de
illo spatio 20. horarum, quo detineri potest 40
à viro adulter, & nihil aliud; & id concedi-
tur à lege, vt de tali iniuriâ per Iudicem re-
portare possit vindictam; birruarij autem in
nullo læsi tali modo vindictam, si quã iniu-
riam passi essent, requirere non possunt,
ligando, & ducendo eorum læsorem ad Iu-
dicem, cum nulla lex eis id concedat, si-
cut viro. Quare multò minus ligandi sunt
Ecclesiastici, vt dicitur in cap. 3. de sent.
excom. quòd nulli laico super Clericum
tanta datur auctoritas, iniiciendi scilicet
manus super illum.

Quæres 5. An huiusmodi captura facta de
Personis ecclesiasticis repertis in fragranti
crimine ita sit nulla, vt nullum producat ef-
fectum contra captum?

℟. Nulla omnino est, quia facta est à non 41
habente facultatem à proprio eorum Supe-
riore, & Iudice. Ita *Peregr. Iannin. de cita-
tione reali lib. 1. cap. 1. initio, Boerius dec.
215. num. 33. Baiard. q. 46. num. 1. Canal-
can. de bracchio regio par. 2. num. 5. Gua-
zin. Defens. 5. cap. 1. num. 8. & cap. 3. num.*
2. Iterum infra q. 11.

Quæres 6. An Episcopus possit facere ca-
pere intra Ecclesiam regularem Religiosum,
qui in ea, vel extra notoriè, & cum scanda-
lo deliquit?

℟. Negatiuè, quia est locus exemptus 42
non solùm Monasterium, sed etiam Eccle-
sia, quæ non est subiecta Episcopis ex pro-
bat.s cap. 10. num. 90. Ecclesia enim est 43
exempta quandocunque est exemptum
Monasterium, *Glos. V. Exemptio cap. 1.
de Priuileg. in 6. ibi Archid. Mar. Socin.
in cap. Recepimus, de priuileg. num. 97.
Rota vol. 2. dec. 54. num. 11.* Vide *Tamb.
tom. 1. disp. 15. q. 15.* ergo de mandato Epi-
scopi Religiosus in ea capi non potest, sicut
non capitur intra Clausuram. Prædictis non
obstat cap. fin. 16. q. 2. quòd Ecclesiæ Mo-
nachorum subduntur Episcopis, quia ibi ser-
mo est de illis, quæ tunc carebant exem-
ptione, nostris autem temporibus omnes
Ecclesiæ regulares exemptæ sunt à Iurisdi-
ctione Episcoporum maximè contentiosâ.

Quæres 7. An Ecclesiastici de mandato
sui Prælati possint capi in proprijs Ecclesijs?

℟. Clericus non potest capi in Ecclesia, 44
sicut nec laicus, Religiosus verò potest, si-
cut capitur in Monasterio suo, extra verò in
alienis Ecclesijs capi non potest. De Cleri-
cis ex-

cis extat cap. Nullus 19. 17. q. 4. *Nullus clericorum, seruum, aut discipulum suum fugientem ad Ecclesiam, extrahere audeat.* De Religiosis probatur, quia cum quotidie sint in Ecclesia ad orandum fere nunquam possent capi, nec proinde puniri. Primum de Clericis tenent 37. Doctores, quos pro se citat Barb. *lib. 2. de iure cap. 14. num. 137.* Secundum de Religiosis tenent alij 30. quos contra se refert *Barb. lib. 2. cap. 3. num. 135. Dal Bene pro se cap. 16. dub. 10. sect. 12. num. 24.* etiam contra Clericos. Vide me *de Immun. eccles. pro Reis cap. 9. q. 3. à num. 10. ad 18.* vbi contrarijs respondi.

Quæres 8. Quale debeat esse mandatum ad capiendum Ecclesiasticum?

45 ℞. Sufficit generale mandatum, quod datur baricello Curiæ episcopalis capiendi Clericos sibi subditos pro delictis grauioribus, qui & potest conuocare ex officio non solum officiales suos in genere isto descriptos, sed quandoq; etiam satellites Curiæ secularis, si non habet expressam prohibitionem, habens enim facultatem agendi aliquod negotium, si non suppetunt eius vires, alios in adiutorium vocare potest, cum quibus possit absoluere officium suum arg. *cap. Præterea 5. fine cap. Prudentiam 21. §. Sexta fine de offic. deleg.* Quod si committatur captura extraneo requiritur specialis licentia, hoc est, cum expressione eius, qui capiendus est, ex quo non est specialis Officialis, cui ex officio competat capere malefactorem. Et ita intendo *Gloss. V. de mandato, cap. vt fama 35. de sent. excom.* requirentem speciale mandatum, sc. respectu extranei vocati non Officialis ordinarij designati.

Quæres 9. An Canonicus possit capi, & carcerari cum generali mandato? Ratio dubitandi est, quia Episcopus debet eligere quolibet anno duos Canonicos, cum quibus cognoscat causas delictorum suorum subditorum; accedit, quod regulariter Canonici Catedralium solent esse personæ illustres, quæ de iure non sunt carcerandæ ex adductis à Farinac. q. 27. num. 77.

46 ℞. Potest carcerari, tamen cum speciali mandato, vt eius conditioni deferatur. De carceratione patet, quia in Iure canonico, cui standum est, non inuenitur huiusmodi exemptio, ergo Canonicus delinquens carcerari potest. Id supponitur à Barbosa *de Canon. cap. 22. num. 7. & cap. 24. num. 42.* alijs citatis.

Nec obstant adducta in ratione dubitandi, quia ex diuersis non fit illatio ex vulgatis iuribus, aliud enim est adiungi Episcopo in cognoscendis causis delictorum, aliud non posse carcerari. Personæ illustres de

47 iure ciuili non possunt carcerari, nihilominus consuetudo est in contrarium, alijs citatis Guazin. Defens. 5. cap. 3. num. 13. illustris enim dicendus non est, qui se enormitatibus obscurat.

Quæres 10. An liceat Iudici seculari committere capturam, & eius executoribus apprehendere Clericum, quem putant carere Priuilegio fori e. g. quia vestem clericalem non defert?

℞. Non licet mandare capturam, nec capere Clericum etiam minoribus ordinibus initiatum, siue dubitetur de vsu Priuilegij fori, siue capiatur in fragranti crimine, vt adducatur ad suum Superiorem, siue vt puniatur ab ipso mandante. Licet verò capere Clericum taliter ignoratum, putatum laicum, quia incedebat more secularium. 48

Primum, quòd non liceat capere Clericum taliter cognitum, probatur. Primò ex cap. Si verò 3. de sent. excom. ibi: *Officialis verò pro iniectione manuum in Clericum non potest sine mandato Romani Pontificis absolutionis beneficium promereri, quia nulli laico super Clericos tanta datur auctoritas, &c.* Nulli dubium esse debet, capientes Clericum in ipsum inijcere manus, & quod textus iste loquatur etiam de captura, notat ibi Glos. V. Laico. Et non tantum birruarij capientes, sed etiam secularis Iudex committens capturam incurrit censuram Canonis, *ex cap. Mulieres 6. §. Illi verò de sent. excom.* Secundò, cap. Vt famæ 35. eod. *Laici verò citra excommunicationis sententiã capere Clericos & ad Iudicium trahere possunt, si opporteat, etiam violenter, dum tamen id de mandato faciant Prelatorum, quorum illi sunt Iurisdictioni subiecti.* Ergo eis suffragari non potest licentia, & commissio Iudicis secularis, cuius iurisdictioni Clerici non sunt subiecti. Tertiò in cap. Si clericos 15. de sent. excom. in 6. sic scribitur: *Si Clericos tuæ iurisdictioni subiectos propter commissos excessus etiam per laicos capi facias, & eos, ne fugiant in carcere pænâ debitâ postea castigandos includas, te, vel capientes eosdem nulla credimus excommunicatione nodari.* Ex his tribus textibus manifestè colligitur, laicos capientes, vel capturas committentes esse excommunicatos. Quare contra istos adest prohibitio in Bullâ Cœnæ Domini can. 19. contra interponentes se in causis criminalibus contra Personas ecclesiasticas, & eas capientes. Ita *Bonac. in Bulla disp. 1. q. 20. p. 1. num. 13. Megal. lib. 3. de cens. cap. 11. num. 6. & 7.* & alij apud illos. 49 50

Secundum, quòd non possit capi Clericus, de cuius vsu Priuilegij dubitatur, probatur, Tum quia nullum dat Ius laicis capiendi Clericum, cum id nullo iure expressum inueniatur. Tum quia esto Clericus, non gauderet Priuilegio Fori, adhuc non posset capi, nisi post declarationem, quòd 51

non

non gaudeat, vt patet ex dictis cap. 6. num. 29. & cap. 9. num. 6.

Tertium, quòd prohibitio capiendi procedit etiam si capiatur eo fine, vt consignetur suo Superiori, patet ex q. 4.

Quartum, siue vt puniatur à Iudice laico mandante, probatur, quia sicut non potest punire Clericum, ita neq; facere capere ad hunc finem. Nec in hoc est aliqua difficultas ex dictis q. 2.

52 Quintum deniq; quòd liceat capturam Clerici putati laici, quia viuit more laicorum, probatur, quia non dicitur manus violentas inijcere in Clericum, quem ignorat Clericum esse, *ex cap. Si verò 4. de sent. excom.* Ignorantia enim probabilis excusat à peccato, ac proinde à censura, inquit ibidem *Glos. V. Ignorauerit, vbi Doctores citat Barbosa num.* 2. Et in dubio ex parte Iudicis sufficit, quod captor iuret se Clericum ignorasse, *ibidem in textu, & Barb. num.* 8.

Si vidit in eius capite tonsuram, & non credidit clericum? Resp. Glos. V. eodem, quod incidit, si verè erat Clericus, quia eius credulitas culpabilis fuit, dum vidit tonsuram, alter si ficta erat tonsura, & sic non erat verè Clericus, non incidit, quia veritas attenditur in pœnis incurrendis non opinio.

53 Id totum videtur colligi ex cap. Si iudex 12. de sent. excommun. in 6. vbi deciditur, quòd malefactor captus remittendus est ad Iudicem ecclesiasticum, & quidem statim, si notoriè, & publicà fama, vel communi æstimatione habetur pro Clerico. Idē dicitur, si prius se gerebat pro Clerico, & modo depræhensus est cum habitu clericali. Quod si prius se gerebat pro laico, licet modo in clericali habitu depræhensus fuerit, non remittitur, nisi probato prius Clericatu, interim tamen Iudex laicus in nullo procedet contra illum, donec illi restituatur vti laicus, factus per declarationem eius subditus, ex quo non gaudet Priuilegio fori. Itaque captus cum habitu clericali, & pro tali habitus non potest retineri, sed statim remittendus est ad Curiam ecclesiasticam sui Superioris si dubitatur de Clericatu, vt dicam infra in cap. de Remissione captorum.

Dices ex hoc textu colligitur, quòd per Iudicem laicum capi potest non solum Clericus ignoratus, sed etiam pro tali cognitus, ex illis verbis: *Et notorium fuerit quod idem malefactor sit Clericus, qui huiusmodi Priuilegio gaudere debeat, statim absq; alia cognitione de Clericatu ecclesiasticæ curiæ debet reddi.* Item subiungitur. *Idem esse censemus si reus ipse ante deprahensionem pro laico publicè se non gerens deprahensus fuit in habitu clericali, &c.* Ergo Clericus vt talis cognitus licitè capitur per laicam potestatem, statim tamen restituendus, & sic nullam incurrit censuram. Confirmatur, quia excommunicatio Canonis supponit iniectionem manuum fieri suadente diabolo, ac proinde peccatum mortale; sed Iudex laicus cum suis executoribus capiendo Clericum malefactorem, vt puniatur à suo Superiore non peccat mortaliter, nec dicitur manus violentas iniicere in Clericum diabolo suadente, vt docet ibidem Glos. in casu, ergo immunis est à dictis censuris.

R. Primariam intentionem Bonifacij VIII. fuisse in hac Decretali decidere, ad 54 solum Iudicem ecclesiasticum pertinere cognoscere de Clericatu capti per Iudicem laicum, qui contra captum processum formare non potest, nec procedere, nisi post Iudicium super Clericatum factum, quòd scilicet, vel non sit Clericus, vel si sit, quod non gaudeat. An verò licitè, vel illicitè captus sit Clericus, nihil de hoc disponit Pōtifex, quia super hoc interrogatus non fuit; ergo standum est in prædictis iuribus, quæ clarè loquuntur, nempe, laicum non posse capere Clericum, nisi auctoritate Iudicis ecclesiastici, & cum habeat Episcopus armatam familiam, nescio, quo iure laicus se velit ingerere in his, intuitu pietatis, & zelo Iustitiæ, ne crimina remaneant impunita, dum Iudex ecclesiasticus fungitur suo officio, in quo si est negligens, non potest laicus supplere eius inertiam, *ex cap. Qualiter 17. de iudic. Gras-* 55 *sus Effectu 1. num. 330. Farinac. cons. 68. num. 10.*

56 Ad confirmationem dico sic capientes, & committentes capturam Clericorum, eas incurrere excommunicationes, cum sint formaliter transgressores Priuilegij Canonis, & Bullæ Cœnæ, nā illa claus. *suadente diabolo* importat peccatum mortale, *Sayr. lib. 3. de censur. cap. 26. num. 3.* Non enim zelus Iustitiæ benè agit, qui transgreditur Iura, quæ pertinent ad immunitatem Clericorum, vt non capiantur, nisi de mandato Iudicis ecclesiastici. Vide superius allata initio huius quæstionis. Vers. Primū, & hoc verum est, siquidem licet in primo notab. *casus super cap. hoc 12. de sent. excom. in 6.* dicatur, quod Iudex secularis sine metu excommunicationis potest capere Clericum in delicto depræhensum, tamen subiungit, quod textus hoc non dicit. Et in terminis Bullæ Cœnæ idem dicit ex Vualdo *Sayrus* 57 *lib. 3. de cens. cap. 23 fine*, & ea opinio est communis, vt dixi q. 4. tamen quia nullo nititur iure canonico, sed potius originem suam habet ab auctoritate Doctorum, stante Bulla Cœnæ Domini supra relata, quòd Iudices seculares, cū eorū ministris nō possunt se intromittere in causis criminalibus, procesando, capiendo &c. Clericos, & alias personas ecclesiasticas, sequitur dictam opinionem modo carere sua probabilitate fundata

datâ in illorum Doctorum auctoritate, & non in aliquo textu sacrorum Canonum, quorum nullus datur. Vide *Graff. in Bulla Cœnæ par. 1. decis. cap.* 18. qui dicit, Iudicem laicum posse punire Clericos minoribus tantum initiatos captos sine habitu, & tonsurâ non beneficiatos, num. 153. intellige, positâ declaratione, quòd non gaudeant Priuilegio clericali, vt ipse videtur insinuare *in praeced. num.* 151. *Vers. In his tamen.* & ratio est, quia positâ declaratione per Iudicem ecclesiasticum, cessat in eis ratio status ecclesiastici, ac proinde Iudex laicus dicitur agere contra laicum non Clericum.

Quæres 11. An Iudex secularis per capturam Clerici malefactoris siue cogniti, siue incogniti quò ad Clericatum, cum habitu clericali, siue sine illo, aquirat Ius procesfandi illum?

58 ℞. Nullum Ius contra illum aquirit, vt expresè dicitur in fine capitis *Si Iudex* 12. de sent. excom. in 6. his verbis: *Contra eum tamen interim quiuis processus Iudicis penitus conquiescat*. Nullum ergo actum iudicialem contra ipsum facere potest. Et iure meritò, quia Iudex laicus caret Iurisdictione ecclesiasticâ, quâ solùm mediante contra Clericum procedi potest.

Cõfirmatur, quia per capturã, quæ iniusta, & nulla fuit, nõ dicitur præuenisse excludẽdo Iudicẽ ecclesiasticum, præuentio enim supponit Iurisdictionem in Iudice præueniente, non dat illam non habenti, vt dicam infra in proprio capite de *præuentione*; & ideo S. Congreg. respondit, non obstante Præuentione Iudicis laici, adhuc Episcopum, seù alium Ordinarium posse iudicare suum Clericum, licet careat requisitis Tridentini, signum euidens, quod captura, vti iniusta nullum Ius illi tribuit.

Quæres 12. An Clericus debitor carcerari possit à suo Superiore?

59 ℞. Quamuis sit communis opinio, quòd Clericus pro debitis non possit carcerari, vt probant ex cap. Odoardus 3. de solut. vbi Barbosa citat Doctores. Tamen ne verbum quidem dicitur in textu, neque in Glos. de carceratione, sed solùm deciditur, quod si Clericus non habet, vnde soluat, & satisfaciat suis creditoribus non debet excommunicari, sed debet dare cautionem idoneam, vt si ad pinguiorem fortunam deuenerit, debita soluat, saltem iuratoriam, si non potest habere fideiussores, vel pignus; & certè si nimis pauper est, neutram cautionem inuenire poterit, & sic sufficiet iuratoria.

Quæres 13. An sit differentia capere Clericum cum habitu clericali, vel sine habitu in ordine ad vtrunque Forum?

60 ℞. Captus siue cum habitu, siue sine habitu adhuc gaudet Priuilegio fori, quamuis caruisset illo siue ante, siue post commissum delictum, & in ipso actu delicti non habuisset, in his enim casibus adhuc gaudet Priuilegio, ad cuius non gaudimentum expectanda est declaratoria Iudicis ecclesiastici, delictum enim non est causa amissionis Priuilegij, nec simplex ad tempus dimissio habitus, sed illius desertio declaranda per Iudicem ecclesiasticum, iuxta dicta cap. 6. num. 15. Quando ergo commisit delictum cum veste clericali, quamuis illa careret tempore capturæ, siue etiam ante, siue post commissum delictum, vt respondit S. Congr. apud *Dianam par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 32. *Farinac. q.* 8. *num.* 66. *Dal Bene cap.* 4. *dub.* 8. *num.* 20. cum multis alijs.

CAPVT DVODECIMVM.

De Remissione Clericorum Carceratorum.

SVMMARIVM.

1 *Remissio est transmissio Rei ab vno Iudice ad alium.*
2 *Remissio facienda præscribitur in* cap. Si Iudex 12. de sent. excom. in 6.
3 *De Clericatu, & eius requisitis cognoscit solus Ecclesiasticus.*
4 *Quæstio Iuris est eius dubitatio, an factum fuerit legitimè, in quo partes concordant.* Facti *verò est, cum partes concordant in iure, & super factum discordant.*
5 *De quæstione* Iuris *cognoscit Ecclesiasticus,* Facti *verò laicus.*
6 *Sed verius est, quod ille vtrũq; cognoscat.*
7 *Cum Clericatus in se, & requisitorum sit mere spiritualis.*
8 *Iudex cognoscit de suâ Iurisdictione.*
9 *De qua scilicet ex capax.*
10 *Qualitas Clericatus cum suis adiunctis est merè spiritualis nam.*
11 *Spirituale absorbet temporale.*
12 Cap. Si Iudex 12. de sent. excom. in 6. *fundatur in Iure diuino.*
13 *Et ideo locum in eo habere non potest, non acceptatio illius.*
14 *Nec consuetudo.*
15 *Contra Bullam Cœnæ Domini.*
16 *Veneti carcerant, & puniunt Clericos ex Priuilegio Pontificio.*
17 *Ecclesiasticus cognoscit omnes articulos super Clericatu.*
18 *De validitate promotionis.*
19 *An captus sit Clericus?*
20 *An gaudeat Priuilegio fori?*
21 *An habitus sit clericalis?*
22 *An habeat tonsuram?*
23 *An sit beneficiatus?*

24 An sit

24 *An sit Scholaris, an de Seminario?*
25 *An sit coniugatus?*
26 *Cognitio summaria non est facienda, quando notorium est captum esse Clericum.*
27 *Notorius Clericus dicitur Parochus, Canonicus &c.*
28 *Notorium non habet locum, vbi cadit aliqua dubitatio.*
29 *Talis praesumitur Persona, qualem demonstrat habitus.*
30 *Habitus sine Tonsura non probat Clericatum.*
31 *Captura facit Iudicem possessorem capti, dum manet bona fides.*
32 *Literis Ordinatoris visis, statim Clericus remittendus est.*
33 *F... in dubio ex Rota.*
34 *... potest Iudex retardare remissionem, & consulat Principem.*
35 *Consilium respicit futura incerta.*
36 *Remissio fit ad Curiam Episcopalem.*
37 *Si litera apparent falsa non remittitur.*
38 *Dicens se non gaudere Priuilegio adhuc remittitur.*
39 *Sicut, & qui dixit, se renuntiasse Priuilegio.*
40 *Captus remittitur, licet nec ipse, nec Episcopus petat.*
41 *Remittitur antequam discutiatur, an gaudeat Priuilegio fori.*
42 *Captus adhuc subditur Episcopo qui eum potest punire si vult.*
43 *Remittendus ante causam iudicatam.*
44 *Coniunctura non valet.*
45 *Iudex tenetur credere literis Ordinatoris.*
46 *Retardari non potest remissio ob expensas.*
47 *Limitare non potest Iudex tempus cognoscendi.*
48 *Contra morosum in cognoscendo nihil statuere potest.*
49 *Laicus non supplet negligentiam Ordinarij.*
50 *Nec aliud facere contra Reum.*
51 *Citandus est fiscus in cognitione Clericatus.*
52 *Reus mittitur ad Ordinarium loci, vbi deliquit.*
53 *Forus delicti fortior alijs.*
54 *Nisi sit praeuentus ab Ordinario domicilij.*
55 *Modo sit captus in foro delicti.*
56 *Iudex laicus non potest eum relaxare, sed debet mittere.*
57 *Birruarijs non creditur circa delationem habitus.*
58 *Protestatio fit ante remissionem.*
59 *Expensa fiunt a fisco, si Clericus est pauper.*
60 *Paulus Apostolus vti pauper missus fuit expensis fisci.*
61 *Processum cum Clerico non tenetur mittere Iudex.*
62 *Appellatio non datur in declaratoria.*
63 *Captus Religiosus mittitur ad suum Superiorem.*
64 *Episcopus non potest carcerare, nec processare Religiosum scandalosum.*
65 *Excommunicatus est Iudex nolens mittere Clericum.*
66 *Episcopus negligens quaerere Clericum subijcitur paenis.*
67 *Malefactores capti in Ecclesia reducuntur ad carceres ecclesiasticos.*
68 *Inter Iudices fit transmissio carceratorum, si petantur.*
69 *Differt hac à remissione.*
70 *Confrontatio quomodo fiat.*

DE REMISSIONE CLERICORVM CARCERATORVM.

REmissio Reorum est eorumdem transmissio ab vno Iudice ad alium, quod contingit *Primò*, cum Clericus captus per ministros Iudicis secularis remittitur ad carcerem Iudicis ecclesiastici, quem si is declarauerit non gaudere Priuilegio fori Ecclesiae, statim restituet Iudici seculari, qui eum capere mandauerat. *Secundò*, quando captus in Ecclesia reducitur ad carceres ecclesiasticos, & si probetur non gaudere Immunitate Ecclesiae consignatur Iudici seculari, qui praetendit esse suum subditum ad formam Bullae Gregorianae. *Tertiò*, cum petuntur carcerati à Iudicibus alterius dioecesis. *Quartò*, ex causa confrontationis ducuntur ab vno carcere ad alium alterius Iudicis. Praemissis subijcio quaestiones. 1

Quaeres igitur primò, a quo Iure deducatur remissio reorum ab vno carcere ad alium diuersorum Iudicum.

℞. In materia praesenti de Clericis deducitur ex cap. Si iudex 12. de sent. excom. in 6. cuius summa haec est. Si malefactor captus à Iudice laico dicit se Clericum, huius Rei cognitio ad Iudicem ecclesiasticum spectat. Et si nomine, vel publica fama, vel communi aestimatione habetur pro Clerico statim fit remissio. Item si prius se gerebat pro Clerico, & modò deprahensus fuit in habitu clericali. Si autem prius se gerebat pro laico, licet modò in clericali habitu depraehensus fuerit, non fiet remissio, donec fuerit de Clericatu probatum. Sed interim contra eum Iudex secularis in nullo procedet. Vide Sperellum decis. 17.& 132.& 133. vbi plura super dictum caput congesta. 2

Quaeres 2. Ad quem Iudicem spectet cognoscere de Clericatu, & caeteris requisitis, quando capitur Clericus ab executoribus Iudicis secularis? 3

R. Spectat ad Iudicem ecclesiasticum,
vt clarè deciditur in dictum cap. *Si iudex*
his verbis: *Ad Iudicem ecclesiasticum, quia*
de re ecclesiasticà, & spirituali, vocato ta-
men Iudice seculari, vel alio, cuius interest,
cognitio pertinebit. Et de hac decisione nul-
lus dubitare debet, cum sit clara. Ita om-
nes Canonistæ, quos hic citat Barb. latè,
Sperell. decis. 17. 132. *&* 133. *Ciarlin. cap.*
20. *à num.* 41. *Gratian. cap.* 191. *num.* 15.
Dal. Bene cap. 4. *dub.* 28. *Barb. Alleg.* 12.
num. 34.

Contrarium, quòd Iudex laicus cogno-
scat de Clericatu personæ captæ, docent
plerique apud dictum Barb. num 3. & sic
practicari in Gallijs, Hispanijs, & in Regno
Neapolitano, distinguendo duplex genus
quæstionis, *iuris* scilicet, & *facti*, super hanc
facti cognoscit Iudex laicus, super verò quæ-
stionem Iuris cognoscit solus Iudex eccle-
4 siasticus. Quæstio autem *Iuris* illa est, quan-
do partes sunt concordes circa factum, &
dubitant circa ius, vtrum illud factum legi-
timè interuenerit e. g. constat de Matrimo-
nio inito inter Paulum, & Paulam, dubi-
tatur an legitimè, & validè sit contractum.
Cyrus in l. Arethusa ff. de statu homin. num.
6. *Bald. lib.* 3. *cons.* 175. *fine*, *Barbosa se-*
nior in l. Titia 35. *ff. solut. matrim. Sperell.*
decis. 8 *num.* 58. Quæstio vero *Facti* dici-
tur, quando partes sunt concordes circa ius,
& tantùm dubitant circa factum, an scilicet
aliquid factum sit nunc, e. g. an præfati con-
traxerint matrimonium. *Bartol. in dicta l.*
Titia, num. 8. *ibi Barb.* 24. *Castrens. lib.* 2.
cons. 109. *num.* 2. *idem Sperell. fine.* In ter-
minis nostris de Clericatu quæstio *Iuris* cō-
sistit in eo, an legitimè, & validè promo-
tus sit ad Ordines *Facti* verò, quando dubi-
5 tatur an captus sit Clericus. De primà quæs-
tione cognoscit Iudex ecclesiasticus, de secū-
dà secularis inquiunt Doctores, quos citant
Barbosa in dictum cap. Si iudex 14. de sent.
excom. in 6. & Sperell. dec. 133. à num. 2.
Probant primò, quia quilibet Iudex cogno-
scit de suà iurisdictione *l. Si quis ex alienà*
5. *ff. de iudic. l.* 2. *ff. si quis in ius voc.* Se-
cundò, quia quæstio facti nihil spirituali-
tatis habet adiunctum, ergo ea tractari po-
test à laico Iudice. Tertiò, dictum cap. *Si*
Iudex in multis locis receptum non fuit, vt
patet ex dictis Regnis, & alijs locis, de qui-
bus Sperellus cit. dec. 133. num. 14. contra
se. Quartò demum est consuetudo inducta
contra illud cap. vt Iudices laici cognoscant,
an Clericus captus talis sit. Quibus tamen
non obstantibus.

6 Dicendum est, ad solum Iudicem eccle-
siasticum spectare cognoscere, an malefac-
tor captus sit Clericus, necne, esto hæc di-
catur quæstio facti, & licet de hac tantùm
loquatur textus, & omninò verum sit, quia
ea habet pro obiecto rem spiritualem, & ec-
clesiasticam, neque enim separari potest ab
hac quæstione licet sit facti ipse Clericatus,
dum principaliter eius titulus controuerti-
tur. Tamen id confirmatur: Tum quia in
exemplis allatis spirituale separatur à tem-
porali, vt notum est. Tum quia huiusmo-
di cognitio, de qua in textu, est actus iudi-
cialis, dum exercenda est à Iudice; sed Iu-
dex secularis est incompetens respectu Ec-
clesiasticorum, cum sit incapax iurisdictionis
ecclesiasticæ ex se, *cap.* 2. *num.* 118. *& cap.*
11. *num.* 13. ergo non potest cognoscere de
Clericatu. Tum quia Iudex secularis Cleri-
cum malefactorem nunquam habet sub sua
iurisdictione, nec illum sibi subditum acqui-
rit, etiam ratione delicti, nisi post declara-
tionem, quòd non gaudeat Priuilegio fori,
ex probatis cap. 9. num. 9. Tum quia Iudex
ecclesiasticus non obstante declaratione,
quòd Clericus non gaudeat priuilegio fori,
adhuc est illi subditus, & punire potest, an-
tequam consignetur Iudici laico *cap.* 6. *num.*
50. *cap.* 9 *num.* 11. etiamsi fuerit præuentus,
& captus a Iudice laico, vt respondit S. Con-
greg. cuius verba retuli *dicto cap.* 6. *num.* 51.
Tum quia Caracter clericalis, qui immedia-
tè ad positionem Sacræ Ordinationis à Deo
animæ infunditur tantæ efficaciæ est, vt
non possit deleri ab animà promoti, ad
quem sequuntur Priuilegia clericalia anne- 7
xa eidem Caracteri, ac proinde Clericatus
cum suis Priuilegijs in quocunque reperian-
tur non possunt exuere qualitatem spiritua-
litatis, neque proinde cadere possunt sub
cognitione Iudicis secularis, qui est incapax
iudicare spiritualia, & annexa spiritualibus.

Ad argumenta in contrarium responde- 8
tur ad primum, *ex Glos. V. Sciatur dicta l.*
2. *& ibi Bartol. Sperell. decis.* 133. *num.* 5.
ea iura loqui, quando controuersia viget in-
ter partes, tunc enim Iudex cognoscit de
sua iurisdictione, non verò si sermo sit du-
bitationis inter partem, & Iudicem, *vt dicit*
Glos. margin. dicti cap. 5. Dices tu, illa Iura
loqui de altercatione, inter Iudices eius-
dem rationis, qui sunt capaces iurisdictio- 9
nis eiusdem generis; in casu autem nostro
Iudex laicus non est capax Iurisdictionis ec-
clesiasticæ, ideo non potest de eà cogno-
scere, quia sua non est, & id colligitur ex
verbis eiusdem textus l. 5. ibi: *Prætoris*
enim est existimare, an sua sit iurisdictio,
ridiculum autem est existimare idest, dubi-
tare, an Iurisdictio ecclesiastica sit Iudicis
secularis, cum supponatur ex conditione
laicatus esse illius incapacem.

Ad secundum responderur, illud proba- 10
re ex suppositione, quòd quæstio facti nihil
contineat de spirituali, & ecclesiastico, vt
patet in exemplis allatis à Bartolo, & alijs,
in quæstione autem facti super Clericatu
mani-

manifestum est qualitatem, & titulum Clericatus aliud non continere in se nisi rem ecclesiasticam, & spiritualem, ac proinde id omne quod pertinet ad titulum Clericatus, Caracteris, & Priuilegiorum vsum, esse omninò spirituale, cum hæc omnia sint à Deo positione Ordinationis per Dei ministrum. Quòd si, si quid temporalitatis volunt fingere mixtum cum spirituali promotionis, & ad eam consequentis, opponitur illis illud commune pronuntiatum, quòd quali-
21 tas spiritualitatis absorbet qualitatem temporalitatis, *cap. Quod dubijs de consecr. Eccles. cap. Lator, cap. Suam l. 2. Qui filij sint legit. Puteus lib. 1. decis. 361. Rota par. 6. recent. dec. 42. num. 13. alijs citatis Sperell. decis. 133. num. 11.*

22 Ad tertium, quòd cap. Si iudex, non fuerit vsu receptum gratis asseritur, cum sit fundatum in iure diuino, ex probatis hîc cap. 2. cùm omnes Ecclesiastici maxime circa causas criminales sint exempti iure diuino, vnde non receptio in his cadere non potest, acceptatio enim Legis non habet
23 locum in Lege ecclesiasticâ declarante diuinam, *ex allatis à Diana p. 1. tract. 10. resolut. 1.* vt in casu nostro, ille enim textus declarat id, quod Deus concedit Ecclesiasticis, nempe, exemptionem à Iudicibus secularibus. Vide Sperellum de hac re num. 16. & seqq.

24 Ad quartum dico Primò, eam consuetudinem cum sit non tam contra ius canonicum, quàm diuinum, esse corruptelam, & nullius momenti, contra enim diuinas ordinationes nulla præualet consuetudo; de hac re infinitos refert Doctores vtriusque iuris, & Theologos in his terminis Sperell. dec. 133. num. 19. ad 40. Secundò, hæc consuetudo nullas vires recipere potest, nec præscribi, continuò obstante Bulla Cœnæ Domini, quæ omnes consuetudines contra exemptiones Ecclesiasticorum singulis an-
25 nis efficaciter destruit, *Gratian. cap. 52. num. 6. Fagnan. par. 6. ad cap. Peruenit, de adulter. num. 44. Ciarlin. cap. 154. num. 48. Sperellus decis. 37. num. 48. Barbosa decis. Apost. V. Præscriptio decis. 595. fine, Vrbanus VIII. in sua Bulla 47. post Append.* id expresse dicit. Demum Tertiò, quod in prædictis Regnis id practicetur, quod Iudex laicus cognoscat de Clericatu capti, non potest probare hanc consuetudinem esse rationabilem, dum continuò à Sacris Canonibus, & Bulla Cœnæ damnatur, sed potius dicendum est, Summos Pontifices gratiam fecisse Regibus, vt Iudices possent cognoscere de Clericatu captorum, vt docet Barb. super dictum cap. *Si iudex* num. 3. vt habent Veneti, *referente ex Gigas Farinac. q.*
26 *8. num. 4.* Et non sublata per Bullam Cœnæ Domini, vt colligitur excom. 29. ibi: *Sine speciali, & expressâ licentiâ huius Sanctæ Sedis.* Principibus enim licentias concessas iudicandi Clericos non sustulit.

Quæres 3. An cognitio omnium articulorum super Clericatu capti de mandato Iudicis laici spectent ad Iudicem ecclesiasticum, cui remittendus est captus se dicens Clericum, & personam ecclesiasticam? Omnes autem articuli reduci possunt ad sequentes *Primò*, super validitate Clericatus. *Secundò*, an captus sit Clericus? *Tertiò*, probato Clericatu, an gaudeat Priuilegio fori? Et cum ad eius gaudimentum pro Clerico Tonsurato, & etiam minoribus initiato requirantur tria, habitus clericalis, tonsura, & seruitium Ecclesiæ, an *Quartò* ab eodem cognoscenda sit quantitas, & qualitas habitus, an sit clericalis? *Quintò* qualis tonsura sit necessaria? *Sextò* quale seruitium Ecclesiæ faciendum? *Septimò*, an sit beneficiatus, casu quo careat illis requisitis? *Octauò*, qualiter in Seminario, vel in Scholâ sit? *Nonò*, an & qualiter sit coniugatus? & si qui alij articuli proponantur contra captum, ad excludendum illum ab vsu Priuilegij fori.

℞. Ad omnes istos articulos, & quoscunque alios prouidere debet Iudex ecclesiasticus, quia omnes pendent à radice Clericatus, à quò separari non possunt, dum ad personam captam referuntur non sub quacunque ratione, sed sub respectum Clericatus. Patet ex cit. cap. Si iudex ta. de sent. excom. in 6. ibi: *Ad Iudicem ecclesiasticum, quia de re ecclesiasticâ, & spirituali, cognitio pertinebit.* Manifestum autem est, dictos articulos esse de re ecclesiasticâ, & spirituali, quia respiciunt captum quatenus consideratur sub ratione Clericatus, qui est res ecclesiastica, & spiritualis, cui coniuncta sunt prædicta in articulis, qui non cognoscuntur nisi cum ordine ad Clericatum, ergo ad ipsum solùm spectant. Ita *Castropal. de Remer. p. 4. num. 7. Barbosa Alleg. 12. num. 33.* infinitos refert *Dal Bene cap. 4. dub. 28. num. 3.* Pro singulis articulis aliquid dicam citando Doctores. 28

Primus articulus de validitate promotionis cognoscitur à Iudice ecclesiastico etiam in sententiâ Aduersariorum, quia est quæstio Iuris, & simpliciter spiritualis, nimirum collatio Ordinis, quæ fit solum ab Episcopo, & Abbatibus quò ad Ordines Minores, & Tonsuram, ergo ab his tantùm Ecclesiasticis cognoscenda est, an fuerit valida. Ita *Vincent. Franchus decis. 182. ex eo Sperell. decis. 17. num. 46. Castropal. Barb. & Dal Bene* locis citatis.

Secundus, an captus sit Clericus? id spe- 29
ctat ad Iudicem ecclesiasticum cognoscere. Ita præcitati *cum Couar. cap. 33. quæst. num. 1. Gratian. cap. 190. num. 13. Grassus Eff. 1.*

concl. 1257. *Mar. Anton. lib.* 3. *resol.* 48. *num.* 3.

20 Tertius, an gaudeat Priuilegio fori? discutitur ab eodem, est enim Priuilegium ecclesiasticum. Ita omnes *cum. Sperello decis.* 17. *num.* 10. *Farin. q.* 8. *num.* 33. & 37. *Mar. Anton. num.* 4. *Ciarlin. cap.* 20. *num.* 42.

21 Quartus, an habitus sit clericalis, cognoscitur ab eodem, cum dubitetur de qualitate, quæ est ecclesiastica, & spiritualis. Ita *Sperell. decis.* 17. *num.* 43. & 45. & *decis.* 133. *num.* 42. *Conar. cap.* 33. *num.* 1. & alij supra citati, alios citat *Sanch. lib.* 7. *disp.* 46. *num. Ciarl. cap.* 20. *num.* 43. contra Ciarum *q.* 36. *num.* 11. *fine*, & *num.* 18. *fine* asserentem cognitionem, an habitus sit clericalis spectare ad secularem Iudicem, cum sit quæstio facti, in qua reprehenditur à prædictis, quia quæstio non versatur circa habitum materialiter acceptum, sed formaliter, an scilicet habeat aliquid de Clericatu, & non aliter spectatur, cum ergo qualitas spiritualis, & ecclesiastica in habitu quæratur, iudicare debet Ecclesiasticus. De habitu Clericali vide dicta cap. 6. num. 5. ad 18.

22 Quintus, an tonsura sit clericalis? iudicatur ab eodem, cum corona clericalis vti speciale signum, quo soli Ecclesiastici vtuntur, solius rei ecclesiasticæ rationem habeat. Ita *Mar. Anton. lib.* 3. *resol.* 48 *num.* 2. *Conar. cap.* 33. *num.* 1. De ea dixi *cap.* 6. *num.* 18. & 19

23 Sextus, an captus sit beneficiatus? iudicatur ab Episcopo, cum ius sit spirituale. Ita *Sperell. decis. num.* 46.

24 Septimus, an captus sit de Seminario, vel in Schola? deciditur pariter ab eodem, dum enim præscribuntur in Tridentino, intelliguntur commissa Episcopo, & eius Iudicibus. Vide quæ dixi cap. 6. num. 47. 48. 49.

25 Octauus, an captus qualiter sit coniugatus? resoluitur per Iudicem ecclesiasticum. Ita *Sperell. dec.* 17. *num.* 11. *Rota in Nouiss. decis.* 3. *de sent. excom.* & non remittitur, nisi prius probatis requisitis, ad formam *cap. Vn. de Cler. coniug. in* 6. De Clericis coniugatis cum vnica & virgine, qui soli gaudent Priuilegio fori criminalis dixi cap. 7. per totum.

Quæres 4. An hæc cognitio habenda sit à Iudice ecclesiastico respectu omnium Clericorum captorum antequam restituantur Curiæ ecclesiasticæ?

26 ℞. Bonifacius VIII. in eo cap. Si Iudex 12. de sent. excom. in 6. non esse habendam cognitionem, nec esse informandum Iudicem laicum, sed eum debere Clericum captum remittere ad Curiam ecclesiasticam in casibus sequentibus, verbis expressis: *Et si notorium fuerit, quòd idem malefactor sit Clericus, qui huiusmodi Priuilegio gaudere debeat, statim absque aliâ cognitione, vel famâ publicâ, de hoc extiterit, aut ipse pro Clerico communiter habebatur, incontinenti etiam ante cognitionem de Clericatu ecclesiastica Curia debet reddi. Idem esse censemus, si reus ipse ante deprehensionem pro laico se publicè non gerens, deprehensus fuit in habitu Clericali, tonsuram scilicet, & vestes deferens clericales, nam talem debemus Clericum donec constet de contrario, reputare*. Nulla cognitio, nulla informatio ex hoc textu mittenda est ad Iudicem laicum, 27 quando mandauit capturam personæ, quæ notoriè constabat esse Clericum, siue captus sit cum habitu, siue non.

Notorius Clericus dicitur Parochus, Abbas, Canonicus, &c. qui pro talibus apud omnes in loco cognoscuntur. Item, & ille qui semper detulit habitum, & tonsuram Clericalem, in quibus etiam captus fuit, tales enim personæ sic incedentes continuò patent oculis omnium esse Clericos, ideo nulla informatio de illis facienda est pro Iudice seculari, frustra enim certioratur ille, qui iam certus est, Reg. 31. in 6.

Quæres 5. Qualis cognitio requiratur, vt captus debeat statim remitti ad Curiam ecclesiasticam?

℞. Notorius Clericus statim remittendus 28 sine aliâ informatione, vt dictum fuit ex textu claro dicti capitis. Quoniam autem non habet locum vbi cadit aliqua dubitatio, *Millene in Repert. v. Possessorium recuper. agentis, Surd. consil.* 405. *num.* 24. *lib.* 3. *Bursat. tom.* 2. *consil.* 349. *num.* 7. *Sperell. decis.* 132. *num.* 12. & 13. Quare captus sine veste, sine tonsurâ cum habeatur pro laico ex habitu seculari, talis enim præsumitur, in quali habitu reperitur, *l. Item* 29 15. *§. Si quis ff de iniur. & in hoc cap. Si Iudex* 12. *de sent. excom. in* 6. Et cum quandoque captus in habitu clericali verè non sit Clericus, sed laicus, quia delatio habitus clericalis, & tonsuræ non probat Clerica- 30 tum, cum quis priuatâ auctoritate sine ordinatione vtrunque vsurpare de facto possit. Infertur, Iudicem laicum non teneri statim remittere Clericum captum sine habitu, vel cum habitu, de cuius Clericatu dubitari rationabiliter potest, nisi postquam vidit literas testimoniales Ordinationis in formâ probante. Ita omnes cum *Gratiano cap.* 190. *num.* 16. *Farinac q* 8. *num.* 36. *Grassus Effectu* 1. *num.* 33. *Sperell. dec.* 17. *n.* 20. *dec.* 133. *num.* 58. *Ciarlin. cap.* 20. *num.* 41. 67. & 68. *Idem Sperell. dec.* 17. *num.* 11. & *dec.* 132. *num.* 74. & 83.

Dices, Clericatu probato non esse statim remittendum captum sine veste, & ton- 31 surâ, cum in hoc casu Iudex secularis sit in possessione personæ captæ, cuius non esset possessor, si captus fuisset in clericalibus. Ita

Anchar.

Ancbar. conf. 239. *Decian. lib.* 4. *cap.* 12. *num.* 5. *Maranta de ordine Iudic. par.*4.*dist.* 11. *num.* 69. *Farinac. q.* 8. *num.* 36. *Gratian. cap.* 190. *num.* 16. *Scaccia lib.* 1. *de iudic. cap.* 11. *num.* 99. quos contra se citat *Sperell. decis.* 17. *num.* 5. Detinendus ergo est in carceribus donec constet, an gaudeat Priuilegio fori, ita quòd non sufficit sola ostensio, quòd sit Clericus.

32 ℟. Ostensis literis testimonialibus Ordinationis statim, & incontinenti esse remittendum, quia manifestè, & concludenter patet captum licet in vestibus secularibus esse verè Clericum. Ita omnes apud *Sperell. decis.* 14. *num.* 21. *Mar. Anton. lib.* 3. *resol.* 48. *num.* 24. *Barb. Alleg.* 12. *num.* 34. *Diana par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 27. quos in hoc sensu citat *Sperell. decis.* 132. *num.* 25. cum relatione ad num. 82. Et ita docent etiam citati in obiectione. Quare licet dicatur Iudex per capturam eius, qui gerebat se secularem in habitu, possidere captum bona fide, dum ignorabat esse Clericum; edoctus tamen de Clericatu incipit esse possessor malæ fidei, vnde si vult euitare censuras debet statim Clericum captum remittere ad carceres ecclesiasticas. Et certè ita facere

33 debet, vt fortiore argumento id probo, quia etiam Clericus, de cuius Clericatu dubitatur adhuc remittendus est ex Rota coram Seraph. dec 741. num. 5. à fortiori is de cuius Clericatu constat.

Quæres 7. An Iudex edoctus de Clericatu possit retardare ad effectum consulendi Principem?

34 ℟. Non posse, quia in claris non est opus consilio, hoc enim respicit non iam determinata, & certa, sed futura ambigua, &

35 incerta *Arist.* 3. *Ethic. Nauar. com.* 1. *de Regul. num.* 7. Ita tenet *Sperell. dec.* 17. *num.* 18. *&* 19.

Quæres 8. An captus remittendus sit in dubio ad Curiam ecclesiasticam?

36 ℟. Affirmatiuè, quando constat de Clericatu, & dubitatur de aliquâ aliâ qualitate, ratione enim Clericatus Iudex ecclesiasticus semper est possessor suorum Clericorum. Ita *Ægidius consil.* 20. *fine. Tusehus lit. C. concl.* 328. *num.* 25. *Seraph. dec.* 741. *num.* 5. *ex illis Ciarlin. cap.* 20. *num.* 49.

Quæres 9 An sit remittendus si literæ Ordinationis appareant falsæ?

37 ℟. Nullus est remittendus, donec realiter constet de veritate Clericatus. Ita *Sperell. dec.* 17. *num.* 42. *Vers Licet ex Tapia lib. de iure Regni tit. de Episcop. & cler.* Qui paulò ante cum *Baldo in l. Si qua* 22. *C. de Episcop. & cler. Alex. cons.* 8. *initio vol.* 1. *& consil.* 69. *vol.* 6. *Cepolla cons.* 10. *&* 11. *Decian. lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 112. dicit, Iudicem non debere anxiè adcurrere, an literis aliquid opponi possit.

Quæres 10. An remittendus sit ille, qui asserit non gaudere Priuilegio Fori?

℟. Adhuc remittendus est, constito Iudici, quod sit Clericus. Tum quia asserno carentiæ Priuilegij supponit in eo Clericatum, propter quem remittendus est. Tum quia an careat, nec ne, spectat ad Iudicem ecclesiasticum id declarare, non ad ipsum captum, vt dixi supra sub q. 3. Vers. Tertius, ergo ipse statim remittendus est sine vllâ retardatione. Vide *Sperell. dec.* 133. *à num.* 69. 38

Quæres 11. An Iudex remittat Clericum, qui non vult remitti, protestando se Priuilegio renunciasse?

℟. Adhuc remittendum esse, cum Clericus non possit directè, & immediatè renuntiare Priuilegio fori in præiudicium Ordinis, cui concessum est, non personæ, vt probaui cap. 2. num. 146. ad 150. Ita *Sbrozius lib.* 2. *de offic. Vicarij q.* 101. *num.* 11. *Decian. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 116. *Grassus Effectu* 1. *num.* 329. 39

Quæres 12. An iudice ecclesiastico captum non petente, remittendus sit?

℟. Maximè, constito de Clericatu, vt patet illis verbis; *Et is se Clericum dicens ad Curiam ecclesiasticam petat remitti* cap. Si iudex 12. de sent. excom. in 6. Immo si neque ipse captus, nec Iudex ecclesiasticus petant remissionem, adhuc remittendus est, quia Iudex laicus, sciens captum esse Clericum incipit esse possessor malæ fidei, ergo illum retinere non potest. Ita *Alex. de Nono cons.* 56. *à num.* 1. *ad* 9. *Bellet. in Disquis. Cler. tit. de fauore cler. person.* §. 2. *initio*, *Sbrozius lib.* 2. *q.* 191. *num.* 3. *Grassus Effectu* 1. *num.* 134. *Sperell. dec.* 17. *num.* 20. 40

Quæres 13. An Iudex possit retardare remissionem capti, donec constet de gaudimento Priuilegij fori?

℟. Constito de Clericatu non potest retardare, sed captum statim remittere debet ad Curiam ecclesiasticam, antequam decidatur, an gaudeat Priuilegio fori. Ratio sit, quia est possessor malæ fidei dum retinet alienum subditum. Ita docent *Couar cap.* 33. *num.* 1. *Marta par.* 2 *cap.* 32 *num.* 39. *Ciarlin cap.* 20. *num.* 41. *Grassus Eff.* 1. *num.* 334. *Sperell decis.* 17. *num.* 10. *dec.* 132. *num.* 38. *&* 39. *&* 64. quod verum puto, etiamsi sciret, Clericum captum non gaudere Priuilegio, Fori, quia Clericus nunquam dicitur amisisse Priuilegium fori, nisi per subsequentem declarationem faciendam per Iudicem ecclesiasticum, post quem actum Iudex laicus incipit habere iurisdictionem super Clericum declaratum non amplius gaudere Priuilegio fori, *ex probatis cap.* 6. *num.* 29. *cap* 9. *num.* 6. Et id confirmatur per Responsum S. Congr. a me rescriptum sub dicto cap. 6. num. 52. ibi: *Ne dum in causis, in qui-* 41 42

in quibus ijdem Episcopi, seu Ordinarij praeuenerunt, verùm etiam, in quibus non praeuenerunt, videlicet, si neq; à iure, neq; ab homine per declarationem seruatis seruandis factam, Priuilegijs clericalibus denudati, seu priuati sint. Necessaria ergo est declaratoria de gaudimentis Priuilegiorum, antequam Iudex laicus fiat dominus Clerici capti, ergo cum ante declarationem sit possessor malae fidei, remittere debet.

Quaeres 14. An remittendus sit ante causam iudicatam?

43 ℞. Affirmatiuè, sufficit enim ostensio Clericatus, quae ipsum constituat in malam fidem, si de illo dubitat. Ita *Sperell. dec.* 132. *num.* 39. *& seq.* contra Couar. *cap.* 33. *num.* 3. *Vers. Immo & hodie*, asserentem extare consuetudinem, captum non remitti, nisi postquam causa Clericatus per Sententiam Iudicis ecclesiastici fuerit terminata, & transierit in rē iudicatā, volentem per hoc dari

44 posse appellationem, de qua re infra. Cui respondeo, eam cōsuetudinem forsan practicari in illis partibus, sed non ita facile credendum est consuetudini simpliciter assertae, nisi probetur, *dictus Sperell. num* 40. In Italiā talis consuetudo non reperitur, cum ea parum vtilitatis sit carceratis, & praeiudicalis Ordini clericali, quando clarè constat ex litteris Ordinatoris captum reuera esse Clericum, nec aliquid illi opponere debet, nec anxius esse circa subtilitates iuris; alijs citatis Grassus Eff. 1. num 335. Et literis te-

45 stimonialibus de Clericatu Episcopi ordinatoris Iudex laicus credere tenetur, vt docet *Bald. in l. Si qua per calumniam C. de Episc. & Cler. num.* 5. *Sperel. decis.* 17. *num* 41. *& decis.* 132. *num.* 73.

Quaeres 15. An retardari possit remissio praetextu expensarum factarum in capturā, & carceratione;

46 ℞. Negatiuè, quamuis enim captus pro cibarijs, & alijs expensis teneatur soluere debitum, cum tamen Clericus pro debitis non possit carcerari, ex probatis cap. 11. num. 59. multò minus detineri. Ita *Probus ad Monachum in cap.* Si *iudex* 12. *de sent. excom. in* 6. *Sperell. decis.* 132. *num.* 61. citans *Aufrer. in Repet. Clem.* 1. *de offic. Ordin. num.* 76. quod expensae sint reficiendae. Addo ego, quòd pro capturā, & custodiā nihil debeat Clericus captus soluere, quando notorium erat, Clericum esse personam exemptam, vt quia erat Parochus, Canonicus, &c. iniqua enim & iniusta est talis captura, & carceratio, ergo nihil debetur.

Quaeres 16. An Iudex laicus possit limitare tempus Iudici ecclesiastico ad terminandum articulum an Clericus gaudeat

47 Priuilegio fori?

℞. Nihil horum potest, tum quia inferior non iubet maiori; Tum quia laicus non imponit legem Ecclesiasticis, nec suo Superiori, ex cap. Ex insinuatione de appellat. Ita *Mascard. concl.* 689. *num.* 1. *Bobadilla in Polit. lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 526. *cū illis Sperell. decis.* 17. *num.* 16.

Quaeres 17. quid dicendum si Iudex ecclesiasticus sit morosus in cognoscendo, an gaudeat Priuilegio fori, necne?

℞. Esto Iudex ecclesiasticus esset moroso- 48
sus, non ideo Iudex laicus aliquid contra ipsum statuere, neq; contra reum pendente cognitione procedere potest; illud patet ex dictis in praecedenti quaestione, & confirmatur, quia Iudex laicus non potest supplere negligentiam Iudicis ecclesiastici, *cap. Ex* 49
transmissa 6. *cap. Licet* 10. *de foro compet.* E contra verò Iudex ecclesiasticus supplet negligentiam secularis, vt ibidem dicitur, & huius differentiae ratio est, quia solus Iudex ecclesiasticus medetur peccatis, quae ex morā, & negligentiā oriuntur, non verò secularis, cuius est tantùm procedere circa temporalia, non spiritualia. Alterum, quòd non possit procedere tunc contra reum textus est expressus in dicto cap. Si Iudex, extremis verbis. Quicquid dicant nonnulli apud Mascardum conclus. 689. num. 2. & 3. asserentes posse laicum Iudicem ad vlteriora procedere, quando remissus esset morosus in probanda suā exceptione; sed cum id sit contra Priuilegia clericalia, & contra expressum textum, mox citatum, ideo reijciendi sunt, prout eos reijcit ipse Sperel. dicta dec. 17. num. 17.

Quaeres 18. Sed quid agere potest Iudex laicus, dum remissus manet in fortijs Ecclesiae?

℞. Certum est, quòd interim non potest 50
procedere contra illum, id prohibente Summo Pontifice in saepe citato cap. Si iudex 12. de sent. excom. in 6. concludente sic: *Contra eum tamen interim quiuis processus Iudicis penitus conquiescat.* Actus ergo, quos Iudex facit contra remissum, sunt ipso iure nulli, tum ex hac prohibitione efficaci per illam dictionem *Penitus* Barb. hac dict. fine. Tum defectu Iurisdictionis, quam Iudex non habet, nec recipit nisi post declarationem factam à Iudice ecclesiastico, quòd Clericus non gaudeat Priuilegio fori, *ex probatis cap.* 9. *num.* 9.

Verum quidem est, quòd captum Clericum interrogare potest, & capere informationem de illius statu, & si respondeat, se esse Clericum, opponendo hanc exceptionem, & probato Clericatu, vlterius procedere non potest, vt modo dixi, sed illum remittere debet ad ecclesiasticum Iudicem, ad quem spectat cognoscere, an habeat requisita ad gaudimentum Priuilegij fori, iuxta superius dicta in quaesitis. Interim autem ipse Iudex laicus opponere potest exce-
ptiones

ptiones contra probationes factas ad fauorem capti, & tandem datà per Iudicem ecclesiasticum Sententià declaratorià, quòd non gaudeat Priuilegio fori, tunc Iudex laicus contra Clericum tamquam contra laicum sibi restitutum procedere potest, & non ante. Quòd si Episcopus, vel Ordinarius velit ipse suum Clericum iudicare, siue gaudeat Priuilegio fori, siue non, cessando à declaratione, potest procedere in causà, & sententiam ferre, silente Iudice laico, qui obstante omissà declaratione, nullum ius accepit contra Clericum, vt declarauit S. Congr. cuius verba retuli sub cap. 6. num. 52. Vide *Sperell. decis. 17. num. 33. decis. 132 num. 20. & decis. 133. num. 84.*

Quæres 19. An dum cognoscitur causa Clericatus per Iudicem ecclesiasticum citandus sit Iudex laicus, & eius fiscalis?

51 ℟. Affirmatiuè, ex textu cap. Si Iudex 12. de sent. excom. in 6. illis verbis: *Vocato tamen Iudice seculari vel alio cuius interest.* Hoc enim est regulare, quod in causis vocantur interesse habentes, qui in præsenti causa sunt Iudex, & fiscus, ex causa capturæ Clerici, putantes posse illum punire, si declarabitur non gaudere Priuilegio fori. Ita docent *Archid. in eo cap. num. 1. Caball consil. crim. 11. num. 2. Bossius in Pract. de foro compet. num. 151. & 155. & tit. de cap. num. 40. Farinac. q. 8. num. 37. cum alijs. Sperell. dec. 17. num. 12.* qui addit citationem esse necessariam non solum in ipsa declaratione, sed etiam in probatione Clericatus; & in omnibus causam concernentibus dum probatur gaudere, vel non gaudere Priuilegio fori, hinc inde, dum per partes agitatur causa, qui subiungit, Grassium num. 1272. cum Baldo, & alijs, citationem sufficere in declaratione facienda, & non in alijs actibus?

Quæres 20. Ad quem Iudicem facienda est remissio Clerici delinquentis?

52 ℟. Ad Iudicem loci, in quo Clericus deliquit e.g. Clericus hic Parmæ occidit, & est Regiensis origine, seù domicilio, remittendus est ad curiam Episcopalem Parmæ, quia huic Episcopo delicti ratione est factus subditus, si quidem inter Forum originis,

53 domicilij, & delicti, fortior, & efficacior est Forus delicti, vt notaui cap. 10. num 6. & docent in præsenti casu, *Thesaur. decis. 90. num. 2 Vincent. Franchus decis. 37 num. 1. & 2. Lapus in hoc cap. 12. de sent. excom. in 6.* quamuis delictum sit inchoatum in loco originis, seù domicilij, & consumatum in loco delicti extra dicta loca, vt docet *idem Franch. num. 5. & 6.* Et ita docent *Abbas in cap. fin. de foro compet. col. 9. Vers. Nota tamen, Socin in cap. Postulasti. de foro compet. Couar. q. 11 Vers. quinto in delictis. Franchus cit. dec. 37. initio, Feder. cons. 2. num. 6. ex illis Sperellus decis. 17. num. 34.* qui num. 37. limitat, nisi præuentus sit per Ordinarium originis, seu domi- 54
cilij, *ex Anchar. in dictum cap.* Postulasti, *in 2. opposit. & ibi Socin. in 3. artic. princip. Franch. num. 3.* Et modo sit captus in loco delicti, aliter non *ex cap. 1. de Priuileg. in 6. Aretin. in cap. Licet, de foro comp. Felin. ibid. col. 4. Gram. cons. 27. num. 6. ex eodem Sperello.* Quando ergo non fuit captus in loco delicti, sed extra, remittendus est ad Episcopum, seu Ordinarium loci originis, seu delicti, cuius est cognoscere, an gaudeat Priuilegio fori.

Quæres 21. An Iudex laicus, postquam agnouit, eum esse Clericum, possit illum relaxare?

℟. Negatiuè, quia in hoc præiudicat suo 55
Iudici; procedit hoc, licet Iudex laicus putet, hunc esse innocentem, quia si talis est ex parte rei, talem quoque se probabit coram suo Iudice, qui non est præsumendus vindicator, sed iustus Iudex. Quidquid dicant nonnulli, quos citat, sed non sequi- 56
tur *Sperellus. decis. 17. num. 39.*

Quæres 33. An credendum sit satellitibus asserentibus se Clericum cæpisse sine habitu clericali?

℟. Negatiuè, quia id tangit vnum ex 57
punctis principalibus, quibus amittit potest Priuilegium, vnde illis credendum non est. Hinc est, quòd Iudex sum estatim informationem, quibus vestibus fuerit carceratus. *Sperellus dicta decis. 17 num. 40. decis. Foller. v. Audiantur excusatores num. 42 Baiard ad Clarum q. 36. num 16.*

Quæres 23. An Iudex aliquam protestationem facere debeat, quando Clericum captum remittit ad Ordinarium?

℟. Iudex in remittendo Clericum cap- 58
tum debet præstare sibi hanc clausula: *Saluo iure vindicandi quatenus de requisitis non consliterit.* Aliter non poterit amplius eum repetere, sed causa principalis ad Ordinarium pertinebit exclusiuè ad Iudicem secularem, quia mittendo Clericum videtur renuntiare ius suum. Ita *Aufrer. ad Capellam Tholos. dec. 117 fine. Craueta de Antiquit. part. 3. Vers Videamus num. 34. §. Sed non sola, Pacian. lib. 2. de probat. cap. 34. num. 49. Grassus. Eff. 1. num. 336. & 1276. ex illis Sperell. dec. 17. num. 31.* Addo ego parum nunc referre hanc protestationem, quia Ordinarius potest procedere contra Clericum in causa principali, nolendo declarare, an gaudeat Priuilegio clericali, necne, ex declaratione S. Congreg. iuxta quod dixi cap. 6. num. 52.

Quæres 24. Cuiusnam expensis fiat remissio Clerici capti?

℟. Si Clericus est pauper fit expensis fisci 59
laicalis, aliter ipse Clericus remittendus debet

bet

bet expendere. Primum ex parte pauperis probatur, quia S. Paulus, qui pauper erat, missus fuit Romam ad Cæsarem expensis fisci tribunalis Festi, & Agrippæ, vt notat *Aufrer. ad Capellam Tholosanam decis.* 100. *apud Sperell. dec.* 18. *num.* 4. quod autem Paulus esset pauper, dicitur *cap. Dilectissimus, cap. Quia tua, cap. Videntes* 12. *q.* 1. *Farinac. q.* 7. *num.* 39. *fine.* Et deducitur ex textu *l. Lex. Cornelia, §. Si quis librum, ibi:* Præm um constituitur *ff. de iniur. Bald. in l. Generaliter, §. His de præsentibus C. de appellat. num.* 4. *Aufrer. cit. cum alijs Sperell. dec.* 18. *num.* 6. *Vers. Qua tamen.*

60

Contrarium, quod Clerici pauperis remissio fiat expensis Ordinarij, seu fisci, docent *Lopez ad Diaz cap.* 125. *fine. Bonadilla in Polit. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 329. *tom.* 1. *& tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 8. *Couar. cap.* 33. *num.* 5. quos contra se refert Sperell. cit. num. 6. Ego autem legi Diaz, & Lopez ibi, nihil dicit in meo codice Veneto 1602. apud Societatem Venetam, Couar. hoc dicit, sed nullam adducit rationem, ideo cum alijs non audiendus, cum enim captura sit vitiosa, & petitio Ordinarij legitima, nescio, quo Iure Fiscus Ecclesiæ, qui vt.tur iure suo debeat facere has expensas, & non secularis, apud quem captus retineri non potest, ergo remittere illum debet cautè, & suis expensis.

Quæres 25. An captus remittendus sit cum copia Processus facti in Curia laicali?

61 ℞. Non tenetur Iudex laicus mittere copiam sui processus cum Clerico capto, quia nihil prodest pro Iudice ecclesiastico, cum processus post simplicem informationem, cognito Clerico, sit nullus, ac proinde non probet contra Clericum, vt colligitur *ex l. fin. C. Si non à compet. iud. cap. At si Clerici, de iudic. ibi Canon. Farinac. q.* 7. *num.* 43. *cum alijs Sperell. decis.* 18. *num.* 9.

Quæres 26. An Fiscus secularis appellet à declaratoria Ordinarij, quòd Clericus gaudet Priuilegio fori?

62 ℞. Non potest appellare, quando constat de Clericatu, & de gaudimento Priuilegij, vt docent *Bald. in l. Si qua C. de Episc. & cler num.* 5. *Alex. lib.* 6 *consl.* 149. *num.* 5. *Guazin. Defens.* 1. *cap.* 3. *num.* 7. *ex illis Sperell. dec.* 132. *num.* 70.

Confirmatur, quia non datur appellatio, vbi nullum est grauamen, ex vulgatis iuribus, in casu hoc, Fiscus laicalis, nec Iudex patiuntur aliquod grauamen, cum nullum ius possessorium habeant super personam Clerici, & nondum sit declaratum, non gaudere Priuilegio, & sic non sit de eius Foro, sed omnino de foro Ordinarij, qui propter eius culpam non debet priuari sua iurisdictione. Et id confirmatur ex Decreto S. Congregationis, quo censuit Iudicem ecclesiasticum posse punire Clericum carentem Priuilegio fori de qua dixi cap. 6. num. 52.

Quæres 27. Ad quem Ordinarium remittendus est Religiosus captus à ministris secularibus?

℞. Ostenso Professionis documento statim remittendus est ad suum Superiorem, cuius est punire suos subditos; neque in hoc casu agitanda est causa, an gaudeat Priuilegio fori, cum non subdatur decreto Tridentini cap. 6. sess. 23. de tribus requisitis? 63

Quæres 28. Quid si Regularis captus ducatur ad carceres episcopales, numquid Episcopus debeat illum remittere ad suum Superiorem, formando prius processum contra illum?

℞. Potest in opinione sequentium Doctorum formare processum, & capere informationem, ea ratione, vt occuratur seductioni testium, ne corrumpantur, & ne informatio destruatur ab ipso Regulari Ita docent *Genuens. cap.* 59. *num.* 3. *Pisaccius part.* 2. *cap.* 3. *num.* 43. *Barb. Allegat.* 105. *num.* 19. *Lauretus Franchus num.* 119. *in obseruat. Pasqualigi super eius controu.* qui num. 120. dicit hanc doctrinam esse reijciendam cum Nouario *in Lucerna Regul. v. Delinquentes, Peyrin. ad const.* 2. *Sixti IV. §.* 11. *num.* 63. *Cespede de exempt. regul. dub.* 238. Nam ex Concilio cap. 14. sess. 25. non colligitur huiusmodi informatio, neque de carceratione fit mentio, sed solùm dicitur, quòd *si notoriè deliquerit, vt populo scandalo sit, Episcopo instante, à suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum, seuerè puniatur.* Et idem Pasqual. ibidem refert duo responsa Sacræ Congregat. *Congregatio respondit, statim remittendum esse, etiam posito, quòd Superior nullam instantiam fecerit.* Item. *Episcopus non potest delinquentem incarcerare, vel processare, sed solùm instare apud Superiorem pro panâ.* Et reuerà nec duo responsa sunt conformia Textui Tridentini, in quo ne verbum quidem de informatione, neque de carcere, ergo gratis asseruntur. Quare ad rationem adductam a Sperello decis. 38. nume. 13. respondeo, nec testes seduci, nec informatio destrui, si Ordinarius statim remittat ad Superiorem regularem suum subditum, quem carcerare non poterat, dum enim à carceribus Episcopi recto tramite ad carceres regulares transmittitur, nescio quo pacto ab eo testes subornari possint, & informatio à Superiore suo capienda destrui, hæc enim suspicari nihil aliud est, quam malè sentire de proximo, quod non licet. 64

Quæres 29. An Iudex laicus nolens visis Clericatus literis statim restituere captum? Vel si cum dedecore eum remittat, sit excommunicatus?

℞. Est

℟. Est excommunicatus per text. *cap. Si quis suadente* 29. 17. *q.* 4. *attento cap. Nuper* 29. *de sent. excom.* ibi; *qui Clericos sine læsione tamen in custodia detinent.* Item *ex cap. Quoniam* 4. *de Immun. Eccles. in* 6. Ita docent *Bald. in l. Si quis* 22. *C. de Episcop. & Cler. num.* 5. *Gnidop. dec.* 77. 2. *fine, Gratian. cap.* 190. *num.* 5. *Sperell. decis.* 17. *num.* 48 *Nauar. consil.* 33. *de sent. excom. & idem Sperell. dec.* 132. *num.* 55. Et in eandem censuram incidunt, qui cum vituperio, & dedecore Clericum remittunt ad suum Ordinarium, violant enim Immunitatem ecclesiasticam, *ex eisdem apud Sperellum dec.* 17. *num.* 28. *&* 29. *& decis.* 132. *num.* 62.

Quæres 30. An Ordinarius negligens petere suum Clericum è manibus Iudicis laici incurrat aliquam censuram?

66 ℟. Episcopus, & Ordinarius quilibet negligens petere suum Clericum potest remoueri ab administratione, & puniri. *Ita Cassan. consil.* 38. *Lopez ad Diaz cap.* 62 *num.* 15. *&* 17. *Farinac. q.* 8. *num.* 66 *Vers. Amplia* 18. *Gratian. cap.* 190. *num.* 8. *Sperell. dec.* 17. *num.* 51. Vbi & periurus dicitur, quia iurat quantum poterit illos seruare illæsos, alter priuatur Episcopatu, *cap. Cum quidam, de iuretur* Et alijs suis Beneficijs, *cap* 2. *de rescr. cap. Querelam, de iureiur. ex Cassin. consil.* 38. *Grassus Effectu* 1. *num.* 330. *& seq.* Procedit, vt sub dictis pœnis sit petendus etiamsi nolit, vt docent *Foller. tit. Reperti culpabiles num.* 32. *Bart. in l. Præcepit C. de Canan. statut. Bald. in l.* 1. *ff. de rei vendic. Grassus* 329. *cum alijs Sperell. dec.* 17. *num.* 52.

Quæres 31. An Clerici, & alij malefactores ab Ecclesijs extracti conducendi sint ad carceres ecclesiasticas?

67 ℟. Affirmatiuè ex Bulla Gregoriana, quò ad laicos illis verbis: *Quodq; delinquentes laici prædicti, postquam vt præfertur, ab Ecclesijs, locisue sacris extracti, & capti fuerint ad carceres Curiæ ecclesiasticæ repont.* Et multò magis idem seruandum est ad fauorem status clericalis, ita quòd nullus ab Ecclesiâ extrahendus est, nisi de speciali licentia Episcopi cum interuentu personæ ecclasiasticæ, vt latius dicitur in eadem Bulla Gregorij XIV. de qua plura dixi in proprio tractatu.

Quæres 32. An Iudices requisiti transmittant ucitè malefactores ad suos Iudices, in
68 quorum territorio delictum commiserunt? Præmatto, hanc remissionem differre à restitutione Clerici capti à Iudice seculari, qui tenetur remittere illum, licet non petatur, quia super eum nullum ius aquisiuit; in hac autem necessaria est petitio in illa & non ista concurrit duplex carceratio; in priori Index ecclesiasticus cogit secularem ad remissionem si tacitur, non autem in hac, & alia patent in responsione.

℟. Remissio huius generis non fit, nisi petatur ab eo Iudice, in cuius territorio, mittendus graue perpetrauit delictum, subditus ratione domicilij, seu originis, à quo fugam arripuit post delictum; non autem si fuit subditus tantum ratione delicti; necessarium autem est, quòd petatur per literas authenticas continentes delictum iam esse probatum; & quòd agatur criminaliter; non obligatur autem mittere, nisi quando ambo Iudices sunt ab eodem Principe iubente missionem; mittere non potest, qui dedit saluum conductum. Hæc locum habent etiam inter Iudices ecclesiasticos respectu Clericorum. 69

Prima pars, quòd non mittantur, nisi petantur, probatur, quia missio hæc fit ad fauorem alterius Iudicis, ergo petere debet si vult gratiam. Ita docent omnes *Clarus q.* 38. *Farinac. q.* 7 *num.* 38. *Decian. lib.* 4. *ca.* 19. *initio ex illis Guaz. Defens.* 1. *cap.* 17. *num.* 2. 70

Secunda pars, quòd mittatur tantùm Subditus ratione originis, seu domicilij, non ratione delicti ad petentem, probatur, quia incola per fugam non desinit esse subditus, sicut qui erat aduena factus subditus præcisè ratione delicti pro eo tempore, quo reperitur in loco delicti. Ita *Socinus in cap. Proposuisti, de foro comp. num.* 14. *Farin. q.* 7. *num.* 27. *Guaz. num.* 3. 71

Tertia pars, quòd non mittatur, nisi visis literis testificantibus de probatione delicti, probatur, quia cum missio ordinetur ad punitionem, debet sibi constare de delicto. Ita *Clarus q.* 38 *Vers. Est autem. Farinac. q.* 7. *num.* 34 *Decian. lib* 4. *cap.* 19. *num.* 15. *Mar. Antan lib.* 3. *resol.* 33. *num.* 2. *Guaz. num.* 5. *&* 8. *& seq. Tusehus tom.* 6. *concl.* 152. *num.* 9. 72

Quarta pars, quòd delictum sit graue, probatur, quia missio huius generis est, ergo & graue delictum mouere debet Iudicem ad petendum. Ita *Clarus q.* 38. *Vers. Scias tamen, Farinac q.* 7. *num.* 36 *Decian. lib.* 4. *cap.* 19. *num.* 5. *Guaz. Defens.* 1. *cap.* 17. *num.* 11. 73

Quinta pars, quòd non adsit obligatio, nisi quandò sunt ambo sub eodem Principe, probatur, quia Iudex requisitus non subordinatur requirenti; nec par in parem habet imperium; nec vlla lex id præcipit, ergo nisi accedat iussio Principis vtriusque non obligatur. Ita *Clarus q.* 38. *Vers. Sed quid, Bossius de foro comp. num.* 51. *Farinac. q.* 7. *num.* 25. *Decian. lib.* 4. *cap.* 19. *num.* 10. *Bald. lib.* 4. *consil.* 18. *Guaz. Defens.* 1. *cap.* 17. *num* 23. *&* 15. 74

Sexta pars, quòd non mittatur habens saluum conductum, patet ex eius natura, qui importat assecurationem, ne offendatur.

P Ita

Ita *Clarus q. 28. Verf. Bene verum est, Guaz. D. fens. 1. cap. 17. num. 16.*

76 Septima pars, si agitur criminaliter, probatur, quia haec in isto ordinatur ad punitionem, ergo restringenda est ad causas criminales. Ita *Clarus q. 38. num. 23. Farin. q. 7. num. 37. Guaz. num. 12.* Alia vide apud ipsos, quae non videntur multum pertinere ad praesens institutum, in quo agitur de Clericis, respectu quorum fit quoque remissio, ab vno Episcopo ad alium Ordinarium iuxta exigentiam delictorum, & personarum. Impensae autem fieri debent per Iudicem petentem, habet enim interesse ex officio suo, & mittens vtigratiam faciens, de suo, aut sui fisci id facere non debet. Vide Sperell. decis. 18. & ex Doctoribus ab eo citatis aliquid colligere poteris.

Quaeres 33. An quando facienda est confrontatio Rei cum personis alterius Iudicis, remissio fiat ad carceres Rei patientis confrontationem, an ad carceres agentis confrontationem.

77 Re. Remissio fiat à carcere agentis ad carcerem patientis, actor enim sequitur forum Rei; & minus periculum est in remissione eius, de cuius damno non agitur, quam eius, de cuius damno tractatur. Quare Iudex Ecclesiasticus pro confrontatione sui Rei potest petere à Iudice laico, vt remittat sibi suum carceratum, & è contra.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

De Probatione Clericatus.

SVMMARIVM.

1 *Probatio est demonstratio rei dubiae per medium legitimum.*
2 *Per testes, per literas authenticas, per indicia indubitata.*
3 *Iuramentum defectu aliorum, est enim species probationis.*
4 *Confirmatio veritatis.*
5 *Clericatus non praesumitur, cum sit quid facti.*
6 *Homo nascitur laicus, vnde prior est status laicalis, quam clericalis.*
7 *Probatur Clericatus primò per literas authenticas Ordinatoris.*
8 *Secundò, per librum Ordinatorum.*
9 *Tertiò, per literas peregrinationis.*
10 *Quartò, per expressionem Clericatus in sententia latâ.*
11 *Quintò, per assertionem Cardinalis.*
12 *Sextò, per attestationem Notarij.*
13 *Septimò, per Bullas Dataria.*
14 *Octauò, per probationem Canonicatus.*
15 *Nonò, per collationem Beneficij.*
16 *Decimò, per remissionē ad curiā Episcopl.*
17 *Vndecimò, per exhibitionem etiam solam Hostiariatus.*
18 *Summa minor continetur in maiori.*
19 *Promotus per saltum nullus praesumitur.*
20 *Duodecimò, per confessionē partis aduersae.*
21 *Tertiodecimò per exercitiū Ordinis sacri.*
22 *Quartodecimò, per publicam famam, & vocem.*
23 *Quintodecimò, per communem reputationem.*
24 *Iuramento demum probatur.*
25 *Omnes praedicti modi probant Clericatum.*
26 *Testes duo requiruntur.*
27 *Vnus non sufficit, vbi agitur de praeiudicio tertij.*
28 *Clericatus de sui naturâ nulli praeiudicat nisi extra se.*
29 *Testes duo licet singulares sufficiunt.*
30 *Non omni exceptione maiores.*
31 *Etiam in matrimonio carnali.*
32 *Non rogati sufficiunt.*
33 *Testes debent reddere rationem sui dicti.*
34 *Nouitiatus quomodo probetur.*
35 *Professio quomodo probetur.*
36 *Scribens in libro, se sponte professisse adhuc reclamare potest.*
37 *Liber legalis probat.*
38 *Libri defectu, Professio probatur per testes.*
39 *Testes tales esse debent, quales in probatione Clericatus.*
40 *Religiosi possunt esse testes in hac causâ.*
41 *Literis Praelatorum authenticis creditur.*
42 *Possessio Clericatus quomodo probetur.*
43 *Possessione probata, fiscus debet probare contrarium.*
44 *Literae extranei Ordinatoris probant Clericatum, & datam.*
45 *Licentiam, si eam allegat in suis.*

DE PROBATIONE CLERICATVS.

Dictum fuit in praecedenti capite, Clericum captum ex mandato Curiae secularis ignotum hac qualitate, se asserentem Clericum, debere probare titulum sui Clericatus, aliter forum declinare non poterit. Ideo hic agendum est de probatione Clericatus. Praemitto, quòd probatio, quae est demonstratio rei dubiae per medium legitimum, *Glos. initio C. de Probat.* fieri potest 1 quatuor modis. Primò per testes; Secundò 2 per instrumenta, & authenticas literas; Tertiò per indicia indubitata, *l. fin. C. de probat.* Quartò demum per iuramentum, est enim confirmatio veritatis, *cap. Et si Christus 26. de iureiur.* Et pro veritate habetur *l. Nam postea 9. ff. de iureiur.* Habet vim probationis *l. Sed & si ss. §. Si eum. ff. eod.* Et datur 4 solum

solùm in defectum aliarum probationum,
l. Tutor 35. eod. Est enim medium subsidia-
rium, vnde non admittitur, stante præ-
sumptione scientiæ, neq; cum aliquid est
notum, *Decius in cap. Cognoscentes, de con-
stit. num.* 46. 47. *&* 48. His præmissis,

Quæres 1. An præsumatur Clericatus?
An verò sit probandus?

5 ℞. Non præsumitur, sed probandus est
ab asserente illum, omnis enim homo nasci-
6 tur laicus, *Decian. lib.* 4. *cap.* 6. *num* 117.
Ciarlin. cap. 20. *num.* 4. & deinde fit Cleri-
cus, vnde prior est status laicalis, quam cle-
ricalis, cum illo enim homo nascitur, & ab
eodem per sacram promotionem transit ad
statum clericalem, status ergo laicus, & se-
cularis originem trahit à natura, à qua dici-
tur naturalis, clericalis verò & ecclesiasticus
procedit à diuina ordinatione ministerio E-
piscopi, ad quē ex officio pertinet ordinare,
& de laico facere Clericum per sacram Ton-
surationem. Ex his infertur assertum Cleri-
catum esse probandum, vt docent omnes
cum *Ciarlin. cap.* 20. *num.* 4. *Castropal. de
Reuer. p.* 4. *num.* 2. *Mascard. concl.* 302.
num. 13. *infra citandis*.

Quæres 2. Quibus modis probatur Cle-
ricatus?

7 ℞. Multis modis, & primò quidem po-
tissimùm per literas authenticas ipsius Ordi-
natoris, *ex cap. Post cessionem* 7. *de probat.
iuncta Glos. v. literas.* Et ita docent *Gra-
mat. dec.* 81. *Seraphin decis* 713. *num.* 1.
Rota par. 4. *tom.* 2. *decis.* 67. *num.* 4. *Rota
part.* 5. *decis.* 34. *num* 3. *decis.* 348. *num.* 4.
decis. 385. *num.* 14. *part.* 6. *decis.* 101. *num.*
2. *Caualer. decis.* 483. *num.* 6. *Ottobon. dec.*
130. *num.* 3. Debent autem literæ esse au-
thenticæ, hoc est subscriptæ ab Episcopo
ordinatore, vel à Cancellario illius, seu e-
tiam à Secretario Episcopi, & sigillatæ, vt
colligitur ex citata Glos. v. Literas. Inter
autem probationes Clericatus hæc est po-
tissima, cum procedat de manu Ordinato-
ris, vel eius Cancellarij, qui interfuit Ordi-
nationi.

8 Secundò liber ordinatorum, quem appel-
lant *la Vacchetta*, reseruatus in Archiuio E-
piscopali cum cæteris scripturis probat Cle-
ricatum, cum ex eo tamquam ab originali
extrahantur literæ testimoniales Ordinum
susceptorum, si enim creditur copiæ authen-
ticæ propter originale, à fortiori ipsi origi-
nali, secundum illud Aristotelis: Propter
quod vnum quodq; & illud magis, Ita docet
*Felin. in dictum cap. Post cessionem, de pro-
bat. num.* 3. *Crauetta consil.* 134. *num.* 41.
Mascard. concl. 305. *num.* 2. *cum alijs Spe-
rell. dec.* 17. *num.* 23.

9 Tertiò probatur per literas commendati-
tias, seu peregrinationis, in quibus proprius
Ordinarius appellat Clericum suum subdi-
tum, *ex allatis à Sperello dec.* 17. *num.* 21.

Quartò probatur quoque si in sententiâ 10
latâ per Iudicem ecclesiasticum sententiatus
vocetur Clericus. *Seraphin. dec* 713. *num.* 3.

Quintò probatur per assertionem Cardi- 11
nalis dicentis, talem personam esse Cleri-
cum. *Bald. in Proem. Decret. num.* 23. *Ar-
chid. in cap. Nihilominus, dist.* 90. *ex illis
Mascard. concl.* 305 *fine.*

Sextò probatur per attestationem Nota- 12
rij, vt docet *Seraphin. decis.* 755. *num.* 1.

Septimò probatur ex Bullis Datariæ, nam 13
Datarius non concedit literas, nisi prius iu-
stificato Clericatu. *Merlin. dec.* 896 *num* 1.
vbi citat *decis.* 78. *Ludouis. num.* 5. *& dec.*
490. *num.* 6. *& par.* 2. *decis.* 523. *initio.*

Octauò ex Canonicatu probatur Clerica- 14
tus, quia Canonicatus non confertur nisi
Clericis. *Rota part.* 8. *decis.* 166. *num.* 48.

Nonò ex Beneficio collato probatur Cle- 15
ricatus, Beneficia enim non conferuntur
nisi Clericis, cap. 6. sess. 23. Ita *Probus ad
Monachum in cap.* 1. *de temp. ordin in* 6.
num. 10. *Vers. Et quod tacita, Gabriel. lib.*
2. *cons.* 181. *num.* 55. *&* 57. *Paris. lib.* 4. *de
resig. q.* 2. *num.* 68.

Decimò probatur per remissionem fac- 16
tam personæ Curiæ ecclesiasticæ per Iudi-
cem laicum, vt asserit *Seraphin. decis.* 713.
num. 4.

Vndecimò, probatur Clericatus exhibi- 17
tione testimonialium Literarum vnius ex
Ordinibus etiam Hostiariatus, nemo enim
fit Hostiarius nisi prius fuerit promotus
ad Primam Tonsuram, nec promoue-
tur ad maiores, nisi initiatus minoribus,
eorum enim receptio gradatim facienda est.
Probatis ergo Ordinibus minoribus, est pro-
batus Clericatus. Ita *Puteus lib.* 2 *dec.* 134.
num. 5. *Bald. in l. De solemnibus, C. de fide
instr. Rota par.* 5 *dec.* 126. *num.* 3. *Riccius
par.* 2. *dec.* 113. Et in hoc nulla debet esse
difficultas, quia sicut summa minor est in 18
maiori, *l.* 1. *§. Si stipulanti ff. de verb. ob-
ligat.* Et cum nullus præsumatur promotus
per saltum, cum hic saltus sit peccaminosus,
ita initiatus Hostiariatu, censetur recepisse 19
Primam Tonsuram, quæ est minor Ordi-
nibus.

Duodecimò probatur ex confessione par- 20
tis aduersæ. *Rota par.* 7. *decis.* 162. *initio,
Grassus in Prælud num.* 201. *Nouar. de elect.
fori sect.* 2. *q.* 53. *num.* 19. Vnde si captus à
foro seculari, & coram Iudice renuntiat
Clericatui volens esse subiectus illi Iudici,
sperans sibi profuturum, vel quia in breui
speratur gratia Principis ob filium Primoge-
nitum mox nasciturum, Iudex secularis ta-
lem admittens renuntiationem, fatetur in-
de, & probatur per ipsum Clericatus, vnde
si petatur ab Episcopo, remittendus est sine
ostensione, & probatione Clericatus, neq;

Digitized by Google

Iudex tueri se potest ex renuntiatione, quæ
nulla fuit, ex probatis cap. 2. num. 146.
ad 150.

21 Decimò tertiò probatur Clericatus per
exercitium Ordinis sacri, vt quia visus fuit
canere cum manipulo Epistolam, seu Euan-
gelium cum stola, seu celebrare Missam,
per hos enim actus, qui non nisi à Clericis
exercentur probatur Clericatus. De cele-
bratione *Rota par. 1. dec. 629. num. 3. par.
2. decis. 252. num. 6. & par. 4. tom. 1. dec.
343. num. 2.*

22 Decimò quartò probatur per publicam
famam, & vocem *ex cap. Si Iudex 12. de
sent. excom. in 6. Rota par. 1. dec. 613. num.
4. par. 2. dec. 116. num. 3. par. 8. dec. 44.
num. 5. & 19. Par. 9. dec. 233. num. 1. dec.
371. num. 8. Merlin. dec. 160. num. 3. Bald.
in l. Si solemnibus, de fide instr. Rota par. 3.
dec. 562. num. 5. Verallus decis. 277. Sperell.
decis. 17. num. 26.*

23 Decimò quintò probatur per commu-
nem reputationem, quia scilicet habitus
fuit, & communiter reputatus Clericus per
plures annos, vt quia continuò gessit habi-
tum, & clericam, & exercuit actus clerica-
les. Colligitur *ex cap. Si Iudex 12. de sent.
excom. in 6.* Ita Innoc. *in cap. Innotuit, de
eo, qui furt. ord. Gabriel. lib. 2. cons. 181.
num. 52. & 57. Paris. lib. 4 de Resign. q. 2.
num. 70. Rota par. 7. dec. 162 num. 2. Gras-
sus in Prælud. num. 204.*

24 Demum iuramento quoq; probatur Cle-
ricatus, & in subsidium, quando scilicet
nullum habetur aliud medium ad illius pro-
bationem. Ita *Claudius Tutius Allegat. 19.
num 3. ex eo Rota par. 7. decis. 159. num. 11.*

Quæres 3. Ex quonam ex prædictis mo-
dis probatur Clericatus in ordine ad remis-
sionem capti asserentis se Clericum?

25 ℞. Quilibet illorum modorum sufficit ad
probandum Clericatum, cum non possint
haberi litteræ testimoniales Ordinatoris.
Singuli enim ex illis modis concludenter
probant titulum Clericatus, vt constat ex
hactenus dictis. Excipitur tamen iuramen-
tum ipsius Clerici, cui in hoc non creditur,
cum agatur de eius interesse declinandi sci-
licet forum. Et ita docent præcitati, maxi-
mè Sperellus.

Quæres 4. Quot testes requirantur in
probatione Clericatus, quando desunt li-
teræ testimoniales?

26 ℞. Vnus testis non sufficit, cum agatur de
præiudicio tertij nimirum fisci, & Iudicis,
vnicuique enim propria iurisdictio seruan-
da est, aliter ordo confunditur, *cap. Peruer-
nie 39. 11. q. 1.* Vnico enim testi non credi-
tur, quando agitur de interesse alterius, cui
potest præiudicari. Ita *Farin. q. 87. num. 42.
Marta par. 2. de iurisd. cap. 31. num. 6. cum
multis alijs Barb. ad cap. Si Iudex 12. de
sent. excom. in 6. num. 3.* Quare cum agatur 27
hic de præiudicio tertij nempè de Iurisdic-
tione, quæ est res magni momenti, duo tes-
tes sunt necessarij. Ita *Couar. cap. 33. quæ-
stionum num. 3. Rota par. 2. decis. 509. num.
2. Farinac. q. 8. num. 41. cum alijs Barb. ad
dictum cap. num. 12.*

Contrarium, quòd sufficiat vnus testis,
docent plerique apud *Barb. cit. num. 13. No-
uarium de elect. fori sect. 2. q. 53. num. 24.*
Rationem reddunt, quia Clericatus est ac-
tus, qui inspectà eius naturà nulli præiudi-
cium infert. Sed reuera hæc opinio in mate- 28
rià remissionis est improbabilis, & Couar.
eo cap. 33. num. 3. appellat temerariam.
Quare esto Clericatus de se nulli noceat,
cùm sit res sancta, tamen relatiuè spectatus in
ordine ad personam respectu Iurisdictionis,
importat præiudicium, vnde requirit ple-
nam probationem, quæ perficitur depositio-
ne duorum ad minus testium, cum desunt
literæ testimoniales.

Quæres 5. An hi duo testes sufficiat, quòd
sint singulares? an debeant esse contestes in
actu, quo probatur Clericatus?

℞. Non est necessarium, quòd sint con- 29
testes, sed sufficit, quòd sint singulares in
actibus diuersis, & etiam in tempore, quia
Clericatus aquiritur diuersis actibus, & suc-
cessiuis, nam laicus prius tonsuratur, & post
aliquas preces, & orationes induitur Cotta,
idem seruatur in collatione Ordinum, nam
promouendus non semel accedit coram Or-
dinatore, sed pluries, ergo ordinatio pro-
bari potest ex diuersitate actuum, & tempo-
ris, quis enim interfuit tonsurationi, & re-
cessit, alter verò superueniens vidit Episco-
pum induere Clericum Cottà. Idem accidit
in probatione Clericatus per actus ipsorum
Ordinum exercitos diuersis in locis, & tem-
poribus, quos soli ordinati facere possunt
iuxta dicta sub num. 21. Quod sufficiant te-
stes singulares docent *Angel. in l. 2. ff. de te-
stam. aper. Bertach. v. Clericus, Gram. cons.
110. num. 4. cum. alijs Grassus in Prælud.
num.* 217. Ea ratione, si enim sufficit vnicus
testis, à fortiori duo licet non sint contestes.

Quæres 6. An debeant esse omni excep-
tione maiores?

℞. Negatiuè, cum in cap. Si Iudex 12. 30
de sent. excom. in 6. id non exprimatur.
Confirmatur, quia valet argumentari à
Matrimonio carnali ad spirituale, cuius-
modi est Clericatus, & Professio regularis
nuncupata Matrimonium spirituale, Barb.
loco 70. sed in Matrimonio carnali proban-
do non requiruntur testes omni exceptione
maiores, de communi Doctorum *apud Bar-* 31
bosam ad cap. 1. sess. 24. num. 121. vbi, quòd
consanguinei, domestici, infames, & fæmi-
næ sufficiunt, ergo idem dicendum de te-
stibus respectu Clericatus.

Quæres

Quæres 7. An debeant esse rogati?

32 ℞. Negatiuè, quia in Matrimonio carnali non requiruntur, *Nauar. conf. 11. de cland. dispens. Barb. alleg. 32. num. 139. & in Trid. sess. 24. ad cap. 1. num. 134. Sanchez lib. 3. disp. 41. num. 7.* ergo nec in spirituali, vt docui cap. 18. de profess. Regulari num. 111. in vtraque editione.

Quæres 8. An huiusmodi testes debeant reddere rationem sui asserti?

33 ℞. Affirmatiuè, dicendo. Est clericus, quia vidi eum ordinari ab Episcopo N. in tali loco; quia Episcopo assistebam in actu Ordinationis, per quam hunc ordinauit. Item vidi canentem illum Euangelium solemniter paratum etiam cum Stola. Vidi Missam celebrantem publicè, &c. Ita citati sub num. 21. supra, ita *en Grasso in Prælud. num. 210. Nouarius sect. 2. q. 53. num. 13.* Vbi ex eo dicit, non probare rationem sui dicti, quia viderunt talem exercere officia ad Clericos spectantia, & etiam missas celebrare, qui nisi celebratio sit diuina, huiusmodi ratio non esset sufficiens, & consequenter tales non probarent. Exercitium ergo horum actuum, scilicet, canend Epistolam, Euangelium, & celebrandi Missam debet esse diuinum serio factum, & cum solemnitate sacrarum scilicet vestium. Et sic intelligendi sunt illi Doctores.

Quæres 9. Quomodo probetur aliquem esse Nouitium alicuius Ordinis, cuius habitum recipit?

34 ℞. Eisdem modis, quibus probatur Clericatus, nam in libris Monasterij notatur ingressus, & receptio habitus singulorum Nouitiorum; per extractionem igitur notatæ receptionis habitus Nouitiorum in forma authenticâ, hoc est, subscriptæ, & sigillatæ à Superiore Monasterij probatur illum esse Nouitium. Si desit liber, probatur per testes, qui viderunt eum recipientem habitum solemniter, vel conuersari cum illis in Choro, in Refectorio, in Processionibus cum gestatione habitus religiosi. Et sufficiunt testes duo cuiuscunque conditionis, iuxta dicta de testibus pro probando Clericatu.

Quæres 10. Quomodo probetur quem esse Professum?

35 ℞. Probatur primò per librum Nouitiatus præscriptum in Constit. Clementis VIII. pro Nouitijs, his verbis: *Superior cuiuslibet Conuentus, in quo Nouitiatus fuerit constitutus, particularem librum habeat, in quo vniuscuiusq; Nouitij Professio registretur, illamq; Nouitius professus propria manu. & duo testes, qui præsentes fuerint, subscribant. Conuersus verò literarum ignarus professus in eorumdem testium, qui se subscripserunt, præsentia; propria manu signum Crucis apponat. Asseruetur q; liber, & custodiatur in Archiuio, vbi scriptura ad Monasterium, seu Conuentum pertinentes reponi consueuerunt.* De hoc libro facit mentionem Donatus *Ordinis Prædicatorum in suo opere de Rebus Regular. par. 4. tract. 10 q. 4. num. 6. 7. & 8.* Subiungens, quod S. C. mandauit, 36
Nouitium subscriptioni debere addere ætatem suam, & fateri per scripturam se spontè esse professum. Id non placet, quia si metu profitetur, metu etiam scribet sponte se professe, & ideo per hoc non dicitur ratificare suam Professionem, si inuitus professet, quia etiam coactè, & materialiter tantùm scripsit: *Spontè professionem emisi*; scripsit ergo manu, non mente, mutando voluntatem, vnde per hoc non impeditur à reclamatione. Liber autem huiusmodi sanè probat, cum sit legalis, lege scilicet Pontificiâ institutus, sicut enim probant alij libri legales e.g. liber Baptismi, *Mandos Reg 18. q. 210. num. 4. Gratian. cap. 155. num 14. & cap. 767. num. 47. Ego cap. 7. de profess. regular. num. 17.* ita & iste, cum sit legalis. 37
Quare copia extracta cum subscriptione, & sigillo Superioris regularis firmata probabit, ac si esset publicum instrumentum per Notarium signatum.

In defectum libri Professio probatur per 38
testes, qui fuerunt præsentes, dum Nouitius Professionem emisit. Ita *cap 4. 20. q. 2. cap. Nuper 51. de testib. Bald hic num 5. Felin. num. 1. Aretin. num. 4. de testib. Berous lib. 1. consil. 29. num. 10. Caualer. decis. 271. num. 4. Barbosa ad idem cap. 51. de testib num. 3. Scotus in 4. dist. 38. q Vn. versi. Duo, Ego cap. 18. de Profess. regul. num. 311.*

Quæres 11. Quales debeant esse testes probantes Professionem capt.?

℞. Tales, quales requiruntur in proba- 39
tione Clericatus, eodem enim passu currit probatio vnius, & alterius, maximè in hac causâ remissionis capt. ad Curiam ecclesiasticam. Etiam eiusdem Ordinis religiosi possunt esse testes in præsenti materiâ, ipsi enim id melius sciunt præ cæteris Et ita do- 40
cent *Canon. in cap. Nuper. de testib. Abbas, Felin. & Bald. Mascard concl. 1243. num. 29. Ego tom. 5. Impress. Lugdun. cap. 18. num. 111. de Profess. regul. & ibidem Impress. Veneta.*

Quæres 12. An Episcopi literis authenticis, & Prælati regularis, teneatur credere Iudex secularis, quòd captus sit Ecclesiasticus?

℞. Affirmatiuè, quia fidem indubitatam 41
faciunt literæ Superiorum per ipsos subscriptæ, & sigillatæ, *Glos. v. Authenticas, cap. Cum in ecclesijs 10. de maior. Glos v. Literas, cap. Post. cessionem 7. de Probat. Barb. ibidem. num. 2.* Et ita docet Sperell. in his terminis *dec. 132.* num. 73.

Quæres.

Quæres 13. Quomodo quis dicatur esse in possessione Clericatus?

42 ℞. Qui per decennium incessit in habitu; & tonsurà, & seruitio Ecclesiæ dicitur esse in possessione Clericatus, *per Mascard. concl. 302. num. 6. & 304. num. 18. Vbi num. 6. ex Rota in Nouis. dec. 2. de filijs Præsbiter. in Addit. 2. num. 5.* etiam per triennium.

Quæres 14. Quid si captus probet possessionem Clericatus, sed non titulum, sit remittendus cum hac solà probatione possessionis?

43 ℞. Remittendus est, quia hactenus pro Clerico habendus est, donec fiscus secularis probet contrarium, quòd scilicet non sit Clericus, vt docet *Viuian. lib. 6. de Iurepatr. cap. 1. num. 50. & 51. quem citat Nouar. sect. 2. de elect. fori q. 53. num. 8. alijs citatis*, Videtur hoc procedere cum Clerico incolà, non verò extero, & vltramontano; remanet ergo, quòd in hoc casu validè probabilis sit opinio, quòd obligatio probandi captum non esse Clericum transferatur in fiscalem, vt docet *Grassus in Prælud. num. 225.*

Quæres 15. An literæ patentes extranei Episcopi probent Clericatum? E. g. Episcopus Regiensis contulit Clericatum subdito Episcopi Parmensis. Numquid illæ probant Clericatum ad hunc effectum, quòd debeat remitti ad Curiam ecclesiasticam Parmensem?

44 ℞. Affirmatiuè, quia fidem facit per Instrumentum authenticum de actu Ordinationis à se facto; quod procedit siue ordinauerit illum cum licentia Episcopi Parmensis, siue non, certum enim est, quòd validè est ordinatus, licet non licitè defectu licentiæ proprij Episcopi. Et satis est, quòd in literis Ordinatoris dicatur de licentia sui Episcopi, hæc enim particula probat ha-
45 buisse licentiam à suo Episcopo recipiendi Primam Tonsuram ab extraneo, vt docent *Gabriel. lib. 2. consil. 181. num. 17. Cæsar de Grassis decis. 1. de præsumpt. cu illis Rota part. 5. dec. 126. num. 4.*

Dices, huiusmodi literæ extranei Ordinatoris nihil illi suffragantur, quia Ordinatus ab extraneo sine licentià proprij Ordinarij non gaudet Priuilegio fori criminalis, ex adductis cap. 4. num. 52.

℞. Ordinatum hoc modo adhuc gaudere Priuilegio fori, donec declaretur ab Episcopo amplius non gaudere ex probatis ibidem. num. 51. & 53.

CAPVT DECIMVM IV.

De Iudice Laico Criminali contra Ecclesiasticos.

SVMMARIVM.

1 *Is non potest iudicare Ecclesiasticos.*
2 *Dominus est, qui iudicat suos subditos*
3 *Iudex laicus tunc incipit esse dominus malefactoris ecclesiastici, cum declaratur non gaudere Priuilegio fori.*
4 *Consuetudine indusci non potest, vt iudicet illos.*
5 *Non potest procedere contra illos ex quouis grauissimo delicto.*
6 *Propositio vniuersalis omnia comprabendit, quæ alias non comprabenderentur.*
7 *Clericus occidens Principem non est reus criminis læsæ maiestatis.*
8 *Monetarius non punitur à Iudice laico.*
9 *Arma non auferuntur à Clericis per ministros laicos.*
10 *Neque venator, aut piscator in loco reseruato.*
11 *Neque vsurarius.*
12 *Sodomita degradatur.*
13 *Exercere dicitur, qui quater vltra egit.*
14 *Patiens non dicitur exercere.*
15 *Correlatiua non iudicantur ad imparia etiam in pœnis, si militat eadem ratio.*
16 *Exercere importat solam actionem.*
17 *Pœna Sodomitarum incurruntur solum post sententiam.*
18 *Sodomia non est abusus bestiarum.*
19 *Nec mulierum.*
20 *Delinquens cum seculari, vnusquisque à suo iudicatur.*
21 *Iudex laicus non potest distringere Clericum sui offensorem.*
22 *Neque carentem Superiore in loco delicti.*
23 *Saluam guardiam frangens non punitur.*
24 *Rempublicam perturbans non punitur.*
25 *Salamon Rex, & Sacerdos.*
26 *Insordescens in excommunicatione non punitur.*
27 *Insordescens pro heresi hereticus putatur, pro alijs verò suspectus.*
28 *Deponens falsum coram Iudice laico, ab eo non punitur.*
29 *Iudicans Clericum ignotum nihil agit.*
30 *Male actum reuocatur.*
31 *Reconueniri non potest.*
32 *Accusatus non potest accusare, nisi prius se purget.*
33 *Feudatarius non iudicatur à domino.*
34 *Officialis delinquens à Principe non punitur.*
35 *Non perdit ob confiscationem bonorum paternorum.*

36 *Equi-*

36 *Equites regulares non puniuntur à Iudicibus regijs.*
37 *Maltenses ad hoc habent speciale Priuilegium.*
38 *Puniuntur ab Episcopo officiales eius offendentes.*

DE IVDICE LAICO CRIMINALI CONTRA ECCLESIASTICOS.

1 CErtissimum est, Iudicem secularem
non posse criminaliter procedere con-
tra Ecclesiasticos respectu quorumcumq;
delictorum, dum habent vsum Priuilegij
fori criminalis, vt clarè docent non solum
ius diuinum, de quo abunde dixi cap. 2.
sed etiam Canonicum *Caus. 11. q. 1. per totam, cap. Decernimus 2 cap. & si. clerici 4. cap. clerici 8. de iudic. cap. Nullus 2. cap. Si diligenti 12. cap. cum Contingat 13. de foro compet.* Ratio est, quia solus dominus suos
2 subditos iudicat, iuxta illud Pauli 1. Co-
rinth. 4. num. 5. *Qui autem iudicat me, Dominus est*, Episcopus autem, & quilibet alius
ordinarius est dominus suorum subditorum,
quousq; fiut declarati, non amplius gaude-
re Priuilegio fori criminalis, ita quòd Iudex
laicus non incipit esse Dominus ecclesiasti-
3 ci delinquentis, & malefactoris, nisi per de-
clarationem, quod non gaudet Priuilegio,
per hoc enim Iudex laicus incipit aquirere
iurisdictionem in Clericum quò ad hoc fa-
ctum laicum, quod latius probaui cap. 6.
num. 29. cap. 9. num. 6. Et quia facilis est
vsurpatio Iurisdictionis, ideo ad tollen-
dos huiusmodi abusus, ne radices figant in
præiudicium Ordinis ecclesiastici obstat
Bulla Cænæ Domini impediens efficaciter
huiusmodi abusus sub Excom. 19. de qua in
sequenti Capite.

4 Ita quòd nec consuetudine induci potest,
quod Iudex secularis possit procedere crimi-
naliter contra ecclesiasticas Personas, cum
Deus ipse Priuilegium hoc fori illis conces-
serit, cum dixit *Nolite tangere Cristos meos*,
vt latius probaui cap. 2. nulla enim consue-
tudo valet coutra Dei legem, vnde eam
Canones supracitati reprobant, cum Bullà
Cænæ Domini, vt dixi. Demum id agno-
scens Ius ciuile, mandauit Auth. ante l. 32.
C. de Episcop. & Cler *Statuimus vt nullus ecclesiasticam Personam in criminali quæstione, vel ciuili trahere ad iudicium seculare præsumat coutra Constitutiones imperiales, & canonicas Sanctiones.* Ad quæstiones.

Quæres igitur primò an Iudex secularis
pro grauissimo delicto possit procedere con-
tra Personam Ecclesiasticam? E. g. in cri-
mine læsæ Maiestatis humanæ?

5 ℟. Negatiuè, quia ita deciditur *in cap. Clerici 8. de iudic.* ibi *Vt omni crimine Clericus debeat corã ecclesiastico Iudice conueniri.*
Cap. cum non ab homine 10. eod. vbi ge-
neraliter loquitur illis verbis: *Quibuscunq; fuerint criminibus deprahensi* Propositio 6
enim vniuersalis omnia comprehendit, quæ
alias non comprehenderet, *Ant. Monach. dec. 69. num 8. ex eo Rota par. 7. dec. 62. num. 7.* D August. in Psal. 8. tom. 8. inquit: *Nihil excipit, cum dicit omnia.* Ergo nec excipit
crimen læsæ Maiestatis, quod grauissimum
ab omnibus reputatur. Et loquendo de cri-
minæ læsæ Maiestatis, quod in hoc Iudex
laicus non possit procedere contra Ecclesia-
sticum, certum est quia occidens Princi-
pem non potest inquirere homicidium hoc
qualificatum, cum eius subditus non sit,
Farinac. q. 112. num. 231. Vnde nec à Iu- 7
dice seculari puniri potest, *Bossius tit. de crimine læsæ Maiest. num. 86. Vers. communis, & de foro compet. num. 136. & 137. Farinac. q. 8. num. 30. Clarus q. 36. num. 22. Grassus Effectu 1. num. 568.* Nec tradendus
est curiæ seculari, *Barbatia lib. 3. cons. 22. Barbosa ad cap. Si quis 19. 22. q. 5.* Sed à solo
suo Iudice ecclesiastico venit puniendus, *Farinac. q. 112. num. 232. & 233. & q. 8. num. 28. & 30. & decis. crim. 241. siue Diana par. 3. tract. 1. resol. 16. Panimolla constitut. 46. num. 72.*

Contrarium, quòd Iudex secularis in
hoc casu possit procedere contra Clericum,
immo, & Episcopum, docent *Clarus cit. q. 36 & in §. Læsæ Maiestatis, Vers. Hinc infertur, Bossius tit. hoc num. 86. fine*, quos
contra se citat *Farinac. q. 8. num. 28.* Di-
centes, quod licet prior opinio sit de iure
verior, tamen de facto, immo de iure quo-
que Iudicem laicum procedere contra Cle-
ricum. Probantes *Primò* ex cap. Si quis 19.
22. q. 5. vbi si quis contra Regem, & Domi-
num suum machinatur in mortem, etiam
Episcopus, Præsbyter, & Diaconus, si hoc
crimen commiserit, degradetur. *Secundò*,
non valet ex hoc antecedente. Clericus con-
spirando contra suum Principem secularem
non committit crimen læsæ maiestatis, ex
Clem. Pastoralis de appellat. Inferre, ergo
non potest ab eo puniri de tali cõspiratione,
cum multa dentur crimina, quæ ex sua
atrocitate, licet commissa à Clericis, pu-
niuntur à laicis; clarum habemus exemplum
de Clerico assassino, de quo cap. 9. num. 19.
Tertiò, quia Ecclesiastici naturaliter origi-
narij dicuntur esse in dominio ipsius Princi-
pis, qui in suo statu vniuersale habet domi-
nium, *alijs citatis ab eodem Farin. q. 8. num. 29. & 30. Grasso num. 572.* vbi quod licet
non sit subditus ratione fori, *est* tamen sub-
ditus ratione fidelitatis. *His* non obstan-
tibus.

Persistendum est *in responsione*, quia hoc
crimen nullum ius dat Iudici laico proce-
dendi.

dendi contra Clericum, cum per hoc crimen non perdat Priuilegium fori, nullo enim iure exprimitur hæc pæna amissionis Priuilegij ex cap. 9. num. 22.

Ad primum dico, textum loqui de illis, qui fidelitatem cum iuramento promiserunt Principi, etiam Clerici, qui tale Sacrilegium commiserunt, machinando contra eum mortem, debent degradari, ita quòd nisi post degradationem ius habet procedendi contra eum, quia tunc non contra Clericum priuilegiatum, sed contra laicum qui si talem procedit auctoritate legis, non ex officio suo. Vide Barb. hic, vbi per degradationem intelligit depositionem. Dic vlterius, illum textum legem non facere, cum sit dictum D. Augustini, immo in eius operibus non inuenitur, quare talis textus attendendus non est.

Ad secundum dico, bonam esse illationem, quia crimen læsæ Maiestatis non dat Iurisdictionem laico, nec à Clerico aufert Priuilegium, ergo ex hoc capite Clericus non potest puniri à Iudice laico propriâ auctoritate, neq; in hoc delicto, neq; in alijs.

Ad tertium, originatio solùm probat; quòd fuit ab origine naturaliter subditus, sed dum à statu laicali transit ad statum ecclesiasticum, hunc acquisiuit cum deperditione prioris, sunt enim simul incompossibiles, nulla ergo ratione consideranda est originaria subiectio, dum deficit in transitu ad Clericatum, vnde nec dicitur illi subditus ratione fidelitatis, quam illi non iurauit ratione Originis.

Quæres 2. An Monetarius puniri possit à Iudice seculari?

8 ℟. Negatiuè, quia nullo iure habetur, hoc delictum priuare Clericum Priuilegio fori, nec dare Iudici seculari potestatem puniendi ecclesiasticos Monetarios, aut monetarum Tonsores. Ita *Gram decis. 163. Rolând. consil. 4. num. 3. cum alijs Grassus Effect. 1. num 576.* Contra Monetarios Pius V. edidit Bullam sub 111. quam innouauit Vrbanus VIII. in suâ 75. incip. *In suprema.*

Quæres 3. An possit auferre arma quæcumq; ecclesiasticis?

℟. Negatiuè, quia nullo iure canonico
9 Iudici seculari id conceditur, neq; per illorum delationem perdit Priuilegium fori, ex dictis cap. 9. q. 9. num. 23. Habent proprios Superiores, qui arma illis concedunt, cum opus est, & gestantes sine illorum licentiâ puniunt, ergo nulla ratio suadet, quod seculares possint Ecclesiasticos armis spoliare. Est communis sententia Doctorum 40. quos recenset *Barb. ad cap. In audientia 25. de sent. excom. Ciarlin. cap. 15. num. 83. & cap. 20. num. 71. Bonac. disp. 10. de legib. q. 2. p. 1. §. 1. num. 2. Decian. lib. 4. cap. 9. num. 140. Farin. q. 8. num. 96. q. 108. num. 21.*

Quæres 4. An procedere possit contra venatorem, & Piscatorem?

℟. Rem venatam, seu piscatam, in lo- 10
co, vbi est Principis reseruatio, eripere potest de eius manibus, quia est res sub dominio reseruantis. Procedere autem contra illum puniendo in persona, vel rebus suis nequaquam potest, quia in his non est dominus. Ita *Salcedo ad Diaz cap. 65. fine, Morla q. 16. num. 16 Cenedus Collect. an. 37. num. 19. ex illis Grassus num. 863.* Addo, quod illis auferre non potest canes, & instrumenta venationis, aut piscationis, cum sua sint.

Quæres 5. An procedere possit contra Vsurarium ecclesiasticum?

℟. Negatiuè, quia nullo iure id illi con- 11
ceditur, nec Vsurarius caret Priuilegio. Grassius num. 1002. quicquid dicant Ioannes Monachus, & Ioannes Andreas apud ipsum sine fundamento.

Quæres 6. An Ecclesiasticus sodomita distringatur à iudice laico?

℟. Negatiuè, nisi post degradationem, 12
& traditionem Curiæ seculari, vt statuit Pius V. in duabus suis Bullis, prima incip. *Cum primum* 5. §. 11. Secunda incip. *Horrendum* 72. his verbis: *Omnes, & quoscumq; Presbiteros, & alios Clericos seculares, & regulares, cuiuscumq; gradus & dignitatis, tam dirum nefas exercentes omni Priuilegio clericali, omniq; officio, dignitate, & beneficio ecclesiastico præsentis Canonis auctoritate priuamus, ita quòd per Iudicem ecclesiasticũ degradati potestati statim seculari tradantur.*

Occurrunt hic duæ potissimum difficultates prima quid importet exercere hunc actum? Secunda, an patiens subijciatur his pœnis?

Ad primam, ille dicitur exercere hunc 13
actum, qui ex vsu continuato id vitium exercet, *Rodriq. tom. 1. q. 32. art. 19. Sayrus lib. 7. de cens. cap. 12. num. 23. cum alijs Barb. ad cap. 4. de excessib. Prælator. num. 7.* Excusatur à pœnis, qui quater probatur exercuisse hoc vitium *Mazucbell. de casib. Mediol. disput. 2. cap. 22. num. 10.*

Ad secundum, his pœnis non subijcitur 14
patiens, quia perpetrare, & exercere hoc vitium, non est illud pati, sed agere tantum. Ita nonnulli apud Barbosam citandum.

Contrarium, quòd etiam patiens subijcitur his penis, docent *Floronus, Coriolanus, Diana, Bonarina, apud Barbosam ad cap. 4. de excessib. num. 12. Vers. Sexto, Mazucbel disp. 2. cap. 22. num. 7.* & alij apud ipsos. Probant *Primò*, quia dispositum in vno correlatiuorum, censetur etiam dispositum in altero. *Secundò* tam patiens, quam agens propriè dicitur perpetrare, seu exercere hoc vitium, ergo pari pæna puniuntur.

Ad

Digitized by Google

16 Ad primum dico, verum quidem esse, quòd correlatiua non indicantur ad imparia etiam in pænalibus ab Euerardo in hoc loco num. 9. quando scilicet militat in vtroque eadem ratio, *ex ibi allegatis, & à Barb. loco hoc 29. num. 2. & 3.* Sed hic non militat eadem ratio, cum experientiâ notum sit, huius vitij causam instigantem esse regulariter agentem, ipsum verò patientem non instigare, sed tantùm pati, ætas enim puerorum huius vitij ignorantiam, & impotentiam arguit, eos non posse dici perpetrare, & exercere tale vitium. Et quòd patientes non subduntur pænæ mortis certi iuris est ex eorum minoritate.

Ad secundum, falsum est, verbum *exercere* importare vtrunq; cum luce clarius sit, significare solam actionem, quod quoq; ex eius compositione, & etimologia deducitur *Ex* & *Arceo* scilicet, agendo arceo à me ignauiam, & pigritiam, vnde & exercitus militum dicitur, quia continuò agunt militando contra hostes, exercere, ergo non est pati, sed tantum agere.

17 Numquid pænæ incurruntur ante sententiam? Nequaquam etiam in foro Conscientiæ. Ita *Suarez de censf. disp. 31. sect. 4. num. 22. Sayrus lib. 7. cap. 12. num. 24. Sanchez lib. 7. disput. 46. num. 18. Bonac. q. 4. de Matrim. p. 11. num. 2. Barb. ad cap. 4. de excessib. num. 11. Vers. Septimo.* De his, & alijs pænis vide *Farinac. q. 147. Quaranta v. Sodomia, Panimolla in suo Prausinome constituto 46. à num. 47. ad 54.*

18 Harum pænarum non est reus abutens bestijs, quia reuera non est Sodomia. Ita *Nicolaus Garzias par. 11. de benef. cap. 11. num. 204. Diana par. 2. tract. 3. Miscell. resol. 66.* Multi tenent contrarium citati à Barb. in dictum cap. 4. de excessib. num. 11. Sed meo iudicio inæpte, quia in odiosis, & pænalibus verba sunt strictè, & propriè accipienda. Nam Sodomia verè, & propriè
19 accepta, de qua cap. 19. Genes. num. 5. *Vocaueruntq; Lot, & dixerunt ei, vbi sunt viri qui introierunt ad te nocte? educ illos huc, vt cognoscamus eos.* Est seminis humani emissio intra vas stercorarium hominis masculi ab alio masculo, est ergo commixtio masculorum inter se, vnde excluditur non solum bestiarum, sed etiam feminarum abusus. Ita *Floronus par. 2. de casibus reseru. casu 7. §. 1. n. 9. Bonac. q. 4. de matrim. p. 11. Barb. ad cap. 4. de excessib num. 10. D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 8 ibidem Caietanus, Defendens de casib. Comi disp. 3. casu 5. num. 578. Mazuchell. disp. 2 cap. 2. 2. initio.* Qui Sodomiam vocant coitum inter personas eiusdem sexus.

Quæres 7. An clericus delinquens simul cum seculari puniri possit à Iudice seculari?

20 ℞. Negatiuè, & probaui cap. 10. q. 10.

Quæres 8. An Clericus capi, & puniri possit à Iudice seculari offenso?

℞. Non posse, quia per iniuriam illatam 21
Iudex nullum aquirit ius procedendi contra sibi iniuriam illatam; neq; per id perdit suum Priuilegium. Confirmatur, quia id est vindicare propriam iniuriam, quod nemo facere debet, sed recurrendum est ad Superiorem iniurantis, vt Iustitiam faciat. Quod procedit, siue agat officium Aduocati, siue Procuratoris, vel alia ratione, quia nihil ex his tribuit eidem ius procedendi contra Clericum, cum nullus ex Canonibus talem facultatem ei concedat.

Carolus Grassus Effectu 1. num. 935. probat duabus rationibus posse Iudicem secularem Clericum sibi insultantem distringere. *Primò*, quia Clericus exercens aliquid contrarium Clericatui amittit Priuilegium fori; sed exercens Aduocatum, &c. facit aliquid contrarium Clericatui, vt probat 11. & 12. ergo perdit Priuilegium, & sic tamquam alter laicus puniri potest à Iudice seculari, quem offendit. *Secundò*, potest illum capere tanquam in fragranti crimine deprehensum, ergo.

Hæ rationes nullius sunt momenti. Vnde ad priorem dico respondendo ad hominem ex ipso Grasso Effectu 12. num. 4. non perdere Priuilegium, quia non est ars vilis, neq; sordidum exercitium, propter quod perditur Priuilegium. Adde, quòd argumentum eius non facit ad rem, quia aliud est exercere artem, aliud iniuriare Iudicem. *Ad secundam* dico, neq; in hoc casu posse capere Clericum sibi iniuriantem, cum debeat recurrere ad eius Superiorem, vt illum distringat. Quòd in nullo casu Iudex laicus mandet capturam Ecclesiasticorum propriâ auctoritate probaui supra sub cap. 11.

Quæres 8. An Clericus in loco, vbi deliquit, non habens Superiorem, possit à Iudice seculari capi, & puniri? Iterum infra q. 18.

℞. Id facere non potest, quia nullo iure
canonico illi hæc potestas tribuitur. 22 Nec obstat, quòd in loco non habeat Clericus Superiorem, quia talis carentia non tribuit facultatem Iudici seculari. Præterquam quod in omnibus Ciuitatibus habetur Episcopus, vel Iudex ecclesiasticus, cuius est corrigere delicta Ecclesiasticorum.

Plerique cum Grasso num. 963. tenent contrarium referentes exempla contra nonnullos Equites Maltenses, qui fuerunt capti de mandato Iudicis laici, & transmissi ad suum Iudicem ecclesiasticum, nam absentia Iudicis competentis tribuit iurisdictionem Iudici non competenti.

Sed ego inuenio ius asserens inter Iudices disparis status tribuens facultatem ex absentiâ alterius. Iterum infra q. 18.

Q Quæres

Digitized by Google

Quæres 9. An Clericus contraueniens Saluæguardiæ, & illam frangens possit puniri de mandato Principis?

23 ℞. Negatiuè, quia nullo iure canonico id reperitur concessum. Ita *Guidopapa dec. 77. Vers. Sed an Iudex, cum alijs Grassus num. 1004. contra nonnullos ab eo citatos nulla ratione suffultos.*

Quæres 10. An Clericus perturbans Rempublicam possit puniri à Iudice laico, tamquam inquietus?

24 ℞. Negatiuè, cum huic malo possit prouideri per Superiorem ecclesiasticum à Magistratu admonendum. Quicquid dicat Grassus num. 1011. cum alijs fundatis in eo, quod legitur 3. Reg. cap. 2. de Salomone Rege, qui fecit interficere Abiathar Sacer-
25 dotem. Sed hoc non obstat, quia Salomon erat etiam Sacerdos cum potestate spirituali ex cap. 7. lib. 2. Paralip.

Quæres 11. An Clericus contemnens Excommunicationem puniri possit à Iudice seculari? Contemnere, seu insordescere dicitur ille, qui iam contumax, & inobediens excommunicatur, & in excommunicatione per annum permanet nolens obedire neque absolutionem ab ea quærere. Doctores *in cap. Excommunicamus 13. de haret. & cap. Cum contumacia 7. eod. in 6.*

26 ℞. Insordescens in eâ solùm ab Episcopo, vel Inquisitore puniri potest, quia est suspectus de hæresi, quod est crimen reseruatum solùm prædictis, *Cap. vt Inquisitionis 18. §. Prohibemus, de haret. in 6. Farinac. q. 186. num. 154. Barb. ad dictum cap. 18. num. 7.*

Contrarium, quòd in hoc casu possit se intromittere etiam Iudex laicus, quando Ecclesiasticus non potest ob potentiam Excommunicati illum punire, docent nonnulli cum Grasso num. 1012. & 1013. Sed reuerà id omninò falsum est, quia Episcopus, & Inquisitor sunt potentes tum per se, tum per laicam potestatem, cum mandare possint, vt sibi contumacem capiant, & consignent, ex cit. cap. 18. Et hic confutatur error Bertachini apud dictum Grassum num. 1035. asserentis Iudicem secularem posse punire Clericum Fidem subuertentem, cum is casus sit merè ecclesiasticus, ita quòd nec incidenter laicus potest se in eo intromittere, ex cit. cap. 18. & docent citati à Farinac. & Barbosâ.

27 Notà autem, quòd insordescens in Excommunicatione propter delictum Hæresis excommunicatus, habendus est pro Hæretico, *ex cap. Excommunicamus 13. de haret.* citandus tamen ad allegandum causam, quare non debeat declarari Hæreticus. Insordescens verò propter aliud delictum habetur solùm pro suspecto de hæresi, *cap. 3. in fine, Sess. 25. in Tridentino, vbi Barbosa citat Doctores num. 34. & in pracitato cap. 13. num. 11.*

Quæres 12. An Clericus delinquens coram Iudice seculari e. g. deponendo falsum Instrumentum, puniri ab eo possit?

℞. Negatiuè, quia nullibi in iure reperitur, quòd per delictum mendacij, aut periurij Clericus perdat Priuilegium fori. Ita 28
docent omnes cum *Hostiensi, Butrio, Innocentio, Ioanne Andrea, & Felino in cap. Verum, de foro compet. Farinac. q. 8. num. 26.* alijs relatis Grassus *num. 1147. Ciarl. cap. 48. num. 10. & 11.* qui Grassus præced. num. alios in contrarium recenset, nullo fultos fundamento.

Quæres 13. An Iudex secularis procedens contra Clericum, quem putabat laicum, ritè, & validè agat, & non comparens ipsum condemnet in contumaciam, immò definitiuè, si probatum, sit delictum contra illum?

℞. Acta contra Clericum siue notum, siue 29
ignotum in ratione Clericatus, probato concludenter Clericatu, ipso iure nulla, & inualida sunt, defectu Iurisdictionis in procedente, ac proinde omnia acta debent carere iuribus, & pro nihilo haberi. Ita *ex cap. Cum super 23. de offic. deleg. Decius consil. 198. num. 3. Diana par. 6. tract. 8. resol. 4. Vers. Verum, Pasqualig. q. 72. initio.* Defectus enim Iurisdictionis insanabilis est, *ex allegatis à Guaz. Defens. 1. cap. 1. num. 4.* Et ita docent citati *à Grasso num. 1287.* Quarecum omnia acta sint nulla, & lata Sententia, vt quæ procedunt à Iudice incompetente, nunquam reuiuiscere possunt, & Clericus perpetuò agere poterit de nullitate, vt dicunt omnes *cum Paulo de Castro in l. 2. ff. si quis in ius voc. num. 9. Vers. Breuiter Prospero Passeto cons. 23. num. 7. ex cis Grassus num. 1292.* Ita quod Iudex requisi- 30
tus tenetur ea acta reuocare, quia malè, & iniustè facta emendanda sunt, & corrigenda, ex Auth. de Nupt. collat. 4. Vbi Imperator inquit: *Non enim erubescimus corrigere, qua prius diximus, nec ab alijs corrigi expectare volumus.* Vnde *ex cap. Graue 19. de offic. Ordin.* dicitur: *Iudex, qua male egit per seipsum emendare debet.* Colligunt *ex l. prases 6. C. quomodo, & quando, l. 4. C. de accusat. Anchar. consil. 184. Felin. consil. 49. num. 19. Decian. lib. 4. cap. 9. num. 61. fine, & num. 115. ex illis Grassus num. 358.*

Quæres 14. An Clericus reconueniri possit coram Iudice laico in criminali, coram quo ipse Clericus conuenerat laicum?

℞. Negatiuè, quia accusatus non potest 31
accusare in eodem Iudicio, nisi prius se purgauerit. Confirmatur, quia reconuentio 31
non dat ius, sed illud supponit; certum autem est, Iudicem laicum nullum habere ius in

ius inreconuentione, ergo non potest esse Iudex reconuentionis. Ita *Glos. v. Non tenet, cap. 4. de iudic. Glos. v. Aut condemnare, cap. 2. de foro compet. Clarus q. 2. num. 3. cum alijs Barbosa in cap. Ex literis, de litis contest. num. 7. Guazin. Defens. 1. cap. 7. fine, Farinac. q. 8. num. 99. Bonac. in Bulla disp. 1. q. 16. sect. 1. p. 6. num 8. limit. 2. Castropal. de Restit. p. 6. num. 9. Grassus num. 763. & 766.* Asserentes procedere, etiam si in causa criminali procedatur ciuiliter.

Quæres 15. An Clericus feudatarius possit puniri à suo domino?

33 ℞. Negatiuè, etiam si deliquerit in causâ feudali, siue agatur criminaliter, siue ciuiliter in crimine, quia nullibi reperitur id concessum Iudici seculari, qui nec directè, nec indirectè potest distringere ecclesiasticas personas. Ita *Couar. in cap. Verum, de foro compet. num. 2. & 3. Butrius, & Abbas num. 17. ibidem, Surd. lib. 2. consf. 193. num. 25. Beroui lib. 1. consf. 82. num. 11. cum alijs Grassus num. 726. & 727.*

Quæres 16. An Clericus officialis Principis secularis, si delinquat in officio, puniatur ab eodem Principe?

34 ℞. Negatiuè, expresse cap. Cum contingat 13. de foro compet. vbi, quòd coram suo Episcopo conueniendus est, nisi Priuilegium, vel consuetudo aliud inducat. Ita *Abbas in dictum cap. Couar. in practicis quæst. cap. 33. num 6. Dectan. lib. 4. cap. 9. num. 143. Bonac. de legib. disp. 10. q. 2. p. 1. §. 1. num. 24. Diana par. 1. tract. 2. resol. 18. cum alijs Barb. in cap. Sacerdotibus 2. Ne cler. vel mon. Dal Bene par. 2. cap. 9. dub. 35. sect. 2. num. 16.* Quoad distinctionem, quo verò ad redditionem rationum cogendus est ab Episcopo.

Contrarium, quòd possit puniri à Principe, tenet *Farinac. q. 8. num. 98. cum Cenedo Collect. 61. num. 6. Camillo Borella de præstantia Regis Catol. cap. 71. num. 34. apud dictum Barbosâ.* Probatur primò *ex cap. Cum contingat 13. de foro compet.* ibi: *Vel consuetudo aliud inducat.* Secundò ex cap. præcitato Sacerdotibus 2. Ne Cler. vel. Mon. illis verbis: *Indignum est eis ab Ecclesiâ subueniri, per quos constat in Ecclesiâ scandalum generari.* Ergo cum Ecclesia illis non subueniat præcipiendo ne puniantur, liberum erit Iudici laico distringere tales delinquentes.

Ad primum dico, eam consuetudinem sublatam esse per Bullam Cænæ Domini. Ad secundum, verba illa non importaut, ipsum posse puniri à Iudice seculari, sed Ecclesiam non debere illi parcere, immo seuerè castigare iuxta excessus suos in illo officio perpetratos, vt docent præcitati.

Quæres 17. An Filius Clericus simul cum alijs Filijs laicis priuetur bonis paternis ex delicto patris in Crimine læsæ vtriusq; Maiestatis.

℞. Negatiuè, quia leges ciuiles neq; directè, neq; indirectè possunt punire Clericos non solùm in personâ, verùm nec etiam in bonis, cum in neutro subdantur legibus ciuilibus. Confirmatur, quia lex confiscationis est valde odiosa, ergo restringendâ. Præterea non afficit filias feminas. Clarus v. Læsæ maiestatis num. 10. vnde sunt dotandæ, ibidem Baiar. ius v. Contra, ergo multò minus Clericos, qui nullo modo subduntur Principi seculari. Quare Filio Clerico debetur legitima. Ita, *Glos. in cap. Satis peruersum 7. dist. 56. alijs citatis Grassus Effectu 45. num. 2.* Licet Glos. id dicat; tamen solùm ibi sermo est de Beneficio non auferendo à Iudice laico, cum non pertineat ad bona paterna. Dicta locum non habent in fisco Ecclesiæ ex contrariâ ratione, quia scilicet Clericus subditur Ecclesiæ legibus, sic Ecclesia aquirit. 35

Quæres 18. An Ecclesiastici exempti, & immediatè subiecti Sedi Apostolicæ, qui non habent Superiores in Regnis, vbi delinquunt, puniri possint à Iudicibus regijs?

℞. Negatiuè, Tum quia alter eorum Priuilegia exemptionis nullius essent momenti. Tum quia absentia Superioris non dat ius secularibus Iudicibus in Clericos. Tum quia simpliciter non carent Superioribus ecclesiasticis, cum in vnâquaq; ciuitate adsit Episcopus, qui in casibus enormibus potest eos capere, vt consignentur suis Superioribus. 36

Quæstio hæc procedit maximè contra ecclesiasticos milites, qui non habent vbique Superiores suos præsentes, asserentibus nonnullis, posse puniri à Iudicibus regijs, qui sunt *Pereira de manu regia par. 2. cap. 22. num. 18. Bobadilla tom. 1. lib. 2. cap. 18. num. 127.* quos cum alijs refert *Diana p. 4. tract. 1. resol. 73.* & impugnat ipse Diana cum Camillo Borella *in Addit. ad Speculum Bellug. Rubr. 11. §. Videndum lit. G.* vocante hanc opinionem nunquam, quam falsam dicit *Megal. lib. 3 de censur. cap. 11. num. 37.* Et id verum est, vt colligitur ex Bulla 37. incip. *Æqua* Clementis VIII. decernentis, ne aliquis Minister, aut Officialis etiam imperialis sub pæna Excommunicationis reseruatæ Papæ extra articulum mortis, audeat aliquem Fratrem S. Ioannis Ierosolimitani, Militem, aut Religiosum, donatum, aut familiarem, seruitorem, nec non Presbyteros seculares eorum Ecclesijs inseruientes, dum eis inseruiunt, & alias quascunq; personas dicti Hospitalis declarare, quod assassinij crimen commiserint, neq; ad pænarum executionem deuenire, nisi prius per Superiores eorum adhibito sibi loci Episcopo, declaratum fuerit, eos tale 37

assassinium commisisse, non obstante quauis etiam antiquissimà, & immemorabili consetudine in contrarium forsan quomodolibet vigente. Vide *Pasqual. ad Franchum par. 1. num.* 118. *Cespendem de exempt. Regular. dub.* 253.

38 Si quis Eques Maltensis delinquat in personas Curiæ Episcopalis, dum suum officium exercent, vel aliàs Iurisdictionem Episcopi impediens ab eodem puniri potest, vt respondit S. Congr. *apud Barbosam lib.* 1. *de Iure cap.* 43. *num.* 154. Dicta de his locum habent in Militibus aliorum ordinum, sunt enim & ipsi Personæ ecclesiasticæ.

CAPVT DECIMVM V.

De Excommunicatione Bullæ Cœnæ Domini contra processantes Clericos.

SVMMARIVM.

1 *Referuntur verba* Bullæ.
2 *Causa criminalis tractatur à Iudice competente ad puniendum reum.*
3 *Pœna vnius metus multorum.*
4 *Pœna facit causam criminalem, ordinaria, & extraordinaria.*
5 *Capitalis, & non capitalis.*
6 *Criminalis ne, an ciuilis, censenda ciuilis.*
7 *Ciuilis causa, quæ non tendit ad punitionem.*
8 *Quænam personæ comprehendantur in Bulla;*
9 *Magistratus quid, & quotuplex?*
10 *Magistratus nomine venit quilibet officialis in eo.*
11 *Principes, & Rex non venit sub nomine Magistratus.*
12 *Rex dicitur Magistratus causaliter, non formaliter.*
13 *Notarius, qui auctorizat instrumenta.*
14 *Scriba, qui rescribit acta, seu instrumenta.*
15 *Executores sunt obedientes Iudici.*
16 *Accusator, seu querelans non est reus huius censuræ.*
17 *Præbens solum occasionem, accusatio non est actus iudicialis ex parte accusantis.*
18 *Neque testes.*
19 *Neque Aduocati, & Procuratores.*
20 *Neque Fiscalis.*
21 *Nullam incurrunt censuram Bullæ.*
22 *Neque eam quæ est contra trahentes, quæ respicit ciuilia.*
23 *Consiliarij alij assessores, alij dantes consilia in scriptis.*
24 *Actiones sunt quinque huius Bullæ.*
25 *Vnaquaq; earum de per se infert censuram.*
26 *Processus quid, & quotuplex.*
27 *Lis dicitur contestari per responsionem in citatione.*
28 *Conclusio in causa facit silere partes.*
29 *Ab ea, acta Processus dicuntur fieri nota.*
30 Sicut audio iudico *Ioan.* 5. 30.
31 *Sententia est pars processus.*
32 *Processus scribendus est.*
33 *Ore tenus processare non dicitur sed priuatim interrogare.*
34 *Recipiens dicta testium contra Clericum complicem cum laico, non est reus.*
35 *Processans ad effectum remittendi non excusatur.*
36 *Neque, si ita agat sine animo puniendi.*
37 *Ex solà acceptatione querelæ fit reus huius Censuræ.*
38 *Iudicium incipit à citatione, processus à querelà acceptatà.*
39 *Processus habet tractum successiuum ex multis actibus.*
40 *Prohibito toto, censentur prohibitæ distinctè omnes eius partes.*
41 Bannire *quid importet.*
42 *Verba cum effectu sunt accipienda maximè in odiosis.*
43 *Priuatim monens Clericum, vt recedat, non est reus.*
44 Princeps *per se non potest bannire Clericum suspectum, vel perturbantem Rempublicam.*
45 Capere *quid importet.*
46 *Sententia condemnatoria etiam sine executione facit Iudicem reum Censuræ.*
47 *Sententia in scriptis debet redigi.*
48 *Executio refertur ad Sententiam.*
49 *Iudex ecclesiasticus processans non suum subditum, non est reus.*
50 *Ecclesiasticus officialis Principis incurrit hanc Censuram.*
51 *Clericus consentiens in Iudicem laicum, hunc non excusat à Censurà.*
52 *Processans ad vindictam, non in ordine ad Sententiam adhuc incurrit.*
53 *Negligentia Ordinarij non excusat Iudicem laicum.*
54 *Nullus inferior potest causam criminalem delegare laicis.*
55 *Etiam coniunctim cum Clerico.*
56 Papa *solus delegare potest.*
57 *Licentia qualis debeat esse.*
58 *Veneti habent hanc Licentiam.*
59 *Delegatus tenetur ostendere suum* Priui*legium;*
60 *Quænam Personæ ecclesiasticæ gaudeant hoc Priuilegio Bullæ.*

DE

DE EXCOMVNICATIONE B. C. D. CONTRA PROCESSANTES CLERICOS.

NOn inuenio Censuram latæ sententiæ contra Iudices seculares distringentes personas ecclesiasticas, ideo contrà istos adest Excommunicatio lata in Bullà Cœnę Domini §. 19. huius tenoris.

1 *Excommunicamus, & anathematizamus omnes & quoscunq; Magistratus, & Iudices, Notarios, Scribas, Executores, & Subexecutores, quomodolibet se interponẽtes in causis capitalibus, siue criminalibus contra Personas ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specificà, & expressà huius sanctæ Sedis Apostolicæ licentià, quique huiusmodi licentiam ad Personas & casus non expressos extendunt, vel aliàs, illà perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint Consiliarij, Senatores, Præsidentes, Cancellarij, Vicecancellarij, aut alio quouis nomine nuncupati.* Super qua proponuntur sequentes quæstiones, & resoluuntur.

Quæres 1. Quid sit causa capitalis, & criminalis, de quibus in hac Bulla?

2 ℞. Causa criminalis est illa, quæ criminaliter tractatur, contra delinquentem à Iudice competente ad effectum puniendi
3 malefactorem in ordine ad publicam vtilitatem pæna enim est metus multorum, *Deuter. 17. 13. cap. Quapropter 47. 2. q. 7. cap. fin. de Calumn.* Pæna ergo inflicta ad publicam vindictam specificat causam criminalem, & distinguit à ciuili, quæ ciuiliter tractatur ad commodum priuatum. Ita communis peritiorum opinio apud *Clarum q. 1. Vers. Ex quorum, Farin. q. 100. num. 3. & seq. Menoch. de arbitr. casu 275. num. 6. Barb. ad Rubr. de Iudic. num. 4. Ego in Praxi cap. 92. q. 4. tom. 5. impress. Lugdunensis.*

4 Pæna autem constitutiua, seu quà cognoscitur, causam esse criminalem, alia est ordinaria, quæ scilicet à lege, vel statuto est imposita malefactoribus. Extraordinaria verò ea est, quæ arbitrio Iudicis imponitur condemnatis; dicitur arbitraria, quia non est expressa in iure, sicut ordinaria. Alia est afflictiua corporis, quæ subdiuiditur in capitalem. Capitalis consistit in diminutione capitis per mortem, vel naturalem vltimi supplicij violentæ separationis animæ à corpore; vel ciuilem, per deportationem, seu relegationem, & exilium; seu pænam triremium, de quibus Farinac. q. 19. Et per hæc explicantur ea Bullæ verba *In causis capitalibus* scilicet pænarum mortis, exilij, & triremium, in terminis istis Bonac disp. 1. Bullæ q. 20. par. 1. num. 4.

Sub alijs verbis, *Seu criminalibus*, con- 5
tinentur aliæ penæ criminales, sed non capitales, cuiusmodi est tortura, fustigatio, berlina, membri truncatio, efossio oculi, &c. Alia non est afflictiua corporis, sed bursæ euacuatio, dicta pæna pecuniaria, quæ si applicetur fisco, arguit causam criminalem, non autem si detur parti; quia tunc causa est ciuilis, cum non tendat in publicam vtilitatem, sed priuatam. *Ita Clarus q. 1. Vers. Ex quorum, Farinac. q. 100. num. 15. Bonacina disp. 1. q. 20. p. 5. num. 5.* Vnde excluditur à causa criminali Iudicium, quod fit ciuiliter super delicto sine vllo ordine ad puniendum ipsum delinquentem.

In dubio, an causa sit criminalis, an ci- 6
uilis; censenda est ciuilis, secundum *Menoch. lib. 1. de Arbitr. q. 88. num. 1. 5. & 6. Buccaronus de differ. inter iudicia ciuil. & criminal. Præmisso 3. ex illis Barb. ad Rubr. de iudic. num. 5.* in dubijs enim pænalia locum non habent.

Causa ciuilis est illa, quæ oritur ex con- 7
tractu, vel etiam ex delicto, sed sine ordine ad punitionem, ad commodum tantùm personæ priuatæ. Ita præcitati, qui causam ex ciuili, & criminali mixtam vocant illam, in qua agitur ad interesse fisci, & ad commodum partis .i. accusatoris. Ita Doctores *cum Farinac. q. 100. num. 50. qui num. 52.* ait, dicendam esse prorsus criminalem.

Quæres 2. Quænam personæ afficiantur hac censura?

℞. Sequentes, Magistratus, Iudices, 8
Notarij, Scribæ, Executores, & Subexecutores. Item Consiliarij, Senatores, Præsidentes, Cancellarij, & Vicecancellarij, & alij quouis nomine nuncupati. De singulis dicendum.

Magistratus est Officium honorificum 9
Personis officialibus tribuens potestatem super subditos. Quatuor autem sunt ordines Magistratuum Primi ordinis vocantur Illustres; Secundi spectabiles; Tertij Clarissimi, & his competit potestas meri, & mixti imperij, hoc est, inquirendi; & puniendi delicta, *l. Imperium ff. de iurisd. omn. iud. l. Illicitas §. Qui vniuersas ff. de offic. Præsid. ibi Glos. v. Ius gladij, Oldrad. cons. 10. num. 2.*

Quarti ordinis Magistratus sunt illi, qui minorem habent potestatem, *ex Glos. v. Tribuuntur l. 1. ff. de officio eius cui mand. iurisd.* Alia est diuisio Magistratus in eos, qui sunt maioris ordinis, & qui sunt ordinis minoris, *l. Honor 14. §. Gerendorum, ff. de muner.* Maioris ordinis erant Consules, Censores, Prætores, Dictatores, &c. Minoris ordinis erant Ædiles, Quæstores, Tribuni, &c. De maioribus Cicero lib. 3. de legibus inquit: *Videtis igitur hanc esse Magistratus Vim: vt præsit, præscribatq. recta, & vtilia,*

bet expendere. Primum ex parte pauperis probatur, quia S. Paulus, qui pauper erat, missus fuit Romam ad Cæsarem expensis fi-
60 sci tribunalis Festi, & Agrippæ, vt notat *Aufrer. ad Capellam Tholosanam decis.* 100. *apud Sperell. dec.* 18. *num.* 4. quod autem Paulus esset pauper, dicitur *cap. Dilectissimus, cap. Quia tua, cap. Videntes* 12. *q.* 1. *Farinac. q.* 7. *num.* 39. *fine.* Et deducitur ex textu *l. Lex Cornelia, §. Si quis librum, ibi:* Præmium constituitur *ff. de iniur. Bald. in l. Generaliter, §. His de præsentibus C. de appellat. num.* 4. *Aufrer. cit. cum alijs Sperell. dec.* 18. *num.* 6. *Vers. Qua tamen.*

Contrarium, quod Clerici pauperis remissio fiat expensis Ordinarij, seu fisci, docent *Lopez ad Diaz cap.* 125. *fine. Bonadilla in Polit. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 329. *tom.* 1. *& tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 8. *Couar. cap.* 33. *num.* 5. quos contra se refert Sperell. cit. num. 6. Ego autem legi Diaz, & Lopez ibi, nihil dicit in meo codice Veneto 1602. apud Societatem Venetam, Couar. hoc dicit, sed nullam adducit rationem, ideo cum alijs non audiendus, cum enim captura sit vitiosa, & petitio Ordinarij legitima, nescio, quo Iure Fiscus Ecclesiæ, qui vtitur iure suo debeat facere has expensas, & non secularis, apud quem captus retineri non Potest, ergo remittere illum debet cautè, & suis expensis.

Quæres 25. An captus remittendus sit cum copiâ Processus facti in Curiâ laicali?

61 R. Non tenetur Iudex laicus mittere copiam sui processus cum Clerico capto, quia nihil prodest pro Iudice ecclesiastico, cum processus post simplicem informationem, cognito Clerico, sit nullus, ac proinde non probet contra Clericum, vt colligitur *ex l. fin. C. Si non à compet. iud cap. At si Clerici, de iudic. ibi Canon. Farinac. q.* 7. *num.* 43. *cum alijs Sperell. decis.* 18. *num.* 9.

Quæres 26. An Fiscus secularis appelet à declaratoriâ Ordinarij, quòd Clericus gaudet Priuilegio fori?

62 R. Non potest appellare, quando constat de Clericatu, & de gaudimento Priuilegij, vt docent *Bald. in l. Si quis C. de Episc. & cler. num.* 5. *Alex. lib.* 6 *consf.* 149. *num.* 5. *Guazin. Defens.* 1. *cap.* 3. *num.* 7. *ex illis Sperell. dec.* 132. *num.* 70.

Confirmatur, quia non datur appellatio, vbi nullum est grauamen, ex vulgatis iuribus, in casu hoc, Fiscus laicalis, nec Iudex patiuntur aliquod grauamen, cum nullum ius possessorium habeant super personam Clerici, & nondum sit declaratum, non gaudere Priuilegio, & sic non sit de eius Foro, sed omnino de foro Ordinarij, qui propter eius culpam non debet priuari sua iurisdictione. Et id confirmatur ex Decreto S. Congregationis, quo censuit Iudicem ecclesiasticum posse punire Clericum carentem Priuilegio fori de qua dixi cap. 6. num. 52.

Quæres 27. Ad quem Ordinarium remittendus est Religiosus captus à ministris secularibus?

R. Ostenso Professionis documento statim remittendus est ad suum Superiorem, cuius est punire suos subditos; neque in hoc casu agitanda est causa, an gaudeat Priuilegio fori, cum non subdatur decreto Tridentini cap. 6. sess. 23. de tribus requisitis? 63

Quæres 28. Quid si Regularis captus ducatur ad carceres episcopales, numquid Episcopus debeat illum remittere ad suum Superiorem, formando prius processum contra illum?

R. Potest in opinione sequentium Doctorum formare processum, & capere informationem, ea ratione, vt occuratur seductioni testium, ne corrumpantur, & ne informatio destruatur ab ipso Regulari Ita docent *Genuens. cap.* 59. *num.* 3. *Pisaccius part.* 2. *cap.* 3. *num.* 43. *Barb. Allegat.* 105. *num.* 19. *Lauretus Franchus num.* 119. *in obseruat. Pasqualigi super eius controu.* qui num. 120. dicit hanc doctrinam esse reijciendam cum Nouario *in Lucerna Regul. v. Delinquentes, Peyrin. ad const.* 2. *Sixti IV. §.* 11. *num.* 63. *Cespede de exempt. regul. dub.* 238. Nam ex Concilio cap. 14. sess. 25. non colligitur huiusmodi informatio, neque de carceratione fit mentio, sed solùm dicitur, quòd *si notoriè deliquerit, vt populo scandalo sit, Episcopo instante, à suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum, seuerè puniatur.* Et idem Pasqual. ibidem refert duo responsa Sacræ Congregat. *Congregatio respondit, statim remittendum esse, etiam posito, quòd Superior nullam instantiam fecerit.* Item. *Episcopus non potest delinquentem incarcerare, vel processare, sed solùm instare apud Superiorem pro pœnâ.* Et reuera hæc duo responsa sunt conformia Textui Tridentini, in quo ne verbum quidem de informatione, neque de carcere, ergo gratis asseruntur. Quare ad rationem adductam à Sperello decis. 38. num. 13. respondeo, nec testes seduci, nec informatio destrui, si Ordinarius statim remittat ad Superiorem regularem suum subditum, quem carcerare non poterat, dum enim à carceribus Episcopi recto tramite ad carceres regulares transmittitur, nescio quo pacto ab eo testes subornari possint, & informatio à Superiore suo capienda destrui, hæc enim suspicari nihil aliud est, quam malè sentire de proximo, quod non licet. 64

Quæres 29. An Iudex laicus nolens visis Clericatus literis statim restituere captum? Vel si cum dedecore eum remittat, sit excommunicatus?

R. Est

℟. Est excommunicatus per text. *cap. Si quis suadente 29. 17. q. 4. attento cap. Nuper 29. de sent. excom.* ibi; *qui Clericos sine latione tamen in custodia detinent.* Item *ex cap. Quoniam 4. de Immun. Eccles. in 6.* Ita docent *Bald. in l. Si quis 22. C. de Episcop. & Cler. num. 5. Guidop. dec. 77. 2. fine, Gratian. cap. 190. num. 5. Sperell. decis. 17. num. 48 Nauar. consil. 33. de sent. excom. & idem Sperell. dec. 132. num. 55.* Et in eandem censuram incidunt, qui cum vituperio, & dedecore Clericum remittunt ad suum Ordinarium, violant enim Immunitatem ecclesiasticam, *ex eisdem apud Sperellum dec. 17. num. 28. & 29. & decis. 132. num. 62.*

Quæres 30. An Ordinarius negligens petere suum Clericum è manibus Iudicis laici incurrat aliquam censuram?

66 ℟. Episcopus, & Ordinarius quilibet negligens petere suum Clericum potest remoueri ab administratione, & puniri. *Ita Cassan. consil. 38. Lop. & ad Diaz cap. 62. num. 15. & 17. Farinac. q. 8. num. 66 Vers. Amplia 18. Gratian. cap. 190. num. 8. Sperell. dec. 17. num. 51.* Vbi & periurus dicitur, quia iurat quantum poterit illos seruare illæsos, aliter priuatur Episcopatu, *cap. Cum quidam, de iureiur.* Et alijs suis Beneficijs, *cap 2. de rescr. cap. Querelam, de iureiur. ex Cassan. consil. 38. Grassus Effectu 1. num. 330. & seq.* Procedit, vt sub dictis pœnis sit p tendus etiamsi nolit, vt docent *Foller. tit. Reperti culpabiles num. 32. Bart. in l. Præcept. C. de Canon. statut. Bald. in l. 1. ff. de rei vendit. Grassus 329. cum alijs Sperell. dec. 17. num. 52.*

Quæres 31. An Clerici, & alij malefactores ab Ecclesijs extracti conducendi sint ad carceres ecclesiasticas?

67 ℟. Affirmatiuè ex Bulla Gregoriana, quò ad laicos illis verbis: *Quodq; delinquentes laici prædicti, postquam vt præfertur, ab Ecclesijs, locisue sacris extracti, & capti fuerint ad carceres Curiæ ecclesiasticæ reponi.* Et multò magis idem seruandum est ad fauorem status clericalis, ita quòd nullus ab Ecclesiâ extrahendus est, nisi de speciali licentia Episcopi cum interuentu personæ ecclesiasticæ, vt latius dicitur in eadem Bulla Gregorij XIV. de qua plura dixi in proprio tractatu.

Quæres 32. An Iudices requisiti transmittant licitè malefactores ad suos Iudices, in

68 quorum territorio delictum commiserunt? Præmitto, hanc remissionem differre à restitutione Clerici capti à Iudice seculari, qui tenetur remittere illum, licet non petatur, quia super eum nullum ius aquisiuit, in hac autem necessariæ est petitio in illa & non ista concurrit duplex carceratio; in priori Index ecclesiasticus cogit secularem ad remissionem ... non autem in hac, &

alia patent in responsione.

℟. Remissio huius generis non fit, nisi petatur ab eo Iudice, in cuius territorio, intendus graue perpetrauit delictum, subditus ratione domicilij, seu originis, à quo fugam arripuit post delictum; non autem si fuit subditus tantum ratione delicti; necessarium autem est, quòd petatur per literas authenticas continentes delictum iam esse probatum; & quòd agatur criminaliter; non obligatur autem mittere, nisi quando ambo Iudices sunt ab eodem Principe iubente missionem; mittere non potest, qui dedit saluum conductum. Hæc locum habent etiam inter Iudices ecclesiasticos respectu Clericorum. 69

Prima pars, quòd non mittantur, nisi petantur, probatur, quia missio hæc fit ad fauorem alterius Iudicis, ergo petere debet si vult gratiam. Ita docent omnes *Clarus q. 38. Farinac. q. 7 num. 38. Decian. lib. 4. ca. 19. initio ex illis Guaz. Defens. 1. cap. 17. num. 2.* 70

Secunda pars, quòd mittatur tantùm Subditus ratione originis, seu domicilij, non ratione delicti ad p tentem, probatur, quia incola per fugam non desinit esse subditus, sicut qui erat aduena factus subditus præcisè ratione delicti pro eo tempore, quo reperitur in loco delicti. Ita *Socinus in cap. Proposuisti, de foro comp. num. 14. Farin. q. 7. num. 27. Guaz. num. 3.* 71

Tertia pars, quòd non mittatur, nisi visis literis testificantibus de probatione delicti, probatur, quia cum missio ordinetur ad punitionem, debet sibi constare de delicto. Ita *Clarus q. 38 Vers. Est autem. Farinac. q. 7. num. 34 Decian. lib 4. cap. 19. num. 15. Mar. Anton lib. 3. resol. 33. num. 2. Guaz. num. 5. & 8. & seq. Tusc hus tom. 6. concl. 152. num. 9.* 72

Quarta pars, quòd delictum sit graue, probatur, quia missio huius generis est, ergo & graue delictum mouere debet Iudicem ad petendum. Ita *Clarus q. 38. Vers. Scias tamen, Farinac q. 7. num. 36 Decian. lib. 4. cap. 19. num. 5. Guaz. Defens. 1. cap. 17. num. 11.* 73

Quinta pars, quòd non adsit obligatio, nisi quando sunt ambo sub eodem Principe, probatur, quia Iudex requisitus non subordinatur requirenti; nec par in parem habet imperium nec vlla lex id præcipit, ergo nisi accedat iussio Principis vtriusque non obligatur. Ita *Clarus q. 38. Vers. Sed quid, Bossius de foro comp. num. 51. Farinac. q. 7. num. 25. Decian. lib. 4. cap. 19. num. 10. Bald. lib. 4. consil. 18. Guaz. Defens. 1. cap. 17. num 23. & 15.* 74

Sexta pars, quòd non mittatur habens saluum conductum, patet ex eius natura, qui importat assecurationem, ne offendatur.

Ita *Clarus q. 28. Verf. Bene verum est, Guaz. Defenf. 1. cap. 17. num. 16.*

76 Septima pars, si agatur criminaliter, probatur, quia hæc remissio ordinatur ad punitionem, ergo restringenda est ad causas criminales. Ita *Clarus q. 38. num. 23. Farin. q. 7. num. 37. Guaz. num. 12.* Alia vide apud ipsos, quæ non videntur multum pertinere ad præsens institutum, in quo agitur de Clericis, respectu quorum fit quoque remissio, ab vno Episcopo ad alium Ordinarium iuxta exigentiam delictorum, & personarum. Impensæ autem fieri debent per Iudicem petentem, habet enim interesse ex officio suo, & mittens vti gratiam faciens, de suo, aut sui fisci id facere non debet. Vide Sperell. decif. 18. & ex Doctoribus ab eo citatis aliquid colligere poteris.

Quæres 33. An quando facienda est confrontatio Rei cum personis alterius Iudicis, remissio fiat ad carceres Rei patientis confrontationem, an ad carceres agentis confrontationem.

77 ℞. Remissio fiat à carcere agentis ad carcerem patientis, actor enim sequitur forum Rei; & minus periculum est in remissione eius, de cuius damno non agitur, quam eius, de cuius damno tractatur. Quare Iudex Ecclesiasticus pro confrontatione sui Rei potest petere à Iudice laico, vt remittat sibi suum carceratum, & è contrà.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

De Probatione Clerisatus.

SVMMARIVM.

1 *Probatio est demonstratio rei dubia per medium legitimum.*
2 *Per testes, per literas authenticas, per indicia indubitata.*
3 *Iuramentum defectu aliorum, est enim species probationis.*
4 *Confirmatio veritatis.*
5 *Clericatus non præsumitur, cum sit quid facti.*
6 *Homo nascitur laicus, unde prior est status laicalis, quam clericalis.*
7 *Probatur Clericatus primò per literas authenticas Ordinatoris.*
8 *Secundò, per librum Ordinatorum.*
9 *Tertiò, per literas peregrinationis.*
10 *Quartò, per expressionem Clerisatus in sententià latà.*
11 *Quintò, per assertionem Cardinalis.*
12 *Sextò, per attestationem Notarij.*
13 *Septimò, per Bullas Datariæ.*
14 *Octauò, per probationem Canonicatus.*
15 *Nonò, per collationem Beneficij.*
16 *Decimò, per remissionē ad curiā Episcopi.*
17 *Vndecimò, per exhibitionem etiam falsam Hostiariatus.*
18 *Summa minor continetur in maiori.*
19 *Promotus per saltum nullus præsumitur.*
20 *Duodecimò, per confessionē partis aduersæ.*
21 *Tertiodecimò per exercitiū Ordinis sacri.*
22 *Quartodecimò, per publicam famam, & vocem.*
23 *Quintodecimò, per communem reputationem.*
24 *Iuramento demum probatur.*
25 *Omnes prædicti modi probant Clericatum.*
26 *Testes duo requiruntur.*
27 *Vnus non sufficit, vbi agitur de præiudicio tertij.*
28 *Clericatus de sui naturà nulli præiudicat nisi extra se.*
29 *Testes duo licet singulares sufficiunt.*
30 *Non omni exceptione maiores.*
31 *Etiam in matrimonio carnali.*
32 *Non rogati sufficiunt.*
33 *Testes debent reddere rationem sui dicti.*
34 *Nouitiatus quomodo probetur.*
35 *Professio quomodo probetur.*
36 *Scribens in libro, se sponte professise adhuc reclamare potest.*
37 *Liber legalis probat.*
38 *Libri defectu, Professio probatur per testes.*
39 *Testes tales esse debent, quales in probatione Clericatus.*
40 *Religiosi possunt esse testes in hac causà.*
41 *Literis Prælatorum authenticis creditur.*
42 *Possessio Clericatus quomodo probetur.*
43 *Possessione probata, fiscus debet probare contrarium.*
44 *Litera extranei Ordinatoris probant Clericatum, & datam.*
45 *Licentiam, si eam allegat in suis.*

DE PROBATIONE CLERICATVS.

Dictum fuit in præcedenti capite, Clericum captum ex mandato Curiæ secularis ignotum hac qualitate, se asserentem Clericum, debere probare titulum sui Clericatus, aliter forum declinare non poterit. Ideo hic agendum est de probatione Clericatus. Præmitto, quòd probatio, quæ 1
est demonstratio rei dubiæ per medium legitimum, *Glos. initio C. de Probat.* fieri potest
quatuor modis. Primò per testes; Secundò 2
per istrumenta, & autheuticas literas; Tertiò per indicia indubitata, *l. fin. C. de probat.* Quartò demum per iuramentum, est enim
confirmatio veritatis, *cap. Et si Christus 26.* 3
de iureiur. Et pro veritate habetur *l. Nam postea 9. ff. de iureiur.* Habet vim probationis *l. Sed & si 11. §. Si eum. ff. eod.* Et datur 4
solùm

solùm in defectum aliarum probationum, *l. Tutor 35. eod.* Est enim medium subsidiarium, vnde non admittitur, stante præsumptione scientiæ, neq; cum aliquid est notum, *Decius in cap. Cognoscentes, de constit. num. 46. 47. & 48.* His præmissis,

Quæres 1. An præsumatur Clericatus? An verò sit probandus?

5 ℞. Non præsumitur, sed probandus est ab asserente illum, omnis enim homo nasci-
6 tur laicus, *Decian. lib. 4. cap. 6. num. 117. Ciarlin. cap. 20. num. 4.* & deinde fit Clericus, vnde prior est status laicalis, quam clericalis, cum illo enim homo nascitur, & ab eodem per sacram promotionem transit ad statum clericalem, status ergo laicus, & secularis originem trahit à natura, à qua dicitur naturalis, clericalis verò & ecclesiasticus procedit à diuina ordinatione ministerio Episcopi, ad quē ex officio pertinet ordinare, & de laico facere Clericum per sacram Tonsurationem. Ex his infertur assertum Clericatum esse probandum, vt docent omnes cum *Ciarlin. cap. 20. num. 4. Castropal. de Reuer. p. 4. num. 2. Mascard. concl. 302. num. 13. infra citandis.*

Quæres 2. Quibus modis probatur Clericatus?

7 ℞. Multis modis, & primò quidem potissimùm per literas authenticas ipsius Ordinatoris, *ex cap. Post cessionem 7. de probat. iuncta Glos. v. literas.* Et ita docent *Gramat. dec. 81. Seraphin decis. 713. num. 1. Rota par. 4. tom. 2. decis. 67. num. 4. Rota part. 5. decis. 34. num. 3. decis. 348. num. 4. decis. 385. num. 14. part. 6. decis. 101. num. 2. Caualer. decis. 483. num. 6. Ottobon. dec. 130. num. 3.* Debent autem literæ esse authenticæ, hoc est subscriptæ ab Episcopo ordinatore, vel à Cancellario illius, seu etiam à Secretario Episcopi, & sigillatæ, vt colligitur ex citata Glos. v. Literas. Inter autem probationes Clericatus hæc est potissima, cum procedat de manu Ordinatoris, vel eius Cancellarij, qui interfuit Ordinationi.

8 Secundò liber ordinatorum, quem appellant *la Vacchetta*, reseruatus in Archiuio Episcopali cum cæteris scripturis probat Clericatum, cum ex eo tamquam ab originali extrahantur literæ testimoniales Ordinum susceptorum, si enim mereditur copiæ authenticæ propter originale, à fortiori ij si originali, secundum illud Aristotelis: Propter quod vnum quodq; & illud magis, Ita docet *Felin. in dictum cap. Post cessionem, de probat. num. 3. Crauita consil. 134. num. 41. Mascard. concl. 305. num. 2. cum alijs Sperell. dec. 17. num. 23.*

9 Tertiò probatur per literas commendatitias, seu peregrinationis, in quibus proprius Ordinarius appellat Clericum suum subditum, *ex allatis à Sperello dec. 17. num. 21.*

Quartò probatur quoque si in sententiâ 10
latâ per Iudicem ecclesiasticum sententiatus vocetur Clericus. *Seraphin dec. 713. num. 3.*

Quintò probatur per assertionem Cardi- 11
nalis dicentis, talem personam esse Clericum. *Bald. in Proem. Decret. num. 23. Archid. in cap. Nihilominus, dist. 90. ex illis Mascard. concl. 305 fine.*

Sextò probatur per attestationem Nota- 12
rij, vt docet *Seraphin. decis. 755. num. 1.*

Septimò probatur ex Bullis Datariæ, nam 13
Datarius non concedit literas, nisi prius iustificato Clericatu. *Merlin. dec. 896 num 1. vbi citat decis. 78. Ludouis. num. 5. & dec. 490. num. 6. & par. 2. decis. 523. initio.*

Octauò ex Canonicatu probatur Clerica- 14
tus, quia Canonicatus non confertur nisi Clericis. *Rota part. 8. decis. 166. num. 48.*

Nonò ex Beneficio collato probatur Cle- 15
ricatus, Beneficia enim non conferuntur nisi Clericis, cap. 6. sess. 23. Ita *Probus ad Monachum in cap. 1. de temp. ordin. in 6. num. 10. Vers. Et quod tacita, Gabriel. lib. 2. cons. 181. num. 55. & 57. Paris. lib. 4. de resig. q. 2. num. 68.*

Decimò probatur per remissionem fac- 16
tam personæ Curiæ ecclesiasticæ per Iudicem laicum, vt asserit *Seraphin. decis. 713. num. 4.*

Vndecimò, probatur Clericatus exhibi- 17
tione testimonialium literarum vnius ex Ordinibus etiam Hostiariatus, nemo enim fit Hostiarius nisi prius fuerit promotus ad Primam Tonsuram, nec promouetur ad maiores, nisi initiatus in minoribus, eorum enim receptio gradatim facienda est. Probatis ergo Ordinibus minoribus, est probatus Clericatus. Ita *Puteus lib. 2 dec. 134. num. 5. Bald. in l. De solemnibus, C. de fide instr. Rota par. 5 dec. 126. num. 3. Riccius par. 2. dec. 113.* Et in hoc nulla debet esse
difficultas, quia sicut summa minor est in 18
maiori, *l. 1. §. Si stipulanti ff. de verb. obligat.* Et cum nullus præsumitur promotus per saltum, cum hic saltus sit peccaminosus,
ita initiatus Hostiariatu, censetur recepisse 19
Primam Tonsuram, quæ est minor Ordinibus.

Duodecimò probatur ex confessione par- 20
tis aduersæ. *Rota par. 7. decis. 162. initio, Grassus in Pralud num. 201. Nouar. de elect. fori sect. 2. q. 53. num. 19.* Vnde si captus à foro seculari, & coram Iudice renuntiat Clericatui volens esse subiectus illi Iudici, sperans sibi profuturum, vel quia in breui speratur gratia Principis ob filium Primogenitum mox nasciturum, Iudex secularis talem admittens renuntiationem, fatetur inde, & probatur per ipsum Clericatus, vnde si petatur ab Episcopo, remittendus est sine ostensione, & probatione Clericatus, neq;

Iudex tueri se potest ex renuntiatione, quæ nulla fuit, ex probatis cap. 2. num. 146. ad 150.

21 Decimò tertiò probatur Clericatus per exercitium Ordinis sacri, vt quia visus fuit canere cum manipulo Epistolam, seu Euangelium cum stola, seu celebrare Missam, per hos enim actus, qui non nisi à Clericis exercentur probatur Clericatus. De celebratione *Rota par. 1. dec. 629. num. 3. par. 2. decis. 252. num. 6. & par. 4. tom. 1. dec. 343. num. 2.*

22 Decimò quartò probatur per publicam famam, & vocem *ex cap. Si Iudex 12. de sent. excom. in 6. Rota par. 1. dec. 613. num. 4. par. 2. dec. 116. num. 3. par. 8. dec. 44. num. 5. & 19. par. 9. dec. 233. num. 1. dec. 371. num. 8. Merlin. dec. 160. num. 3. Bald. in l. Si solemnibus, de fide instr. Rota par. 3. dec. 562. num. 5. Verallus decis. 277. Sperell. decis. 17. num. 26.*

23 Decimò quintò probatur per communem reputationem, quia scilicet habitus fuit, & communiter reputatus Clericus per plures annos, vt quia continuò gessit habitum, & clericam, & exercuit actus clericales. Colligitur *ex cap. Si Iudex 12. de sent. excom. in 6.* Ita Innoc. *in cap. Innotuit, de eo, qui furt. ord. Gabriel. lib. 2. conf. 181. num. 52. & 57. Paris. lib. 4 de Resign. q. 2. num. 70. Rota par. 7. dec. 162 num. 2. Graffus in Prælud. num. 204.*

24 Demum iuramento quoq; probatur Clericatus, & in subsidium, quando scilicet nullum habetur aliud medium ad illius probationem. Ita *Claudius Tutius Allegat. 19. num 3. ex eo Rota par. 7. decis. 159. num. 11.*

Quæres 3. Ex quonam ex prædictis modis probatur Clericatus in ordine ad remissionem capti asserentis se Clericum?

25 R. Quilibet illorum modorum sufficit ad probandum Clericatum, cum non possint haberi litteræ testimoniales Ordinatoris. Singuli enim ex illis modis concludenter probant titulum Clericatus, vt constat ex hactenus dictis. Excipitur tamen iuramentum ipsius Clerici, cui in hoc non creditur, cum agatur de eius interesse declinandi scilicet forum. Et ita docent præcitati, maximè Sperellus.

Quæres 4. Quot testes requirantur in probatione Clericatus, quando desunt literæ testimoniales?

26 R. Vnus testis non sufficit, cum agatur de præiudicio tertij nimirum fisci, & Iudicis, vnicuique enim propria iurisdictio seruanda est, aliter ordo confunditur, *cap. Pervenit 39. 11. q. 1.* Vnico enim testi non creditur, quando agitur de interesse alterius, cui potest præiudicari. Ita *Farin. q. 87. num. 42. Marta Par. 2. de iurisd. cap. 31. num. 6. cum multis alijs Barb. ad cap. Si Iudex 12. de sent. excom. in 6. num. 3.* Quare cum agatur hic de præiudicio tertij nempè de Iurisdictione, quæ est res magni momenti, duo testes sunt necessarij. Ita *Couar. cap. 33. quæstionum num. 3. Rota par. 2. decis. 509. num. 2. Farinac. q. 8. num. 41. cum alijs Barb. ad dictum cap. num 12.* 27

Contrarium, quòd sufficiat vnus testis, docent plerique apud *Barb. cit. num. 13. Notarium de elect. fori sect. 2. q. 53. num. 24.* Rationem reddunt, quia Clericatus est actus, qui inspectâ eius naturâ nulli præiudicium infert. Sed reuera hæc opinio in materiâ remissionis est improbabilis, & Couar. eo cap. 33. num. 3. appellat temerariam. Quare esto Clericatus de se nulli noceat, cùm it res sancta, tamen relatiuè spectatus in ordine ad personam respectu Iurisdictionis, importat præiudicium, vnde requirit plenam probationem, quæ perficitur depositione duorum ad minus testium, cum desunt literæ testimoniales. 28

Quæres 5. An hi duo testes sufficiat, quòd sint singulares? an debeant esse contestes in actu, quo probatur Clericatus?

R. Non est necessarium, quòd sint contestes, sed sufficit, quòd sint singulares in actibus diuersis, & etiam in tempore, quia Clericatus aquiritur diuersis actibus, & successiuis, nam laicus prius tonsuratur, & post aliquas preces, & orationes induitur Cotta, idem seruatur in collatione Ordinum, nam promouendus non semel accedit coram Ordinatore, sed pluries, ergo ordinatio probari potest ex diuersitate actuum, & temporis, quis enim interfuit tonsurationi, & recessit, alter verò superueniens vidit Episcopum induere Clericum Cottâ. Idem accidit in probatione Clericatus per actus ipsorum Ordinum exercitos diuersis in locis, & temporibus, quos soli ordinati facere possunt iuxta dicta sub num. 21. Quod sufficiant testes singulares docent *Angel. in l. 2. ff. de testam. apud Bertach. v. Clericus, Gram. consf. 110. num. 4. cum. alijs Graffius in Prælud. num. 217.* Ea ratione, si enim sufficit vnicus testis, à fortiori duo licet non sint contestes. 29

Quæres 6. An debeant esse omni exceptione maiores?

R. Negatiuè, cum in cap. Si Iudex 12. de sent. excom. in 6. id non exprimatur. Confirmatur, quia valet argumentari à Matrimonio carnali ad spirituale, cuiusmodi est Clericatus, & Professio regularis nuncupata Matrimonium spirituale, Barb. loco cit. sed in Matrimonio carnali probando non requiruntur testes omni exceptione maiores, de communi Doctorum *apud Barbosam ad cap. 1. sess. 24. num. 121.* vbi, quòd consanguinei, domestici, infames, & fœminæ sufficiunt, ergo idem dicendum de testibus respectu Clericatus. 30 31

Quæres

Quæres 7. An debeant esse rogati?

32 ℞. Negatiuè, quia in Matrimonio carnali non requiruntur, *Nauar. conf. 11. de cland. dispens. Barb. alleg. 32. num. 139. & in Trid. sess. 24. ad cap. 1. num. 134. Sanchez lib. 3. disp. 41. num. 7.* ergo nec in spirituali, vt docui cap. 18. de profess. Regulari num. 111. in vtraque editione.

Quæres 8. An huiusmodi testes debeant reddere rationem sui asserti?

33 ℞. Affirmatiuè, dicendo. Est clericus, quia vidi eum ordinari ab Episcopo N. in tali loco; quia Episcopo assistebam in actu Ordinationis, per quam hunc ordinauit. Item vidi canentem illum Euangelium solemniter paratum etiam cum Stola. Vidi Missam celebrantem publicè, &c. Ita citati sub num. 21. supra, ita *cu Grasso in Prælud. num. 210. Nouarius sect. 2. q. 53. num. 13.* Vbi ex eo dicit, non probare rationem sui dicti, quia viderunt talem exercere officia ad Clericos spectantia, & etiam missas celebrare, qui nisi celebratio sit diuina, huiusmodi ratio non esset sufficiens, & consequenter tales non probarent, Exercitium ergo horum actuum, scilicet, canendi Epistolam, Euangelium, & celebrandi Missam debet esse diu num serio factum, & cum solemnitate sacrarum scilicet vestium. Et sic intelligendi sunt illi Doctores.

Quæres 9. Quomodo probetur aliquem esse Nouitium alicuius Ordinis, cuius habitum recipit?

34 ℞. Eisdem modis, quibus probatur Clericatus, nam in libris Monasterij notatur ingressus, & receptio habitus singulorum Nouitiorum, per extractionem igitur notatæ receptionis habitus Nouitiorum in forma authenticâ, hoc est, subscriptæ, & sigillatæ à Superiore Monasterij probatur illum esse Nouitium. Si deest liber, probatur per testes, qui viderunt eum recipientem habitum solemniter, vel conuersari cum alijs in Choro, in Refectorio, in Processionibus cum gestatione habitus religiosi. Et sufficiunt testes duo cuiuscunque conditionis, iuxta dicta de testibus pro probando Clericatu.

Quæres 10. Quomodo probetur quempiam esse Professum?

35 ℞. Probatur primò per librum Nouitiatus præscriptum in Constit. Clementis VIII. pro Nouitijs, his verbis: *Superior cuiuslibet Conuentus, in quo Nouitiatus fuerit constitutus, particularem librum habeat, in quo vniuscuiusq; Nouitij Professio registretur, illamq; Nouitius professus propria manu, & duo testes, qui præsentes fuerint, subscribant. Conseruetur verò literarum ignarus professus in eorundem testium, qui se subscripserunt, præsentia, propria manu signum Crucis apponat. Asseruetur q; liber, & custodiatur in Archiuio, vbi scriptura ad Monasterium, seu Conuentum pertinentes reponi consueuerunt.* De hoc libro facit mentionem Donatus *Ordinis Prædicatorum in suo opere de Rebus Regular. par. 4. tract. 10 q. 4. num. 6. 7. & 8.* Subiungens, quod S. C. mandauit, 36 Nouitium subscriptioni debere addere ætatem suam, & fateri per scripturam se spontè esse professum. Id non placet, quia si metu profitetur, metu etiam scribet sponte se professsse, & ideo per hoc non dicitur artificare suam Professionem, si inuitus profecit, quia etiam coactè, & materialiter tantùm scripsit: *Spontè professionem emisi*; scripsit ergo manu, non mente, mutando voluntatem, vnde per hoc non impeditur à reclamatione. Libet autem huiusmodi sanè probat, cum sit legalis, lege scilicet Pontificiâ institutus, sicut enim probant alij libri legales e. g. liber Baptismi, *Mamdos Reg 18. q. 210. num. 4. Gratian. cap. 155. num 14. & cap. 767. num. 47. Ego cap. 7. de profess. regular. num. 17.* ita & iste, cum sit legalis. 37 Quare copia extracta cum subscriptione, & sigillo Superioris regularis firmata probabit, ac si esset publicum instrumentum per Notarium signatum.

In defectum libri Professio probatur per 38 testes, qui fuerunt præsentes, dum Nouitius Professionem emisit. Ita *cap 4. 20 q. 2. cap. Nuper 51. de testib. Bald hic num 5. Felin. num. 1. Aretin. num. 4. de testib. Berous lib. 1. consil. 29. num. 10. Caualer. decis. 271. num. 4. Barbosa ad idem cap. 51. de testib num. 3. Scotus in 4. dist. 38. q Vn. & ers. Dico, Ego cap. 18. de profess. regul. num. 311.*

Quæres 11. Quales debeant esse testes probantes Professionem capt.?

℞. Tales, quales requiruntur in proba- 39 tione Clericatus, eodem enim passu currit probatio vnius, & alterius, maximè in hac causâ remissionis capt. ad Curiam ecclesiasticam. Etiam eiusdem Ordinis religiosi possunt esse testes in præsenti materiâ, ipsi enim id melius sciunt præ cæteris. Et ita do- 40 cent *Canon. in cap. Nuper. de testib. Abbas, Felin. & Bald. Mascard concl. 1243. num. 29. Ego tom. 5. Impress. Lugdun. cap. 18. num. 111. de Profess. regul. & ibidem Impress. Veneta.*

Quæres 12. An Episcopi literis authenticis, & Prælati regularis, teneatur credere Iudex secularis, quòd captus sit Ecclesiasticus?

℞. Affirmatiuè, quia fidem indubitatam 41 faciunt literæ Superiorum per ipsos subscriptæ, & sigillatæ, *Glos. v. Authenticas, cap. Cum in ecclesijs 10. de maior. Glos v. Literas, cap. Post. cessionem 7. de Probat. Barb. ibidem. num. 2.* Et ita docet Sperell. in his terminis *dec. 132. num. 73.*

Quæres.

Quæres 13. Quomodo quis dicatur esse in possessione Clericatus?

42 ℞. Qui per decennium incessit in habitu & tonsura, & seruitio Ecclesiæ dicitur esse in possessione Clericatus, *per Mascard. concl. 302. num. 6. & 304. num. 18. Vbinum. 6. ex Rota in Nouis. dec. 2. de filijs Presbiter. in Addit. 2. num. 5.* etiam per triennium.

Quæres 14. Quid si captus probet possessionem Clericatus, sed non titulum, sit remittendus cum hac sola probatione possessionis?

43 ℞. Remittendus est, quia hactenus pro Clerico habendus est, donec fiscus secularis probet contrarium, quòd scilicet non sit Clericus, vt docet *Viuian. lib. 6. de Iure-patr. cap. 1. num. 50. & 51. quem citat Nouar. sect. 2. de elect. fori q. 53. num. 8. alijs citatis*, Videtur hoc procedere cum Clerico incola, non verò extero, & vltramontano; remanet ergo, quòd in hoc casu valdè probabilis sit opinio, quòd obligatio probandi captum non esse Clericum transferatur in fiscalem, vt docet *Graffus in Prælud. num. 225*.

Quæres 15. An literæ patentes extranei Episcopi probent Clericatum? E. g. Episcopus Regiensis contulit Clericatum subdito Episcopi Parmensis. Numquid illæ probant Clericatum ad hunc effectum, quòd debeat remitti ad Curiam ecclesiasticam Parmensem?

44 ℞. Affirmatiuè, quia fidem facit per Instrumentum authenticum de actu Ordinationis à se facto; quod procedit siue ordinauerit illum cum licentia Episcopi Parmensis, siue non, certum enim est, quòd validè est ordinatus, licet non licitè defectu licentiæ proprij Episcopi. Et satis est, quòd in literis Ordinatoris dicatur de licentia sui Episcopi, hæc enim particula probat ha-

45 buisse licentiam à suo Episcopo recipiendi Primam Tonsuram ab extraneo, vt docent *Gabriel. lib. 2. consil. 181. num. 17. Cæsar de Graffis decis. 1. de præsumpt. cum illa Rota part. 5. dec. 126. num. 4.*

Dices, huiusmodi literæ extranei Ordinatoris nihil illi suffragantur, quia Ordinatus ab extraneo sine licentia proprij Ordinarij non gaudet Priuilegio fori criminalis, ex adductis cap. 4. num. 52.

℞. Ordinatum hoc modo adhuc gaudere Priuilegio fori, donec declaretur ab Episcopo amplius non gaudere ex probatis ibidem. num. 51. & 53.

CAPVT DECIMVM IV.

De Iudice Laico Criminali contra Ecclesiasticos.

SVMMARIVM.

1 *Is non potest iudicare Ecclesiasticos.*
2 *Dominus est, qui iudicat suos subditos.*
3 *Iudex laicus tunc incipit esse dominus malefactoris ecclesiastici, cum declaratur non gaudere Priuilegio fori.*
4 *Consuetudine induci non potest, vt iudicet illos.*
5 *Non potest procedere contra illos ex quouis grauissimo delicto.*
6 *Propositio vniuersalis omnia comprahendit, quæ alias non comprahenderentur.*
7 *Clericus occidens Principem non est reus criminis læsæ maiestatis.*
8 *Monetarius non punitur à Iudice laico.*
9 *Arma non auferuntur à Clericis per ministros laicos.*
10 *Neque venator, aut piscator in loco reseruato.*
11 *Neque vsurarius.*
12 *Sodomita degradatur.*
13 *Exercere dicitur, qui quater vltra egit.*
14 *Patiens non dicitur exercere.*
15 *Correlatiua non iudicantur ad imparia etiam in pœnis, si militat eadem ratio.*
16 *Exercere importat solam actionem.*
17 *Pœna Sodomitarum incurruntur solum post sententiam.*
18 *Sodomia non est abusus bestiarum.*
19 *Nec mulierum.*
20 *Delinquens cum seculari, vnusquisque à suo iudicatur.*
21 *Iudex laicus non potest distringere Clericum sui offensorem.*
22 *Neque carentem Superiore in loco delicti.*
23 *Saluam guardiam frangens non punitur.*
24 *Rempublicam perturbans non punitur.*
25 *Salamon Rex, & Sacerdos.*
26 *Insordescens in excommunicatione non punitur.*
27 *Insordescens pro hæresi hæreticus putatur, pro alijs verò suspectus.*
28 *Deponens falsum coram Iudice laico, ab eo non punitur.*
29 *Iudicans Clericum ignotum nihil agit.*
30 *Male actum reuocatur.*
31 *Reconuentus non potest.*
32 *Accusatus non potest accusare, nisi prius se purget.*
33 *Feudatarius non iudicatur à domino.*
34 *Officialis delinquens à Principe non punitur.*
35 *Non perdit ob confiscationem bonorum paternorum.*

36 Equi-

Digitized by Google

36 *Equites regulares non puniuntur à Iudicibus regijs.*

37 *Maltenses ad hoc habent speciale Priuilegium.*

38 *Puniuntur ab Episcopo officiales eius offendentes.*

DE IVDICE LAICO CRIMINALI CONTRA ECCLESIASTICOS.

1 CErtissimum est, Iudicem secularem non posse criminaliter procedere contra Ecclesiasticos respectu quorumcumq; delictorum, dum habent vsum Priuilegij fori criminalis, vt clarè docent non solum ius diuinum, de quo abunde dixi cap. 2. sed etiam Canonicum *Caus. 11. q. 1. per totam, cap. Decernimus 2 cap. & si. clerici 4. cap. clerici 8. de iudic. cap. Nullus 2. cap. Si diligenti 12. cap. cum contingat 13. de foro compet.* Ratio est, quia solus dominus suos
2 subditos iudicat, iuxta illud Pauli 1. Corinth. 4. num. 5. *Qui autem indicat me, Dominus est*, Episcopus autem, & quilibet alius ordinarius est dominus suorum subditorum, quousq; sint declarati, non amplius gaudere Priuilegio fori criminalis, ita quòd Iudex laicus non incipit esse Dominus ecclesiasti-
3 ci delinquentis, & malefactoris, nisi per declarationem, quod non gaudet Priuilegio, per hoc enim Iudex laicus incipit aquirere iurisdictionem in Clericum quò ad hoc factum laicum, quod latius probaui cap. 6. num. 29. cap. 9. num. 6. Et quia facilis est vsurpatio Iurisdictionis, ideirco ad tollendos huiusmodi abusus, ne radices figant in præiudicium Ordinis ecclesiastici obstat Bulla Cænæ Domini impediens efficaciter huiusmodi abusus sub Excom 19. de qua in sequenti Capite.

4 Ita quód nec consuetudine induci potest, quod Iudex secularis possit procedere criminaliter contra ecclesiasticas Personas, cum Deus ipse Priuilegium hoc fori illis concesserit, cum dixit *Nolite tangere Cristos meos*, vt latius probaui cap. 2. nulla enim consuetudo valet contra Dei legem, vnde eam Canones supracitati reprobant, cum Bullà Cænæ Domini, vt dixi. Demum id agnoscens Ius ciuile, mandauit Auth. ante l. 32. C. de Episcop. & Cler *Statuimus vt nullus ecclesiasticam Personam in criminali quæstione, vel ciuili trahere ad iudicium seculare præsumat contra Constitutiones imperiales, & canonicas Sanctiones*. Ad quæstiones.

Quæres igitur primò an Iudex secularis pro grauissimo delicto possit procedere contra Personam Ecclesiasticam? E. g. in crimine læsæ Maiestatis humanæ?

5 R. Negatiuè, quia ita deciditur *in cap. Clerici 8. de iudic.* ibi *Vt omni crimine Clericus debeat corã ecclesiastico Iudice conueniri.* Cap. cum non ab homine 10. eod. vbi generaliter loquitur illis verbis: *Quibuscunq: fuerint criminibus deprabensi* Propositio 6
enim vniuersalis omnia comprehendit, quæ alias non comprehenderet, *Ant. Monach. dec. 69. num 8. ex eo Rota par. 7. dec. 62. num. 7.* D. August. in Psal. 8. tom. 8. inquit: *Nihil excipit, cum dicit omnia.* Ergo nec excipit crimen læsæ Maiestatis, quod grauissimum ab omnibus reputatur. Et loquendo de crimine læsæ Maiestatis, quod in hoc Iudex laicus non possit procedere contra Ecclesiasticum, certum est quia occidens Principem non potest inquirere homicidium hoc qualificatum, cum eius subditus non sit, *Farinac. q. 112. num. 231.* Vnde nec à Iu- 7
dice seculari puniri potest, *Bossius tit. de crimine læsa Maiest. num. 86. Vers. communis, & de foro compet. num. 136. & 137. Farinac. q. 8. num 30. Clarus q. 36. num. 22. Grassus Effectu 1. num. 568.* Nec tradendus est curiæ seculari, *Barbatia lib. 3. cons. 22. Barbosa ad cap. Si quis 19. 22. q. 5.* Sed à solo suo Iudice ecclesiastico venit puniendus, *Farinac. q. 112. num. 232. & 233. & q. 8. num. 28. & 30. & decis. crim. 241. fine Diana par. 3. tract. 1. resol. 16. Panimolla constitut 46. num. 72.*

Contrarium, quòd Iudex secularis in hoc casu possit procedere contra Clericum, immo, & Episcopum, docent *Clarus cit. q. 36 & in §. Læsa Maiestatis, Vers. Hinc infertur, Bossius tit. hoc num. 86. fine*, quos contra se citat *Farinac. q. 8. num. 28.* Dicentes, quod licet prior opinio sit de iure verior, tamen de facto, immo de iure quoque Iudicem laicum procedere contra Clericum. Probantes *Primò* ex cap. Si quis 19. 22. q. 5. vbi si quis contra Regem, & Dominum suum machinatur in mortem, etiam Episcopus, Præsbyter, & Diaconus, si hoc crimen commiserit, degradetur. *Secundò*, non valet ex hoc antecedente. Clericus conspirando contra suum Principem secularem non committit crimen læsæ maiestatis, ex Clem. Pastoralis de appellat. Inferre, ergo non potest ab eo puniri de tali cõspiratione, cum multa dentur crimina, quæ ex sua atrocitate, licet commissa à Clericis, puniuntur à laicis; clarum habemus exemplum de Clerico assassino, de quo cap. 9. num. 19. *Tertiò*, quia Ecclesiastici naturaliter originarij dicuntur esse in dominio ipsius Principis, qui in suo statu vniuersale habet dominium, *alijs citatis ab eodem Farin. q. 8. num. 29. & 30. Grasso num. 572.* vbi quod licet non sit subditus ratione fori, est tamen subditus ratione fidelitatis. His non obstantibus.

Persistendum est in responsione, quia hoc crimen nullum ius dat Iudici laico proce-

dendi

dendi contra Clericum, eum per hoc crimen non perdat Priuilegium fori, nullo enim iure exprimitur hæc pœna amissionis Priuilegij ex cap. 9. num. 22.

Ad primum dico, textum loqui de illis, qui fidelitatem cum iuramento promiserunt Principi, etiam Clerici, qui tale Sacrilegium commiserunt, machinando contra eum mortem, debent degradari, ita quòd nisi post degradationem ius habet procedendi contra eum, quia tunc non contra Clericum priuilegiatum, sed contra laicum quasi talem procedit auctoritate legis, non ex officio suo. Vid. Barb. hic, vbi per degradationem intelligit depositionem. Dic vlterius, illum textum legem non facere, cum sit dictum D. Augustini, immo in eius operibus non inuenitur, quare talis textus attendendus non est.

Ad secundum dico, bonam esse illationem, quia crimen læsæ Maiestatis non dat Iurisdictionem laico, nec à Clerico aufert Priuilegium, ergo ex hoc capite Clericus non potest puniri à Iudice laico propriâ auctoritate, neq; in hoc delicto, neq; in alijs.

Ad tertium, originatio solùm probat; quòd fuit ab origine naturaliter subditus, sed dum à statu laicali transit ad statum ecclesiasticum, hunc aquisiuit cum deperditione prioris, sunt enim simul incompossibiles, nulla ergo ratione consideranda est originaria subiectio, dum deficit in transitu ad Clericatum, vnde nec dicitur illi subditus ratione fidelitatis, quam illi non iurauit ratione Originis.

Quæres 2. An Monetarius puniri possit à Iudice seculari?

8 ℟. Negatiuè, quia nullo iure habetur, hoc delictum priuare Clericum Priuilegio fori, nec dare Iudici seculari potestatem puniendi ecclesiasticos Monetarios, aut monetarum Tonsores. Ita *Gram decis. 163. Roland. consil. 4. num. 3. cum alijs Grassus Effectu 1. num 576.* Contra Monetarios Pius V. edidit Bullam sub 111. quam innouauit Vrbanus VIII. in suà 75. incip. *In suprema.*

Quæres 3. An possit auferre arma quæcumq; ecclesiasticis?

℟. Negatiuè, quia nullo iure canonico
9 Iudici seculari id conceditur, neq; per illorum delationem perdit Priuilegium fori, ex dictis cap. 9. q. 9. num. 23. Habent proprios Superiores, qui arma illis concedunt, cum opus est, & gestantes sine illorum licentià puniunt, ergo nulla ratio suadet, quod seculares possint Ecclesiasticos armis spoliare. Est communis sententia Doctorum 40. quos recenset *Barb. ad cap. In audientia 25. de sent. excom. Ciarlin. cap. 15. num. 83. & cap. 20. num. 71. Bonac. disp. 10. de legib. q. 2. p. 1. §. 1. num. 2. Decian. lib. 4. cap. 9. num. 140. Farin. q. 8. num. 96. q. 108. num. 21.*

Quæres 4. An procedere possit contra venatorem, & Piscatorem?

℟. Rem venatam, seu piscatam, in lo- 10
co, vbi est Principis reseruatio, eripere potest de eius manibus, quia est res sub dominio reseruantis. Procedere autem contra illum puniendo in persona, vel rebus suis nequaquam potest, quia in his non est dominus. Ita *Salcedo ad Diaz cap. 65. fine, Morla q. 16. num. 16. Cenedus Collectan. 37. num. 19. ex illis Grassus num. 863.* Addo, quod illis auferre non potest canes, & instrumenta venàtionis, aut piscationis, cum sua sint.

Quæres 5. An procedere possit contra Vsurarium ecclesiasticum?

℟. Negatiuè, quia nullo iure id illi con- 11
ceditur, nec Vsurarius caret Priuilegio. Grassius num. 1002. quicquid dicant Ioannes Monachus, & Ioannes Andreas apud ipsum sine fundamento.

Quæres 6. An Ecclesiasticus sodomita distringatur à iudice laico?

℟. Negatiuè, nisi post degradationem, 12
& traditionem Curiæ seculari, vt statuit Pius V. in duabus suis Bullis, prima incip. *Cum primum* 5. §. 11. Secunda incip. *Horrendum* 72. his verbis: *Omnes, & quoscumq; Presbiteros, & alios Clericos seculares, & regulares, cuiuscumq gradus & dignitatis, tam dirum nefas exercentes omni Priuilegio clericali, omniq; officio, dignitate, & beneficio ecclesiastico præsentis Canonis auctoritate priuamus, ita quòd per Iudicem ecclesiasticū degradati potestati statim seculari tradantur.*

Occurrunt hic duæ potissimum difficultates prima quid importet exercere hunc actum? Secunda, an patiens subijciatur his pœnis?

Ad primam, ille dicitur exercere hunc 13
actum, qui ex vsu continuato id vitium exercet, *Rodriq. tom. 1. q. 32. art. 19. Sayrus lib. 7. de cens. cap. 12. num. 23. cum alijs Barb. ad cap. 4. de excessib. Prælator. num. 7.* Excusatur à pœnis, qui quater probatur exercuisse hoc vitium *Mazucbell. de casib. Mediol. disput. 2. cap. 22. num. 10.*

Ad secundum, his pœnis non subijcitur 14
patiens, quia perpetrare, & exercere hoc vitium, non est illud pati, sed agere tantum. Ita nonnulli apud Barbosam citandum.

Contrarium, quòd etiam patiens subijciatur his penis, docent *Floronus, Coriolanus, Diana, Bonacina, apud Barbosam ad cap. 4. de excessib. num. 12. Vers. Sexto, Mazuchel disp. 2. cap. 22. num. 7.* & alij apud ipsos. Probant *Primò*, quia dispositum in vno correlatiuorum, censetur etiam dispositum in altero. *Secundò* tam patiens, quam agens propriè dicitur perpetrare, seu exercere hoc vitium, ergo pari pœna puniuntur.

Ad

16 Adprimum dico, verum quidem eſſe, quòd correlatiua non iudicantur ad imparia etiam in pænalibus ab Euerardo in hoc loco num. 9. quando ſcilicet militat in vtroque eadem ratio, *ex ibi allegatis, & à Barb. loco hoc 29. num.* 2. & 3. Sed hic non militat eadem ratio, cum experientià notum ſit, huius vitij cauſam inſtigantem eſſe regulariter agentem, ipſum verò patientem non inſtigare, ſed tantùm pati, ætas enim puerorum huius vitij ignorantiam, & impotentiam arguit, eos non poſſe dici perpetrare, & exercere tale vitium. Et quòd patientes non ſubduntur pænæ mortis certi iuris eſt ex eorum minoritate.

Ad ſecundum, falſum eſt, verbum *exercere* importare vtrunq; cum luce clarius ſit, ſignificare ſolam actionem, quod quoq; ex eius compoſitione, & etimologia deducitur *Ex* & *Arceo* ſcilicet, agendo arceo à me ignauiam, & pigritiam, vnde & exercitus militum dicitur, quia continuò agunt militando contra hoſtes, exercere, ergo non eſt pati, ſed tantùm agere.

17 Numquid pænæ incurruntur ante ſententiam? Nequaquam etiam in foro Conſcientiæ. Ita *Suarez de cenſ. diſp.* 31. *ſect.* 4. *num.* 22. *Sayrus lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 24. *Sanchez lib.* 7. *diſput.* 46. *num.* 18. *Bonac. q.* 4. *de Matrim. p.* 11. *num.* 2. *Barb. ad cap.* 4. *de exceſſib. num.* 11. *Verſ. Septimo.* De his, & alijs pænis vide *Farinac. q.* 147. *Quaranta v. Sodomia, Panimolla in ſuo Prauſinome conſtituto* 46. *à num.* 47. *ad* 54.

18 Harum pænarum non eſt reus abutens beſtijs, quia reuera non eſt Sodomia. Ita *Nicolaus Garzias par.* 11. *de beneſ. cap.* 11. *num.* 204. *Diana par.* 2. *tract.* 3. *Miſcell. reſol.* 66. Multi tenent contrarium citati à Barb. in dictum cap. 4. de exceſſib. num. 11. Sed meo iudicio inæpte, quia in odioſis, & pænalibus verba ſunt strictè, & propriè accipienda. Nam Sodomia verè, & propriè
19 accepta, de qua cap. 19. Geneſ. num. 5. *Vocaueruntq; Lot, & dixerunt ei, vbi ſunt viri qui introierunt ad te nocte? educ illos huc, vt cognoſcamus eos.* Eſt ſeminis humani emiſſio intra vas ſtercorarium hominis maſculi ab alio maſculo, eſt ergo commixtio maſculorum inter ſe, vnde excluditur non ſolum beſtiarum, ſed etiam feminarum abuſus. Ita *Floronus par.* 2. *de caſibus reſeru. caſu* 7. §. 1. *n.* 9. *Bonac. q.* 4. *de matrim. p.* 11. *Barb. ad cap.* 4. *de exceſſib num.* 10. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 154. *art.* 8 *ibidem Caietanus, Defendens de caſib. Comi diſp.* 3. *caſu* 5. *num.* 578. *Mazuchell. diſp.* 2 *cap.* 22. *initio.* Qui Sodomiam vocant coitum inter perſonas eiuſdem ſexus.

Quęres 7. An clericus delinquens ſimul cum ſeculari puniri poſſit à Iudice ſeculari?

20 ℞. Negatiuè, & probaui cap. 10. q. 10.

Quæres 8. An Clericus capi, & puniri poſſit à Iudice ſeculari offenſo?

℞. Non poſſe, quia per iniuriam illatam 21
Iudex nullum aquirit ius procedendi contra ſibi iniuriam illatam; neq; per id perdit ſuum Priuilegium. Confirmatur, quia id eſt vindicare propriam iniuriam, quod nemo facere debet, ſed recurrendum eſt ad Superiorem iniurantis, vt Iuſtitiam faciat. Quod procedit, ſiue agat officium Aduocati, ſiue Procuratoris, vel alia ratione, quia nihil ex his tribuit eidem ius procedendi contra Clericum, cum nullus ex Cánonibus talem facultatem ei concedat.

Carolus Graſſus Effectu 1. num. 935. probat duabus rationibus poſſe Iudicem ſecularem Clericum ſibi inſultantem diſtringere. *Primò*, quia Clericus exercens aliquid contrarium Clericatui amittit Priuilegium fori; ſed exercens Aduocatum, &c. facit aliquid contrarium Clericatui, vt probat 11. & 12. ergo perdit Priuilegium, & ſic tanquam alter laicus puniri poteſt à Iudice ſeculari, quem offendit. *Secundò*, poteſt illum capere tanquam in fragranti crimine deprehenſum, ergo.

Hæ rationes nullius ſunt momenti. Vnde ad priorem dico reſpondendo ad hominem ex ipſo Graſſo Effectu 12. num. 4. non perdere Priuilegium, quia non eſt ars vilis, neq; ſordidum exercitium, propter quod perditur Priuilegium. Adde, quòd argumentum eius non facit ad rem, quia aliud eſt exercere artem, aliud iniuriare Iudicem. *Ad ſecundam* dico, neq; in hoc caſu poſſe capere Clericum ſibi iniuriantem, cum debeat recurrere ad eius Superiorem, vt illum diſtringat. Quòd in nullo caſu Iudex laicus mandet capturam Eccleſiaſticorum propriâ auctoritate probaui ſupra ſub cap. 11.

Quæres 8. An Clericus in loco, vbi deliquit, non habens Superiorem, poſſit à Iudice ſeculari capi, & puniri? Iterum infra q. 18.

℞. Id facere non poteſt, quia nullo iure 22
canonico illi hæc poteſtas tribuitur. Nec obſtat, quòd in loco non habeat Clericus Superiorem, quia talis carentia non tribuit facultatem Iudici ſeculari. Præterquamquod in omnibus Ciuitatibus habetur Epiſcopus, vel Iudex eccleſiaſticus, cuius eſt corrigere delicta Eccleſiaſticorum.

Plerique cum Graſſo num. 963. tenent contrarium referentes exempla contra nonnullos Equites Maltenſes, qui fuerunt capti de mandato Iudicis laici, & tranſmiſſi ad ſuum Iudicem eccleſiaſticum, nam abſentia Iudicis competentis tribuit iuriſdictionem Iudici non competenti.

Sed ego inuenio ius aſſerens inter Iudices diſparis ſtatus tribuens facultatem ex abſentiâ alterius. Iterum infra q. 18.

Digitized by Google

Quæres 9. An Clericus contraueniens Saluæguardiæ, & illam frangens possit puniri de mandato Principis?

23 ℞. Negatiuè, quia nullo iure canonico id reperitur concessum. Ita *Guidopapa dec. 77. Verſ. Sed an Iudex, cum alijs Graſſus num.* 1004. *contra nonnullos ab eo citatos nulla ratione ſuffultos.*

Quæres 10. An Clericus perturbans Rempublicam possit puniri à Iudice laico, tamquam inquietus?

24 ℞. Negatiuè, cum huic malo possit prouideri per Superiorem ecclesiasticum à Magistratu admonendum. Quicquid dicat Grassus num. 1011. cum alijs fundatis in eo, quod legitur 3. Reg. cap. 2. de Salomone Rege, qui fecit interficere Abiathar Sacer-

25 dotem. Sed hoc non obstat, quia Salomon erat etiam Sacerdos cum potestate spirituali ex cap. 7. lib. 2. Paralip.

Quæres 11. An Clericus contemnens Excommunicationem puniri possit à Iudice seculari? Contemnere, seu insordescere dicitur ille, qui iam contumax, & inobediens excommunicatur, & in excommunicatione per annum permanet nolens obedire neque absolutionem ab ea quærere. Doctores *in cap. Excommunicamus* 13. *de hæret. & cap. Cum contumacia* 7. *eod. in* 6.

26 ℞. Insordescens in eâ solùm ab Episcopo, vel Inquisitore puniri potest, quia est suspectus de hæresi, quod est crimen reseruatum solùm prædictis, *Cap. vt Inquisitionis* 18. §. *Prohibemus, de hæret. in* 6. *Farinac. q.* 186. *num.* 154. *Barb. ad dictum cap.* 18. *num.* 7.

Contrarium, quòd in hoc casu possit se intromittere etiam Iudex laicus, quando Ecclesiasticus non potest ob potentiam Excommunicati illum punire, docent nonnulli cum Grasso num. 1012. & 1013. Sed reuerà id omninò falsum est, quia Episcopus, & Inquisitor sunt potentes tum per se, tum per laicam potestatem, cum mandare possint, vt sibi contumacem capiant, & consignent, ex cit. cap. 18. Et hic confutatur error Bertachini apud dictum Grassum num. 1035. asserentis Iudicem secularem posse punire Clericum Fidem subuertentem, cum is casus sit merè ecclesiasticus, ita quòd nec incidenter laicus potest se in eo intromittere, ex cit. cap. & docent citati à Farinac. & Barbosâ.

27 Notâ autem, quòd insordescens in Excommunicatione propter delictum Hæresis excommunicatus, habendus est pro Hæretico, *ex cap. Excommunicamus* 13. *de hæret.* citandus tamen ad allegandum causam, quare non debeat declarari Hæreticus. Insordescens verò propter aliud delictum habetur solùm pro suspecto de hæresi, *cap.* 3. *in fine, Seſſ.* 25. *in Tridentino*, *vbi Barboſa citat Doctores num.* 34. *& in præcitato cap.* 13. *num.* 11.

Quæres 12. An Clericus delinquens coram Iudice seculari e. g. deponendo falsum Instrumentum, puniri ab eo possit?

℞. Negatiuè, quia nullibi in iure reperitur, quòd per delictum mendacij, aut periurij Clericus perdat Priuilegium fori. Ita docent omnes cum *Hoſtienſi, Butrio, Innocentio, Ioanne Andrea, & Felino in cap. Verum, de foro compet. Farinac. q.* 8. *num.* 26. alijs relatis Grassus *num.* 1147. *Ciarl. cap.* 48. *num.* 10. *&* 11. qui Grassus præced. num. alios in contrarium recenset, nullo fultos fundamento. 28

Quæres 13. An Iudex secularis procedens contra Clericum, quem putabat laicum, ritè, & validè agat, & non comparens ipsum condemnet in contumaciam, immo definitiuè, si probatum, sit delictum contra illum?

℞. Acta contra Clericum siue notum, siue ignotum in ratione Clericatus, probato concludenter Clericatu, ipso iure nulla, & inualida sunt, defectu Iurisdictionis in procedente, ac proinde omnia acta debent carere iuribus, & pro nihilo haberi. Ita *ex cap. Cum ſuper* 23. *de offic. deleg. Decius conſil.* 198. *num.* 3. *Diana par.* 6. *tract.* 8. *reſol.* 4. *Verſ. Verum, Paſqualig. q.* 72. *initio.* Defectus enim Iurisdictionis insanabilis est, *ex allegatis à Guaz. Defenſ.* 1. *cap.* 1. *num.* 4. Et ita docent citati *à Graſſo num.* 1287. Quarecum omnia acta sint nulla, & lata Sententia, vt quæ procedunt à Iudice incompetente, nunquam reuiuiscere possunt, & Clericus perpetuò agere poterit de nullitate, vt docent omnes *cum Paulo de Caſtro in l.* 2. *ff. ſi quis in ius voc. num.* 9. *Verſ. Breuiter Proſpero Paſſeto conſ.* 23. *num.* 7. *ex eis Graſſus num.* 1292. Ita quod Iudex requisitus tenetur ea acta reuocare, quia malè, & iniustè facta emendanda sunt, & corrigenda, ex Auth. de Nupt. collat. 4. Vbi Imperator inquit: *Non enim erubeſcimus corrigere, quæ prius diximus, nec ab alijs corrigi expectare volumus.* Vnde *ex cap. Graue* 19. *de offic. Ordin.* dicitur: *Iudex, quæ malè egit per ſeipſum emendare debet.* Colligunt *ex l. præſes* 6. *C. quomodo, & quando, l.* 4. *C. de accuſat. Anchar. conſil.* 184. *Felin. conſil.* 49. *num.* 19. *Decian. lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 61. *fine, & num.* 115. *ex illis Graſſus num.* 358. 29 30

Quæres 14. An Clericus reconueniri possit coram Iudice laico in criminali, coram quo ipse Clericus conuenerat laicum?

℞. Negatiuè, quia accusatus non potest accusare in eodem Iudicio, nisi prius se purgauerit. Confirmatur, quia reconuentio non dat ius, sed illud supponit; certum autem est, Iudicem laicum nullum habere ius in 31 32

ius in reconuentione, ergo non potest esse Iudex reconuentionis. Ita *Glos. v. Non tenet, cap. 4. de indic. Glos. v. Aut condemnare, cap. 2. de foro compet. Clarus q. 2. num. 3. cum alijs Barbosa in cap. Ex literis, de litis contest. num. 7. Guazin. Defens. 1. cap. 7. fine, Farinac. q. 8. num. 99. Bonac. in Bulla disp. 1. q. 16. sect. 1. p. 6. num 8. limit. 2. Castropal. de Reuer. p. 6. num. 9. Grassus num. 763. & 766.* Asserentes procedere, etiam si in causa criminali procedatur ciuiliter.

Quæres 15. An Clericus feudatarius possit puniri à suo domino?

33 ℞. Negatiuè, etiam si deliquerit in causâ feudali, siue agatur criminaliter, siue ciuiliter in crimine, quia nullibi reperitur id concessum Iudici seculari, qui nec directè, nec indirectè potest distringere ecclesiasticas personas. Ita *Couar. in cap. Verum, de foro compet. num. 2. & 3. Butrius, & Abbas num. 17. ibidem, Surd. lib. 2. cons. 193. num. 25. Berous lib. 1. cons. 82. num. 11. cum alijs Grassus num. 726. & 727.*

Quæres 16. An Clericus officialis Principis secularis, si delinquat in officio, puniatur ab eodem Principe?

34 ℞. Negatiuè, expressè cap. Cum contingat 13. de foro compet. vbi, quòd coram suo Episcopo conueniendus est, nisi Priuilegium, vel consuetudo aliud inducat. Ita *Abbas in dictum cap. Couar. in practicis quæst. cap. 33. num 6. Decian. lib. 4. cap. 9. num. 143. Bonac. de legib. disp. 10. q. 2. p. 1. §. 1. num. 24. Diana par. 1. tract. 2. resol. 18. cum alijs Barb. in cap. Sacerdotibus 2. Ne cler. vel mon. Dal Bene par. 2. cap. 9 dub. 35. sect. 1. num. 16.* Quo ad distrinctionem, quo verò ad redditionem rationum cogendus est ab Episcopo.

Contrarium, quòd possit puniri à Principe, tenet *Farinac. q. 8. num. 98. cum Cenedo Collect. 61. num. 6. Camillo Borella de præstantia Regis Catol. cap. 71. num. 34. apud dictum Barbosâ.* Probatur primò *ex cap. Cum contingat 13. de foro compet.* ibi: *Vel consuetudo aliud inducat.* Secundò ex cap. præcitato Sacerdotibus 2. Ne Cler. vel. Mon. illis verbis: *Indignum est eis ab Ecclesiâ subueniri, per quos constat in Ecclesiâ scandalum generari.* Ergo cum Ecclesia illis non subueniat præcipiendo ne puniantur, liberum erit Iudici laico distringere tales delinquentes.

Ad primum dico, eam consuetudinem sublatam esse per Bullam Cœnæ Domini. Ad secundum, verba illa non important, ipsum posse puniri à Iudice seculari, sed Ecclesiam non debere illi parcere, immo seuerè castigare iuxta excessus suos in illo officio perpetratos, vt docent præcitati.

Quæres 17. An Filius Clericus simul cum alijs Filijs laicis priuetur bonis paternis ex delicto patris in Crimine læsæ vtriusq; Maiestatis.

℞. Negatiuè, quia leges ciuiles neq; directè, neq; indirectè possunt punire Clericos non solùm in personâ, verùm nec etiam in bonis, cum in neutro subdantur legibus ciuilibus. Confirmatur, quia lex confiscationis est valde odiosa, ergo restringenda. Præterea non afficit filias feminas. Clarus v. Læsæ maiestatis num. 10. vnde sunt dotandæ, ibidem Baiardus v. Contra, ergo multò minus Clericos, qui nullo modo subduntur Principi seculari. Quare Filio Clerico debetur legitima. Ita *Glos. in cap. Satis peruersum 7. dist. 56. alijs citatis Grassus Effectu 45. num. 2.* Licet Grassus id dicat; tamen solùm ibi sermo est de Beneficio non auferendo à Iudice laico; cum non pertineat ad bona paterna. Dicta locum non habent in fisco Ecclesiæ ex contrariâ ratione, quia scilicet Clericus subditur Ecclesiæ legibus, sic Ecclesia aquirit. 35

Quæres 18. An Ecclesiastici exempti, & immediatè subiecti Sedi Apostolicæ, qui non habent Superiores in Regnis, vbi delinquunt, puniri possint à Iudicibus regijs?

℞. Negatiuè, Tum quia aliter eorum Priuilegia exemptionis nullius essent momenti, Tum quia absentia Superioris non dat ius secularibus Iudicibus in Clericos. Tum quia simpliciter non carent Superioribus ecclesiasticis, cum in vnâquaq; ciuitate adsit Episcopus, qui in casibus enormibus potest eos capere, vt consignentur suis Superioribus. 36

Quæstio hæc procedit maximè contra ecclesiasticos milites, qui non habent vbique Superiores suos præsentes, asserentibus nonnullis, posse puniri à Iudicibus regijs, qui sunt *Pereira de manu regia par. 2. cap. 27. num. 18. Bobadilla tom. 1. lib. 2. cap. 18. num. 127.* quos cum alijs refert *Diana par. 4. tract. 1. resol. 73.* & impugnat ipse Diana cum Camillo Burella *in Addit. ad Speculum Bellug. Rubr. 11. §. Videndum lit. G.* vocante hanc opinionem iniquam, quam falsam dicit *Megal. lib. 3 de censur. cap. 11. num. 37.* Et id verum est, vt colligitur ex Bulla 37. incip. *Æqua* Clementis VIII. decernentis, ne aliquis Minister, aut Officialis etiam imperialis sub pœnâ Excommunicationis reseruatæ Papæ extra articulum mortis, audeat aliquem Fratrem S. Ioannis Ierosolimitani, Militem, aut Religiosum, donatum, aut familiarem, seruitorem, nec non Presbiteros seculares eorum Ecclesijs inseruientes, dum eis inseruiunt, & alias quascunq; personas dicti Hospitalis declarare, quod assassinij crimen commiserint, neq; ad pœnarum executionem deuenire, nisi prius per Superiores eorum adiuncto sibi loci Episcopo, declaratum fuerit, eos tale 37

assassinium commisisse, non obstante quauis etiam antiquissimà, & immemorabili consetudine in contrarium forsan quomodolibet vigente. Vide *Pasqual. ad Franchum par. 1. num. 118. Cespendem de exempt. Regular. dub. 253.*

38 Si quis Eques Maltensis delinquat in personas Curiæ Episcopalis, dum suum officium exercent, vel aliàs Iurisdictionem Episcopi impediens ab eodem puniri potest, vt respondit S. Congr. *apud Barbosam lib. 1. de Iure cap. 43. num. 154.* Dicta de his locum habent in Militibus aliorum ordinum, sunt enim & ipsi Personæ ecclesiasticæ.

CAPVT DECIMVM V.

De Excommunicatione Bullæ Cœnæ Domini contra processantes Clericos.

SVMMARIVM.

1 *Referuntur verba* Bullæ.
2 *Causa criminalis tractatur à Iudice competente ad puniendum reum.*
3 *Pœna vnius metus multorum.*
4 *Pœna facit causam criminalem, ordinariu, & extraordinaria.*
5 *Capitalis, & non capitalis.*
6 *Criminalis ne, an ciuilis, censenda ciuilis.*
7 *Ciuilis causa, quæ non tendit ad punitionem.*
8 *Quænam personæ comprehendantur in Bulla;*
9 *Magistratus quid, & quotuplex?*
10 *Magistratus nomine venit quilibet officialis in eo.*
11 *Principes, & Rex non venit sub nomine Magistratus.*
12 *Rex dicitur Magistratus causaliter, non formaliter.*
13 *Notarius, qui authorizat instrumenta.*
14 *Scriba, qui rescribit acta, seu instrumenta.*
15 *Executores sunt obedientes Iudici.*
16 *Accusator, seu querelans non est reus huius censuræ.*
17 *Præbens solum occasionem, accusatio non est actus iudicialis ex parte accusantis.*
18 *Neque testes.*
19 *Neque Aduocati, & Procuratores.*
20 *Neque Fiscalis.*
21 *Nullam incurrunt censuram Bullæ.*
22 *Neque eam quæ est contra trahentes, quæ respicit ciuilia.*
23 *Consiliarij alij assessores, alij dantes consilia in scriptis.*
24 *Actiones sunt quinque huius Bullæ.*
25 *Vnaquæq; earum de per se infert censuram.*
26 *Processus quid, & quotuplex.*
27 *Lis dicitur contestari per responsionem in citatione.*
28 *Conclusio in causa facit silere partes.*
29 *Ab ea, acta Processus dicuntur fieri nota.*
30 Sicut audio iudico *Ioan. 5. 30.*
31 *Sententia est pars processus.*
32 *Processus scribendus est.*
33 *Ore tenus processare non dicitur sed priuatim interrogare.*
34 *Recipiens dicta testium contra Clericum complicem cum laica; non est reus.*
35 *Processans ad effectum remittendi non excusatur.*
36 *Neque, si ita agat sine animo puniendi.*
37 *Ex solà acceptatione querelæ fit reus huius Censuræ.*
38 *Iudicium incipit à citatione, processus à querelà acceptatà.*
39 *Processus habet tractum successiuum ex multis actibus.*
40 *Prohibito toto, censentur prohibita distinctè omnes eius partes.*
41 Bannire *quid importet.*
42 *Verba cum effectu sunt accipienda maximè in odiosis.*
43 *Priuatim monens Clericum, vt recedat, non est reus.*
44 Princeps *per se non potest bannire Clericum suspectum, vel perturbantem Rempublicam.*
45 Capere *quid importet.*
46 *Sententia condemnatoria. etiam sine executione facit Iudicem reum Censuræ.*
47 *Sententia in scriptis debet redigi.*
48 *Executio refertur ad Sententiam.*
49 *Index ecclesiasticus processans non suum subditum, non est reus.*
50 *Ecclesiasticus officialis Principis incurrit hanc Censuram.*
51 *Clericus consentiens in Iudicem laicum, hunc non excusat à Censurà.*
52 *Processans ad vindictam, non in ordine ad Sententiam adhuc incurrit.*
53 *Negligentia Ordinarij non excusat Iudicem laicum.*
54 *Nullus inferior potest causam criminalem delegare laicis.*
55 *Etiam coniunctim cum Clerico.*
56 Papa *solus delegare potest.*
57 *Licentia qualis debeat esse.*
58 *Veneti habent hanc Licentiam.*
59 *Delegatus tenetur ostendere suum Priuilegium;*
60 *Quænam Personæ ecclesiasticæ gaudeant hoc* Priuilegio *Bullæ.*

DE

DE EXCOMVNICATIONE B. C. D. CONTRA PROCESSANTES CLERICOS.

NOn inuenio Censuram latæ sententiæ contra Iudices seculares distringentes personas ecclesiasticas, ideo contra istos adest Excommunicatio lata in Bullâ Cœnę Domini §. 19. huius tenoris.

1 *Excommunicamus, & anathematizamus omnes & quoscunq; Magistratus, & Iudices, Notarios, Scribas, Executores, & Subexecutores, quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, siue criminalibus contra Personas ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specificâ, & expressâ huius sanctæ Sedis Apostolicæ licentiâ, quique huiusmodi licentiam ad Personas & casus non expressos extendunt, vel aliàs, illâ perperam abutuntur, etiam si talia committentes fuerint Consiliarij, Senatores, Præsidentes, Cancellarij, Vicecancellarij, aut alio quouis nomine nuncupati.* Super quâ proponuntur sequentes quæstiones, & resoluuntur.

Quæres 1. Quid sit causa capitalis, & criminalis, de quibus in hac Bulla?

2 R. Causa criminalis est illa, quæ criminaliter tractatur, contra delinquentem à Iudice competente ad effectum puniendi

3 malefactorem in ordine ad publicam vtilitatem pœna enim est m tus multorum, *Deuter.* 17. 13. *cap. Quapropter* 47. 2. *q.* 7. *cap. fin. de Calumn.* Pœna ergo inflicta ad publicam vindictam specificat causam criminalem, & distinguit à ciuili, quæ ciuiliter tractatur ad commodum priuatum. Ita communis peritiorum opinio apud *Clarum q.* 1. *Vers. Ex quorum, Farin. q.* 100. *num.* 3. *& seq. Menoch. de arbitr. casu* 275. *num.* 6. *Barb. ad Rubr. de Iudic. num.* 4. *Ego in Praxi cap.* 92. *q.* 4. *tom.* 5. *impress. Lugdunensis.*

4 Pœna autem constitutiua, seu quâ cognoscitur, causam esse criminalem, alia est ordinaria, quæ scilicet à lege, vel statuto est imposita malefactoribus. Extraordinaria verò ea est, quæ arbitrio Iudicis imponitur condemnatis; dicitur arbitraria, quia non est expressa in iure, sicut ordinaria. Alia est afflictiua corporis, quæ subdiuiditur in capitalem. Capitalis consistit in diminutione capitis per mortem, vel naturalem vltimi supplicij violentæ separationis animæ à corpore; vel ciuilem, per deportationem, seu relegationem, & exilium; seu pœnam triremium, de quibus Farinac. q. 19. Et per hæc explicantur ea Bullæ verba *In causis capitalibus* scilicet pœnarum mortis, exilij, & triremium, in terminis istis Bonacdisp. 1. Bullæ q. 20. par. 1. num. 4.

Sub aliis verbis, *Seu criminalibus*, continentur aliæ pœnæ criminales, sed non capitales, cuiusmodi est tortura, fustigatio, berlina, membri truncatio, effossio oculi, &c. Alia non est afflictiua corporis, sed bursæ euacuatio, dicta pœna pecuniaria, quæ si applicetur fisco, arguit causam criminalem, non autem si detur parti, quia tunc causa est ciuilis, cum non tendat in publicam vtilitatem, sed priuatam. *Ita Clarus q.* 1. *Vers. Ex quorum, Farinac. q.* 100. *num.* 15. *Bonacina disp.* 1. *q.* 20. *p.* 5. *num.* 5. Vnde excluditur à causa criminali Iudicium, quod fit ciuiliter super delicto sine vllo ordine ad puniendum ipsum delinquentem. 5

In dubio, an causa sit criminalis, an ciuilis, censenda est ciuilis, secundum *Menoch. lib.* 1. *de Arbitr. q.* 88. *num.* 1. 5. *&* 6. *Buccaronus de differ. inter iudicia ciuil. & criminal. Præmisso* 3. *ex illis Barb. ad Rubr. de iudic. num.* 5. in dubijs enim pœnalia locum non habent. 6

Causa ciuilis est illa, quæ oritur ex contractu, vel etiam ex delicto, sed sine ordine ad punitionem, ad commodum tantùm personæ priuatæ. Ita præcitati, qui causam ex ciuili, & criminali mixtam vocant illam, in qua agitur ad interesse fisci, & ad commodum partis .i. accusatoris. Ita Doctores *cum Farinac. q.* 100. *num.* 56. *qui num.* 52. ait, dicendam esse prorsus criminalem. 7

Quæres 2. Quænam personæ afficiantur hac censura?

R. Sequentes, Magistratus, Iudices, Notarij, Scribæ, Executores, & Subexecutores. Item Consiliarij, Senatores, Præsidentes, Cancellarij, & Vicecancellarij, & alij quouis nomine nuncupati. De singulis dicendum. 8

Magistratus est Officium honorificum Personis officialibus tribuens potestatem super subditos. Quatuor autem sunt ordines Magistratuum Primi ordinis vocantur Illustres; Secundi spectabiles; Tertij Clarissimi, & his competit potestas meri, & mixti imperij, hoc est, inquirendi; & puniendi delicta, *l. Imperium ff. de iurisd. omn. iud. l. Illicitas §. Qui vniuersas ff. de offic. Præsid. ibi Glos. v. Ius gladij, Oldrad. cons.* 10. *num.* 2. 9

Quarti ordinis Magistratus sunt illi, qui minorem habent potestatem, *ex Glos. v. Tribuuntur l.* 1. *ff. de officio eius cui mand. iurisd.* Alia est diuisio Magistratus in eos, qui sunt maioris ordinis, & qui sunt ordinis minoris, *l. Honor* 14. *§. Gerendorum, ff. de muner.* Maioris ordinis erant Consules, Censores, Prætores, Dictatores, &c. Minoris ordinis erant Ædiles, Quæstores, Tribuni, &c. De maioribus Cicero lib. 3. de legibus inquit: *Videtis igitur hanc esse Magistratus Vim: vt præsit, præscribatq. recta, & vtilia,*

vtilia, & coniuncta cum legibus. Vt enim Magistratibus leges, ita populo præsunt Magistratus, vereque dici potest, Magistratum esse Legem loquentem, legem autem mutum Magistratum.

Itaque omnes Officiales, qui Magistratum constituunt siue maiorem, siue minorem se interponentes in causis criminalibus Clericorum sunt rei huius excommunicationis *Bonac. disp. 1. Bulla. q. 20. par. 2. num. 2.*

Duæ hic occurrunt difficultates de nomine Magistratus. Prima, an sub nomine, Magistratus veniat vnica persona officialis, nempe caput? An singulæ personæ? An corpus ipsum Magistratus? Secunda, an sub nomine Magistratus veniat Principes, Imperator, Rex, Dux, &c.

10 Ad primum dico, venire omnes Personas singulariter spectatas se interponentes in causis criminalibus Clericorum, non enim excommunicatur Congregatio, & corpus morale, vt patet ex 2. Canone Bullæ, vbi distiguuntur personæ à Capitulis, Collegijs, & Vniuersitatibus, nam illæ excommunicantur, hæc verò interdicuntur.

11 Ad secundum dico, illos non venire sub nomine Magistratus, quia Bulla, quando vult eos includere, de illis mentionem expressam facit, vt videri potest excom. 7. 8. 14. & 18. in hoc autem Canone de illis nulla sit mentio. Confirmatur id, quia Princeps ipse non est Magistratus, sed is constituitur ex eius Officialibus, quibus supereminet, & pro capite, non ipsum Principem, sed alium habet subiectum ipsi Principi, qui omnibus suam delegat potestatem.

Dices, in l. 2. ff. de orig. iur. §. Quò ad Magistratus, Rex dicitur Magistratus, quia habet omnem potestatem; & hoc docet *Megal. lib. 3. de censur. cap. 11. num. 3. per l. Potestatis 215. de verb. siguif.* cum potissima acceptio Magistratus sit, quòd habeat imperium coercendi malefactores.

12 Sed reuerà allati textus id nequaquam probant, sed solùm id significant, quòd Rex, & Princeps est Magistratus non formaliter, sed causaliter, quia Magistratus ab eo instituitur, & ab eodem accipit amplissimam potestatem. *Bonac. cit q. 20 num. 2.* hos sub nomine Magistratus ex Filliucio non compræhendit, sed solum Gubernatores, Proreges, Præsides Prouinciarum, Senatores, &c.

Iudicis nomen expressum in Bulla de se notum est, & venit solum Iudex criminalis, non autem ciuilis, cum is non tractet causas criminales, sicut ille.

13 Notarij nomen satis notum est de illis, qui publicà authoritate creati sunt ad conficienda Instrumenta publica, & in terminis istis, qui acta criminalia autenticant contra Ecclesiasticos, vel simpliciter scribunt in Processibus, qui contra illos fiunt. *Bonac. cit q. 20. num. 3.*

14 Scribarum nomine veniunt quicunque Scriptores scribentes acta processus, vel aliquid contra Clericos. Ex eodem Bonac. num. 4.

15 Executores sunt ministri inferioris conditionis exequentes iussa Iudicum, & eorum Sententias contra Clericos, vt sunt Birruarij, Currerij, Nuntij, Carnifex, & huius generis, Tubatores banni, legentes, & proclamantes bannum, ducentes bannitum extra territorium, vel vrbem. Coadiutores ad eas actiones vocati ab executoribus appellantur subexecutores. Ita *Vgolin. §. 3. num. 2. Duardus q. 8. num. 4. Regin. lib 9. num. 385. ex illis Bonac. q. 20. puncto 2. num. 5. & 6.*

Quæres 3. An accusatores, & querelantes Clericos coram Iudice laico criminaliter sint rei huius Excommunicationis?

16 ℞. Negatiuè, probatur. Tum quia talis non est Magistratus, Iudex, Notarius, Scriba, Executor, nec Subexecutor. Tum quia querelans nullam facit ex actionibus ibidem expresis, cum non processet, nec banniat, nec capiat, aut Sententiam proferat, nec exequatur. Ita *Alterius disp. 20. cap. 1. col. 3. Vers. Hac excommunicatio, Filliuc. tract. 16. cap. 11. quæst. 8. ad finem num. 313. Duardus Canon. 19. q. 8. num. 6. cum alijs Bonac. q. 20. p. 2. num. 11.*

Nihilominus aliqui dicunt compræhendi etiam accusatores, & querelantes, seu denuntiantes, quia ab istis incipit Processus, & sic dicuntur ipsi processare.

17 Respondetur tamen quærelantem non dici processare, sed solùm præbere causam ad processandum, non enim quærela, nec accusatio est actus iudicialis ex parte agentis, sed fit talis solum respectu Iudicis acceptantis illam. Confirmatur, quia Processus incipita à citatione, secundum *Bartol. Iasonem, & alios in Rubr. C. de in ius vocando, apud Bonac. q. 20. p. 1. num 9. Vers. Secunda,* qui tamen *num. 9. vers. Ad fundamentum* dicit, Processum non semper incipere à Citatione, sed quandoq. ab inquisitione, & ab acceptatione querelæ, ad quam sequitur inquisitio, & sic patet querelantem non subijci huic censuræ.

Quæres 4. An testes deponentes contra Clericum criminaliter incurrant hanc excommunicationem?

18 ℞. Negatiuè ob rationes adductas in precedenti responso. Confirmatur, quia testes respectu Processus se habent tamquam suggerentes materialiter materiam probatiuam, non verò formantes Processum; in Bullà exprimuntur actiones, non passiones

se te-

se tenentes ex parte materiæ. Ita præcitati.

Quæres 5. An Aduocati, Procuratores, & alij agentes, & instigantes Iudicem contra Ecclesiasticum sint rei huius censuræ.

19 ℞. Negatiuè. Tum quia nullam ex dictis actionibus interponunt in causâ. Tum quia non exprimuntur in numero intetponentium se in dictis actionibus, ergo rei non sunt ex hoc capite.

Quæres 6. An Fiscalis comprehendatur in hac Excommunicatione?

20 ℞. Negatiuè, ob dictas rationes, nullus enim est expressorum in textu, nec facit aliquam ex dictis actionibus, propter quas incurritur Excommunicatio, sed eius Officium est procurare res fisci, quæ dicuntur esse de patrimonio Principis.

Quæres 7. An supradicti sub. q. 3. 4. 5. & 6. incidant in aliquam aliam Censuram eiusdem Bullæ, vel alterius Canonis, & Decretalis.

21 ℞. Negatiuè, si enim allegetur Bulla sub. can. 15. respondetur ibidem esse sermonem de Excommunicatione contra trahentes Ecclesiasticos ad forum seculare in causis ciuilibus tantùm, *Nauar. cap. 27. num. 72. Fagnanus ad cap. Nullus, de foro compet. num. 14. Bonac. q. 16. sect. 1 p. 14. num. 14. & 19.* Et ita est, ne in Bullâ idem casus bis repetatur sine causa & frustratorie, Leges enim id abhorrent, ne vna quidem syllaba debet in Lege superfluere, Glos. v. tamquam Cap. Solitæ 6. de maior. Gonzal. Glos. 13. num. 72.

22 Neque incurrunt in Excommunicationem Canonis, quia neminem percusserunt, nec in Carcerem coniecerunt. Nec obstat, quòd consentientes, & consulentes sint excommunicati, quia restringitur Canon ad consentientes, & consulentes in percussionem.

Dices in hoc Canone exprimuntur Consiliarij, qui videntur coincidere cum Aduocatis nam, & hi propriè consilium dant.

23 ℞. Consiliarij sunt duplici differentia, alij à dando consilium quibuscunq; petentibus sine assessione; alij ab assidendo, qui scilicet sunt assessores Iudicis, seu Principis, *l. consiliarijs 5. ff. de officio Assessoris*, Textus Canonis loquitur de secundis, non de primis.

Nota quoq; quòd expressi in fine nostri Canonis restringuntur ad abutentes licentiâ distringendi Ecclesiasticos, non verò deseruiuntur ad supradictos, qui propriâ auctoritate, seu officio audent se interponere in causis Ecclesiasticorum criminalibus.

Quæres 8. Quænam sint actiones, per quas incurritur Excommunicatio.

24 ℞. Quinque sunt actiones prohibitæ contra Ecclesiasticos, hoc est Processare, Bannire, Capere, Sententiare, & Exequi Sententiam. Verbum *se interponentes* est actio generica, quæ de illis dicitur, in quibus imbibitur tamquam genus in suis speciebus & ab illis non distinguitur in operatione, sed tantum in definitione, & logicaliter. Quare non sunt sex, quicquid dicat *Sayrus lib. 3. cap. 23. num. 2. & Bonac. cit. q. 20. p. 1. esse sex*. Ad incurrendam autem hanc Censuram sufficit vna ex dictis actionibus, nam textus vtitur particulis disiunctiuis *Seu*, & 25 *Ve*, alternatiuis, de quarum natura est, quòd ad effectum sufficit vnius adimpletio, arg. Reg. 70. in 6. De singulis agendum est.

Quæres 9. Quid importet verbum *Processando*?

℞. A' Definitione Processus colligitur 26 responsio. Processus autem est series actorum iudicialium in scriptis redactorum per Notarium coram Iudice ab initio quærelæ acceptatæ ab eo, vsq; ad sententiam definitiuam. Vide quæ dixi *in Praxi crimin. impressionis Lugdun. tom. 5. cap. 82. sect. 5. à num 47. & in cap. 100.* vbi illum diuisi in Offensiuum, Deffensiuum, & Sententiatiuum. Acta autem in eo scripta, sunt Quærela acceptata à iudice, de Positiones testium, & hæc pertinent ad processum offensiuum sic dictum respectu quærelati, qui per talia acta dicitur offendi. Respectu vero Iudicis nuncupatur informatiuus, qui instruitur, & venit in cognitionem delicti, in quo sensu accipitur in hoc canone Bullæ. In eo quoque querelatus, probato saltem semiplenè delicto citatur verbaliter, vel realiter per capturam, & in primâ interrogatione dicitur constituti, & cum eo lis contestari, vt dixi ibi cap. 67. num. 12. demùm datis illis defensionibus concluditur in causâ, ita quòd actor, & reus vltra non possunt procedere, sed solùm expectare debent sententiam Iudicis, 27 & tunc acta Processus incipiunt esse notoria, 28 cum in causâ est conclusus, vt notaui cap. 38. q. 4. ex eadem Praxi, & in his consistit 29 processus Deffensiuus. Tandem Processus sententiatiuus finitur per probationem Sententiæ, quæ est conclusio, & absolutio totius Processus, cuius partes informatiua, & defensiua sunt veti præmissæ ad inferendam conclusionem in Sententiâ consistentem, vt dixi cit. cap. 82. sect. 5. num. 51. Infertur enim, & fertur secundùm allegata, & probata in Processu informatiuo, & defensiuo, secundùm doctrinam Christi Domini Ioan. 5. 30. *Sicut audio iudico*, cap. Iudicat 4. 3. q. 7. l. Illicitas 6. §. Veritas ff. de Officio. Præsidis.

Quòd autem, & ipsa Sententia sit pars 30 Processus docet communior, & verior opinio apud *Farinac consil. 156. num. 32. Guazin. Defens. 22. cap. 2. num. 6.* licet dicat, ve- 31 nire latè sumpto vocabulo Processus, qui 32 in scriptis fieri debet, *cap. Si quis 45. 11. q. 1. cap.*

cap. Quoniam 11. *de Probat.* Itaque ad rem nostram, hic prohibetur Processus non solùm quò ad Querelam acceptatam à Iudice sed etiam quo ad Depositiones testium, respectiuè ad Iudicem, respectu cuius præfati actus dicuntur iudiciales, non respectu querelantis, aut testium deponentium, qui non includuntur in hac Bullâ, vt probaui q. 3. & 4.

Quæres 10. An Iudex, Notarius &c. ore tenus vocans, & examinans Clericum sit reus huius censuræ?

33 R. Negatiuè, quia per hoc non dicitur processare, cum nihil in scriptis sit relatum, nec talis actus propriè dici potest iudicialis, sed priuata interrogatio. Ita docet *Nauar. cons.* 32. *de sent. excom. Alterius lib.* 5. *can* 19, *disp.* 20. *cap.* 1. *Vers Quæres, cum alijs Castropal. de censuris disp.* 3. *p.* 20. *num* 4. *Bonac. in Bulla disp.* 1. *q.* 20. *p.* 2. *num.* 10. Volunt tamen, hunc sic examinantem verbaliter Clericum incidere in Canon. 15. Sed vt dixi sub. q. 7. in canone illo 15. non agitur de causis criminalibus, sed tantùm ciuilibus. Prædicta intellige, nisi Clericus detineatur violenter, quia tunc detinens incidit in Sententiam Canonis. Si quis 29. 17. q. 4. per cap. Nuper 29. de sent. excom.

Quæres 11. An recipiens dicta testium contra Clericum, qui simul cum laico perpetrauit delictum, laicum processando sit reus huius censuræ?

34 R. Iudex recipiens dicta testium contra Clericum complicem in delicto cum seculari, si vlterius non procedit, non incidit in hanc censuram, quia non dicitur processare Clericum, sed tantùm per depositionem contra eum factam deuenire in ampliorem cognitionem delicti contra proprium subditum. Ita omnes teste *Bonac. q.* 20. *p.* 1. *num.* 9. *Vers. Idem.*

Quæres 12. An Iudex processando Clericum, ad effectum mittendi processum suo Superiori incurrat hanc excommunicationem?

35 R. Affirmatiuè, quia verè processat, neq; talis finis releuat Iudicem à formalitate Processus, neq; proinde excusat illum ab hac Censura. Ita *Bonac. in Bulla disp.* 1. *q.* 20. *p.* 2. *num.* 7.

Quæres 13. An processans sine intentione puniendi Clericum incurrat hanc censuram?

36 R. Affirmatiuè, quia vnaquæq; actio, cuiusmodi est processare expressa in hac Bulla, vt probaui supra sub. q. 8. de per se sufficit ad inferendam Censuram contra agentem, sine ordine ad aliam, vnde non est necessarium, quòd huiusmodi actiones specificentur in ordine ad punitionem, quæ sequitur ad sententiam. Animus ergo puniendi non est necessarius ad incurrendam hanc Excommunicationem, sed sufficit Processus ratione sui. Ita *Riccius par.* 4. *resol.* 461. *Bonac. q.* 20. *p.* 1. *num.* 7. *Diana par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 52. *part.* 3. *tract.* 1. *resol.* 52. Contrarium tenent *Graff lib.* 4 *cap.* 18. *num.* 134 *Reginal. lib.* 9. *cap.* 26 *num* 384. Sed non probatur.

Quæres 14. An Iudex acceptans querelam, ex ea præcisè incurrat hanc excommunicationem?

R. Iudicem acceptantem querelam, & Notarium, seu alium eam scribentem contra Clericum, incidere in hanc excommunicationem, quia dicuntur processare, Processus enim incipit à querelà acceptatà, vt dixi supra sub q. 9. Quicquid dicat Bonac. *cit. q.* 20 *p.* 1. *num* 9. *Vers. Respondeo*, Iudicem acceptata querela, vlterius non procedendo non incurrere hanc Censuram, quia secundum vsum communem loquendi non dicitur processare. Non enim id placet, cum ab acceptatione Querelæ initium capiat Processus ex dictis q. 9. ideo enim dicitur Processus, quia constat ex pluribus actibus iudicialibus, qui successiuè fiunt, ita quòd vnusquisq; eorum sufficit ad denominandum Iudicem processantem. 37

Dices primò, Processus incipit à citatione rei, *Glos. Vn. l. Vbi captum ff. de iudic. Glos. v. Citationes Clem.* 1. *de iudic. cum alijs apud Barbosam in Rubr. de iudic.* Ergo Iudex per solam acceptationem querelæ non dicitur processare. *Secundò*, Processus ex supradictis completur per conclusionem in causa, cum acta inter partes vlterius non procedant, vt post conclusionem in causa, deueniatur ad Sententiam, *ex allegatis à Guaz. Defens.* 22. *cap.* 2. *num.* 2. Ergo nec ipsa citatio sufficit, licet ab ea incipiat Processus, cum non perficiatur nisi in conclusione causæ, ac proinde excommunicatio non incurratur, nisi finito Processu per conclusionem in causa, neq; enim per actus imperfectos incurruntur Censuræ.

Ad primum dico, citatas Glosas non loqui de Processu, sed de Iudicio, quod cum sit actus trium personarum, Iudicis, Actoris, & Rei, necessariò incipit à citatione ipsius rei, *ex cap. Forus* 10. *de verb. signif.* Processus vero est series actorum iudicialium à querelà ad conclusionem in causam scriptis redactorum, vt supra dictum fuit. Vel dic Processum defensiuum incipere à citatione rei, offensiuum verò à querela acceptata. 38

Ad secundum, verum quidem est, quòd Processus completur in conclusione causæ, cum ei de iure nihil vlterius addendum sit, nihilominus ad hanc excommunicationem incurrendam non requiritur hoc complementum, sed sufficit quilibet actus iudicialis, e. g. querela acceptata qui est primus actus in scriptis redacta, ad eam censuram incurren- 39

incurrendam, natura enim Processus, vt indicat eius etimologia, habet tractum successiuum, ita quòd in quolibet actu inserto Iudex dicitur processare, ac proinde incidere in hanc censuram, cum enim interdi-
40 citur aliquod totum, prohibentur omnes eius partes, & ad hoc facit illud axioma: Totius, & partis idem ius, *l. Quæ de tota 75. ff. de rei vend. cap. Pastoralis 28. §. Idem cum totum ff. de offic. deleg.*

Quæres 14. Quid importet verbum *Bannire?*

41 ℞. Bannire est malefactorem expellere extra territorium bannientis, *ex tit. de Interd. & releg. l. 5. & 7.* Vide Carlin. cap. 161. vbi plura de bannitis. Banniens ergo etiam præcisè, & sine Processu, incurrit hanc censuram, cum vnaquæq; ex dictis actionibus prohibitis sufficiat ad inducendam hanc Excommunicationem ex q. 8. Non sufficit autem bannitio, nisi cum effectu sequatur expulsio, verba enim cum effectu accipienda sunt maxmè in odiosis,
42 *cap. Hac autem verba 17. de Pænit. dist. 1. cap. Relatum 4. de Cler. non resid. Miranda q. 4. de monial. art. 5. Thomasst. reg. 304.* Bannum ergo debet sortiri suum effectum. Procedit siue bannum sit perpetuum, siue ad tempus, neque enim circunstantia temporis mutat naturam bandimenti. Ita aliis citatis Bonac. q. 20. p. 1. num. 11.

Quæres 16. Quid si Iudex mittat Officialem, vel alium, vt dicat Clerico, recede à dominio; aliter te bannict? numquid est reus huius censuræ?

43 ℞. Negatiuè, quia id non est propriè bannire, sed tantùm admonere de futuro exilio.

Quæres 17. An Princeps banniens Clericum suspectum, seù perturbantem Rempublicam sit reus huius Excommunicationis?

44 ℞. Affirmatiuè, habet enim remedium sibi prouidendi recurrendo ad Superiorem eius, qui debet expellere Ecclesiasticum inquietantem Rempublicam. Princeps ergo id per se facere non potest, quia suspicio, & inquietudo non dant illi hanc facultatem. Vide Grassum num. 1039.

Quæres 18. Quid importet verbum *Capiendo?*

45 ℞. Idem, quòd captura, quæ est actus, quo apprehenditur malefactor in ordine ad carcerem, homo enim capitur non vt capiatur, sed vt carceretur, ne fugiat. Tunc ergo dicitur perfectè captus, cum est in carceribus reclusus, vt dixi cap. 11. num. 19. Quare per solam capturam non incurrit hanc censuram, vt ique censuram Canonis, cum satellites iniecerint manus violentas suadente diabolo in Clericum sine mandato Iudicis ecclesiastici, cap. Vt famæ, de sent. excom.

Bonac. disp. 1. q. 10. part. 1. num. 12. cum Filliucio, Alterio, & Nauarra videntur sentire sufficere solum appræhensionis actum; sed non placet, quia appræhensio sine carceratione est actus imperfectus.

Quæres 19. Quid importent hæc verba: *Seu sententias contra illas proferendo?*

℞. Sententia in terminis huius Bullæ est condemnatio Clerici ad subeundum pœnam à Iudice laico prolatam. Iudex ergo est reus huius censuræ proferendo Sententiam proprio ore, vel per alium, etiam si non sequatur executio, quia inter vtranq; actionem prolationis, & executionis mediat *Vel* disiunctiua indicans, vnum sine altero sufficere ad incursionem Excommunicationis, vt dixi supra q. 8. Sola autem editio, seu scriptio Sententiæ non sufficit ad incurrendam eam pœnam, sed vlterius requiritur prolatio, vt patet ex verbis textus relatis in quæstione; ad quod facit *l. Statutis 3. C. de sent. ex periculo*, vbi dicitur, non 46
sufficere, Sententiam scribi, nisi legatur, 47
& verbis proferatur, nec sufficit verbis proferri, nisi ante scribatur. Et in *Clem. Sæpe, de verb. signif.* vbi dicitur, quod redigatur in scriptis etiam in causis summarijs.

Quæres 20. Quid importet verbum illud: *Vel exequendo?*

℞. Executionem eius, quod Iudex in 48
sententia sua protulit faciendum contra Clericum condemnatum, ergo actio ista executoria supponit Sententiam iam prolatam, vt executioni demandari possit. Et hoc gerundium, sicut alia refertur ad personas supradictas initio textus huius Excommunicationis, nempe, ad Magistratum, Iudicem, & alios conducentes Clericum extra territorium in exilium, ad triremes.

Quæres 21. An Iudices ecclesiastici se interponentes processando, &c. Clericos, super quos non habent potestatem, incidant in hanc censuram?

℞. Negatiuè, quia fertur tantùm contra 49
Iudices laicos, vt ex textu literæ clarè colligitur. Ita omnes cum *Bonac. p. 2. num. 8.*

Quæres 22. An Ecclesiasticus de Licentia Pontificis factus officialis alicuius Principis secularis incurrat hanc censuram interponendo se in causis criminalibus Ecclesiasticorum?

℞. Affirmatiuè, quia tunc agit vt officia- 50
lis laicus, non vt ecclesiasticus, cum sub hac qualitate non consideretur, sed sub ea secularitatis. Ita *Barb. ad cap. 2. de foro compet. Bonac. p. 2. num. 8. Vers. hoc tamen.*

Quæres 23. An Iudex secularis interponens se in causa criminali Clerici consentientis excusetur ab hac excommunicatione?

℞. Non excusatur, quia talis consensus 51
nullius est momenti, *ex cap. Si diligenti 12.*

de foro comp. Ita docet *Bonac. p. 2. num. 9.*

Quæres 24. An procedans, vel carcerans, &c. Clericum non in ordine ad sententiam, sed ad vindictum sumendam mediantibus illis actibus non vlterius procedendo, sit reus excommunicationis?

52 ℞. Affirmatiuè, quia facit actionem hic prohibitam esto non ordinetur ad punitionem per sententiam, vnaquæq; enim dictio suum sortitur effectum independenter ab alia. Ita docent citati supra sub q. 13. *Bonac. disp. 1. in Bulla q. 20. p. primo num. 7. Diana p. 3. tract. 1. resol. 52.*

Quæres 25. An in casu negligentiæ Iudicis ecclesiastici, secularis possit procedere contra Clericum sine reatu huius censuræ?

53 ℞. Non posse, probatur *per cap. Qualiter 17. de iudic.* ibi; *Ne pro defectu Iustitiæ Clerici trahantur à laicis ad iudicium seculare, quod omnino fieri prohibemus.* Vt docent omnes cum *Barbosa ad dictum cap. 17. num. 2. Farinac. conf. 68. num. 10. Grassus num. 390.* Ergo si se interponat est reus huius Excommunicationis.

Quæres 26. An Episcopus, & Prælatus etiam regularis possint dare licentiam Iudicibus laicis procedendi contra Ecclesiasticos subditos suos? Et sic esugere hanc censuram?

54 ℞. Negatiuè, quia nullibi in iure est expressum, quòd inferiores possint similes causas criminales delegare secularibus contra Clericos, immo nec possunt dare licentiam, quòd consentiant in Iudices seculares, *ex cap. Significasti 17. de foro compet.* Et ita docent *Host. super cap. 2. num. 1. Abbas num. 4. & 5. Decius num. 35. Ripa num. 34. Barbat. consil. 45. num. 8. vol. 2. ex illis Barb. ad dictum cap. 2. num. 4.* Subiungamus, nec

55 laico simul cum Clerico causas huiusmodi committi posse, *ex Abbate hic num. 44. Roland. vol. 1. cons. 4. num. 4. Decian. lib. 4. cap. 9. num. 70. & 73. Scaccia de Iudic. lib. 1. cap. 11. num. 39. & 40.*

Quæres 27. An Papa hanc potestatem distringendi Ecclesiasticos dare possit?

56 ℞. Affirmatiuè, habet enim plenitudinem potestatis, vnde potest dare hanc licentiam laicis procedendi contra ecclesiasticas Personas in causis criminalibus, vt expresse dicitur *cap. 2. & 3. 11. q. 1. & cap. 2. de foro compet.* & hinc in textu Bullæ his verbis: *Sine speciali, specificâ, & expressâ huius Sanctæ Sedis Apostolicæ licentiâ.* Ergo habentes licentiam huius tenoris sine

57 hac censurâ poterunt procedere contra Clericos malefactores; necessarium tamen est, quòd licentiam non trasgrediantur, nec illa abutantur, aliter incidunt, vt subiungitur his verbis: *Quique huiusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel aliàs illa perperam abutuntur.* Licentia autem hæc debet esse expressa, & specifica, non quò ad personas in indiuiduo, & nominatim extra casum singularem, sed sufficit generica, quòd scilicet possit Iudex laicus distringere Clericum malefactorem, vt tradit Suarez disp. 21. sect. 2. num. 103. Verba autem Priuilegij bene scrutanda sunt, si enim fit mentio de Clericis non comprehenduntur Religiosi, quia tale Priuilegium est odiosum, sub quo vocabulo non veniunt Religiosi; nec in maioribus constituti, quando licentia limitatur ad Clericos minores.

Principes ergo huiusmodi licentiam in scriptis habentes eà vti possunt, non enim eis aufertur per hanc Bullam, sed potius confirmatur. Lego *apud Gigas q. 94. de Pension. referentibus Farinac. q. 8. num. 4. & Fagnano par. 1. ad cap. Ad audientiam, de Rescript. num. 122.* Rempublicam Venetam hanc habere licentiam. Gigas recenset Farinac. num. 4. non sublatam per Bullam, vt dixi cap. 12. num. 16. 58

Verba autem constitutionis, seù priuilegij, quod Clemens VII. concessit Reipublicæ referuntur à Gigante q. 94. de pensionibus sub num. 8. & sunt hæc: *Statuimus, & ordinamus, quòd de cætero post trimestre à die publicationis præsentium computandum, tam coniugati, quam alij dicti Dominij Clerici, etiam ad minores ordines promoti, non beneficiati, nec in Sacris Ordinibus constituti cuiuscunque dignitatis, status, gradus ordinis, vel conditionis fuerint, priuilegio clericali in criminalibus dumtaxat gaudere nequeant, sed tales clericali caractere insigniti, ac in minoribus Ordinibus constituti non beneficiati, & alij, qui ætatis legitimæ ad Ordines sacros suscipiendos, si Ordinem sacrum non susceperint, delinquentes pro tempore per Iudices seculares capi, inquiri, & iuxta eorum demerita omnibus pœnis, quibus meri laici delinquentes de iure puniri deberent, liberè, & licitè puniri possint, nec se sub prætextu Priuilegij clericalis tueri, & defendere, & ad Curiam ecclesiasticam recurrere valeant.* Hæc ille. Ab effectu tamen audio maiorem esse illorum potestatem in Ecclesiasticos.

Quæres 28. An Index teneatur ostendere copiam huius licentiæ procedendi contra Clericum, si petatur ab Ordinario Clerici?

℞. Affirmatiuè, quia cum in causa procedat iure alieno, præsumitur alienam vsurpasse iurisdictionem; quæ præsumptio eliditur ostensione licentiæ, & Priuilegij, vnde, & in actis registranda est penes Curiam Episcopalem. *l. Vn. C. de mand. Princip. cap. Cum in iure, de offic. deleg. Extr. Iniuncta, de elect. Glos. v. Ex inspectione cap. Porro, de Priuileg. Grassus num. 34.* 59

Crauta

Crauetta conf. 319. *fine*, *Castr. lib.* 2. *conf.* 31. *Pasqual. in selectis q.* 273. *num.* 5. Et dicitur Iudex laicus procedere iure delegato, non propriâ auctoritate, quia nullam habet ex se contra ecclesiasticas Personas.

Quæres 29. Quinam veniant sub nomine *Personarum ecclesiasticarum*?

60 ℞. Veniunt omnes homines vtriusque sexus publicâ auctoritate ecclesiastica deputati ad Dei seruitium peculiare. Et ita veniunt in primis Clerici à Primâ Tonsurâ vsque ad Episcopatum vtrinque inclusiuè, deinde Religiosi omnes à receptione habitus regularis vsque ad eosdem professos, siue sint Clerici, siue Laici, siue Nouitij, siue Commissi, Tertiarij, Oblati cum Professis degentes, Equites quoque militares cuiuscunque ordinis, Moniales quoq; & earum nouitiæ, &c. Ita *Bonac. disp.* 1. *in Bulla q.* 16. *p.* 3. *initio Riccius par.* 4. *resol.* 461. *num.* 2. & 3. Prædicta patent cap. primo in hoc tractatu.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

De Priuilegio Fori Ciuilis Ecclesiasticorum.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegium hoc importat exemptionem ne trahantur coram Iudice seculari.*
2 *Clerici omnes etiam solùm Tonsurati gaudent hoc Priuilegio.*
3 *Prima Tonsura perficitur in Ordinibus.*
4 *Initiati minoribus gaudent hoc Priuilegio si habent requisita Tridentini.*
5 *Priuilegium Fori includit ciuile, & criminale.*
6 *Priuilegium hoc eximit Clericum tam ab actione reali, quàm à personali.*
7 *In Iudicio tam extraordinario, quàm ordinario, etiam possessorio.*
8 *In bonis etiam patrimonialibus.*
9 *Clerici coniugati etiam cum vnicâ non gaudent Priuilegio fori ciuilis.*
10 *Neque bigami.*
11 *Gaudent in causa possessorij.*
12 Cap. petimus 11. q. 1. *explicatur.*
13 Cap. fin. de iudic. *explicatur.*
14 Cap. Causam 7. qui filij sint leg. *explicatur.*
15 *Causa possessorij est quid facti.*
16 *Clerici Saluatici gaudent quò ad personam tantùm.*
17 *Clericus feudatarius conuenitur coram domino feudi.*
18 *In causis possessorij, & petitorij ciuilibus.*
19 *Non Criminalibus.*
20 *Laicus vassallus à Clerico domino iudicatur.*
21 *Fidelitas iuratur domino etiam per Episcopum.*
22 *Clericus conuenit coram Ordinario laicum detentorem rei Ecclesiæ, vel suæ.*
23 *Laici sunt infesti Clericis.*
24 *Laicus laicum non conuenit coram ecclesiastico, nisi eius Iudex negligat facere iustitiam.*
25 *Iudex non est, qui nõ vult facere Iustitiã.*
26 *Reconuentio datur.*
27 *Religiosis competunt dicta de Clericis.*
28 *Religiosi non conueniuntur coram Episcopo.*
29 *Vt declarauit Sacra Congregatio.*
30 *Neque Militares.*
31 *Neque Prædictorum Nouitij.*
32 *Qui gaudent priuilegijs Professorum.*
33 *Veniunt sub nomine Clericorum.*
34 *Moniales gaudent Priuilegio fori ciuilis.*
35 *Et Priuilegijs virorum sui Ordinis, etiam si non sint subiectæ.*
36 *Tertiarij, & alij Oblati degentes collegialiter, vel cum clauftralibus, & mulieres voto adstrictæ in suis domibus.*
37 *Religiosi conueniuntur inter se coram suis Superioribus.*
38 *Actor sequitur forum Rei.*
39 *Conseruator Iudex eorum.*
40 *Conseruatoris defectu trahuntur coram Ordinario.*
41 *Coram Conseruatore Religiosi non trahunt seculares debitores.*
42 *Conseruatores defendunt Regulares contra iniurias manifestas.*
43 *Conseruatores fiunt etiam per Ierosolimitanos.*
44 *Religiosi conueniunt seculares coram eorum Iudicibus.*
45 *Præuentionis locus datur inter Conseruatorem, & Superiorem.*
46 *Monasteria inter se litigantia recurrunt ad Conseruatorem Rei.*
47 *Secularis creditor Religiosi priuati recurrit ad Conseruatorem, vel Superiorem.*
48 *Controuersia relicta à defuncto coram laico est expedienda.*
49 Citatio: si sua putauerit interesse *licet etiam pro Clerico.*
50 *Clericus conuenitur, repræsentans personam defuncti, si cum eo litem contestatus est coram seculari.*
51 *Clericus non potest conueniri coram laico, etiam pertextu negligentiæ Iudicio ecclesiastici.*
52 *Iudex ecclesiasticus fulminat censuras contra Iudices seculares se ingerentes in causis Ecclesiarum, & ecclesiasticorum.*
53 *Iudex ecclesiasticus maior seculari.*
54 *Iudex maior iudicat minorem.*

DE PRIVILEGIO FORI CIVILIS ECCLESIASTICORVM.

1 IN hoc capite agendum est de Priuilegio fori ciuilis, per quod personæ ecclesiasticæ exemptæ sunt à Iudicibus secularibus coram quibus trahi, nec conueniri possunt in ciuilibus causis, non solùm actione personali, sed neque reali respectu bonorum non solùm Ecclesiarum, sed neq; respectu bonorum propriorum.

Probatum autem est cap. 2. q. 3. 4. & seq. Clericos, & alias personas ecclesiasticas habere hoc Priuilegium fori ciuilis tam personaliter, quàm realiter non solùm de iure diuino, sed etiam illud possidere de iure humano tam ciuili, quàm canonico. Ideo hoc præmisso.

Quæres primò, quinam Clerici gaudeant hoc Priuilegio fori ciuilis?

2 R. Non solùm Episcopi, & constituti in Sacris, sed etiam minoribus initiati, immò & Primâ Tonsurâ solùm affecti eo gaudent Priuilegio, quod alio euidenti argumento non videtur à me probandum nisi authoritate Pontificalis, de Clerico faciendo, vbi habentur hæc verba: *Filij carissimi animaduertere debetis, quod hodie de foro Ecclesiæ facti estis, & Priuilegia clericalia sortiti estis.* Loquitur ordinator ad Tonsuratos tantùm; si ergo isti gaudent Priuilegio hoc, dum loquitur de Priuilegijs in plurali, à for-
3 tiori initiati Ordinibus minoribus, & maioribus, cum per susceptionem Ordinum Primam Tonsuram non amiserint, sed eam in se inamissibiliter perfecerint.

Clerici ergo etiam solùm tonsurati trahendi sunt coram Episcopo suo Iudice cap. 2. de foro compet. & alibi sæpius, non autem coram Iudice seculari, *cap. Nullus 6. cap. Quacunq. 7. cap. Nullus 8. cap. Placuit 43. 11. q. 1. ferè per totam, cap. Qualiter 17. de iudic. cap. Si diligenti 12. de foro compet.* Iure quoq; ciuili idem præscribitur, ne ecclesiasticæ personæ trahantur ad Iudicium seculare Auth. Statuimus C. de Episcop. & Cler. his verbis: *Statuimus, vt nullus ecclesiasticam personam in criminali quæstione, vel ciuili trahere ad Iudicium seculare præsumat.* Et hæc omnia confirmantur in Bulla Cœnæ Domini Excom. 15. contra trahentes ecclesiasticas personas ad tribunalia secularia, de qua dicam in sequenti cap. Vide *Castropal. de Reuer. disput. vn. p. 7. Grassum Effectu 1. num. 10. & seq. Farinac. q. 8. num. 5. Bonac. in Bulla disp. 1. q. 16. p. 3.*

Quæres 2. An Clerici pro gaudimento huius Priuilegij fori ciuilis, vt non trahantur ad iudicium seculare debeant habere requisita Tridentini cap. 6. sess. 23.

4 R. Affirmatiuè, nempe initiati primâ Tonsurâ, & quatuor Ordinibus minoribus de his tantum loquitur Tridentinum, & non de constitutis in sacris. Ne ergo Clerici trahi possint coram Iudice laico, debent vel habere Beneficium ecclesiasticum, vel si eo carent debent deferre habitum, tonsuram, & seruire Ecclesiæ, vel esse in Schola, aut Seminario, iuxta dicta in præcedentibus capitibus, præsertim cap. 6. Et quod Tridentinum loquatur de Priuilegio non solùm fori criminalis, sed etiam ciuilis, patet ex eo, quod Forus locum habet ex æquo tam in causis ciuilibus, quam criminalibus, cum vtrobique lites exerceantur non solùm de- 5
lictorum, sed etiam bonorum, cap. Forus, de verb. signif. Ita *Castropal. p. 7. initio, Dal Bene par. 1. cap. 7. sect. 1. num. 1. & 2.* & alij.

Quæres 3. An per hoc Priuilegium eximantur à Iudice ciuili tam actione personali, quam reali?

R. Affirmatiuè, ex neutro enim capite 6
trahi possunt, cum Priuilegium hoc debeat esse perfectum, non mancum, cum persona priuilegiata respectu vtriusq; actionis semper dicatur læsa, si ei Priuilegiũ integrè non seruetur. Confirmatur, quia iura superius allegata loquuntur generaliter de exemptione personæ, & rerum, & addo textum clarum in cap. Quamquam 4. de censib. ibi: *Cum igitur Ecclesiæ, ecclesiasticæq; personæ, ac res ipsarum* Priuilegium enim coniungit vtrunque simul, res enim sunt propter personam, & eam sequuntur, vt dixi cap. 10. num. 21. & 66. Ita docent omnes Canon. *in cap. Si diligenti 12. de foro compet. Dal bene cap. 7. dub. 12. Castropal. p. 7. num. 2. Marta par. 4. cent. 1. casu. 18 num. 27. Grassus num. 10.* Contra nonnullos *cum Farinac. q. 8. num. 21.* non audiendos, cum iura illis aduersentur.

Quæres 4. An hæc exemptio Clericis competat tam in iudicio extraordinario, quam ordinario?

R. Affirmatiuè, tam in possessorio, quam 7
in petitorio, *cap. Continua 5. 11. q. 1. alijs citatis Grassus num. 18.*

Quæres 5. An huiusmodi exemptio sit respectu bonorum non solùm Ecclesiæ, sed etiam patrimonialium ipsius Clerici?

R. Affirmatiuè, *ex cit. cap. Quamquam* 8
4. de censib. in 6. Dixi hic supra sub q. 3. & cap. 2. q. 4. Doctores citat Grassus num. 10. & 15

Quæres 6. An Clerici coniugati cum vnica, & virgine gaudeant priuilegio fori ciuilis?

R. Non gaudere, vt probaui cap. 7. q. 3. 9
num. 7.

Quæres 7. An clerici bigami gaudeant priuilegio fori ciuilis?

R. Negatiuè, expressè *cap. Quisquis 5.* 10
dist. 84. cap. Vn. de bigamis in 6. in quibus
locis

Digitized by Google

locis clarè dicitur, quòd Clericus bigamus, Bigamia scilicet verà, quia successiuè habuit duas vxores, vel interpretatiuà, qui duxit viduam ab alio corruptam, perdit omnia Priuilegia, ergo etiam hoc fori ciuilis, vt latius docui cap. 8. q. 30. num. 51. Bigamus verò secularis mortua vxore promotus etiam sine dispensatione gaudet Priuilegio hoc, quia nullibi priuatur illo, nam quod dicitur Clericum bigamum esse denudatum omni priuilegio, intelligitur de Clerico per Clericatum ducente vxorem, non è contra de laico bigamo promoto post mortem vxoris, vt probaui ibidem q. 25. num. 44.

Quæres 8. An in causa tantum possessorij trahendi sint ad forum laicale?

11 ℞. Negatiuè, non solùm si causa agatur inter Clericos, vt notum est, sed etiam inter Clericum, & laicum super possessione Beneficij, à qua Clericus eiectus fuit ab alio Clerico, vel laico, quia hæc causa est merè, & purè ecclesiastica, cum specificetur ab ipso Beneficio, quod originem, & radicem habet à spiritualitate exercendi spirituale ministerium, *Lessius lib. 2. de Iust. cap. 34. dub. 1. cum alijs, & D. Thoma 2. 2. q. 100. art. 1.* Ergo tractanda est solum coram Iudice ecclesiastico. Confirmatur, quia causa petitorij in Beneficijs fit coram ecclesiastico, *ex clem. Vn. de causa possess. & Clem. Vn. de sequestr. possess.* Ergo, & causa possessorij, ex dictis iuribus. Ita docent *Mar. Anton. lib. 1. resol. 91. Couar. q. 34. num. 1. fine, Azor. par. 1. lib. 5. cap. 14. q. 1. Farinac. q. 8. num. 23. Sublimit. 2. Castropal. p. 7. num. 4. §. Caterum, Dal Bene cap. 7. dub. 7. & 8.*

Contraria opinio à prædictis relata, quòd recurri possit ad Iudicem laicum, est multorum, Probatur *Primò*, per cap. Petimus 11. q. 1. cap. fin. de iudic. cap. causam 7. Qui filij sint legit. *Secundò*, quia causa possessionis est magis quid facti, quam iuris, cap. cum nostris, de concess. præbend. *Tertiò*, quia talis causa est magis temporalis, & profana, quàm spiritualis, & ecclesiastica.

12 Ad primum dico, in illo cap. *Petimus.* Concilium Cartaginense III. decernit, licere Episcopo, cuius Parochia ab alio inuasa fuit, petere auxilium Principis secularis contra inuasorem sæpius monitum nolentem restituere; auxilium autem, quod Episcopus petit ab illo, non arguit potestatem esse in Principe ad agendum pro Ecclesia, sed esse merum factum ipsius dependens ab ipso Episcopo, qui adiuuatur ad recuperandam Possessionem suæ Parochiæ.

13 Ad cap. fin. de iud. dico, potestatem Florentinam ibidem non egisse contra communitatem laicalem in Causà beneficiali, sed tantum laicaliter, & de facto coegit illam recognoscere Rectorem Ecclesiæ electum, Alij dicunt, sermonem ibi esse de Iurisdictione seculari, cum *Castropal. & dal Bene, locis citatis.*

Idem dicendum est ad cap. causam 7. 14
qui filij sint leg. ibi enim agitur de causà possessoria pertinente ad hæreditatem temporalem, non ad Matrimonium, nec agebatur inter Clericos, *ex eisdem Doctoribus, & Barbosa ad hoc caput num. 3.*

Ad vtranq; rationem, priori quidem res- 15
pondetur, esto causa possessoris sit quid facti quò ad suum ortum, non tamen perdit qualitatem spiritualitatis, ideo à suo Iudice ecclesiastico est tractanda. Posteriori dico eam causam esse omninò ecclesiasticam, cum specificetur à Beneficio, à quo est inseparabilis. Rem hanc benè explicat Mar. Anton. lib. 1. resol. 91.

Quæres 9. An Clerici saluatici gaudeant hoc Priuilegio?

℞. Sac. Congr. his verbis: *Fori autem* 16
Priuilegio in criminalibus omnino. in ciuilibus, quò ad corporis districtionem, & immunitate ab oneribus personalibus, non autem ab alijs, durante, seruitio frui debent. Archiepiscopo Neapolitano, decimo, calendas Augusti 1623. relatis *à Barbosa ad cap. 6. Sess. 23. num. 38. ex Riccio part. 4. resol. 480.* de illis dixi etiam *cap. 1. à num. 35. ad 37.* Istos creare potest Episcopus, & Capitulum sede vacante, vt ex Nouario tradit *Diana part. 8. tract. 4. resol. 51.*

Quæres 10. In causa feudali coram quo Iudice citandus est Clericus?

℞. Conueniendus est coram Domino Feudi etiam si sit laicus, tam in causa pos-
sessorij, quam petitorij, non verò in causà 17
criminali intuitu feudi cum agitur criminaliter. Si autem laicus ab Ecclesià teneat Feudum coram ecclesiastico, Feudatario conueniendus est in omnibus. Feudatarius quilibet etiam Episcopus iur fidelitatem domino Feudi.

Prima pars de Clerico conueniendo coram Iudice Domini laici, probatur expressè *per cap cæterũ 5. de iudic. cap. Ex transmissa 6. cap. verũ 7. de foro compet.* Est communis, *Farinac. q. 8. num. 22. Castropal. p. 7. num. 3. Barb. ad dictum cap. caterum num. 2. Dal Bene Part. 1. cap. 7. dub. 3. Bonac. in Bullà disp. 1. q. 16. sect. 1. p. 6. num. 6. Grassus. num. 718.*

Secunda pars de causà possessorij, & pe- 18
titorij coram eodem Iudice, affirmatur *ab eodem Bonac. Instrigl. de feudis centur. 2. art. 94. num. 12. Barbosa in dictum cap. caterum 5. de Iudic. num. 3.* contra alios, quos refert, & sequitur Grassus num. 132. & 133. asserentes solùm habere locum, quando causa possessorij reciperet adminiculum petitorij aliter causa possessorij præcisè cognoscitur ab

Ordina-

dendi contra Clericum, cum per hoc crimen non perdat Priuilegium fori, nullo enim iure exprimitur hæc pœna amissionis Priuilegij ex cap. 9. num. 22.

Ad primum dico, textum loqui de illis, qui fidelitatem cum iuramento promiserunt Principi, etiam Clerici, qui tale Sacrilegium commiserunt, machinando contra eum mortem, debent degradari, ita quòd nisi post degradationem ius habet procedendi contra eum, quia tunc non contra Clericum priuilegiatum, sed contra laicum quasi talem procedit auctoritate legis, non ex officio suo. Vide Barb. hic, vbi per degradationem intelligit depositionem. Dic vlterius, illum textum legem non facere, cum sit dictum D. Augustini, immo in eius operibus non inuenitur, quare talis textus attendendus non est.

Ad secundum dico, bonam esse illationem, quia crimen læsæ Maiestatis non dat Iurisdictionem laico, nec à Clerico aufert Priuilegium, ergo ex hoc capite Clericus non potest puniri à Iudice laico propria auctoritate, neq; in hoc delicto, neq; in alijs.

Ad tertium, originatio solùm probat; quòd fuit ab origine naturaliter subditus, sed dum à statu laicali transit ad statum ecclesiasticum, hunc aquisiuit cum deperditione prioris, sunt enim simul incompossibiles, nulla ergo ratione consideranda est originaria subiectio, dum deficit in transitu ad Clericatum, vnde nec dicitur illi subditus ratione fidelitatis, quam illi non iurauit ratione Originis.

Quæres 2. An Monetarius puniri possit à Iudice seculari?

8 ℞. Negatiuè, quia nullo iure habetur, hoc delictum priuare Clericum Priuilegio fori, nec dare Iudici seculari potestatem puniendi ecclesiasticos Monetarios, aut monetarum Tonsores. Ita *Gram decis. 163. Roland. consil. 4. num. 3. cum alijs Grassus Effecta 1. num 576.* Contra Monetarios Pius V. edidit Bullam sub 111. quam innouauit Vrbanus VIII. in suâ 75. incip. *In suprema.*

Quæres 3. An possit auferre arma quæcumq; ecclesiasticis?

℞. Negatiuè, quia nullo iure canonico
9 Iudici seculari id conceditur, neq; per illorum delationem perdit Priuilegium fori, ex dictis cap. 9. q. 9. num. 23. Habent proprios Superiores, qui arma illis concedunt, cum opus est, & gestantes sine illorum licentià puniunt, ergo nulla ratio suadet, quod seculares possint Ecclesiasticos armis spoliare. Est communis sententia Doctorum 46. quos recenset *Barb. ad cap. In audientia 25. de sent. excom. Ciarlin. cap. 15. num. 83. & cap. 20. num. 71. Bonac. disp. 10. de legib. q. 2. p. 1. §. 1. num. 2. Decian. lib. 4. cap. 9. num. 140. Farin. q. 8. num. 96. q. 108. num. 21.*

Quæres 4. An procedere possit contra venatorem, & Piscatorem?

℞. Rem venatam, seu piscatam, in lo- 10
co, vbi est Principis reseruatio, eripere potest de eius manibus, quia est res sub dominio reseruantis. Procedere autem contra illum puniendo in persona, vel rebus suis nequaquam potest, quia in his non est dominus. Ita *Salcedo ad Diaz cap. 65. fine, Morla q. 16. num. 16. Cenedus Collect. an. 37. num. 19. ex illis Grassus num. 863.* Addo, quod illis auferre non potest canes, & instrumenta venationis, aut piscationis, cum sua sint.

Quæres 5. An procedere possit contra Vsurarium ecclesiasticum?

℞. Negatiuè, quia nullo iure id illi con- 11
ceditur, nec Vsurarius caret Priuilegio. Grassius num. 1002. quicquid dicant Ioannes Monachus, & Ioannes Andreas apud ipsum sine fundamento.

Quæres 6. An Ecclesiasticus sodomita distringatur à iudice laico?

℞. Negatiuè, nisi post degradationem, 12
& traditionem Curiæ seculari, vt statuit Pius V. in duabus suis Bullis, prima incip. *Cum primum 5. §. 11.* Secunda incip. *Horrendum 72.* his verbis: *Omnes, & quoscumq; Presbiteros, & alios Clericos seculares, & regulares, cuiuscumq gradus & dignitatis, tam dirum nefas exercentes omni Priuilegio clericali, omniq; officio, dignitate, & beneficio ecclesiastico præsentis Canonis auctoritate priuamus, ita quòd per Iudicem ecclesiasticũ degradati potestati statim seculari tradantur.*

Occurrunt hic duæ potissimum difficultates prima quid importet exercere hunc actum? Secunda, an patiens subijciatur his pœnis?

Ad primam, ille dicitur exercere hunc 13
actum, qui ex vsu continuato id vitium exercet, *Rodriq. tom. 1. q. 32. art. 19. Sayrus lib. 7. de cens. cap. 12. num. 23. cum alijs Barb. ad cap. 4. de excessib. Prælator. num. 7.* Excusatur à pœnis, qui quater probatur exercuisse hoc vitium *Mazucbell. de casib. Mediol. disput. 2. cap. 22. num. 10.*

Ad secundum, his pœnis non subijcitur 14
patiens, quia perpetrare, & exercere hoc vitium, non est illud pati, sed agere tantum. Ita nonnulli apud Barbosam citandum.

Contrarium, quòd etiam patiens subijciatur his penis, docent *Florenus, Coriolanus, Diana, Bonacina, apud Barbosam ad cap. 4. de excessib. num. 12. Vers. Sexto, Mazuchel disp. 2. cap. 22. num. 7.* & alij apud ipsos. Probant *Primò*, quia dispositum in vno correlatiuorum, censetur etiam dispositum in altero. *Secundò* tam patiens, quam agens propriè dicitur perpetrare, seu exercere hoc vitium, ergo pari pœna puniuntur.

Ad

16 Ad primum dico, verum quidem esse, quòd correlatiua non iudicantur ad imparia etiam in pœnalibus ab Euerardo in hoc loco num. 9. quando scilicet militat in vtroque eadem ratio, *ex ibi allegatis, & à Barb. loco hoc 23. num. 2. & 3.* Sed hic non militat eadem ratio, cum experientiâ notum sit, huius vitij causam instigantem esse regulariter agentem, ipsum verò patientem non instigare, sed tantùm pati, ætas enim puerorum huius vitij ignorantiam, & impotentiam arguit, eos non posse dici perpetrare, & exercere tale vitium. Et quòd patientes non subduntur pœnæ mortis certi iuris est ex eorum minoritate.

Ad secundum, falsum est, verbum *exercere* importare vtrunq; cum luce clarius sit, significare solam actionem, quod quuq; ex eius compositione, & etimologia deducitur *Ex* & *Arceo* scilicet, agendo arceo à me ignauiam, & pigritiam, vnde & exercitus militum dicitur, quia continuò agunt militando contra host s, exercere, ergo non est pati, sed tantùm agere.

17 Numquid pœnæ incurruntur ante sententiam? Nequaquam etiam in furo Conscientiæ. Ita *Suarez de censf. disp. 31. sect. 4. num. 22. Sayrus lib. 7. cap. 12. num. 24. Sanchez lib. 7. disput. 46. num. 18. Bonac. q. 4. de Matrim. p. 11. num. 2. Barb. ad cap. 4. de excessib. num. 11. Verf. Septimo.* De his, & alijs pœnis vide *Farinac. q. 147. Quaranta v. Sodomia, Panimolla in suo Prausinome constituto 46. à num. 47. ad 54.*

18 Harum pœnarum non est reus abutens bestijs, quia reuera non est Sodomia. Ita *Nicolaus Garzias par. 11. de benef. cap. 11. num. 204. Diana par. 2. tract. 3. Miscell. resol. 66.* Multi tenent contrarium citati à Barb. in dictum cap. 4. de excessib. num. 12. Sed meo iudicio inepte, quia in odiosis, & pœnalibus verba sunt strictè, & propriè accipienda. Nam Sodomia verè, & propriè

19 accepta, de qua cap. 19. Genes. num. 5. *Vocaueruntq; Lot, & dixerunt ei, vbi sunt viri qui introierunt ad te nocte? educ illos huc, vt cognoscamus eos.* Est seminis humani emissio intra vas stercorarium hominis masculi ab alio masculo, est ergo commixtio masculorum inter se, vnde excluditur non solum bestiarum, sed etiam feminarum abusus. Ita *Floronus par. 2. de casibus reseru. casu 7. §. 1. n. 9. Bonac. q. 4. de matrim. p. 11. Barb. ad cap. 4. de excessib num. 10. D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 8 ibidem Caietanus, Defendens de casib. Comi disp. 3. casu 5. num. 578. Mazucbell. disp. 2 cap. 22. initio.* Qui Sodomiam vocant coitum inter personas eiusdem sexus.

Quæres 7. An clericus delinquens simul cum seculari puniri possit à Iudice seculari?

20 ℞. Negatiuè, & probaui cap. 10. q. 10.

Quæres 8. An Clericus capi, & puniri possit à Iudice seculari offenso?

℞. Non posse, quia per iniuriam illatam 21 Iudex nullum aquirit ius procedendi contra sibi iniuriam illatam; neq; per id perdit suum Priuilegium. Confirmatur, quia id est vindicare propriam iniuriam, quod nemo facere debet, sed recurrendum est ad Superiorem iniurantis, vt Iustitiam faciat. Quod procedit, siue agat officium Aduocati, siue Procuratoris, vel alia ratione, quia nihil ex his tribuit eidem ius procedendi contra Clericum, cum nullus ex Cānonibus talem facultatem ei concedat.

Carolus Grassus Effectu 1. num. 935. probat duabus rationibus posse Iudicem secularem Clericum sibi insultantem distringere. *Primò*, quia Clericus exercens aliquid contrarium Clericatui amittit Priuilegium fori; sed exercens Aduocatum, &c. facit aliquid contrarium Clericatui, vt probat 11. & 12. ergo perdit Priuilegium, & sic tamquam alter laicus puniri potest à Iudice seculari, quem offendit. *Secundò*, potest illum capere tanquam in fragranti crimine deprehensum, ergo.

Hæ rationes nullius sunt momenti. Vnde ad priorem dico respondendo ad hominem ex ipso Grasso Effectu 12. num. 4. non perdere Priuilegium, quia non est ars vilis, neq; sordidum exercitium, propter quod perditur Priuilegium. Adde, quòd argumentum eius non facit ad rem, quia aliud est exercere artem, aliud iniuriare Iudicem. *Ad secundam* dico, neq; in hoc casu posse capere Clericum sibi iniuriantem, cum debeat recurrere ad eius Superiorem, vt illum distringat. Quòd in nullo casu Iudex laicus mandet capturam Ecclesiasticorum propriâ auctoritate probaui supra sub cap. 11.

Quæres 8. An Clericus in loco, vbi deliquit, non habens Superiorem, possit à Iudice seculari capi, & puniri? Iterum infra q. 18.

℞. Id facere non potest, quia nullo iure 22 canonico illi hæc potestas tribuitur. Nec obstat, quòd in loco non habeat Clericus Superiorem, quia talis carentia non tribuit facultatem Iudici seculari. Præterquamquod in omnibus Ciuitatibus habetur Episcopus, vel Iudex ecclesiasticus, cuius est corrigere delicta Ecclesiasticorum.

Plerique cum Grasso num. 963. tenent contrarium referentes exempla contra nonnullos Equites Maltenses, qui fuerunt capti de mandato Iudicis laici, & transmissi ad suum Iudicem ecclesiasticum, nam absentia Iudicis competentis tribuit iurisdictionem Iudici non competenti.

Sed ego inuenio ius asserens inter Iudices disparis status tribuens facultatem ex absentiâ alterius. Iterum infra q. 18.

Q Quæres

Quæres 9. An Clericus contraueniens Saluæguardiæ, & illam frangens possit puniri de mandato Principis?

23 ℞. Negatiuè, quia nullo iure canonico id reperitur concessum. Ita *Guidopapa dec. 77. Vers. Sed an Iudex, cum alijs Grassus num. 1004. contra nonnullos ab eo citatos nulla ratione suffultos.*

Quæres 10. An Clericus perturbans Rempublicam possit puniri à Iudice laico, tamquam inquietus?

24 ℞. Negatiuè, cum huic malo possit prouideri per Superiorem ecclesiasticum à Magistratu admonendum. Quicquid dicat Grassus num. 1011. cum alijs fundatis in eo, quod legitur 3. Reg. cap. 2. de Salomone Rege, qui fecit interficere Abiathar Sacerdotem. Sed hoc non obstat, quia Salomon

25 erat etiam Sacerdos cum potestate spirituali ex cap. 7. lib. 2. Paralip.

Quæres 11. An Clericus contemnens Excommunicationem puniri possit à Iudice seculari? Contemnere, seu insordescere dicitur ille, qui iam contumax, & inobediens excommunicatur, & in excommunicatione per annum permanet nolens obedire neque absolutionem ab ea quærere. Doctores *in cap. Excommunicamus 13. de haret. & cap. Cum contumacia 7. eod. in 6.*

26 ℞. Insordescens in eâ solùm ab Episcopo, vel Inquisitore puniri potest, quia est suspectus de hæresi, quod est crimen reseruatum solùm prædictis, *Cap. vt Inquisitionis 18. §. Prohibemus, de haret. in 6. Farinac. q. 186. num. 154. Barb. ad dictum cap. 18. num. 7.*

Contrarium, quòd in hoc casu possit se intromittere etiam Iudex laicus, quando Ecclesiasticus non potest ob potentiam Excommunicati illum punire, docent nonnulli cum Grasso num. 1012. & 1013. Sed reuerà id omninò falsum est, quia Episcopus, & Inquisitor sunt potentes tum per se, tum per laicam potestatem, cum mandare possint, vt sibi contumacem capiant, & consignent, ex cit. cap. 18. Et hic confutatur error Bertachini apud dictum Grassum num. 1035. asserentis Iudicem secularem posse punire Clericum Fidem subuertentem, cum is casus sit merè ecclesiasticus, ita quòd nec incidenter laicus potest se in eo intromittere, ex cit. cap. & docent citati à Farinac. & Barbosâ.

27 Notâ autem, quòd insordescens in Excommunicatione propter delictum Hæresis excommunicatus, habendus est pro Hæretico, *ex cap. Excommunicamus 13. de haret.* citandus tamen ad allegandum causam, quare non debeat declarari Hæreticus. Insordescens verò propter aliud delictum habetur solùm pro suspecto de hæresi, *cap. 3. in fine, Sess. 25. in Tridentino*, vbi *Barbosa citat Doctores num. 34. & in præcitato cap. 13. num. 11.*

Quæres 12. An Clericus delinquens coram Iudice seculari e. g. deponendo falsum Instrumentum, puniri ab eo possit?

℞. Negatiuè, quia nullibi in iure reperitur, quòd per delictum mendacij, aut periurij Clericus perdat Priuilegium fori. Ita docent omnes cum *Hostiensi, Butrio, Innocentio, Ioanne Andrea, & Felino in cap. Verum, de foro compet. Farinac. q. 8. num. 26.* alijs relatis Grassus *num. 1147. Ciarl. cap. 48. num. 10. & 11.* qui Grassus præced. num. alios in contrarium recenset, nullo fultos fundamento. 28

Quæres 13. An Iudex secularis procedens contra Clericum, quem putabat laicum, ritè, & validè agat, & non comparens ipsum condemnet in contumaciam, immò definitiuè, si probatum, sit delictum contra illum?

℞. Acta contra Clericum siue notum, siue ignotum in ratione Clericatus, probato concludenter Clericatu, ipso iure nulla, & inualida sunt, defectu Iurisdictionis in procedente, ac proinde omnia acta debent carere iuribus, & pro nihilo haberi. Ita *ex cap. Cum super 23. de offic. deleg. Decius consil. 198. num. 3. Diana par. 6. tract. 8. resol. 4. Vers. Verum, Pasqualig. q. 72. initio.* Defectus enim Iurisdictionis insanabilis est, *ex allegatis à Gnaz. Defens. 1. cap. 1. num. 4.* Et ita docent citati *à Grasso num. 1287.* Quarecum omnia acta sint nulla, & lata Sententia, vt quæ procedunt à Iudice incompetente, nunquam reuiuiscere possunt, & Clericus perpetuò agere poterit de nullitate, vt dicunt omnes *cum Paulo de Castro in l. 2. ff. si quis in ius voc. num. 9. Vers. Breuiter Prospero Passeto cons. 23. num. 7. ex eis Grassus num. 1292.* Ita quod Iudex requisitus tenetur ea acta reuocare, quia malè, & iniustè facta emendenda sunt, & corrigenda, ex Auth. de Nupt. collat. 4. Vbi Imperator inquit: *Non enim erubescimus corrigere, quæ prius diximus, nec ab alijs corrigi expectare volumus.* Vnde *ex cap. Graue 19. de offic. Ordin.* dicitur: *Iudex, qui malè egit per seipsum emendare debet.* Colligunt *ex l. præses 6. C. quomodo, & quando, l. 4. C. de accusat. Anchar. consil. 184. Felin. consil. 49. num. 19. Decian. lib. 4. cap. 9. num. 61. fine, & num. 115. ex illis Grassus num. 358.* 29 30

Quæres 14. An Clericus reconueniri possit coram Iudice laico in criminali, coram quo ipse Clericus conuenerat laicum?

℞. Negatiuè, quia accusatus non potest accusare in eodem Iudicio, nisi prius se purgauerit. Confirmatur, quia reconuentio non dat ius, sed illud supponit; certum autem est, Iudicem laicum nullum habere ius in 31 32

ius in reconuentione, ergo non potest esse Iudex reconuentionis. Ita *Glos. v. Non tenet, cap. 4. de iudic. Glos. v. Aut condemnare, cap. 2. de foro compet. Clarus q. 2. num. 3. cum alijs Barbosa in cap. Ex literis, de litis contest. num. 7. Guazin. Defens. 1. cap. 7. fine, Farinac. q. 8. num. 99. Bonac. in Bulla disp. 1. q. 16. sect. 1. p. 6. num 8. limit. 2. Castropal. de Reuer. p. 6. num. 9. Grassus num. 763. & 756.* Asserentes procedere, etiam si in causa criminali procedatur ciuiliter.

Quæres 15. An Clericus feudatarius possit puniri à suo domino?

33 ℞. Negatiuè, etiam si deliquerit in causà feudali, siue agatur criminaliter, siue ciuiliter in crimine, quia nullibi reperitur id concessum Iudici seculari, qui nec directè, nec indirectè potest distringere ecclesiasticas personas. Ita *Couar. in cap. Verum, de foro compet. num. 2. & 3. Butrius, & Abbas num. 17. ibidem, Surd. lib. 2 cons. 193. num. 15. Berous lib. 1. cons. 82. num. 11. cum alijs Grassus num. 726. & 727.*

Quæres 16. An Clericus officialis Principis secularis, si delinquat in officio, puniatur ab eodem Principe?

34 ℞. Negatiuè, expresè cap. Cum contingat 13. de foro compet. vbi, quòd coram suo Episcopo conueniendus est, nisi Priuilegium, vel consuetudo aliud inducat. Ita *Abbas in dictum cap. Couar. in practicis quæst. cap. 33. num 6. Decian. lib. 4. cap. 9. num. 243. Bonac. de legib. disp. 10. q. 2. p. 1. § 1. num. 24. Diana par. 1. tract. 2. resol. 18. cum alijs Barb. in cap. Sacerdotibus 2. Ne cler. vel mon. Del Bene par. 2. cap. 9 dub. 35. sect. 1. num. 16.* Quo ad distinctionem, quo verò ad redditionem rationum cogendus est ab Episcopo.

Contrarium, quòd possit puniri à Principe, tenet *Farinac. q. 8. num. 98. cum Cenedo Collect. 61. num. 6. Camillo Borella de præstantia Regis Catol. cap. 71. num. 34. apud dictum Barbosà.* Probatis primò *ex cap. Cum contingat 13. de foro compet.* ibi: *Vel consuetudo aliud inducat.* Secundò ex cap. præcitato Sacerdotibus. 2. Ne Cler. vel. Mon. illis verbis: *Indignum est eis ab Ecclesià subueniri, per quos constat in Ecclesià scandalum generari.* Ergo cum Ecclesiâ illis non subueniat præcipiendo ne puniantur, liberum erit Iudici laico distringere tales delinquentes.

Ad primum dico, eam consuetudinem sublatam esse per Bullam Cœnæ Domini. Ad secundum, verba illa non important, ipsum posse puniri à Iudice seculari, sed Ecclesiam non debere illi parcere, immo seuerè castigare iuxta excessus suos in illo officio perpetratos, vt docent præcitati.

Quæres 17. An Filius Clericus simul cum alijs Filijs laicis priuetur bonis paternis ex delicto patris in Crimine læsæ vtriusq; Maiestatis.

℞. Negatiuè, quia leges ciuiles neq; directè, neq; indirectè possunt punire Clericos non solùm in personà, verum nec etiam in bonis, cum in neutro subdantur legibus ciuilibus. Confirmatur, quia lex confiscationis est valde odiosa, ergo restringendâ. Præterea non afficit filias feminas. Clarus v. Læsæ maiestatis num. 10. vnde sunt dotandæ, ibidem Baiardus v. Contra, ergo multò minus Clericos, qui nullo modo subduntur Principi seculari. Quare Filio Clerico debetur legitima. Ita *Glos. in cap. Satis peruersum 7. dist. 56. alys citatis Grassus Effectu 45. num.* 2. Licet Glos. id dicat; tamen solùm ibi sermo est de Beneficio non auferendo à Iudice laico; cum non pertineat ad bona paterna. Dicta locum non habent in fisco Ecclesiæ ex contrarià ratione, quia scilicet Clericus subditur Ecclesiæ legibus, sic Ecclesia aquirit. 35

Quæres 18. An Ecclesiastici exempti, & immediatè subiecti Sedi Apostolicæ, qui non habent Superiores in Regnis, vbi delinquunt, puniri possint à Iudicibus regijs?

℞. Negatiuè, Tum quia alter eorum Priuilegia exemptionis nullius essent momenti. Tum quia absentia Superioris non dat ius secularibus Iudicibus in Clericos. Tum quia simpliciter non carent Superioribus ecclesiasticis, cum in vnàquaq; ciuitate adsit Episcopus, qui in casibus enormibus potest eos capere, vt consignentur suis Superioribus. 36

Quæstio hæc procedit maximè contra ecclesiasticos milites, qui non habent vbique Superiores suos præsentes, asserentibus nonnullis, posse puniri à Iudicibus regijs, qui sunt *Pereira de manu regia par. 2. cap. 22. num. 18. Bobadilla tom. 1. lib. 2. cap. 18. num. 127.* quos cum alijs refert *Diana par. 4. tract. 1. resol. 73.* & impugnat ipse Diana cum Camillo Borella *in Addit. ad Speculum Bellug. Rubr. 11. §. Videndum lit. G.* vocante hanc opinionem iniquam, quam falsam dicit *Megal. lib. 3 de censur. cap. 11. num. 37.* Et id verum est, vt colligitur ex Bulla 37. incip. *Æqua* Clementis VIII. decernentis, ne aliquis Minister, aut Officialis etiam imperialis sub pænà Excommunicationis reseruatæ Papæ extra articulum mortis, audeat aliquem Fratrem S. Ioannis Ierosolimitani, Militem, aut Religiosum, donatum, aut familiarem, seruitorem, nec non Presbiteros seculares eorum Ecclesijs inseruientes, dum eis inseruiunt, & alias quascunq; personas dicti Hospitalis declarare, quod assassinij crimen commiserint, neq; ad pænarum executionem deuenire, nisi prius per Superiores eorum adiũcto sibi loci Episcopo, declaratum fuerit, eos tale 37

aſſaſſinium commiſiſſe, non obſtante quauis etiam antiquiſſimâ, & immemorabili conſetudine in contrarium forſan quomodolibet vigente. Vide *Paſqual. ad Frambum par. 1. num.* 118. *Ceſpendem de exempt. Regular. dub.* 253.

38 Si quis Eques Maltenſis delinquat in perſonas Curiæ Epiſcopalis, dum ſuum officium exercent, vel aliàs Iurisdictionem Epiſcopi impediens ab eodem puniri poteſt, vt reſpondit S. Congr. *apud Barboſam lib. 1. de Iure cap. 43. num.* 154. Dicta de his locum habent in Militibus aliorum ordinum, ſunt enim & ipſi Perſonæ eccleſiaſticæ.

CAPVT DECIMVM V.

De Excommunicatione Bullæ Cœnæ Domini contra proceſſantes Clericos.

SVMMARIVM.

1 *Referuntur verba* Bullæ.
2 *Cauſa criminalis tractatur à Iudice competente ad puniendum reum.*
3 *Pœna vnius metus multorum.*
4 *Pœna facit cauſam criminalem, ordinaria, & extraordinaria.*
5 *Capitalis, & non capitalis.*
6 *Criminalis ne, an ciuilis, cenſenda ciuilis.*
7 *Ciuilis cauſa, quæ non tendit ad punitionem.*
8 *Quænam perſonæ comprehendantur in Bulla;*
9 *Magiſtratus quid, & quotuplex?*
10 *Magiſtratus nomine venit quilibet officialis in eo.*
11 *Principes, & Rex non venit ſub nomine Magiſtratus.*
12 *Rex dicitur Magiſtratus cauſaliter, non formaliter.*
13 *Notarius, qui auctorizat inſtrumenta.*
14 *Scriba, qui reſcribit acta, ſeu inſtrumenta.*
15 *Executores ſunt obedientes Iudici.*
16 *Accuſator, ſeu querelans non eſt reus huius cenſuræ.*
17 *Prabens ſolum occaſionem, accuſatio non eſt actus iudicialis ex parte accuſantis.*
18 *Neque teſtes.*
19 *Neque Aduocati, & Procuratores.*
20 *Neque Fiſcalis.*
21 *Nullam incurrunt cenſuram Bullæ.*
22 *Neque eam quæ eſt contra trahentes, quæ reſpicit ciuilia.*
23 *Conſiliarij olij aſſeſſores, olij dantes conſilia in ſcriptis.*
24 *Actiones ſunt quinque huius Bullæ.*
25 *Vnaquæq; earum de per ſe infert cenſuram.*
26 *Proceſſus quid, & quotuplex.*
27 *Lis dicitur conteſtari per reſponſionem in citatione.*
28 *Concluſio in cauſa facit ſilere partes.*
29 *Ab eo, acta Proceſſus dicuntur fieri nota.*
30 Sicut audio iudico *Ioan.* 5. 30.
31 *Sententia eſt pars proceſſus.*
32 *Proceſſus ſcribendus eſt.*
33 *Ore tenus proceſſare non dicitur ſed priuatim interrogare..*
34 *Recipiens dicta teſtium contra Clericum complicem cum laico, non eſt reus.*
35 *Proceſſans ad effectum remittendi non excuſatur.*
36 *Neque, ſi ita agat ſine animo puniendi.*
37 *Ex ſolâ acceptatione querelæ fit reus huius Cenſuræ.*
38 *Iudicium incipit à citatione, proceſſus à querelâ acceptatâ.*
39 *Proceſſus habet tractum ſucceſſiuum ex multis actibus.*
40 *Prohibito toto, cenſentur prohibitæ diſtinctè omnes eius partes.*
41 Bannire *quid importet.*
42 *Verba cum effectu ſunt accipienda maximè in odioſis.*
43 *Priuatim monens Clericum, vt recedat, non eſt reus.*
44 Princeps *per ſe non poteſt bannire Clericum ſuſpectum, vel perturbantem Rempublicam.*
45 Capere *quid importet.*
46 *Sententia condemnatoria etiam ſine executione facit Iudicem reum Cenſuræ.*
47 *Sententia in ſcriptis debet redigi.*
48 *Executio refertur ad Sententiam.*
49 *Iudex eccleſiaſticus proceſſans non ſuum ſubditum, non eſt reus.*
50 *Eccleſiaſticus officialis Principis incurrit hanc Cenſuram.*
51 *Clericus conſentiens in Iudicem laicum, hunc non excuſat à Cenſurâ.*
52 *Proceſſans ad vindictam, non in ordine ad Sententiam adhuc incurrit.*
53 *Negligentia Ordinarij non excuſat Iudicem laicum.*
54 *Nullus inferior poteſt cauſam criminalem delegare laicis.*
55 *Etiam coniunctim cum Clerico.*
56 Papa *ſolus delegare poteſt.*
57 *Licentia qualis debeat eſſe.*
58 *Veneti habent hanc Licentiam.*
59 *Delegatus tenetur oſtendere ſuum Priuilegium;*
60 *Quænam Perſonæ eccleſiaſticæ gaudeant hoc Priuilegio Bullæ.*

DE

DE EXCOMVNICATIONE B. C. D. CONTRA PROCESSANTES CLERICOS.

NOn inuenio Censuram latæ sententiæ contra Iudices seculares distringentes Personas ecclesiasticas, ideo contra istos adest Excommunicatio lata in Bullâ Cœnę Domini §. 19. huius tenoris.

1 *Excommunicamus, & anathematizamus omnes & quoscunq; Magistratus, & Iudices, Notarios, Scribas, Executores, & Subexecutores, quomodolibet se interponêtes in causis capitalibus, siue criminalibus contra Personas ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specificâ, & expressâ huius sanctæ Sedis Apostolicæ licentiâ, quiqus huiusmodi licentiam ad Personas & casus non expressos extendunt, vel aliàs, illâ perperam abutuntur, etiamsi talis committentes fuerint Consiliarij, Senatores, Præsidentes, Cancellarij, Vicecancellarij, aut alio quouis nomine nuncupati.* Super qua proponuntur sequentes quæstiones, & resoluuntur.

Quæres 1. Quid sit causa capitalis, & criminalis, de quibus in hac Bulla?

2 ℞. Causa criminalis est illa, quæ criminaliter tractatur, contra delinquentem à Iudice competente ad effectum puniendi
3 malefactorem in ordine ad publicam vtilitatem pœna enim est metus multorum, *Deuter. 17. 13. cap. Quapropter 47. 2. q. 7. cap. fin. de Calumn.* Pœna ergo inflicta ad publicam vindictam specificat causam criminalem, & distinguit à ciuili, quæ ciuiliter tractatur ad commodum priuatum. Ita communis peritiorum opinio apud *Clarum q. 1. Vers. Ex quorum, Farin. q. 103. num. 3. & seq. Menoch. di arbitr. casu 275. num. 6. Barb. ad Rubr. de Iudic. num. 4. Ego in Praxi cap. 92. q. 4. tom. 5. impress. Lugdunensis.*

4 Pœna autem constitutiua, seu quâ cognoscitur, causam esse criminalem, alia est ordinaria, quæ scilicet à lege, vel statuto est imposita malefactoribus. Extraordinaria verò ea est, quæ arbitrio Iudicis imponitur condemnatis; dicitur arbitraria, quia non est expressa in iure, sicut ordinaria. Alia est afflictiua corporis, quæ subdiuiditur in capitalem. Capitalis consistit in diminutione capitis per mortem, vel naturalem vltimi supplicij violentæ separationis animæ à corpore; vel ciuilem, per deportationem, seu relegationem, & exilium; seu pœnam triremium, de quibus Farinac. q. 19. Et per hæc explicantur ea Bullæ verba *In causis capitalibus* scilicet pœnarum mortis, exilij, & triremium, in terminis istis Bonac disp. 1. Bullæ q. 20. par. 1. num. 4.

Sub alijs verbis, *Seu criminalibus*, continentur aliæ pœnæ criminales, sed non capitales, cuiusmodi est tortura, fustigatio, berlina, membri truncatio, effossio oculi, &c. Alia non est afflictiua corporis, sed bursæ euacuatio, dicta pœna pecuniaria, quæ si applicetur fisco, arguit causam criminalem, non autem si detur parti; quia tunc causa est ciuilis, cum non tendat in publicam vtilitatem, sed priuatam. *Ita Clarus q. 1. Vers. Ex quorum, Farinac. q. 100. num. 15. Bonacina disp. 1. q. 20. p. 5. num. 5.* Vnde excluditur à causa criminali Iudicium, quod fit ciuiliter super delicto sine vllo ordine ad puniendum ipsum delinquentem. 5

In dubio, an causa sit criminalis, an ciuilis, censenda est ciuilis, secundum *Menoch. lib. 1. de Arbitr. q. 88. num. 1. 5. & 6. Buccaronus de differ. inter iudicia ciuil. & criminal. Præmisso 3. ex illis Barb. ad Rubr. de iudic. num. 5.* in dubijs enim pœnalia locum non habent. 6

Causa ciuilis est illa, quæ oritur ex contractu, vel etiam ex delicto, sed sine ordine ad punitionem, ad commodum tantùm personæ priuatæ. Ita præcitati, qui causam ex ciuili, & criminali mixtam vocant illam, in qua agitur ad interesse fisci, & ad commodum partis .i. accusatoris. Ita Doctores *cum Farinac. q. 100. num. 50. qui num. 52.* ait, dicendam esse prorsus criminalem. 7

Quæres 2. Quænam personæ afficiantur hac censura?

℞. Sequentes, Magistratus, Iudices, Notarij, Scribæ, Executores, & Subexecutores. Item Consiliarij, Senatores, Præsidentes, Cancellarij, & Vicecancellarij, & alij quouis nomine nuncupati. De singulis dicendum. 8

Magistratus est Officium honorificum Personis officialibus tribuens potestatem super subditos. Quatuor autem sunt ordines Magistratuum Primi ordinis vocantur Illustres; Secundi spectabiles; Tertij Clarissimi, & his competit potestas meri, & mixti imperij, hoc est, inquirendi; & puniendi delicta, *l. Imperium ff. de iurisd. omn. iud. l. Illicitus §. Qui vniuersas ff. de offic. Præsid. ibi Glos. v. Ius gladij, Oldrad. cons. 10. num. 2.* 9

Quarti ordinis Magistratus sunt illi, qui minorem habent potestatem, *ex Glos. v. Tribuuntur l. 1. ff. de officio eius cui mand. iurisd.* Alia est diuisio Magistratus in eos, qui sunt maioris ordinis, & qui sunt ordinis minoris, *l. Honor 14. §. Gerendorum, ff. de muner.* Maioris ordinis erant Consules, Censores, Prætores, Dictatores, &c. Minoris ordinis erant Ædiles, Quæstores, Tribuni, &c. De maioribus Cicero lib. 3. de legibus inquit: *Videtis igitur hanc esse Magistratus Vim: vt præsit, præscribatq. recta, & vtilia,*

vtilia, & coniuncta cum legibus. Vt enim Magistratibus leges, ita populo præsunt Magistratus, vereque dici potest, Magistratum esse Legem loquentem, legem autem mutum Magistratum.

Itaque omnes Officiales, qui Magistratum constituunt siue maiorem, siue minorem se interponentes in causis criminalibus Clericorum sunt rei huius excommunicationis *Bonac. disp. 1. Bullæ. q. 20. par. 2. num. 2.*

Duæ hic occurrunt difficultates de nomine Magistratus. Prima, an sub nomine Magistratus veniat vnica persona officialis, nempe caput? An singulæ personæ? An corpus ipsum Magistratus? Secunda, an sub nomine Magistratus veniat Principes, Imperator, Rex, Dux, &c.

10 Ad primum dico, venire omnes Personas singulariter spectatas se interponentes in causis criminalibus Clericorum, non enim excommunicatur Congregatio, & corpus morale, vt patet ex 2. Canone Bullæ, vbi distiguuntur personæ à Capitulis, Collegijs, & Vniuersitatibus, nam illæ excommunicantur, hæc verò interdicuntur.

11 Ad secundum dico, illos non venire sub nomine Magistratus, quia Bulla, quando vult eos includere, de illis mentionem expressam facit, vt videri potest excom. 7. 8. 14. & 18. in hoc autem Canone de illis nulla fit mentio. Confirmatur id, quia Princeps ipse non est Magistratus, sed is constituitur ex eius Officialibus, quibus supereminet, & pro capite, non ipsum Principem, sed alium habet subiectum ipsi Principi, qui omnibus suam delegat potestatem.

Dices, in l. 2. ff. de orig. iur. §. Quò ad Magistratus, Rex dicitur Magistratus, quia habet omnem potestatem; & hoc docet *Megal. lib. 3. de censur. cap. 11. num. 3. per l. Potestatis 215. de verb. signif.* cum potissima acceptio Magistratus sit, quòd habeat imperium coercendi malefactores.

12 Sed reuerà allati textus id nequaquam probant, sed solùm id significant, quòd Rex, & Princeps est Magistratus non formaliter, sed causaliter, quia Magistratus ab eo instituitur, & ab eodem accipit amplissimam potestatem. *Bonac. cit q. 20 num. 2.* hos sub nomine Magistratus ex Fulucio non comprehendit, sed solum Gubernatores, Proreges, Præsides Prouinciarum, Senatores, &c.

Iudicis nomen expressum in Bulla de se notum est, & venit solum Iudex criminalis, non autem ciuilis, cum is non tractet causas criminales, sicut ille.

13 Notarij nomen satis notum est de illis, qui publicâ auctoritate creati sunt ad conficienda Instrumenta publica, & in terminis istis, qui acta criminalia autenticant contra Ecclesiasticos, vel simpliciter scribunt in Processibus, qui contra illos fiunt. *Bonac. cit q. 20. num. 3.*

Scribarum nomine veniunt quicunque Scriptores scribentes acta processus, vel aliquid contra Clericos. Ex eodem Bonac. num. 4. 14

Executores sunt ministri inferioris conditionis exequentes iussa Iudicum, & eorum Sententias contra Clericos, vt sunt Barruarij, Currerij, Nuntij, Carnifex, & huius generis, Tubatores banni, legentes, & proclamantes bannum, ducentes bannitum extra territorium, vel vrbem. Coadiutores ad eas actiones vocati ab executoribus appellantur subexecutores. Ita *Vgolin. §. 3. num. 2. Duardus q. 8. num. 4. Regin. lib. 9. num. 385. ex illis Bonac. q. 20. puncto 2. num. 5. & 6.* 15

Quæres 3. An accusatores, & querelantes Clericos coràm Iudice laico criminaliter sint rei huius Excommunicationis?

℞. Negatiuè, probatur. Tum quia talis non est Magistratus, Iudex, Notarius, Scriba, Executor, nec Subexecutor. Tum quia querelans nullam facit ex actionibus ibidem expresis, cum non processet, nec banniat, nec capiat, aut Sententiam proferat, nec exequatur. Ita *Alterius disp. 20. cap. 1. col. 3. Vers. Hac excommunicatio, Fillius. tract. 16. cap. 11. quæst. 8. ad finem num. 313. Duardus Canon. 19. q. 8. num. 6. cum alijs Bonac. q. 20. p. 2. num. 11.* 16

Nihilominus aliqui dicunt comprehendi etiam accusatores, & querelantes, seu denuntiantes, quia ab istis incipit Processus, & sic dicuntur ipsi processare.

Respondetur tamen querelantem non dici processare, sed solùm præbere causam ad processandum, non enim querela, nec accusatio est actus iudicialis ex parte agentis, sed fit talis solum respectu Iudicis acceptantis illam. Confirmatur, quia Processus incipitur à citatione, secundum *Bartol. Iasonem, & alios in Rubr. C. de in ius vocando, apud Bonac. q. 20. p. 1. num 9. Vers. Secunda*, qui tamen *num. 9. vers. Ad fundamentum* dicit, Processum non semper incipere à Citatione, sed quandoq; ab inquisitione, & ab acceptatione querelæ, ad quam sequitur inquisitio, & sic patet querelantem non subijci huic censuræ. 17

Quæres 4. An testes deponentes contra Clericum criminaliter incurrant hanc excommunicationem?

℞. Negatiuè ob rationes adductas in præcedenti responso. Confirmatur, quia testes respectu Processus se habent tamquam suggerentes materialiter materiam probatiuam, non verò formantes Processum; in Bullâ exprimuntur actiones, non passiones se te- 18

se tenentes ex parte materiæ. Ita præcitati.

Quæres 5. An Aduocati, Procuratores, & alij agentes, & instigantes Iudicem contra Ecclesiasticum sint rei huius censuræ.

19 ℞. Negatiuè. Tum quia nullam ex dictis actionibus interponunt in causâ. Tum quia non exprimuntur in numero interponentium se in dictis actionibus, ergo rei non sunt ex hoc capite.

Quæres 6. An Fiscalis comprehendatur in hac Excommunicatione?

20 ℞. Negatiuè, ob dictas rationes, nullus enim est expressorum in textu, nec facit aliquam ex dictis actionibus, propter quas incurritur Excommunicatio, sed eius Officium est procurare res fisci, quæ dicuntur esse de patrimonio Principis.

Quæres 7. An supradicti sub. q. 3. 4. 5. & 6. incidant in aliquam aliam Censuram eiusdem Bullæ, vel alterius Canonis, & Decretalis.

21 ℞. Negatiuè, si enim allegetur Bulla sub. can. 15. respondetur ibidem esse sermonem de Excommunicatione contra trahentes Ecclesiasticos ad forum seculare in causis ciuilibus tantùm, *Nauar. cap. 27. num. 72. Fagnanus ad cap. Nullus, de foro compet. num. 14. Bonac. q. 16 sect. 1 p. 14. num. 14. & 19.* Et ita est, ne in Bullâ idem casus bis repetatur sine causa & frustratorie, Leges enim id abhorrent, ne vna quidem syllaba debet in Lege superfluere, Glos. v. tamquam Cap. Solitæ 6. de maior. Gonzal. Glos. 13. num. 72.

22 Neque incurrunt in Excommunicationem Canonis, quia neminem percusserunt, nec in Carcerem coniecerunt. Nec obstat, quòd consentientes, & consulentes sint excommunicati, quia restringitur Canon ad consentientes, & consulentes in percussionem.

Dices in hoc Canone exprimuntur Consiliarij, qui videntur coincidere cum Aduocatis nam, & hi propriè consilium dant.

23 ℞. Consiliarij sunt duplici differentia, alij à dando consilium quibuscunq; petentibus sine assessione; alij ab assidendo, qui scilicet sunt assessores Iudicis, seu Principis, *l. consiliarijs 5. ff. de officio Assessoris*, Textus Canonis loquitur de secundis, non de primis.

Nota quoq; quòd expressi in fine nostri Canonis restringuntur ad abutentes licentiâ distringendi Ecclesiasticos, non verò deferuntur ad supradictos, qui propriâ auctoritate, seu officio audent se interponere in causis Ecclesiasticorum criminalibus.

Quæres 8. Quænam sint actiones, per quas incurritur Excommunicatio.

24 ℞. Quinque sunt actiones prohibitæ contra Ecclesiasticos, hoc est Processare, Bannire, Capere, Sententiare, & Exequi Sententiam. Verbum *se interponentes* est actio genetica, quæ de illis dicitur, in quibus imbibitur tamquam genus in suis speciebus & ab illis non distinguitur in operatione, sed tantum in definitione, & logicaliter. Quare non sunt sex, quicquid dicat *Sayrus lib. 3. cap. 23. num. 2. & Bonac. cit. q. 20. p. 1. esse sex*. Ad incurrendam autem hanc Censuram sufficit vna ex dictis actionibus, nam textus vtitur particulis disiunctiuis *Seu*, & 25 *Ve*, alternatiuis, de quarum natura est, quòd ad effectum sufficit vnius adimpletio, arg. Reg. 70. in 6. De singulis agendum est.

Quæres 9. Quid importet verbum *Processando*?

℞. A Definitione Processus colligitur 26 responsio. Processus autem est series actorum iudicialium in scriptis redactorum per Notarium coram Iudice ab initio quærelæ acceptatæ ab eo, vsq; ad sententiam definitiuam. Vide quæ dixi *in Praxi crimin. impressionis Lugdun. tom. 5. cap. 82. sect. 5. à num 47. & in cap. 100.* vbi illum diuisi in Offensiuum, Deffensiuum, & Sententiatiuum. Acta autem in eo scripta, sunt Quærela acceptata à iudice, de Positiones testium, & hæc pertinent ad processum offensiuum sic dictum respectu quærelati, qui per talia acta dicitur offendi. Respectu vero Iudicis nuncupatur informatiuus, qui instruitur, & venit in cognitionem delicti, in quo sensu accipitur in hoc canone Bullæ. In eo quoque querelatus, probato saltem semiplenè delicto citatur verbaliter, vel realiter per capturam, & in primâ interrogatione dicitur constituti, & cum eo lis contestari, vt dixi ibi cap. 67. num. 12. demùm datis illis defensionibus concluditur in causâ, ita quòd actor, & reus vltra non possunt procedere, sed so- 27 lùm expectare debent sententiam Iudicis, & tunc acta Processus incipiunt esse notoria, 28 cum in causâ est conclusus, vt notaui cap. 38. q. 4. ex eadem Praxi, & in his consistit 29 processus Deffensiuus. Tandem Processus sententiatiuus finitur per probationem Sententiæ, quæ est conclusio, & absolutio totius Processus, cuius partes informatiua, & defensiua sunt vti præmissæ ad inferendam conclusionem in Sententiâ consistentem, vt dixi cit. cap. 82. sect. 5. num. 51. Infertur enim, & fertur secundùm allegata, & probata in Processu informatiuo, & defensiuo, secundùm doctrinam Christi Domini Ioan. 5. 30. *Sicut audio iudico*, cap. Iudicat 4. 3. q. 7. l. Illicitas 6. §. Veritas ff. de Officio. Præsidis.

Quòd autem, & ipsa Sententia sit pars 30 Processus docet communior, & verior opinio apud *Farinac consil. 156. num. 32. Guazin. Defens. 22. cap. 2. num. 6.* licet dicat, ve- 31 nire latè sumpto vocabulo Processus, qui in scriptis fieri debet, *cap. Si quis 45. 11. q. 1.* 32

cap.

cap. Quoniam 11. *de Probat.* Itaque ad rem nostram, hic prohibetur Processus non solùm quò ad Querelam acceptatam à Iudice sed etiam quo ad Depositiones testium, respectiuè ad Iudicem, respectu cuius præfati actus dicuntur iudiciales, non respectu querelantis, aut testium deponentium, qui non includuntur in hac Bullâ, vt probaui q. 3.&4.

Quæres 10. An Iudex, Notarius &c. ore tenus vocans, & examinans Clericum sit reus huius censuræ?

33 R. Negatiuè, quia per hoc non dicitur processare, cum nihil in scriptis sit relatum, nec talis actus propriè dici potest iudicialis, sed priuata interrogatio. Ita docet *Nauar. cons.* 32.*de sent.excom.Alterius lib.*5.*can* 19. *disp.* 20. *cap.* 1. *Vers. Quæres, cum alijs Castropal.de censuris disp.*3.*p.*20.*num* 4.*Bonac. in Bulla disp.*1.*q.*20.*p.* 2.*num.* 10. Volunt tamen, hunc sic examinantem verbaliter Clericum incidere in Canon. 15. Sed vt dixi sub. q. 7. in canone illo 15. non agitur de causis criminalibus, sed tantùm ciuilibus. Prædicta intellige, nisi Clericus detineatur violenter, quia tunc detinens incidit in Sententiam Canonis. Si quis 29. 17. q. 4. per cap.Nuper 29. de sent.excom.

Quæres 11. An recipiens dicta testium contra Clericum, qui simul cum laico perpetrauit delictum, laicum processando sit reus huius censuræ?

34 R. Iudex recipiens dicta testium contra Clericum complicem in delicto cum seculari, si vlterius non procedit, non incidit in hanc censuram, quia non dicitur processare Clericum, sed tantùm per depositionem contra eum factam deuenire in ampliorem cognitionem delicti contra proprium subditum. Ita omnes teste *Bonac. q.* 20.*p.*1.*num.* 9.*Vers. Idem.*

Quæres 12. An Iudex processando Clericum, ad effectum mittendi processum suo Superiori incurrat hanc excommunicationem?

35 R. Affirmatiuè, quia verè processat, neq; talis finis releuat Iudicem à formalitate Processus, neq; proinde excusat illum ab hac Censura. Ita *Bonac. in Bulla disp.* 1.*q.* 20. *p.* 1. *num.*7.

Quæres 13. An processans sine intentione puniendi Clericum incurrat hanc censuram?

36 R. Affirmatiuè, quia vnaquæq; actio, cuiusmodi est processare expressa in hac Bulla, vt probaui supra sub. q. 8. de per se sufficit ad inferendam Censuram contra agentem, sine ordine ad aliam, vnde non est necessarium, quòd huiusmodi actiones specificentur in ordine ad punitionem, quæ sequitur ad sententiam. Animus ergo puniendi non est necessarius ad incurrendam hanc Excommunicationem, sed sufficit Processus ratione sui. Ita *Riccius par.* 4. *resol.*461.*Bonac.q.*20.*p.*1.*num.* 7. *Diana par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 52. *part.* 3. *tract.* 1. *resol.* 52. Contrarium tenent *Grass lib.*4 *cap.* 18.*num.* 134 *Reginal.lib.*9.*cap.*26 *num* 384.Sed non probant.

Quæres 14. An Iudex acceptans querelam, ex ea præcisè incurrat hanc excommunicationem?

R. Iudicem acceptantem querelam, & Notarium, seu alium eam scribentem contra Clericum, incidere in hanc excommunicationem, quia dicuntur processare, Processus enim incipit à querelâ acceptatâ, vt dixi supra sub q. 9. Quicquid dicat Bonac. *cit. q.* 20 *p.*1.*num* 9.*Vers. Respondeo*, Iudicem acceptata querela, vlterius non procedendo non incurrere hanc Censuram, quia secundum vsum communem loquendi non dicitur processare. Non enim id placet, cum ab acceptatione Querelæ initium capiat Processus ex dictis q.9. ideo enim dicitur Processus, quia constat ex pluribus actibus iudicialibus, qui successiuè fiunt, ita quòd vnusquisq; eorum sufficit ad denominandum Iudicem processantem. 37

Dices primò, Processus incipit à citatione rei, *Glos. Vn. l. Vbi captum ff. de iudic. Glos. v. Citationes Clem.*1.*de iudic. cum alijs apud Barbosam in Rubr. de iudic.* Ergo Iudex per solam acceptationem querelæ non dicitur processare. *Secundò*, Processus ex supradictis completur per conclusionem in causa, cum acta inter partes vlterius non procedant, vt post conclusionem in causa, deueniatur ad Sententiam, *ex allegatis à Guaz.Defens.*22.*cap.*2.*num.*2. Ergo nec ipsa citatio sufficit, licet ab ea incipiat Processus, cum non perficiatur nisi in conclusione causæ, ac proinde excommunicatio non incurritur, nisi finito Processu per conclusionem in causa, neq; enim per actus imperfectos incurruntur Censuræ.

Ad primum dico, citatas Glosas non loqui de Processu, sed de Iudicio, quod cum sit actus trium personarum, Iudicis, Actoris, & Rei, necessariò incipit à citatione ipsius rei, *ex cap. Forus* 10. *de verb. signif.* Processus vero est series actorum iudicialium à querelâ ad conclusionem in causa in scriptis redactorum, vt supra dictum fuit. Velde Processum defensiuum incipere à citatione rei, offensiuum verò à querela acceptata. 38

Ad secundum, verum quidem est, quòd Processus completur in conclusione causæ, cum ei de iure nihil vlterius addendum sit, nihilominus ad hanc excommunicationem incurrendam non requiritur hoc complementum, sed sufficit quilibet actus iudicialis, e. g. querela acceptata qui est primus actus in scriptis redacta, ad eam censuram incurren- 39

incurrendam, natura enim Proceffus, vt indicat eius etimologia, habet tractum fucceffiuum, ita quòd in quolibet actu inferto Iudex dicitur proceffare, ac proinde incidere in hanc cenfuram, cum enim interdi-
40 citur aliquod totum, prohibentur omnes eius partes, & ad hoc facit illud axioma: Totius, & partis idem ius, *l. Quæ de tota* 75. *ff. de rei vend. cap. Paftoralis* 28. §. *Idem cum totum ff. de offic. deleg.*

Quæres 14. Quid importet verbum *Bannire*?

41 ℞. Bannire eft malefactorem expellere extra territorium bannientis, *ex tit. de Interd. & releg. l.* 5. *&* 7. Vide Ciarlin. cap. 161. vbi plura de bannitis. Banniens ergo etiam præcisè, & fine Proceffu, incurrit hanc cenfuram, cum vnaquæq; ex dictis actionibus prohibitis fufficiat ad inducendam hanc Excommunicationem ex q. 8. Non fufficit autem bannitio, nifi cum effectu fequatur expulfio, verba enim cum effectu accipienda funt maximè in odiofis,
42 *cap. Hac autem verba* 17. *de Pænit. dift.* 1. *cap. Relatum* 4. *de Cler. non refid. Miranda q.* 4. *de monial. art.* 5. *Thomaffet. reg.* 304. Bannum ergo debet fortiri fuum effectum. Procedit fiue bannum fit perpetuum, fiue ad tempus, neque enim circunftantia temporis mutat naturam bandimenti. Ita alijs citatis Bonac. q. 20. p. 1. num. 11.

Quæres 16. Quid fi Iudex mittat Officialem, vel alium, vt dicat Clerico, recede à dominio; aliter te bannire? numquid eft reus huius cenfuræ?

43 ℞. Negatiuè, quia id non eft propriè bannire, fed tantùm admonere de futuro exilio.

Quæres 17. An Princeps banniens Clericum fufpectum, feù perturbantem Rempublicam fit reus huius Excommunicationis?

44 ℞. Affirmatiuè, habet enim remedium fibi prouidendi recurrendo ad Superiorem eius, qui debet expellere Ecclefiafticum inquietantem Rempublicam. Princeps ergo id per fe facere non poteft, quia fufpicio, & inquietudo non dant illi hanc facultatem. Vide Graffum num. 1039.

Quæres 18. Quid importet verbum *Capiendo*?

45 ℞. Idem, quòd captura, quæ eft actus, quo apprehenditur malefactor in ordine ad carcerem, homo enim capitur non vt capiatur, fed vt carceretur, ne fugiat. Tunc ergo dicitur perfectè captus, cum eft in carceribus reclufus, vt dixi cap. 11. num. 19. Quare per folam capturam non incurrit hanc cenfuram, vtique cenfuram Canonis, cum fatellites iniecerint manus violentas fuadente diabolo in Clericum fine mandato Iudicis ecclefiaftici, cap. Vt famæ, de fent. excom.

Bonac. difp. 1. q. 10. part. 1. num. 12. cum Filliucio, Alterio, & Nauarra videntur fentire fufficere folum apprehenfionis actum; fed non placet, quia apprehenfio fine carceratione eft actus imperfectus.

Quæres 19. Quid importent hæc verba: *Seu fententias contra illos proferendo*?

℞. Sententia in terminis huius Bullæ eft condemnatio Clerici ad fubeundum pœnam à Iudice laico prolatam. Iudex ergo eft reus huius cenfuræ proferendo Sententiam proprio ore, vel per alium, etiam fi non fequatur executio, quia inter vtranq; actionem prolationis, & executionis mediat *Vel* disiunctiua indicans, vnum fine altero fufficere ad incurfionem Excommunicationis, vt dixi fupra q. 8. Sola autem editio, feu fcriptio Sententiæ non fufficit ad incurrendam eam pœnam, fed vlterius requiritur prolatio, vt patet ex verbis textus relatis in quæftione; ad quod facit *l. Statutis* 3. *C. de fent. ex periculo*, vbi dicitur, non fufficere, Sententiam fcribi, nifi legatur, 47
& verbis proferatur, nec fufficit verbis proferri, nifi ante fcribatur. Et in *Clem. Sæpe, de verb. fignif.* vbi dicitur, quod redigatur in fcriptis etiam in caufis fummarijs.

Quæres 20. Quid importet verbum illud: *Vel exequendo*?

℞. Executionem eius, quod Iudex in fententia fua protulit faciendum contra Clericum condemnatum, ergo actio ifta executoria fupponit Sententiam iam prolatam, vt executioni demandari poffit. Et hoc gerundium, ficut alia refertur ad perfonas fupradictas initio textus huius Excommunicationis, nempe, ad Magiftratum, Iudicem, & alios conducentes Clericum extra territorium in exilium, ad triremes. 48

Quæres 21. An Iudices ecclefiaftici fe interponentes proceffando, &c. Clericos, fuper quos non habent poteftatem, incidant in hanc cenfuram?

℞. Negatiuè, quia fertur tantùm contra Iudices laicos, vt ex textu literæ clarè colligitur. Ita omnes cum *Bonac. p.* 2. *num.* 8. 49

Quæres 22. An Ecclefiafticus de licentia Pontificis factus officialis alicuius Principis fecularis incurrat hanc cenfuram interponendo fe in caufis criminalibus Ecclefiafticorum?

℞. Affirmatiuè, quia tunc agit vt officia- 50
lis laicus, non vt ecclefiafticus, cum fub hac qualitate non confideretur, fed fub ea fecularitatis. Ita *Barb. ad cap.* 2. *de foro compet. Bonac. p.* 2. *num.* 8. *Verf. hoc tamen.*

Quæres 23. An Iudex fecularis interponens fe in caufa criminali Clerici confentientis excufetur ab hac excommunicatione?

℞. Non excufatur, quia talis confenfus 51
nullius eft momenti, *ex cap. Si diligenti* 12.

de foro comp. Ita docet *Bonac. p. 2. num. 9.*

Quæres 24. An procedans, vel carcerans, &c. Clericum non in ordine ad sententiam, sed ad vindictum sumendam mediantibus illis actibus non vlterius procedendo, sit reus excommunicationis?

52 ℞. Affirmatiuè, quia facit actionem hic prohibitam esto non ordinetur ad punitionem per sententiam, vnaquæq; enim dictio suum sortitur effectum independenter ab alia. Ita docent citati supra sub q. 13. *Bonac. disp. 1. in Bulla q. 20. p. primo num. 7. Diana p. 3. tract. 1. resol. 52.*

Quæres 25. An in casu negligentiæ Iudicis ecclesiastici, secularis possit procedere contra Clericum sine reatu huius censuræ?

53 ℞. Non posse, probatur *per cap. Qualiter 17. de iudic.* ibi; *Ne pro defectu Iustitiæ Clerici trahantur à laicis ad iudicium seculare, quod omnino fieri prohibemus.* Vt docent omnes cum *Barbosa ad dictum cap. 17. num. 2. Farinac. cons. 68. num. 10. Grassus num. 390.* Ergo si se interponat est reus huius Excommunicationis.

Quæres 26. An Episcopus, & Prælatus etiam regularis possint dare licentiam Iudicibus laicis procedendi contra Ecclesiasticos subditos suos? Et sic esugere hanc censuram?

54 ℞. Negatiuè, quia nullibi in iure est expressum, quòd inferiores possint similes causas criminales delegare secularibus contra Clericos, immo nec possunt dare licentiam, quòd consentiant in Iudices seculares, *ex cap. Significasti 17. de foro compet.* Et ita docent *Host. super cap. 2. num. 1. Abbas num. 4. & 5. Decius num. 35. Ripa num. 34. Barbat. consil. 45. num. 8. vol. 2. ex illis Barb. ad dictum cap. 2. num. 4.* Subiungamus, nec

55 laico simul cum Clerico causas huiusmodi committi posse, *ex Abbate hic num. 44. Roland. vol. 1. cons. 4. num. 4. Decian. lib. 4. cap. 9. num. 70. & 73. Scaccia de Iudic. lib. 1. cap. 11. num. 39. & 40.*

Quæres 27. An Papa hanc potestatem distringendi Ecclesiasticos dare possit?

56 ℞. Affirmatiuè, habet enim plenitudinem potestatis, vnde potest dare hanc licentiam laicis procedendi contra ecclesiasticas Personas in causis criminalibus, vt expressè dicitur *cap. 2. & 3. 11. q. 1. & cap. 2. de foro compet.* & hinc in textu Bullæ his verbis: *Sine speciali, specificè, & expressà huius Sanctæ Sedis Apostolicæ licentiâ.* Ergo habentes licentiam huius tenoris sine

57 hac censurâ poterunt procedere contra Clericos malefactores; necessarium tamen est, quòd licentiam non trasgrediantur, nec illa abutantur, aliter incidunt, vt subiungitur his verbis: *Quique huiusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel aliàs illa perperam abutuntur.* Licentia autem hæc debet esse expressa, & specifica, non quo ad personas in indiuiduo, & nominatim extra casum singularem, sed sufficit generica, quòd scilicet possit Iudex laicus distringere Clericum malefactorem, vt tradit Suarez disp. 21. sect. 2. num. 103. Verba autem Priuilegij bene scrutanda sunt, si enim fit mentio de Clericis non comprehenduntur Religiosi, quia tale Priuilegium est odiosum, sub quo vocabulo non veniunt Religiosi; nec in maioribus constituti, quando licentia limitatur ad Clericos minores.

Principes ergo huiusmodi licentiam in scriptis habentes eà vti possunt, non enim eis aufertur per hanc Bullam, sed potius confirmatur. Lego *apud Gigas q. 94. de Pension. referentibus Farinac. q. 8. num. 4. & Fagnano par. 1. ad cap. Ad audientiam, de Rescript. num. 122.* Rempublicam Venetam hanc habere licentiam. Gigas recenset Farinac. num. 4. non sublatam per Bullam, vt dixi cap. 12. num. 16. 58

Verba autem constitutionis, seù priuilegij, quod Clemens VII. concessit Reipublicæ referuntur à Gigante q. 94. de pensionibus sub num. 8. & sunt hæc: *Statuimus, & ordinamus, quòd de cætero post trimestre à die publicationis præsentium computandum, tam coniugati, quam alij dicti Dominij Clerici, etiam ad minores ordines promoti, non beneficiati, nec in Sacris Ordinibus constituti cuiuscunque dignitatis, status, gradus ordinis, vel conditionis fuerint, priuilegio clericali in criminalibus dumtaxat gaudere nequeant, sed tales clericali caractere insigniti, ac in minoribus Ordinibus constituti non beneficiati, & alij, qui ætatis legitimæ ad Ordines sacros suscipiendos, si Ordinem sacrum non susceperint, delinquentes pro tempore per Iudices seculares capi, inquiri, & iuxta eorum demerita omnibus pœnis, quibus meri laici delinquentes de iure puniri debent, liberè, & licitè puniri possint, nec se sub prætextu Priuilegij clericalis tueri, & defendere, & ad Curiam ecclesiasticam recurrere valeant.* Hæc ille. Ab effectu tamen audio maiorem esse illorum potestatem in Ecclesiasticos.

Quæres 28. An Iudex teneatur ostendere copiam huius licentiæ procedendi contra Clericum, si petatur ab Ordinario Clerici?

℞. Affirmatiuè, quia cum in causa procedat iure alieno, præsumitur alienam vsurpasse iurisdictionem; quæ præsumptio eliditur ostensione licentiæ, & Priuilegij, vnde, & in actis registranda est penes Curiam Episcopalem. *l. Vn. C. de mand. Princip. cap. Cum in iure, de offic. deleg. Extr. Iniuncta, de elect. Glos. v. Ex inspectione cap. Porro, de Priuileg. Grassus num. 34.* 59

Crauta

Craneta conf. 319. *fine*, *Castr. lib.* 2. *conf.* 31. *Pasquol. in selectis q.* 273. *num.* 5. Et dicitur Iudex laicus procedere iure delegato, non propriâ auctoritate, quia nullam habet ex se contra ecclesiasticas Personas.

Quæres 29. Quinam veniant sub nomine *Personarum ecclesiasticarum*?

60 ℞. Veniunt omnes homines vtriusque sexus publicâ auctoritate ecclesiastica deputati ad Dei seruitium peculiare. Et ita veniunt in primis Clerici à Primâ Tonsurâ vsque ad Episcopatum vtrinque inclusiuè, deinde Religiosi omnes à receptione habitus regularis vsque ad eosdem professos, siue sint Clerici, siue Laici, siue Nouitij, siue Commissi, Tertiarij, Oblati cum Professis degentes, Equites quoque militares cuiuscunque ordinis, Moniales quoq; & earum nouitiæ, &c. Ita *Bonac. disp.* 1. *in Bulla q.* 16. *p.* 3. *initio Riccius par.* 4. *resol.* 461. *num.* 2. & 3. Prædicta patent cap. primo in hoc tractatu.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

De Priuilegio Fori Ciuilis Ecclesiasticorum.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegium hoc importat exemptionem ne trahantur coram Iudice seculari.*
2 *Clerici omnes etiam solùm Tonsurati gaudent hoc Priuilegio.*
3 *Prima Tonsura perficitur in Ordinibus.*
4 *Initiati minoribus gaudent hoc Priuilegio si habent requisita Tridentini.*
5 *Priuilegium Fori includit ciuile, & criminale.*
6 *Priuilegium hoc eximit Clericum tam ab actione reali, quam à personali.*
7 *In Iudicio tam extraordinario, quam ordinario, etiam possessorio.*
8 *In bonis etiam patrimonialibus.*
9 *Clerici coniugati etiam cum unicâ non gaudent Priuilegio fori ciuilis.*
10 *Neque bigami.*
11 *Gaudent in causa possessorij.*
12 Cap. petimus 11. q. 1. *explicatur.*
13 Cap. fin. de iudic. *explicatur.*
14 Cap. Causam 7. qui filij sint leg. *explicatur.*
15 *Causa possessorij est quid facti.*
16 *Clerici Saluatici gaudent quò ad personam tantùm.*
17 *Clericus feudatarius conuenitur coram domino feudi.*
18 *In causis possessorij, & petitorij ciuilibus* [illegible]
19 *Non Criminalibus.*
20 *Laicus vassallus à Clerico domino iudicatur.*
21 *Fidelitas iuratur domino etiam per Episcopum.*
22 *Clericus conuenit coram Ordinario laicum detentorem rei Ecclesiæ, vel suæ.*
23 *Laici sunt infesti Clericis.*
24 *Laicus laicum non conuenit coram ecclesiastico, nisi eius Iudex negligat facere iustitiam.*
25 *Iudex non est, qui nō vult facere Iustitiā.*
26 *Reconuentio datur.*
27 *Religiosis competunt dicta de Clericis.*
28 *Religiosi non conueniuntur coram Episcopo.*
29 *Vt declarauit Sacra Congregatio.*
30 *Neque Militares.*
31 *Neque Prædictorum Nouitij.*
32 *Qui gaudent priuilegijs Professorum.*
33 *Veniunt sub nomine Clericorum.*
34 *Moniales gaudent Priuilegio fori ciuilis.*
35 *Et Priuilegijs virorum sui Ordinis, etiam si non sint subiectæ.*
36 *Tertiarij, & alij Oblati degentes collegialiter, vel cum claustralibus, & mulieres voto adstrictæ in suis domibus.*
37 *Religiosi conueniuntur inter se coram suis Superioribus.*
38 *Actor sequitur forum Rei.*
39 *Conseruator Iudex eorum.*
40 *Conseruatoris defectu trahuntur coram Ordinario.*
41 *Coram Conseruatore Religiosi non trahunt seculares debitores.*
42 *Conseruatores defendunt Regulares contra iniurias manifestas.*
43 *Conseruatores fiunt etiam per Ierosolimitanos.*
44 *Religiosi conueniunt seculares coram eorum Iudicibus.*
45 *Præuentionis locus datur inter Conseruatorem, & Superiorem.*
46 *Monasteria inter se litigantia recurrunt ad Conseruatorem Rei.*
47 *Secularis creditor Religiosi priuati recurrit ad Conseruatorem, vel Superiorem.*
48 *Controuersia relicta à defuncto coram laico est expedienda.*
49 *Citatio: si* sua putauerit interesse *licet etiam pro Clerico.*
50 *Clericus conuenitur, repræsentans personam defuncti, si cum eo litem contestatus est coram seculari.*
51 *Clericus non potest conueniri coram laico, etiam pertextu negligentiæ Iudicis ecclesiastici.*
52 *Iudex ecclesiasticus fulminat censuras contra Iudices seculares se ingerentes in causis Ecclesiarum, & ecclesiasticorum.*
53 *Iudex ecclesiasticus maior seculari.*
54 *Iudex maior iudicat minorem.*

locis clarè dicitur, quòd Clericus bigamus, Bigamia scilicet verà, quia successiuè habuit duas vxores, vel interpretatiuà, qui duxit viduam ab alio corruptam, perdit omnia Priuilegia, ergo etiam hoc fori ciuilis, vt latius docui cap. 8. q. 30. num. 51. Bigamus verò secularis mortua vxore promotus etiam sine dispensatione gaudet Priuilegio hoc, quia nullibi priuatur illo, nam quod dicitur Clericum bigamum esse denudatum omni priuilegio, intelligitur de Clerico per Clericatum ducente vxorem, non è contra de laico bigamo promoto post mortem vxoris, vt probaui ibidem q. 25. num. 44.

Quæres 8. An in causa tantum possessorij trahendi sint ad forum laicale?

11 ℞. Negatiuè, non solùm si causa agatur inter Clericos, vt notum est, sed etiam inter Clericum, & laicum super possessione Beneficij, à qua Clericus eiectus fuit ab alio Clerico, vel laico, quia hæc causa est merè, & purè ecclesiastica, cum specificetur ab ipso Beneficio, quod originem, & radicem habet à spiritualitate exercendi spiritualo ministerium, *Lessius lib. 2. de Iust. cap. 34. dub. 1. cum alijs, & D. Thoma 2. 2. q. 100. art. 1.* Ergo tractanda est solum coram Iudice ecclesiastico. Confirmatur, quia causa petitorij in Beneficijs fit coram ecclesiastico, *ex clem. Vn de causa possess. & Clem. Vn. de sequestr. possess* Ergo, & causa possessorij, ex dictis iuribus. Ita docent *Mar. Anton. lib. 1. resol. 91. Couar. q. 34. num. 1. fine, Azor. par. 1. lib. 5. cap. 14. q. 1. Farinac. q. 8. num. 23. Sublimit. 2. Castropal. p. 7. num. 4. §. Caterum, Dal Bene cap. 7. dub. 7. & 8.*

Contraria opinio à prædictis relata, quòd recurri possit ad Iudicem laicum, est multorum, Probatur *Primò* per cap. Petimus 11. q. 1. cap. fin. de iudic. cap. causam 7. Qui filij sint legit. *Secundò*, quia causa possessionis est magis quid facti, quam iuris, cap. cum nostris, de concess. præbend. *Tertiò*, quia talis causa est magis temporalis, & profana, quàm spiritualis, & ecclesiastica.

12 Ad primum dico, in illo cap. *Petimus* Concilium Cartaginense III. decernit, licere Episcopo, cuius Parochia ab alio inuasa fuit, petere auxilium Principis secularis contra inuasorem sæpius montium nolentem restituere; auxilium autem, quod Episcopus petit ab illo, non arguit potestatem esse in Principe ad agendum pro Ecclesia, sed esse merum factum ipsius dependens ab ipso Episcopo, qui adiuuatur ad recuperandam Possessionem suæ Parochiæ.

13 Ad cap. fin. de iud. dico, potestatem Florentinam ibidem non egisse contra communitatem laicalem in Causà beneficiali, sed tantùm laicaliter, & de facto coegit illam recognoscere Rectorem Ecclesiæ electum. Alij dicunt, sermonem ibi esse de Iurisdictione seculari, cum *Castropal. & dal Bene, locis citatis.*

Idem dicendum est ad cap. causam 7. 14 qui filij sint leg. ibi enim agitur de causà possessoria pertinente ad hæreditatem temporalem, non ad Matrimonium, nec agebatur inter Clericos, *ex eisdem Doctoribus, & Barbosa ad hoc caput num. 3.*

Ad vtranq; rationem, priori quidem res- 15 pondetur, esto causa possessoris sit quid facti quò ad suum ortum, non tamen perdit qualitatem spiritualitatis, ideo à suo Iudice ecclesiastico est tractanda. Posteriori dico eam causam esse omninò ecclesiasticam, cum specificetur à Beneficio, à quo est inseparabilis. Rem hanc benè explicat Mar. Anton. lib. 1. resol. 91.

Quæres 9. An Clerici saluatici gaudeant hoc Priuilegio?

℞. Sac. Congr. his verbis: *Fori autem* 16 *Priuilegio in criminalibus omniuo. in ciuilibus, quò ad corporis districtionem, & immunitate ab oneribus personalibus, non autem ab alijs, durante, seruitio frui debent.* Archiepiscopo Neapolitano, decimo, calendas Augusti 1623. relatis *à Barbosa ad cap. 6. Sess. 23. num. 38. ex Riccio part. 4. resol. 480.* de illis dixi etiam *cap. 1. à num. 35. ad 37.* Istos creare potest Episcopus, & Capitulum sede vacante, vt ex Nouario tradit *Diana part. 8. tract. 4. resol. 51.*

Quæres 10. In causa feudali coram quo Iudice citandus est Clericus?

℞. Conueniendus est coram Domino Feudi etiam si sit laicus, tam in causa possessorij, quam petitorij, non verò in causà 17 criminali intuitu feudi cum agitur criminaliter. Si autem laicus ab Ecclesià teneat Feudum coram ecclesiastico, Feudatario conueniendus est in omnibus. Feudatarius quilibet etiam Episcopus iur fidelitatem domino Feudi.

Prima pars de Clerico conueniendo coram Iudice Domini laici, probatur expressè *per cap cæterū 5. de iudic. cap. Ex transmissa 6. cap. verū 7. de foro compet.* Est communis, *Farinac. q. 8. num. 22. Castropal. p. 7. num. 3. Barb. ad dictum cap. caterum num. 2. Dal Bene part. 1. cap. 7. dub. 3. Bonac. in Bullà disp. 1. q. 16. sect. 1. p. 6. num. 6. Grassus, num. 718.*

Secunda pars de causà possessorij, & pe- 18 titorij coram eodem Iudice, affirmatur *ab eodem Bonac. Iustrigl. de feudis centur. 2. art. 94. num. 12. Barbosa in dictum cap. caterum 5. de Iudic. num. 3.* contra alios, quos refert, & sequitur Grassus num. 132. & 133. asserentes solùm habere locum, quando causa possessorij reciperet adminiculum petitorij aliter causa possessorij præcisè cognoscitur ab

Ordina-

Ordinario inquiunt isti, ex Glos. v. Quandiu.

Sed recedendum non est à Responso, quia nulla videtur assignabilis ratio differentiæ, cur in petitorio adeundus sit Dominus, & non etiam in possessorio, cum vtraq; causa habeat pro obiecto ipsum Feudum, & pro subiecto eundem Clericum. Neq; cap. Ex parte 15. *de foro compet. adductum à Glos. v. Quandiu, cap. cæterum iam cit. de Iudic.* probat eius intentum, cum ibi Regina vidua recursum habuerit, tamquam miserabilis persona inquit *Belletus p. 1. tit. de fauore cler. reali* §. 5. *num.* 39. ad Romanum Pontificem, non quia causa possessorij esset tractanda coram Ordinario tantùm sed quia aliunde Iustitiam habere non poterat.

19 Tertia pars de causa criminali tractanda coram Ordinario probatur. quia allegati textus concedunt Iudicium ciuile Domino Feudi ciuiliter tantùm, & non criminaliter expediendum. Ita *Farinac. q.* 8. *num.* 22. *Castropal. fine Grassis num.* 726.

20 Quarta pars de laico vassallo Ecclesiæ à Iudice ecclesiastico iudicando, probatur eisdem iuribus, quia causa feudalis ciuilis tractatur coram Domino Feudi. Ita *Menoch. Remed.* 3. *Retinenda num.* 409. *Surd. cons.* 193. *num.* 2. *Grassis num.* 743. *cum alijs Barb. ad cap. Verum* 7. *de foro compet. num.* 2.

21 Quinta pars de fidelitate iuranda à Vassallo Domino suo habetur lib. 2. Feudorum tit. 5. 6. & 7. etiam ab Episcopo, cum in hoc non cogatur ad iurandum, sed iuret sponte ad effectum obtinendi titulum honorificum Comitis, Marchionis, &c. ex eodem lib. tit. 10. vnde acquirit in inuestitura non titulum aliquem congruum Ecclesiasticis, sed laicis tantùm, vnde & pro laico spectatur Feudatarius. Ita docent *Cassan. in Catalogo par.* 5. *consid.* 24. *vers.* 138. *Barb. ad cap. Verum* 7. *de foro compet. num.* 4. *Cancer. lib.* 3. *Variar. cap.* 13. *Olibanus de iure fisci cap.* 10. *num.* 3. *Grassis num.* 513. *cum. alijs iterum Barb. ad cap. Cæterum* 5. *de iudic.* Ecclesiastici ergo tenentur legibus feudalibus ac si essent laici, dum subsunt Domino, *Afflict. in cap.* 1. *de Capitulis Coradi* §. *Item si Clericus, num* 25. *capicia decis.* 27. *num.* 28. *Sbrozius de offic. Vicar. q.* 26. *num.* 25. *Barbosa ad dictum cap. verum* 7. *de foro compet. num.* 5. In alijs autem causis tum criminalibus, tum ciuilibus trahendus est coram suo Ordinario, quia tunc spectatur vt Clericus Ita *Canon. ad dictum cap. Cæterum* 5. *de iudic. Hostiens. num.* 6. *Abbas num.* 13. *Felin. num.* 8. *Decius num.* 45. *cum. alijs idem Barb. ibidem num.* 4.

Quæres 11. An Ecclesiasticus possit conuenire laicum coram suo Iudice Ecclesiastico? Ratio dubitandi est, quia *Actor sequitur forum Rei, cap. Si Clericus* 5. *cap. cum sit* 8. *de foro comp.* Forus autem Rei laici est Iudex secularis, vt iudicium sit vniuocum inter ipsos.

℞. Clericus pro re Ecclesiæ, vel propriâ conuenire potest laicum rei detentorem coram suo Iudice ecclesiastico, vt expressè dicitur in cit. *cap. Si Clericus* 5. *de foro compet. vbi Barb. num.* 2. quamplures citat Doctores. Et hoc est speciale Priuilegium fauore Ecclesiarum, & Personarum ecclesiasticarum, ne eorum bona occupentur à laicis, qui semper infesti fuerunt clericis, vt dicit *Glos. v. cautus est cap. Præsbiter* 12. *dist.* 81. *per cap. Laici* 14. vbi id exprimitur 2. q. 7. Ita docet etiam Barb. Senior *in l. Si quis ex aliena, de Iudic. num.* 140. Non excluditur Iudex secularis ipsius Rei, qui coram eo trahi potest, vt alijs citatis docet etiam *Dal Bene cap.* 7. *dub.* 2. *sect.* 2. *num.* 6. 22 23

Quæres 12. An laicus conuenire possit alium laicum coram Iudice ecclesiastico?

℞. Negatiuè, nisi in casu, quò Iudex 24 secularis negligeret facere iustitiam, expressè *cap. Licet* 10. *cap. Ex tenore* 11. *de foro compet.* Doctores citat ibi Barbosa. Ratio prioris est, quia Actor debet sequi forum Rei, ex dictis quæst. præcedenti; sed Reus est secularis, ergo eum conuenire debet coram Iudice seculari, vt totum iudicium ex tribus personis constans sit vniuocum. Ratio posterioris est, quia Iudex ecclesiasticus supplere potest, immo debet, secularis negligentiam requisitus ab Actore probante prius sibi negatam fuisse Iustitiam per secularem, vt ibi docent allegati à Barbosa. Et sic fit, quòd laicus in hoc casu requirit Iudicem ecclesiasticum tamquam competentem quia secularis, qui non vult facere Iustitiam 25 Iudex non est, *cap.* 1. 2. 3. *q.* 2. *cap. Forus* 10. *de verb. sign.* Quare laicus recurrendo ad Ecclesiasticum contra alterum laicum, adhuc dicitur sequi forum Rei ex quo secularis talis non est, in cuius locum in tali casu succedit Ecclesiasticus.

Quæres 13. An Clericus reconueniri possit ciuiliter, à laico conuento coram eodem Iudice? De reconuentione criminali dixi cap. 14. num. 31. non posse.

℞. Posse, sed statim, & incontinenti 26 post litem contestatam, expressè *cap.* 1. *de mutuis petit.* Ita omnes cum *Barbosa ad hoc cap. citatos: Bonac. in Bulla disp.* 1. *q.* 6. *sect.* 1. *p.* 6. *num.* 8. *Dal Bene cap.* 7. *dub.* 11. Grassis num. 745. In quo casu Iudex laicus procedit tamquam delegatus à Lege canonicâ præcitati capitis.

Quæres 14. An hactenus dicta de Clericis locum habeant in Religiosis professis tam claustralibus, quam militaribus?

℞. Affirmatiuè, nam Priuilegium fori 27 ciuilis commune est omnibus personis ecclesia-

Digitized by Google

clesiasticis, in quibus terminis loquitur *cap.*
Quamquam 4. de censib. in 6. Auth. Statuimus
C. de Episc. & cler. Bulla Cœna Domini; sed
Religiosi tam claustrales, quam militares
veniunt non solùm sub nomine personarum
ecclesiasticarum, vt probaui cap. 1. q. 7. &
9. sed etiã sub nomine Clericorum cap. 1. q.
16. ergo dicta de Clericis applicanda sunt
Religiosis. Confirmatur, quia Religiosi sunt
exempti non solùm in criminalibus, sed
etiam in ciuilibus, vt non possint conueni-
28 ri coram Ordinarijs locorum, Confect. in
Summar. Priuileg. tit. 6. cap. 1. Tambur. tom.
1. disp. 15. q. 19. & 20. Et ita decreuit etiam
Sacra Congregatio die 10. Octobris 1576.
ex Passarello Ordinis Minimorum, referen-
29 te Lezana in Marimagno Prædicat. sub.
num. 93. his verbis: *Ordinarij in cognitioni-*
bus causarum Fratrum Mendicantium, tam
ciuilium, quam criminalium, minimè se in-
gerant. Pariter nec in visitatione eorundem
Fratrum, vel Ecclesiarum suarum, nisi qua-
tenus eis per Concilij Tridentini decreta con-
ceditur. Ergo multò minus conueniri pos-
sunt coram Iudice seculari. Ita omnes cum
30 *Decian. lib. 4. cap. 9. num. 36. Natta lib. 3. cons.*
495. num. 12. Bald. in l. Officiales C. de Epis-
cop. cum alijs Grassus num. 108. & 109. Vbi
de Militaribus S. Stephani, & S. Lazari,
idem Diana resol. 51. vbi etiam de Fratri-
bus S. Iohannis de Mediâ Cruce. Idem par.
4. tract. 1. resol. 36. de Equitibus Calatrauæ,
& Alcantaræ, & ibidem de Melitensibus
resol. 86. & dal Bene cap. 1. dub. 11. citatis
Doctoribus. Nouarius sect. 2. q. 69.

Quæres 15. An Nouitij tam Claustra-
lium, quam Militarium gaudeant priuile-
gio fori ciuilis, vt non possint trahi coram
Iudicibus secularibus?

31 ℞. Affirmatiuè. Tum quia gaudent Pri-
uilegijs professorum, *Miranda tom 2. q. 34.*
art. 16. Sanch. lib 4. cap. 39. num. 17. Sayrus
in Thesauro lib. 7. cap. 10 num. 6. Ego de pro-
32 *fess. regular. cap. 12. q. 4.* Est enim pars com-
munitatis, & de familia conuentus. Tum
quia veniunt sub nomine Ecclesiasticorum,
ex adductis cap. 1. quæst. 8. Tum quia
33 in fauorabilibus veniunt sub nomine Cleri-
corum, *Bonac. cit. q. 16. p. 3. num. 10. Fari-*
nac. q. 8. num. 46. Barb. Alleg. 12. num. 7. Ca-
stropal p. 2. num. 10. Et ita docent *Canon.*
cum Host. in cap. Statuimus de Regular. Vers.
Posse, Archid. Ioannes Andr. Gemin. &
Franchus in cap. Religioso, de sent. excom.
in 6. Iason in Auth. Si qua mulier C. de Sa-
crosf. Eccl. n. 59. cũ alijs Martha par. 4. casu.
121. num. 24. Nouarius de elect. fori sect. 3.
q. 63. num. 5.

Quæres 16. An moniales cum suis No-
uitiabus gaudeant Priuilegio fori ciuilis, vt
non trahantur coram Iudice ciuili laico?

34 ℞. Gaudent. Tum quia veniunt sub
nomine Clericorum, & personarum eccle-
siasticarum, ex dictis cap. 4. num. 29. Tum
quia participant Priuilegia virorum profes- 35
sorum, *S. Anton. p. 3. tit. 16. cap. 3. Palud.*
in 4. dist. 38. q. 2. num. 17. Silu. v. Religio 3.
q. 3. Angel. v. Nouitius num. 6. Tamb. de Ab-
batissis disp. 17. q. 11. initio, Grassus num. 101.
Castropal. p. 2. num. 10. Esto non amplius
sint subiectæ Superioribus regularibus, vt
docet *Tambur. cit. num. 5. Ego tom. 3. resol.*
52. num. 69. & 333. Gaudent ergo Priuile-
gio fori. Ita docent *Decian. lib. 4. cap. 9.*
num. 31. Grassus num. 97. Tambur. cit. q. 6. Bo-
nac. q. 16. p. 3. num. 15. Nouarius de elect. fo-
ri sect. 2. q. 45. num. 8.

Quæres 17. An Tertiarij, oblati, & si-
miles gaudeant hoc Priuilegio?

℞. Affirmatiuè, si collegialiter viuant 36
inter se, vel habitent cum Claustralibus,
non solum viri, sed etiam mulieres virgi-
nalem, seu cælibem, aut castitatem vidua-
lem expresso simplici voto agentes cum ha-
bitu regulari eiusdem Ordinis, virorum pro-
fessorum, gaudent enim eorum Priuilegijs,
ita quòd non possunt conueniri coram Iudi-
cibus secularibus criminaliter, nec ciuili-
ter, sicut trahunt alij Tertiarij vtriusq; se-
xus extra claustra, seu collegia degentes
singulariter in proprijs domibus, etiam fæ-
minæ sine voto, expresè Bulla Leonis X.
incip. *Dum intra 22. quam extendit etiam*
Confect. fol. 127. De his dixi etiam *cap. 1.*
num. 29. & 30. cap. 4. num. 31. ad 45. & cap.
10. *num.* 106. *ad* 110. Et ita docent *Bonac. q.*
16. p. 3. num. 17. & 18. Grassus à num. 92. ad
96. Dal Bene cap. 1. dub. 10. cap. 4. dub. 13.
num. 6. ad. 10. Barb. Allegat. 12. num. 41. Sua-
rez de Censur. disp. 22. num. 20. Castropal.
p. 2. num. 10.

Quæres 18. Coram quo conueniendi
sunt Religiosi vtriusq; sexus cum suis Noui-
tijs, & Tertiarijs, si non possunt conueniri
coram laicis.

℞. Inter se conueniuntur coram suis Su- 37
perioribus regularibus. Actores verò secu-
lares Clerici, & laici Religiosos prædictos
trahunt, & conueniunt non solùm coram
Superioribus regularibus, verùm etiam co-
ram suis Conseruatoribus, & in defectum
horum coram Ordinarijs locorum. Ipsi ve-
ro Religiosi actores non possunt seculares
trahere coram Superiore suo regulari, nec
Conseruatore, sed tantùm coram Iudici-
bus ipsorum Clericorum, vel laicorum.

Prima pars de conuentione inter ipsos
Regulares patet ex illo communi axioma-
te: *Actor sequitur forum Rei l. Iurisdictio-* 38
nem 2. l. In criminali 5. c. de iurisd. omn.
Iud. l. fin. c. in rem actia l. 2. c. vbi apud quam
Iure canonico, *cap. experientiæ 15. cap. Si*
quisquam 16. 11. q. 1. cap. Si Clericus 5. cap.
cum sit generale 8. de foro compet. Debent
ergo

Digitized by Google

ergò Religiosi habentes inter se litem recurrere ad suum Superiorem regularem, qui est eorum Iudex ordinarius, nimirum, Localis, Prouincialis, & Generalis. Est communis *Host. & Innoc. in cap. cum ab Ecclesiarum, de offic. Ordin. Silu. v. Iudex, D. Anton. par. 3. tit. 9. cap. 1. §. 1. Petrus Belasius in suo Promptuario Regulari v. Iudex nu. 5.*

39 Secunda pars de eorum Conseruatore probatur per ea, quæ refert Confect. *in Summar. tit. 4. Et ego resol.* 95. vbi de Conseruatoribus ad Bullam Gregorij XV. *Barb. Allegat.* 106.

40 Tertia pars, quòd in defectum Conseruatorum succedat Episcopus, probatur expressè in Bulla Gregoriana incip. *Sanctissimus* 9. *§. 7. Eiusq; electionis, seu assumptionis documentum infra tempus huiusmodi penes acta Curia Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur, alioquin eo termino elapso quandiu Conseruatores secundùm formam præsentis constitutionis non elegerint coram eisdem Ordinarijs conueniantur.* Qui ergo carent Conseruatore citantur coram Ordinario loci, vt dicitur etiam sub *§.* 4. quandiu illo carent, aut non fuerit legitimè electus ad formam constitutionis Gregorianæ, & nisi exibuerint Religiosi documentum electionis Curiæ; Ordinarius non dicitur exequi posse suum officium, cuius exercitium incipit ab illo documento in actis Curiæ registrato.

41 Quarta pars, quòd Religiosi non possint coram Conseruatoribus trahere seculares Clericos, & laicos, probatur expressè per eandem Bullam *§. 9. Ad hæc statuit Sanctitas sua, vt coram ipsis Conseruatoribus, Regulares, ac personæ suprascriptæ conueniri quidem, & trahi debeant, sed alios conuenire, aut trahere non possint. Ita ut memorati Conseruatores in causis in quibus Regulares, & alij Actores fuerint, nullam prorsus iurisdictionem habeant, sed in ijs tantùm in quibus Rei extiterint; neq; extra Ciuitates, aut diæcesim, in quibus fuerint deputati, contra quoscunq; procedere præsumant.*

42 Vide dictum Barbosam in fine citatæ allegat. 106. referentem Responsum S. Congr. quòd Religiosi defendendi sunt à manifestis iniurijs, ac violentijs, dummodo obseruent formam præscriptam in constitutio-
43 nibus Innoc. IV. & Bonifacij VIII. relatis in cap. fin. de Officio deleg. in 6. Vbi etiam refertur aliud Responsum die 6. Februarij 1627. quo censuit, Bullam Gregorij non afficere Religionem Ierosolimitanam nisi quò ad Iudices conseruatores, eidem Religioni adhuc ius huiusmodi Conseruatores eligendi competere. Vide *Pasqualig. in Franchum à num.* 817. *Lezanam cap.* 3. *Peyrinum in Formul. cap.* 20. *Donatum par. 2. tract. 17. per totum.*

Quinta pars, quòd Religiosi possint con- 44
uenire Clericos, & laicos coram illorum Iudicibus, probatur ex eo axiomate: Actor sequitur forum Rei, vt dixi supra. Est communis apud Castropal. p. 7. initio.

Quæres 19. An detur locus præuentionis inter Iudicem Conseruatorem, & Regularem, ex quo laicus potest conuenire Religiosum coram quolibet illorum?

℞. Datur, quia quilibet illorum cumu- 45
latiuè, & insolidum habent iurisdictionem faciendi Iustitiam petentibus. Confirmatur, quia Bullæ Conseruatoriæ, cum sint in fauorem, non sunt retorquendæ in odium ipsorum Regularium Superiorum, vt retorquerentur, si Conseruatoribus concederetur iurisdictio priuatiuè ad ipsos Superiores Regulares.

Quæres 20. Ad quem Iudicem debent recurrere Regulares vnius Monasterij volentes litigare contra alterum Monasterium?

℞. Ad Conseruatorem Rei Monasterij ex 46
illo axiomate, quia Actor sequitur forum Rei. Et ita docent *Rodriq. tom. 1. q. 65. art. 15. Miranda tom. 2. q. 47. art. 12. Portel. v. Conseruator. num. 11. Donatus par. 2. tract. 17. q. 34.* Procedit, licet Monasteria sint eiusdem Ordinis, non enim per hoc tollitur ius præfati axiomatis.

Quæres 21. Quando aliquis Religiosus est debitor alicui seculari, ad quem Iudicem recurrendum est à Creditore?

℞. Potest recurrere ad Conseruatorem, 47
vel ad Superiorem debitoris, quia Actor sequitur forum Rei, forum autem tenet vterq; ex titulo præuentionis. Et respectu Conseruatorum colligitur ex Bulla Gregoriana §. 4. illis verbis: *Conuentus, Monasteria, & loca huiusmodi, eorumq; personæ.* Priorà verba referuntur ad Officiales, & Conuentuum debitores pro Communitate. Posteriora verò respiciunt Religiosos respectu proprij interesse, iuxta praxim, & consuetudinem ex immemorabili vsu approbatam in omnibus fere Religionibus, Ita *Donatus par. 2. tract. 17. q. 12. num. 12.* Contra Dianam, seù potius eius Compend. *v. Priuilegia Regul. num. 11. Rodriq. tom. 1. q. 65. art. 13. Miranda tom. 2. q. 47. art. 10. Cespedes. dub. 318. num.* 13. Quorum opinio nullo nititur solido fundamento, cum ex mox dictis, Conseruatorem in Bullà Gregorianà constitui Iudicem contra Conuentum debitorem, & Religiosos debitores ratione personæ.

Quæres 22. An Ecclesia, aut persona ecclesiastica conuenienda sit coram Iudice seculari, quando Testator reliquit controuersiam definiri coram seculari?

℞. Rem esse definiendam coram secula- 48
ri, quia non sunt Rei coacti, nec tracti, sed volun-

Digitized by Google

voluntarij. Ita docent *Suar. lib. 4. de Immun cap. 14. num. 13. Cutierez lib. 1. praetit. quaest. 9. 10. initio, ex illis* Castropal. *p. 7. num. 5.*

Quæres 22. An Ecclesiasticus citari possit à Iudice seculari, cum clausulà: *Si sua interesse putauerit*, & debeat respondere?

49 ℞. Affirmatiuè, quia comparendo cum agar pro suo interesse potius est Actor, quam Reus, & in tali casu obligatur stare Iudicio illius, cui se submisit pro suo interesse. Ita *Farinac. q. 8. num. 87. per l. Testamenta* C. *de testam. ex eo* Castropal. *p. 7. num. 6.* subdens, quòd si non comparet, ab eo iudicari non potest.

Quæres 23. An Clericus hæres secularis conueniri possit tamquam representans personam defuncti, coram Iudice laico?

50 ℞. Non potest conueniri nisi in casu, quò ante mortem fuerit contestatus litem cum eo coram seculari Iudice, quia tunc firmata est iurisdictio Iudicis laici. Ita *Scaccia lib. 1. de iud. cap. 11. num. 23. Bart. in l. Haeres absens ff. de iudic. Farinac. q. 8. num.* 46. *Ampliat.* 17.

Quæres 24. An Conuentus coram Iudice ecclesiastico negligente facere iustitiam conueniri possit coram seculari?

51 ℞. Negatiuè, ex cap. Qualiter de iud. Non enim inferioris est mederi negligentiæ superioris. Ita *Suarez lib. 4. de Immun. cap. 14. num. 20. Azor. lib. 5. cap. 14. q. 2. Farinac. q. 8. num. 46. Ampliat. 23. ex illis Castropal. p. 7. num.* 8.

Quæres 25. An Iudex ecclesiasticus possit suo censuris prohibere Iudici laico, ne se ingerat in causis ecclesiasticis tam ciuilibus, quam criminalibus suorum Clericorum?

52 ℞. Immo debet, intimando illis Censuras, quas Sacri Canones fulminant contra Iudices seculares. Et ratio huius est, Tum quia Prælatis mandatur cura de omnibus suis non solum quò ad animam, sed etiam quò ad eorum gradum ecclesiasticum, ne contemnantur à laicis. Tum quia tutari debent totis viribus iura Ecclesiarum suarum, & immunitatem personarum ecclesiasticarum. Tum quia seculares corrigere debent, ne committant sacrilegia distringendo Clericos, vocando eos ad sua Tribunalia. Tum quia Iudex ecclesiasticus cum sit maior se-
53 culari, cap. 10. num. 18. agere potest in minorem, & maior iudicat minorem, &
54 non è contra, *cap. Omnes 2. 6. q. 1. l. Labeo 3. §. Tractemus ff. de recept. arbitr.* Ita docent *Angel. in. l. Consulta diualia* C. *de testam. Cepolla cons. 10. num. 2. Boer. dec. 114. num. 2. Grassus num. 654. Bonac. disp. 1. in Bulla quaest. 16. sect. 1. p. 6. num. 7.*

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

De Excommunicatione Bulla Cœna Domini contra trahentes Clericos coram Iudice Laico.

SVMMARIVM.

1 *Referuntur verba Bulla.*
2 *Tractio est vocatio coacta, & inuoluntaria hic prohibita.*
3 *Tractio verò voluntaria non cogens, sed alliciens hic non prohibetur.*
4 Prætenso Officio *trahere. i. auctoritatiuè*
5 *Persona ecclesiastica non trahibiles numerantur.*
6 *Iudex, faciens, & procurans coram se tractionem est reus huius censura.*
7 *Et non alij.*
8 *Trahens Clericum vt absoluatur, reus est censura.*
9 *Absoluitur quilibet à suo Iudice cõpetente.*
10 Præter iuris canonici dispositionem *exponitur.*
11 *In hoc Canone agitur tantùm de tractione ciuili.*
12 *Persuadens solùm sine coactione non est reus.*
13 *Iudex trahens non ad suum, sed alienum tribunal non incurrit.*
14 *Iudex solus, & non instantes, reus est excommunicationis.*
15 *Vexans Clericorum consanguineos, seu famulos, vt hac ratione Clerici cogantur accedere ad eius Tribunal, est reus huius Censura.*
16 *Birruarius capiens non est excommunicatus hac Censurà.*
17 *Iudex trahens Capitulum, Conuentum, seu Collegium ecclesiasticum est reus huius Censura, licet non nominet personas illorum.*

DE EXCOMMVN. BVLLÆ CÆNÆ DOMINI CONTRA TRAHENTES CLERICOS CORAM IVDICE LAICO.

QVia autem trahentes Ecclesiasticos ad Tribunalia secularia, de quibus actum est in præcedenti capite, incurrunt in decimam quintam excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini, ad propositum erit de ea tractare sub hoc capite, cuius verba sunt sequentia.

Quiue ex eorum pratenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcunq; Personas ecclesiasticos, Capitula, Conuentus, Collegia Ecclesiarum quarumcunque coram se, ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum,

prater Iuris canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quouis quæsito colore. Pro intelligentiâ eius, vt sciamus, quandonam quis sit Reus huius censuræ, in primis explicandum est, quid sit trahere?

Quæres igitur primò, quid sit *Trahere* ad Tribunal seculare Personas ecclesiasticas?

2 ℞. Est vocatio Personæ ecclesiasticæ coactè facta à Iudice seculari coram se prætenso iure, vel ad instantiam partis, vel aliorum quorūq; Tractio igitur de sui naturâ est actus inuoluntarius, vnde homo inuitus dicitur trahi, & contra suam voluntatem, vnde dixit Virgilius 2. Æneidum. *Altaria ad ipsa trementem traxit*. Facit illud Sacræ Scripturæ Lucæ 12. 58 *cum autem vadis cum Aduersario tuo ad Principem, in via da operam liberari ab illo, ne fortè trahat te ad Iudicem*. Et de Sanctis, qui inuiti trahuntur dicitur ab eodem cap. 21. 12. *Trahentes ad reges, & Præsides*. Importat igitur propriè actum inuoluntarium, & coactionem vocati ad comparendum coram Iudice; nullus enim Reus libenter comparet coram eo, à quo nihil boni sperat, dum solum malum timet. Vide *Suarez disp. 21. de censur. sect. 2. num. 78. quem citat Bonac. disp. 1. in Bulla q. 16. sect. 1. p. 4. num. 3. Sayrum lib. 3. cap. 19. num. 6. Castropal. disp. 3. de cens. p. 16. num. 3. vers. Lædunt*.

3 Verumtamen & est aliud genus tractionis voluntarium nuncupatum, iuxta illud; *Trahit vnumquemq; sua voluptas*. Et Cicer. 4. offic. inquit *omnes ducimur, & trahimur ad cognitionis, & scientiæ cupiditatē* idest allicimur, & sponte ducimur, de qua voluntariâ tractione, qua Pater cælestis trahit homines ad se non cogendo, sed alliciendo Ioan. 6. 44. agit D. August. tract. 26. in Ioann. relatus Feria 4. infra octauam Pentecostes.

Quæres 2. Quid sit *prætenso officio* trahere ad suum Tribunal?

4 ℞. Hæc clausula importat tractionem auctoritatiuè factam à Iudice formaliter spectato vt Iudice, nemo enim trahere dicitur ad suum Tribunal alium, nisi habeat potestatem saltem prætensiuam sic agendi ex officio suo, vel ad instantiam tertij, procedere ergo debet in causa vti Iudex, ac si verè talis esset, cum tamen talis reuera non sit, ex quo Persona tracta non est illi verè subdita. Ita *Sayrus lib. 3. cap. 19. num. 3. Vgolinus in b. io excom. §. 1. num. 11. Vers. 9. Duardus q. 10. num. 1. cum alijs Bonac. q. 15. sect. 1. p. 4. num. 10. Castropal. p. 16. num. 3. Vers. Notandum*.

Quæres 3. Quænam sint *Personæ Ecclesiasticæ* gaudentes hoc fori ciuilis Priuilegio, ne trahantur coram Iudicibus secularibus?

5 ℞. Sunt in primis omnes Clerici à Primâ Tonsurâ vsque ad Episcopum, vtrinque inclusi. Item omnes Regulares vtriusque sexus non solum Professi, sed etiam Nouitij, & Tertiarij eorum commensales, & Mulieres adstrictæ voto castitatis degentes in proprijs etiam domibus, & alijs de quibus *dixi cap. præced. & in cap. 1. fere per totum. De quibus Bonac. q. 16. p. 3*.

Quæres 4. Quænam sint Personæ, quæ trahere non possunt Ecclesiasticos?

℞. Omnis Iudex non solum secularis, ve- 6
rùm etiam ecclesiasticus trahens auctoritate laicali incidit in hanc Excommunicationem e. g. Cardinalis, Prorex, Episcopus, Gubernator trahentes auctoritate laicali, non enim trahere possunt ecclesiasticâ, cum dicantur Iudices seculares. Ita *Caiet. v. Excommunicatio cap. 29. Filliuc. tract. 16. cap. 10. Duard. can. 15. q. 1. num. 1. & q. 28. num. 1. Reginald. lib. 6. cap. 23. num. 350. ex illis Bonac. p. 5. num. 2. Castropal. p. 16. num. 3*.

Iudex secularis, licet sit Persona eccle- 7
siastica, trahendo prætenso iure, idest ex officio suo, & non solùm per se, sed etiam ad instantiam partis incurrit hanc Censuram, vel procurans, vt Clericus trahatur, infra q. 10.

Quæres 5. An Iudex trahens ad se auctoritatiuè Clericum ad effectum absoluendi illum, incidat in hanc censuram?

℞. Affirmatiuè, quia absolutio supponit 8
subiectionem in absoluendo, & iurisdictio-
nem in absoluente, *Grassus num. 157. De-* 9
cian. lib. 4. cap. 9. num. 9. Ita *Bonac. q. 16. p. 5. num. 13*.

Quæres 6. quid importent illa verba *Præter Iuris canonici dispositionem*.

℞. Important hoc, quòd dantur aliqui 10
casus in iure expressi, virtute quorum Iudex laicus trahens auctoritatiuè Clericum ad suum Tribunal non incurrit hanc Excommunicationem. Eorum primus est Bigamorum, de quo præced. cap. q. 5. Secundus est in causa Feudali, ibidem q. 9. Tertius in reconuentione, ibidem q. 12. Quartus in causâ hæreditariâ, ibidem q. 21. Quintus in clausulâ; si putauerit sua interesse, ibidem q. 22.

Quæres 7. An in hoc canone agatur de
tractione solùm ciuili, an etiam criminali? 11

℞. Solum de ciuili; probatur. Tum quia sic trahuntur Capitula, Conuentus, & Collegia Ecclesiarum, quibus tamen non competit tractio criminalis, cum corpus morale non dicatur delinquere, sed corpus naturale. Tum quia nullum ius canonicum supponit Clericos delinquentes Iudicibus laicis, sed semper exemit. Tum quia exemit illos tantùm in certis causis ciuilibus, ergo loquitur tantùm de casibus ciuilibus. Et ita probaui supra cap. 15. num. 22. Bonac.

dum

dum hæc promiscuè tractat locis citatis videtur velle in hoc Canone agi de vtraque tractione.

Quæres 8. An Iudex persuadens Clerico accedere ad suum Tribunal sit reus huius Excommunicationis?

12 ℞. Negatiuè, quia talis persuasio non est tractio coacta, nec auctoritatiuè facta, sed voluntaria ad lites sedandas. Ita *Sayrus lib. 3. cap. 19. num. 6. cum alijs Bonac. p. 4. num. 12.*

Quæres 9. Iudex procurans Clericum trahi non coram se, sed ad aliud tribunal, numquid incurrit hanc censuram?

13 ℞. Negatiuè, quia ei in hac tractione non aptantur verba Bullæ dicitur enim *coram se ad suum Tribunal*, cum ergo trahit ad Tribunal alterius Iudicis, non dicitur trahere coram se ad suum Tribunal. Ita *Bonac. p. 4. num. 13. Castropal. p. 16. num. 3. Vers. Notandum.*

Quæres 10. An non solùm Iudex ad se trahens, verùm etiam an illa Persona, quæ instat coram Iudice, vt Ecclesiasticus trahatur, sit excommunicatus?

14 ℞. Negatiuè, quia nullus alius, præter Iudicem dicitur auctoritatiuè trahere, ergo solus Iudex, & non alij, incurrunt hanc excommunicationem. *Bonac. cit. p. 4. num. 11. de communi, Castropal. cit. Vers. Notandum, Sayrus lib. 3. cap. 19. num. 6.*

Quæres 11. An vexans consanguineos, seu famulos Clericorum, vt hac ratione ipse Clericus cogatur accedere ad Tribunal laicum incurrat hanc Excommunicationē?

℞. Affirmatiuè, id enim importantea

15 verba: *Vel procurant indirectè quoquis quæsito colore.* Ita docent omnes *cum Bonac. n. 15. & 16. Castropal. num. 3. Suarez disp. 21. sect. 2. num. 78.*

Quæres 12. An capiens Personam ecclesiasticam sit reus huius censuræ?

℞. Negatiuè, quia birruarius non est Iu-

16 dex, nec dicitur auctoritatiuè capere. Ita *Bonac. p. 4. num. 14. & 19.* vbi, quòd Iudex faciens capere est reus huius Excommunicationis. Dic tu, si facit capere pro causa ciuili, nam pro criminali incurrit excom. 19. de qua dixi cap. 16.

Quæres 13. An Iudex trahens Capitulum, Conuentum, seu Collegium non nominando Personam ecclesiasticam illorum incurrat hanc censuram?

℞. Affirmatiuè, quia verba Bullæ non

17 solum exprimunt Personas ecclesiasticas, scilicet singulariter, & nominatim, quæ non debent trahi, sed etiam easdem in communi, vt indicant ea verba *Capitula, Conuentus, & Collegia.* Ita omnes cum *Bonac. p. 3. num. 19. De ian. lib. 4. cap. 9. num. 41. Grassus num. 126.*

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

De Præuentione inter Iudices.

SVMMARIVM.

1 *Præuentio est præcedentia inter plures Iudices in iudicando.*
2 *Quicunque sint illi inter se, siue maior, siue minor.*
3 *Siue etiam Papa, & Ordinarius.*
4 *Habentes iurisdictionem singuli firmatam antequam citent.*
5 *Præueniens ergo non aquirit illam per citationem.*
6 *Iurisdictio debet esse totalis, & cumulatiua.*
7 *Præuentio non datur inter delegantem, & delegatum.*
8 *Citatio verbalis dat præuentionem.*
9 *Vnica sufficit, quòd.*
10 *Sit valida, & legitima.*
11 *Et ea sufficit.*
12 *Facta ad instantiam partis.*
13 *Citatio debet esse executa, & registrata in processu.*
14 *Citatio vnius ex complicibus.*
15 *Præuentio est res odiosa.*
16 *Querela non sufficit.*
17 *Captura licita dat præuentionem.*
18 *Facta sunt potiora verbis.*
19 *Realis citatio præualet verbali etiam præcedenti vltra vnum diem.*
20 *Carceratio spontanea vti dolosa non dat præuentionem.*
21 *In dubio temporis citatio stat pro maiori Iudice.*
22 *Iudicis præuentio facit silere Iudicem præuentum.*
23 *Præuentus laicus factus Clericus facit cessare præuentionem.*
24 *Iurisdictio citatione non perpetuatur contra factum Clericum.*
25 *Præuentio non datur inter ecclesiasticum, & secularem contra Clericum.*
26 *Iudex secularis incipit esse dominus Clerici declarati non gaudere Priuilegio fori, postquam traditus fuit Curiæ seculari.*
27 *Captura de mandato laici non dat præuentionem.*
28 *Nisi post declarationē capiatur Clericus.*
29 *Datur inter Iudices Conseruatorem, & Superiorem regularem.*
30 *Et Episcopum, atq. Superiorem.*
31 *In paruis Conuentibus habet iurisdictionem Episcopus, & Superior.*
32 *Quales debeant esse illi sex Religiosi.*
33 *Lex admittit exceptionē causæ rationabilis*

34 *Responsa S. Congr. circa iurisdictionem Episcopi, & Superioris regularis in paruis conuentibus.*
35 *Præuentio colligitur ex num. 12. & 13. horum responsorum.*
36 *Præuentio datur inter Priorem, Prouincialem, & Generalem.*
37 *Prima correctio est Abbatis.*
38 *Non tamen priuatiuè quò ad alios in ratione primitatis.*
39 Ordinarij locorum *nomine veniunt solùm habentes territorium cum personis Clericorum, & laicorum.*
40 Ordinarius *dicitur habens potestatem ordinariam.*
41 *Potestas inferiorum ordinatur ad Superiores.*
42 *Iudex quatenus talis non est subditus, sed sui iuris in Officio.*
43 *Subditur solùm rationi legis sibi constitutæ.*
44 *Præuentionem non dat corpus delicti vitiatum.*
45 *In delictis mixti fori datur Præuentio.*
46 *Mixti fori delicta referuntur.*

DE PRÆVENTIONE INTER IVDICES.

1 PRæuentio iudicialis est præcedentia inter plures Iudices iurisdictionem iam habentes in solidum, & cumulatiuè, quorum præueniens iudicat cum exclusione alterius Iudicis præuenti. Ita hanc definitionem colligo ex iuribus, & Doctoribus citandis in sequentibus quæstionibus proponendis, & resoluendis pro eius intelligentia.

2 Quæres 1. Quales debeant esse huiusmodi Iudices sibi inuicem præuenientes?

℞. Possunt esse Ordinarij ambo, vel Delegati similiter, seu alter Ordinarius, & alter Delegatus, siue sub eodem capite, siue sub diuersis. Item vnus potest esse Ecclesiasticus, alter Secularis; vel ambo Ecclesiastici, vel Seculares. Diuersitas ergo Iudicum non impedit præuentionem, immo eam magis indicat. Quare datur præuentio etiam inter Papam, & Episcopum, seu alium Ordinarium, vt docent omnes cum *Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. §. 3. Proœm. num. 9. & 10. Barb. ad cap. Dudum 14. de Præbend. in 6. num. 7.* Datur ergo præuentio inter prædictos, *Mar. Socin. in cap. Proposuisti, de foro comp. num.* 8. Inter Ordinarium loci, & Legatum, *Abbas in cap. Cum in Ecclesiâ, de appellat. num.* 5. inter plures Ordinarios, *ex eodem Abbat. in cap. Vt debitus de appellat. num.* 22. Inter maiorem, & minorem Iudicem. *Farinac. q. 7. num. 52. Vide Guaz. Defens. 1. cap. 9. & 10.*

Quæres 2. An isti Iudices debeant ante præuentionem habere actu iurisdictionem & non aquirere eam per citationem, aut querelam?

℞. Affirmatiuè, quia præuentio est actus iurisdictionis, cum procedat à citatione, vt mox probabo, ea autem citatio est actus iurisdictionis, nemo enim citare potest, nisi habeat prius potestatem, & iurisdictionem, dum fit de mandato Iudicis. *Abbas in cap. 1. de iudic. num. 4. & 33. Decian. lib. 4. cap. 21. num. 19.* vbi quòd citatio sine Iudicis commissione non inducit præuentionem in ipso Iudice, ergo Iudex citans vt dicatur præuenire debet antecedenter habere iurisdictionem in se contra citatum. Ita *Glos. v. Non habet, l. Si quis postea 7. de iudic. ibi: Sufficit ergo tempore citationis, vocatum esse de foro vocantis.* Præueniens ergo non aquirit iurisdictionem per citationem, sed solùm exercitium, quod addit iurisdictioni, quam antea habebat. Ita omnes *cum Mar. Socin. ad cap. Proposuisti, de foro compet. num. 15. Seraphin. dec. 1018. num. 5.* 4 5

Quæres 3. Qualis debeat esse huiusmodi iurisdictio in Iudicibus, vt possit dari inter eos præuentio?

℞. Ea debet esse totalis, non partialis, ita quòd vnicuique eorum competat in solidum, & vnus ab alio non dependeat in agendo, ex quo enim vnus sine alterius adiutorio agere potest, necesse est, quòd quilibet eorum in operando sit causa totalis ad differentiam causæ partialis, quæ sine alia operari non potest, ob propriam insufficientiam. Ita Doctores *in cap. Cum plures 8. de Offic. deleg. in 6. Couar. q. 26. Vers. Secundò est animaduertendum. Deciam. lib. 4. cap. 20. num. 16. Michael Ferrus Manriquez de Præced. q. 28. initio.* 6

Quæres 4. An detur præuentio inter Delegantem, & Delegatum ab ipso?

℞. Negatiuè, quia de ratione præuentionis est, vt præueniens faciat cessare iurisdictionem Iudicis præuenti; sed delegatus non potest facere cessare delegantem, si voluerit se intromittere in causa à suo delegato iam cœpta, cum ille in agendo operetur virtute illius, vnde & delegans potest reuocare delegatum etiam post causam cœptam, *Decius in cap. Quod vult deo, de iudic. lect. 1. num. 147.* ergo inter eos non datur præuentio. Ita *ex l. Iudicium 58. ff. de iudic. Decian. lib. 4. cap. 20. num. 15.* 7

Quæres 5. An Iudex per citationem solùm verbalem aquirat præuentionem cum exercitio suæ iurisdictionis, & perpetuatione illius?

℞. Per vnicam citationem verbalem, & legitimam, & validam aquiritur præuentio Iudici, qui constituitur in possessione exercitij suæ iurisdictionis, à quo remoueri non potest, sed illud perpetuat vsq; ad expeditionem 8

tionem causæ. Ita omnes colligunt *ex l. Si quis 7. l. Vbi acceptum 30. ff. de Iudic. & in cap. Proposuisti, de foro compet. ibi Mar. Socin. num. 17. Manrique q. 28. de Praeced. Peregr. de iurisd. lib. 1. num. 132. Mascard. concl. 1233. num. 6.7. & 8. Guazin. Defens. 1. cap. 9. num. 7.*

9 Prima pars, quod sufficiat vnica citatio, probatur, quia nullo iure requiritur pluralitas citationum. Ita *Glos. v. Citationes Clem. 1. de iudic.* vbi reddit rationem, quia per primam citationem firmatur Iudicium, perpetuatur iurisdictio, & præuenitur. Ita *Marian. Socin. cit. num. 18. Decian. lib. 4. cap. 21. num. 5. Sanchez lib. 8. disp. 28. num. 14. Mascard. concl. 1233. num. 7.*

10 Secunda pars, quòd citatio debet esse valida, probatur, quia inualida nullum potest præuentionis effectum producere, cum nihil sit, & pro non facta habeatur. Ita *Farinac. q. 118. num. 9. Baron. in Addit. ad q. 15. num. 25. Mar. Socin in dictum cap. Proposuisti* ibi: *Ate legitime citatus num. 4. & 20. Abbas num. 6. Barb. num. 5. Farinac. q. 7. num. 61. Decian. lib. 4. cap. 21. num. 4.*

11 Tertia pars, quòd ipsa verbalis citatio sufficiat, probatur, quia actu subijcit citatum iudici citanti, & *Glos. l. Si quis 7. ff. de Iudic.* vt. tur verbo *vocationis* quæ est citatio verbalis. Ita *Mascard. num. 8. Decianus num. 3. Socin. num. 17. Guazin. num. 6.*

12 Quòd sit facta ad instantiam partis probatur, quia ex parte Rei præsumitur fraudulenta ad declinandum forum. Ita *Abbas in cap. 1. de iudic. num. 4. Decian. num. 6. Socin. num. 18.*

13 Citatio autem hæc verbalis debet esse perfecta, & absoluta, qualis est ea quæ fit de mandato Iudicis, intimatur parti, & registratur in actis processus, quâ positâ iurisdictio perpetuatur in Iudice, vt multis probaui cap. 11. initio.

Quæres 6. An ex citatione vnius ex complicibus aquiratur præuentio etiam respectu aliorum, qui non fuerunt citati?

14 ℞. Solùm respectu citati, quia cum præuentio sit res odiosa, dum aufert alijs exercitium iurisdictionis, vt patet ex eius defi-
15 nitione, ideo restringitur præcisè ad citatum. Ita *citati à Farinac. cap. 7. num. 62.*

Quæres 7. An sola querela, vel sola inquisitio sine citatione inducat præuentionem?

16 ℞. Non sufficit querela vbi proceditur ad instantiam partis, sed præterea necessaria est citatio querelati. Ita *Rota par. 2. dec. 685. num. 5. Farinac. q. 7. num. 56. & consil. 160. num. 14. & 27. Decian. lib. 4. cap. 21. num. 6.* qui subdit sufficere inquisitionem factam ad instantiam Iudicis, secundum *Bartol. C. de iudic. & in l. fin. C. de bon. auct. iud. Socin. in dictum cap. Proposuisti, num.* 18. dicit, Iudicem præuenire si ex officio suo inquirat, quia tunc cum non extet actor, ipse dicitur citare reum.

Quæres 8. An ex citatione reali .i. captura oriatur præuentio?

℞. Affirmatiuè, quia si aquiritur per verbalem, à fortiori per realem, quia facta sunt potiora, & efficaciora verbis, *ex l. De pupillo 5. §. Meminisse ff. de operis noui nunt. cap. Dilecti 50. de appellat. ibi Glos. v. Facto prouocare.* Et ita docent omnes *cum Decian. cap. 21. num. 8. Socin. num 21. Guazin. Defens. cap. 9. num. 13.* Hæc autem citatio propriè locum habet in causis criminalibus, nam in ciuilibus quisq; præsto est, dum agitur de interesse bonorum, ne amittantur per inobedientiam, & contumaciam. 17

Quæres 9. An citatio realis præualeat verbali?

℞. Affirmatiuè, cum sit fortior verbali. Potiora enim sunt facta verbis, *l. Si tamen 48. §. Ei qui ff. de ædil. edict.* Plus enim valet factum, quàm verbum, *Scaccia lib. 3. de appellat. cap. 2. q. 17. limit. 2. num. 23. Possevin. singul. 81. fine* Facta ergo derogant verbis. Et ita docent *Angel. de Malefic. v. Iudex commisit num. 14. Farinac. q. 7. num. 53. Barb. lib. 1. de iure eap. 39. §. 4. num. 56. & 57. Socinus num. 21.* Procedit, siue eodem die præcesserit verbalis, siue in precedentibus, siue id sit clarum, siue dubium, modo constet de capturâ verâ, & suis requisitis, ex citatis Doctoribus; contra nonnullos asserentes procedere tantùm, si eodem die facta sit vtraq. citatio, & ignoretur quænam sit prior, tunc præfertur realis. Sed reuerà semper realis est præferenda vti inductiua præuentionis cum elisione præcedentis verbalis, siquidem realis, facta quacunq; comparatione cum verbali, semper retinet suam naturam, quia est fortior, & efficacior verbali. 18 19

Quæres 10. An Carceratio spontanea eius, qui comparet coram Iudice, vt ab eo iudicetur, & non ab alio, dicatur induxisse præuentionem in carcerante?

℞. Negatiuè, quia præsumitur dolosa, & fraudulenta, ne præueniretur ab alio, à quo timebat actius Iudicium, quod sperabat mitius ab altero, coram quo sponte comparuit, dolus enim, & fraus nemini debent patrocinari. Est communis apud *Farinac. q. 7. num. 53. Vers. Sublimita primò, & num. 64. & consil. 134. Guazin. Defens. 1. cap. 9. num. 15.* 20

Quæres 11. Cuinam debeatur præuentio, quando constat Reum fuisse citatum verbaliter à duobus Iudicibus, sed ignoratur punctus citationis?

℞. Procedit in causa maiorem habens iurisdictionem, cum sit fortior. Ita *Bald. in l. Senatus C. Qui accus. non poss. Decian. lib.* 21

lib.4. cap.21. num. 10. Secin. num. 21. Verf. Septimo, Vbi rem hanc fusius tractat.

Quæres 12. An Præuentio ita impediat alium Iudicem præuentum, ne possit procedere contra reum in eadem causa?

22 R. Affirmatiuè, Tum quia iniquum est, quòd quis vexetur à duobus Iudicibus, cum bis idipsum non iudicetur, nec duplex consurgit Tribulatio *Nahum cap.1. num.9.* Tum quia vbi Iudicium fuit cœptum, ibi finiendum est, *l. Vbi captum, de iudic.* Iudex ergo, qui præuenit facit silere alios, quorum manus ligare, & os claudere dicitur. Ita omnes cum *Farinac.q.7.num.52. Decian. cap.22.num. 9. Tuschus lit.P.concl.646.* Vbi, quòd procedit etiam inter Iudices ecclesiasticum, & secularem in ijs, quæ sunt mixti fori, cum alijs *Ciarlin.cap. 188. num. 8. & 9.* qui *cap. 233. num.21.* dicit, idem in causis mixti fori respectu earum personarum, quæ possunt esse subiectæ vtrique Iudici. Delicta mixti fori referuntur in *cap. Cum sit generale 8. de foro compet. hic. Barb. & Guaz. Defens. 1.cap.9.*

Quæres 13. An iurisdictio ex Præuentione perpetuetur respectu omnium Reorum maximè in criminalibus? Nam inter effectus præuentionis numeratur perpetuatio iurisdictionis, vt dixi quæst. 1.cap.11.num.10. Et dubitatio potest esse circa Personam, quæ dum erat laica citata fuit à Iudice seculari, numquid contra eam licet postea promotam ad Primam Tonsuram, iudex secularis perpetuet suam Iurisdictionem procedendo contra reum, & condemnando eum ad mortem si meretur non obstante Clericatu? Hanc quæstionem resolui cap.10.sub initium. Paucis hic me expediam,

23 R. Negatiuè, euanescit enim per promotionem ad Clericatum, vel Monachatum. Ita docent *Marta de præuent. cap. 1. ex eo Guazin. Defens. 1. cap. 10.num. 8.* vbi hanc Sententiam vocat veriorem, & æquiorem, esto in fraudem, inquit, promotus

24 fuerit, sequitur *Genuens. cap. 8. num. 5.* Ratio est, quia citatio perpetuat Iurisdictionem, cuius Iudex est capax, & quam habet antecedenter ad citationem, Iudex autem secularis, cum non sit capax ex officio suo iurisdictionis ecclesiasticæ contra Clericum, nisi ei delegetur à Papa, ideo non potest suam iurisdictionem laicalem perpetuare nisi contra laicum, dum eam auctoritate propriâ potest de laicali per citationem transmutare in ecclesiasticam, cum etiam tunc citatus sit laicus.

Quæres 14. An detur præuentio inter Iudices ecclesiasticum, & secularem contra Clericum?

25 R. Non datur, quia iudex secularis nullam habet iurisdictionem contra Clericos, cap. 11. num. 13. & hoc certum est, ergo nec ius præueniendi, cum legitimè non possit citare Clericum quamuis malefactorem, nisi postquam per declarationem Iudicis ecclesiastici sententiatus est non gaudere Priuilegio fori, *ex probatis cap. 6. num. 39. cap. 9. num. 6.* tunc enim Iudex laicus incipit esse dominus Clerici malefactoris sibi traditi, & non ante; cum vsq; ad illud 26 tempus fuerit solus Dominus iudicandi Ordinarius illius. Ergo præuentio hic locum habere non potest respectu Iudicis laici cui necessarium est ad præueniendum, vt ante præuentionem habeat in actu iurisdictionem, vt patet ex eius definitione initio hic allatâ, & probatâ sub q. 2. Confirmatur, quia Citatione inualidâ, & non legitimâ non acquiritur Præuentio ex probatis hic sub num. 10. ergo necesse est, quòd ante citationem habeat Iurisdictionem contra citandum; sed nullam habet Iudex laicus contra Clericum, ergo eum citare non potest ad perpetuandam iurisdictionem, quam non habet.

Dices, Iudex secularis passim carcerat Ecclesiasticos in fragranti crimine repertos, aut incorrigibiles, immo & sine habitu clericali repertos, ergo in hoc dicitur præuenire Iudicem ecclesiasticum.

R. Talem capturam, nullam inducere 27 Præuentionem, cum sit illicita, & inualida, vt quæ mandata à Iudice incompetente, qui ex nullâ causâ potest carcerare Personas ecclesiasticas, vt probaui cap. 11. per totum, & præcipue quæst. 11. Et ita docent *Aretin.in cap. 1. de iudic. ibi Abbas num. 33. Decian. lib.4. cap. 21. num. 18. ex illis Guazin. Defens. 1. cap. 9. num. 23.* loquentes de reperto in fragranti crimine.

Vnicum puto dari casum, in quo locum 28 habet Præuentio inter Iudices ecclesiasticum, & secularem, cum scilicet, Iudex ecclesiasticus declarauit Clericum absentem, & fugitiuum, qui etiam post hæc capit illum, dicitur præuenire, quia vterq; Iudex ante capturam habet iurisdictionem contra illum; non enim per declarationem Ordinarius amisit suam iurisdictionem, *ex probatis cap.6.num.50. cap.9. num. 11.*

Quæres 15. An detur Præuentio inter Prælatum regularem, & Conseruatorem contra Religiosos in causis ciuilibus, quæ coram ipsis expediri possunt?

R. Affirmatiuè, ambo enim habent iu- 29 risdictionem ante præuentionem, ergo qui primò citat dicitur præuenire, & alium excludere à iudicio. Et ita probaui cap. 16. q. 18.

Quæres 16. An detur præuentio inter Episcopum, & Superiorem regularem in causis tam ciuilibus, quam criminalibus Religiosorum commorantium in paruis conuentibus?

R. Affir-

30 ℟. Affirmatiuè, quia vterque in solidum habet iurisdictionem in Regulares, Prælatus quidem sibi competentem ex officio suo, Episcopus tamquam Sedis Apostolicæ delegatus, vt patet ex Bulla Innocentij X. incip. *Vt in paruis*, quam extendit Fagnanus *tom. 5. ad cap. Relatum, Ne Clerici, vel Mon. num. 71. fol.* 420. cuius summa est hæc.

31 In paruis conuentibus suppressis, & iterum restitutis debent actu degere sex Religiosi, quorum quatuor ad minus sint Sacerdotes, subiecti visitationi, correctioni, & omnimodæ iurisdictioni Ordinarij loci tamquam Sedis Apostolicæ Delegati. Aliter si actu non alantur sex, gratia restitutionis est nulla exequenda contra ipsos ab Ordinario. Pariter in Conuentibus paruis non suppressis, in quibus non aluntur sex Religiosi, subduntur Ordinario, ac si essent in Conuentibus suppressis, & restitutis, quandiu non aluntur sex. Similiter eidem Ordinario sunt subiecti Conuentus recepti post diem 21. Iunij 1625. in quibus non aluntur duodecim Religiosi.

32 Noto vnum, illos quatuor Sacerdotes sine dubio debere esse professos, alij duo Religiosi possunt esse Conuersi, immo, & Tertiarij, cum & hi dicantur Religiosi, & Personæ ecclesiasticæ, de quibus dixi *cap. 1. num. 29. & 30. cap. 4. num. 31. ad 45. & alibi.* Debent esse omnes de familià collocati, vnde Concionator non facit numerum. Potest Episcopus aliquid indulgere super hunc numerum ex legitimà causà, non obstante, quòd Bulla vtatur verbo *Debeant*, quia lex quælibet admittit exceptionem causæ rationabilis eximentem ab obligatio-

33 ne, *cap. Siquando 5. de rescript.* & meo iudicio, immo & quorumcumq; virorum timoratæ conscientiæ, manutenendi sunt Conuentus parui, quoad fieri potest, ob commune bonum spirituale fidelium præsertim in administratione Sacramenti Pœnitentiæ.

34 Nonnullæ excitatæ fuerunt dubitationes circa exercitium Episcoporum, & Prælatorum in regimine Religiosorum, quas Sacra Congregatio resoluit, appobante Alexandro VII. die 27. Iulij 1655. quas extendit idem Fagnanus tom. 2. ad cap. Quanto, de offic. Ordin. sub num. 42. tenoris sequentis.

1 An Episcopus in Conuentibus suæ iurisdictioni subiectis possit Abbates, Priores, Guardianos, & alios Superiores locales deputare, & familiam constituere? ℟. Non posse.

2 An possit Episcopus à prædictis Conuentibus Religiosos amouere? ℟. Posse ex rationabili causà, commonito tamen prius Superiore regulari, ad quem pertinet, vt eosdem Religiosos assignet in alijs Conuentibus.

3 An Regulares eorundem Conuentuum compelli possint ab Episcopo ad exhibendos libros introitus, & exitus, & reddendas rationes administrationis? ℟. Posse compelli.

4 An Episcopus in eisdem Conuentibus se ingerere possit in his, quæ regularem disciplinam concernunt? ℟. Posse.

5 An Ecclesiæ dictorum Conuentuum, & Capellæ Granciarum, in quibus degunt Conuersi pro agrorum culturà ab Episcopo visitari possint? ℟. Posse.

6 An ipsæ Granciæ, & Conuersi in eis degentes subsint visitationi Episcopi? ℟. Subesse.

7 Quid in Ecclesijs, seu Capellis Granciarum, in quibus nullus degit Conuersus, an similiter subsint Visitationi Episcopi? ℟. Itidem subesse.

8 An liceat Episcopo visitare Conuentus tam suppressos, & postea restitutos, quàm non suppressos ad effectum cognoscendi, an in illis re ipsà alantur sex Religiosi? ℟. minime licere, antequam aliunde constet de fundamento intentionis Episcopi in deficentià numeri constituti.

9 An Episcopus visitans huiusmodi Conuentus suæ iurisdictioni suppositos, aut personas in eis degentes, possit à visitatis procurationem exigere in victualibus, vel in pecunia? ℟. Expedire, vt S. D. N. decernat, & declaret non licere Episcopo tales Conuentus visitanti quicquam accipere procurationis nomine.

10 An iurisdictio Ordinarijs locorum tamquam Sedis Apostolicæ delegatis attributa in supradicto Decreto competat Vicarijs Generalibus Episcoporum, nec non Abbatibus, & alijs inferioribus Prælatis proprium territorium, & iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus? ℟. Competere.

11 An Prouinciales, & alij Superiores Regulares possint eiusmodi Conuentus iurisdictioni Ordinarij subiectos, & Religiosos in illis degentes visitare, corrigere, & punire, omnemq; iurisdictionem in eo exercere, sicut poterant ante dictum Decretum? ℟. Posse sicut prius, non tamen priuatiuè ad Episcopum.

12 Si Superior regularis in causà præuenerit contra subditum degentem in aliquo ex eisdem Conuentibus Ordinario subiectis fabricando processum, vel cum carceri mancipando, an Episcopus possit huiusmodi causam reassumere, ac Superiori inhibere? ℟. Non posse, nisi ex iustà causa, veluti, cum videt Superiorem regularem ex odio, vel amore, cupiditate, vel metu, aut ex nimia seueritate, vel indulgentià quid durius,

durius, aut remissius constituere, quàm causa deposcit, in quo ipsius Episcopi conscientia oneratur.

13 Si e conuerso, Episcopus in causa præuenerit cōtra Religiosum in tali Conuentu commorantem, an Superiori regulari eo casu liceat illum amouere & in alio Conuentu collocare, & si de facto collocauerit, an nihilominus Episcopus possit causam prosequi, ac Religiosum sic amotum reuocare ad primum Conuentū? ℟. Non licere Superiori regulari Religiosum ab Episcopo inquisitum à loco amouere, & si amotus fuerit, posse Episcopum causam prosequi, & illum quibuscumq; remedijs reuocare, etiam inuocato brachio seculari, si opus fuerit, cuiuscunq; loci, in quo Religiosus ille reperiatur.

14 Si Prouincialis, vel Superior localis voluerit aliquē ex Fratribus à tali Conuentu remouere, an Episcopus prohibere possit? ℟. Non posse.

15 Si à Conuentu primùm suppresso, ac deinde Religioni restituto absint ex aliqua rationabili causa, & ad breue tempus vnus, vel plures ex numero sex Religiosorum ibi degentium, an gratia restitutionis sit nulla, & Conuentus remaneat suppressus, vt prius? ℟. Gratiam ob id non esse nullam, cessante omni fraude, nec Conuentum remanere suppressum.

16 Quid si à Conuentu non suppresso similiter ex causa rationabili, & ad modicum tempus absit aliquis è sex Religiosis ibi existentibus, an durante tali absentià Conuentus subiaceat Iurisdictioni Ordinarij? ℟. Subiacere durante absentià.

17 An Religioso illo redeunte, vel aliàs impleto numero sex Religiosorum, Conuentus recuperet pristinam exemptionem? ℟. Recuperare.

18 Si gratia restitutionis Conuentus suppressi reddatur nulla ex eo, quòd in illo ad formam Decreti cum effectu non alantur sex Religiosi, & postea contingat, vt eiusmodi numerus impleatur, an gratia restitutionis reuiuiscat? ℟. Non reuiuiscere.

19 Ad hoc vt gratia restitutionis sit nulla, & Conuentus denuo remaneat suppressus, propterea quòd in eo non sustentantur sex Religiosi, an debeat procedere declaratoria Episcopi super facto præuia causæ cognitione? ℟. Debere ita procedere, nec ante declaratoriam licere Episcopo Conuentus possessionem appræhendere, aut Religiosos inde expellere.

20 An ab huiusmodi declaratorià liceat Regularibus ad Sedem Apostolicam appellare ad effectum tam deuolutiuum, quam suspensiuum? ℟. Licere ad effectum deuolutiuum tantùm, non autem suspensiuum.

21 Cum ex Decreti præscripto quatuor Sacerdotes in his conuentibus degentes debeant esse maturæ ætatis, quænam dicatur ad hunc effectum ætas matura? ℟. Ætatem maturam dici ad hunc effectum completo anno quadragesimo?

Colligitur ex Resp. 12. & 13. ad intentum 35
nostrum non dari Præuentionem inter Episcopum, & Superiorem regularem respectu Conuentuum paruorum; absurdum enim esset, quòd Episcopus posset corrigere Regulares, & non eorum Superior, cui promisit ex voto solemni Obedientiam.

Quæres 17. An detur præuentio inter Superiores, regulares nempe Generalem, Prouincialem, & Localem?

℟. Affirmatiuè, quia vnusquisq; eorum propriam habet à iure iurisdictionem ordinariam vnus independenter ab alio, & in 36
solidum, ergo inter eos dari potest præuentio citando suum Subditum. Quare in his terminis Prior, si habet facultatem processandi suos subditos, citando vnum ex illis, ita illum præuenit, vt excludantur Prouincialis, & Generalis, qui non possunt de iure communi auocare ad se causam subditi præuenti, cum excludantur ab exercitio suæ iurisdictionis, sic exigente natura Præuentionis ex probatis q. 12. Et ita in re docet Peyrinus de Prælato q. 1. cap. 4. §. 5. num. 122. licet ne verbum quidem dicat de Præuentione.

Dices primò, id esse contra ius commune, nam dicitur, quòd prima correctio est 37
Abbatis, *cap. Corripiantur 17. 24. q. 3. cap. Ea quæ 8. de statu monach. cap. Quanto 7. de offic. ordin* Quia tota potestas monasterij est in Abbate, *cap. Nullam 9. 18. q. 2.* Ergo non potest præueniri à Generali, nec Prouinciali, aliter ad ipsum non pertineret prima correctio. Et in illis textibus certum est venire Abbatem, & Superiorem localem. Et contra Tridentinum sess. 24. cap. 20. mandans, quod causæ omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiam si beneficiales sint in primà instantià coram Ordinarijs locorum dumtaxat cognoscantur. Ergo excluduntur alij Iudices etiam maiores.

℟. Id non obstare, non primum, quia 38
illud axioma non intelligitur priuatiuè ad maiores Prælatos, qui cum inferioribus concurrunt cumulatiuè, & sic datur inter eos Præuentio. Neque enim cum Superior maior Præuentione præoccupat inferiorem, illi aufert iurisdictionem, sed tantùm impedit illius exercitium. Dic quoq; quod hic sermo est de punitione per iurisdictionem contentiosam, non de correctione paterna, quæ fit sine strepitu iudiciali. Ad Tridentinum dic ibi esse sermonem de Episcopis, & eorum Iudicibus secularibus, ex illis verbis? *Coram Ordinarijs locorum*, quæ exclu- 39
dunt Regulares, vt Doctoribus allegatis do-

cet

cet B[illegible] ofa hic num. [illegible] Nomine igitur *Ordinary loci* venit solu[m] [E]piscopus, vel alius Præ[lat]us hab[en]s terr[i]torium cum personis et[ia]m laicis sibi subiectis vt tradit *Glos. v. Ordinario extr. com. Vn. Ioan. XXII. de Praebend. Floronus casu 4. §. 4. Vers. In contrarium*. Nomi[n]e verò *Ordinary* sine adectio-

40 ne *loci* veniunt omnes habentes iurisdictionem or[dinariam], *Paris. lib. 3. de Resign. q. 11. num. 19. Sanch. lib. 3. disp. 29. num. 5.*

41 Dices secun[d]ò, tota potestas minorum Sup[erio]rum [s]ubordinatur maioribus, à quibus in ea [e]xerc[e]nda[i]lli dependent, vt docent *Suar[e]z tom. 4. de Relig lib. 2. cap. 2. num. 22. Lez[a]na tom. [illegible]. cap. 18. num. 87. Pasqualig. decis. 57. num 8 & q. 367. num. 1.* R[a]tio est qu[i]a Superio[res] minor[e]s sunt subditi maioribus et[ia]m ex voto Obedientiæ, ergo illis in omnibus obedire d[e]bent, non obstante præuentione, cum & isti præuenti cum illis subiecti sint maioribus, ergo in his Præuentio locum habere non potest.

42 ℞. Minor quatenus Iudex non dicitur quo ad hoc suo[d] ius, se[d] sui iuris est in iudicando, cum à iure habeat potestatem, ita quòd iudicium ab eo cæptum finiendum quoq; est, *l. Acceptum, de iudic.* Nec Doctores citati loquuntur in nostris terminis, sed in alio casu, quod scilicet supracitati

43 Superiores m[ai]ores per viam constitutionis, ac vt le[g]is[l]atores, non vt Iudices, possunt rest[ri]ng[e]re auctor[i]tatem inferiorum, quod est valde diuersum ab auocatione causarum pendentium coram iudice pr[æ]uent[i]o[n]is.

Mar. S[o]cinus ad cap. Proposuisti 19. de foro comp. num. 25. tractat hanc quæstionem de præuentione inter Regulares cum F[re]de[r]ico de Sen[is]. Consil. 140. Sed negotium confuse [p]rosequuntur, ideo omitto eorum dicta, quæ parum erudiunt intellectum.

Q[uæ]res 18. An recognitio corporis delicti [d]et Præ[ue]ntionem Iudici primò facienti Visum repert[u]m? De visitatione corporis delicti dixi [ca]p. 10. q. 16.

44 ℞. Negatiue, quia corpus delicti non se tenet ex parte delinquentis, à quo oritur præuentio, facta illius citatione verbali, vel reali ex q. 5. & seq. sed ex parte patientis, contra quem non agitur.

Quæres 19. An in delictis mixtis detur præuentio inter Iudices ecclesiasticum, & secularem?

45 ℞. Affirmatiue, quia ideo dicuntur mixti f[ori], ex quo sicut ab vtroque iure prohibent[ur], ita & à quolibet eorum Iudice delinque[ntes p]uniuntur, attenta præuentione, quia v[nus] [pr]æueniens excludit alterum, ex supradi[ctis] [illegible] ingendo id totum ad delinquente[s] [illegible] [na]m præuentio non datur contra Clericos in criminalibus, vt probaui hic q. 14.

Quæres 20. Quænam sint delicta mixta punibilia ab vtroq; Iudice posita præuentione?

℞. Sunt sequentia. Sodomia, Falsitas in literis Apostolicis, Pax fracta Blasphemia non hæreticalis, Infideles subiecti, Adulterium, Concubinatus, Sacrilegium, Vsurarum crimen, Simon[i]æ crimen, Periurium, Iuramentum &c. Vide apud Guaz. D[ef]ens. 1. cap. 10. vbi refert Doctores: Sperellus rem hanc fusè tractat Decis. 3. Vbi quibus pænis Episcopus puniat laicum à se præuentum. Decis. 92. vbi quod punitus à Iudice ecclesiast[i]co, vel ab eodem absolutus, an possit a Iudice laico, & è contra; & D[ec]is. 134. vbi de eadem materià fusè agit. 46

CAPVT DECIMVN NONVM

De Exemptione Ecclesiasticorum à Gabellis.

SVMMARIVM.

1 *Gabella est onus impositum subditis à Principe non recognoscente Superiorem laicum.*
2 *Tria ad eius iustitiam requiruntur, auctoritas, iusta causa, & proportio distributionis ad vires singulorum.*
3 *Subditus hic dicitur non solum ratione domicilij sed etiam res*
4 *Obligatio est soluendi gabellas post Sententiam.*
5 *Non verò cum p[a]ctum est super libertate.*
6 *Vsualium rerum non soluitur.*
7 *Ecclesiastici à gabellis sunt exempti iuribus diuino, ecclesiastico, & ciuili.*
8 *Clerici omnes à Tonsurato ad Episcopum.*
9 *Excommunicati sunt onerantes illos, atq;*
10 *Cogentes illos alienare bona aquisita.*
11 *Item exigentes, immo & sponte dantes.*
12 *Item prohibentes ne laici cum illis contrahant.*
13 *In Bulla Cœnæ Domini.*
14 *Clerici coniugati sunt obligati soluere gabellas.*
15 *Saluatici quoq; immo.*
16 *Omnes ecclesiastici negotiatores de rebus negotiatis.*
17 *Quis dicatur negotiator.*
18 *Monitio trina est necessaria.*
19 *Lex vna aliam declarat, supplet, & modificat,*
20 *Negotiator perdit Priuilegium solùm quò ad negotiata.*

21 *Iuramento Clerici, vel eius famuli standum, cum altercatur.*
22 *In dubio recurrendum ad Iudicem ecclesiasticum, non ad secularem.*
23 *Feudatarius soluit gabellam.*
24 *Clerici minores tenentur si carent requisitis Concilij.*
25 *Tridentinum cap. 6 sess. 23. nomine Priuilegij fori includit etiam exemptionem ab oneribus, & gabellis.*
26 *Bona sunt accessoria personę eius proinde priuilegijs gaudens.*
27 *Onera realia transeunt ad Ecclesiam.*
28 *Ad expensas pro reparatione viarum pontium &c. non tenentur.*
29 *Ecclesiastici grauantur in spiritualibus pro populo, ergo exonerandi in temporalibus.*
30 *Incommodum recompensatur per aliud.*
31 *Episcopus cum Clero non potest consentire nisi accedat licentia Papæ.*
32 Cleri *nomine venit Capitulum.*
33 *Multitudo paris confusionem.*
34 *Non sufficit Capitulum, dicunt alij.*
35 *Contrarium tenetur.*
36 Clerus *.i. Congregatio plurium Clericorum.*
37 *Omnes tangens ab omnibus est approbandum, nisi adsit multitudo.*
38 *Clero renuente cogitur posito Papa consensu.*
39 *Papæ licentia expressa est necessaria in collectatione bonorum.*
40 *Collectantur, quando non sufficiunt facultates laicorum.*
41 *Si necessitas, vel vtilitas est communis laicis, & Clericis.*
42 *Si est periculum in mora sufficit consensus Episcopi*
43 *Adhuc requiritur.*
44 *Non collectantur in reparatione murorum, viarum &c.*
45 L. Placet 5. de Sacros. Eccles. *eximit ab omnibus.*
46 Auth. item nulla C. de Episcop. & Cler.
47 *Ad nulla ergo onera cogi possunt sine Papa.*
48 *Collecta recipiuntur per laicos iubente Episcopo.*
49 *Custodiunt, & vigilant pro ciuitate.*
50 *Milites hospitari non tenentur.*
51 *Guidagia, & pedagia pro mercibus non soluunt.*
52 *Vtique pro transitu personæ super nauem.*
53 *Religiosis aptantur dicta de Clericis.*
54 *Nouitiorum bona sunt exempta.*
55 *Pranouitiorum bona sunt exempta.*
56 *Nouitij Clerici ingrediuntur post annum 15. expletum, laici vigesimum.*
57 *Tertiarij, & oblati non collectantur viuentes cum claustralibus.*
58 *Neque Moniales cum suis Nouitiabus.*
59 *Coloni collectantur de fructibus [illegible] ratis.*
60 *Confraternitatum bona non collectantur, neque.*
61 *Hospitalium etiam non ecclesiasticorum.*

DE EXEMPTIONE ECCLESIASTICORVM A GABELLIS.

Gabella est onus auctoritate Principis non agnoscentis alium Superiorem supra se in temporalibus impositum rebus, vel venalibus, quæ vehuntur huc, vel illuc ad vendendum, & lucrandum, ex quo appellatur hæc gabella Vectigal *ex tit. de public. & Vectigal.* Vel Vsualibus, quæ [illegible] licet sunt ad vsum familiæ. Vel quouis alio modo impositum. Ad hoc autem, vt impositio similium onerum sit iusta, tria requiruntur. Auctoritas Primò Principis. Secundò, vt imponatur ex iusta causa, quæ consistit in necessitate imponentis, non in voluntate, & auaritia eius. Tertio, quod seruetur proportio, vt scilicet quantitas oneris distribuatur iuxta vires subditorum. Ita omnes *cum Suarez. de legib. lib. 5. cap. 16. Lessius lib. 2. cap. 33. dub. 1. cum alijs Bonac. de Contr. disp. 2. q. 9. p. 1. num. 2.* Imponitur autem subditis [illegible] tione domicilij, sed etiam [illegible] vehitur ad ciuitatem alterius Principis [illegible] gitur enim iuxta [illegible] consuetudine ab extraneis, qui dicuntur [illegible] [illegible] cium ve [illegible]. Commu[illegible] quòd subditi tene[illegible] bellam eam non defi[illegible] mèn [illegible] dem ratione [illegible] per Sententiam [illegible] similes leges sint purè p[illegible] quam quòd videntur [illegible] æquitas patitur [illegible] hæc posterior Sententia [illegible] est, immo [illegible] est, vbi subd[illegible] miserunt cum pacto ne grauar[illegible] autem tenetur soluere Ga[illegible] vsualibus pro sua familia, vt docet [illegible] tatis idem Bon. ic. n. num. 5. Sed [illegible] quæ non faciunt ad nostrum [illegible] accedamus ad quæstiones. 1 2 3 4 5 6

Quæres igitur primo, an Personæ [illegible] siasticæ gaudeant Priuilegio [illegible] à Gabellis, datijs, &c. imposit[illegible]

℞. Esse omnino exemptas iure [illegible] ecclesiastico, & ciuili, ita quòd e[illegible] bona tam ecc[illegible] quàm p[illegible] exempta sunt ab omnibus one[illegible] sitis à quibuscunq; Principibus secula[illegible] super eorum bona. Hæc omnia fuerunt probata cap. 2. & qui[illegible] 9. 62. & 69. de iure e[illegible] ibidem num. 17. de iure ciuili ibidem num. 19. de [illegible] Eccle- 7

Ecclesiarum ibidem num. 23. citatis Docto-
ribus num. 29. de patrimonialibus, num. 97.
Vide *Bonac. disp. 1. q. 19. p. 3. §. 2.*

Quæres 2. Quænam sint istæ personæ
ecclesiasticæ, quarum bona non possunt
onerari Gabellis.

℞. Sunt omnes Clerici à Primâ Tonsurâ
vsquè ad Episcopatum inclusiuè, exclusis
Clericis coniugatis, Saluaticis, & omnibus
Negotiatoribus quò ad bona negotiationi
exposita.

8 Primum de Clericis omnibus patet *ex
cap. Non minus* 4. renouato *in cap. Aduersus*
9 *7. de Immun. Eccles.* vbi excommunicati
sunt ipso iure laici collectas imponentes
Clericis, vel Ecclesijs, si post monitionem
non desistunt. *cap. 1. eod. in 6.* Seculares po-
testates ab Ecclesijs, vel ecclesiasticis Per-
sonis Tallias, vel exactiones pro rebus, vel
possessionibus aquisitis, vel aquirendis exi-
gere prohibentur, neque possessiones aqui-
sitas, vel aquirendas coarcture ad alienan-
10 dum, & *in cap. Clericis* 3. eod. in 6. Præci-
pitur Personis ecclesiasticis, ne pro rebus
suis, vel Ecclesiarum aliquid soluant sine
licentiâ Sedis Apostolicæ, sub quocunque
Colore mutui, subuentionis, doni, vel alio
quolibet modo. Et quod nec ipsi laici exi-
gant, vel recipiant, nec occupent quocun-
que modo deposita Ecclesiarum, vel Per-
sonarum ecclesiasticarum, & contrafacien-
11 tes sunt excommunicati, & Vniuersitates
interdictæ, à quibus solus Papa absoluit ex-
tra articulum mortis. Et *cap. eos qui* 5. *eod.
in 6.* Domini temporales prohibentes sub-
ditis ne cum Personis ecclesiasticis contra-
hant, vel communia obsequia exhibeant,
12 ipso facto excommunicationem incurrunt;
non fit mentio de reseruatione, & sic non
est reseruata eius absolutio. Clemens au-
tem V. *in sua Clem. de Immun. dictarũ c. Cle-
ricis* reuocat, in eo quòd dicebatur ibidem
quòd Clerici de consensu Prælati non pos-
sunt dare laicis, vbi etiam dicebatur, quòd
recipientes huiusmodi dona etiam gratis,
sunt excommunicati ipso facto. Vnde Be-
nedictus XI. relatus in Extrauag. Com. sub
eodem titulo dicit, quòd dictum cap. *Cleri-
cis* habet locum tantùm quò ad Tallias à
Clericis exigentes, & dantes illis auxilium,
& non quò ad soluentes, esset enim nimis
durum, quòd coacti soluere, incurrerent ip-
si Clerici etiam Censuram, eò magis ab-
surdum esset, si eius essent rei, dantes gra-
tis, vel titulo eleæmosynæ.

13 Sed nunc attendenda est Bulla Cœnæ
Domini in 18. Excom: vbi excommuni-
cantur quinque genera personarum *Primò*
imponentes onera Personis ecclesiasticis,
vel bonis earum Personarum, aut Eccle-
siarum, Monasteriorum, & aliorum Bene-
ficiorum sine speciali, & expressâ licentiâ
Papæ. *Secundò*, exigentes prædicta per se,
vel per alium directè, vel indirectè. *Tertiò*,
accipientes prædicta etiam à sponte danti-
bus. *Quartò*, procurantes prædicta. *Quintò*,
demum, Auxilium, Consilium, vel fauo-
rem dantes in prædictis; & hi solùm secun-
dariò excommunicantur; impositio quoq;
& exactio debet esse auctoritatiuè. Vide su-
per hac excommunicatione Bonac. disp. 1.
in Bulla q. 19.

Secundum, quòd Clerici coniugati etiam 14
cum vnicâ, & virgine non gaudeant hoc
Priuilegio exemptionis Gabellarum, pro-
baui cap. 7. q. 3. num. 7. Ita *Couar. q. 31.
num. 9. Grassus Effectu* 3. *num. 4. Suar. lib.
4. de immun. cap.* 28. *Bonac. disp. 1. in Bulla
q. 19. p. 3. §. 3. num.* 3. De Bigamis nulla
difficultas cum sint nudati omnibus Priuile-
gijs ex probatis cap. 8. q. 30. num. 51. lo-
quendo de Clericis minoribus transeunti-
bus ad Matrimonium cum corruptâ, vel bis
contrahendo, nam laici Bigami post mor-
tem vxoris promoti gaudent omnibus Priui-
legijs, etiam bonorum suorum exemptione
ibidem q. 26.

Tertium de Clericis saluaticis quòd non 15
gaudeant hoc Priuilegio pro suis bonis pa-
tet cap. 16. num. 16.

Quartum, quòd Clerici negotiatores de 16
bonis negotiatis non gaudeant eodem Pri-
uilegio à gabellis, probaui *cap. 3. num. 103.
& 104. cap. 9. num. 32. Bonac. q. 19. p. 3. §.
3. num. 5.*

Quæres 3. Quandonam Clericus dicatur
negotiator ad effectum, vt teneatur soluere
Gabellam?

℞. Clericus dicitur negotiator, qui ali- 17
quid emit, vel contractu oneroso aquirit,
vt ex illius venditione lucrum aquirat non
ordinatum ad sustentationem suæ familiæ,
quam alere potest sine tali lucro. Ita alijs
citatis Bonac. cit. num. 6. requirentibus
etiam vt res empta, & non mutata eadem
vendatur cum lucro, nam si creuit ex indu-
stria domini, non dicitur negotiari eam po-
stea vendendo. Ita plerique ex eodem Bo-
nac. Vers. Addunt. Negotiatio ergo consi-
stit in lucro, non in aquisitione pro alendâ
familiâ. Negotiari autem non dicitur ven-
dens fructus perceptos ex bonis ecclesiasti-
cis, vel patrimonialibus suis, *de communi
idem ibidem num. 6. Vers. Tertiò.*

Quæres 4. An vt Clericus negotiator te-
neatur soluere gabellam requiratur trina
monitio, vt desistat à negotiatione, aliter
non desistens statim incurrat obligationem
soluendi?

℞. Positâ trinâ monitione, si non desis- 18
tat à negotiatione subijcitur oneribus, & ga-
bellis pro rebus negotiatis. Ita *expressè cap.
fin. de Vita, & hon. Cler. Rodriq. in Summa
cap. 73. num. 11. cum alijs Bonac. p. 3. §. 3.*

num.8. Vers. Secunda, ibidem Barbosa num.
4.Castropal. p. 9. num. 15. Intellige nego-
tiatis post monitionem, quia amisit tunc
Priuilegium quò ad hoc.

Contrarium, quòd teneatur soluere Ga-
bellam etiam ante monitionem, probant
multi apud dictum Bonac.& Grassum Effe-
ctu 3. num 184. quia in cap. Quamquam 4.
de censib. Clerici negotiatores simpliciter
subijciuntur sine expressione monitionis.

Sed sufficienter exprimitur in citato cap.
19 finali, de Vitâ, & hon, vna lex enim decla-
rat aliam, siue prior sit, siue posterior, l. *Non
est nouum 26. l. Sed & posteriores 28. de iudic.*
Vna enim trahitur ad aliam tribus modis,
vt determinetur, suppleatur, vel corrigatur,
vt dicit Gloss. super dictum leg. 26. cap. ergo
Quamquam declaratur, & suppletur per cap.
fin. de vita & hon.

Quæres 5. An clericus post trinam mo-
nitionem non desistens à negotiatione per-
dat simpliciter Priuilegium exemptionis
quò ad omnia bona, etiam non subiecta
negotiationi? Ratio dubitandi est, quia in
textu dicti cap.fin.dicitur, quòd Clericus
post trinam monitionem perdit Priuilegium
clericale; ergo respectu omnium bonorum.

20 ℞. Perdere solùm respectu rerum nego-
tiatarum, & pro eo tantùm tempore quo
negotiatur ex illis verbis *Dum his se impli-
cant.* Et ita docent *Alterius, & Bonac. cit. n. 9.*
Contra nonnullos, quos pro se citat *Grassus
Eff. 3. num. 177.* nullo suffultos fundamen-
to, sed contra citatum cap. fin. & cap. Quam-
quam, vbi distinguit bona negotiata, à non
negotiatis.

Quæres 6. Quid agendum, quòd Cle-
ricus, & exactores altercantur, inter se su-
per fine, propter quem res deferuntur, an
scilicet sint subiectæ Gabellæ, nec ne?

21 ℞. Standum est iuramento Clerici, vel
alterius res conducentis nomine eius, vt do-
cent *Quaranta v. Vectigal. Vers. Et quia, alijs
citatis Grassus Eff. 3. n. 185. & 258. cum eis Bo-
nac. disp. 1. q. 19. par. 3. §. 3. n. 10.* Quòd si
opus si Iudice, recurrendum est ad Ecclesia-
22 sticum, tum quia Clericus non potest con-
ueniri coram Laico, cum non sit eius com-
petens Iudex. Tum quia exactor est actor in
causa, ergo debet conuenire Clericum co-
ram suo Superiore ecclesiastico, Actor enim
sequitur forum Rei. Tum quia causa spe-
cificatur à Priuilegio clericali, super quo
laicus non potest iudicare. Ita *Ruland. cons.
71. Grassus Effectu 1. num. 1268. cum alijs
Bonac. num. 11. Dal Bene cap. 5. dub. 4.*

Quæres 7. An Clericus feudatarius do-
mini secularis, teneatur ad oneraratione
Feudi?

23 ℞. Teneri, quia sicut subiectus est in alijs
causis ciuilibus ex probatis *cap. 2. num. 50.
cap. 14. 33. cap. 16. num. 17. ad 21.* ita est in
tributis. Ita *Marta part. 4. casu 10. num. 13.
Duardus in Bulla q. 10. Reginaldus lib 9.
num. 380. Graßus Eff. 3. num. 279. Bonac. q.
19. p. 3. §. 3. num. 4.*

Quæres 8. An Clericus in minoribus de-
beat habere requisita Tridentini, de quibus
dixi cap. 5. & seq. vt gaudeat Priuilegiò
exemptionis à gabellis?

℞. Affirmatiuè, Probatur. Tum quia 24
sub illis verbis *Priuilegio fori* non solùm ve-
niunt exemptiones personæ quò ad causas
criminales, & ciuiles, sed etiam quò ad 25
causam exactionis, sine enim actione fori
ea fieri non possunt, sunt enim idem, esse de
foro alterius, & ei subijci; Clerici autem
in minoribus carentes illis requisitis non
habentur in prædictis vt Clerici, sed repu-
tantur, & tractantur vt laici, ergo non gau-
dent Priuilegio exemptionis à gabellis, si
carent requisitis. Tum quia sequitur faci-
lius perdi Priuilegium personale, quam re-
ale bonorum, quia ad hoc perdendum re-
quiritur trina monitio, & præterea quòd sic
monitus non desistat à negotiatione, ex pro-
batis q. 4. ad illud verò perdendum sufficit
defectus vnius ex requisitis declaratus, quod
est absurdum, cum debeat præponderare
Priuilegium Personæ exemptioni bonorum
cum bona sint affectu Priuilegio propter
Personam, ac proinde Priuilegium perso-
nale debet esse difficilius in sua amissione,
quam Priuilegium bonorum. Tum quia se-
quitur Tridentinum magis fauisse Iudicibus
contra personas Clericorum, quam ad dam-
num, quod possunt pati laici, dum enim
aliqui ex laicis fiunt Clerici eximentes sua
bona ab oneribus, & Gabellis, partiuntur
onera super aliorum laicorum bona, neq;
enim Princeps vult, quòd tributa illi debita
diminuantur. Quare benè ex hoc infertur,
Tridentinum ad vtrumq; ex æquo aspexisse,
consequenter sub nomine *Priuilegij* fori
comprehendi etiam exemptionem bono-
rum, ac proinde Clericos minores non gau-
dere exemptione bonorum, si carent altero
ex requisitis. Et ita docent *Suarez lib 4. cap.
27. num. 14. Layman. lib. 4. tract 9. cap. num.
3. Castropal. p. 9. num. 13. Barb. ad. cap. Ad-
uersus 7. de Immun. num. 7. Dal Bene cap. 1.
dub. 5. sect. 4.* multis alijs citatis.

Contrarium docent Lessius, Molina, Co-
mitolus cum alijs citatis à Barbosa, & Dal
Bene, quos sequitur *Bonac. disp. 1 in Bulla
q. 19 p. 3. §. 3. num. 3.* Probant, quia Immu-
nitas à tributis, & Gabellis non depen-
det à Priuilegio fori neq; hoc extenditur ad
Priuilegium exemptionis bonorum, ex di-
uersis enim non fit illatio.

Respondetur, rationem fori comprehen-
dere vtrumq; tam personam, quàm bona
ipsorum priuilegiatorum, forus enim re- 26
spicit vtrumq; non enim de bonis disponitur,

nisi

nisi in ordine ad Personas, quibus sunt accessoria, & earum Priuilegijs gaudent, cap. Quamquam 4. de censib. in 6. ibi: *Cum igitur Ecclesia, ecclesiasticaque Personæ, ac res ipsarum exactionibus sint immunes.* Ergo cum hæc Priuilegia sint connexa, Tridentinum illa non diuisit, consequenter veniunt sub nomine Priuilegij fori.

Quæres 9. An Ecclesiastici teneantur ad onera realia, quæ dicuntur affixa fundis transeuntibus ad Ecclesiam, vel earum Personas ecclesiasticas?

27 ℞. Affirmatiuè ex probatis cap. 2. num. 110. Contra Castropal. p. 9. ibi, *Non licere quibuscunque iurisdictionem temporalem exercentibus exactiones quascunque Ecclesijs imponere, vel exigere.* Secundò, quia tributum impositum ex Iurisdictione regià subditis Regis tantùm imponitur; Ecclesiæ autem, & Clerici non subduntur Regi, *ex cap. Qualiter, de iudic. cap. 2. de foro compet.* Tertiò, quia res Ecclesiarum, & Clericorum sunt de Patrimonio Christi sub dominio Dei, ergo tributis prophanari non possunt. Vide *Dal Bene cap. 5. dub. 6.* pro nobis; late *Sperell. decis. 35.*

℞. Argumenta hæc solùm probant, potestatem laicam non posse tributare res, postquam peruenerunt sub dominium Ecclesiarum, vel Ecclesiasticorum, non verò ante, dum sunt ipsorum laicorum, qui sunt subditi Principis. Concedunt verò transire cum onere, si apponatur à persona quæ sit dominus proprietarius fundi, non verò, si apponatur regià potestate, ob adductas rationes, quæ certè non faciunt ad hoc.

Quæres 10. An Clerici teneantur soluere expensas pro reparatione pontium, viarum, murorum vrbis, &c. quæ spectant ad communem omnium vtilitatē? Iterum infra q. 12.

28 ℞. Negatiuè, quia incumbentia distributionis impensarum spectat ad seculares ministros, sed hi nullam habent potestatem circa bona Ecclesiasticorum, nec eorum Personas, ergo non possunt cogere illos ad huiusmodi onera. Nec vrget, quòd reparatio pertinet ad communem vtilitatem, quia Clerici non debent esse deterioris conditionis militibus, & magistratibus, qui ab huiusmodi oneribus sunt exempti, ergo, & Clerici, & eo magis, quia in spiritualibus laborant pro ipsis secularibus, er-
29 go debent de iure esse immunes ab his, dum sunt in spiritualibus grauati. Est sententia communis fundata in cap. Non minus de immun. ibi: *Ad reparandas communes vtilitates, vel necessitates, vbi laicorum non suppetunt facultates*, vbi quòd non possunt grauari, nisi de licentià speciali Papæ, quod idem dicitur in seq. cap. Aduersus, eod. Et ita docent *Gutier. lib. 1. q. 4. num. 6. Barb. Alleg. 13. num. 6. cum alijs Castropal. p. 9. num. 4. Grassus Eff. 3. num. 230. Bonac. q. 19. p. 3. §. 3. num. 15. Dal Bene cap. 5. dub. 17. num. 5.*

Contraria opinio apud præcitatos non 30
caret sua probabilitate ex illo communi axiomate, quòd qui sentit commodum, debet quoque sentire incommodum; sed quia ea opinio magis nititur legibus ciuilibus, quæ nihil valent contra Clericos, & dictum axioma locum habet vbi nulla respondet recompensatio ex parte exemptorum, sed hic respondet ex recompensationibus spiritualibus, iuxta illud Pauli I. Corinth. 9. 11. *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* ideo expedit eam relinquere, & sequi prædictam, cùm sit fundata in auctoritate illorum duorum textuum *cap. Non minus, & cap. Aduersus, de Immun.*

Quæres 11. An Episcopo consentiente possit Princeps imponere onera ob publicam necessitatem, vel vtilitatem?

℞. Non potest, sed præter consensum 31
Episcopi, & Cleri idest sui Capituli, requiritur vlterius præter specialem, & expressam licentiam Romani Pontificis, quòd non sufficiant facultates laicorum, & quòd necessitas, vel vtilitas sit communis laicis, & Clericis, in casu autem, quòd sit periculum in mora, & tam citò non possit adiri Papa pro licentià, sufficit tunc consensus Episcopi, & Cleri, vt tenent fere omnes.

Prima pars, quòd non sufficiat solus Episcopi, & Cleri consensus, patet ex eo, quòd licet ex cap. Non minus 4. de immun. Episcopus & Clerus cognità necessitate, & vbi laicorum facultates non sufficiunt possint subsidium præstare Principi; tamen in seq. cap. Aduersus 7. requiritur etiam consensus Pontificis, & in Bulla Cœnæ specialis, & expressa eius licentià, ergo non sufficit consensus Episcopi, & Cleri. Et in hoc omnes conueniunt, cum allati textus, & Bulla Cœnæ Domini sint clari.

Secunda pars, quòd nomine *Cleri* ve- 32
niat solum Capitulum Catedralis probatur, quia nomine *Cleri*, de quo in cap. *Non minus* venit ipsum Capitulum, vt dicit *Glos. v. eodem cap. Cum Apostolica 7. de ijs, quæ fiunt à Prælat.* Et in nostris terminis idem docet *Suarez lib. 4. de immun. cap. 26. num. 16. ex eo Castropal. num 8.* quia ex conuocatione totius Cleri oriretur magna confusio, & quod esset dandum in subsidium expenderetur à Clericis diæcesanis eundo ad vrbem, ibi hospitando, & domum redeundo, idcirco parcendo expensis sufficit
conuocatio Capituli, multitudo enim parit 33
confusionem, & contentionem *cap. Hadrianus 2. dist. 63.* & secundum D. Chrysostomum supra Ioannem initio. Monilianus cap. 14. de Concil. Æcumen.

Con-

34 Contrarium, quod consensus Capituli
non sufficiat, sed requirantur alij Clerici
saltem præcipui, & Principaliores, nempe
Vicarij forancei, vel Archipresbiteri, tenent
plerique, quia quod omnes tangit ab om-
nibus approbari debet 29. de Reg. in 6. ma-
ximè vbi agitur de præiuditio singulorum
prout singulariter spectantur, & pro hac opi-
nione *Dal-Bene cap. 5. dub.* 19. citat *decis.
Pegna apud Farinac. in Posthum. tom. 2.
decis. 42. num. 7.* vbi dicitur, non sufficere
consensum Capituli cum Episcopo; sed re-
quiri consensum totius Cleri, & in ea deci-
sione, quam extendit etiam Tambur. *tom.
3. decis.* 103. *num.* 5. *Pegna* suum dictum
probat *ex dicta Reg. 29. & cap. Aduersus,
cum Abbate in cap. Non minus num. 4. & 5.*
Itaque Pegna requirit consensum totius
Cleri, alij petunt non solùm consensum
Capituli, sed etiam aliorum Clericorum
tum ciuitatis, tum diœcesis saltem Porancorum;
*Bonac. p. 3. §. 3. num. 16. Vers. Ego
autem*, nomine Cleri intelligit Synodum
diœcesanam, vel saltem in consensum præci-
puorum ex tota diœcesi.

35 Sed hæc non vrgent, in primis, quia con-
sensus totius Cleri est impossibilis, dum
enim vnus refugit onus, alter illud sequitur,
maxime in multitudine, in qua confusio so-
let contingere, vt dixi supra. Tum quia
verba cap. Aduersus *Episcopus simul cum
Clericis* idem importat ac cap. Non mi-
nus hæc verba: *Episcopus, & Clerus*; hæc
36 enim vox *Clerus* dicit Congregationem,
& vnionem plurium Clericorum, *ex ci-
tata Glos. v. eod. cap. 7. de ijs quæ fiunt
à Prælat. & Glos. v. in Clerum cap. 16. de
sent. excom. in 6.* vbi Glos. sic dicit: *Inter-
dicto Clero alicuius Ecclesiæ, non propter
hoc intelligitur Ecclesia interdicta.* Tum
quia illa Reg. quod omnes tangit, ab om-
nibus approbari debet, nisi dubitetur de
resistentia maioris partis, de cuius præiudi-
cio agitur, ex quo enim consensus tunc est
37 impossibilis, frustra petitur ab omnibus,
quod non potest impetrari, nec iura præs-
cribunt fieri ea, quæ sunt impossibilia, Reg.
145. ff. de regul. iuris, Reg. 6. in 6. Tum quia
Abbas citatus à Pegna non vtitur termino
vniuersali *Totius Cleri*, sed tantum dicit,
quod non sufficit Episcopum habere consen-
sum Capituli, sed oportet vt interueniat cō-
sensus Cleri, requirit ergo aliquorū aliorum
consensū, præter Capituli consensū dum nō
sufficit consensus Capituli, non ideo tamen
omnium Clericorum, immo neque maio-
ris partis, ex qua posset oriri confusio. Ab-
batem sequitur Fagnanus num. 24. qui an-
tecedenti numero dixerat, requiri consen-
sum vtriusque, Episcopi scilicet, & Cleri,
copula enim requirit concursum copulato-
rum, & in hoc nullus contradicit.

Quid agendum, quando Clerus non vult 38
consentire; Tunc Episcopus potest eos co-
gere ad solutionem. Ita *Menoch. lib. 7. con-
sil. 800. n. 15. Nata consil. 311. num. 4. Surd.
cons. 311. num. 67. Grassus Eff. 3. num. 241.
Bonac. p. 3. §. 3. num. 16. Vers. Ex quo.* In-
tellige posita Papæ licentia, vnde debet ex-
pectare decretum Pontificium, & postea
cogere.

Tertia pars, quòd necessaria sit licentia 39
expressa Papæ; *patet ex cap. Aduersus 7. de
immun. Eccles. & in Bulla Cœnæ Domini.*
Nullus contradicit, quia Lex clarè loquitur.

Quarta pars, quòd quando sufficiunt fa- 40
cultates laicorum, non sint grauandi Cleri-
ci, patet ex verbis claris in vtroque capite,
ibi; *Vbi non suppetunt laicorum facultates.*

Quinta pars, quòd necessitas, seu vtili- 41
tas sit communis Clericis, & laicis, expres-
sè, & clarè dicitur in vtroque textu illis ver-
bis: *Ad releuandas communes vtilitates, vel
necessitates*; Est communis *Grassus Effectu
3. num. 243. Fagnan. in cap. Non minus 2.
num. 26. Bonac. p. 3. §. 3. num. 16. Vers.
Secunda.*

Sexta pars, quòd si est periculum in mora 42
petendi consensum à Papa; tunc sufficiat
consensus expressus Episcopi, & Cleri, pro-
batur, quia in tali casu præsumitur talis es-
se voluntas Papæ, qualis de iure debet esse.
Ita docent omnes *cum Dal Bene cap. 5. dub.
18. num. 15. Bonac. p. 3. §. 3. num. 16. Vers.
Hoc tamen. Grassus num* 232. Cum autem ta-
lis consensus sit solum interpretatiuus, &
non licentia expressa, qualis exigitur in
Bulla Cœnæ Domini, ideo data responsio 43
non videtur subsistere, vbi enim requiritur
licentia expressa non sufficit tacita neque
interpretatiua, *Rota apud Megol. par. 3. lib.
3. cap. 11. num. 10. Naldus v. Licentia* vrget
quoque *cap. Aduersus 7. de immun.* vbi quòd
consulendus est Pontifex Romanus, non
sufficit consensus interpretatiuus, qui nul-
lum sibi mouet consilium.

Quæres 12. An collectari possint Eccle-
siastici dum agitur de refectione murorum
ciuitatis, viarum, pontium, fontium, &
similium, quæ sunt vtilia, commoda, & ne-
cessaria non solùm laicis, sed etiam Eccle-
siasticis?

℞. Negatiuè, nisi accedat licentia spe- 44
cialis Papæ, ad formam cap. Aduersus 7. de
immun. cum loquatur generaliter de omni-
bus necessitatibus, vel vtilitatibus Clericis,
& laicis communibus, accedente quoque
prohibitione Bullæ Cœnæ, quæ, & ipsa
generaliter loquitur sine vlla exceptione:
immo legibus ciuilibus *l. Placet. 5. de Sacros.
Eccles.* statuitur vt à necessitatibus singula-
rum vrbium Ecclesiæ immunes habeantur, 45
ne prædia vsibus cælestium secretorum de-
dicata sordidorum munerum fece vexentur.

Et

Et quia quis dicere posset hunc textum loqui de bonis ipsarum Ecclesiarum tantum, & non de patrimonialibus, ideo Federicus
46 Imperator relatus post l. 2. C. de Episcop. & Cle. Statuit in hæc verba: *Item nulla Communitas, vel Persona publica, vel priuata collectas, vel exactiones, angarias, vel perangarias Ecclesijs, vel alijs pijs locis, aut ecclesiasticis personis imponere, &c.* Hoc responsum mihi s probat *Fagnan. tom. 5. super hoc cap. Non minus de immun. à num. 45.* respondens rationibus contrariæ opinionis, quæ & ipsa communis est, pro qua quamplures refert Doctores *Grassus Eff. 3. num.* 200. inter quos *Osasch. dec. 68. num. 4. ab eo relatus num.* 203. dicit, quod iure diuino naturali, canonico, & ciuili tenentur Clerici ad dicta onera pro refectione viarum, pontium, murorum, aquæductus fontis, portus, vel fossati, vel pro custodia ciuitatis, qui tamen Grassus num. 227. requirit plures conditiones, vt Ecclesiastici possint collectari, & in specie, quòd adsit licentia Papæ; sub num. 229. alios citaui q. 10.

47 Infertur ex his, ecclesiasticas Personas non esse cogendas ad quæcumque onera super prædictis, data quacunq; necessitate, etiam vrgentissima, & communi Clericis, & laicis, posito etiam consensu Episcopi, & Cleri, nisi post hæc accedat consensus Summi Pontificis, vt respondit S. Congr. vt refert idem *Fagn. in fine cap. Non minus, de immunit.* Vide decis. Pæniæ & Merlini apud Tambur. *dec.* 103. 104. *&* 105. & quæ dixi resol. 107. *q. 5. à num.* 14. *& decis. 72. part. 1. Recent.*

Quæres 13 Per quorumnam manus, & qua potestate colligantur Gabellæ à Clericis in casu, quo adsit licentia Papæ onerandi Personas ecclesiasticas?

48 ℞. Per manus laicorum deputatorum à ministris Principis non eius auctoritate, sed Episcopi annuente Papa, ita quòd in exactione laici habent solam facti actionem, vnde, & in casu renitentiæ cogendi sunt auctoritate Episcopi, vt dixit Rota *coram Pegna apud Tambur. decis.* 103. *num.* 7. quam cum alijs citaui *dicta resol.* 107. *alias contrauersia moralis 7. num. 29.*

Quæres 14. An Ecclesiastici teneantur ad vigilias, & custodiam Ciuitatis tempore belli.

49 ℞. Affirmatiuè, vt exprimitur in cap. Peruenit 2. de immun. Et si nolint, solus Episcopus eos cogit tam Regulares, quam seculares *Gutier. lib. 3. Pract. q. 3. num. 5. cum alijs Barb. hic num.* 2. Non tamen necessarius est Papæ consensus, qui tantum quò ad collectas consulitur ex *cap. Aduersus sed de immun.* Nonnulli tamen diuersimodè loquuntur, quorum placita refert hic Fagnanus, qui *num. 12. vers. Alij demum* dicit, loqui de omnibus Clericis respectu cuiuslibet periculi, & incursionis, siue hostium, siue infidelium, siue in statu ecclesiastico, siue extra, dummodo laici non sufficiant ad custodiam murorum.

Quæres 15 An Ecclesiastici in suis locis teneantur hospitari milites?

℞. Negatiuè expressè l. 1. C. de Episcop. 50
& cler. Pius V. in sua Bulla 11. incip. *Dum ad vberes* Prohibet ne quis cogat Religiosos vtriusq; sexus siue Mendicantium, siue non Mendicantium recipere milites neq; etiam cogere possunt eorum mancipia, & colonos ac rusticos ad illos hospitandum in suis locis, & domibus. Doctores in hac l. citat Barbosa, addens hoc Priuilegio gaudere etiam patrem, & fratres Clerici, vt non teneantur recipere milites, vbi ipse Clericus manet cum suis consanguineis laicis.

Quæres 16 An ab Ecclesiasticis licitè petantur guidagia, & pedagia? De his cap. Innouamus 10. de censib. quæ à solis Principibus imponuntur vt ibi dicitur, cap. Super 26. de Verbor. signific. quæ possunt habere originem etiam ab immemorabili consuetudine. Sunt autem illa, pro quibus soluitur aliquid ab itinerantibus, dum ingrediuntur in aliquem locum, vel aquas peruadunt super portu, seu nauem cum suis rebus.

℞. De iure Personæ ecclesiasticæ non 51
possunt cogi soluere guidagia, & pedagia pro rebus suis negotiationi non expositis, aliter ab eis exigentes sunt excommunicati, & Vniuersitas interdicta, à quibus non sunt absoluendi, nisi prius restituant. *c. Quamquam 4. de Censib. in 6.* Vnde Clem. V. in Clem. fin. de censib. iussit Episcopis, vt hos excommunicatos, & interdictos nuntient, & publicent, donec exactè restituerint. Et cum ibi adsit verbum *iubemus* Episcopi requisiti tenentur sub mortali exactores declarare incurrisse eas censuras, vt insinuat ibidem *Glos. v. Iubemus, Zabarella num. 1. Imola num. 2. Sperell. dec.* 103. *num.* 50.

Quæres 17 An nautæ pro transitu fluminis licitè petant aliquid ab Ecclesiasticis sine incursu excommunicationis?

℞. Affirmatiuè; quia operi cuiuslibet 52
propria debetur merces, *Deuter 24. 14. lib. 2. Paralip. cap.* 15. 7. omnis enim labor optat præmium, datur ergo stipendium sui laboris, non iure pedagij, aut gabellæ. Ita *Suar. disp. 23. de cens. sect. 4. num. 21. Duard. q. 15. num. 2. cum alijs Bonac. q. 19. p. 1. num. 9.*

Quæres 18 An hactenus dicta de Clericis, seu Personis ecclesiasticis locum habeant in fauorem Religiosorum tam claustralium, quam militarium?

℞. Affirmatiuè, non solùm quia in fauo- 53
rabilibus veniunt sub nomine Clericorum,

& Per-

& Personarum ecclesiasticarum, *ex probatis sub cap. 1.* sed etiam, quia Sacri Canones de ipsis etiam nominatim verba faciunt, vt videri potest *cap. Clericis 3. de immun. in 6.* Eò magis, cum eorum bona non sint illorum patrimonialia, sed illorum Ecclesiæ sint, dominæ, & proprietariæ cum Monasterijs, quorum solum administrationem habent, certum enim est ex hactenus dictis bona Ecclesiarum non posse collectari. Ita *Castropal p. 9. num. 17. Barb. ad cap. Aduersus 7. de immun. num. 7. & seq. Dal Bene cap. 1. dub. 9.* Et cæteri omnes. De Militaribus *Dal Bene dub. 11.*

Quæres 19 An bona Nouitiorum sint exempta à Gabellis, collectis, & pedagijs cum suis personis?

54 ℞. Affirmatiuè, quia gaudent Priuilegijs Professorum tam quò ad personam, quam quò ad propria bona, sunt enim & ipsi personæ ecclesiasticæ, ex probatis cap. 1. ergo à prædictis exemptisunt. Ita docent *Castropal. p. 9. num. 17. Diana par. 1. tract. 2. resol. 49. fine & par. 3. tract. 2. resol. 30. Vers. Quartò, Sperell. dec. 2. num. 130. Vers. Contrarium Bertachin. de Gabellis p. 7. num. 56. Sanch. lib. 6. cap. 10. num. 16. ex eodem Sperello dec. 15. num. 29.*

Quid dicendum de Prænouitijs, cuiusmodi sunt recepti, qui antequam induant habitum probationis, manent in Claustris ad præambulam experientiam per aliquot dies Numquid gaudent eo tempore Priuilegio Ordinis, præcipuè exemptione à Gabellis?

55 Affirmat *Diana par. 6. tract. 8. resol. 7. prope finem*, quem sequitur *Dal Bene cap. 1. dub. 9. num. 5. Ego decis. 192.* gaudere dixi Priuilegijs, licet non specificauerim hoc exemptionis à gabellis; nihilominus, licet propriè non sit Nouitius, tamen non potest negari habitare cum Religiosis claustralibus ac si esset Tertiarius, seu oblatus, qui secundum Bullam incip. *Dum intra* Leonis X. gaudere debet omnibus Priuilegijs Regularium, iuxta quod dixi *cap. 1. num. 29. cap. 4. num. 31. ad 45. cap. 16. num. 36.* Contra Pasqual. decis. 424. loquentem de suis Hospitibus antequam recipiant habitum probationis, negantem illos gaudere Priuilegio Canonis, quia sunt laici, & nondum dedicati Deo; sed reuerà sunt Personæ ecclesiasticæ, cum mutauerint habitum, & mores, ex probatis cap. 1. q. 11. ac proinde dicuntur Deo dicati, sicut ille, qui proximè accingendus habetur pro accincto.

56 Nec his obstat Decretum S. Congreg. de Reformat. sub Alex. VII. de Nouitijs recipiendis dicitur, quòd petentes ingressum examinentur quò ad vocationem, valetudinem, natalia, & ætatem, quæ in Clerico decimumquintum annum, & in Conuerso vigesimum annum excedat, ideoq; priusquam habitu induantur, & recipiantur ad Ordinem maneant seculari habitu in probatione per paucos dies &c. Quia loquitur de his, qui in figurâ probarionis adhuc sunt cum habitu seculari, non cum regulari, sine probatione, si enim hos admittit cum habitu seculari, à fortiori cum habitu regulari, licet sine probatione, adeo quòd voluit id potiùs approbare, quam reprobare, dùm concedit, vt experiantur etiam cum habitu seculari.

Quæres 20. An Tertiarij, & alij Oblati cum claustralibus manentes gaudeant Priuilegio exemptionis à Gabellis?

℞. Affirmatiuè, tum quia sunt Personæ Ecclesiasticæ *ex cap. 1. num. 29.* Tum quia gaudent Priuilegijs Regularium, cum quibus viuunt, ex Bulla Leonis X. incip. *Dum intra*, cap. 4. num. 42. Tum quia gaudent Priuilegijs Clericorum, ibidem 31. ad 45. Ergo gaudent exemptione Gabellarum. Ita docent *Gutier. de Gabellis q. 95. num. 5. Lasart. de decim. vend. cap. 19. num. 90. Gironda de Gabellis p. 7. num. 40. Riccius par. 2. decis. 88. Castil. dec. 88. num. 2. par. 1. ex eis Nouarius de elect. fori sect. 2. q. 66. num. 5. Grassus Effectu 3. num. 47. Dal Bene cap. 1. dub. 10.* Alij verò Tertiarij in proprijs domibus habitantes non sunt exempti à Gabellis, vt distinguunt prædicati Doctores, qui scripserunt post Leonem X. exceptis mulieribus votum habentibus, quæ sunt exemptæ sicut Tertiarij viuentes cum Claustralibus, ex eadem Bulla Leonis, vt docet alijs citatis Diana par. 4. tract. 1. resol. 31 Vers. Notandum. Ego cit. cap. 4. num. 36. 57

Quæres 21. An Moniales sint cum suis Nouitiabus exemptæ à Gabellis?

℞. Affirmatiuè, & quia sunt personæ ecclesiasticæ, & quia gaudent Priuilegijs Clericorum, & virorum professorum, cap. 1. num. 27. cap. 4. num. 29. Ita *Tambur. tom. 1. disp. 15. q. 21. & de Abbatissis disp. 17. q. 5.* Hinc exemptionem illis, & Religiosis Mendicantibus, & non Mendicantibus per vniuersum orbem Pius V. confirmauit per suam Bullam XI. in Bullar. incip. *Dum ad vberes*, Secundâ apud Confessionum, & Eremitanis in eorum Marmagno apud Lezanam num. 106. Et de hac re non est dubitandum, quia non ipsæ Moniales, sed eorum Monasterium est dominus sine dubio exemptus. 58

Quæres 22. An coloni, & partiarij bonorum ecclesiasticorum teneantur ad onera, quibus subijciuntur coloni laicorum?

℞. Negatiuè, quando onus impositum ex sumptu, & labore ipsius coloni, cum enim tunc redundet in præiudicium Ecclesiasticorum, dicuntur grauati indirectè Clerici, quod prohibetur in Bulla Cœnæ Domini, 59

mini, maximè quando collectantur habito respectu ad bubulcas Prædiorum ecclesiasticorum. Quod si collectentur eorum fructus iam diuisi à fructibus Clericorum, & separati à solo, id facere licet ministris laicis, quia in tali casu nihil tangunt directè, nec indirectè de Clericis. Et ex his probatur negatiua primæ partis, & affirmatiua posterioris, nam in priori parte negatur impositio gabellæ, quia colonus non est dominus, sicuti est respectu posterioris, & ideo potest collectari, collectatio enim respicit dominium rei collectandæ. Et ita conciliantur oppositæ opiniones, quæ sibi inuicem videntur contrariatæ. Vide Sperellum decis. 41. rem fusè tractantem.

Quæres 23. An bona Confraternitatum possint subijci Gabellijs?

60 ℞. Negatiuè; Tum quia locus pius est exemptus *ex l.* 2. C. *de Episcop. & Cler.* cuius verba retuli hic sub q. 12. sed Confraternitas erecta auctoritate Episcopi est locus pius, *ex probatis cap* 3. *num.* 33. Tum quia veniunt nomine Ecclesiæ, quæ sine dubio gaudet exemptione à Gabellis, cap. 3. num. 35. Ita Lezana *tom.* 2. *cap.* 15. *de Confratribus, num.* 5. *ex Molina tom.* 3. *disp.* 671. *Barbosa Alleg.* 75. *num.* 35. qui extendit hoc Priuilegium ad quemcunq; locum pium ex vi dictæ Auth. *Item nulla*; esto non sit locus pius approbatus auctoritate Episcopi.

Quæres 24. An bona Hospitalium subijciantur collectis; & Gabellis?

61 ℞. Negatiuè, ob rationes adductas in præcedenti quæstione. Hospitale enim est locus pius cap. 3. num. 34. & venit nomine Ecclesiæ, num. 35. & cuius Priuilegijs gaudet, *l. omnia priuilegia* 33. *C. de Episc. & Cler. apud Sperell. decis.* 51. *num.* 19. *Nouar. sect.* 2. *de elect. fori* 9. *q.* 54. *num.* 3. *Dal Bene cap* 16. *dub.* 9. *sect.* 10. *num.* 3. Qui licet dicant solum Hospitale auctoritate Episcopi erectum gaudere omnibus Priuilegijs Ecclesiæ, tamen multi cum quibus est *Barbosa in l.* 30. *&* 33. *C. de Episcop. & Cler.* tenent gaudere etiam si fundatum non sit auctoritate ecclesiasticà, quia ius ciuile huiusmodi Priuilegia illi concedit. Ego hic dicerem, huiusmodi exemptionem esse laicalem, non ecclesiasticam, quia Priuilegia clericalia sola auctoritate Ecclesiæ conceduntur; itaq; vtriusque generis hospitalia habent eadem in effectu Priuilegia, sed ex concessionibus specie diuersis, & sic conciliantur inter se Doctores.

CAPVT VIGESIMVM

De Statutis Laicorum contra, vel pro Personis Ecclesiasticis.

SVMMARIVM.

1 *Lex est Ordinatio proueniens ab Intellectu dirigente, & Voluntate Legislatoris obligante ad culpam.*
2 *Promulgatio necessaria est vt inducatur obligatio.*
3 *Lex, & Statutum obligant solùm subditos, ad quos diriguntur.*
4 *Lex fit à maioribus, Statuta a subiectis maioribus.*
5 *Ecclesiastici tenentur Legibus, & Statutis laicorum.*
6 *Sunt enim partes, & membra Reipublicę.*
7 *Modò illa non sint læsiua libertatis Ecclesiæ.*
8 *Sub culpa veniali, nisi agatur de violatione Iustitiæ.*
9 *Tenentur non directè, sed indirectè.*
10 *Contrarium alij tenent.*
11 *Obligatio hæc non oritur ex vi Statuti, neque ex Legislatore.*
12 *Clerici nunquam fuerunt subditi laicis.*
13 *Statuta quamuis respiciant fauorem, & commodum Clericorum nihil valent contra Clericos 26. & 31. explicatur.*
14 *Legislator supponit subditos antequam eos liget.*
15 *Quare nec per se, nec per indirectum ligantur.*
16 *Armorum statutis non ligantur.*
17 *Quia habent sacros Canones de armis disponentes.*
18 *Venationis, & Piscationis Statutis non tenentur.*
19 *Piscatio iure canonico non prohibetur.*
20 *Extractionis annonæ probibitæ tenentur.*
21 *Grani notam dare tenentur laico deputato.*
22 *Hæres non confecto inuentario, tenetur creditoribus vltra vires hæreditatis.*
23 *Contractuum solemnitates seruare debent.*
24 *Pretium item rerum.*
25 *Monetarum taxam.*
26 *Clericus in Iudicijs vtitur contra se, & pro se Statutis fauorabilibus.*
27 *Statutum Parmense de duabus conformibus est confirmatum à Pontificibus Romanis*
28 *Statutum à Papa confirmatum dicitur Papale.*
29 *Sententiæ duæ conformes debent esse validæ.*
30 *Acta ordinatoria, & decisoria quanam*

V 31 Con-

31 *Congrui statutum eis fauorabile.*
32 *Pondera, & mensuras rerum seruare tenentur.*
33 *Excommunicationes quatuor contra statuentes in praeiudicium Clericorum.*

DE STATVTIS LAICORVM CONTRA VEL PRO CLERICIS.

1 LEX est Ordinatio agendorum, vel non agendorum à Legislatore facta in commune bonum subditorum, ad quod dirigitur, procedens ab Intellectu dictante, & ordinante, & à Voluntate obligante subditos ad eius obseruationem sub culpâ, & pœnâ in eâ expressâ, positâ eius promulgatione. Et in his terminis omnes conueniunt *in 4. sent. dist. 15. ibi Scotus q. 2. Vers. Sit ergo, D. Thomas 1.2. q. 90. art. 4, Castropal. p. 1. initio, Suarez de legib. dub. 1. cap. 12. Sayrus lib. 3. Clauis cap. 1. num. 2. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 1. Becanus de lege humana tract. 3. cap. 6.* Promulgatio eius necessa-
2 ria est, vt incipiat obligare, notificanda est enim subditis per præconem, aut affixionem eius in loco solito. Ita præcitati *D. Thomas art. 4. Suarez cap. 11. Sayrus num. 7. Castropal. num. 9. Barbosa in cap. In istis 3. dist. 4.*

3 Lex autem afficit subditos tantum, & non extraneos *l. fin. ff. de iurisd. om. Iud. cap. fin. de constitu. in 6.* iuxta illud Roman. cap. 3. 19. *Scimus quoniam quæcunque lex ijs, qui in lege sunt, loquitur.* Et 1. Corint. cap. 5. 12. *Quid enim mihi de his, qui foris sunt?* D. Thomas 2.2. q. 16. art. 1. condere enim Leges est actus iurisdictionis, quia ad solos subditos restringitur, vt vnicuique seruetur propria iurisdictio, ne ordo confundatur, cap. Peruenit 39. 11, q. 1.

4 Quamuis in re Lex, & Statutum non differant, quia qui Legem condit dicitur illam statuere, nihilominus vsus loquendi obtinuit, quod Leges appellentur, quæ fiunt à supremis Legislatoribus, nempe, Pontifice Romano, Concilijs Generalibus, Imperatore, & Regibus, ab alijs editæ vocantur Statuta, quæ pariter obligant solùm subditos, *Moditius lib. 1. §. Lex est, dub. 1. num. 12. Pasqualig. q. 199. num. 2. Sperell. decis. 123. num. 21. Riccius par. 1. decis. 70. num. 13.* Vt enim Statutum obliget requiritur, vt statuens habeat imperium super illos, quibus Statutum imponitur, & sic quòd sint statuentis antea subditi, Statutum enim supponit subiectionem.

Notandum autem ad nostrum propositum, quod Statutum, seu lex est triplex Lex generalis, ciuilis, specialis, seu Statutum laicale singularum ciuitatum, & Statuta ecclesiastica iuris Canonici, atq; Episcoporum in suis diæcesibus.

Difficultas generalis occurrit, an ecclesiastici sint obligati Legibus iuris ciuilis omnibus communibus? Et si sunt, quomodo, & qua ratione?

5 R. Tenentur Legibus, & Statutis ciuilibus laicorum ratione suarum personarum, & bonorum, quatenus non lædunt eorum Libertatem, Immunitatem, & Priuilegia, atq; non dedecent eorum statum, & conditionem; obligatione directiuâ, hoc est, quoad culpam, si illorum erunt transgressores, quæ obligatio non est illis imposita à Legislatore, seu statuente laicis, neq; procedit ex vi ipsius Legis, aut Statuti, sed oritur ex quadam conuenientia, qua Ecclesiastici vt partes Reipublicæ cum alijs conuenire debent.

6 Prima pars, quòd teneantur ad Leges, probatur, quia decet, vt membra, & partes toti cohæreant, est enim turpis illa pars, quæ toti incongruit, *cap. 2. dist. 8. cap fin. de Sponsa duorum §. Ne vero.* Neque licet membra discedere a capite *cap. 1. dist. 12.* neque discrepare, aut aliter agere *cap. Celebritatem 12. dist. 3. de consecr. cap. Cum non liceat 12. de præscript.* Ecclesiastici autem sunt membra, & partes Reipublicæ sicut laici, ergo simul conuenire debent in obseruatione Legum, & Statutorum, quæ non repugnant illis. Ita *Vasq. 1.2. q. 167. cap. 4. Sayrus lib. 3. cap. 4 num. 16. Bonac. de legib. p. 1. q. 6. num. 29. Suarez lib. 3. cap. 34. ex illis Castropal. disp. 1. p. 24. §. 6. initio.*

7 Secunda pars, quatenus non lædunt eorum Libertatem, & statum, probatur ex eisdem Doctoribus, quia cum in hoc non sint partes, neq; membra Reipublicæ, quæ suis membris non nocet, nihil cum laicis commune dicuntur habere.

8 Tertia pars, quòd sub culpa teneantur, probatur, quia cum sint partes Reipublicæ censentur eodem iure, quo laici, sed hi obligantur sub culpa, ergo & illi. Sed difficultas in eo sita est, an peccent mortaliter Clerici transgressores, si taliter peccant laici? Ego dico non peccare mortaliter esto
peccent laici, Bonac. p. 6. num. 33. modo 9
violatio non sit contra Iustitiam. Ratio differentiæ est, quia laici directè obligantur, ecclesiastici solùm indirectè ex illa 10
conformitate, quam habere debent cum laicis, & ex hoc occurritur rationi Castropal. num. 2. dicentis peccare mortaliter, vult enim cum alijs Ecclesiasticos teneri legibus ciuilibus directè, & ita docet plerique cum Gabriele Beato Theologo Morali in Collegio Romano de legib. q. 8. n. 13. ex eius tamen rationibus colligitur cum loqui respectu Statutorum loquentium de contractibus, in quibus violatur ius naturale Iustitiæ.

11 Quarta pars, quòd obligatio hæc non prouenit ex potestate legislatoris, nec ex

virtute ipsius Legis, aut statutorum, sed ex illa conformitate, & conuenientiâ cum reliquo populo, probatur, quia Ecclesiastici non sunt subiecti laicis Principibus, nunquam enim fuerunt de iurisdictione laicorum, *Glos. v. Et discussi cap. Si Imperator*
12 *11. dist. 96. & in cap. Ecclesia 10. de constit.* dicitur quòd si quid motu proprio ab illis statutum fuerit, quod Eccles. respiciat commodum, & fauorē, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum; sunt verba illius textus; ratio est, quia vt probatum fuit cap. 2. hic, Ecclesiastici exempti sunt à
13 iurisdictione seculari de iure diuino tàm in temporalibus, quam in spiritualibus, vt tradunt Doctores in citatum *cap. Ecclesia, & in cap Quamquam 4. de censib. in 6. Azor. lib. 5. cap. 12. cap. 17. q. 2 Mar. Anton. lib. 3. resol. 2. num. 11.* Quare benè infertur, hanc obligationem non oriri ex ipsis Legibus ciuilibus dum enim Legislator non habet sibi
14 Clericos subditos, suam iurisdictionem non potest super eos extendere cum Legislator non faciat quem subditum, sed supponat illos esse iam subditos, ad quos suam Legem dirigit; tenentur ergo solùm ex naturali quadam æquitate ad conformandum se cum alijs. Quare per se, & directè Statuta laicalia non obligant, cum Ecclesiastici sint pe-
15 nitus ab his exempti, & non subditi Principibus laicis. quicquid dicat *Castropal. p. 24. § 6. num. 4.* Sed Calami motum dirigamus in quæstiones more solito.

Quæres 1. An Ecclesiastici subdantur Legibus, & Statutis laicorum de armis prohibitis non tenendis?

16 ℞. Nullo modo neque directè, neque indirectè, quia habent proprias Leges iuris canonici, & Statuta in singulis diæcesibus,
17 ergo non est cur subijciantur Legibus, & Statutis laicorum. Antecedens quò ad Statuta patet in singulis Synodis; quò ad Canones, habetur *in cap. Clerici 5. 23. q. 8.* vbi detruduntur in Monasterium amisso gradu sui Ordinis, & *in cap. Clerici 2 de Vita, & honest. Cler.* excommunicantur. Religiosi verò tenentes arma intra septa Monasteriorum sunt excommunicati, si ea tenent sine licentiâ. Abbatis *Clem. 5. §. quia vero, de statu mon.* afficit autem solos Monachos vt dixi Resol. 22. q. 8. vbi retuli Decretum S. Congreg. contra omnes Regulares deferentes arma in statu Mediolanensi. Dixi supra cap. 9. num. 23. non perdere Priuilegia clericalia propter delationem armorum; neqs seculares posse illa eis auferre cap. 14. 9.

Quæres 2. An teneantur Statutis prohibentibus Venationem, & Piscationem?

18 ℞. Negatiuè, quia sacri Canones super hoc prouiderunt, vt videri potest cap. 1. de cler. ven. vbi Episcopus sæpius venationi incumbens canibus, & auibus, voluptuosè, non recreationis causa suspenditur per trimestre, Presbiter per bimestre, Diaconus verò ab omni officio. Non licet ergo Clericis venari illis modis, vt dicitur etiam *cap. 1. dist. 34. Glos. in cap. Qui venatoribus 8. dist. 86.* Eo magis prohibetur Regularibus *in Clem. 1. de statu monach. §. Porro.* Vnde & prohibentur tenere canes, & aues ad hunc effectum. Cum ergo Leges ecclesiasticæ prohibeant venationes Ecclesiasticis, nulla ratio suadet, quòd Leges, & Statuta ciuilia ad eos extendantur ex vi directiua. Et ita docet *Marta Par. 4. cent. 1. casu. 57. num. 22. vers. non igitur.*

Et quamuis Piscatio ab aliquibus comparetur Venationi, cum Principes vtrunq; soleant prohibere in locis designatis, tamen loquendo de Ecclesiasticis, ius canonicum id non prohibet immo concedit *cap. Esau 11. dist. 86. cap. Nunquam 33. dist. 5. de consecr.* Apostoli enim ante vocationem erant Piscatores, quod exercitium non reliquerunt, sed prosecuti sunt etiam post resurrectionem Domini, idem Marta cit. num. 22. Piscatio enim fit quietè sine clamore, & damno proximi, quod solet accidere in Venatione. Vide *Barb. ad dictum cap. 1. de cler. venat. Dal Bene cap 5. dub. 3. sect. 3. num. 9. & 10. Lessium lib. 2 cap. 5. dub. 9.* quòd non peccant mortaliter Venantes nec tenentur ad restitutionem, nisi ex Venatione sequatur damnum proximo, *num. 45. Vers. vltima pars.* An Principes possint sibi reseruare Venationes contra ius gentium, affirmant ex inducti praxi præcitati. 19

Quæres 3. An statutum prohibens, ne frumentum, vinum &c. extrahantur è territorio obliget ex vi directiuà etiam Ecclesiasticos?

℞. Affirmatiuè, quia agitur de communi bono totius Reipublicæ, ne incidant omnes in penuriam, super qua dubitatur, ideo Episcopi debent & ipsi hoc inhibere Clericis, ne victualia transmittant in graue damnum Reipublicæ, & non aliter. Ita *Sardus vol. 3. consil. 301. num. 10. Ciarlin. cap. 31. num. 10. Bellettus par. 1. tit. de exempt. cleric. à stat. §. 2. num. 33. & 34. Grassus Eff. 2. num. 266. cum alijs Sperell. dec. 12. num. 57.* qui sequenti decis. plura dicit circa hanc vim directiuam, quid importet. 20

Certum ergo est, quòd Ecclesiastici non subduntur edicto de annona conseruando quò ad pœnas in eo contentas, etiamsi probabiliter timeatur penuria, immo fit in annis, quia Statuta laicalia non possunt cogere Ecclesiasticos, vt notum est. Vnde nec puniri possunt famuli Ecclesiasticorum de horum mandato extrahentes frumentum, vinum &c. his temporibus, quia id est contra Immunitatem ecclesiasticam, vt respon-

respondit S. Cong. apud *Sperell. decis.* 12. *num.* 61. *ex illis Dal Bene cap.* 8. *dub.* 14. *sect.* 2.

Quæres 4. An ecclesiastici ex vi bandi, seu edicti laicalis teneantur dare notam grani Ministro, laico ad portas ciuitatis deputato ad scribendum victualia introducenda?

21 ℞. Ex vi directiuà tenentur, accedente mandato Episcopi, vt dent notam eidem Ministro, id enim est pro communi bono, & nullum fit præiudicium ecclesiasticæ Immunitati. Nec oppositum dicit Sacra Congregatio apud Ciarlin. cap. 31. num. 14. his verbis: *Li Ecclesiastici non sono obligati per li bandi de Giudici Secolari dare l'assegna delli loro grani, & biade, deuono ben i Prelati fare loro editi sopra ciò, & riceuere gli riuelli dalli ecclesiastici, e poi darne nota al Magistrato Secolare senza però, che da essi gli Chierici siano molestati.* Ita fuit responsum Episcopo Ferrariensi sub die 19. Iunij 1592. Posito Episcopi edicto, vt nota granorum detur Ministro deputato idem est, ac Episcopum tradere Magistratui, id enim decentius, & expeditius est.

Quæres 5. An Ecclesiastici teneantur obseruare *leg. Si te bonis* 10. *l. fin. §. Cum igitur C. de iure deliber.* præscribentem adeuntes hæreditatem teneri vltra vires hæreditatis omnibus creditoribus satisfacere in solidum, non confecto inuentario?

22 ℞. Tenentur non solum ipsi Clerici, sed etiam Ecclesia hæres instituta in foro fori, quia hæres præsumitur omisso inuentario occultasse bona, quæ satis fuissent ad satisfaciendum creditoribus. Probatur, quia, vbi agitur de Iustitiâ, etiam Ecclesiastici eam seruare debent, cum sit ius naturale, reddendi vnicuique ius suum; & cum actor cuiusmodi est creditor, sequatur forum Rei, & sic Iudicem ecclesiasticum; per sententiam Iudicis satisfaciendus est de suo credito ad tenorem dictarum Legum, quando enim deficiunt Sacri Canones, Iudices etiam ecclesiastici vtuntur Legibus *cap. In adiutorium* 7. *dist.* 10. *cap.* 1. *de noui oper. nunt. ibidem Barb. num.* 5. Et idem fieret pro Clerico creditore coram Iudice laico, si hæres eius debitor non confecisset inuentarium. Et hæc opinio quò ad Clericos est verissima, & indubitata apud Grassum Eff. 2. num. 252. multis citatis, qui num. sequenti dicit esse contrarium in Ecclesiâ, quæ neque in foro fori tenetur, pro qua Sperell. dec. 163. n. 6. citat Bartolum cum alijs. Sed reuerà magis mihi placet aliorum sententia, dicentium *cum Glos. v. Practicus, fine de test. Roman. in Rubr. de aquir. hared. Cardin. & Imola in cap.* 1. *de solut.* Ecclesiam teneri. Quia non minus fraus præsumi potest in ministris Ecclesiæ, quam in Clerico seculari, cum vtrobique suspicio reperiri possit, cum in vtroque casu agatur de interesse Ecclesiasticorum, bona enim cedunt in commodum illorum. Verum quidem est, quòd cum citatæ Leges fundentur in præsumptione fraudis, non obligant, quando veritas est in contrarium, in foro conscientiæ, vt docent omnes, quos magno numero citat *Sperell. dicta dec.* 163. *num.* 1.

Quæres 6. An Clerici teneantur in contractibus seruare formam iure ciuili introductam.

23 ℞. Affirmatiuè, quia fundatur in Iustitiâ, quam omnes seruare debent, & quidem ex vi tantùm directiuà, aliter contractus nullus est, siquidem Clericus volens sibi obligare laicum in contractu, necesse est, vt cum ipso seruet solemnitatem à iure, seu Statuto inductam, neque enim potest laicus eximi per Clericum ab obseruatione Statuti, vnde omissà formà contractus nullus est, & sic ex eo oriri non potest obligatio passiua, ex parte laici, nec actiua ex parte Clerici, quod proinde volens contrahentem sibi obligare, Statutum & ipse seruare tenetur. Ita *Abbas in cap. Ecclesia in* 2. *lect. num.* 43. *Vers. sed hoc casu, de constit. Felin. ibidem num.* 81. *Vers. Quartus, Decius num.* 257. *ex illis Marta par.* 4. *cent.* 1. *casu* 62. *num.* 1.

Quæres 7. An Ecclesiastici teneantur seruare pretia rerum, quæ consuetudo laicalis induxit?

24 ℞. Affirmatiuè, quia fundatur in Iustitia, res enim tanti iustè valent, quanti edicto publico taxantur, cum ergo similis taxa iusta sit, in nullo potest obesse Ecclesiasticis, ergo illam seruare debent ex vi directiuà Iustitiæ reddendo vnicuique quod suum est. Ita *Sayr. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 17. *Suarez lib.* 3. *de legib. cap.* 34. *num.* 9. *cum alijs Bonac. de legib q.* 1. *p.* 6. *num.* 31. *& de Contr. disp.* 3. *q.* 2. *p.* 4. *num.* 10. *Dal Bene cap.* 8. *dub.* 16. *Layman. tract.* 4. *cap.* 13. *lib.* 1. *Castropal. par.* 1. *disp.* 1. *par.* 24. *§.* 6. *num.* 1.

Quæres 8. An ecclesiastici teneantur seruare valorem monetarum à Principe edictum, vel consuetudine inductum?

25 ℞. Affirmatiuè, quia censetur iustus, ex vi tantùm directiuà, non coactiuà, quia Princeps laicus nullam habet iurisdictionem in Ecclesiasticos. Ita *Vas. par.* 2. *disp.* 167. *cap.* 4. *Suarez cit. num.* 17. *Couar. cap.* 33. *quæst. num.* 7. *ex eis Bonac. q.* 1. *de legibus p.* 6. *num.* 30.

Quæres 9. An statuta Ecclesiasticis vtilia, & fauorabilia seruanda sint actiuè, & passiuè per illos? Hoc est, an Clerici, & Monasteria vti possint statutis laicorum sibi fauorabilibus, & in nullo præiudicialibus? Exempli gratia Parmæ adest statutum fauore laicorum de duabus sententijs confor-

mibus

mibus statim exequendis sine vlla appella-
tione. Numquid Ecclesiæ, & Ecclesiastici
eodem vti possint contra laicos coram laico
Iudice?
26 R. Ecclesiæ, & Ecclesiastici vti possunt
pro se Statutis laicorum sibi fauorabilibus,
*ex cap. Dilecti, de foro comp. cap. Constitu-
tus, de in integr. rest. Lapus Alleg.* 101. *num.*
6. *Decius cons.* 114. *col.* 2. *vers.* 2. *Sed tamen
his. Surd. cons.* 2. *num.* 35. *cons.* 560. *num.*
13. *cum alijs Rota par.* 8. *dec.* 251. *num.* 8.
Vtuntur enim illis non vt Statutis, sed vt
Priuilegijs, *Rimin. Iun. cons.* 15. *num.* 98.
Decius cons. 114. *Surd. consil.* 2. *num.* 15.
Oldrad. cons. 32. *prope finem, Marta de
success. legal. par.* 1. *q.* 13 *art.* 13. *num.* 43.
ex eis Gargiareus lib. primo consil. 3. *num.*
14. & 15. Fauorabilia ergo comprehendunt
etiam Clericos, *Rota par.* 4. *tom.* 2. *dec.*
438. *num.* 50. cum sint mera Priuilegia pro
ipsis *Abbas in cap. Ecclesia, de constit. in Re-
pet. num.* 67. *Felin. num.* 81. *Decius num.*
216. *Grassus Eff.* 2. *num.* 490. *Ambrosin. cap.*
21. *num.* 18. *de Immun. Honded. vol.* 2. *cons.*
20. *num.* 17. *cum alijs Sperell. dec.* 10. *num.*
35. Ergo pro eis prodesse debet Statutum de
duabus conformibus, sicut eos ligat contra
se, *Rota par.* 3. *decis.* 104. *Ruginel. de appel-
lat.* §. 12. *Glos.* 2. *cap.* 1. *num.* 18. *allegans*
18. *Doctores. Ex eo Carena resol.* 115. *num.*
2. Relatiua enim non debent iudicari ad im-
paria, sed parificari in hoc Statuto, cum
enim Clericus sit actor, & sic sequitur fo-
rum laicum, in quo seruatur illud contra
Clericum, ita & seruandum est pro Cle-
rico.
27 Confirmatur, quia confirmatum fuit ex
certà scientià, & in formà specificà cum
alijs statutis Communitatis Parmæ, reuisis
prius à Legato tunc à Latere, à Iulio II. à
Clem. VII. vt legi potest in lib. Priuileg.
28 cap. 45. fol. 28. 69. & 75. vnde vti Papale
reputandum est, *Rota par.* 3. *dec.* 98. *num.* 2.
29 Immo esto non esset in formà specificà, sed
tantùm in formà communi confirmatum,
adhuc prodest Clericis vti Papale, *Rota par.*
4. *tom.* 2. *dec.* 488. *num.* 47. Ex quo est fa-
uorabile Clericis; dicitur ergo Papale, *Rota
par.* 6. *decis.* 115. *num.* 25. *Gregor. XV. decis.*
267. *num.* 6. *Ottobon. dec.* 210. Duæ autem
Sententiæ conformes debent esse ambæ va-
30 lidæ, aliter duæ non sunt, *Rota par.* 6. *dec.*
292. *num.* 10. Confirmantur prædicta, quia
in contractibus inter Laicos, & Clericos
seruantur statuta laicorum. *Rota par.* 6. *dec.*
298. *num.* 8. *Sperell. dec.* 100. *num.* 32. er-
go, & in alijs negotijs.
Demum id colligitur ex Glos. fin. cap.
Quod Clericis 9. de foro compet. vbi si cau-
sa tractatur in foro ecclesiastico, à Iudice ex-
peditur secundùm Canones, si in foro lai-
cali tractatur, & expeditur secundum Le-
ges, & consuetudines, seu statuta ipsius
fori secularis; procedit tam quò ad deciso-
ria, quam quò ad ordinatoria, sic intelli-
gentes *Glos. Ioan. Andr. Host. in Sum. de
Testam. & in sum. de consuet. in sum. de
Trinit. cum illis Bartol. in l. de summa Tri-
nit. ex illis Imola in hoc cap. num.* 2. *fine.*
Obstant Abbas *in cap. Ecclesia* 10. *de
constitut. num.* 24. & *Imola in cap. Quòd
Clericis, de foro comp. num.* 4. dictam
Glos. loqui tantùm in ordinatorijs, non in
decisorijs, quia in illis non distinguitur per-
sona, sed causa, seu Ordo iudicij, & Pro- 31
cessus regulatur secundum leges Fori, in quo
agitur, referente Sperello dec. 135. à num.
107. vbi num. 110. ait ex Socino verbum
illud *Tractare* Glosæ respicere potius Ordi-
nem, & Processum, quàm Decisionem.
Sed reuerà tale verbum cum sit nimis gene-
rale restringendum non est, maximè in hac
quæstione, in quà Statutum de duabus con-
formibus est omnino fauorabile; seruandæ
sunt ergo Leges fori secularis, & ita præter
supradictos tenent *Rimin. Iun. lib.* 4. *cons.*
479. *num.* 11. & 22. *Andr. de Falcon. ad
Abbatem in cap. Clerici num.* 6. *lit. D.* quas
contra se citat idem Sperell. num. 112. qui
nec videtur nobis aduersari, dum agit de
Statuto odioso, quod non comprehendit
Clericos, nos verò de Statuto. fauorabili
ijsdem Clericis.
Nec obstat, quod dixi num. 13. ex cap.
Ecclesià, quòd statuta etiam in vtilitatem,
& commodum nullius sunt momenti. Quia
id verum est, si spectentur vt Statuta laico-
rum, non verò spectata vt Priuilegia, sub
quorum ratione Clerici vtuntur iuxta dicta
sub num. 26.
Quare Clerici, & Religiosi vti possunt
statutis laicalibus sibi fauorabilibus, & val-
dè vtilibus, vt *ex cap. Constitutus* 8. *de in
integr. rest. Diana par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 58.
§. *Sed his, ex Duardo. lib.* 2. *Bulla can.* 15.
q. 19. *num.* 11. 13. 31. 33. 40. & 41. & ideo
eisdem prohiberi non possunt tamquam ci-
uibus, *idem Diana par.* 4. *tract.* 1. *resol.* 15.
plures refert *Ciarlin. cap.* 45. *à num.* 5.
Quæres 10. An Ecclesiastici subdantur
Statuto de iure congrui tam pro se, quam
contra se?
R. Affirmatiuè, cum iustum sit, & æqui- 32
tati consonum. Ita Surdus *dec.* 160. *num.*
13. *Grassus Eff.* 2. *num.* 295. *Gratian. cap.*
460. *num.* 17. *cum alijs Dal Bene cap.* 8. *dub.*
17. referens Doctores, habere locum in
Clericis tantùm actiuè, sed hac ratione æ-
quitas non seruatur inter partes; verum
quidem est, quòd Iudex ecclesiasticus cogit
in casu renitentiæ Clericum.
Quæres 11. An Ecclesiastici teneantur
seruare pondera, & mensuras præscriptas
à laicis?

R. Affir-

33 ℞. Affirmatiuè, quia fundantur in iustitia, quam illi seruare tenentur. Ita *Bonac. de legib. q. 1. p. 6. num. 30. Graffus Eff. 2. num. 941. ad 945. Azor. part. 1. lib. 5. cap. 12. Diana par. 2. tract. 1. resol. 13.*

Quæres 12. An statuentes contra libertatem, & Immunitatem ecclesiasticam incidant in excommunicationem?

34 ℞. Quatuor sunt excommunicationes. Prima in cap. Nouerit 49. de sent. excom. his verbis: *Nec non & qui de cætero seruari fecerint statuta edita, & consuetudines introductas contra Ecclesiæ libertatem, nisi ea de capitularibus suis infra duos menses post huiusmodi publicationem fecerint amoueri. Ita excommunicamus Statutarios, & Scriptores Statutorum ipsorum, nec non Potestates, Consules, Rectores, & consiliarios locorum, vbi de cætero huiusmodi statuta, & consuetudines editæ fuerint, vel seruata, nec non & illos, qui secundùm ea præsumpserint iudicare, vel in formam scribere iudicata.* Vide Bonac. q. 16. in bulla p. fin. num. 4.

35 Secunda habetur in cap. Grauem 53. de sent. excom. excommunicantur Officiales eorum locorum, in quibus sunt statuta contra ecclesiasticam libertatem, nisi ea fecerint deleri, & statutarij Feudis, si quæ habent priuantur.

36 Tertia ex cap. fin. de Immun. Eccles. in 6. his verbis, *Eos, qui temporale dominium obtinentes suis subditis, ne Prælatis, aut Clericis seu personis ecclesiasticis quicquam vendant, aut emant aliquid ab eisdem, neq; ipsis bladum molant, coquant panem, aut alia obsequia exhibere præsumant, aliquando interdicunt cum talia in derogationem libertatis ecclesiasticæ præsumantur, eo ipso excommunicationis sententiæ decernimus subiacere.* Nulla ex dictis Censuris reseruatur. Super quibus vide dictum Bonac.

Quarta demùm fulminatur in Bulla Cœnæ Domini, huius tenoris.

Necnon, qui Statuta, Ordinationes, Constitutiones, Pragmaticas, seu quæuis alia decreta in genere, vel in specie, & quauis causâ, & quouis quæsito colore; ac etiam prætextu cuiusuis Consuetudinis, aut Priuilegij, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis, vsi fuerint, vnde Libertas ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quouis modo restringitur; seu nostris, & dictæ Sedis, ac quarumcumq; Ecclesiarum iuribus quomodolibet directè, tacitè, vel expressè præiudicatur. Vide pro eius explicatione Bonac. q. 16. sect. 2. p. 1. & 2. Scriptores non comprehenduntur in hac, cum de illis non fiat mentio, Bonac. p. 4. num. 5. Vbi non delentes ex libris talia statuta incidunt in censuram cit. cap. *Nouerit*, non in hanc Bullæ, cum de hoc actu nulla fiat mentio.

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM

De Priuilegio Canonis

SVMMARIVM.

1 *Priuilegium Canonis dicitur, quia insertum est in illis.*
2 *Extenditur hic Canon ex cap. 29. 17. q. 4.*
3 *Importat, vt percutiens incurrat excommunicationem reseruatam.*
4 *Persona ecclesiastica illa est, quæ Deo publicà auctoritate dicatur.*
5 *Tonsuratus tantùm gaudet hoc Priuilegio.*
6 *Tonsura facit Clericum.*
7 *Clerici nomine quilibet in aliquo ex septem Ordinibus constitutus.*
8 *Coniugatus cum vnicâ, & virgine incedens in habitu, & tonsurâ gaudet.*
9 *Clericus sine tonsura, & habitu gaudet hoc Priuilegio.*
10 *Fori Priuilegium difficilius perditur, quam Canonis.*
11 *Deprahensus in enormibus sine habitu, & tonsura perdit illud, & non aliud fori.*
12 *Iudex puniens Clericum qui caret Priuilegio fori, non est reus excommunicationis licet non perdiderit hoc Priuilegium.*
13 *Coniugatus præter dicta num. 8. debet Ecclesiæ seruire.*
14 *Salutaties Clerici non gaudent Priuilegio Canonis.*
15 *Sed tantùm illo fori.*
16 *Censurati non perdunt Priuilegium hoc.*
17 *Neque depositi.*
18 *Neque hæretici.*
19 *Neque irregulares.*
20 *Vtique committentes se enormibus post trinam monitionem.*
21 *Enormia delicta recensentur.*
22 *Trina monitio est necessaria.*
23 *Facienda distinctis temporibus, & nominatim.*
24 *Histriones obsceni sunt priuati priuilegio Canonis.*
25 *Qui scilicet personati agunt turpia repræsentantes.*
26 *Irregulares, & infames.*
27 *Comœdijs honestis non est peccatum interesse.*
28 *Histriones nostri temporis turpia non repræsentant.*

29 Cle-

29 Clerici non prohibentur repræsentare spiritualia, & moralia.
30 Criminosi etiam sacris initiati priuantur Priuilegio.
31 Etiam histriones in comedijs recitantes.
32 Argumentum à Rubrica valet. Rubrum sumat nigrum.
33 Macellarij, & tabernarij priuantur.
34 Negotijs secularibus se immiscentes non sunt priuati.
35 Arma ferentes post trinam monitionem perdunt.
36 Bigami carent priuilegio Canonis.
37 Male promotus aquirit Priuilegium Canonis.
38 Sodomita gaudet.
39 Ita quòd qualificat præcedentia.
40 Priuatur Priuilegio Fori, non ideo priuatur hoc Canonis.
41 Legislator si voluisset expressisset.
42 Priuilegium Fori est præiudiciale Iudici, Canonis vero nulli.
43 Monachi sub nomine venit omnis persona Deo dicata auctoritate publica!
44 Religiosi laici gaudent Priuilegio canonis.
45 Nouitij quoque.
46 Donati, & oblati.
47 Bigami ingredientes aquirunt Priuilegium Canonis.
48 Apostata gaudent Priuilegio Canonis.
49 Etiamsi habitum dimittant.
50 Eiecti à Religione gaudent.
51 Inualide receptus ad habitum, seu ad professionem gaudet.
52 Pueri oblati Religioni gaudent.
53 Christianorum duo genera Ecclesiasticorum, & Secularium.
54 Conuersus dicitur dupliciter à mutatione, & à statu.
55 Militares Religiosi gaudent Priuilegio canonis.
56 Vota tria de essentia Religionis.
57 Militares omnes gaudent Priuilegio canonis.
58 Tertiarij regulares S. Francisci.
59 Et cum illis alij habitantes.
60 Hospites Theatinorum gaudent.
61 Eremita pariter.
62 Tertiarij seruientes Monialibus.
63 Moniales etiam Nouitiæ gaudent.
64 Mulieres Tertiariæ si votum castitatis emittant.
65 Dicta de Clericis locum habent in Monachis.
66 Incorrigibilis, qui ter monitus perseuerat in mala.
67 Monitiones tres distinctæ esse debent temporis interuallo.
68 Incorrigibilis talis declaratus subito perdit Priuilegium.
69 Degradatus caret priuilegio Canonis.
70 Degradatur solùm propter tria crimina, in alijs deponitur.
71 Degradatio quomodo differat à Depositione.
72 Ad triremes damnatus non perdit Priuilegium Canonis.
73 In sacris dispensatus contracto matrimonio perdit Priuilegium.
74 Si quis comprehendit solum baptizatos.
75 Masculum, & fœminam.
76 Papa percutiens non ligatur hac censura.
77 Concurrentes moraliter incidunt.
78 Mandans, nisi reuocet mandatum notificatum mandatario.
79 Consules nisi reuocet efficaciter.
80 In reuocatione mandati sufficit, quod dicat. nolo vt percutiat.
81 Consentiens incidit.
82 Habet locum illud; Agentes, & consentientes pari pœna puniuntur.
83 Non impediens, qui tenetur ex officio incidit, vt sunt.
84 Superiores, Magistri, Parentes, Tutores. &c.
85 Ratum habens percussionem factam nomine suo, si eo tempore erat habilis.
86 Seipsum percutiens incidit.
87 Sicut & de consensu illius percutiens.
88 Mortuum clericum percutiens non incidit.
89 Mortuus, homo non est, sed cadauer.
90 Mortuo non potest fieri violentia.
91 Mortus voluntate caret.
92 Volens percutere vnum Clericum, casu alterum percutiens non incidit.
93 Exterior actus non punitur, ci caret malitia actus interioris.
94 In quo casu non violatur Canon iste.
95 Agens agit semper in certum indiuiduum.
96 Mandatum in certam personam non potest expediri contra aliam.
97 Statutum violatum in hac materia non facit incurrere in Canonem.
98 Suadente diabolo arguit peccatum mortale.
99 Quod Excommunicatio supponit.
100 Maior inter omnes pœnas ecclesiasticas spirituales.
101 Sacrilegium est percusio Clerici.
102 Iniectio manus duplex ciuilis, & canonica.
103 Hac dicit percussionem in Clericum.
104 Iniectio in hoc Canone importat tactum physicum cum læsione corporis.
105 Tangitur Clericus tam immediatè, quam in vestibus indutus.
106 In equo tactus nihil læsionis sentit, ergo non est reus Canonis.
107 Violentia est maioris vic impetus, cui resisti non potest cogens inuitum.
108 Fugens non dicitur pati violentiam.
109 Violentia quinq; species referuntur.

110 Vio-

110 *Violentia compulsiua, ex solo motu non habet locum in Canone.*
111 *Canon importat solùm læsionem corporalem cum violentiâ.*
112 *Canon extenditur à iure in sex casibus.*
113 *Violentia compulsiua ex metu proueniens non habet locum in Canone, sed tantùm in casu retentionis ex cap. 29. de sent. excom.*
114 *Violentia non fit insensibilibus.*
115 Percutiens *se per se, vel per alium volens sunt idem.*
116 *Qui sibi facit iniuriam.*
117 Canon *cum alijs capitibus est pænalis ratione* Censuræ.
118 *Pænalis Lex non extenditur ab homine de casu ad casum.*
119 Si *enim Lex id voluisset expressisset.*
120 *Extendere odiosa non est hominis.*
121 *A significatione verborum propriâ non est recedendum.*
122 *Vbi est eadem ratio fit extensio, si casus positus fuit per modum exempli.*
123 *Canon cum suis capitibus extensiuis est odiosus ab homine non extendendus,*
124 *Extensio non fit ab homine, cum non sit legislator.*
125 *Medicinalis est excommunicatio, quia retrahit à malo.*
126 *Lex omnis habet rationem medicinæ, quia conseruat, & retrahit à malo.*
127 *Extensio legalis arguit Legem extensam esse pænalem, & odiosam.*
128 *Priuilegium Canonis impropriè dicitur.*
129 *Tres conditiones inducunt Excommunicationem.*
130 *Prima, vt actio sit facta cum læsione corporali, & violentia in Clericum; vel sine violentiâ, cum solâ læsione, vel cum solâ violentiâ.*
131 *Secunda. quòd sit perfecta, & consummata cum peccato mortali in actum externum.*
132 *Censuræ incurruntur ob actum consummatum.*
133 *Ecclesia non iudicat de occultis.*
134 *Iniectio debet iudicari peccatum mortale, vt percutiens incidat.*
135 *Grauitas desumitur tantum à læsione non ab irreuerentia.*
136 *Paruitas etiam hic excusat.*
137 *Quod non esset mortale in laico læso, nec in Clerico.*
138 *Tertia conditio, vt lædatur Clericus gaudens tunc Priuilegio.*
139 *Injiciens in clericum aliquid sine tactu non incidit.*
140 *Incidit tangens grauiter etiam vestes, & equum.*
141 *Nonnulli tenent contrarium, sed reijciuntur.*
142 *Iniectio manuum quandoq; contingit sine læsione corporali.*
143 *Firmans currum in quo sunt* Clerici, *incidit.*
144 *Rapiens aliquid de manu Clerici incurrit.*
145 *Non autem furans dormienti.*
146 *Insequens Clericum, incidit, si læditur corporaliter.*
147 Cogens *minis exire de loco non incurrit.*
148 *Explosione incurritur, licet non tangatur moriens ex metu.*
149 *Animum habens occidendi, si leuis est percussio solùm venialis, non incidit.*
150 *Tenens barbam dicendo. si non esses Clericus te occiderem, non est reus.*
151 Clauo *vel acu figens vestem non incidit.*
152 *Expellens è sede incidit.*
153 *Actus externus debet esse de se mortalis.*
154 *Expuens in faciem est reus huius Censuræ.*
155 *Libellum famosum affigens* Clerico *non est excommunicatus.*
156 *Veneuans* Clericum *est excommunicatus.*
157 *Absoluitur à peccato antequam moriatur post non quia est reus censuræ.*
158 *Monialis abortiens non est excommunicata.*
159 *Impellens* Clericum *à sede excusatur.*
160 *Vnguibus lacerans* Clericum *non est excommunicatus.*
161 *Vngues, & dentes arma ad defensam potius, quam ad offensam, & quo ad pænas arma non sunt.*
162 *Lacerans vestem* Clerici *incurrit.*
163 *Eijciens* Clericum *turbantem diuina officia non est reus.*
164 *Moniales cum monachis olim in choro recitabant diuinum Officium.*
165 Carcerans *vel detinens Clericum in loco est excommunicatus.*
166 Siue *sit laicus* Officialis, *siue non, immo &* Clericus.
167 *Banniens* Clericum *non est reus huius excommunicationis, sed Bulla.*
168 *Vnico pugno, vel alio ictu leuissimo non est excommunicatus.*
169 *Honor Clericis debitus mouit* Pontificem *ad condendum* Canonem; *percussio verò est causa incurrendi Excommunicationem.*
170 *Ter vno impetu percutiens Clericum vnicam incurrit.*
171 *Tres vno ictu percutiens Clericos tres incurrit Excommunicationes.*
172 *Tres causæ generales excusantes ab excommunicatione.*
173 Percussio *non mortalis.*
174 *Ignorantia probabilis tam iuris, quam facti.*

175 *Et*

177 *Et quando Clericus caret Priuilegio.*
178 *Vsu rationis carens si percutiens excusatur.*
179 *Pueri ante 14. exlpetum excusantur, non post.*
180 Puer *dicitur post 14. annum expletum, ante impuber.*
181 *Ioco percutiens familiariter excusatur.*
182 *Ex subita ira percutiens excusatur.*
183 *Defensiua percussio excusat.*
184 *Fugiens post percussionem Clericus non potest percuti.*
185 *Fur percuti potest fugiens cum re, si aliter haberi non potest.*
186 *Defensio licet contra furem non solum, ante furtum, sed etiam post, quando fugit cum re in fure bonoris, vel vita solum ante, dum imminet periculū.*
187 *Defensio licet etiam pro proximo.*
188 *Fuga non est necessaria potenti, sed excusatur percutiendo, licet sit Clericus.*
189 *Fuga non est vis sed negatio potius virium. Vis repellitur alia vi non fugâ.*
190 *Moderamen inculpata tutela est, vt defensio fiat incontinenti, dùm imminet periculum.*
191 *Fuga non pertinet ad moderamen, quod respicit vim. et solum attenditur ad euitandam Irregularitatem ex homicidio.*
192 *Clericus occupans alienam domum expellitur si alio modo retrahi nō potest.*
193 *Creditor potest retinere debitorem, si alio modo non potest creditū recuperare*
194 Clericu n inuentum cum *vxore &c. percutiens ex usatur.*
195 Turp t r nu ntum *non solùm copulam, sed etiam tactus impudicos.*
196 Matris *nomine sola mater genitrix, non auia, non matertera.*
197 Vxoris *nomine ex Matrimonio rato; aut consumato, non sponsa de futuro.*
198 *Etiam in Matrimonio inualido ignorato*
199 *Maritur leno sua vxoris non excusatur.*
200 Sororis *nomine venit talis secundum carnem.*
201 Filiæ *nomine venit procreata naturalis, seu legitima, non adoptiua.*
202 *Non excusatur occidens, si iam exiuit domo.*
203 *Percutiens Clericum turpiter inuentum non excusatur à peccato.*
204 *Fæmina, & puer aggresi in pudicitiā percutientes excusantur.*
205 *Nec peccant cum vim vi reppellere liceat.*
206 *Percutiens Clericum causa correctionis habens potestatem excusatur.*
207 *Rector, Sacrista Sacerdos repellunt turbantes diuina Officia.*
208 Senioris *nomine venit Sacerdos.*
209 *Non solum turbantes tempore diuinorū Officiorum sed alia indecentia agentes*
210 *Prælatus regularis per se, in necessitate, etiam per Religiosum corrigit.*
211 *Incurrebat hanc censuram percutiendo per Religiosum, si poterat per se.*
212 *Percutere per se videtur quid vile indecens Prælato.*
213 *Ideo sublatum ex Priuilegio Alexandri VI. & Leonis X*
214 *Fuit er iculum, sed non sublatum, cum nulli noceat.*
215 *Corrigunt non solum in minoribus, sed etiam in sacris constitutos.*
216 *Excessus in correctione non inducit Excommunicationem.*
217 *Dicta de Regularibus locum habet in Prælatis secularibus.*
218 *Episcopus per se non corrigit.*
219 Cap. Vniuersitatis, *de sent. disponit solùm de Abbatibus regularibus.*
220 *Magistri suos discipulos corrigunt, etiam laici.*
221 *Solum in minoribus constitutos.*
222 Cap. Ex tenore cod *solum de Prælatis, & Magistris ecclesiasticis.*
223 *Magister etiam per laicum corrigit.*
224 *Pater familias corrigit solùm suos in minoribus constitutos.*
225 Correctio *in prædictis non est iudicialis sed paterna, & œconoma.*
226 Prælati *possunt per laicos, & biruarrios capere suos.*
227 Cap. Vt i mæ c. Si clericos *loquuntur de capturâ hoc etiam de carceratione.*
228 *Torquentur Clerici rei per laicos ex vi cap.* Vt famæ.
229 *Conuictus vel confessus punitur.*
230 *Torturatio est actus vilis indecens Clerici.*
231 *Consuetudo torquendi per laicos valdè rationabilis.*
232 C p. Vniuersitatis *loquitur de correctione paterna, non iudiciali.*
233 *In fragranti crimine capiens excusatur, modò recto tramite deducat ad carceres Episcopi.*
234 *Illud spatium 20 horarum nullo iure exprimitur.*
235 *Nullo iure hæc facultas datur laicis.*
236 *Si capiant Clericum putatum laicum, quia more laico erat vestitus possunt deducere ad carceres laicas, donec probet Clericatum.*
237 *Ignorantia vincibilis, quæ studio vinci potest. Diuiditur ibi.*
238 *Ignorantia crassa, supina, & affectata non excusant à censuris.*
239 *Hæ tres scientia æquiparantur.*
240 *Ignorantia culpabilis, seu vincibilis ex diligentia mediocri, & comitans excusat à censuris.*

241 Clerici digladiantes ensibus, sed non se tangentes excusantur.
242 Tactus enim physicus requiritur.
243 Tonsurà carens, licet seruiat Ecclesia non gaudet.
244 Occidens in bello Clericos milites excusatur.
245 Percutiens Clericum religiosum vnam incurrit excommunicationem.
246 Vitandus non est Clerici percussor nisi post denuntiationem.
247 Notoria percussio, qua visa fuit à maiori parte loci.
248 Notorium, id est factum in loco publico coram multis.
249 Notorium iuris, probatum iuridicè per duos ad minus testes.
250 Notorium duodecim, notum in ciuitate non dicitur.
251 Notorium factum coram maiori parte Conuintus.
252 Denunciatus hic Parmæ non citatur Regij à Parmensibus.
253 Nondum denunciatus validè absoluit, esto sit notorius.
254 Extrauag. Perlectis extenditur.
255 Arbitrio absoluentis relinquitur, qua percussio sit leuis, vel grauis.
256 Grauis, & enormis pro eadem accipitur in iure 282.
257 Percussionum tria sunt genera, leuis, medtocris, & enormis.
258 Leuis cur sic dicatur, & qua ex digito, & vngue sequi possit.
259 Leuis fit notoria. & grauis ex multis personis cum scandalo.
260 Locus publicus de se leuem non facit grauem.
261 Mediocris percussio mediat inter leuem, & enormem.
262 Enormis mutilatio, occisio &c.
263 Iniuria atrox quænam dicatur iure ciuili.
264 Non attenditur. sed ius canonicum Cap. cum illorum, de sent. excom.
265 Mutilatio, percussio Prælati est enormis.
266 Mutilatio digiti est enormis.
267 Excæcatio, effosio oculi, præcisio labri.
268 Iuri ciuili non est standum, cum habetur ius canonicum.
269 Arbitrio absoluentis relinquitur, quæ sit leuis, aut enormis.
270 In dubio non est iudicanda enormis.
271 Percussio in loco publico, vt sit enormis nescio quid grauis læsionis continere debet cũ scandalo multorũ facta.
272 Excommunicatio hæc reseruatur Papæ extra articulum mortis.
273 Legatus à Latere ab ea absoluit etiam extraneos.
274 Cardinalis est pars capitis Papæ, Episcopus verò corporis eiusdem.
275 Nuntius Missus Nati sunt quatuor Pisanus, Remensis, Cantuariensis, & Eborensis.
276 Missus absoluit tantùm subditos in sua Prouinciâ, etiam ex enormi.
277 Natus non, sed solùm à Leui cum spectetur vt Episcopus.
278 Qui potest absoluere non solùm à leui, sed etiam.
279 Delegatus Principis subdelegat.
280 Absoluere potest à mediocri.
281 Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis.
282 Grauis, & enormis idem in iure 256.
283 Cap. Quoniam, de vita, & hon. explicatur.
284 Trident. sess. 24. cap. 6. comprehendit hunc casum.
285 Occultum delictũ, quod non est notoriũ.
286 Episcopus absoluit etiam ab enormi impeditum ire Romam.
287 Pueri qui facti adulti non tenentur se præsentare.
288 Puer dicitur ab anno decimo quinto inchoato ad 18.
289 Senex ab anno sexagesimo excluso absoluitur ab Episcopo.
290 Infirmi, qui recuperata sanitate debent se præsentare.
291 Impotens vt claudus, cæcus absoluitur ab Episcopo.
292 Pœna, & præmium non reportatur ex eodem facto.
293 Pauper, qui labore, & exercitio victum quotidie sibi quærit.
294 Inimicitia capitalis impedit ire Romam.
295 Filius familias excusatur.
296 Seruus nisi cum licentia domini.
297 Mulieres excusantur.
298 Moniales absoluuntur ab Episcopo, & à suo Superiore regulari.
299 Qui habet tantam potestatem, immo maiorem Episcopo.
300 Viri magnæ potentiæ absoluuntur ab Episcopo.
301 Mors dat ius ad absoluendum.
302 Officialis residens per se impeditur ire Romam.
303 Impeditus non tenetur mittere alium.
304 Episcopus quomodo se gerat in absoluendo impeditos ire Romam.
305 Præsentatio fit Legato à Latere, vel Papæ.
306 Non se præsentans recidit in eandem Censuram.
307 Mandatum à Papa recipiendum in præsentatione puto esse reprahensionem.
308 Præsentare nemo potest se per Procuratorem, sed ire debet, quia
309 Reprahensio fit persona præsenti per se.
310 Episcopus Iure ordinario absoluit hos impeditos.

311 Hac

311 *Hec facultas competit etiam Prælatis secularibus Nullius.*

312 *Æquiparantur enim Episcopis in iurisdictione.*

313 *Vnde in hoc veniunt sub nomine Episcopi*

314 *Papa Episcopos vocat* Frater *demonstratiuè, non taxatiuè.*

315 *Vicarius generalis absoluit impeditos.*

316 *Est enim eadem persona potestatiua cum suo Episcopo.*

317 *Vicarij Generalis potestas est ordinaria.*

318 *Capitulum sede vacante absoluit impeditos.*

319 *Confessarij Regulares hos impeditos seculares absoluere non possunt.*

320 Sublatis *eorum Priuilegijs.*

321 *In articulo mortis quilibet absoluit.*

322 *Periculum mortis in actu belli, naufragij.*

323 *Iudicat Episcopus qua percussio sit leuis mediocris, aut enormis.*

324 *In iure fit mentio solùm de leui, & graui, quæ est idem cum enormi.*

325 *Superiores regulares suos absoluunt, siue percutiant se in Claustro.*

326 *Siue extra in conspectu secularium.*

327 *Etiam excommunicatos ob enormem, etiam occisionem Clericorum.*

328 *Reseruatio restringit absolutionem ad reseruantem.*

329 Occisio, vulneratio, & percussio cuiusq; personæ *includit etiam seculares tàm Clericos, quàm Laicos.*

330 *Aliud est casus reseruatus, aliud Excommunicatio.*

331 *Regulares veriùs non absoluuntur à Casibus Bullæ Cœnæ Domini*

332 *In casibus reseruandis ex Cl. VIII. comprehenduntur etiam Excommunicationes.*

333 *Nouitij absoluuntur à Prælatis regularibus.*

334 Percutiens *extraneum religiosum à Superiore vtriusq; absoluitur, clericum verò secularem, ab Episcopo tantùm de iure inserto.*

335 *Extra corpus iuris à suo Superiore tantùm satisfactione datâ.*

336 *Casus propter quos Consulenda est sedes Apostolica per Regulares sunt Hæresis, Schisma, Falsificantes literas Apostolicas, & Infidelibus dantes prohibita, qui nunc sunt in Bulla Cœnæ Domini, in ordine ad absolutionem.*

337 *Reseruati verò in ordine ad Dispensationem, sunt ex Homicidio voluntario, Bigamià, & Mutilatione membrorum.*

338 *Episcopi non amplius absoluunt percussores Clericorum.*

339 *Exempti sunt Regulares ab Episcopis etiam de iure communi inserto.*

340 *Et non tantum ex Priuilegijs extra corpus iuris.*

341 Prælati *regulares maiorem habent potestatē in suos, quam Episcopi in suos.*

342 *Competentem illis etiam pro foro externo.*

343 *Satisfactio exequenda est de consensu Episcopi.*

344 *Priuilegia non tollunt ea, quæ pertinent ad Iustitiam.*

345 *Superior potest suos subijcere Episcopo pro absolutione.*

346 *Episcopus absoluit secularem suum, qui percussit Religiosum.*

347 *Regulares ex officio absoluunt Religiosos percussores. & non ex delegatione.*

348 *Superueniens delegatio non tollit potestatem Ordinario.*

349 Superiores *incidentes in hanc Censuram absoluuntur à suis* Confessarijs.

350 Superioris *nomine veniunt* Generalis, *Prouincialis, & Localis.*

351 *Si in Conuentu sunt tantùm duo, se inuicem absoluant.*

352 *Religiosus absolutus non reincidit, nisi in B. Cœna.*

353 *Nouitius absolutus, ad seculum reuersus non reincidit.*

354 *Cruciatà absoluitur percussor* Clerici.

355 *Episcopus absoluit à se declaratum excommunicatum.*

356 *Principium ponens, totum consumare debet.*

357 *Sententia est pars Processus.*

358 *Episcopus, & Inquisitor vt Iudices absoluunt in foro externo Hæreticos.*

359 *Verba:* Exceptis deductis ad forum contentiosum *referuntur ad Episcopum non Iudicem.*

DE PRIVILEGIO CANONIS.

INter priuilegia Clericalia connumeratur illud, quod Canonis nuncupatur suo Innocentio II. editum in Concilio Lateranensi anno 1139. relatum à Gratiano sub cap. Si quis 29. 16. q. 4. Præmissis ergo tractatibus de alijs Priuilegijs fori tum criminalis, tum ciuilis, & de gabellis, & alijs oneribus opus est hoc adiungere, quod est tenoris sequentis.

Si quis suadente diabolo huius Sacrilegij reatum incurrerit, quòd in Clericum, vel Monachum, violentas manus iniecerit, Anathematis vinculo subiaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absoluere, nisi mortis vrgente periculo, donec Apostolico conspectus præsentetur, & eius mandatum suscipiat.

De hac materià egi fusius tom. 2. impres- 2
sionis Lugdunensis, qui est pars prior consiliorum *Resol.* 28. *& tom.* 3. *resol.* 56. *&* 94. *& tom.* 4. *resol.* 110. *num.* 58. 88. *&* 89. *& ref.* 144.

num. 5. eodem tom. 4. in Decis. Miscellaneis dec. 30. 173. 340. & 391. & de percusione leui, graui, & enormi *tom. 5. in praxi crimin. cap. 96. de pœnis delictorum num.* 102. *fol.* 201. de hoc Priuilegio canonis pro Nouitijs eodem tomo 5. *de profess. regul. cap. 12. q. 1. fol.* 365.

Materia huius capitis est satis ampla, & licet præsens caput exigat tantùm ea, quæ ad hoc spectant in ratione Priuilegij, tamen exactè præsentis Canonis materiam in quinque sectiones diuidam. *In primà* agetur quinam Clerici, & Monachi gaudeant hoc Priuilegio, vel eo sint priuati? *In secundà*, quænam personæ percutientes incurrant excommunicationem? *In tertià*, quænam sint actiones inducentes hanc Censuram. *Quartà*, quænam causæ excusent ab eius incursione. *Quintà* de eius absolutione.

SECTIO PRIMA.

Quanam Persona ecclesiastica gaudeant, vel non gaudeant Priuilegio Canonis?

3 PRiuilegium Canonis hoc importat, quòd percutiens personam ecclesiasticam incurrat excommunicationem Papæ reseruatam; id dicitur Priuilegium Clericorum, quia persona quælibet ecclesiastica ratione huius status in ecclesia Dei nobilior, & præstantior tale Priuilegium meretur, quòd laicis non conceditur, quorum proinde percussores nullam incurrunt censuram. Qui ergo in actu vult gaudere hoc Priuilegio, retineat statum Personæ Ecclesiasticæ.

4 Nomine personæ ecclesiasticæ venit omnis homo vtriusq; sexus baptizatus, auctoritate ecclesiasticà publicà destinatus, & dedicatus specialiter Deo ad seruiendum Ecclesiæ, vel Ministris Ecclesiæ ex speciali obsequio, iuxta dicta cap. p. per totum. Quibus positis.

Quæres primò. An Clericus solùm tonsuratus gaudeat hoc Priuilegio?

5 ℞. Affirmatiuè, quia est persona ecclesiastica, & tonsuratus tantùm propriè dicitur Clericus, de quo in isto Canone. Quòd
6 tantùm tonsuratus sit clericus patet *ex cap. Ex literis 6. de transact. cap. cum contingat 11. de ætate, Glos. v. eod. Clem. de Vita, & honest. Barbosa v. eodem in Appellat.* Ergo gaudet hoc Priuilegio Canonis. Ita omnes *cum Glos. in hoc cap. v. In Clericum. Nauar. cap. 27. Regul. 99. Ampliat. 2. Paris. Vol. 4. cons. 40. num. 21. Barbosa hic num. 7. de Grassis Effectu 9. num. 68. Bonac. in Bullà disp. 2. q. 3. p. 6. sect. 3. num. 1. Dal Bene tom. 1. cap. 2. dub. 4. sect. 3. num. 1. Sayrus lib. 3. de Censur. cap. 26. num.* 4. Qui omnes cum
7 alijs nomine *Clerici* de quo in textu huius capitis, intelligunt illum qui est ordinatus aliquo ex septem Ordinibus, & etiam Primà tantum Tonsurà initiatus.

Quæres 2. An Clericus coniugatus gaudeat hoc Canonis Priuilegio?

℞. Affirmatiuè, si duxit vnicam, & eam 8
virginem, expressè *cap. vn. de Cler. coniug. in 6. dixi cap. 7. q.* 2. Illuc remitto Lectorem, & quod dico infrà. Vers. Secunda pars.

Quæres 3. An ad gaudimentum huius Priuilegij sit necessarium quòd Clericus seruet illa tria Tridentini Sess. 23. cap. 6. quod scilicet incedat cum habitu clericali, tonsurà, & quod seruiat Ecclesiæ?

℞. Clerici simpliciter tales, hoc est, non 9
coniugati, ad illa tria non tenentur, vtiq; coniugati cum vnicà, & virgine, & quidem solùm ad habitum, & tonsuram, non ad seruitium Ecclesiæ.

Prima pars pro simplici Clerico probatur, quia in Tridentino nulla fit mentio de hoc Priuilegio, sed tantùm de priuilegio fori, pro cuius vsu requiruntur illa tria, ergo in hoc standum est cap. huic, quod in persona solùm requirit Clericatum, quia Tridentinum hoc caput in nullo alterauit. Ita *Gonzal. Glos 5. §. 5. num. 7. Nauar. consil. 24. de Priuileg. cum alijs Barb. hic num. 9. & Allegat.* 12. *num.* 32. *De Marinis lib. 2. cap. 47. num. 6. & 7. Riccius part. 2. resol. 541. num. 5. Castropal. de Censur. disp. 3. p. 23. §. 1. num. 3. Diana par. 3. tract. 5. resol. 83. & part. 9. tract. 4. resol. 5. Dal Bene tom. 1. cap. 2. dub. 4. sect. 3. num.* 28. Et hanc puto esse certam Sententiam, & oppositum improbabile, vt expressè colligitur ex cap. Si verò 4. de sent. Excom. vbi percutiens Clericum comam nutrientem, si sciebat esse Clericum, incurrit excommunicationem, ergo.

Contrarium, quòd Clericus simplex in tonsura, & in minoribus constitutus carens aliquo ex requisitis à Concilio, non gaudeat Priuilegio canonis, docent *Felician. de censib. lib. 2. cap. fin. n. 14. Suarez de cens. disp. 12. sect. 1. num. 11. Conineb. de cens. disp. 14. dub. 15. n. 163. Bannez 2. 2. q. 12. art. 1. fine.* Cutellius *de Immun. eccles. lib. 2. q.* 24. ini- 10
tio id extendens etiam ad constitutos in Sacris. Probant primò, quia Priuilegium Fori difficilius perditur, quam Canonis, cum illud à Deo procedat, hoc ab homine, ergo eisdem requisitis hoc debet esse munitum, sicut illud. Quòd Priuilegium Fori difficilius
perdatur docent *Angelus v. Excom. 5. num.* 11
23. Siluester v. Excom. 6. num. 4. Abbas in cap. 1. de Apost. num. 6. & in cap. Perpendimus de sent. excom. Probant 2. quia sine habitu, & tonsurà depræhensus in enormibus perdit Priuilegium *cap. Perpendimus de sent. excom.* & tamen non perdit priuilegium fori, *cap. Si Iudex laicus, de sent. excom.*

com. in 6. Probant 3. quia Tridentinum allegat cap. Vn. de Cler. coniug. in 6. in quo fit expressa mentio de Priuilegio Canonis requirente delationem habitus, & tonsuræ. Quibus argumentis ibidem respondet ipse Dal Bene. Ego mox respondeo.

Ad primum dico, siue difficilius perdatur vnum Priuilegium, siue non, parum hoc refert, quia inde inferri non potest ad perditionem vnius perdi alterum Priuilegium, cum vnum ab alio non dependat in esse, neq; in pœnalibus fit extensio ab vno ab aliud.

Nec dicas, Clericus delinquens existens in minoribus probatus carere altero ex requisitis à Tridentino, vti priuatus Priuilegio Fori punitur à Iudice laico, & tamen non incurrit Excommunicationem, ergo id signum est, quod amisso Priuilegio Fori, perditur etiam Priuilegium Canonis, ac proinde ex eadem causa, qua perdidit Priuilegium Fori, amisit etiam Priuilegium Canonis, aliter Iudex puniens illum diceretur
12 iniicere manus violentas in Clericum & sic non euaderet excommunicationem. Quia

Respondetur, in hoc casu nō amittere Priuilegium Canonis ex defectu alicuius ex requisitis Tridentini, sicut perdit illud Fori, sed ex eo, quòd amittendo statum Clericalem per declarationem Iudicis ecclesiastici carere aliquo ex requisitis, factus & habitus vt secularis non amplius est Clericus quò ad Priuilegia sequentia statum clericalem. Dum verò Clericus siue habitu, vel tonsurâ, aut seruitio Ecclesiæ percutitur, ex hac percussione non perdit Priuilegium, immo tunc maximè illo vtitur contra percussorem. Adde, quòd Clericus delinquens probatus sine requisitis declaratur priuatus de iure Priuilegio Fori, talis verò nunquam declaratur priuatus Priuilegio Canonis, quando percussus fuit.

Ad secundum, illi textus cap. 14. & 23. de sent. excom. non faciunt ad rem, dum loquuntur de Clericis immiscentibus se in delictis enormibus, qui perdunt Priuilegium Canonis, de quibus infra sub quæst. 9. Nos verò loquimur de Clericis non criminosis, sed tantùm percussis, qui gaudent Priuilegio Canonis.

Ad tertium, verum quidem est, quòd in Tridentino fit mentio de cap. Vn. de Cler. coniug. quod illis adiungit seruitium Ecclesiæ, præter illa duo requisita tonsuræ, & habitus expressa in dicto cap. Vn. Ideo à Clericis coniugatis non infertur ad alios, qui merentur ampliorem gratiam in hoc Priuilegio Canonis.

13 Secunda pars, quòd in Clericis coniugatis cum vnicâ, & virgine requirantur illa tria requisita, expressè dicitur in vtroq; nempe in cap. Vn. vbi requiritur delatio habitus, & tonsuræ, tertium de seruitio seu ministerio Ecclesiæ faciendo additur à Tridentino. Ita omnes docent *cum Sayro lib. 5. cap. 26. num. 4. Bonac. in Bulla disp. 2. q. 3. p. 6. sect. 3. num. 3. Barb. hic num. 14. Dal Bene tom. 1. cap. 2. dub. 4. sect. 3. num 28. Castropal. de Censur. disp. 3. p. 23. num. 5.*

Quæres 4. An Clerici saluatici gaudeant Priuilegio Canonis? Vide Riccium par. 4. à resolut. 234. & seq. agit de istis Clericis, qui quidem adscribuntur seruitio Ecclesiæ, à quo recedere non possunt.

℞. Non gaudent, quia Priuilegium hoc 14
conceditur ratione Ordinis clericalis ex consil. 24. Nauari de priuileg. & colligitur ex hoc cap. vbi conceditur solis Clericis, & Monachis, sed isti verè non sunt Clerici cum Tonsurâ careant. Ita *Riccius ibidem, qui resol. 26. ait*, illos esse verè, & propriè personas ecclesiasticas, & gaudere solùm Priuilegio Fori in criminalibus, & exemptione à seruitijs, & oneribus personalibus tantùm, durante seruitio Ecclesiæ, ex responso Sacræ Congregationis à Gregorio 15
XV. approbato, resol. 230. *Barbosa ad cap. 6. sess. 23. num. 38.*

Quæres 5. An Clerici aliquâ Censurâ irretiti gaudeant hoc Priuilegio?

℞. Excommunicati, suspensi, & interdi- 16
cti personaliter siue tolerati, siue denuntiati gaudent Priuilegio Canonis, probatur, Tum quia adhuc sunt verè, & propriè Clerici. Tum quia inter effectus, quos Censuræ producere possunt, non reperitur is de Priuilegio Canonis, ergo illud retinent. Ita omnes *Abbas in cap. Ecclesia, de immun. Eccl. num. 8. Clarus q. 77. Vers. Sed numquid. Farinac. q. 28. num. 40. Bonac. in Bulla disp. 2. q. 3. p. 6 sect. 3. num. 5. Barb. hic num. 10. Dal. Bene tom. 1. cap. 2. dub. 4. sect. 3. num. 8.*

Quæres 6. An Clericus depositus gaudeat hoc Priuilegio Canonis?

℞. Affirmatiuè, quia inter effectus de- 17
positionis non reperitur iste de priuatione Priuilegij Canonis, ita præcitati Doctores, quibus addo *Glos. v. Seculariter cap. Dictum 9. dist. 81. de Grassis Effectu 1. num 817. Sayr. lib. 5. 20. num. 12. Bonac. de censur. disp. 4. p. Vn. num. 3. Barb. hic num. 11. & Alleg. 110. num. 3.* & alij communiter apud præcitatos, *Faber de Ordine disp. 2. num. 9.*

Quæres 7. An Clericus hæreticus gaudeat Priuilegio Canonis?

℞. Gaudet quousq; degradetur, & sic 18
non ex vi huius criminis incurrit priuationem huius Priuilegij, sed virtute Degradationis, ratio est, quia hæc priuationis Priuilegij pœna nullibi reperitur expressa in iure, ergo procedit à Degradatione, & sic intelligendi sunt allegati *à Farinac. q. 183. num. 33. à Barb. hic num. 12.* contra allegatos à

Digitized by Google

tos à Diana par. 9. tract.4.resol. 12. in fine.

Quæres 8. An Clericus irregularis sit priuatus hoc Priuilegio?

19 ℞. Negatiuè, quia inter eius effectus non reperitur ille de Priuatione Priuilegij Canonis. Ita præcitati Doctores sub q. 5. Confirmatur, quia non perdit Priuilegium fori *Riccius par. 3. resol.* 314. ergo nec Canonis, quod requirit solum clericalem statum. Retinet enim Priuilegium clericale *ex Verallo par. 1. dec.* 126. *idem Riccius par. 2. dec.* 284. *num.* 2.

Quæres 9. An Clericus immiscens se enormibus delictis sit priuatus Priuilegijs clericalibus, & sic Priuilegio Canonis?

℞. Affirmatiuè, trinus concurrentibus.

20 *Primò*, quòd delicta sint enormia. *Secundò*, quòd ea perpetrauerit dimisso habitu. *Tertiò* requiritur monitio, post quam remanens incorrectus, & vlterius alia perpetrans, statim, & ipso iure est priuatus omni Priuilegio.

Probatur; priuatio Priuilegij Canonis *ex cap. Cum non ab homine* 14. *cap. Perpendimus* 23. *de sent. excom.* Ita docent *Nauar. cap.* 28. *num.* 81. *Suarez disp.* 22. *de cens. sect.* 1. *num.* 14. *ex illis Castropal. disp.* 3. *de cens. p.* 23. *num.* 7. *Barb. in hoc canone. num.* 16.

21 Primum, quænam sint delicta enormia, declaratur, quòd delicta sint seditio, prælia, & aggressiones, *ex Bellet to part.* 1. *Disquisit. cler. tit. de fauore cler.* §. 3. *num.* 42. *apud Barb. ad cit. cap.* 14. *num.* 3. Enormia etiam dicuntur, propter quæ delinquens incurrit infamiam, *cap. infamet* 3. *q.* 7. Item Furtum *ex allatis à Riccio par.* 2. *resol.* 172. *num.* 3. *Farinac. q.* 8. *num.* 69.

Secundum de habitu dimisso, & Tonsurâ colligitur *ex citatis iuribus*, *& ex cap. Ex parte* 27. *de priuileg. cap. In audientia* 25. *cap. Contingit* 45. *de sent. excom.* Et in hoc nulla difficultas, quia textus sunt clari.

22 Tertium de trina monitione habetur expressè cit. *cap. In audientia* 25. *& cap. Contingit.* 45. *de sent. excom.* in quibus locis decernitur, quod Clericus vt laicus incedens tertiò monitus non resipiscens, perdit Priuilegium Clericale, vbi de priuilegio Canonis scilicet in c. 25. & in cap. 45. de Priuilegio Fori sermo est, quòd non perditur, nisi post trinam monitionem, si non resipiscat; & sic est necessaria contumacia, & inobedientia, vt post trinam monitionem sequatur declaratoria, quòd amplius non debeat gaudere Priuilegio clericali, ex allegatis à Barb. super dictum cap. 45. num. 5.

23 Ista autem monitio ter facienda est distinctis temporibus, personaliter ipsi Clerico, & nominatim, vt colligitur ex tenore verborum dictorum capitum. *Glos. v. Nominatim in Clem.* 1. *de vita, & honest. Cler. Sperellus decis.* 26. *num.* 2. *Suar. disp.* 22 *sect.* 1. *num.* 16.

Quæres 10. An Clerici ioculatores, gogliardi, & buffones gaudeant Priuilegio Canonis?

℞. Si per annum hanc artem exerceant sunt ipso iure priuati omni Priuilegio clericali & si infra annũ ab ordinario moniti ter, non desistunt, ab eodem per Sententiam priuantur omni Priuilegio clericali, Expressè *cap. Vn. de vita, & hon. Cler. in* 6. Ita docent *Laym. lib.* 1 *tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 4. *de Grassis Ep.* 9. *num.* 208. *Barb. in hoc can. nu.* 19. Isti autem Ioculatores, goliardi, & buffones sunt, qui in Comædijs publicis fabulas agunt personati, mouentes ad risum, facientes etiam actus turpes, & inhonestos Clerici autem nedum prohibentur hæc facere, sed etiam illis interesse cap. Presbiteri 19. dist. 34 Immo Laici ipsi, qui hæc exercuerunt prohibentur promoueri ad Ordines, cap. Martum 2. dist. 33. ibi: *Aut in Scena lusisse dignoscitur*, & cap. 96. dist. 2. de consecr. *Scenicis atq; histrionibus, cæterisq; huiusmodi personis, vel apostaticis conuersis, vel reuersis ad Dominum gratia, vel reconciliatio non negetur.* Demum istis suas pecunias dare propter eorum officium, peccatum est immane S. Aug. relatus cap. Donare 7. dist. 86. Infames sunt cap. 1. 4. q. 1. l. 1. §. Ait Prætor, ff. de ijs, qui not. infam. Ex his deducitur Histriones nostri temporis esse æquiuocè tales, nam licet quandoq; faciant ridere ex aliquo dicto facto, non tamen exhibent in suis scenis turpia, neq; obscæna, sed moralia repræsentant, quibus auditores instruuntur, vnde neq; eorum Comædijs interesse, neq; eis soluere aliquid est peccatum, *ex D. Thoma* 2. 2. *q.* 168. *art.* 3. *in corpore*, *Angel. v. Histrio*, *Tabiena v. eod. Siluest. v. Ars num.* 6. *vers. Septimo. Sanch. lib.* 9. *disp.* 46. *num.* 41. *Barb. ad cap.* 15. *de Vita, & hon.* Quare textus allegati loquuntur de Histrionibus qui turpia, & inonesta repræsentant & Satyras faciunt contra proximum, non autem de exercentibus Comædias nostris temporibus quæ moralia continent sine inhonestis, & cum istis Ordinarij locorum dispensare possunt ad Ordines, vt probaui consil. 78.

24

25

26

27

28

29 Clerici autem recitantes in publicis scenis secularium Comædias profanas etiam sine actis turpibus, & inhonestis sunt priuati Priuilegio Canonis cum alijs, iuxta superius dicta. Dixi *profanas*, quia in Ecclesijs, locis pijs, seu Monasterijs facientes repræsentationes spirituales non comprehenduntur in hoc capite, quia non faciunt ridere, neq; alliciunt ad inhonesta, sed monentes audientium instruunt, & excitant ad spiritualia.

Quæ-

Quæres 11. An priuatio Priuilegij Canonis contra criminosos, de quibus in q. 9. & contra ioculatores in q. 10. compræhendat etiam in Sacris constitutos?

30 ℞. Compræhendere non solum Clericos in minoribus, sed etiam in Sacris constitutos.

De Criminosis textus est clarus in cap. Cum non ab homine 14. de sent. excom ibi: *Occisores Clericorum, aut Presbiterorum, qui contempto clericali habitu tyrannidi, & enormitati se inuerecundè immiscent, in odium clericalis excessus, & terrorem, atq; correctionem similium, Canone lata sententia minime coercentur.* Textus conuincit Clericos siue in Sacris, siue non, criminosos enormiter esse priuatos Priuilegio Canonis, dum eorum percussores non sunt excommunicati.

31 De Histrionibus probatur ex tit. de vita, & honestate Clericorum, vbi nomen *Clerici* generaliter accipitur pro omni Clerico tam in maioribus, quam in minoribus constituto, cum agatur de eorum moribus, qui magis debent relucere in Sacris constitutis, quam in minoribus. Valet enim ar-

32 gumentum à Rubrica acceptum, *l. 1. ff si cert. petat. Megal. par. 1. lib. 5. cap. 4 num. 5. ex Oldrado cons. 22. & ab ea lex interpretationem accipit. l. imperator ff. de in diem adiect ex eodem Megalio cons. 33. num. 2.* Rubricarum enim summit totum nigrum *l. 1. C. de formulis, & impetrat.* Immo id clare habetur *in Cap. Clerici officia 15. de vita, & honest.* vbi de Histrionibus, in quo fit mentio de Sacerdotibus. Ergo compræhenduntur etiam in Sacris constituti.

Quæres 12. An Clerici exercentes artem macellarij, & tabernarij perdant Priuilegium Canonis?

33 ℞. Clericus coniugatus publicè per se ipsum exercens vnam ex dictis artibus, & non desistens intra terminum ab Episcopo præfixum, vel post tertiam monitionem sibi nominatim factam ipso iure est priuatus Priuilegio Canonis: Clericus verò simplex, id est non coniugatus non perdit Priuilegium Canonis, si gestet habitum, & tonsuram. Quò ad bona tamen subduntur oneribus laicis. *Cap. Vn. de Vita, & honest. Ita Bonac. de cens. disp. 2. q. 4. p. 4. num. 9. Barbosa in Canone num. 20. Castropal. de cens. disp. 3. p. 23. num. 9.* Compræhenduntur etiam in Sacris constituti, ex ratione adducta suo q. 11. & eo amplius, quia istos magis dedecet tale officium. Hic Parmæ Consortiales habent proprium macellum pro Clericis, vnde si quis eorum exerceret hanc artem, crederem non comprehendi sub hoc capite, quia macellarij, de quibus in hoc textu soluunt gabellam, in casu autem nostro nequaquam, quia non vendunt laicis.

Quæres 13. An Clerici se immiscentes negotijs secularibus perdant Priuilegium Canonis?

℞. Negatiuè, quia nullibi id exprimitur, 34
non in cap. fin. de vita, & honest. cler. vbi solum priuantur Clerici, qui tertiò moniti à negotiationibus secularibus se non abstinent, Priuilegio clericali quò ad sua bona, ibi *Glos. v. suis facultatibus* non tamen quò ad bona, quæ sunt Ecclesiæ, *ibidem Glos.* Abiectà negotiatione recuperant Priuilegium Immunitatis, vt non trahantur amplius ciuiliter coram Iudice seculari, nec teneantur soluere Gabellas. Vide ibi Barbosam.

Nonnulli tenent exercentes negotia secularia carere Priuilegio Canonis citantes dictum cap. fin. de Vita, & hon. cui iam respondimus, *& cap. in audientia 25. & cap. Contingit 45. de sentent. excom* Qui sunt *Layman Auila, de Graffis & Bonac. quos sequitur Barb. ad hunc canonem num.* 18. Sed illi textus loquuntur de criminosis non de negotiatoribus.

Quæres 14. An deferentes arma prohibita præc sè sine offensione sint priuati Priuilegio Canonis?

℞. Clerici tertiò moniti à suo Ordinario 35
non deponentes arma ipso iure perdunt Priuilegium Canonis. cap. In audientia 25. de sent. excom.

Quæres 15 An bigami gaudeant Priuilegio Canonis?

℞. Clerici in minoribus constituti vxo- 36
rem ducentes non virginem, sed corruptam, vel secundam, ipso iure sunt priuat. omni Priuilegio clericali, ergo & Canonis. Expressè *cap. Quisquis 5. dist. 84. & cap. Vn. de bigamis in 6.* Dix *cap. 8. q. 30. & q. 32.* probabilius laicum bigamum post mortem vxoris transeuntem ad Clericatum etiam sine dispensatione aquirere Priuilegium clericale, ac proinde Canonis, quia nullo iure prohibetur Priuilegijs clericalibus, licet arceatur à promotione.

Quæres 16. An male promotus aquirat Priuilegium Canonis?

℞. Affirmatiuè, quia in Bulla Sixti V. 37
contra promotos, incip. *Sanctum, & Salutare* 91. insertā in ea Clementis XIII. sub num. 11. apud Quarantam. v. Ordo, & in Bulla Vrbani VIII. incip. *Secretis* 33. in quibus agitur de pænis, nulla fit mentio de priuatione huius Priuilegij, sed tantùm in Bulla Vrbani, quod promoti ab alieno cum falsis dimissorijs minime gaudeant Priuilegio Fori, secuta prius desuper declaratione Iudicis ecclesiastici, iuxta quod dixi cap. 4. num. 47. & seq.

Nec obstat cap. 10. sess. 7. vbi promoti infra annum sede vacante ad minores nullo Priuilegio clericali præsertim in criminalibus possunt gaudere. Quia ibi nihil disponi-

tur

Digitized by Google

tur de Priuilegio Canonis, vt dicit *Lessius lib. 2. cap. 34. num. 93.* Vide quæ dixi *eodem capite 4.*

Quæres 17. An Sodomita gaudeat Priuilegio Canonis?

38 ℞. Gaudet, quousq; degradetur, & tradatur curiæ seculari, vt vltimo supplicio plectatur. Pius V. in sua incip. *Horrendum 22. §. 3. Omnes, & quoscunq; Presbiteros, & alios Clericos seculares, & regulares, cuiuscunq; gradus, & dignitatis tam dirum nefas exercentes, omni Priuilegio clericali, omniq; Priuilegio, Dignitate, & Beneficio ecclesiastico presenti Canonis auctoritate priuamus, ita quòd per Iudicem ecclesiasticum degradati potestati statim seculari tradantur.* Et ipsa priuatio huius Priuilegij, & aliorum requirit Sententiam declaratoriam criminis, non iuris, vt docent *Henriq. lib. 14. de irregul. cap. 5. num. 1. in comment. lit. F Graff. p. 1. decis. lib. 2. cap. 90. num. 7. Rodriq. tom. 1. cap. 210. num. 2. cum alijs Sanchez lib. 7. disp. 46. num. 18. & 20. Quaranta v. eod. Vers. Quinto.* Condemnatus autem, sed non traditus curiæ seculari, non perdit Priuilegia,
39 vt colligitur ex illa claus. *Ita quòd* quæ venit qualificatiuè apponendo conditionem præcedenti dispositioni *Galganet. de condit. & disposit. par. 2. cap. 1. q. 18. num. 10. Rota par. 4. tom. 1. dec. 282. num. 3.*

Quæres 18. An Clericus in minoribus constitutus carens vno ex requisitis præscriptis in Tridentino sess. 23. cap. 6. sicut tunc non gaudet Priuilegio Fori, ita censeatur carere Priuilegio Canonis? Vide cap. 6. 41.

40 ℞. Negatiuè, quia si Concilium dicto loco voluisset comprehendere Priuilegium Canonis, hoc expressisset, inquit Fagnan. tom. 3. in cap. Si quis de foro compet. num. 72. auctor huius quæsiti. Facit enim illud
41 commune axioma: quod si lex voluisset aliquid, illud expressisset, *l. si seruus, §. Prætor ait ff. de aquir. hered.* ibi *Non dixit.* cap. Ad audientiam 12. de decim s. Assignat
42 causam, quia Priuilegium Fori lædit Iudicē laicum, non autem Priuilegium Canonis, ideo disposuit de illo, deferendo querelis Officialiū secularium, non de isto, quod ad illos non pertinet. Demum refert responsum S. Congr. nam proposito dubio, an Clerici, qui decreto Concilij cap. 6. sess. 23. Priuilegio Fori priuantur, intelligantur etiam priuati Priuilegio Canonis. Die 16. Octobris 1582. S. C. censuit non intelligi priuatos.

Hactenus egimus de Priuilegio Canonis in ordine ad Clericos, subsequenter de eodem tractandum est in ordine ad Religio-
43 sos, qui in eo cap. Si quis 29. 17. q. 4. appellantur *Monachi* sub hoc autem nomine hic venit omnis Religiosus professus alicuius approbatæ Religionis, siue sit Monachalis, siue Mendicantium, siue Clericorum modernorum sine capucio, isti omnes veniunt sub nomine *Monachi*. Ita omnes *cum Barb. hic num. 21. Bonac. disp. 2. de Censur. q. 4. p. 1. num. 6. & in Bulla disput. 2. q. 3. p. 6. sect. 3. num. 7. Dal Bene tom. 1. cap. 2. dub. 4. sect. 4. Suarez disp. 22. de Censur. sect. 1. num. 19. Castropal. de Cens. disp. 3. p. 23. §. 1. num. 13.*

Quæres 19. An Religiosi, qui non sunt de ordine Clericorum, licet professi, vt sunt Religiosi laici, seu Conuersi gaudeant hoc Canonis Priuilegio? Ratio dubitandi est, quia hoc Priuilegium concessum fuit in honorem Sacramenti Ordinis eodem initiatis; sed Conuersi carent Ordine, immo prohibentur ad illos ascendere ex constit. Clem. VIII. de Nouitijs Vers. Tempore verò. *Sed quia ad Conuersorum habitum recepti fuerint ad Clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis non possint.* Quibus non obstantibus.

℞. Gaudere, quia in hoc Priuilegio non 44
est minus Religiosus quàm sint constituti in aliquo Ordine, cum sint verè Religiosi; & tonsurati tantùm illo gaudent, & tamen carent Ordine in sententia Theologorum. Est communis Expressè *cap. Non dubium 5. cap. ex tenore 10 Nauar. cap. 27. num. 79. Suar. disp. 22. sect. 1. num. 19. Castropal. de cens. disp. 3. p. 23. §. 1. num. 13. Bonac. cit. Barb. ad canonem 23.*

Licet in aliquibus Religionibus nō emittant Professionem, gaudent enim Priuilegijs professorum; nec allati textus requirunt hanc conditionem Professionis; Quare ad rationem dubitandi respondetur, illum textum non solum respexisse ad honorem Ordinis, sed etiam ad statum ecclesiasticum, in quo reperiuntur Conuersi.

Quæres 20. An Nouitij gaudeant hoc Priuilegio?

℞. Sic, expressè *cap. Religioso 21. §.* 45
Quamuis, de sent Excom. in 6. Nullus contradicit. Ita præcitati *Decian. lib 6. cap. 17. num. 9 de Vecchijs Capuc. disp. 11. dub. 10. de Graffijs Effectu 9. num. 72. Barb. in dicto cap. num. 3. & in Canone num. 24. Sperell. dec. 16. num. 10. & 13. dec. 21. num. 19. ibi ex Coriol. de casibus reseru. par. 2. casu 10. §. 10. num. 19.* etiam Nouitius primi diei receptionis habitus. *Donatus par. 4. tract. 6. q. 4.*

Quæres 21. An Donati, seu alio nomine nuncupati Oblati cum Religiosis degentes gaudeant Priuilegio Canonis, licet non emittant Professionem in quibusdam Religionibus, vt in Augustiniana, in qua prohibentur profiteri?

℞. Affirmatiuè quia reuerà sunt Personæ 46
Ecclesiasticæ, & gaudent Priuilegijs Religiosorum. Ita omnes *cum Gloss. v. Religio-*

nis

Digitized by Google

uis conuersos, cap. Non dubium 5. de sent. Excom. Leo X. in Bulla incip. Dum intra 22. §. 20. Rodriq. tom. 3. q. 1. art. 8. & q. 21. art. 1. Miranda tom. 1. q. 29. art. 3. Lezana tom. 2. cap. 8. num. 5. cum alijs Donatus par. 4. tract. 13. q. 4. num. 3.

Quæres 22. An Laici bigami, vel Clerici pariter bigami intrantes Religionem gaudeant Priuilegio Canonis?

47 ℞. Omnes ingredientes assumptione habitus incipiunt gaudere Priuilegio Canonis, nonobstante Bigamia, quæ sicut illos non arcet ab ingressu Religionis, vt probaui cap. 8. q. 35. ita neque à Priuilegio Canonis, licet priuet Clericum bigamum ex dictis ibidem q. 24. non tamen eundem post mortem vxoris ingressum Religionem, cum in illis textibus fiat mentio solùm de statu seculari, non regulari; & loquendo de Bigamia facti in seculo ante Clericatum, certum omninò est, hunc non esse priuatum Canonis Priuilegio, si post vxorem mortuam fiat Clericus, cum nullibi in iure reperiatur hæc priuatio, multò minus impeditur ab aquisitione huius Priuilegij per ingressum Religionis, ergo illo gaudet. Ita docent de quolibet bigamo *Bonac. de Censuris disp. 2. q. 4. p. 1. num. 6. Silu. v. Bigamus q. 8. Sayr. lib. 3. cap. 27. num. 32. Suar. disp. 22. sect. 1. num. 19. Castropal. de censur. disp. 3. part. 23. §. 1. num. 13.*

Quæres 23. An Religiosi Apostatæ gaudeant Priuilegio Canonis?

48 ℞. Vtique, quia in iure non inuenio hanc priuationis pœnam contra Religiosos apostatas fulminatam, ergo contra illos asserenda non est, dum non inuenitur. *Diana par. 9. tract. 4. resol. 12*

49 Procedit etiamsi tonsuram, & habitum dimittat, si est Clericus regularis; quicquid dicat Lezana v. Apostasia num. 14. inferens, hunc esse duplicem Apostatam, à Religione scilicet, & à Clericatu, ac proinde incurrere pœnas contra Apostatas à Clericatu, inter quas est priuatio Priuilegij Canonis cap. 1. de Apostatis. Quia illud cap. cum sit odiosum, & expresse loquatur de Clericis, sub eo nomine non veniunt Religiosi, *Abbas in cap. 1. Ne cler. vel mon. num. 7. in cap. 1. de instit. num. 3. & in cap. 1. de iuram. Calum. Roman. cons. 259. & 418. cum illis Barbosa Appell. hac 51. num. 7.*

Quæres 24. An Religiosi à Religione eiecti gaudeant, siue sint ordinati, siue laici?

50 ℞. Gaudent, quia adhuc verè sunt Religiosi, sicut sunt etiam Apostatæ, neutri enim eorum excutere à se possunt iugum Professionis, aliter essent melioris conditionis viuentibus intra claustra. De vtrisq; probatur per Bullam Vrbani VIII. incip. Sacra 26. §. 7. *Sic verò eiecti, quandiu non redierint ad Religionem in habitu Clericali incedant, atque Ordinarij loci iurisdictioni, & obedientiæ subsint*. Ergo gaudent Priuilegio Canonis, de quorum priuatione non constat, quorum tamen status clericalis manifestus est, sicut & regularis ex professione vt ita dicam, immortali, & indelebili, dum viuit. Ita *ex Portello Diana cit. resol. 44.*

Quæres 25. An inualidè receptus ad habitum Probationis, vel etiam ad Professionem gaudeat Priuilegio Canonis?

℞. Gaudet in vtroque casu, quia Priuilegium radicatur in assumptione habitus auctoritate publicà, ob honorem enim habitus regularis conceditur Priuilegium, vt probaui Resol. 28. q. 9. & 10. num. 24. & 25. Miscell. 173. tom. 4. fol. 429. 51

Contrarium, quòd scilicet inualidè receptus ad habitum probationis non aquirat Priuilegium Canonis docet *Sanchez lib. 5. cap. 4. num. 24. cum eo Bonac. in Bulla disp. 2. q. 3. p. 6. sect. 3. num. 7. Maronus Resp. 80. num. 29.* Probant, tum quia admissio inualida nullum Priuilegium conferre potest. Tum quia inualidè tonsuratus nullum Priuilegium aquirit, vt si promoueatur ab alieno Episcopo sine licentia proprij.

℞. Ad primū, negando antecedens, aquisitio enim Priuilegij non oritur ex illa actione transeunte, sed ab illo Statu regulari, qui sicut illi prodest in ordine ad Professionem permanendo in probatione, ita & in aquisitione Priuilegij; quòd si quandoq; ex irrita receptione oritur inualida Professio, tamen talis Nouitiatus consistens propriè in experientia austeritatis Status regularis prodest ad ratificationem, ergo & debuit prodesse antecedenter ad aquirendum Priuilegium Canonis. Et ex his.

℞. Ad secundum, laicū nulliter tonsuratum non aquirere Priuilegia clericalia, quia adeptus non fuit Caracterem, in quo fundatur Priuilegium clericale, cum ergo is nullo modò sit factus Clericus, sed adhuc merus laicus, nihil aquisiuit. Laicus verò factus reuerà est Nouitius, & assumpsit Statum regularem sibi vtilem, ergo, & Priuilegium Canonis. Et ex his patet responsum ad Dianam *par. 9. tract. 4. resol. 34.* Quod ait Bonacina, non valere Tonsurationem ab alieno Episcopo collatam, falsum est ex probatis à *Pagnano in cap. Cum contingat de Ætate num. 117.* vbi respondit S. C. valere, quod dubium esse non potest in sententia Canonistarum, qui tenent illam esse Ordinem, constat enim validam esse Ordinationem factam ab alieno Episcopo etiam contra voluntatem proprij, quia valor Ordinationis pendet à potestate Ordinis, quam nullus impedire potest.

Quæres 26. An pueri oblati ante decimum quartum annum recipientes habitum

tum Religionis, vt poſtea tempore debito
incipiant annum probationis initio ſcilicet
decimi quinti, gaudeant Priuilegio Cano-
nis?
52 ℟. Gaudent, quia ad gaudendum hoc
Priuilegio ſufficit, quòd perſona ſit eccle-
ſiaſtica mutatione habitus, & conuerſione
ad Deum mancipata diuino obſequio, &
orationi, atque contemplationi dedita,
Gloſ. v. Conuerſi, cap. Duo ſunt 7. q. 1. vbi
aſſignantur duo genera Chriſtianorum,
53 vnum eorum, qui Deo ſpecialiter ſeruiunt,
vt Clerici ex Ordine, & aliæ perſonæ ec-
cleſiaſticæ, vt omnes Conuerſi ad Deum,
qui ſcilicet relicto habitu, & vita ſeculari vi-
uunt more Religioſorum, recipientes ſci-
licet habitum auctoritate eorum cum quibus
habitant communiter. Alterum eſt eorum,
qui vitam degunt ſecularem; ſed iſti pueri
non ſunt huius generis, ſed prioris, geſtant
enim habitum eorum Religioſorum, cum
quibus viuunt Deo ſeruientes, *ex dicta*
Gloſſ. & v. Religionis conuerſos, cap. Non
dubium 5. de ſent. excom. in quibus locis
dicitur, quòd gaudent Priuilegio Canonis.
54 Nomen autem *Conuerſi* non ſumitur ra-
tione peculiaris ſtatus prout contra diſtin-
guitur à Clericis, ſed vt dicit à ſeculari ſta-
tu conuerſionem ad Statum regularem.
Confirmatur, quia eſto hi pueri non ſint
propriè Nouitij, quia non ſunt capaces pro-
bandi auſteritates, & ſtimulos carnis ante
decimum quintum annum, ſunt tamen per-
ſonæ eccleſiaſticæ, & non laici, ex dictis,
ergo debent gaudere hoc Priuilegio cum
alijs Eccleſiaſticis. Præterea connumeran-
tur inter Tertiarios, qui hoc gaudent Pri-
uilegio, vt mox de iſtis probabo. De his
Pueris oblatis Monaſterio agitur 20. q. 1. ex
quibus deducitur, eos planè eſſe perſonas
Eccleſiaſticas, cum Deo ſpecialiter ſint
oblati à parentibus, & recepti a Superioribus
regularibus, ergo nulli dubium eſſe debet,
illos gaudere Priuilegio Canonis, licet non
ſint Profeſſi, nec propriè Nouitij. Ita ſen-
tit etiam *Sanchez lib. 5. cap. 4. num. 24. ci-*
tans Paludanum in 3. diſt. 39. q. 3. in quaſt.
2. fine, Angelus v. Nouitius num. 21. &
Bonac. in Bulla diſp. 2. q. 3. p. 6. ſect. 3. num.
7. Qui Sanchez, & Bonacina requirunt va-
lidum ingreſſum, vnde ſi non poſſint reci-
pi obſtante prohibitione, non gaudent, ſi-
cut nec recepti carentes vſu rationis. Dicas
tu hoc gratis aſſeri, quia hoc Priuilegium
fundatur in mutatione vitæ à ſtatu laicali ad
regularem, qui reuerà talis eſt, eſto recep-
tio ſit nulla, nam is actus vti tranſiens ſpe-
ctandus non eſt, ſed eius effectus; neque
carentia vſus rationis aduerſatur tali ſtatui,
neque ingredienti, quia Priuilegium non
pendet ab vſu rationis, ſed à ſtatu, aliter
Clericus, vel Profeſſus incidentes in amen-
tiam perderent hoc Priuilegium, quod di-
cere abſurdum eſt, neque enim afflictio ad-
denda eſt afflictio.

Quæres 27. An Religioſi militares gaude-
ant Priuilegio Canonis?

℟. Gaudent non ſolùm Profeſſi, ſed 55
etiam Nouitij horum Ordinum proportio-
naliter ſicut dictum eſt de Religioſis clauſtra-
libus, ſunt enim vere Religioſi, ex quo pro-
fitentur tria vota Obedientiæ, Caſtitatis, &
Paupertatis, iuxta exigentiam ſuorum Or-
dinum; nec eſt facienda vis aliqua in votis
Paupertatis, & Caſtitatis, quia horum ob-
ſeruantia habet latitudinem, nam in
Clauſtralibus reſtriguntur, in Militaribus
extenduntur, obſeruantia ergo illorum
cum ſe habeat ſecundùm magis, & minus
non diſtinguit inter hos propriam Religionis
generalem eſſentiam, itaut Religio clauſtra-
lis talis ſit propriè, militaris verò impropriè
quia magis, & minus non mutant ſpeciem,
hoc eſt, eſſentiam Religionis vt ſic verè, &
propriè acceptæ, quæ eſt Profeſſio trium
votorum, hoc verò, vel illo modo non per-
tinet ad veram rationem Religionis, quæ
certe conſiſtit in profeſſione illorum trium,
D. Thomas 2. 2. q. 186. art. 9. Sanch. *lib. 5.* 56
cap. 1. num. 16. & lib. 6. cap. 4. num. 9. Rota
par. 6. dec. 333. num. 1. alios plures ego cita-
ui tom. 5. de Profeſſ. regul. cap. 1. q. 12. vbi
multis Doctoribus alijs ſubductis tutoribus
probaui Militares eſſe verè Religioſos num.
92. Multos etiam citat Barb. Allegat. 12.
num. 48.

Profeſſi ergo Ordinum militarium gau- 57
dent Priuilegio Canonis. In primis Malten-
ſes. *Nauar. conſil. 13. de regul. Sanch. lib. 4.*
cap. 16. num. 11. de Graſſis Effectu 1. num.
109. & Effectu 9. num. 131. cum. alijs Bonac.
in Bulla diſp. 2. q. 3. p. 6. ſect. 3. num. 8. Ca-
ſtropal. de ſenſ. diſ. 3. p. 23. §. 1. num. 15.
Barb. In hoc canone num. 27. & Allegat. 12.
num. 46. Sperell. deciſ. 21. num. 7. ex cap.
Canonica 50. de ſent. excom. Vbi ſuponitur
Fratres huius Ordinis gaudere Priuilegio
Canonis. Ibidem num. 18. de Nouitijs gau-
dentibus hoc eodem Priuilegio.

Cæterorumq; Ordinum fratres militares
S. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, & alio-
rum Ordinum eodem gaudent Priuilegio
cum ſuis Nouitijs, *Diana par. 5. tract. 13.*
reſol. 44. & par. 9. tract. 4. reſol. 7. Megal.
par. 3. lib. 5. cap. 10. num. 40. Lezana tom.
2. cap. 5. num. 38. vbi de eorum Nouitijs,
cum Sperello *deciſ. 2. num. 130. Verſ.* Con-
trarium, Barb. Allegat. 12. num. 55. Caſtrop.
cit. num. 16. Bonac. in Bulla cit. num. 9. ex
cap. Religioſo 21. §. quamuis, de ſent excom.
vbi nomen Nouitij propriè competit etiam
militaribus tyronibus.

Quæres 28. An Tertiarij gaudeant Pri-
uilegio Canonis. Sermo hic non eſt de Ter-

58 tiarijs regularibus S. Francisci tria vota solemniter profitentibus more aliorum Ordinum, satis enim notum est hunc Ordinem connumerari inter veras Religiones approbatas, vt ego, qui huius Ordinis indignus sum alumnus, probaui in Cronologio Tertij Ordinis cap. 8. per totum. Sed de alijs Tertiarijs qui sunt in duplici differentiâ, alij viuunt in proprijs domibus, alij, qui collegialiter viuunt inter se, & cum claustralibus veris Religiosis vitam communem cum illis degunt. His distinctis.

59 ℞. Tertiarij vtriusq; sexus in proprijs domibus degentes, esto profiteantur certum viuendi modum non tamen gaudent Priuilegio Canonis, sicuti qui viuunt collegialiter, seu cum claustralibus habitant. Expressè Leo X. in Bulla incip. Dum intra 22. §. 20. *Collegialiter autem viuentes, seu cum claustralibus habitantes, ac mulieres virginalem, seu cælibem, aut castam vidualem, expresso voto, & sub dicto habitu vitam ducentes, Priuilegijs, quibus Fratres Ordinis, cuius Tertiæ Regulæ habitum gestant, gaudere debeant*. Si gaudent Priuilegijs, quibus eorum Ordo potitur, ergo, & hoc Canonis. Est communis, quòd habitantes in proprijs domibus non gaudeant, vtique cum claustralibus habitantes *Miranda tom. 1. q. 36. art. 4. concl. 2. Ciarlin. cap. 18. num* 16. *Dal Bene tom. 1. cap. 2. dub. 4. sect. 3. num.* 10. *&* 11. *Bonac. in Bulla disp. 2. q. 3 p. 6 sect. 3. num.* 10. *Castropal. disp. 3. de censur. p. 23 §. 1. num.* 14. *Barb. in Canone num* 15 Ratio cur isti gaudeant, & non illi, licet Deo meliori modo seruiant, quam seculares alij, ea est, quia vt Deo deuotus, & conuersus à seculo, debet cum habitu viuere sub Obedientia Superioris regularis, licet non emittat Professionem. De fæminis Tertiarijs infra q. 33. de viris plura alia dixi Resol. 75. à num. 44. & seq. & cap. 4. cap. 10. cap. 16.

Quæres 29. An Hospites Clericorum Theatinorum gaudeant hoc priuilegio?

60 ℞. Vtique, vt multis probaui *resol.* 100. *num.* 91. *tom.* 4. impressionis Lugdunensis. Idem habet *Dal Bene tom. 1. cap. 2. dub. 4. sect. 4. num. 7. contra Pasqual. dec.* 424. cuius rationibus respondi loco citato. Iterum rem inpugnat q. 96. contra Dianam.

Quæres 30 An Eremitæ gaudeant Priuilegio Canonis.

61 ℞. Affirmatiuè, si habitum receperunt ab Episcopo, vel Superiore regulari, cuius habitum gestant in communitate viuentes, quia mutarunt statum, & habitum, specialiter modo ad Deum conuersi *ex Glos. v. Conuersi cap. Duo sunt 7. 12. q. 1. & v. Religionis conuersos, cap. Non dubium 5. de sent. excom.* Ita docent *Nauar cap. 27. num. 70. Rodriq. tom. 3. q. 63. art. 4. cum alijs Barbosa in hoc canone num. 25. Dal Bene tom. 1. cap. 2. dub. 4. sect. 4. num 17. Bonac in Bulla. disp. 2. q. 3. p. 6. sect. 3. vers. Ex quo, prope finem.* In Vmbria prope Spoletum præsertim, plures Eremitæ sub habitu Tertij Ordinis S. Francisci morantur in locis solitarijs sub Obedientia tamen maioris Eremitæ aliorum Superioris.

Quæres 31. An Tertiarij S. Francisci, & alij inseruientes continuò Monialibus Capucinis, vel alterius Ordinis, quærendo eleæmosinas pro illis, gaudeant hoc Canonis Priuilegio?

℞. Affirmatiuè, quia cum illis, licet ex- 62
tra clausuram, dicuntur habitare. Ita *Bonac. cit. in Bulla num.* 10. *Vers. Hinc sequitur.* Dixi tom. 2. resol. 28. num. 19.

Quæres 32. An Moniales gaudeant hoc Priuilegio Canonis?

℞. Affirmatiuè tam Nouitiæ, quam 63
Professæ, non autem in monasterio existentes causa educationis. De Monialibus deputatis ad Chorum, & de earum Conuersis expresse *in cap De Monialibus 33. de sent. Excommun. Bonac. de cens q. 4. p. 1. num. 6. & in Bulla num. 7. Vers. Nomine, Barb. in hoc Canone num. 21. Sperell dec. 45. num 60. & 61. Tambur. de iure Abbatis. disp. 17. q fin. num.* 4. Et cum in fauorabilibus sub nomine *Monialium* veniant etiam Nouitiæ, sicut sub nomine *Religiosi* venit Nouitius, sequitur hoc Priuilegium competere etiam Nouitiabus. Donzenantibus verò nullo modo competit hoc Priuilegium, quia non dedicantur Deo sicut Professæ, & Nouitiæ.

Quæres 33. An Mulieres Tertiariæ in domibus suis habitantes cum voto simplici Castitatis gaudeant Priuilegio Canonis?

℞. Affirmatiuè, vt colligitur ex Bullà 64
Leonis X. cuius verba retuli sub q. 28. & ibi citantur Doctores, sunt enim Deo dicatæ publicà auctoritate, ergo merentur hoc Priuilegium.

Quæres 34. An dicta de Clericis locum habeant in Religiosis.

℞. Affirmatiuè e.g. quod censurati, de- 65
positi, & irregulares non perdunt Priuilegium Canonis, in quibusdam alijs perdunt.

Quæritur 35. An incorrigibilis perdat
Priuilegium Canonis? Incorrigibilis autem 66
ille dicitur, qui post trinam monitionem non se corrigit, sed ex quadam sua prauà inclinatione permanet in male agendo. Non sufficit autem vna monitio, sed tres distinctæ faciendæ sunt in faciem ipsius incorri-
gibilis, *ex Saneb. lib. 6. cap. 9. num. 4. Por-* 67
tel. v. Eijcere, §. Secundò. Riccius par. 1. dec. 87. Quia quis non potest dici incorrigibilis, nisi ex præmissà monitione probe-

tur inobediens, quæ vnica non sufficit, dum
incorrigibilitas importat permanentiam in
malo, ergo pluries debet esse inobediens
Superiori, & sic ter exemplo deducto à cor-
rectione fraterna, nam correctus tertiâ vi-
ce non se emendans traditur Satanæ, idest,
degradatur ab Ordinibus. Vide quæ latius
dixi in Practicâ Criminali tom. 5. impress.
Lugdun. cap. 98. per totum.

Delicta autem propter quæ quis decla-
randus est incorrigibilis, debent esse plura,
vt possit ter moneri, & sic post tertium de-
lictum prosequens malè agere, non emen-
datus ex monitionibus incipit esse incorri-
gibilis, vnde, & talis declarandus est. De-
licta autem debent esse grauia, & enormia,
vt Homicidium, multiplex furtum, concu-
binatus, sodomia, sed tio, falsificatio lite-
rarum Superiorum, &c. Vide cap. Cum
non 10. de Iudic.

68 ℞. Declaratum incorrigibilem statim
perdere Priuilegium Canonis, *ex cap. Cum
non 10. de Iudic.* iuxta dicta hic *q. 9. & seq.*
clarius *ex cap. In audientia 25. de sent. Ex-
com.*

Quæres 36. An degradatione perdatur
Priuilegium Canonis?

69 ℞. Affirmatiuè, ex cap. 2. de Pœnis in 6.
extremis verbis, & ibi *Glos. v. Priuilegio
clericali*, hoc est, Canonis, & Fori. Ita
omnes cum *Bonac. de cens. disp. 4. num. 3.
Castropal. de cens. disp. 4. p. fin. num. 2. Dia-
na Par. 9 tract. 4. resol. 29. contra Martam,
Suarez disp. 30. de Cens. sect. 2. num. 7.*
Doctores allegati à Barb. 110. num. 11. &
12. asserunt Clericum solùm propter tria
70 crimina esse degradandum, quæ sunt Hæ-
resis, Crimen falsi in literis Apostolicis, &
Conspiratio contra proprium Episcopum.
In reliquis verò esse deponendum verbali-
ter, quæ enumerat num. 10.

71 Degradatio autem differt à Depositione
quòd hæc est priuatio omnis Officij, & Be-
neficij in perpetuum absq; spe illa conse-
quendi, cum retentione Priuilegij clerica-
lis, quod perditur in degradatione, quæ
degradatum ordinat in illis tribus crimini-
bus esse tradendum Curiæ seculari vltimo
supplicio plectendum.

Quæres 37. An ad Triremes damnatus
perdat Priuilegium Canonis?

72 ℞. Non perdere, quia hæc pæna nullibi
expressa in iure reperitur, vnde illum per-
cutiens reus est Excommunicationis. Con-
suetudo tamen se habet, quod Ministri tri-
remium illos verberantes ex causâ, excusan-
tur ab hac Censura, quia alium Superio-
rem, & Iudicem non habent, quando de-
linquunt, qui illos puniat. Ita *Nauar. com-
ment. 3. de Regul. num. 52. Miranda tom. 1.
q. 52. art. 8. cum alijs Peyrinus de Subd. q.
1. cap. 27. Vers. Dico quartò; Donatus par.
2. tract. 9. q. 15. Diana par. 9. tract. 4. re-
sol. 17.*

Quæres 38. An dispensatus in Sacris
constitutus ad ducendam vxorem perdat
Priuilegium Canonis?

℞. Vtique à contractione Matrimonij, 73
quia tunc incipit esse laicus, solo caractere
retento. Ita *ex Squilante Diana cit. resol. 40.*

SECTIO SECVNDA

Quinam Percussores incurrant Ex- communicationem?

QVæres 39. Quid importet illud ver-
bum *Si quis*, à quo initium capit Ca-
non 29. 17. q. 4. de quo hic agimus?

℞. Compræhendit hominem baptiza- 74
tum tam masculum, quam fœminam. Di-
co *baptizatum*, quia solùm is est capax Ex-
communicationis, cum hæc sit pæna spiri-
tualis conueniens solis Baptizatis. Ita om-
nes *cum Sayro lib. 1. cap. 8. num. 6. Bonac. q.
1. 4. num. 7.* Nullus contradicit. Dicto *Si* 75
quis tam Masculos, quam Fœminas com-
plectitur, *Expressè l. 1. ff. de verb. signif.* In
terminis nostris *Glos. v. Si quis super hoc
cap. 29. 17. q. 2. Carena resol. 122. num. 2. Sa-
yrus lib. 3. cap. 26. num. 2. Castropal. disp. 3.
de Cens. p. 23. §. 2. num. 1.* Quicumque sit
ille, etiam eminenti dignitate fulgens; nul-
lus ergo excipitur, quia quilibet Ordinis
Sacramento iniuriam facere potest etiam
Cardinalis, & pariter statui religioso.

Quæres 40. An Papa percutiens sit reus
huius Canonis?

℞. Negatiuè, quia Princeps suis legibus 76
solutus est. *l. Princeps 31. ff. de legib.* intel-
lige, quò ad vim coactiuam, quia nemo
potest seipsum cogere ad pænam subeun-
dam, cum ab alio sit coactio. Quò ad vim
autem directiuam tenetur Papa se abstinere
à percussione, cum sit prohibita iure natu-
rali, ad quod etiam ipse Summus Pontifex
tenetur.

Quæres 41. An præter Percussorem alij
incurrant Excommunicationem concurren-
tes ad percussionem aliquo modo?

℞. Sic, nempe Mandans, Consulens, 77
Consentiens, non Impediens, & ratum ha-
bens sunt rei huius Censuræ.

Mandans Percussionem secutam incurrit
Excommunicationem, nisi mandatum an-
te Percussionem reuocauerit, & notum fe-
cerit mandatario ne offendat. Primum col-
ligitur *ex cap. Mulieres 6. §. Illi verò, de
sent. Excommun. Sayr. lib. 3. cap. 26. num.
22.* Castropal. *disp. 3. p. 23. §. 2. num. 5.
Suar. disp. 22. de Cens. sect. 1. num. 55.* De
mandato reuocato excusante ab hac pœna, 78
*ijdem Doctores, cum alijs Barb. ad Canonem n.
41. Bonac. de Censur. disp. 2. q. 4. p. 3. n. 1. & 2.*

Consu-

79 Consulens percussionem reus est huius Censuræ secuto effectu; excusatur, si consilium reuocauit ante Percussionem, modò ad eum peruenerit cognitio reuocationis; colligunt Doctores præcitati ex cap. Quantæ 47. eod. ibi: *Ne autem solos violentiæ huiusmodi auctores aliquorum præsumptio existimet puniendos facientes, & consentientes pari pœna plectendos*. Quia consilium non datur sine consensu propriæ voluntatis in id, quod consulitur; ideo reus est huius pœnæ, quia cooperatus est ad Percussionem. Reuocatio autem consilij debet esse efficax
80 hoc est, firmata solidis rationibus; In reuocatione mandati, sufficit, quod intimetur mandatario, volo, vt non percutias. Vide, quę latius dixi de mandato ad Homicidium cap. 1. de Homicidio à num. 193. & 222. & subsequenter de Consilio, quæ faciunt ad intelligentiam mox dictorum.

Notandum autem est, vt locis citatis probaui, non incurri Censuram à mandante, nec à consulente, si serò suum reconciliatum animum notificauerunt mandatario, & consiliario, quamuis postea sequitur percussio, quia præsumitur id euenisse ex eorum malà voluntate, & non ab influxu morali illorum, dum per reuocationem euanuit. Sic docent *Silu. v. Homicidium 1. num. 11. Layman lib. 1. tract. 5. par. 2. cap. 5. num. 7. Vers. Resolutio; cum alijs Castropal. disp. 3. p. 23. §. 2. num. 9.* Vide Dianam trahentem ad suum sensum Castropalaum par. 9. tract. 4. resol. 15.

Consentiens, instigans, cooperans ver-
81 bis, vel factis incidit in Excommunicationem, ex illo cap. 47. & communi axiomate, quod agentes, & consentientes pari pœna puniuntur, habente locum in hoc Canone, cum sit de materià fauorabili ad ho-
82 norem Status ecclesiastici. Est communis apud Dianam par. 9. tract. 4. resol. 14.

Impedire potens Percussionem, & nó impediens, si tenetur ex Officio, incurrit Ex-
83 communicationem, secutà percussione, quia dicitur in eam consentire, *ex cap. Quantæ 47. de sent. excom.* Dixi, *si tenetur ex Officio*, cuiusmodi sunt Superiores, ratio est quia isti ex Officio teneutur malum imminens impedire, vnde non possunt se habere negatiuè, sicuti personæ priuatæ. Ita communior opinio *cum Nauar. cap. 27. num. 78. Diana Part. 9. tract. 4. resol. 3. Bonac. de cens. disp. 2. q. 4. p. 1. §. 2. num. 8. & in Bulla disp. 2. q. 3. p. 6. sect. 1. §. 2. num. 7. vbi. num. 9.* ait id minus spectare ad Iudices, Superiores, Parentes, Tutores, Parochos, Heros, Magistrum, & similes curam ha-
84 bentes aliorum, *ex Sayro lib. 3. cap. 26. num. 24.* Addo Magistrum pro Nouitijs, & pro Professis scolaribus, quorum percussiones impedire debet, alter negatiuè se habentes sunt rei excommunicationis. Habentes ergo Officium tenentur obuiare, sic etiam docent alij *cum Castropal. disp. 3. p. 23. §. 2. num. 13.* contra nonnullos obligantes omnes, sed eorum ratio non conuincit.

Demum ratam habens Percussionem ab 85
alio factam nomine suo, incurrit Excommunicationem; expresse cap. Si quis 23. de Sent. Excom. in 6. requiritur ergo, quòd sit facta nomine eius à percussore, quia vt ibidem dicitur, quis ratum habere nequit, quod eius nomine non est gestum. Dico *eius nomine*, quia si dedisset *Mandatum*, contineretur sub titulo mandati, non ratihabitionis. Ratificatur ergo id solum quod nomine proprio factum est ab alio; ratificare autem est alienum factum approbare, & laudare, non autem de eo tantum gaudere, seu ridere. Necesse autem est, vt tempore Percussionis, eum, cuius nomine facta est percussio, fuisse habilem ad peccandum, nam infans, vel amens tempore percussionis, non potest ratificare factam percussionem, quia ratihabitio retrotrahitur, & comparatur mandato, Reg. 10. in 6. & sic actus ratihabitionis percussionis iam factæ consideratur, & specificatur præcise respectu illius temporis, quò fuit facta percussio? Est communis *apud Dianam par. 9. tract. 4. resol. 14. Vers. Notandum. Megal. p. 3. lib. 4. cap. 1. q. 1. num. 7. Sayrus lib. 3. cap. 26. num. 25. Castropal. disp. 3. p. 23. §. 2. num. 14.*

Quæres 42. An percutiens seipsum cum magnà irà sit reus huius Excommunicationis?

℞. Sic, quia facit sibi iniuriam, & or- 86
dini, quem in se habet, *cap. Quod verò 10. 25. q. 2.* & dico infra *sect. 3. Vers. Sed quid.* is enim Canon conditus fuit in reuerentiam, & honorem clericalis Ordinis. Ita *Nauar. cap. 27. num. 88. fine, Clarus q. 77. num. 3. Suarez disp. 22 sect. 1. num. 59. Sayr. lib. 3. cap. 26. num. 20 de Graffis Effectu 9 num 82. alios plures citat pro se Sperell. dec. 45. num. 71.*

Barbosa ad Canonem num. 38. & 39. & Diana par. 9. tract. 4. resol. 8. conantur illum eximere ab hac Censurà, quia textus loquitur inter personas distinctas; & Priuilegium hoc conceditur magis contra personas agentes, quam fauore Status Clericalis. Sed reuerà finis huius Canonis fuit in honorem Status clericalis, cum non solùm persona agens distincta à patiente facit iniuriam, sed etiam idem agens in seipsum, qui non honorat Clericum, vt tenetur, dum seipsum offendit.

Quæres 43. An percutiens Clericum consentientem contra se incurrat Excommunicationem.

℞. Affirmatiuè, ex cap. Contingit 36. 87
de

Digitized by Google

de sent. Excom. vbi quòd verberans Clericum volentem, vt satisfaciat de iniuria proximo allatà, incidit in Excommunicationem. Est communis apud Sayrum *lib. 3. cap. 26. num. 18. Suarez disp. 22. sect. 2. num. 58. Bonac. de Cens. disp. 1. q. 4. p. 2. num. 1. & in Bulla disp. 2. q. 3. p. 6. sect. 2. num. 6. Castropal. disp. 3. p. 23. §. 2. num. 3.* alios plures refert *Diana p. 9. tract. 4. resol. 9. & Barb. ad citatum cap.* Qui tamen ad hunc Canonem num. 38. & 39. tenet, nec seipsum percutientem, neque per alium, cui consentiat, incurrere hanc Excommunicationem, negando, hoc Priuilegium dari volentibus percuti ab alio, cum sit contra iniicientes manus violentas in Clericum. Sed reuerà Priuilegium hoc conceditur Clericis in ratione dignitatis Ordinis, & non personis materialiter acceptis, ideo non possunt illi renuntiare, vt textus allatus bene determinat, ibi: *cum ille Canon non tam in fauorem Clerici ordinati, quam in fauorem Ordinis clericalis fuerit promulgatus.*

Quæres 44. An percutiens Clericum iam mortuum sit reus huius Excommunicationis?

88 ℞. Negatiuè, quia non percutit hominem, sed cadauer, legibus enim subduntur homines viuentes non defuncti. Confirmatur, quia esto iniuria fiat cadaueri, non tamen Clerico, nec personæ ecclesiasticæ, cum non amplius talis sit, ergo huius pœnæ reus non est. Ita *Graffius par. 1. consil. 7. de sent. excom. num. 9. de Leone Recollect. 5. de cens. num. 55.*

Contrarium docent *Naldus v. Sepultura num. 5. Thesaurus v. Iniuria cap. 2 resol. 39. Vers. Ampliatur 2. Toletus, Squillans, cum alijs Diana par. 9 tract. 4. Vers. Sed alij,* quia mortuo fit iniuria, & violentia. Sed hæc ratio insufficiens est, quia hæc iniuria non fit homini, quæ sit persona ecclesiastica, de quibus loquitur textus, sed cadaueri, quod homo non est, nam mortuus non est homo, *cap. In quadam, de celebr. missar. cap. Caritas*
89 *dist. 2. de panit. Ricciul. lib. 4. cap. 60. initio.* Et licet mortuo iniuria fieri possit, *l. 3. & fin. ff. sepulcr. viol.* tamen non potest fieri violentia, vt probatur ex eius definitione, nam violentia est maioris vis impetus, cui resisti non potest, *l. 2 ff. de eo, quod metus,* resistentia autem in mortuis non reperitur, nec fieri potest comparatio inter viuentem, & mortuum in ratione virium, quod maior
90 vis sit in vim faciente, quam in patiente, qui per mortem dicitur destitutus omnibus viribus; & violentia dicitur fieri in inuitum, qui scilicet patitur contra suam voluntatem quod non potest dici de mortuo, qui vo-
91 luntate caret; *cap. Si gratiose, de rescr. in 6.* Quare etiam ex hoc capite, quod manus non dicuntur violentæ contra mortuum, infertur, percussorem mortui Clerici non incidere in Excommunicationem.

Quæres 45. An intendens percutere Petrum Clericum, & casu percutiens Paulum pariter Clericum, sit reus Canonis? Idem quæri potest de mandante, & consulente, si mandatarius, seu consiliarius alterum diuersum a nominato occidant.

· ℞. Non incidere, præmissa debitâ dili- 92
gentià, quam puto vix posse locum habere in volente occidere Clericum existentem in loco cum alijs Clericis, quia facilè errare potest in explosione, maximè in verberatione, ideo in hac admitti potest circunstantia diligentiæ adhibendæ, non in explosione, si plures in vnum sunt.

Posita conclusio probatur, quia non pu- 93
nitur actus exterior, nisi illi respondeat etiam actus interior, & affectus ad iniectionem manuum violentarum, siquidem Censura hæc supponit peccatum mortale cuius malitia mentalis, & interior communicetur actui externo; sed in casu nostro non communicatur, dum voluntatem occidendi nunquam direxit in Paulum, sed semper in Petrum, ergo malitiam non potuit communicare actui externo, in quem non direxit suæ voluntatis affectum, sine quâ, malitia non datur. Rem hanc fusius probaui cap. 1. de homic. num. 59. 60. & 61. item à num. 96. & sequent. Ita docent *Suarez disp. 22. sect. 1. num. 54. Passerinus de Pollut. Eccl. disp. 5. cap. 13. Barb. ad Canonem num. 52. & 53. Diana part. 9. tract. 4. resol, 31. & part. 11. tract. 6. resol. 19 fine.*

Contrarium tenent *Fagnanus par. 6. ad cap. Ad audientiam, de homic. num. 70. Castropal. disp. 3. p. 23. §. 3. num. 4.* Probant, quia verè violatur lex huius Canonis, cum sic percutiens iniiciat manus in Clericum. Nec obstat, quod mentem suam direxerit ad Petrum, si postea casu remanet læsus alter, quia Lex non fertur contra hanc, vel illam personam, sed contra omnes indifferenter tam transgressores, quam patientes, in quorum fauorem Lex fertur, sufficit ergo, quòd Clericus sit læsus, siue intentus, siue non?

℞. In hoc casu Canonem non violari, 94
quia deficit malitia in actu externo percussionis, nam ad violationem Legis non sufficit actus physicus, nisi ei sit adiunctus actus moralis, hoc est, malitia, quæ ab intentione, & prauo affectu voluntatis procedit, & communicatur actui externo, ad quam dirigebatur; cum ergo affectus percutiendi Petrum non terminauerit ad eum, neq; ad alium casu percussum, & non intentum, ille effectus non potuit inducere malitiam in actum externum, non respectu Petri, qui non fuit læsus, non respectu Pauli, qui licet casu offensus, non tamen peccaminosè,

quia

quia præter eius voluntatem accidit. Quare cum actus externus merè physicus remanent sine malitia morali, non potest inducere Excommunicationem in percussorem, qui quò ad actum externum non peccauit, sed tantùm quò ad actum internum praui affectus, quod non inducit Excommunicationem, quæ ab actu externo malitioso tantùm procedit.

Ad aliud dico, esto Lex feratur indifferenter ad omnes subditos, quouis modo illam transgrediantur, nihilominus, vt probaui in tract. de homicidio cap. 1. num. 59. 60. & 61. in contrahendâ pœnâ maximè Excommunicationis attenditur certum indiuiduum, & determinatum, quia agens
95 in percutiendo, & similiter in alijs actibus læsiuis regulariter dirigit prauum affectum suæ operationis in obiectum determinatum quia sicut actiones sunt suppositorum, ita & ad suppositum certum diriguntur; ergo si errat, illi accidit præter intentionem, & contra suam voluntatem, & sic cum mentalem malitiam non coniunxerit cum effectu secuto, quia illum non intendebat, non potest dici percussor moralis, & peccator, quod necessarium est ad incurrendam Censuram.

Ad aliud de mandante, & consulente pariter respondeo, & quidem sine vlla difficultate, quòd non sunt obnoxij huic Censuræ, quia neuter eorum influxit in passum, ergo non tenentur de Mandato, quia Man-
96 datum collatum in certam personam, non potest in aliam exerceri, *l. Cum sermo ff. de contr. empt.* Vnde idem est ac si non mandasset, cum sit nullum in hoc casu, *Riccius par. 4. dec. 261. num. 6.*

Confirmatur idex responso Sacræ Congregationis apud Dianam part. 9. tract. 4. resol. 31. fine. nempe, mandantem occidere vnum, si alter occidatur, non fieri irregularem, ergo multò minus incurrit Excommunicationem. Idem dic de consulente, cum par sit ratio.

Quæres 45. An vbi est statum, quod subditi non corrigantur proprijs manibus
67 Superiorum suorum, hi incidant in Canonem, si proprijs manibus illos corrigant?

℟. Negatiuè, quia in potestate statuentis non est extendere pœnam iuris in sui transgressorem Statuti, quando ius commune eximit in certis casibus à pœna, in quibus non dicitur transgressor legis, licet dicatur violator Canonis. Ita *ex Auila Diana part. 9. tract. 4. resol. 41.*

SECTIO TERTIA

Quibusnam actionibus incurratur hæc Excommunicatio?

PRo huius difficultatis resolutione explicanda sunt verba Canonis huius, quæ sunt hæc: *Si quis suadente Diabolo huius Sacrilegij reatum incurrerit, quòd in Clericum, vel Monachum violentas manus iniecerit, Anathematis vinculo subiaceat.* Particula *Si quis* explicatur supra num. 74. Nomen *Clerici*, sub num. 7. *Monachi* verò sub num. 43. Reliqua hic explananda sunt.

Primò clausula *Suadente Diabolo* importat peccatum mortale, hoc enim potissimum ab eo suadetur, vt sibi amicum quærat, qui Dei inimicus factus est, & id necessarium est, ad incurrendam Excommunicationem maiorem, qualis est hæc, *ex cap. Episcopi 8. cap. Nemo 41. cap. Nullus 42. 11. q. 3.* nam Excommunicatio inter omnes pœnas spirituales maior est, *cap. Corripiantur 17. 24. q. 3.* Vnde pro leuibus culpis non imponitur, sed tantùm pro mortalibus, & hoc est, quod intendit Legislator in hoc Canone per illa verba *Suadente diabolo.* nempe quòd manus violentas iniciat cum Dolo, Odio, vel Inuidiâ, aut ex Indignatione, *ex cap. 1. de sent. Excom. Angelus v. Excom. 5. initio*, quæ arguunt peccatum mortale, quod est sub specie Sacrilegij, quia læditur persona Deo publicâ auctoritate dedicata. 98 99 100 101

Secundo loco occurrit illa clausula *Violentas manus iniecerit* explicanda, in qua duo continentur *Iniicere manum.* Et iniicere *violenter.*

Prius explicatur sic, quòd iniicere manum stat dupliciter, Ciuiliter, & Canonicè. Ciuiliter manum iniicere sonat in bonam partem, & importat sibi vindicare rem suam propriâ auctoritate appræhendendo, & capiendo illam, *ex l. Titius 9. ff. de seruis exportatis.* Et de hac non est sermo noster, sed de canonicâ tantùm, quæ in ma- 102
lam partem sonat, & significat percutere corpus Personæ ecclesiasticæ vim læsiuam illi inferendo, quod propriè hic euenit, cum quis ex odio, & malo affectu iniicit manus violentas in Clericum, & sic tangit illum lædendo. Itaque hic textus ad incurrendam hanc Censuram requirit tactum physicum læsiuum corporis personæ Clerici, hoc enim important illa verba *Manus violentas iniecerit*, quod probatur non solùm 103
ex iure ciuili loco citato, vbi quis rem non faciebat actu suam, nisi apprahendendo illam, quod contingit solùm per contactum physicum; sed etiam iure biblico, Matth. 26. 50. *Iniecerunt manum in Iesum, & tenuerunt eum.* Lucæ 21. 12. *Iniicient vobis manus suas.* Act. 4. 3. *Et iniecerunt in eos manus, &* 104

nus, & posuerunt eos in custodiam Itaque certum est huiusmodi manuum iniectionē talem debere esse, vt iniiciens lædat corporaliter Clericum, tangendo illum physicè, & inferendo nocumentum.

105 Contactus autem iste contingere potest duobus modis. *Primò* tangendo immediatè Clericum propria manu, vel etiam dentibus, pedibus, genu, hæ enim partes hominis, quibus proximus offendi potest, compræhenduntur sub nomine *Manuum*, quæ sunt principale instrumentum ad operandum. *Secundò* mediatè, mediante scilicet aliquo instrumento à manu diuiso, vt si Clericus baculo, ense, sclopo, &c. offendatur, qui his duobus modis dicitur tangi physicè cum læsione corporis illius.

106 Persona autem Clerici læsa corporaliter dicitur, esto illius corpus non tangatur immediatè, sed solum per vestes indutus, dum enim verberatur sentit dolorem, & sic læsionem, licet non exeat sanguis, constat enim de læsione, quæ per dolorem sentitur.

Posterius de violentiâ procedente à manu explicandum est, & quoniam definitio opulenta, est sermo decitiuus multarum quæstionum, idcirco definienda est violentia, non recedendo tamen à doctrinâ peritorum.

107 Violentia autem est maioris vis impetus, cui resisti non potest, cogens voluntatem inuitam. Colligitur *ex l. 2. ff. de eo, quod metus*, cuius sunt priora verba; posteriora verò, *cogens voluntatem inuitam*, sunt ex l. 1. eodem. Arist. 3. Ethic. cap. 1. sic definit. Violentum est, cuius principium est extra, passo vim non conferente. *Scotus in 2. dist.* 18. *q. Vn. Vers. Ad aliud de violento.* explicat ea verba *vim non conferente* .i. non præbente inclinationem, sed habente potius contrariam inclinationem, & voluntatem, vnde ex contraria voluntate non tollitur coactio ad resistendum quantum fieri potest. Itaq; ad propositum nostrum violentia est impetus agentis extrinseci lædentis proximum, qui læsioni resistere non potest, patiens illam scienter contra suam voluntatem, quam non præuidit, aut præuisam non potuit euitare repellendo aduersarium, nisi fugiendo, qui enim fugit, vim non di-

108 citur pati, *l. Metum 9. ff. eod.* Vide Decian. lib. 8. cap. 1. qui eam definiuit vt supra ad mentem illarum legum.

Subiicio breuiter quinq; species Violentiæ, quarum cognitio licet non sit necessaria, vt apparet, tamen refero, vt impugnem Sperellum decis. 45. de his agentem, vt suam probet decisionem.

109 Prima dicitur expulsiua, quâ quis eijcitur à Possessione rei suæ immobilis, & mobilium adhærentium, ex qua oritur interdictum, *Vnde vi contra impellentem*.

Secunda Ablatiua rerum mobilium, contra quam est actio *Vi bon. raptorum*.

Tertia Turbatiua, per quam quis turbatur in Possessione rerum suarum mobilium, & immobilium, cui lis intimatur, contra quam est interdictum, *Vti possidetis*.

Quarta Inquietatiua, quâ quis impeditur in re suâ aliquid facere, vt ædificare, arare, &c. vel alter vult. facere aliquid in alieno solo, contra quam est Interdictum, *Quod vi, aut clam.*

Quinta demum dicitur Compulsiua, per quam quis cogitur facere aliquid, quod non faceret, si esset liber; contra quam est actio ex tit. *de eo, quod metus*. De his agit *Glos. v. Non habebit, l. Extat. 13. ff. de eo, quod metus, & Glos. v. Persecutionem l. 1. C. de ijs, qua vi Glos. v. Causa, cap. Ad audientiam, de in integr. restit.* Vbi compulsiuam ab omnibus alijs contra distinguit, quia inducit actionem ex metu, & non aliæ.

Sperellus ergo ea decis. 45. num. 72. ex Violentiâ compulsiuâ probat, Sacerdotem quendam fuisse compulsum ab alio, qui tenebat manum cum pugno super humerum eius, & dixit ei, si non esses Sacerdos te percuterem, coactum ire domum alterius à se inuitati, vt peteret ab eo veniam, vt fecit, asserens per hanc violentiam illi Sacerdoti factam, esse excommunicatum, alijs negantibus, quia violentia Compulsiua non est vera species violentiæ.

Violentia hæc Compulsiua siue sit vera species, siue non, sui generis, parum refert ad præsentem materiam de iniectione manuum violentarum in Clericum, quæ præcisè requirit, vt Violentia sit cum læsione corporis Clerici, ita quòd non sufficit illi metum incutere, persistendo in terminis nostri Canonis, qui per iniectionem manuum violentarum non metum importat, sed *læsionem corporalem*, non enim significat missionem manus placidam, sed nociuam, & percussiuam corporis Clerici, per tactum realem, & physicum, non enim propter metum, quo violentia Compulsiua specificatur, excommunicatio incurritur, sed propter læsionem corporalem, quod nemo negare debet, sistendo in terminis huius Canonis, nam si extendatur Canon non ab homine, sed à iure, iuxta quod infra dicam, subintrare potest violentia Compulsiua sine læsione corporali. Alia subinferam infra contra Sperellum. 110

Quoniam autem textus satis clarus nihil aliud importans per eam manuum violentarum iniectionem nisi Percussionem, & læsionē corporalem in Clericum, nec metū, nec aliam iniuriam sine læsiōe personæ illatam eidem, non oportet hunc textum extendere ab vno casu ad alium, præter pro- 111

prium

prium sensum verborum, cum agatur de odiosa, vt infra probabo, sed solum restat videre, an Legislator hunc Canonem extenderit.

112 Prima autem extensio fit in verbo *Monachum*, extenso etiam ad Nouitios, *in cap. Religioso 21. §. Quamuis, de sent. excom. in 6.* iuxta dicta hic q. 20.

Secunda facta fuit contra mandantem, *in cap. Mulieres 6. §. Illi vero, de sent. excom.* vbi mandans percussionem est excommunicatus, non ex vi Canonis; quia non percussit physico tactu, sed tantùm moraliter. Dixi q. 40.

Tertia de consentiente, & consulente, qui enim consulit consentit in malum consultum, *in cap. Quanta 47. eodem*, de quo dixi loco citato q. 40. Tactus is dicitur moralis.

Quarta de habente ratam percussionem, *in cap. Si quis 23. eodem in 6. eadem q. 41. num. 85.* & is dicitur tangere moraliter.

Quinta extensio est *in cap. Nuper 29. de sent. excom.* illis verbis *Respondemus, quod in primo Consultationis articulo non credimus laicos pœnam Excommunicationis euadere, quamuis per eorum factum corporalis læsio non fuerit subsecuta, extra quam violentia sæpius circa Clericos nequiter perpetratur.* Quæsitum autem huius responsi erat huius tenoris: *Quid de illis laicis sit faciendum, qui Clericos, sine læsione tamen, in custodià detinent publicè, vel priuatà, vel etiam detrudunt in vincula.* Hic continentur tres casus, quibus Clericus carceratur, vel vinculatur, vel priuatim detinetur in loco, ex quo non potest exire, hæc enim agens siue Clericum tangat, siue non, incurrit Excommunicationem, quamuis eum non lædat corporaliter.

113 Sexta extensio est in cap. Contingit 36. eod. vbi excommunicatus est ille, qui in Clericum etiam volentem manus iniecit, etiamsi hoc faciat patiens in satisfactionem præcedentis iniuriæ, quam Clericus intulerat. Verba sunt ista: *Respondemus, quòd huiusmodi manus iniectio, & si non violenta, tamen iniuriosa videtur, cum ille Canon non tam in fauorem Clerici ordinati, quam in fauorem Ordinis clericalis fuerit promulgatus.* Patet ex his in præsenti casu esse corporalem læsionem sine violentia, cum voluerit lædi, tamen in hoc capite Canon extenditur propter iniuriam factam Ecclesiæ, illi ergo non fit iniuria Reg. 27. in 6. Volenti, & consentienti non fit iniuria, sed Ordini clericali, qui debet refulgere in Ecclesiastico, & non obscurari, vt docet ibidem Glos. v. Iniuriola. Patet Canonem duo requirere violentiam, & læsionem cor-

114 poralem in Clerico, in præsenti capite sufficit corporalis læsio cum iniuria Ecclesiæ factà, sit sine violentià, Ecclesia enim, & Ordo non sunt capaces violentiæ, quia ignorant resistere.

Sed numquid sub isto capite, venit alter casus cum quis Clericus seipsum irato animo percutit. Ratio dubitandi est, quia hæc materia cum sit odiosa non est extendenda de casu ad casum, vt infra latius probo.

℟. Esse ferè eundem casum, qui enim 115
per alium se percutit, idem est ac si per seipsum percuteret se arg. Reg. 72. qui per alium facit per seipsum facere videtur; in his terminis in cap. Mulieres 6. de sent. excom. in §. Illi verò, dicitur: Is verè committit, cuius auctoritate, vel mandato delictum committi probatur. Conueniunt ergo in eodem siue Clericus se percutiat per seipsum, siue per alium volens percuti, cum vtrobique patienter sustineat volens læsionem sui ipsius. Et ita respondi supra q. 42. esse excommunicatum percutientē se propriis manibus, inijcit enim manum in suum corpus, quod lædit, & licet iniectio non sit violenta tamen incurrit hanc pœnam non ex vi Canonis, sed ex tenore huius capitis requirentis læsionem corporalem solum iniuriosam quæ talis est in hoc casu, cum quis dicatur sibi facere iniuriam, cap. Quod vero 10. 25. q. 2. ibi *Mihi iniuriam facio, si fratrum meorū iura perturbo.* Multo magis ille, 116
qui se percutit, cum non sit dominus membrorum suorum, *l. Liber homo 13. ff. ad leg. Aquil.* facit sibi iniuriam; esto igitur non faciat sibi violentiam facit tamen sibi iniuriam *l. Legis 55. ff. ad leg. Aquil.* non datur tamen actio iniuriarum, quia est ad alterum, non ad seipsum.

In secundà, tertia, quartà, & quintà extensione iniectio manuum, seu tactus sufficit moralis, quo mandatur, consulitur, ratificatur, seu retinetur clericus per metum vel alio modo sine læsione corporali, iuxta dicta.

Suppono demum caput de iniectione manuum violentarum in Clericum esse quidem valde fauorabile Clericis ob gradum
Status ecclesiastici ratione Ordinis, & Mo- 117
nachatus, tamen quia hæc lex pœnalis est includens Excommunicationem, quæ inter omnes pœnas ecclesiasticas est maior, *cap. Corripiantur 17. 24. q. 3.* in casibus occurrentibus videndum est, an verba huius Canonis applicentur eis secundùm proprietatem verborum, quæ in pœnalibus potissimùm attenditur, vt omnes docent, quos magno
numero refert Barb. Axiom. 221. num. 4. 118
ita quòd lex odiosa, & pœnalis ob identitatem rationis etiam expresse non est extendenda de casu ad casum quem propria verborum significatio non comprahendit, *ex Salas de legib. tract. 14. disp. 21. sect. 13.*

num. 29. Portello v. Lex num. 13. Bonac. de
legib. q. 1. p. 8. num. 23. Diana par. 1. tract. 10.
resol. 26. Castropal. part. 1 tract. 3. de legibus
disp. 5. p. 1. §. 4. num. 2. Suarez *lib. 6. cap. 3.*
num. 4. etiam in fauorabilibus, *idem Sua-*
rez num. 9. & Castropal. num. 7. Layman.
lib. 1. tract. 4. cap. 18. num. 9. Vers. Caterum.
Ratio est, quia si lex voluisset extensionem
120 expressisset, *cap. 2. de translat. Episcop. cap.*
Ad audientiam 10. *de decim.* Vt fecit in su-
biectà materià Canonis nostri, quem ex-
tendit ad alios casus, vt dictum fuit supra.
Si ergo in his odiosis fiat extensio, non erit
à lege, sed ab homine, vt dixit *Anton. in*
cap. fin. de consuet. num. 58. Vers. Sic breuiter,
& Domin in cap. 1. de temp. ordin. in 6. cui
talis facultas non conceditur extendendi
121 leges, cum non sit legislator. Quod ergo
ex verbis non prouenit, neq; ex mente le-
gislatoris creditur prouenire, *ex l. Labeo 7.*
§. Id Tubero ff. de supplet. leg. quod clarius
dixit Marcellus l. 67. ff. de legat. 3. *Non ali-*
ter à significatione verborum recedi oportet
quàm cum manifestum est aliud sentire Te-
statorem. Dic tu Legislatorem ex cap. 6. &
8. de verb. signif. Nec obstat l. 1. §. Quod
vulgo ff. de vi, & arm. vbi dicitur, quòd vbi
122 est eadem ratio, ibi lex extendi debet ad
vlteriores casus. Quia intelligitur, quando
lex vtitur vocabulis causa exempli dandi,
vt ibi dicitur.

123 Et in terminis nostris, quòd noster Ca-
non sit pænalis, ac proinde strictè interpre-
tandus non patiens extensionem, docent
communiter Canonistæ *cum Gofredo in*
sum. de sent. Excom. num. 45. Archid. in hoc
cap. Si quis, num. 2 Felin. in cap. Nuper, de
sent. Excom. num. 5.

Contrarium tenet Sperelius dec. 45. num.
48. nimirum esse fauorabilem hunc Cano-
nem, ac proinde extendendum fauore
Clericorum. Probat *Primò*, quia non po-
test quodam modo dici odiosa percutienti-
bus, quamuis enim Excommunicatio sit
pæna, est tamen medicinalis animæ. *Secun-*
dò, quia amplianda venit dispositio huius
Canonis, quia vim inferentes Clericis
quodam modo præsumuntur crucifigere
Christum, & sunt sacrilegi. *Tertiò*, quia
Pontifex eam extendit de Persona ad per-
sonam, & de casu ad casum, ergo est fa-
uorabilis. *Quartò* extenditur ad mortuos
percutientes *Quintò*, extenditur etiam ad
Moniales. Ex his, & alijs infert, hanc Ca-
nonis dispositionem extendi de Personà ad
Personam, & de casu ad casum.

124 ℞. Huiusmodi extensionem esse factam
in dictis casibus à Legislatore, qui pro suà
auctoritate poenas extendere potest, immo
poenas poenis adijcere. Hinc tamen non
potest inferri idem licere Doctoribus, quia
non sunt Legislatores, nec leges suo modo
declarare possunt, sed iuxta verum, & pro-
prium sensum verborum, vt supra osten-
sum fuit.

Ad primum dico, hanc Excommunica-
tionem esse maximè odiosam cum sit ma-
ior cæteris spiritualibus poenis, non obstan- 125
te quòd sit medicinalis animæ, hoc enim
solum importat, quòd ea fertur contra
inobedientes, & contumaces, non vt in
peius ruant, sed vt corrigantur, & ne Con-
stitutiones, in quibus exprimuntur, violen-
tur timore huius poenæ, & quia ratio me-
dicinalis non aufert poenam ei, neq; ab eius
dispositione tollit rationem poenæ; vnde
si consideremus omnes leges prohibitiuas,
etiam sine poenis conditas, habent ratio- 126
nem medicinæ, quia feruntur, vt subditi
retrahantur à malo, ideo parum refert ratio
medicinæ ad tollendam poenæ rationem à
Constitutione.

Ad secundum argumentum dico, illud
esse Concionatorum, non Canonistarum,
immo id arguit rem esse valdè odiosam, ac
proinde accipiendam in terminis proprijs,
& non æquiuocis, ex quibus nihil colligi
potest. Et ex quo iniectio manuum est sa-
crilega infertur, quòd sit res odiosa non so-
lùm physicè, dum læditur Persona, sed
etiam moraliter, dum oritur ex violatione
rei sacræ.

Ad tertium, & quintum, cum ea exten- 127
sio sit à Pontifice; dico id potius arguere
simpliciter legem pænalem, quam solus
Legislator extendere potest, & non Doctor.

Ad quartum, casum mortui extendi sub
Canone, probaui contrarium q. 44. quia in
iure non reperitur hic casus extensus, sicut
alij, de quibus supra à num. 112. & de Mo-
nialibus ibidem, & q. 32.

Remanet ergo huius Canonis dispositio 128
ita odiosa, vt nequeat ab homine extendi.
Immo audeo dicere, quòd impropriè ha-
bet nomen Priuilegij fauorabilis, dum ex-
periri non potest, nec eo vti Clericus, nisi
prius experiatur læsionem in se, in tantùm
enim Clericus experitur Priuilegium hoc,
in quantùm quis in ipsum manus inijcit vt
fiat excommunicatus, ergo Clericus in
tantùm gaudet actu Priuilegio, in quantum
percutitur, vt alter incidat in Excommuni-
cationem, vnde nullus sanæ mentis *desi-*
derat executionem Priuilegij huius in *seip-*
so, consequenter aliquo modo etiam ipsi
Clerico est odiosum.

Colligitur ex hactenus dictis, vt iniectio 129
manuum in Clericum suadente diabolo fa-
cta, inducat in violatorem Excommunica-
tionem, requirit tres conditiones in actione.
Prima est, vt sit facta cum læsione corpo-
rali, & violentia: vel cum læsione corpora-
li, sine violentia; vel sine læsione cum solà
violentia. *Secunda est*, quòd sit perfecta,
& con-

Digitized by Google

& consumata cum peccato mortali in actu externo. *Tertia est*, quòd fiat in personam Ecclesiasticam, quæ Priuilegio gaudeat tempore iniectionis manuum.

130 Prima explicatur in illis tribus modis, nam iniijcens manus cum læsione corporali, & violentia in Clericum, qui non consentit in sui percussione incurrit Excommunicationem præcise ex vi Canonis, cum dicat, *Si quis iniecerit manus violentas*. In secundo modo incurrit Excommunicationem, non ex vi Canonis, sed ex cap. Contingit 36. de sent. Excom. qui seipsum per se, vel per alium percutit volens, patitur enim læsionem corporis sine violentia, dum vult percussionem, cui potest resistere. In tertio modo iniijciens manus vel physicè tangendo sine læsione, vel moraliter perterrens Clericum verbis minacibus, retinendo illum, ne liber exeat è loco, & vadat quò vult, dicitur agere iniuriosè, & cum violentia tantùm contra Clericum, & sic incurrit hanc Censuram expresse *cap. Nuper 29. de sent. excom.* Et ex his manet explicata prima conditio cum suis modis.

131 Secunda conditio est, quòd iniectio manuum vno ex illis tribus modis debet esse perfecta, & consumata in genere suo, vnde non sufficit minari, & attentare, sed affectus prauus debet transire in effectum, & tangere Clericum vel physicè primo, vel secundo modo cum læsione corporis illius, vel moraliter retinendo illum in loco, à quo non possit exire, ratio horum est, quia non punitur affectus, sed effectus. Tum quia verba sunt cum effectu accipienda, ita quòd solus affectus, nec attentatio sufficit, *cap. Relatus 4. de Cler. non resid. cap. Hac autem verba 17. dist. 1. de Pœnit.* Tum quia inchoatio est imperfecta, & actus nondum dicitur esse, dum in sua entitate deficit, *ex l. Sape 53. in fine, de verb. signif.* quod maximè procedit in censuris præsertim Excommunicationis, quæ requirit actum consumatum, *Bonac. de Cens. disp. 2. q. 4. p. 1. num. 19. Vers. Quare, & in Bulla disp. 2. q. 3. p. 6. sect. 1. num. 3. Castropal. disp. 3. p. 23. §. 2. num. 2. Vers. Debet, Diana par. 5. tract. 9. resol. 56.*

132 Consumatio iniectionis manuum debet esse talis in actu externo, & non aliter, quia Ecclesia non iudicat de occultis, sed de ijs, quæ apparent exterius, *cap. Sicut 33. cap. Tua nos 34. de simon. Ricciul. de personis extra. lib. 5. cap. 10. num. 10.*

133 Non sufficit autem, quòd ille actus externus sit consumatus in suo genere, sed necessarium est, quòd iudicetur peccatum mortale, quia Censura hæc non incurritur sine peccato mortali, quod supponitur ad illam, vt probaui supra num. 98. & 99. pœna enim hæc est grauissima, ergo causanda est à graui culpa, quod est peccatum mortale. Ita omnes *cum Suarez disp. 22. sect. 1. num. 16. Bonac. cit. num. 4. Castropal. disp. 3 p. 23. §. 2. num. 2.* Quantitas autem huius actus externi an grauis, an leuis sit ad discernendum peccatum mortale à veniali colligenda est ab iniuria læsionis, seu violentiæ Clerico factæ, sine aliqua relatione ad irreuerentiam Ordini clericali factam. Dico, *sine aliqua relatione, &c.* quia reuerentia debita Ordini clericali mouit tantùm Legislatorem ad condendum Canonem, vnde in ordine ad incurrendam Excommunicationem tantùm respexit ad iniectionem manuum violentarum cum læsione corporali, & violentiâ, vel cum magnâ violentiâ sine læsione, aliter omnis læsio quantumuis leuissima ex circumstantia irreuerentiæ Ordini clericali factæ fieret mortalis, quod dicendum non est, cum etiam in hac materia paruitas excuset ab incursu huius Censuræ, *Diana par. 5. tract. 5. resol. 65. ex Sanchez lib. 2. cap. 8. num. 7. Portello v. Excom. num. 11.* Quia hic non punitur iniuria, sed læsio corporalis. Quare non malè dicunt *Caiet. v. Excom. 10. Notab. 6. casu 4. Nauar. & alij, quos refert Sperell. dec. 45. num. 9.* quod quando percussio est ita leuis, vt si fieret laico, non constitueret peccatum mortale, nunquam inducit Excommunicationem. 134 135 136 137

Tertia conditio ad incurrendam hanc Excommunicationem est, vt Clericus, in quem manus diabolo suadente inijciuntur, gaudeat actu hoc Priuilegio. Quando autem gaudeat, vel non, dixi suo prima Sectione. 138

Hæc prolixè prosecutus sum, tum vt responderem argumentis Sperelli, tum vt mihi viam pararem ad respondendum quæstionibus, quæ possunt oriri ex diuersis modis iniijciendi manus violentas in Personas ecclesiasticas. Sed calamum conuertamus ad quæstiones.

Quæres igitur 45. An iniijciens aliquid in Clericum, sed illum non tangens incidat in Excommunicationem.

R. Non incidere, quia vt dixi requiritur tactus physicus, cuius defectu excusatur ab hac Censurâ. Confirmatur, quia verba intelligenda sunt cum effectu *cap. Hac autem verba 17. dist. 1. de Pœnit.* Ita docent omnes *cum Glos. v. Insecutione cap. Felicis, de Pœnit in 6. ibi v. Additio, Socinus in cap. Peruenit, de sent. Excom. num. 163. Sperell. decis. 20. num. 17. & dec. 45. num. 1. alios citans* etiam si sclopum explodat, iniquiunt, & non tangit pillula Clericum *Bonac. disp. 2. de cens. q. 4. p. 1. num. 11. Couar. lib. 1. Var. cap. 11. num. 15. Barb. in hoc Canone num. 30.* 139

Quæres 46. An sufficiat tangere vestes, seu res adherentes Clerico, an verò necessarium

sarium sit tangere immediatè corpus, & personam ipsius Clerici?

140 ℞. Nonnulli negatiuè, sed sufficere, tangere iniuriosè, & violenter vestes, quas actu portat, dum offenditur, aut tangere equum, in quo sedet, vel eius frænũ, vel cingulum, arestando equum, vel percutiendo equum, vt contumeliam inferat Clerico in eo equitanti, sic enim agens iniuriosè, dicitur manus injcere violentas in Clericum, vestes enim, & equus, quibus actu vtitur, dicuntur partes licet extrinsecæ ipsius Clerici, quia illi sunt necessariæ vestes, & equus vtilis, in quo sensu sunt illius partes.

Cõfirmatur, quia si excusaretur offendens in veste, vel equo, eluderetur Sacer Canon, & mens Pontificis, quia quilibet percuteret vestes, & euitaret censuram, & tamen persona grauiter offenderetur. Quare lacerans vestes, vel in eas iaciens aquam, oleum, vel aliud turpe, vel equum percutiens, præcidens frænum, cingulum, vel aliud, vel firmans equum ne vlterius procedat, vel faciens currere, & hæc in contumeliam, & vituperium ipsius Clerici incurrit excommunicationem, quia similes tactus sunt iniuriosi, & violenti ipsi Clerico. Est communis, *Sayrus lib.* 3. *cap.* 26. *num* 14. *Bonac. disp.* 2. *de Cens. q.* 4. *p.* 1. *num.* 12. *& in Bulla disp,* 2. *q.* 3. *p.* 6. *sect.* 1. *§.* 1. *num.* 5. *Barb. in hoc Canone num* 32. *Castropal. disp.* 3. *p.* 23. §. 2. *num. Sperell. decis.* 20. *num.* 17. *& dec.* 45. *num.* 53.

141 Sunt nonnulli tamen negantes incidere in Excommunicationem in dictis casibus, quia in illis non reperitur violenta manuum iniectio, quæ dicat læsionem corporalem in ipso Clerico ad mentem Canonis, consistentem in percussione vt dicitur expressè in cap. 1. 2. 3. 15. 24. 25. 27. 29. 32. 36. 50. & 54. de sent. Excom. in quibus locis, & alibi iniectio manuum explicatur per percussionem, occisionem, & verberationem, ex-
142 ceptis duobus casib. in cap. 29. vbi iniectio manuum explicatur per violentiam sine læsione corporali in casu retentionis Clerici; & in cap. 36. vbi iniectio manuum cum læsione corporali, si lædendus consentiat non dicitur violenta; itaque excepto casu cap. 29. ad incurrendam Excommunicationem requiritur percussio Clerici, in illis ergo casibus in hac quæstione, in quibus non est percussio, neq; Excommunicatio inueniri potest, quia manuum iniectio non reperitur, neq; iniectio significat actionem circa honorem personæ, sed circa corpus, quod læditur.

Qare iniiciens puluerem, aquam, & alia leuia, quæ non percutiunt, non incidit; neq; expuens in faciem, ob eandem rationem, solùm enim vituperatur in honore, non læditur in corpore. A fortiori male tractans equum, in quo sedet, quia solus equus læditur, non sessor, nisi ibi detineatur aliquandiu, tunc incidit vt detentor ex cap. 29.

Sed eum decisis ego sto, in eo enim cap. Nuper 29. de sent. excom. Ibi: *Quamuis per eorum factum corporalis læsio non fuerit subsecuta, citra quam violentia sæpius circa Clericos perpetratur.* Vis infertur Clerico, qui habet ius tuendi suum corpus, *Suarez disp.* 22. *de Censur. sect.* 1. *num.* 25. *ergo &c.*

Quæres 47. An arestans vehiculum, vel percutiendo equos, vel illud lacerando, vel in personas inuectas Sclopum explodendo, incurrat Excommunicationem, si in eo curru adsint Ecclesiastici solùm, vel mixti cum laicis? Quid si lacerentur mobilia lecti, in quo, & dum cubat Clericus? Vel contra cum arma vibrentur.

℞. Negatiuè, quia non tanguntur Clerici, nec illis adhærentia, & præfatæ actiones ad Clericos remotè se habent. Confirmatur, quia si res, quæ projicitur contra Ecclesiasticum, non inducit Excommunicationem quando illum, vel eius vestes non tetigit, licet in transitu nihil fere distet ab illo, ergo idem dicendum est in his casibus, in quibus est maior distantia, & mediat aliquid aliud sufficiens argumentum excusandi à Censurà. 143

Quæres 48. An rapiens aliquid è manibus Clerici resistentis incurrat hanc censuram?

℞. Incidere, quia iniicit manus violentas in Clericum. Ita *ex S. Antonino Sayrus lib.* 3. *cap.* 26. *num.* 15. *Bonac. de cens. disp.* 2. *q.* 4. *p.* 1. *num.* 12. *& in Bulla sect.* 1. *§.* 1. *num.* 5. *Angelus v. Excom.* 5. *num.* 18. siue integra, siue fracta res extrahatur. Intellige, si violentia fuit cum magnà altercatione, & pudore Clerici, neq; enim acto raptiua de se, sine illis circunstantijs videtur mortalis. Intellige 2. nisi rem suam sibi vindicauerit, quia vtens iure suo nulli facit iniuriam; nec Clericus dicitur offensus, quia in nullo læsus. 144

Quæres 49. An furans aliquid à Clerico id ignorante vel dormiente sit reus censuræ? e. g. crumenam ex vestibus sibi adhærentibus. Item si ex capite aufert pileum, vel cingulum, vel pallium hæc sibi adhærentia immediatè, dum dormit.

℞. Negatiuè, quia non dicitur in Clericum iniicere manus violentas, quæ dicuntur violenter iniici solùm in eum, qui scienter experitur violentiam cum læsione sui corporis, vel retentione. Ita *Suarez disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 32. *Bonac. de Cens. q.* 4. *p.* 1. *num.* 12. *Sayr. lib.* 3. *cap.* 26. *num.* 16. *cum alijs Diana par.* 9. *tract.* 4. *resol.* 37. *Angel. v. Excom.* 5. *num.* 29. Actio ergo hæc furtiua 145

est,

est, non violenta, ideo non incurrit Excommunicationem, etiam si ob furtum, necessitaretur domi manere, quia vestibus, vel pileo caret, quia si furtiua actio non inducit Excommunicationem directè in hoc casu, multò minus ratione mansionis in domo defectu vestium, qui est effectus indirectus, & per accidens, vnde quod non est causa causæ, nec est causa causati, contra *Suarez cit. fine num. 32. Bonac. cit. cum Coninch.* nobiscum est.

Quæres 50. An insequens Clericum, qui fugiendo cogitur se præcipitem dare in flumen, incidat in hanc Censuram?

146 ℞. Affirmatiuè, quamuis illum non tangat, modo sequatur in eo læsio corporalis, vt mors, claudicatio, & quid simile, est enim huiusmodi insecutio medium quoddam, quo persequens dicitur manus violentas mittere in Clericum, saltem moraliter. Ita docent *Sayrus lib. 3 cap. 26 num. 15. Bonac. de Cens. num. 12. vbi ex Silu. v. Excom. 6. num.* 12. dicit non incidere præc sè si cadat quia casus est per accidens. Sed ego dico læsionem ex casu non esse per accidens, sed per se, sicut casus est per se causatus ab insequente, ergo incidit, sicut ex præcipitatione, ad quem effectum ordinatur insecutio; ita refertur pari modo ad casum, vtriusq; enim sine dubio fuit causa ipsa insecutio. Et idem simpliciter docet *Castropal. disp. 3. de Cens. p. 23. §. 2. num. 2. Diana par. 9. tract. 4. resol.* 27. sequitur Siluestrum, & hunc Sperellus *decis. 70. num. 19. Nauar. cap. 27. num. 77. Vers Quinta.* qui concedunt, si sequatur præcipitium, non autem si cadat, & vulneretur ex casu, quia casus illi non imputatur in insecutione, sed per accidens est. Sed dic eu prouenire directè ab insecutione, sicut ab eadem prouenit præcipitium. Incurrit autem Excommunicationem non ab initio fugæ, sed tunc cum primò læditur in casu, vel præcipitio.

Quæres 51. An solis verbis minacibus coactus exire de loco aliquo sine fuga, cum à nullo insequatur, inducat Excommunicationem in cogente?

147 ℞. Non incidit sic solo metu sine tactu cogens Clericum exire de loco, vel redire in domum suam, quia hic nulla est læsio corporalis, nec retentio, & solus metus operatur, quod non sufficit, quia non est iniectio manuum violenta. Ita *Host. in Sum. de sent. Excom. §. In primis Angelus v. Excommun. 5. num. 29. Silu. v. eodem 7. num. 5. vers. Octauo, cum alijs Sayrus lib. 3. cap. 26. num.* 21. *Suarez disp. 22. sect. 1. num. 31. Bonac. de Cens. disp. 2. q. 4. p. 1. num.* 18.

Quæres 52. An explodens Sclopum in Clericum, quem nullo modo tetigit, si metu ex illo concepto moriatur sit excommunicatus?

℞. Sic, quia mors prouenit ex illa explosione, quæ causando metum, causauit quoq; mortem Clerici, quod enim est causa causæ, est quoq; causa causati ex vulgatis iuribus. Ita *Filliuc. docet Bonac. de Censur. disp. 2. q. 4. p. 1. num.* 18. *Vers. Octauo?* Hæc autem manuum iniectio nuncupari potest tantum moralis; quia pilula sclopi non tetigit illum, vt suponitur. 148

Quæres 53 An percutiens Clericum animo grauiter eum lædendi, si leuis sit secuta percussio exterior, incidat in Excommunicationem?

℞. Negatiuè, quia paruitas materiæ excusat ferè in omnibus maximè in Excommunicatione incurrenda, quæ supponit actionem externam debere esse mortiferam non ex actu interno prauæ voluntatis, sed ex actu externo, pro quo solùm fertur cum ordine tamen ad internum, cum Ecclesia non iudicet de occultis, vt dixi supra num. 133. Ita docent *Sayr. lib 3. cap. 27. num. 33. Suarez disp. 22. sect. 1. num. 23. Sanch. lib. 2. cap. 8. num. 7. Portellus v. Excom. num. 11. apud Dianam par. 5. tract. 5. resol. 65. Grat. disceptat. 559. num. 7.* 149

Quæres 54. Si quis animo irato caperet Clericum per brachium, barbam, vel aliam corporis partem, vel Religiosum per caputium, dicendo, si non esses Clericus, Religiosus, te percuterem, eruerem oculum, seu occiderem, defero Ordini? quo indignè es insignitus &c. an incidat in Excommunicationem?

℞. Negatiuè, Tum quia is actus in specie læsionis non est consumatus, vt requiritur ex 2. condit. supra num. 131. Verba enim cum effectu sunt accipienda, ex vlgatis iurib. Tum quia est inchoatio læsionis, ergo vt imperfecta non potest producere effectum suum, cum potius sit voluntas conditionata offendendi, si non esset persona ecclesiastica. Hoc his, & alijs argumentis probaui Resol. 28. num. 38. 150

Oppositum docent plerique *cum Diana par. 9. tract. 4. resol. 35. & Sperel. decis. 45. num* 37. 38. & 39. Probant, quia ad hunc effectum non requiritur actio physicè tam releuans, vt sit peccatum mortale, sed sufficit, eam esse contra Immunitatem corporis proprij, quam vnusquisq; habet pro conseruatione eius; vel vt sit grauis contra honorem, dummodo corpus attingatur, quamuis leuiter, si tamen secundum moralem existimationem sufficiat ad grauem iniuriam contra honorem, & reuerentiam Clerico debitam, satis est ad incurrendam hanc Censuram.

Sed contra est, quia verba textus magis respiciunt violentam iniectionem externa quæ est physice lædere, & quidem mortaliter, ex illis verbis *suadente Diabolo*, q

anim

animum iniuriandi, nō enim in Canone prohibetur iniuria verbalis, sed læsio corporalis, ideo cum in casu nostro sit solùm attentata, & protestata, quam exequeretur, si non esset Clericus, in nullo est læsus, licet iniuriam verbalem passus. Neque facit, quòd iniuria mensuretur à qualitate Personę, quia hic non est coniuncta cum læsione corporali. Confirmatur, quia omnes de hac materia Canonis loquentes illum intitulant *de percussione Clericorum* faciunt dicta superius num. 142. ergo hic attendenda est læsio corporalis, non iniuria verbalis, vel fatalis, in modo mittendi manus non violentas in Clericum.

Quæres 55. An huius Censuræ reus sit, qui Clerici vigilantis, seu etiam dormientis pallium, aut vestem, quibus est indutus, clauo, vel acu affigat, vel laceret, seu præcidat, dum sedet, vel iacet, stat, aut dormit.

151 ℞. Affirmatiuè, quia ad incurendam hanc censuram sufficit læsio mediata scilicet per vestes, talis autem actio satis ludibriosa, iniuriosa est contra statum clericalem honorandum, non vilipendendum.

Quæres 56. An sit excommunicatus trahens per vim Clericum à sede, vel loco, in quo est; vel illum impellens per alium hominem?

152 ℞. Affirmatiuè, si expulsio de se iudicetur secundum actum externum peccatum mortale, est enim violenta iniectio manuum suadente Diabolo. Patet ex num. 134. Bariola conf. 22. dicit Clericum indignatum eleuando manum contra alium Clericum, & reijciende illū aliquantis per de loco in quo morabatur non incidisse in Excommunicationem; quem refert *Diana par. 9. tract. 4. resol. 35.* quem non reprobat, nec ego. Iterum infra q. 62.

153 Similiter impellens per alium hominem Clericum è loco suo est excommunicatus, quia adhuc iniicit manus violentas in illum, nomine enim *manus* non solum venit manus propriè accepta, sed quodlibet aliud, ac proinde etiam alter homo, quo Clericus pellitur è loco; homo enim medians se habet vt instrumentum ad impellendum, non tamen ipse incurrit Excommunicationem, vt ex Leone docet *Diana part. 9. tract. 4. resol. 27.* Intellige tu, nisi ambo pari actione agant ad impellendum Clericum, vnde medius homo debet se habere tantùm passiuè.

Quæres 57. An eijciens biretum, vel quid aliud de capite Clerici incurrat hanc excommunicationem?

154 ℞. Sic, nisi ioco fiat, quia suadente Diabolo id fit tangendo Clericum. Dixi Decis. Miscell. 340. tom. 4. impress. Lugdun. Dixi *ioco* quia iocus sicut excusat à peccato, ita & à Censurâ. Aduerte tamen, quod in hoc casu, & præcedentibus bene considerari debet ille actus externus in se spectatus, an sit mortalis, qualis non solet esse vt plu- 155
rimùm, attentis quoq; loci, & personæ circunstantijs; si enim non iudicatur peccatum mortale, nec sic agens iudicandus est excommunicatus, vt de communi dixi num. 134. & docet Diana citat. resol. 27. paulò post initium.

Quæres 58. An expuens in faciem Clerici sit excommunicatus?

℞. Ita, quia hæc est magna iniuria igno- 156
miniosa valde Clerico, licet læsio sit leuis, grauata tamen per talem contumeliam. Ita *Sayrus lib. 3. cap. 26. num. 14. Bonac. in Bulla disp. 2. q. 3. p. 6. sect. 1. §. 1. num. 4. Vers. Ex opposito Sperellus dec. 45. num. 53.*

Quæres 59. An affigens libellum famosum super domum Clerici incurrat Excommunicationem?

℞. Negatiuè, quia lædit famam, & ho- 157
norem eius, non vitam, & corpus eius, *ex l. Lex Cornelia 5. §. Si quis librum de iniur.* ergo non incurrit, cum Canon non agat de hac iniuria ex libello famoso.

Quæres 60. An veneno necans Clericum sit reus huius Censuræ.

℞. Affirmatiuè, siue illud det ad tempus, 158
siue ad incertum tempus mortem inferendam, incurrit Excommunicationem, quia sine dubio læditur mortaliter corpus Clerici faciendo paulatim violentiam corpori ab initio propinationis, esto subitò non sentiatur. Ita communis cum *Suarez disp. 5. sect. 1. num. 15. Vers. Addo, Portel. v. Manus violenta num. 1. Beia par. 1. casu 46. Barb. in Canone num. 35. Sperellus dec. 20. n. 21. Bonac. in Bulla disp. 2. q. 3. p. 6. sect. 1. n. 6 Diana par. 9. tract. 4. resol. 36. vbi alios citat.* Inter quos quidam tenent in ipso actu propinationis statim Excommunicationem incurri, cum quibus est *Sperellus citatus, & Beia Vers. Nec propter*, ea ratione, quia initio propinationis incipit operari, Suarez cit. seq. num. 16. in actu mortis veneniati incidit in Excommunicationem, & hoc est verius, quia actus venenationis etiam ab initio inchoatus perficitur, & consumatur illatione mortis, Excommunicatio enim non incurritur, nisi per actum consumatum, vt dictum fuit num. 131. & 132.

In causa propinationis veneni concurrere possunt plures, nempe mandans, & mandatarius, atq; alter, qui scienter præparauit venenum, hi enim omnes dicuntur inijcere manus violentas in Clericum, dum per illorum actiones ille moritur.

Sed quid agere debet Confessarius cum 159
istis, qui Pœnitentia ducti petunt ab eo Sacram Confessionem? In primis debet eis iniungere, vt si possibile est venenatum eri-

pere

pere à morte imminente, procurent secretò antidotum, & remedium; si casus est desperatus, tunc absolui potest à peccatis, non autem ab Excomunicatione, quam nondum contraxit, cum proueniat à morte, nondum secutà in venenato. Post mortem verò Excommunicationis reus non est, quia propinatio veneni quò ad malitiam influentem cum morte in Censuram, remanet tantum physice influens in mortem, & nullo modo in Censuram, cum desierit esse quo ad malitiam, & causam moralem. Ita *ex Hurtado de Excom. diffic. 15. num. 76. ex eo Defendens de casib. reseru.* Comi *disp. 3. casu 7. num. 761. Ianuarius de casib. reser. resol. 23. num. 8.*

Qeres 61. An Monialis per potionem abortiens, vel percussionibus sibi illatis incurrat hanc Excommunicationem?

160 ℞. Non incurrere, quia hoc non facit animo irato, vt sibi læsionem inferat corporalem, sed vt fœtum perimat ad euitandam infamiam. Ita *Bonac. de cens. disp. 2. q. 4. p. 1. §. 1. num. 6. Mazuchel. de casib. reseru. disp. 2. cap. 3. num. 67 cum alijs Diana par. 7. tract. 5. resol.* 40. Dixi *de homic. cap. 9. q. 23. num.* 72. *Sayrus lib. 3. cap. 26. num.* 17.

Quæres 62. An animo turbato impellens Clericum è loco sit excommunicatus? Vide q. 56.

161 ℞. Negatiuè, etiamsi cadit in terram, quia talis impulsus arguit leuissimam corporis læsionem, nisi aliud illi accidat ex tali casu grauius. Ita *Angelus v. Excom. 5. num. 26. Bariola consil. 22. vers. Primo, ex Nauar. & Caiet.* Verum quidem est, quòd non exprimunt casum per impellentem causatum; nihilominus idem dicendum, quia casus vti effectus impulsus non dat esse suæ, causæ, neq; in genere moris.

Quæres 63. An vnguibus lacerans manus, vel faciem Clerici incurrat Excommunicationem?

162 ℞. Vnica leuis laceratio, ex qua ortus
est modicus sanguis non infert hanc Censuram, quia vti leuis in malitià non est iudicanda peccatum mortale, neq; proinde inducere Excommunicationem. Idem dic de dentium morsu leui, Vide *Decianum lib. 8. cap. 2. num. 10. & Riccium par. 3. dec.* 130.
asserentes, dentes, & vngues non numerari
163 inter arma in ordine ad pœnam inflictam
contra offendentes cum armis. Qua ratione saluatur illud Psalmi 56. 5. *Filij hominum dentes eorum arma, & sagitæ, & lingua eorum gladius acutus.* Quod sint arma in ordine ad offensam, non ad pœnam, quam respiciunt solùm arma artificialia, & disiuncta à manu, non hæc, quæ sunt naturalia coniuncta corpori animalis, cuius sunt membra illi data magis ad defensionem, & eorum necessitatem, vt dentes, & commoditatem vt vngues, quàm ad offensionem.

Quæres 64. An laceratio Capucij, Habitus, Pallij, seu Vestis Clerici inducat Excommunicationem?

℞. Affirmatiuè, si illis sit vestita persona ecclesiastica, cum talis actus sit violenta iniectio manuum. De communi *Sayrus lib. 3. cap. 26. num. 14. Bonac. disp. 2. in Bulla p. 6 sect. 1. §. 1 num. 5. Barb ad hoc cap. num. 32. Castropal. disp. 3. de cens. p. 23. §. 2. num. 2. Sperell. dec. 20. num. 17. & decis. 45. num. 53.* 164

Quæres 65. An eijciens Clericum perturbantem diuina Officia in Ecclesià incurrat Excommunicationem?

℞. Negatiuè, quia illum non lædit suadente Diabolo, sed arcet ab Ecclesià, quæ 165
est domus Orationis, non locus rumoris, &
perturbationis. Ita deciditur *cap. Veniens
16. de sent. Excom.* Vbi quòd monendus est,
vt exeat, aliter verberibus tunc cogitur
exire sine incursione Censuræ; ibi *Barb.
num. 3. citat Marium Socin. in cap. Peruenit
eod num* 328. *Decian. lib. 6. cap. 36. num. 6.
de Graffis Effectu 9. num.* 285. Ibidem notatur, quod tunc Clerici, & Moniales simul 166
in Choro canebant diuinas laudes.

Quæres 66. An carcerans, vel in loco detiuens Clericum, à quo exire non possit, incidat in Excommunicationem?

℞. Affirmatiuè, expressè *cap. Nuper. 29. de sent. excom.* Textum hunc retuli supra *sub num. 112. Vers. Quinta* Vbi, quòd in hoc casu incurritur Excommunicatio, licet nulla sit Clerico facta læsio corporalis, sed sola violentia compulsiua de qua num. 110. supra, quam violentiam possumus etiam appellare retentiuam ab effectu, quem producit retinendi personam, ne pergat, quo vult. Ita docent omnes *cum Sayro lib. 3. cap. 26. num. 13 Suarez disp. 22. sect. 1. num. 29. Bonac. cit. q. 4 §. 1. num.* 15. Distinguuntur autem tres casus retentionis ibidem his verbis: *In custodià detinent publicà, vel priuatà, vel etiam detrudunt in vincula.* Id procedit, siue detineatur à Iudice, vel aliquocius Officiali, siue ab alijs in vindictam, & ludibrium, textus enim non limitat ad Officiales, vt vult Angles apud Sayrum, sed indifferenter loquitur ibi: *Quid de illis laicis faciendum?* quæ verba omnibus applicari possunt Officialibus, & non Officialibus, vt docent supradicti, & alij *cum Deciano lib. 7. cap. 10. num. 22. Farinac. q. 27. num. 8. Vers. De iure, Barb. in hoc cap. Nuper. num.* 2. Non dicitur autem retineri, qui alio fine non potest exire è loco, quia portæ e. g. in oppido clauduntur omnibus, ne ab hostibus capiatur, Sayrus, & Suarez locis citatis.

Numquid Clericus retinens Diabolo- 167

suadente,

suadente, ne alius Clericus excat è loco aliquo, vel domo suâ, incidat? Ratio dubi-
168 tandi oritur ex illis verbis: *Quid de illis laicis faciendum*? Non obstant, quia narratur casus, qui accidit laicis, non decidittur, ideo textus decisiuus comprehendit etiam Clericos, qui eodem modo possunt facere violentiam alijs Clericis, ideo incidunt, si sunt transgressores eiusdem cap. Nuper.

Quæres 67. An Iudex in exilium mittens Clericum sit reus huius Excommunicationis?

169 ℞. Negatiuè, quia non læditur in corpore, neq; detinetur in loco, vnde exire non possit, quamuis negetur per hoc illi regressus ad locum, à quo exulat. Incidit verò in Excommunicationem Bullæ Cœnę Domini, quæ est 19. lata contra molestantes Personas Ecclesiasticas, illas procellando, banniendo, capiendo, sententiam proferendo, & sententiam exequendo. Vide *Sayrum lib. 2. cap. 23. Bonac. disp. 1. q. 20.*

Quæres 68. An vnicum pugnum, vel verberatio in Clericum inducat Excommunicationem?

170 ℞. Negatiue, si liuorem aut signum non relinquit, quia non est mortale peccatum, sicut non iudicatur contra laicum, cum sit leue nocumentum. Ita *Marcus Vidal in Arcâ Theologiæ moralis prohibitâ 10. Iunij 1654. apud Dianam par. 10. tract. 14. resol. 36.*

Qui illum impugnat in eo, quod magis dilatat casum, quem nos restringimus ad vnicum pugnum, vel ad vnicam verberationem. Probat per Extrau. *Perlectis*, quam extendit Nauar. cap. 27. num. 91. illis verbis: *Percussionem leuem esse pugni, palmæ, manus, pedis, digiti, aut baculi, aut lapidis quæ nullam maculam, aut sugillationem carnis relinquit.* Loquitur in singulari textus, qui ibi supponit percussionem vnico pugno esse peccatum mortale in tres species, in leuem, grauem, & enormem, in ordine ad Superiores, ad quos spectat absolutio, de qua re infra suo loco. *Deinde*, sufficit, vt læsio quamuis leuissima iudicetur grauis secundum moralem existimationem, cum sit contra honorem, & reuerentiam debitam tali personæ, ex communi opinione.

℞. Ad primum, verum quidem esse, quod lenis percussio, quæ supponitur peccatum mortale, specificatur ab illis instrumentis, non quod sufficiat semper vnicus ictus pugni, palmæ &c. ad inferendum percussionem leuem seu ad inducendam hanc denominationem leuitatis in ordine ad absolutionem, considerando simpliciter percussionem, sed etiam in ordine ad speciem peccati attendendas esse circunstantias, vt ibidem dicitur his verbis: *Volumus diligenter perdendi non solum factum, sed etiam qualitatem eius, & modum percutiendi, & lædendi eum omnibus suis circunstantijs loci, personæ, &c.* Potest ergo accidere, quod percussio facta sit vnico pugno tam vehementi, vt relinquat nescio quid liuoris si non cicatricem, pariter potest quis vnico digiti ictu excæcare hominem; aliter non video, qua ratione quis ictu digiti indicandus sit peccasse mortaliter, si aliud nocumentum passus non fuit præter modicum doloris. bacillo bis clericum verberans, immo, & ter non videtur reus peccati mortalis, &c.

Ad secundum dico, falsum esse actionem 171
leuissimam Clericum attingentem existimandam esse grauem per ordinem ad honorem debitum Clerico, quia textus Canonis, vt alias dixi in ordine ad Excommunicationem considerauit læsionem tantùm corporalem in se spectatam, quæ debet esse de se grauis, hoc est, peccatum mortale; honor verò, & reuerentia debita Clerico fuit causa mouens Pontificem ad concedendum hunc Canonem, non ad incurrendam Censuram, cuius causa est sola læsio corporalis, non iniuria honori facta, non enim iniectione manuum læditur honor, sed verbis iniuriosis, ex l. 1. ff. de iniur. dixi supra sub num. 155.

Quæres 69. An ter e. g. successiuè percutiens Clericum in eodem impetu tres incurrat Excommunicationes?

℞. Vnicam incurrit, quia tres percus- 172
siones materialiter spectatæ vno impetu factæ vnica sunt moralis actio vnicam inferentes Excommunicationem. Intellige nisi interrumpantur interpositione alterius negotij. Ita *Suarez disp. 5. sect. 3. num 8. Sayrus lib. 2 cap. 10. num. 9. apud Dianam par. 1. tract. 4. resol. 163. Nauar. cap. 6. num. 17.*

Quæres 70. An vno sclopi ictu tres percutiens Clericos incurrat tres Excommunicationes.

℞. Vtique, non obstante, quòd sit vni- 173
cus actus, quia offenduntur tres Clerici, quorum vnusquisq; per se spectatur. Ita *Nauar. cap. 6. num. 18. Vgolinus de Cens. Tab. 1. cap. 16. §. 3 num. 8. cum alijs Diana par. 2. tract. 4 resol. 164. Vers. Notandum.*

SECTIO QVARTA

De causis excusantibus ab incursione Excommunicationis ob percussionem Clerici.

ASsignantur in primis tres causæ gene- 174
rales, quæ excusant percutientes ab incursu huius Censuræ. *Prima* est defectus peccati mortalis, nam Censuræ non incurruntur, nisi actio prohibita facta, sit pecca-

tum

tum mortale, omnis enim pœna, cuiusmodi sunt Censuræ, & præsertim Excommunicatio pœna grauissima, supponit culpam, & quidem in re nostrâ, mortalem, vt pœna culpæ commensuretur, iuxta dicta hic num. 89. ad 100. In terminis nostris, quod percussio non mortalis excuset ab hac Excommunicatione docent omnes *cum*

175 *Nauar. cap. 27. num. 80. Sayrus lib. 3. cap. 27. num. 33. Suarez disput. 22. sect. 1. num. 23. Angelus v. Excom. 5. num. 26. Barb. in hoc Canone, num. 6.* & cæteri omnes *cum eodem Barb. ad cap. 1. de sent. Excommun. num. 6.*

176 Secunda est ignorantia probabilis tam iuris, quam facti, aut qualitatis facti, quæ excusat ab hac Excommunicatione percutientem, qui ignorabat prohiberi percussionem Clerici sub hac Censurâ, hæc iuris ignorantia excusat pro foro Conscientiæ tantùm, non pro foro externo, ex Reg. 13. in 6. immo rarò excusat etiam in foro Conscientiæ, cum satis nota sit hæc prohibitio cum Censurâ suâ. Probabilis ignorantia facti cum sua præsertim qualitate excusat, quis enim scit esse peccatum percutere Clericum, ignorare tamen potest, percussum esse Clericum, vt quia nullum habet signum Clerici, dum apparet, vt alter secularis, vel quia in obscuro, seu de nocte percutitur, non incurrit Excommunicationem, excusante eum ignorantiâ hac probabili, quæ sicut excusat à Sacrilegij peccato, ita & ab Censurâ, quæ incurritur propter Sacrilegium percussiuum. Ita omnes *in cap. Si verò 4. de sent. Excom. cum Sayro cit. nu. 2. Nauar. num. 80. Bonac. de Cens. disp. 2. q. 4. p. 4 num. 2. Castropal. disp. 3. de Cens. p. 23. §. 3. num. 4.*

177 Tertia est Priuilegium concessum ex causâ percutienti legitimâ, eo iterum sublato ipsi Clerico, qui illud tunc non meretur ob aliquam eius actionem, qua est exutus Priuilegio. Sed accedamus ad quæstiones.

Quæres 71. An carentes vsu rationis, vel eâ non vtentes dum percutiunt Clericum excusentur ab incurrenda Excommunicatione? Huius generis sunt infantes, pueri, amentes, stulti, frænetici, & ebrij grauiter.

178 ℞. Excusantur, quia non peccant mortaliter, ex quo percutiunt inuoluntariè, peccatum enim fit ex voluntate aduertente, & edocta ab intellectu, cuius vsu carent prædicti. Ita præcitati, & in hoc nulla est difficultas, quæ solum potest esse in ebrio, quamuis mente alienato, in casu, quo præuiderit ex inebriatione futurâ, posse prouenire percussionem.

Quæres 72. An pueri, qui dicuntur post decimum quartum annum, incidant in Excommunicationem, si percutiant Clericum?

℞. Vtique, vt supponitur *in cap. 1. cap.* 179 *58. & fin. de sent. Excommun.* in quibus locis dicitur, quòd non sunt mittendi ad Sedem Apostolicam pro absolutione, sed ab Episcopo absoluendi. Confirmatur id, quia cum illis mitius agendum est in pœnis, *cap. 1. & 2. de delict. puer.* Ante id tempus non sunt obnoxij Excommunicationi, quia non habent perfectum vsum rationis. Et ita docent ferè omnes, quòd pueri ante 14. annum nondum completum non incidant, vtique post, vt colligitur hæc affirmatiua ex citatis iuribus, in quibus nomen *pueri* propriè accipitur pro eo, qui inchoat annum decimum quintum, & deinceps, est enim vestitus pubertate in partibus verecundis. *Sayrus lib. 1. cap. 8. num. 4. Cælestinus ex nostris in Compend. Tholog. mor. tract. 3. cap. 6. num. 9. Diana ex eo par. 5. tract. 9. resol. 47. Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 2. casu 2. §. cum vero apud Castropal. disp. 3. p. 23. §. 3. num. 2.* excusat pueros inter se rixantes, quia non multum æstimantur eorum percussiones in ea ætate etiam paulo post pubertatem. 180

73. An ex familiaritate, & ioco verberationes, & percussiones etiam ex aliquo iræ motu superueniente inducant Excommunicationem?

℞. Negatiuè, quia hæc non fiunt Diabolo suadente. Ita *Glos. v. Nec Clerici, cap. 1. de sent. Excom. de Grassis Eff. 9. num. 306. Bonac. de Cens. q. 4. p. 4. num. 3 Coriolanus de casib reseruat casu 10 §. 10. num. 23.* 181

Quæres 74. si conuitiatus subito percutiat Clericum conuiciantem incurrat Excommunicationem?

℞. Si hoc faciat in primo motu non aduertens ad malitiam excusatur, quia non percussit suadente Diabolo, cum id fecerit ex inaduertentiâ. Quare à fortiori excusatur impellens rixantem secum, vel repellens socium ne legat litteras, quas optat legere. Ita ex *Suarez num. 50. Molina, Auila, & alijs Bonac. in Bulla disp. 2. q. 3. p. 6 sect. 4. num. 3. Vers. Addo.* 182

Quæres 75. An percutiens Clericum ob defensionem vitæ, vel honoris, vel rerum suarum excusetur ab hac Excommunicatione?

℞. Excusatur, si incontinenti seruato moderamine inculpatæ tutelæ percutiat, ne offendatur in persona, honore, & rebus suis. Ita *cap. Si verò 3. cap. Ex tenore 10. de sent. Excom. Bonac. de Censur. disp. 2. q. 4. p. 4. num. 1. & in Bulla disp. 2. q. 3. p. 6. §. 4. num. 1. Sayrus lib. 3. cap. 27. num. 17. Suarez disp. 22. sect. 1. num. 33. Castropal. disp. 3. de Cens. p. 23. §. 3. num. 5.* Ratio est, quia percussio non fit suadente Diabolo, neque ex odio, sed ad defensionem, natura enim dictat licere vim vi repellere. Dixi Ne offendatur 183

fendatur in personâ, honore, & rebus, quia post offensam acceptam in persona, & honore, non licet percutere, quia id non est se defendere, dum tamen non amplius imminet periculum, sed se vindicare, *ex allatis à Sayro num.* 18. Quare si inimicus fugit, non potest insequi illum, quia nullum imminet periculum, licet oppositum placeat *Diana par. 9. tract. 4. resol. 25. alijs allegatis.* Mihi tamen displicet, quia textus cap. Si vero 3. id concedit ad repellendam vim, quæ non adest, dum post percussionem fugit, non ideo debet amplius timere, nisi
184 ille verbis laceret honorem fugiendo. Quare si tu post acceptum colaphum vis sequi, & percutere Clericum, qui te colaphizauit, non diceris vim vi repellere, quia non amplius imminet. Neque enim seruasti moderamen inculpatæ tutelæ, quæ in eo consistit vt tu facias illud, sine quo, aliter non potes saluare tuam personam, vel honorem, vel res; quando qui te percussit statim fugit, certè nôn potes te saluare circa iniuriam, quam passus es, vtique circa futuram, quando imminet, in casu autem isto non imminet, ergo nec locum habet defensio.

Quæres 76. An læsus in rebus possit insequi raptorem, vel furem Clericum fugientem cum re, & si nolit rem dimittere, possit eum percutere?

185 ℞. Affirmatiuè, si res est alicuius momenti, & grata domino, quia cum imminet periculum perditionis rei patitur vim, ac proinde percussione expellere potest sic recuperando suum. Ita præcitati.

186 Et in hoc nota differentiam inter corpus, & honorem, & inter facultates, quibus vis infertur, nam in illis defensio, & percussio licet, dum imminet periculum perdendi illa, non post amissionem, quia cessat periculum, & læsio accepta in corpore, & honore auctoritate propria recuperari non potest per vim, sed officio Iudicis, & Superioris. In rebus verò non solùm dum imminet periculum locus est defensioni percutiendo raptorem, seu furem, ne auferat rem, sed etiam post ablationem, dum eam non vult restituere fugendo cum re sublatâ, potest enim dominus insequi illum, & percussionibus rem suam auferre à Clerico, si aliter recuperare non posit. Et de hac materia latius egi de Homicidio cap. 13. 14. & 15.

Quæres 77. Sicut quis potest defendere corpus, honorem, & res suas percutiendo Clericum, ita ne idem facere potest pro proximo quocunque?

187 ℞. Affirmatiuè, quia talis percussio facta seruato moderamine inculpatæ tutelæ, cum scilicet aliter non potest conseruare corpus, honorem, & rem suam, seu proximi, nisi percutiendo, non est peccaminosa, ergo non potest inducere Excommunicationem, quæ semper supponit peccatum mortale. Ita *Farinac. q. 125 num. 276. Barb. ad hunc canonem num. 57. Bonac. disp. 2. de cens. q. 4. p. 4. num. 1. & in Bulla disp. 2. q. 3. p. 6. sect. 4. initio, Diana par. 9. tract. 4. resol. 24. Castropal. disp. 3. p. 23. §. 3. num. 5.*

Quæres 78. An si fugiendo quis potest seruare vitam suam, si nihilominus percutiat Clericum, sit reus Excommunicationis?

℞. Non est reus Excommunicationis, quia vim licet repellere per aliam vim, ac proinde per percussionem, fuga enim non est vis, nec ordinata ad repellendum, cum 189
sit actionis negatio, vnde non est in præcepto fuga nisi respectu Irregularitatis, vt in terminis probaui resol. 28. num. 31. Et docent idem tres Doctores apud Dianam par. 9. tract. 4. resol. 26. reprobantes distinctionem inter personas nobiles, quibus fuga est ignominiosa, & ignobiles, quibus non est ignominiosa. Ipse tamen Diana tenet oppositum cum *Sayro lib. 3. cap. 27. num. 21.* multis citatis.

Dices hic non seruatur moderamen inculpatæ tutelæ, cum homo fugiendo propriam vitam, & inuasoris seruare possit, id enim importat moderamen inculpatæ tutelæ, vt dictum fuit supra.

Contra est, quia illud non importat, sed 190
solùm quòd inuasor percutiatur incontinenti dum imminet periculum, non verò cum cessauit, quia vltio est, non defensio. Fuga ergo non pertinet ad moderamen, quod 191
refertur ad modum repellendi vim, non ad ineundam fugam, quæ nihil habet commune cum violentiâ. Fuga autem solum attenditur in euitatione irregularitatis, ex Clem. Si furiosus, de homic. non in alijs casibus, cum id non sit expressum in iure.

Quæres 79. An Clericus occupans alienam domum possit expelli à domino etiam percussionibus sine incursione huius Censuræ? 162

℞. Debet implorare auxilium Iudicis, & si hoc, vel alio modo expellere non potest, qua ratione dicitur seruare moderamen inculpatæ tutelæ, vtatur iure suo per vim expellendo illum extra domum suam, intellige extra casum litis, & si illam possidebat vti verus dominus. Ratio est, quia non dicitur violentiam facere, sed sibi illatam remouere. Ita *Silu. v. Excom. 6. num. 6. Sayr. lib. 3. cap. 27. num. 19. Castropal. disp. 3. p. 23. §. 3. num. 5.* Quando scilicet non potest recuperare alio modo ius suum, iuxta quod explicaui.

Quæres 80. An creditor Clericum debitorem de fuga suspectum retinere possit, vt eo præsentato Superiori possit recuperare suum creditum?

℞. Si alio modo illud recuperare non potest,

potest, licet, sine incursu Excommunicationis, quia non ex odio, nequalio malo intendit illi iniuriam facere, sed suum eo modo recuperare. Ita *Castropal. cit. Bonac. de censur. p. 4. num. 1. Vers. Hinc.*

Quæres 81. An percutiens Clericum inuentum turpiter cum consanguinea, vel affine excusetur ab hac Excommunicatione?

194 ℞. Cap. Si verò 3. de sent. Excom. illis verbis: *Nec ille compellendus est ad Sedem Apostolicam venire, qui in Clericum cum vxore, matre, sorore, vel filiâ propriâ turpiter inuentum manus iniecerit violentas. Cæterum si in stupro, vel adulterio, quod committit cum eâ, quæ ipsum ita proxima consanguinitatis lineâ non contingit, caperit, aut in eum violentas minus iniecerit, non erit à sententiâ Excommunicationis immunis.* Res est clara ex textu quod percutiens Clericum inuentum turpiter cum vxore, matre, sorore, & filia excusatur ab hac Censurâ, nam legislator compatitur percussori, qui difficillimè iustum dolorem temperare potest vehementi passione compulsus ad vindicandam iniuriam sibi factam. Ita omnes *apud Barbos. ad hoc caput num 6. Sayr. lib. 3. cap. 27. num. 23. Bonac. de censf. disp. 2. q. 4. p. 4. num. 5. & in Bulla disp. 2. q. 3. p. 6. sect. 4. num. 6. Castropal. de censf. disp. 2. p. 23. §. 3. num. 13.* Pro perfecta huius capitis intelligentia subijciuntur aliæ quæstiones.

Quæres 82. Quid importent illa verba *Turpiter inuentum?*

195 ℞. Importare non solum copulam, sed etiam oscula, amplexus, tactus impudicos, hæ enim actiones dicuntur turpes, & inhonestæ. Immo inuentus solus cum solâ in loco apto ad luxuriandum dicitur turpiter inuentus, quando præcessit suspicio. Ita *Suarez disp. 22. sect. 1. num. 37. Bonac. de cens. cit. Vers. Rogabis 2. Barb. ad hoc cap. num. 7.* Vbi, quò Amasius tamen tus non desistens occiditur ab offenso in honore, absq; incursione huius Censuræ, in casu quo eum absconditus expectauit in domo, modò illum per se, vel alios non inuitauerit ad domum.

Quæres 83. An sub nomine *Matris* veniant ascendentes ex linea rectâ, vti auia? Item an matertera?

196 ℞. Nullam harum venire, quia in odiosis verba propriè, & in rigoroso sensu accipienda sunt, non enim illæ propriè mater sunt. Ita omnes *cum Bonac. de cens. Vers. Rogabis 1. Castropal. cit. num. 13. Vers. Persone Diana par. 9. tract. 4. resol. 32.*

Quæres 84. An nomine *Vxoris* non solùm veniat illa, cum qua Maritus iam consumauerat, sed etiam ex Matrimonio solùm rato, immo, & Sponsa sine Matrimonio?

℞. Venire solùm Vxorem ex rato, vel consumato Matrimonio, Sponsa enim de futuro propriè vxor non est, nisi velimus abuti vocabulis in rebus odiosis, quod non licet. Ita *Sanchez lib. 1. cap. 1. num. 6. cum alijs Diana cit. resol. 32. Rodriq. tom. 1. Sum. cap. 144. num. 18. Bonac. cit. Vers. Rogabis primo.* Medius, Counr. & Fragosus tenent probabile oppositum de Sponsâ de futuro; sed credo carere probabilitate, quia Sponsus non habet eam sub suâ potestate. 197

Quæres 85. Quid dicendum si Matrimonium probatur inualidum numquid Maritus tunc excusatur ab excommunicatione?

℞. Vtique, quia ignorantia illum excusat. Immo succedit alia ratio, quia defendit pudicitiam proximi, ex dictis q. 77. & infra. Ita *Bonac. de censf. p. 4. num. 5. Vers. Respondeo Farinac q. 121. num. 100.* 198

Quæres 86. An Maritus Leno tandem tædio affectus possit percutere Clericum, quem aliàs admisit, ad consortium carnale cum Vxore?

℞. Negatiuè, quia sciens, & volens nullam patitur iniuriam, nec passionem, quæ illum inducat ad repellendam infamiam sibi factam, ergo non excusatur. Confirmatur, quia vti Persona infamis non dicitur recuperare honorem sibi ablatum, cum illum volens abiecerit, infamia enim per similem infamiam compensatur, & non per actum percussionis lege concessum illis, quorum honor violatur contra eorum voluntatem. Ad quod facit *l. Marito §. fin. ff. ad legem Iul. de Adulter.* vbi lenonio modo non permittitur occidere adulteram, à fortiori, si contentus aliàs fuit. *Farinac. q. 121. num. 99.* 199

Quæres 87. Quænam dicatur *Soror* ad excusandum percussorem Clerici cum ea in fraganti crimine repertum?

℞. Dicitur Soror non solùm procreata ex vtroque, sed ex altero tantùm coniuge superstite, vnde Clericus cum his commercium habens turpè, percutitur sine Excommunicatione. Vide supradictos, qui tamen non ita clarè loquuntur. 200

Quæres 88. Quid veniat nomine *Filiæ?* Nam triplicis generis est Filia, naturalis, legitima, & adoptiua.

℞. Hic vtraq; non autem adoptiua, quia hæc dicitur impropriè Filia, cum talis non sit per naturam sicut priores duæ. Est communis apud prædictos *Castropal. disp. 3. p. 23. §. 4. num. 13. vers. Persona, Diana par. 9. tract. 4. resol. 33. Bonac. cit. vers. Respondeo Barb. in Canone num. 61.* 201

Quæres 89. An si post factum occidat, vel aliter malè tractet Clericum postquam exiuit è domo excusetur à censurâ?

℞. Negatiuè sed incontinenti debet illum percutere, quod textus satis clare indicat 202

dicat illis verbis *turpiter inuentum*, si enim Clericus exit domo, & occiditur, non dicitur, occisus turpiter inueutus. Est communis *Sayr. lib. 3. cap. 27. num. 23. Suar. disp 22. sect. 1. num. 35. Castropal cit. num. 14. Bonac. num. 6.*

Quæres 90. An occidens Clericum sic turpiter inuentum excusetur etiam à peccato mortali?

203 ℞. Negatiuè, quia in textu dicitur violenta iniectio, ergo peccaminosa, excusat ergo solùm à pœnâ, non à culpâ. Est communis in simili casu apud *Barb. in cap. Inter hæc 6. 33. q. 2. Vide quod cap. 8 q. 38.* de Homicidio ex causà Adulterij dixi alibi.

Quæres 91. An Puer, vel Fæmina aggressi super pudicitiâ à Clerico, possit percutere sine incursione Excommunicationis?

204 ℞. Affirmatiuè, quia hæc non est percussio, sed defensio proprij honoris, quandocumq; alio modo se defendere non potest fugiendo, vel clamando. Ita *Nauar. cap. 27. num. 85. Suarez disput. 22. sect. 1. num. 33. Castropal cit. p. 23. §. 3. num. 5. Bonac. de Censur. p. 4. Vers. secundo, & in Bulla sect. 4. vers. Quarto Diana cit. resol* 38.

205 Est autem differentia inter hunc casum de pudicitiâ, & de dictis in casibus præcedentibus, in quibus percutiens non excusatur à peccato, quia non dicitur defendere proprium honorem, cum iam habeatur pro perdito, dum Clericus, & Fœmina turpiter agunt, & non immineat periculum, vnde solùm excusatur à pœna; in hoc autem postremò casu percussio fit titulo defensionis licitè, & sine peccato, quia percutiendo depellit volentem de facto labefactare Mulieris, vel Pueri pudicitiam.

Quæres 92. An percutiens Clericum causa correctionis, & disciplinæ excusetur ab Excommunicatione?

206 ℞. Excusatur habens legitimam facultatem corrigendi, modo id faciat zelo disciplinæ, & non ex odio. Ratio est, quia non inijcit manus suadente Diabolo, sed ex bono fine. Ita *cap. 1. de sent Excom.* vbi de Magistro corrigente suum scholarem causa disciplinæ, de quo etiam *cap. Ex tenore, eodem.* vbi quoque de Prælato sermo est, & in cap. Cum voluntate 54. eod §. Si qui *verò ratione Officij, quod in Ecclesiâ obtinent, aut etiam alij Clerici seniores zelo deuotionis pueros, vel adolescentes in minoribus Ordinibus constitutos turbantes diuinum Officium. Et hi, qui obtentu Prælationis, vel Magisterij Subditos, & Scholares correctionis causa leuiter forte percusserint, Excommunicationis sententiam non incurrunt. Quod & de his dicendum est, qui aliquos de familiâ suâ, vel propinquos inferiorum graduum simili modo, vt cohibeantur à suis insolentijs, & scientia bonisq; moribus informentur, duxerint corrigendos.*

Sex personæ ex Glos. v. De familia ibid. numerantur habentes potestatē corrigendi verberationibus Clericos sibi subiectos sine incursione Excommunicationis, vt autem clarè procedatur de singulis distinctè quærendum est.

Quæres igitur 93. Quinam sint habentes Officium in Ecclesiâ suo illis verbis: *Quod in Ecclesiâ obtinent, aut etiam alij Clerici seniores zelo deuotionis pueros, vel adolescentes in minoribus Ordinibus constitutos turbantes diuinum Officium correctionis causâ leuiter percusserint.*

℞. Quòd sunt deputati à Rectore Eccle- 207
siæ, vt Sacrista, & nomine *Clericorum seni-*
orum veniunt Sacerdotes, nam Presbiter,
idem quod Sacerdos, interpretatur *Senior*,
si non ætate, saltem moribus *cap. 1. dist.* 21.
Hi ergo titulo correctionis leuiter possunt
percutere Clericos Ordinum tantùm mino-
rum in casu, quo turbant diuina Officia, abs- 208
que incursione Excommunicationis. Ita
Glos. v. In minoribus, ibid. Hostiens. num.
7. de Grassis Effectu 9. num. 231. Barb. num.
7. & quod nomine *Clericorum seniorum* ve-
niant Sacerdotes colligitur ex cap. Veniens
16. eod vbi Sacerdos Monialem cum Cleri-
co turbantem diuina officia eiecit ab Eccle-
siâ sine incursione Excommunicationis.

Quid si extra tempus recitationis diuino-
rum Officiorum, inter quæ computatur
etiam missa, rumor fiat in Ecclesia num- 209
quid eijci possunt verberibus, vel colaphis?
Vtiq; quia id non fit suadente Diabolo, sed
bono fine, vt ab Ecclesiâ remoueatur ru-
mor, & strepitus, Domum enim Dei decet
sanctitudo, & reuerentia non indecentia.
Vnde illa verba *turbantes diuinum Officium*,
stant magis exemplariter & in facto tali,
quod tunc accidit, non restrinctiuè, sed
tantùm demonstratiuè.

Quæres 94. An & quomodo Prælatus, Abbas, & Superior Regularis possint sine periculo Excommunicationis causa correctionis, & disciplinæ verberibus afficere suos subditos?

℞. Possunt titulo correctionis suis mani- 210
bus vel si necessitas vrget per Clericum, aut Monachum, non autem per laicum secularem verberibus subijcere suos subditos, *ex cap. Ex tenore 10. cap. Vniuersitatis 24. cap. Cum voluntate 54. §.* Si qui *de sent. Excom.* Ita *omnes cum Suarez disput. 22. sect. 1. num. 42. Bonac. de Cens. disp. 2. q. 4. p. 4. num. 4. & in Bulla latius disp. 2. q. 3. p. 6. sect. 4. num. 4. Vers. Quarto, & num. 5. Castropal. disp. 3. p. 23. §. 3. num. 6.*

Duo dubia remanent soluenda. *Primum*, an nullà vrgente necessitate incurrant Excommunicationem, si illos verberent per

suos

Digitized by Google

suos religiosos? *Secundum*, an ista correc-
tio fieri possit in constitutos in Sacris?

211 Ad primum, stando in rigore iuris clari
cap. Vniuersitatis, incurrunt. Quoniam
autem experientia compertum est, & si li-
ceat, quòd Superiores suis manibus verbe-
rent suos subditos, non tamen expedire,
tum quia non videtur decere Superiorem
ratione suæ dignitatis, quod vilem actum
212 exerceat; tum quia Superior in correctio-
ne tali debet exagerare, & irasci, iuxta
illud Psalmi: *Irascimini, & nolite peccare*,
ex quo simul cum verberatione resultare
potest nescio quid odij, ideo non expedit
proprijs manibus corrigere; ideo Superiores
vt plurimùm cogunt corrigendos, vt seipsos
verberent publicè coram alijs Religiosis, vt
rubore suffusi, emendent in melius, quod
ex malitià, vel negligentià errauerunt.
Quare Alex. VI. *relatus in Compend. Men-*
213 *dic. Priuileg. v. Absolutio Ordinar. quo ad
Fratres num. 20. & Leo X. num. 27.* viuæ
vocis oraculo, concesserunt Superioribus
vt per suos Fratres verberarent, ita quod
per seipsos id facere non tenerentur, nullo
subsistente casu necessitatis. Et licet modò
sublata sint viuæ vocis oracula, tamen hu-
ius generis, quæ nulli nocent, cum subdi-
tus libentius sustineat verberationem à con-
subdito, quam à Superiore, non videntur
214 sublata, vt probaui *resol. 31. num. 2.* & tra-
dit Donatus *par. 1. tract. 16. q. 7.* Deinde es-
to corruisset illud oraculum viget consuetu-
do valde rationabilis, vt Superior per suos
subditos verberet corrigendos, etiam per
Fratres laicos non solum professos, sed etiã
Nouitios, & Tertiarios habitum gestantes,
quia isti omnes sunt subditi Superioris, non
verò per laicos etiam familiares cum illis
commorantes. Vide *Castropal. disp. 3. p.
23. §. 3. num. 11. Bonac. in Bulla cit. num. 5.*
215 Ad secundum, huiusmodi correctionibus
subduntur etiam in Sacris constituti, & Sa-
cerdotes *ex cap. Ex tenore 10. eod.* vbi men-
tio fit de Subdiacono verberato a quodam
Canonico, qui proinde incurrit Excom-
municationem, vbi excipiuntur Prælati ver-
berantes causà correctionis. Nec obstat cap.
Cum voluntate 54. eod. supra extensum,
vbi licentia verberandi restringitur ad Cle-
ricos Ordinum minorum. Quia respondetur
hanc restrictionem referri solùm ad pri-
mos, & extraneos habentes potestatem cor-
rigiendi realiter, & non ad medios. Præ-
latos, & Magistros, in quorum clausulà nul-
la fit mentio de illà restrictiuà, sicut fit in
extremis. Ratio differentialis est, quia cor-
rectio à Prælato, & Magistro est iurisdictio-
nalis, aliorum verò non, sed tantum eco-
nomica. Ita ferè omnes *cum Suarez disp.
22. sect. 1. num. 48. fine, Castropal. num.
6. Diana par. 9. tract. 4. resol. 21. initio*,
alijs citatis.

Dicta de Prælato locum habent in eius
Vicario, qui eodem modo corrigere potest
sibi subditos, ex officio enim illi communi-
care intelligitur suam potestatem in ijs, quæ
concernunt bonum regimen Monasterij.
Confirmatur id, quia Submagister corrige-
re potest suos Scholares, vt dicam infra,
ergo à fortiori Vicarius Monasterij, qui po-
tiora debet habere iura, quam Pedagogus.
Quid si excedit in correctione? 216
℞. Glos. v. Inferiorum graduum cap.
non incidere, nisi irato animo id faciat, &
cum dolo, aliter non, quia excessus censen-
dus est casu euenisse, & præter intentionem,
verbera enim non dantur ad mensuram, &
in sensu Glosa hæc non est contraria Glos.
v. Fieri iubeat, cap. Vniuersitatis 24. eod.
Et ita docent *Bonac. in Bulla sect. 4. num.
4. Sayrus lib. 3. cap. 27. num. 16. Diana par.
9. tract. 4. resol. 21. Vers. Sed ex his.*

Quæres 95. An dicta de Prælatis regula-
ribus locum habeant etiam in Prælatis secu-
laribus alijs ab Episcopis, de quibus mox
dicendum?
℞. Vtique, *ex cap. Ex tenore 10. & cap.* 217
*Cum voluntate 54. §. Si quis verò, de sent.
Excom.* Vbi nomen *Prælationis* sumitur in
abstracto, quod conuenire potest vtrisq;
tam Secularibus, quam Regularibus, & in
cap. Vniuersitatis fit mentio de solis Abba-
tibus sine titulo *Prælationis*, vnde id nomen
videtur potius tribui secularibus, quibus
proinde non videtur præceptum, vt proprijs
manibus corrigant, vt iubetur Abbatibus
in eodem cap. Vniuersitatis, in his terminis
Suarez disp. 22. sect. 1. num. 45. & 46.

Quæres 96. An Episcopus teneatur cor-
rigere eodem modo suos Clericos, proprijs
manibus?
℞. Non *ex cap. Non licet Episcopo ma-* 218
*nibus suis aliquem cædere, hoc enim alienum
a Sacerdote esse debet. 25.* dist. 86. Subdit
Glos. verberandum esse de illius mandato
per Clericum, & non per Laicum, aliter
incidit in Canonem, & Glos. pro sua ra-
tione adducit illud *cap. Vniuersitatis*, sed
meo iudicio non facit ad rem, quia loqui-
tur de Abbatibus regularibus, & non de 219
Episcopis, neq; de Prælatis secularibus. De
Episcopo per se non corrigente *Suarez cit.
num. 45. & 46. Sayr. lib. 3. cap. 27. nu. 12.*

Quæres 97. An Magistri possint corrige-
re suos Scholares etiam Clericos?
℞. Possunt *ex cap. 1. ex cap. Tenore 10.* 220
cap. Cum voluntate 54. §. Si quis verò ser-
uato semper moderamine inculpatæ tutelæ,
vt scilicet non plus puniant, quam meretur
delictum. Nomine *Magistri* venit non so-
lum ecclesiasticus, verùm etiam laicus, cum
non magis sit Magister vnus, quàm alter in
officio Magisterij sub quo spectantur, & cum
in

Digitized by Google

in illis textibus Legislator non distinxerit, nec restrinxerit, sed generaliter locutus sit, & nos idem intelligere debemus. Ita *Bonac. in Bulla disp. 2. q. 3. p. 6. sect. 4. num. 4. Vers. Hinc colligi*, in fine, & alij. Nomine *Scholarium* credo non venire Clericos in
221 Sacris, sed tantùm in minoribus constitutos, eâ ratione, quia per cap. *Ex tenore* 10. habetur præcisè sermo de Prælatis, & Magistris ecclesiasticis, vbi eorum auctoritas in corrigendo compræhendit Clericos etiam in Sacris constitutos; est enim indecorum Sacro Ordini, vt verberentur à Magistris laicis, non enim videtur rationabile,
222 quòd Magister laicus ampliorem habeat facultatem Prælato. In contrarium tamen est *Suarez disp. 22. sect. 1. num 48. fine, cum Angelo, Siluestro, & Nauaro*. Quia ambo æquiparantur, sed sublata est dicta æquiparatio per dictum cap. Ex tenore. *Diana par. 9. tract. 4. resol. 23.* addens, quod eos
223 punire potest Magister per laicum, loquendo de Clericis in minoribus, nihil dicit de constitutis in Sacris, ideo Magister laicus hos nec per se, nec per alium laicum corrigere potest, vtrq; in minoribus constitutos, quia nullo iure prohibetur Magistro punire per alium laicum, quia adhuc punitur per laicum. *Castropal. disp. 3. p. 23. §. 3. num. 9.* putat Magistrum posse punire Clericum in Sacris, quia Magister vt plurimum est ecclesiasticus; esto id sit verum, solum infertur ipsum posse, non autem laicum.

Quæres 98. An Pater familiàs, & alij propinqui, & tutores curam habentes possint corrigere Clericos suos initiatos etiam in Sacris?

224 ℞. Corrigere solum constitutos in minoribus, de his enim tantùm textus supra extensus sub q. 92. loquitur. Et ita docent *Glos. v. Inferiorum graduum cap. Cum voluntate ibi Felin. Host. Panorm. Butrius, Angel. v. Excom. 5. num. 10.* Quia nullibi est concessum Patri corrigere filios Clericos, nisi in hoc textu, qui limitatè loquitur de constitutis in minoribus. Vide *Castropal. disp. 3. p. 23. §. 3. num. 8.* probantem, & reprobantem argumenta alterius Opinionis oppositæ, quæ communis & ipsa est, *cum Diana par. 9. tract. 4. resol. 1.*

225 Nota autem, quòd hactenus dicta à q. 92. de Correctione intelligendà sunt de correctione paternà, & economicà magis, quam iuridicà, vndè bene textus supra allatus sub q. 92. dicit, leuem debere esse percussionem, verberationem, quia leuiora delicta purgantur magis paterno affectu, quam iudicio legali, vnde præter dictas correctiones Religiosi præfertim disciplinis, ieiunijs, orationibus, & missionibus ad Cellam, vel etiam ad carceres mortificantur sine processu.

Quæres 98. Episcopi, & Regulares, & alij Prælati an possint per laicos capere, incarcerare, & torturare suos Clericos, & Religiosos sine incursione Excommunicationis?

℞. Possunt, ita quòd nec laici incurrunt, 225
dummodo ipsorum birruariorum violentia non plus se extendat, quam defensio, & rebellio exigat Clericorum. Expressè *cap. Vt fama 35. §. Laici verò de sent. Excom.* Dicit ibi Glos. v. De mandato, quod in omni capturà requiritur speciale mandatum capiendi scilicet talem, & talem Clericum, ita quòd non sufficit mandatum generale. Idem habetur *cap. Si Clericos 15. eod. in 6.* Quod dicit Glos. de mandato speciali, non est in vsu, cum Episcopi habeant familiam armatam, hoc ipso, quòd nominant Baricellum, cum suis birruarijs, isti cum solo mandato generali possunt capere Ecclesiasticos, Clericos, & Religiosos repertos in fragranti crimine, & non in alijs casibus, nisi de speciali mandato Superioris ecclesiastici eorum subditorum, qui capiendi sunt. De capturà *Suarez disp. 22. sect. 1. num. 43. Sayrus lib. 3. cap. 27. num. 25. Bonac. de cens. q. 4. p. 4. num. 13.* idem repetens *in Bulla disp. 2. q. 3. p. 6. sect. 4. num. 16.*

Et licet *in cap. Vt fama*, fiat mentio 227
solùm de capturà, *& in cap. Si Clericos* etiam de carceratione, hæc enim illius est effectus, nullus enim regulariter carceratur, nisi vt carceretur; in hoc verò dicitur de torturà, cum sit necessaria reo negant delictum; nihilom nus dicendum est, reos esse torquendos per laicos huius professionis, 228
qui sciunt torquere, non lædere, vt facerent Clerici cum alijs, qui nó habent practicam torquendi, & quidem ex vi dicti *cap. Vt fama* vbi Pontifex decernit, vt Prælati possint per laicos capere Clericos, ea motus ratione, *quod cum Prælati excessus corrigere debeant subditorum, & publicæ vtilitatis intersit, ne crimina remaneant impunita, &c.* Certum autem est, crimina remanere impunita, nisi reus persistens in negatiuà torqueatur, cum non possit puniri, nisi aut conuictus, aut confessus, *cap. 1. & 2.* 229
q. 1. l. Qui 16. C. de Pœnis. Ergo ex vi huius capitis torquendus est à laico, sicut capi, & carcerari potest, mandante Prælato Rei subditi.

Confirmatur, quia torturare est actus vi- 230
lis indecens ecclesiasticos, qui per assumptionem Clericatus euadunt nobiles, de Grassis Effectu 55. Ita docent *Suarez disp. 22. sect. 1. num. 44. Conineb. de Sacram. disp. 14. dub. 15. num. 91. Layman. lib. 1. tract. 5. par. 2. cap. 5. num. 9. Portellus v. Correctio num. 47. cum illis Diana par. 9. tract. 4. resol. 30.* Qui nituntur probatà, & rationabili 231
consuetudine, ego autem id persuasi ex mente

mente legislatoris in dicto cap. Vt famæ. Et
ita tenendum est, quòd Prælatus, nec Bir-
ruarius ligans, & torquens, peccent, cum
ratio ipsa Iustitiæ, & honestatis dictet hoc,
quod dixi.

Diana refert ibidem communem anti-
quorum in oppositum cum nonnullis mo-
dernis, quorum dicta nullius sunt momenti,
dum enim volebant commendare Reum
Clericum, alium Clericum innocentem de-
primebant faciendo illum Birruarium. Neq;
textus *cap. Vniuersitatis* loquitur in casu pu-
232 nitionis iudicialis, quæ conceditur per lai-
cum iuxta superius dicta sed tantùm in ca-
su paternæ correctionis faciendæ per ma-
nus ipsius Prælati, & non per laicum.

Quæres 99. An laicus officialis, vel alius
possit capere Clericum in fragranti crimine
repertum eo fine, vt consignet illum suo
Superiori ecclesiastico, nullum habens man-
datum speciale, nec generale à Superiore
ecclesiastico?

233 ℞. Possunt capere sine incursione Ex-
communicationis, quia id non faciunt sua-
dente Diabolo, sed ad bonum finem, vt
retrahatur a malo, vt innocens defendatur,
&c. Debent autem illum recto tramite du-
cere ad carceres Episcopi, suppono enim
Birruarios certò scire illum gaudere immu-
munitate, ac proinde cum Iudex laicus su-
per eum nullum habeat ius, nulla ratio sua-
det ducendum eum prius ad carceres laica-
les, vt ibi interrogetur. Plerique ex Doc-
234 toribus dicunt laicalem potestatem posse
captum retinere apud se spatio viginti hora-
rum, & postea remittere ad Episcopum.
Sed nullibi in iure reperitur hoc spatium il-
lis concessum, nec aliqua Glos. id tempus
exprimit, inquit *Bart. ad cap. 2. de Vita, &
honest. Cler. num. 7. Campanilis cum Diana
par. 1. tract. 2. resol. 11. in fine*. Quare si
recto tramite non deducunt ad carceres
235 Prælati sunt rei huius Censuræ, vt dicunt
prædicti, *cum quibus Megalius, & Sousa
apud Dianam cit. resol.* 10. Et id puto esse ve-
rum, quia nullum ius dat illis facultatem
capiendi Clericos ex quouis titulo, etiam,
ne delicta remaneant impunita, aut vt oc-
curratur, & impediatur imminens peri-
culum, quia alio modo potest impediri sine
capturà.

Sed quoniam communis est sententia
magnorum, quos numerat *Barb. ad cap. 35.
de sent. Excom. num.* 5. & nos sequamur alias
oues, *cum Bonac. in Bulla disp. 1. q. 20. p. 3.
num. 7.* cum limitatione si aliter impediri
non potest malum, addo ego si recto trami-
te deducant ad carceres Prælati; concur-
rentibus ergo his duobus excusantur ab
Excommunicatione Canonis, & etiam, &
quidem simpliciter ab Excommunicatione
Bullæ Cœnæ Domini, quia hæc fertur con-
tra se intromittentes in causis criminalibus
volentes criminaliter procedere contra Cle-
ricos, ibidem cum alijs Bonacina. Sed me-
lior est opinio sub cap. 11. q. 4. opposita.

Quæres 100. Quid si capiant Clericum
sibi ignotum ab eis putatum laicum, quia
vestitus est more laicorum, numquid excu-
santur ab Excommunicatione, repertum
in fragranti crimine, si recto tramite non
conducunt ad carceres Episcopi?

℞. Excusantur, quia cum repertus fuerit 236
in habitu seculari, pro seculari habendus
est, donec doceat de Ordine, & quod ge-
stauerit habitum, & tonsuram cum serui-
tio Ecclesiæ, si sit in minoribus constitutus
tantùm, nam in Sacris sufficit hoc tantùm
probare, ergo cum sit captus tamquam lai-
cus iustè possidetur à Iudice laico, donec
probauerit, se esse Clericum, quo probato
vlterius detineri non potest, nisi cum peri-
culo huius Excommunicationis, sed statim
remittendus est ad suum Iudicem. Ex addu-
ctis *à Sperello dec. 17. num. 47.* in simili.

Quæres 101. An ignorantia vincibilis,
sicut inuincibilis, vt dixi supra num. 176.
excuset ab hac Excommunicatione? Est
autem ignorantia vincibilis, illa, quà quis 237
præuisà, quæ scire tenetur, ex negligentia
non addiscit; habet enim semper adiunc-
tam negligentiam, ratione cuius ignorans
dicitur peccare. Diuiditur in Crassam, &
Tenuem, in Affectatam, & Comitantem.
Affectata est illa, qua quis nullam adhibet
diligentiam ad eam superandam, vt liberi-
us peccet. Crassa est illa, quando quis mo-
dicam adhibuit diligentiam ex sua pigritia.
Tenuis, in qua maiorem diligentiam adhi-
buit, sed non sufficientem. Ignorantia er-
go improbabilis semper caret necessaria di-
ligentia secundum magis, & minus. Co-
mitans est illa, quæ ita comitatur ignoran-
tem, qui si sciuisset percutiendum esse Cle-
ricum, adhuc percussisset. De his latè egi
Resolut. 38. à num. 52. ad 68.

℞. Ignorantia grassa, & supina non ex- 238
cusant ab incurrendis Censuris, vt expresse
dicitur cap. 3. de constit. in 6. multò minus
affectata, quæ potius est scientia, quam
ignorantia, *Glos. v. Affectata, cap. 2. de
temp. ordinat. in 6.* vbi dicitur affectata ex
quo scire potuit, & noluit, iuxta illud Psal.
35. 4. *Noluit intelligere, vt bene ageret.*
Æquiparantur ergo scientia, & ignorantia 239
affectata, *Glos. v. eod. & in cap. Hac con-
stitutione §. 1. de offic. deleg. in 6. & v.
Scienter, Clem. 1. de consang.* Graff. *tom.
2. consil. 6. de Præbend. Abbas in cap. Apo-
stolicæ de Cler. Excom.* vbi non excusatur
ab Excommunicatione ignorans ignoran-
tià grassà, supinà, & erroneà .i. affectatà.
Et ita communiter docent citati *à Sanchez
lib. 9. disp. 32. num. 33. Bonac. de Cens. disp.*

1. q.

1. q. 2. p. 1. num. 4. *cum alijs Barb. ad dictum cap. 2. de constit. in 6. num.* 8. *Castropal. disp. 1. de Cens. p.* 8. *num.* 7. Quando ergo
240 ignorantia procedit ex mediocri diligentiâ sed non totaliter adhibitâ prout erat necessarium, excusat, sicut, & comitans, quia ille affectus vti internus non potest producere talem malitiam in actum externum, ex quo oritur pœna Excommunicationis, ideo excusat transgressorem à pœna, si non à culpa, Vide Dianam par. 9. tract. 4. resol. 42. in terminis istis, vbi dicit etiam supinam & grassam excusare, quando Censura est lata contra præsumentes, vel scienter transgressores, & alios citat par. 3. tract. 6. resol. 7. quia verba legis pœnalis non sunt extendenda vltra proprium significatum; sed qui operatur cum ignorantiâ affectatâ non operatur scienter, ergo non incurrit Excommunicationem latam contra scienter facientes. Hinc inferunt Excommunicationem latam contra scienter legentes libros hæreticorum non incurrere ignorantes ignorantiâ affectatâ legentes illos. Sed id displicet, quia allegata iura expressè non excusant ignorantes ignorantiâ supinâ, & grasâ, multò minus affectatâ, quæ illis est maior.

Quæres 102. An duo Clerici, vel Laicus, & Clericus inter se digladiantes cum animo irato se percutiendi incurrant Excommunicationem, si alienum corpus non tangunt, gladijs, reparantes ictus ensibus?

241 ℞. Negatiuè, quia esto suadente Diabolo pugnam inceperint, inde tamen nulla secuta fuit corporis eorum læsio, ac proinde cum hic non appareat iniectio manuum violentarum, nulla inde dicitur secuta Excommunicatio, cum nulla sit facta corporis humani læsio.

Confirmatur, quia non adest hic tactus manuum violentus. Ita *Fragosus in Republ. Christ. tom. 2. par. 2. lib. 1. disp. 2. §. 1. nu.*
242 13. quem citat, & sequitur *Diana par. 9. tract. 4. resol.* 4. Tactum requiri physicum docent *Host. in Summa de sent. Excom. §. In primis num. 9. Palud. in 4. disp. 18. q. 3. art. 3. Astensis par. 2. lib. 7. tit. 3. art. 2. q. 7. & 19. Angel. v. Excom. 5. num. 29. Sayr. lib. 3. cap. 26. num.* 21. Illi autem non se tetigerunt physicè, manibus, nec gladijs, ergo immunes sunt ab Excommunicatione.

Quæres 103. An inseruiens Ecclesiæ cū habitu clericali, sed carens primâ tonsurâ gaudeat Priuilegio Canonis?

243 ℞. Negatiuè, quia non est Clericus, neq; Monachus, ergo non gaudet, vt dixi de Clericis saluaticis hic q. 4. num. 14. Ita Diana *par. 9. tract. 4. resol. 4. Vers. Nota* Contra Ambrosinum, & Decianum.

Quæres 104. An occidentes Ecclesiasticos in bello excusentur?

℞. Excusantur, si Ecclesiastici exerceant officium militis, quia licet in bello iu- 244
sto occidere hostes, quicunq; illi sint, non solùm ante victoriam, sed etiam post. Exceptis Confessarijs, dum solùm curam habent animarum, & non vlterius se ingerunt. Ita *Caramuel in Theolog. morali lib. 2. disp. 2. art. 1. num.* 340. Contrarium docet Diana cum alijs par. 9. tract. 9. resol. 9. non excusari occidentes Clericos post partam victoriam; non placet, quia adhuc sunt hostes.

Quæres 105. An percutiens Religiosum Clericum incurrat duas Excommunicationes? Vnam ratione Monachatus, & alteram ratione Clericatus?

℞. Non, quia ex eodem motiuo reuere- 245
ntiæ debitæ Statui ecclesiastico inducta fuit hæc pœna contra reuerentiâ abutentes percussione Ecclesiasticorum. Contra *Suarez, & alios, quos pro se citat Diana par. 5. tract. 9. resol. 60.*

Quæres 106. An vitandus sit Clerici percussor notorius, an solùm post denuntiationem, & affixionem Cædulonis, sicut non sunt vitandi alij excommunicati, nisi post denuntiationem affixam? Resolutio pendet ab intelligentiâ Extrauag. Martini V. quam extendit Sayrus lib. 2. cap. 12. nu. 6. & latè explicat.

℞. Non est vitandus, nisi post affixionem 146
Cædulonis, non solum excommunicatus extra casum percussionis Clerici ibi: *A Iudice publicatâ vel denuntiatâ specialiter, & expressè.* Nominat in ergo declarandus est excommunicatus cum affixione, vt sciant cæteri, se debere abstinere ab eius consortio in omnibus. Sed etiam in casu percussionis Clerici, non obstante, quod hæc verba subijciantur: *Saluo, si quem pro sacrilega manuum iniectione in Clericum sententiam latam à Canone adeo notoriè constiterit incidisse, quòd factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari, nam à communione illius licet denuntiatus non fuerit, volumus abstineri.* Quia semper percussor adducere potest pro se aliquam rationem, quod e. g. Clericus non gaudeat Priuilegio, id enim verum est in multis casibus supra allatis in primâ sectione; se tueri quoq; potest quod percussit titulo defensionis, vel ignorantiæ, in quibus, & alijs percussor excusatur ab hac Censurâ. Quare non solùm notoria debet esse percussio, sed etiam notorium esse debet, quòd percussor nullam habeat excusationem pro se, vnde vitari non debet ante denuntiationem. Et ita docent *Sayrus ibidem num. 18. cum Gabriele in 4. dist. 18. q. 3. art. 1. notab. 3. Vers. Praeterea. Bonac. disp. 2. de Cens. q. 2. p. 6. §. 2. num.* 47. vbi non est vitandus ille, de cuius percussione constat, sed

ſed non de notorietate, ergo neceſſaria eſt declaratio huius notorietatis, & præterea quod omni careat excuſatione, vt dicunt præcitati Gabriel, & Sayrus. Ita docui *reſol. 78 inm Caleſtino ex noſtris num. 92. & apud Dianam par. 5. de Excom. num. 62. & par. 9. tract. 4. reſol. 18. & par. 10. tract. 14 reſol. 9. Verſ. Nota tamen*, multis citatis.

Quæres 107. Quomodo percuſſio in Clericum dicenda eſt notoria?

247 ℞. Percuſſio notoria, quæ præſcribit Excommunicatum eſſe vitandum, eſt illa, quæ commiſſa fuit coram maiori parte populi, viciniæ, vel Communitatis, in qua ad minus ſunt decem homines, quibus conſtet, percuſſorem non poſſe aliqua excuſatione ſuam iniuſtitiam celare, inquit *Caſtropal. diſp. 2. de cenſ. p. 4. num. 7. cum Nauar cap. 25. num. 75. Auila, Layman, Hurtado, & Coninchs.* Contra Suarez diſp. 7. ſect. 3. nu. 2. dicentem, illum dici notorium percuſſorem comparatione cuiuslibet, cui certò de percuſſione conſtat, quia textus ſolùm requirit, vt de percuſſione conſtet, vt nulla tergiuerſatione celari poſſit, at comparatione illius, qui præſens fuit iniuſtæ percuſſioni celari nullà tergiuerſatione poteſt, referente eodem Caſtropalao.

Non placet, quia notorium facti non dicitur, quod ab vno ſolo ſcitur de viſu factum, notorium enim eſt illud, quod fit in loco publico coram multis videntibus, *Cy-*
248 *nus in l. Ea quidem C. de accuſat. col. 5. Boſſins in Praxi tit. Quomodo proced. in crim. notor. num. 7. Clarus q. 9. Verſ. Item quia, Menoch. lib. 2. cent. 2. de arbitr. caſu 166. num.* 20. Percuſſio ergo non dicitur
249 notoria licet viſa à duobus, vel tribus, cum non dicantur multi, licet probatione ſit notorium iuris, quia in ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum, vnde probatur per duos teſtes, *Gloſ. v. Iudicis cap.*
250 *Deus omnipotens. 20. 2. q. 1.* Diana *par. 1. tract. 16. reſol. 24. ex Bonac. cit. p. 1. §. 1. num. 5. Sayrus cit. num. 2.* quot perſonæ requiruntur facientes notoriam percuſſionem à ſe viſam relinquit arbitrio Iudicis, & viri prudentis; vnde Auila ex Nauarro, & Soto ibidem Diana, colligit, percutientem Clericum coram decem, vel duodecim in magna Ciuitate, non eſſe notorium, bene tamen in oppido, vicinia, aut Collegio.

251 Dictu, vt ſupra, percuſſionem factam coram maiori parte loci eſſe notoriam, vnde ſi in Conuentu ſunt decem Religioſi, percuſſio facta coram ſex, eſt notoria. Et ex his difficultatibus, & variatione Doctorum in aſſignandà notorietate percuſſionis, de qua loquitur Extrauagans Martini V. comprobatur, quòd reſpondi in præcedenti quæſtione, ad euitandum percuſſorem Clerici excommunicatum expectandam eſſe denuntiationem eius per Cædulones.

Quæres 108. An denuntiatus hic Parmæ excommunicatus ob percuſſionem Clerici hìc factum, ego tenear illum euitare Regij vbi non eſt denuntiatus.

℞. Nullus Regij tenetur illum euitare, 252
quia ex denuntiatione, vel notorietate percuſſionis oritur hæc obligatio euitandi Excommunicatum; ſed neutra accidit Regij, ergo à nullo etiam Parmenſi euitandus eſt Regij. Confirmatur, quia denuntiatio afficit ſolùm ſubditos localiter exiſtentes in territorio Iudicis denuntiantis, ex cap. 2. de conſtit. in 6. vbi, quòd non ligat extra ſuam diœceſim, etiam per Cenſuras, *Suar. diſp. 5. de cenſ ſect. 4. num. 4. Bonac. diſp. 1. de cenſ. q. 1. p. 11. num. 6.* ergo multò minus per earum denuntiationem. Ita *Durand in 4. diſt. 18. q. 5. fine, Sanchez lib. 2. cap. 11. num. 20. Auila diſp. 11. dub. 12. ex illis Caſtropal diſp. 2. p. 4 num. 9. Verſ Verius. Præpoſitus in 3. part. q. 2 dub. 16. num. 114. Diana part. 5. tract. 9. reſol.* 134. Aſſerentes, me non teneri vitare illum Regij nec in publico, nec in occulto.

Quæres 109. An Sacerdos publicus, & notorius percuſſor alterius Clerici poſſit validè abſoluere à peccatis?

℞. Poteſt validè abſoluere meo iudicio 253
ante denuntiationem, quia non perdit iuriſdictionem per notorietatem, ſed tantùm per denuntiationem. Qui per ſolam notorietatem volunt eſſe vitandum, conſequenter volunt etiam per eam inualidè abſoluere, quia habetur pro denuntiato nominatim ex iis, quæ dicit *Caſtropal. diſp. 2. q. 8 n. 2, cum relatione ad p 4. in fine Verſ. Aduerte.*

SECTIO QVINTA

Quinam poſſint abſoluere ab Excommunicatione ob percuſſionem Clerici?

CElebris eſt diuiſio percuſſionis Clerici in leuem, mediocrem, & enormem, quæ facit ad intelligentiam præſentis ſectionis; eam explicat Ioannes XXII. qui interrogatus reſpondit per hæc verba apud Conſect. & in Bullario Rodriq.

Reſpondemus, Percuſſionem leuem eſſe pu- 254
gni, palmæ, manus pedis digiti. aut baculi, aut lapidis, quæ nullam maculam, neque ſugillationem carnium relinquit, neq; abſcindit membrum, ſine effractione dentium, ſine auulſione multorum capillorum, ſine effuſione multi ſanguinis. Nolumus tamen dicere, quod huiuſmodi leuis percuſſio, aut pugni aut vngnis fiat atrox ob multi ſanguinis effuſionem.

Ad iudicandum tamen, quæ læſio ſit leuis, mediocris aut enormis, volumus diligenter

perpendi, non solùm factum, sed etiam qualitatem eius, & modum percutiendi, & lędendi cum omnibus suis circunstantijs, loci persona, & alijs. Persona, si est Magister Iudex, Prælatus, Pater, Patronus, aut Digitas, percussus iniustè à subdito, aut ab alio seuiliori quia ex hoc interdum censentur graues iniuria, quæ ex se sunt leues, aut mediocres.

255 *Et quia conditio negotij non patitur integram determinationem huius rei relinquimus tuo arbitrio, vt declares, quæ sit leuis, & quæ enormis iniuria, admonentes, vt potius declares in dubio esse percussionem grauem, & ab ea non posse absoluere, quam declarando leuem esse, ne occasionem præbeas lædendi Statum ecclesiasticum.*

256 Hinc rescripsi ex Nauar. cap. 27. num. 92. & explicaui in Resolut. 28. q. 17. à num. 39. Grauis, & enormis pro eadem accipiuntur in cap. 3. 32. vbi explicatur, & 37. de sent. Excom. De modica, & leui fit mentio cap. 17. col. Extrauagans hæc omnino habenda est pro legitima à Ioanne XXII. ortum habens, nam à maiori parte Doctorum recipitur, esto non reperiatur in corpore iuris, ea enim conformis est iuri communi, cum ea diuisio in leuem, & enormem deducatur *ex cap. 3. 17. 32. & 37. de sent. Excom. & alibi*. Quare audiendi non sunt *Filliuc. cum Diana par. 2. tract. 16. resol. 23. fine, & Antonius de Possentibus singul. 165.* asserentes eam esse incerti auctoris, & non esse in iure. Si quidem esto dicant esse incerti auctoris, non tamen negant esse Pontificis alicuius; præterea, ex eo, quòd non reperitur in corpore iuris, non benè infertur, eam non habere vim legis, cum multæ Bullæ extra ius inueniantur obligantes ad sui obseruationem.

Tria ergo distinguntur genera percussio-
257 num, & exemplis declarantur, verum quidem est, quòd ex diuersis circunstantijs percussiones vagantur inter illa genera, nam leuis ex se, potest numerari inter mediocres, seu graues, & vtraq; peruenire ad enormem, e. g. colaphus datus Clerico simplici leuis est, & quandoq; non mortalis; impinctus verò Sacerdoti grauis erit; suo Prælato coram alijs enormis percussio erit; ex circunstantijs ergo personarũ offensarũ percussiones specificantur.

258 Leuis percussio dicitur, non quia non sit peccatum mortale, cum de ea agatur in ordine ad Excommunicationem, quæ non incurritur, nisi ex peccato mortali, sed talis appellatur in ordine ad reliquas duas.

Facio difficultatẽ super illis instrumentis, nempe digiti, & vnguis, quomodo enim vnicus digitus, & vnguis possunt inducere ex se talem læsionem, quæ sit peccatum mortale, cum à viro prudenti æstimetur leuissima, & solum veniale? Dico, si ictu digiti in dictis ludibriosè tangit nasum e.g. sui Superioris peccat mortaliter, grauiter enim offendit suum Superiorem in honore, quem reuereri tenetur, non tamen hæc censenda est enormis.

Leuis percussio talis in se spectata fit gra- 259
uis, & enormis ratione loci publici, vti si fiat in Ecclesià, Plateà, in Theatro coram multis se scandalizantibus, tunc enim percussio notoria est magis ex personis, quam loco, Inquiunt *Glos. v. Mutilationem cap. Cum illorum 32. Abbas ibidem num. 9. Silu. v. Absolutio 4. Graff par. 1. lib 2. cap. 49. nu. 59. Bonac. de cens. disp. 2. q. 4. p. 5. Vers. Grauis* quæ repetit *in Bulla disp. 2. q. 3. p. 6. sect. 5. Vers. Grauis.*

Contrarium, quòd percussio leuis in se, 260
quamuis in publico facta loco talis remanet, & non transit in enormem, nisi magnum generet scandalum, docent *Cardin. cons. 42. Lapus Allegat. 76. Nauar. cap. 27. num. 92. Genuens. cap. 80. Gutierez lib. 1. Canon. cap. 5. num. 7.* referente vtrunq; *Barb. Allegat. 41. num. 5.* Neque enim extrauagans supradicta dicit hoc, sed solùm, quòd in iudicanda leuitate, mediocritate, aut enormitate percussionis attendendæ sunt circumstantiæ Loci, Personæ, & alia. Vide, quæ dixi Resol. 28. num. 44. vbi quòd actus percussionis debet videri, & notari à circunstantibus, vt ex hac notitia oriatur scandalum.

Mediocris est illa, quæ mediat inter le- 261
uem, de qua participat, aliquid amplius habens, & inter grauẽ, & enormem, à qua nihil participat quò ad excessum, vt si dens extrahatur, vel euellatur copia capillorum, aut sanguinis, sugillatio carnis, & leuis incisio. *Bonc. cum alijs locis citatis.* Vulnusculum vel leuis cicatrix.

Enormis læsio importat grauem læsio- 262
nem, vt membri mutilatio, vel eius debilitatio, itaut eo vti non possit, magna sanguinis effusio ex vulnere graui, similiter percussio in suum Episcopum, & Abbatem ex cap. Cum illorum 32.

An autem percussionis enormitas regulanda sit ex iniurijs atrocibus nuncupatis,
de quibus in Instit. de iniurijs §. *Atrox iniu-* 263
ria existimatur vel ex facto, veluti si quis ab alio vlneratus sit, vel fustibus cæsus, vel ex loco, veluti si cui in Theatro, vel in Foro, vel in conspectu Prætoris iniuria facta sit; vel ex Persona, veluti si Magistratus iniuriam passus fuerit; vel si Senatori ab humili personà iniuria facta sit, aut Parenti, Patronoue fiat à liberis, vel libertis. Aliter enim Senatoris, & Parentis, Patroniq; aliter extranei, & humilis persona iniuria æstimatur. Non nunquam & locus vulneris atrocem iniuriam facit, veluti, si quis in oculo percussus fuerit. Parui autem refert, vtrum Patrisfa-

milias,

Digitized by Google

milias, aut filio familias talis iniuria facta sit, nam & hac atrox æstimabitur.

Videtur quod sic, tum quia fere omnes citant hunc locum, dum explicant quid sit percussio enormis, quæ idem est, quod atrox. Tum quia Extrauagans Ioannis XXII. mentionem facit de Patre, & Patrono, de quibus instituta, vt rescripsimus. Citatur autem §. Atrox *à Siluestro v. Absolutio* 4. *à Castropal. disp.* 3. *p.* 23. §. 4. *num.* 2.

264 Ego puto, non esse attendendum dictum
§. Atrox, sed quod dicit super hac materia
in ordine ad Absolutionem textus in cap.
Cum illorum 32. de sent. Excom. vbi declarat, in quo consistit percussio enormis à
cuius Excommunicatione Prælati absoluere
265 non possunt his verbis: *Enormis, vt pote si
ad mutilationem membri, vel effusionem
sanguinis est processum, aut in Episcopum,
aut Abbatem violentas manus iniectas, cum
excessus tales, & similes nequeant sine scandalo præteriri.* Nota, quod ibi nomine
membri venit etiam digitus manuum, &
pedum, esto enim non sint propriè mem-
266 brum, quia non habent officium distinctum
ab illis, vt dixi de Homic. cap. 1. num 300.
in ordine ad Irregularitatem, quæ incurritur ex mutilatione membrorum; tamen hic
venit sub eo nomine, cum simus in fauorabilibus in ordine ad dignitatem Ordinis.
Panorm. in cap. hic num. 8. Similiter mutilatio nasi, & auricularum sine dubio est per-
267 cussio enormis. Similiter excæcatio, seu
effossio oculi, præcisio labri superioris, vel
inferioris, magna cicatrix in faciem Clerici, decorticatio ex parte capitis. Hæ enim
percussiones de se horrorem, & enormitatem præseferunt in Clerico læso, itaq; similes, vel maiores, vel minores, sunt enormes.

268 Ad rationem dubitandi respondeo, non
esse standum iuri ciuili, quando habemus
ius canonicum in discutiendis difficultatibus, in quarum resolutione recurrendum ad
ius canonicum, vt docent omnes. Nec Extrauagans inducit quicquam pro vsu dict. §.
Atrox, nam illa iudicium relinquit Prælatis
in discernendo, quænam percussio sit leuis,
269 mediocris, an enormis, atrox, & grauis,
textus verò §. Atrox, definit quænam iniuriæ sint atroces, & enormes, quibus standum non est, quia hæc facultas adimeretur
Prælatis.

An autem in dubio percussio sit iudicanda enormis?

270 ℞. Non, quia in obscuris minimum est
sequendum *Reg.* 30. *in* 6. *l. semper* 9. *ff. de
reg. iur.* & in dubijs magis fauendum est
reo, quam actori, *Reg.* 11. *in* 6. *l.* 168. *ff.
eod.* Confirmatur, quia Prælatus non debet
se spoliare suo iure, cum in dubijs melior
sit conditio possidentis suam iurisdictionem. Id, & alijs probaui Resol. 28. num. 45. Et ita docent *Layman. lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 4. *de. conscient. num.* 38. *Antonius de Possentibus Singul.* 165. *Illuminatus Morenus Resp.* 87. *num* 81.

Contrarium, quòd percussio sit habenda enormis, tenent *Castropal. disp.* 4. *p.* 23. §. 4. *num.* 2. *Suarez. disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 88. *cum alijs Diana Par.* 9. *tract.* 4. *resol.* 46. Si huic est credendum. Certe id non probatur, nisi ex ea Extrauaganti, quæ tamen hoc non præcipit, sed tantùm monet, vt dixi loco citato. Cum ergo Diana cum Suarez, & alijs reprobet dictam Extrauag. qua ratione potest probare, in dubio percussionem esse iudicandam enormem?

Sed demum quid requiritur, vt percussio facta in loco publico dicatur enormis ex loco? V. g. in Platea, in Theatro, in Ecclesia, in Cæmeterio.

℞. Duo requiruntur *Primò* vt sit nota- 271
bilis, hoc est, maior quam leuis, immo, &
quam sit mediocris, nam enormis debet
etiam in ratione percussionis alias duas excedere, gradatim si quidem debent se excedere, vt obseruat Suarez disp. 22. sect. 1.
num. 89. *Secundò*, quòd sit facta multis videntibus, inquit Nauar. apud dictum Dianam resol. 19. ex quarum visione excitatur
scandalum. Non ergo ratione loci præcisè
leuis percussio fit grauis, & enormis, sed
specificatur in sua enormitate à grauitate,
& scandalo personarum multarum videntium male tractari Clericum, locus ergo de
se materialiter acceptus nihil operatur ad specificandum percussionem in genere enormitatis, sed formaliter accipiendus pro
multitudine personarum admirantium insolentiam percutientis Clericum.

His præmissis videndum est, quis possit 272
absoluere ab hac excommunicatione, cum,
Papa in eo canone 29. 17. q. 4. eam sibi reseruauerit his verbis: *Et nullus Episcoporum illum præsumat absoluere, nisi mortis
vrgente periculo, donec Apostolico conspectui
præsentetur, & eius mandatum suscipiat.*
Regulare hoc est, vt vigente mortis periculo, nunquam adsit reseruatio, sed tunc
quilibet Sacerdos absoluere potest à quibuscunq; quia ab Ecclesia hanc potestatem liberam habet à nullo impeditam, vt testatur Tridentina Synodus cap. 7. siue sess. 14.
pro cuius resolutione.

Queres 110. An Legatus à Latere possit absoluere ab hac Censura?

℞. Legatus à Latere potest absoluere 273
quoslibet ad se accedentes etiamsi percussio
sit enormis; non solum existentes intra
suam Prouinciam, sed etiam ad extra venientes; & hanc potestatem habet à die, quo
recedit à Curia Romana vsq; ad diem, quo

Digitized by Google

regreditur, & in eam ingreditur.

Prima pars de hac potestate expresse habetur *c. Ad Eminentiam* 20. *cap. Quamuis* 58. *de sent. Excom.* Nullus contradicit, quia textus clarus est, *Sayrus lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 10. *Vers. Illud verò*, vbi restringit, vt ab alijs reseruatis non possit; *Castropal. disp.* 3. *de Cens. part.* 23. §. 4. *num.* 3.

Secunda pars, quòd absoluat ab Excommunicatione ob enormem percussionem contracta, docetur ab *Azor. par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 32. *quaest.* 6. *relato à Barb. super hoc cap.* 20. Et ratio id suadet, eius enim eminentia id exigit, vt distinguatur Eminenter ex vberiore Priuilegio ab Episcopo, qui ab ea absoluere non potest, licet ab alijs, vt in-
274 fra patet, hic enim dicitur pars corporis Papæ, ille verò pars capitis, & sicut caput eminet corpori, ita Cardinalis à latere præeminere debet Episcopis in Priuilegio hoc.

Tertia pars de subditis, & etiam extraneis, docetur (non loquor cum pedagogis, sed cum viris doctis) ab omnibus *per cap. Excommunicatis* 9. *de officio Legati*, vbi Legatus à non Latere non potest absoluere nisi subditos ad differentiam eius, qui absoluit etiam extraneos ad se venientes, non solùm dum est intra suam Prouinciam, sed etiam extra, quod confirmatur mox in sequenti parte *Castropal. cit.*

Quarta pars, quòd hanc potestatem absoluendi ab hac Censura habeat à die, quo recedit vsq; ad diem ingressus in Curiam, à qua recesserat, colligitur à Glos. v. Pro tempore dicti cap. Ad Eminentiam, citatis iuribus ibidem. Dies autem ingressus in Curiam Romanam, sicut egressus, ab ea excluduntur, quia non decet vbi est caput tam supereminens, exercere potestatem sibi concessam.

Quæres 111. An eandem potestatem habeant Legati seu Nuntij, qui non dicun-
275 tur à Latere, qui sunt in duplici differentia. Missi scilicet à Papa; & Nati scilicet Archiepiscopi Pisanus, Remensis, Cantuariensis, & Eborensis, cum quibus dicitur esse par potestas, de quibus *Sayrus lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 9. Quæ distinctio deducitur *ex cap.* 1. *de officio leg. in* 6. non autem numerus eorum,

276 ℞. Missi tantùm possunt absoluere suos subditos, dum sunt in sua Prouincià, & quidem ab Excommunicatione hac etiam ex enormi percussione, quia textus generaliter loquitur, & decet Principis Beneficium latè interpretari *cap. Cum dilecti* 6. *de donat. cap. Quia circa* 22. *de priuileg.* Ita expressè restringit *cap. Excommunicationis* 9. *de offic. legati*. Nati verò nihil possunt ex sua dignitate Archiepiscopali ex qua nascitur hæc
277 prærogatiua Legati Nati, vt dicitur ibidem, nisi id ex speciali gratia Pontificis illis concedatur. Ita ex Molina Castropal. citatus. Quare in hoc comparantur Episcopis quo ad absolutionem ab hac Censurà, & sic non possunt absoluere suos subditos ab enormi percussione Clericorum.

Quæres 112. An Episcopi possint absoluere ab hac Censura?

℞. Sic, si prouenit ex leui, & modicà 278
percussione, expressè cap. Peruenit 17. *Qui Clericis non enormem, sed modicam, & leuem iniuriam irrogarunt, tua Fraternitatis arbitrio duximus committendum.* Est communis, quòd Episcopus potest absoluere suos subditos ab hac Excommunicatione, ob modicam, & leuem iniuriam, cum textus sit clarus, *ex allatis à Sayro lib.* 3. *cap.* 28. *initio*, *Bonac. de censur. disp.* 2. *q.* 4. *p.* 5. *initio*, repetit idem in Bullà *disp.* 2. *q.* 3. *p.* 6. *sect.* 5. *num.* 3. *Castropal. disp.* 3. *p.* 23. §. 4. *num.* 4. Qui omnes docent, id posse non solùm per se, sed etiam per alium, quia id ei competit iure ordinario, & præterea cum sit illi concessum à Principe, à quo delegatus
potest subdelegare, *cap. fin. de Officio deleg.* 279
cap. Cum causam 62. *prope finem, de appellat.* maxime cum id sit perpetuum, & dignitati concessum, quæ nunquam moritur in seipsà, *cap. Liberti* 65. 12. *q.* 2. *cap. Si gratiosè* 5. *de rescr. in* 6. Procedit hoc in vtroq; foro, vt docent Canonistæ cum Panorm. ibidem, si fides adhibenda sit Castropalao num. 4. siquidem Panorm. id expressè non dicit, tamen ex parte rei id verum est, cum nullo modo Excommunicati huius generis sint mittendi ad Sedem Apostolicam.

Sed difficultas est an Episcopi absoluere possint ab Excommunicatione contracta propter percussionem mediocrem, & non enormem? Negant *Sayrus lib.* 3. *cap.* 28. *num.* 4. *Castropal. num.* 5. *& alij*, Quia Papa in citato cap. *Peruenit*, concedit solùm absolutionem eisdem pro modica, & leui percussione, ergo non pro alijs, nempe, pro enormi, de qua nullatenus dubitandum est, neq; pro mediocri.

Ego autem puto posse absoluere etiam in 280
casu, quo percussio æstimatur mediocris. Probatur, quia in conessione facta Abbatibus, & cæteris Superioribus regularibus, solum excipitur atrox, & enormis *cap. Quoniam* 9. *de Vita, & honest. cap. Cum illorum* 32. §. *Nos tamen*, *cap. Canonica* 50. *de sent. Excom.* Et in cap. Relatum 37. eod. dirigit facultatem ad Episcopum, excepto casu excessus grauis, & enormi, ergo facultas compræhendit non solum leuem percussionem, sed etiàm mediocrem, exceptio enim firmat regulam in casibus non exceptis *cap. Dominus* 6. 32. *q.* 7. *cap.* 2. *de coniug. lepros.*
cum ergo in hac concessione excipiatur so- 281
lùm percussio enormis, in regula compræhenduntur aliæ duæ, leuis, & mediocris, &

meritò,

mer tò, cum magis participet de leui, quàm de enormi, quam potius participat per negat on m, dum non includit excessum atroc tat s. Nec dicas verbum *grauis percussionis* de quo in cap. 2. 32. & 37. contra distinguere enormem à mediocri, & sic vtranq; excipi ex dictis capitibus. Quia respondetur sumi pro eodem percussionem grauem, & enormem, vnde illa dictio, *&* interposita

282 sumitur pro, *id est*, & declaratiuè arg. eorum, quæ scribit Barb. in dict. 110. num. 26.

283 Nec placet restrictio *Panorm. ad cap. Peruenit cit. de sent. Excom. num. 2. quem cum alijs sequitur Diana par. 9. tract. 4. resol. 56. Sayr. lib. 3. cap. 28. n. 26.* Qui absolutionem restringunt ad Clericos simul viuentes, vel ex communibus redditibus, vel ex proprijs, e. g. in Seminarijs, se inuicem percutientes, ex *cap. Quoniam, de Vita, & honest.* Licet enim ibid. m hoc concedatur Episcopis absoluendi Clericos in communitate viuentes ab Excommunicatione, quæ non sit ex atroci percussione, inde non infertur exclusio aliorum siue Clericorum, siue Laicorum, vt probant superius allata, hoc enim ipso, q od excipitur in omnibus semper absolutio ab Excommunicatione hac proueniente ex enormi percussione, sequitur in facultate concessa comprehendi percussionem non solum leuem, sed etiam mediocrem, cum non sit enormis, nec atrox.

Quæres 113. An Episcopus virtute cap. 6. sess. 24. Tridentini possit absoluere ab Excommunicatione contractâ propter percussionem etiam enormem? Verba Tridentini sunt hæc. *Liceat Episcopis in quibuscunq; casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reseruatis delinquentes quoscunq; sibi subditos in diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro Conscientiæ gratis absoluere, imposita pœnitentiâ salutari.*

284 ℞. Posse, etiamsi Excommunicatio contracta esset ex homicidio Clerici, quo nihil enormius inter percussiones, modò casus iste sit occultus ad tenorem Tridentini,

285 nempe, quòd delictum nondum sit deductum ad forum contentiosum, nec probatum, quamuis sciatur à tribus, aut quatuor, modò non sit factum publicum, & notorium in loco, ex communiori opinione Doctorum, quos citat Diana par. 7. tract. 2. resol. 15. Ratio id suadet, quia Concilium loquitur vniuersaliter ibi: *In quibuscunq; casibus* ergo etiam in casibus iniicentium manus violentas in Clericum etiam enormiter, propositio enim vniuersalis, vt hæc omnia comprehendit, etiam quæ aliàs non comprehenderentur arg. eorum, quæ habent *Doctores apud Barbosam dict. 241. num. 3. & 4.* Ita alijs citatis *Diana par. 9. tract. 4. resol. 63.* ...

Quæres 114. An Episcopus in aliquo casu possit absoluere etiam in foro externo ab Excommunicatione notoriâ ob enormem percussionem, nam in occultis potest, vnde idem quæritur in publicis, & notorijs? Dico, *ob enormem percussionem*, quia ob leuem, vel mediocrem probaui supra, posse de iure communi absoluere.

℞. Affirmatiuè, quando scilicet excommunicatus habet legitimum, & canonicum impedimentum, quo Romam ire non potest pro absolutione, in quo casu Episcopus absoluit. Ita omnes *cum Sayro lib 3. cap. 28. a num. 9. Bonae de cens. disp. 2. q. 4. p. 5. num. 3. & in Bulla disp. 2. q. 3. p 6. sect. 5. num. 9. Suarez disp. 32. sect. 1. num. 63. Castropal. disp. 3. p. 23. §. 4. num. 6. Bassæus v. Excom. 7. num. 8.* Referam casus succinctè relatos potissimum in cap. Ea noscitur 13. cap. Quod de his 26. cap. Quamuis 58. vbi omnes numerantur, qui possunt absolui ab Episcopo, enormi etiam existente percussione, qui sunt impediti legitimè ire Romam. Qui casus sunt sequentes. 286

Puer incidens in Canonem, siue ante, siue post pubertatem, potest absolui ab Episcopo absolui. Ita cap. fin. de quo fit etiam mentio in cap. Quamuis 58. de sent. Excom. Ita præcitati, qui negant hoc Priuilegium absolutionis per Episcopum constitutis in adolescentia, nimirum Bonac. & Castropal. num. 6. contra aliquos, quos tamen non nominant, dicentes, istos nullo niti fundamento, nihilominus mihi non displicet hæc opinio, quam puto probabilem, quia Puer dicitur propriè post decimumquartum annum expletum, *cap. Puberes 3. de desponf. impuber.* & puer dicitur vsq; ad decimum octauum annum, *l. 1. §. Pueritia ff. de postulat. in Margine Glos. in cap. Super 35. de præbend.* Si Seruus excusatur, quando eius iter Romam est in graue damnum Domini, qui non fuit in culpa sui excessus, cap. Relatum 37. eod. à fortiori Adolescens, qui sui iuris non est, nec habet in bonis; nec videtur rationabile, quòd Adolescens mittatur Romam, ideo nec talis prælum... debet mens Pontificis. 287

Dices contrarium manifestè colligitur ex cap. fin. his verbis: *Pueris, qui in Canonem inciderunt sententia promulgata, siue ante, siue post pubertatem, postulent se absolui potest diœcesanus Episcopus absolutionis beneficium impertiri.* Nam illæ particulæ *siue ante, siue post* coniunguntur cum verbo *postulent*, non verò cum verbo *inciderunt*, ergo textus loquitur tantùm de illis Pueris, qui inciderunt in Canonem ante pubertatem, & non post, isti enim mittendi sunt ad Sedem Apostolicam. 288

℞. In primis, Impuberes non contrahere Censuras ante pubertatem ex probatis

supra

supra q. 72. Deinde verba prædicta referenda sunt ad vtrunq; verbum, sine vlla difficultate, & improprietate verborum, cum vtrique tempori seruire possit iste sensus.

Confirmatur ex cap. 58. ibi: *Puerili ætate*, quæ extenditur vsq; ad decimum octauum annum, vt supra dixi; vnde idem dicendum est ad cap. 1. id. ibi: *Infra pubertatis annos se ad inuicem, aut vnus alterum percusserit*, nam vsq; ad 18. annum dicitur ætas infra puberes annos, non dicit infra annos impuberes, qui finiunt in anno decimo quarto expleto.

Demum pueri, qui fuerunt absoluti ab Episcopo, non debent se præsentare conspectui Romani Pontificis, ab hac enim obligatione eximuntur *ex cap. Quamuis 58. de sent. Excom.*

289 Senes absoluuntur ab Episcopo, *cap. Ea noscitur 13. cap. Quamuis 58. de sent. Excom.* Quamuis sit robustus, quia iter facere eis valde periculosum est, *Sayrus lib. 3. cap. 28. num. 25.* maior scilicet septuaginta annis, *ex l. 1. C. Qui ætate* Dic tu etiam maior sexagenario, qui sicut excusatur à ieiunio, esto sit robustus, quia in hac ætate robustis deficiunt vires, & robur naturale, ex probabilissimâ opinione Pasqualigi de ieiunio *dec. 356. num. 6.* Non tamen tenentur se præsentare, quia eorum impedimentum est perpetuum, & eo magis augetur, quo vlterius progreditur. Vide alios *à Barb. cit. super dictum cap. 13. de Graffis Effectu 9. num. 160. & 161. Dianam par. 9. tract. 4. resol. 60.*

290 Infirmi absolui possunt ab Episcopo, *cap. Ea noscitur 13. cap. Quamuis 58.* Sanitate recuperatâ tenentur se præsentare, cum hoc impedimentum non sit perpetuum, sed temporale ex dictis capitibus, *& cap. Quod de his*. Procedit non solum in longa infirmitate, vt in podagrâ, sed etiam in febre tertianâ, aut quartanâ. Ita omnes cum *Sayro lib. 3. cap. 28. num. 23. Diana par. 9. tract. 4. resol. 62.*

291 Impotens ad ambulandum absoluitur ab Episcopo, cap. Ea noscitur 13. ibi: *Impediti membrorum destitutione*, cap. Quamuis 58. ibi: *Impotentia corporis*. Huius generis sunt claudi, cæci, manu carentes, *Panorm. hoc cap. 13. num. 2. Sayr. num. 32.* Cum hoc sit impedimentum perpetuum non tenetur ire Romam, in casu etiam, quod miraculose rectificaretur, aut lumen reciperet, quia hæc specialis gratia non habet parere obligationem, vbi antea non erat, quia con-
292 cessum ob gratiam non est in eius dispendium retorquendum, *Reg. 61. in 6. l. Nulla 24. ff. de legib.* siquidem pœna, & præmium non debent haberi ex eodem facto, *l. Siue hæreditaria ff. de negot. gest. Glos. fin. cap. De hoc, de sim.* Neque enim pœna consequi debet ex præmio, *cap. 2. de fideiuss. cap. Et si necesse 5. de donat. inter vir.*

293 Pauper absoluitur ab Episcopo ex cap. De his 26. ibi: *Si paupertate tantâ grauetur, quòd ad Ecclesiam Rom. laborem subire non valeat veniendi.* cap. Quamuis 58. ibi: *Aut inopia retrahatur*. Cap. Ea noscitur 13. dicitur, quòd pauperes debent ire Romam pro absolutione, explicat Glos. nisi paupertas sit nimia, vt in præcitatis capitibus. Pauper autem ad hunc effectum, vt possit absolui ab Episcopo, dicitur ille non solum, qui mendicat, sed etiam, qui suo labore, & exercitio victum sibi, & familiæ quotidie querit. Ita *Diana par. 9. tract. 4. resol. 62. Bellettus apud Barb. ad hoc cap. 13. num. 6. de Graffis Effectu 9. num. 165.* Sayrus *lib. 3. cap. 28. num. 23.* cum alijs docet, solum mendicare, non habentē familiam, teneri Romam ire pro absolutione. Sed non placet, quia certum est, quòd mendicans maxima grauatur paupertate, dum nihil habet, nisi quod quærit quotidie. Et is ergo potest absolui ab Episcopo. Si autem diues fiat, tenetur se præsentare, quia hoc impedimentum fuit ad tempus. Vide *Bonac. de Cens. disp. 2. q. 4. p. 5. Vers. Octauus, & in Bulla disp. 2. q. 3. p. 6. sect. 5. num. 15. Castropal. disp. 3. p. 23. §. 4. num. 18.*

294 Inimicitia capitalis dat ius Episcopo absoluendi, propter quam Excommunicatus non potest Romam ire propter probabile periculum vitæ suæ ob inimicitias, cap. De cætero 11. cap. Quamuis 58. Quæ sint capitales inimicitiæ refert *Barb. ad cap. Per suas 31. de simon. num 7.* & Ego tom. 5. Impress. Lugdun. *in Praxi crim. cap. 10. sect. 10. à num. 43.* Ita docent omnes *cum Sayro lib. 3. cap. 28. num. 19. Bonac. de Cens. disp. 2. q. 4. p. 5. Vers. Tertius, & in Bulla disp. 2. q. 3. p. 6. sect. 5. num. 10. de Graffis Effectu 9. num. 158. Suarez disp. 22. sect. 1. num. 65.*

295 Filius familias absoluitur ab Episcopo, nisi Pater consentiat, vt possit ire Romam pro absolutione, cap. Mulieres 6. Factus verò sui iuris tenetur se præsentare. Ita *Suarez cit. num. 87. Sayr. lib. 3. cap. 28. num. 28. Bonac. cit. vers. Septimus, & in Bulla num. 14.*

296 Seruus debet accedere, nisi dominus graue damnum patiatur, in casu quo ipse non fuit in causa, *cap. Relatum 37.* Ita Sayr. *lib. 3. cap. 28. num. 28.* cum alis.

297 Mulieres absoluuntur ab Episcopo, quia non decet eas longum iter facere *cap. Mulieres 7. cap. Ea noscitur 13. cap. quamuis 58.* Ita docent *Sayrus num. 18. Bonac. Vers. Sextus, & in Bulla num. 13. Diana part. 9. tract. 4. resol. 59.* Etiamsi sint diuites, sanæ, & sui iuris, & licet occiderint Clericum.

298 Moniales quoq; absoluuntur ab Episcopo, cum sint quasi in carceribus *cap. De Monialibus 33.* Est communis, *Bonac. vers.*

Sextus,

Sextus, & in Bulla num. 13. Panormitanus super hoc caput mouet dubium, an Sorores ordinis S. Francisci, & aliorum Mendicantium absolui possint ab huiusmodi Excommunicatione ob enormem Clerici percussionem? Resp. fine: *sed forte contrarium esset dicendum, quia hoc tantùm Episcopis fuit indultum ob reuerentiam ordinis Episcopalis, ergo non licet inferioribus attentare, quod tamen est satis dubium.* Ego autem puto Superiorem regularem posse etiam per confessarium absoluere Moniales sibi subditas, quia Superiores regulares præsertim maiores eandem habent potestatem in fauorem suorum subditorum vtriusq; sexus, quam habent Episcopi erga suos, non ex vi potestatis Ordinis, quòd respicit eius dignitatem, & reuerentiam, sed ex potestate iurisdictionis Episcopalis, qua non carent Superiores regulares maiores, qui in
299 hoc comparantur Episcopis, *ex Roderq. tom.* 1. *q.* 17. *art.* 6. *q.* 20. *art.* 10. Immo maiorē habent *q.* 24. *art.* 6. *q.* 62. *art. fin. Portell. v. Prælatus num.* 1. *Lazar. de Monit. sect.* 4. *q.* 14. *num.* 15. *Homobon. par.* 4. *Reg.* 88. Possunt ergo Prælati regulares suas Moniales absoluere ab hac Excommunicatione. Et ita videntur docere citati à Diana part. 9. tract. 4. resol. 54. dum dicit, posse Religiosos vtriusq. sexus de licentià Prælati regularis absolui ab Episcopo. In terminis clarioribus *Confect. in Sum. Priuileg. Ord. Mendic. tit.* 14. *cap.* 9. *Vers. Regulares.*

300 Viri magnæ potentiæ possunt absolui ab Episcopo, postquam ab eo status personæ intimatus fuerit Pontifici cap. Mulieres 6. Huius generis sunt Duces, & alij viri potentes, qui non possunt recedere à suis statibus, nisi cum periculo patiendi aliquod graue damnum. Et sic non debent se præsentare, cum impedimentum sit perpetuum ratione status sui.

301 Mors quoq; dat facultatem Episcopo absoluendi, cum is casus excipiatur in Canone. Periculum quoq; mortis sufficit, vt Excommunicatus absolui possit ab Episcopo. *cap. Non dubium* 5. *cap. Ea noscitur* 13. *cap. Quod de his* 26. De periculo mortis, vt in alijs casibus, vt quia nauigaturus est &c. *Sayrus lib.* 3. *cap.* 28. *num.* 16. *Suar. disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 61. & 62. *Castropal. disp.* 7. *p.* 22. §. 4. *num.* 17. Si conualescat à periculo, tenetur se præsentare.

302 Demum quodlibet aliud impedimentum, quo Excommunicatus detinetur, ne accedere possit ad Sedem Apostolicam, dat ius Episcopo absoluendi sic impeditum, cum onere se præsentandi sublato impedimento. *Ex cap. De cætero* 11. *cap. Ea noscitur* 13. *cap. Quod de his* 26. *cap. Quamuis* 58. *Castropal. cit. num.* 18. *Sayr. num.* 39. E. g. Capitaneus portæ Ciuitatis, Castellanus arcis, & similes, quorum officium exigit residentiam personalem, etiam proinde Rectores Parochialium Ecclesiarum, qui possunt absolui ab Episcopo, cum onere se præsentandi, quandocunq; officio functi erunt. An teneantur substituere alium in locum suum,
vt petant Romam? Dico, quod non, quia 303
nullo iure id exprimitur.

Quæres 115. Quomodo se debeat gerere Episcopus in absolutione istorum impeditorum, qui non possunt ire Romam, vel ad Legatum à Latere pro absolutione?

℞. Episcopus duo debet obseruare. *Pri-* 304
mum, vt ab excommunicato præstetur satisfactio parti læsæ antequam absoluatur, ex cap. Ea noscitur 13. nihilominus omissà tenet absolutio, inquit Belletus apud Barb. ad hoc cap. num. 7. *Secundum*, in absolutione debet iniungere absoluto, quando impedimentum, quo non potuit se præsentare Romano Pontifici, aut eius Legato à Latere, est ad tempus, iuramento ab eo accepto, vt quam citius poterit petat Romam mandatum à Pontifice recepturus, *ex cap. De cætero* 11. *cap. Ea noscitur* 13. *cap. Quod de his* 26. *cap. Quamuis* 58. *de sent. Excom.* Obseruo duo, vnum, quod in cap. Ea noscitur cit. sufficit etiam se præsentare Le-
gato à Latere. Alterum, ex cap. Quod 305
de his cit. solum dicitur, quod absolutus debeat Ecclesiam Romanam visitare in persona propria, ergo hoc sufficit, quod expeditius est. Sed quid est hoc mandatum quod ab Episcopo absolutus à Romano Pontifice recepturus est? Non est absolutio, quia iam erat absolutus, inquit Glos. v. Suscepturus, cap. De cætero, vbi, si non Vadit violat iuramentum promissorium, & præterea ne Censura hæc, immo neq; aliæ illudantur, non se præsentans cum primum commodè poterit, recidit in eandem ipso iure, *cap. Eos qui* 22. *de sent. Excom. in* 6.
Non inuenio in meis codicibus, in quo con- 306
sistat hoc mandatum, vnde puto, illud consistere in obiurgatione, quam facit Pa-
pa absoluto, suppono enim Episcopum ab 307
eo duo iuramenta exegisse, vnum de non amplius percutiendo Ecclesiasticum, alterum de se præsentando Papæ, vel eius Legato à Latere, ex cap. 10. & 11. de Sent. Excom. ergo mandatum in alio consistere non videtur, nisi in repræhensione.

Quæres 116. An absolutus ab Episcopo possit se præsentare per procuratorem, vel alium Legato, seu Papæ?

℞. Tenetur se præsentare in propria per- 308
sona, sublato impedimento, & quantò citius poterit, ne fiat periurius, & sacrilegus, cum id facere cum iuramento promiserit. Ita *ex cap. De cætero* 11. *cap. Ea noscitur* 13. *cap. Quod de his* 26. *cap. Quamuis* 58. Ita docent omnes, quòd neminem tenetur mit-

tere,

tere, nec potest, sed se præsentare debet
personaliter, *cum Sayro lib. 3. cap. 28. num.
38. Nauar. cap. 27. num. 90. Vers. Ad
quintum Bonac. de 2. q. Cens. disp. 4. p. 5. num.
3. Vers. Aduertunt, & in Bulla disp. 2. q. 3.
p. 6. sect. 5. num. 10. Vers. Aduertunt.* Ratio
309 est, quia reprehensio fit immediatè Perso-
næ existenti personaliter coram Superiore
corrigente. Quinam autem sint, qui de-
bent se præsentare, patet ex supradictis in
singulis casibus, in quibus impedimentum
est ad tempus, & non perpetuum. Pueri
omnino sunt exempti, licet impedimentum
sit ad tempus, vt patet supra sub num. 287.

Quæres 117. An hæc potestas in Epis-
copo absoluendi ab Excommunicatione ob
enormem percussionem impeditos ire Ro-
mam in dictis casibus sub. q. 114. sit delega-
ta, an illi ordinaria?

310 ℞. Illi competere iure ordinario, cum
sit in corpore iuris, & concessa eidem ratio-
ne Officij, & curæ animarum, & id confir-
matur ex testimonio Glos. Margin. incip. 3.
Posuit, cap. De Monialibus 33. de sent. Ex-
com. vbi dicit, quòd ab hoc textu sublata
sunt hæc verba: *Respondemus, vt auctori-
tate nostra*, quæ erant in antiqua decretali
consequenter dicendum est, quòd hoc fa-
ciat Episcopus iure suo, vt notat hic Ioan.
Andr. Hinc est, quod hanc facultatem po-
test delegare.

Quæres 118. An hæc facultas competat
alijs Prælatis inferioribus exemptis *Nullius*
habentibus proprium territorium?

311 ℞. Vtique, vnde possunt absoluere suos
subditos non solùm ex leui, & mediocri,
sed etiam ex enormi, quando sunt impedi-
ti iuxta dicta de Episcopo in præcedentibus
Probatur. Tum quia Alex. III. Decreta-
lem suam sub cap. Parochianos 9. de sent.
Excom. dirigit Episcopis, & Prælatis per
Galliam constitutis, præcipiendo, quòd
debeant denuntiare excommunicatos per-
cussores Clericorum, & euitari ab omnibus,
donec absoluantur à Sede Apostolica, ergo
super hac materia etiam Prælati inferiores
se ingerunt. Tum quia isti habent iurisdic-
tionem quasi Episcopalem in suos, sicut
Episcopi, quibus in iurisdictione compa-
rantur, & æquiparantur, etiam in materia
312 absolutionis, vt probat Sanchez lib. 8. disp.
2. num. 12. loquens de Priuilegio absoluen-
di à casibus occultis Sedi Apostolicæ reser-
uatis, inter quos est præsens, concessus
Episcopis cap. 6. sess. 24. extenso etiam ad
alios Prælatos illis inferiores, quam opinio-
nem Barbosa dicit probabilem in terminis
Tridentini Appellat. 91. v. Episcopus num.
22. alios citans qui num. 18. & 19. dixerat
his Prælatis competere erga suos subditos,
quicquid potest Episcopus pro suis, quò ad
potestatem Iurisdictionis, quando aliquid
conceditur ijsdem Episcopis sine restrictio-
ne; sed Episcopis absq; vlla restrictione res-
piciente eorum conditionem, & dignita-
tem, conceditur facultas absoluendi ab Ex-
communicatione ob percussionem leuem
suos subditos, & eosdem quoq; in casibus
impedito excommunicato ire Romam, ergo
idem dicendum est de Prælatis secularibus 313
exemptis habentibus plenam potestatem in
suos subditos, cum & hi veniant sub nomi-
ne Episcopi. Ita *Castropal. disp. 3. p. 23. §.
4. num. 4.*

Contrarium docent fere omnes *cum An-
gelo v. Excom. 5. num. 39 Silu. v. Absolutio
4. num 5. Panor. & Felin. in cap. Peruenit. 17.
de sent. Excom.* Ea leuitate one expressâ in
textu: *Tuæ fraternitatis arbitrio relinqui-
mus*. Prælatis autem inferioribus Papa
nunquam scribit titulo *Fraternitatis*, nisi
solis Episcopis, ergo istis tantùm ea facul-
tas concessa fuit. Cui respondetur per Co-
uar. quia loquebatur cum Episcopo, ideo
vsus fuit illis verbis, non ideo exclusit alios 314
Prælatos. Quare verbum *Fraternitatis* est
demonstratiuum, non taxatiuum, nec restri-
ctiuum. Do exemplum in cap. fin. de Priuileg.
in 6. vbi Episcopis conceditur Priuilegium
celebrandi in Altari Priuilegiato, quod nó
extenditur ad Prælatos inferiores per illa
verba: *Quoniam Episcopi, eorumq; Superiores
&c.* posteriora, vti taxatiua, hoc est *Epis-
copi, & eorum Superiores idest Archiepiscopi*,
ergo inferiores excluduntur.

Quæres 119. An Vicarij Generales E-
piscoporum possint absoluere ab Excom-
municatione huiusmodi sicut eorum Epis-
copi?

℞. Affirmatiuè, & quò ad Tridentinum, 315
de quo supra sub. q. 113. nulla est difficultas,
quia expressè ibidem nominantur. Nec de-
bet esse respectu casuum, impeditorum ire
Romam iuxta dicta sub q. 114. esto non
nominetur Vicarius, ratio est, quia appel-
latione Episcopi venit eius Vicarius Gene- 316
ralis, vbi ille non excluditur, & agitur de
re, quæ non disconuenit eius Officio, etiam
in absolutione Censurarum, vt docet *Sua-
rez disp. 7. de Cens. sect. 3. num. 10. cum alijs
Barb. Appellat. 89. num.* 25. Vnde in dicto
Tridentino excluditur ab Excommunica-
tionis ex hæresi absolutione Vicarius, ergo
in cæteris admittendus est sub nomine Epi-
scopi, cum quo vnum facit tribunal, & vna
persona cum Episcopo censetur eandem
habens iurisdictionem circa ea, à quibus
non prohibetur, sed non prohibetur absol-
uere ab Excommunicatione ob percussio-
nem Clerici, ergo absoluit sicut Episcopus
etiam in casibus impeditis. Ita *Bossius de
iurisd. Episcopi disceptat. 1. dub. 8. num. 49.*
apud Dianam *par. 9. tract. 6. resol. 56.* vbi
docet oppositum cum Quintanad. *tom. 1.
tract.*

tract.8.sing.1.num.6. ex cap.fin.de offic. Vicar. in 6.& cap.2.de Panit.in 6. Hæc duo capita non obstant, nam in primo Vicarius excluditur à collatione Beneficiorum, in secundo dicitur, quòd subditus habens electionem Confessarij ab Episcopo, non potest absolui à reseruatis. Ideo nihil contra nos, illi enim duo textus non faciunt ad rem, immo prior facit pro nobis, ideo Vicarius non potest conferre Beneficia, quia prohibetur; in casu autem nostro non prohibetur, ergo absoluere potest. Confirmatur quia Vicarius generalis habet potesta-
317 tem ordinariam ex communi *cum Panorm. in cap. Sua nobis 5.de offic.Vicar.num.3.Sayrus lib.1.cap. 6.num.8.* Eodem modo absoluit Episcopus vt probaui q. 117.ergo & eius Vicarius, cum non prohibeatur. Docet idem *ex Molina Castropal.disp.3.p. 22.§.4. num.4.*

Quæres 120. An Capitulum Sede vacante possit absoluere ab Excommunicatione non solum ob leuem, & mediocrem percussionem, sed etiam ob enormem eos, qui ire Romam sunt impediti?

318 ℞. Potest, quia succedit in omnem Iurisdictionem ordinariam Episcopi, nisi expressè prohibeatur, *ex adductis à Diana par. 8.tract. 4.resol.1.* Sed hæc absoluendi potestas est ordinaria ex q. 117.ergo Capitulum ea vti potest. Confirmatur per cap. Vn. de maior; in 6. vbi decernitur, quòd Capitulum Sede vacante possit absoluere à Sententia Excommunicationis siue iuris, siue hominis eos, quos poterat Episcopus, nisi fuerit à Sede Apostolica specialiter interdictum, nullam excipiendo Sententiam, ergo & hac absoluere potest per deputatum Vicarium. Ita *ex Molina Diana par.8. tract. 4. resol. 12.*

Quæres 121. An Confessarij regulares habeant Priuilegium aliquod absoluendi ab hac Excommunicatione seculares?

319 ℞. Quamuis Leo X. in suâ incip. *Et si cuncta 9.*apud Confect.& 8.apud Peyrinum indulserit omnibus Confessarijs Ordinis Minimorum existentibus in Ecclesia S.Trinitatis de Vrbe eiusdem Ordinis, vt possent absoluere omnes ad se illuc accedentes à quibuscunq; casibus, etiam Apostolicæ Sedi reseruatis, exceptis in Bulla Cœnæ Domini contentis. Quod indultum in alia incip. *Deuotionis*, apud eosdem 2. & 3. Clemens VII. extendit ad omnes Ecclesias eiusdem Ordinis. *Nihilominus* hoc Priuilegium reuocatum fuit per Sacram Congregationem de mandato Clem. VIII.cum omnibus alijs Priuilegijs, quibus concedebatur facultas quibuscunq; Confessarijs etiam regularibus absoluendi à reseruatis Papalibus, & Episcopalibus iu primo Decreto, & in secundo prioris declaratiuo specialem mentionem fecit Priuilegij Canonis sub his verbis; *Iniicientium manus violen-* 320 *tas in Clericos iuxta Canonem. Si quis suadente, & ae iuris dispositionem* quidquid dicant *Lezana, & Naldus apud Dianam par. 9.tract.4.resol.53. Bassius v. Excom.7. fine.* Non possunt ergo Confessarij regulares, nec seculares absoluere ab hac Excommunicatione ex quauis percussione contractâ, esto impediti sint ire Romam, debent enim recurrere ad Episcopum suum Excommunicatione hac innodati. Vtrunq; decretum refert Quaranta v. Casus reseruati. Tacuit hæc Peyrinus, quia concessio facta fuerat Confessarijs sui Ordinis.

Quæres 122. An quilibet Sacerdos etiam nondum Confessarius, in articulo mortis existentem absoluere possit ab hac Excommunicatione contractâ ob percussionem Clerici etiam enormem, ex qua quoq; secuta sit mors percussi.

℞. Affirmatiuè, nam Papa expressè ex- 321 cipit hunc casum ibi: *Nisi mortis vrgente periculo* Ergo quilibet potest absoluere. Sed quid est periculum vrgens mortis? Est non solum grauis infirmitas ad mortem, sed 322 etiam illud, quod prouenit ex obsidione, & in bello, & ex naufragio imminenti, nam volens intrare mare non dicitur esse in periculo imminenti, quia nullus intraret nisi stultus *Glos. v. Præterquam mortis, cap. Pastoralis 10. de off.Ordin.* Vide *ad hoc cap. 10. Panorm. & Turrecr. ad Canonem num. 9. & 25.*

Quæres 123.Ad quê spectet iudicare, an Percussio sit leuis, mediocris, an enormis?

℞. Ad Episcopum, & ad eum, cui in- 323 cumbit absolutio. Ita *ex cap. Peruenit 17. de sent. Excom. vbi Panorm. in fine, & in Extrauag. Perlectis.* Est communis *cum Nauar. num. 92. Silu. v. Absolutio 4. Suarez disp. 22. in fine sect. 1.* vbi quod pro foro Conscientiæ spectat etiam ad virum doctum. Immo Episcopi antequam absoluant, petunt consilium Canonistarum, vt securius agant, ne sibi alienam potestatem ex quodam affectu propriam ampliandi auctoritatem vsurpent.

Demum nota vnum in corpore iuris; Per- 324 cussionem huiusmodi diuidi solùm in duo membra, in leuem, & in grauem, ac enormem pro eadem sumptam contradistinctam à leui, pro qua stare debet mediocris, de qua nulla mentio fit in iure clauso, sed solum in Extrauag. Perlectis; qua notatione confirmatur, quod respondimus sub q. 112. nempe Episcopum posse absoluere ab hac Excommunicatione ob mediocrem percussionem contractâ.

Quæres 124. An Superior Regularis possit ab hac excommunicatione absoluere suos subditos.

℞. Affirmatiuè, non solùm quando percussio fuit leuis, seu mediocris inter ipsos religiosos, loquendo de iure communi inserto in corpore iuris, sed etiam, quando enormis etiam ex homicidio, ex vi iuris communis extra tamen corpus iuris respectu cuiuscunque percussi etiam Clerici Secularis.

325 Primum ex vi iuris communis inserti probatur ex cap. Monachi 2. de sent excom. *Monachi verò, & Canonici Regulares quocunque modo se in Claustro percusserint non sunt ad Apostolicam Sedem mittendi &c.* Id concessium fuit ab Alexandro III. creato anno 1159. amplum quidem, & certè erat etiam pro enormi ex illo verbo *Quocunque modo*, includit enim quemlibet modum percussionis, arg. eorum, quæ refert Barb. hac dictione 317. & 329. Nihilominus volunt subintelligi exceptionem enormis percussionis *Suarez disp. 22. sect. 1. num. 72. Sayr. lib. 3. cap. 28. num. 12. & alij*, & hoc verum est, quia Innocentius III. eius Successor se declarauit in cap. Cum illorum 32. eod. vt non absoluerent ab hac Censura contractà ex enormi Percussione; cuius declarationi adhæsit subsequenter in concessione facta Fratribus S. Ioannis Ierosolimitani *cap. Canonica 50. eod.* Et ex hoc cap. *Castropal. disp. 3. p. 23. §. 4. num. 8.* deducit hanc exceptionem, quam debebant accipere *ex dicto cap. Cum illorum*, vbi id expressè dicitur. Demum nota, quòd textus cap. Monachi dicit *in Claustro* non restringendo, sed demonstrando locum, in quo sicut manent ferè semper, ita ibidem solet contingere percussio, vnde si accidat extra adhuc absoluuntur à suo Superiore,

326 vt *ex Rodriq. tom. 1. q. 20. art. 12. ex eo Coriol. super casum 10. de reseruat. num. 15. Angel. v. Excom 5. num. 43. Panor. in dictum cap. Cum illorum num. 16.* Ego docui *resolut. 28. num. 46. Diana par. 9. tract. 4. resol. 49.*

317 Secundum extra corpus iuris, quòd possint absoluere suos subditos etiam ob enormen, probatur hoc vnico argumento deducto ex Bulla Clem. VIII. incip. *Sanctissimus* inter Bullas Vrbani VIII. sub Bulla 26. fol. 43. ibi: *Occisio, seu vulneratio, aut grauis percussio cuiusque persona*. Posita ergo reseruatione per Superiores regulares huius casus, ipso iure potestatem habent absoluendi subditos suos in hunc casum incidentes, etiamsi occiderint Clericum. Duo hic sunt probanda.

328 Primum, quòd ex positâ reseruatione huius casus Superiores regulares habeant potestatem de iure absoluendi, certum est, quia natura reseruationis hæc est, vt nullus inferior possit absoluere, præter ipsum reseruantem, in hoc nullus contradicit, cum notum sit. Prælatum reseruantem solùm posse absoluere de iure à reseruatis per seipsum.

Secundum, quòd sub illis verbis *occisio 329*
cuiusque persona veniant non solum Religiosi subditi Clerici, & conuersi, sed etiam laici, & Clerici seculares, suadetur ex illis verbis *cuiusque persona* generalibus, ac proinde compræhendentibus prædictos, vnde tanquam vniuersalis non recipit restrictionem alicuius, *Alex. consil. 118. lib. 5. ex eo Tuschus lit. D. consil. 397. num. 21. apud Barb. dict. 73. n. 3.* In terminis nostris Corduba *q. 4. §. Septimus casus, quem pro se citat Sanctorus, de Melfi in suis Comment. Moralib. cap. 7. constit. statuto v. fol. 545. vers. Primò. Graffius de reseruat. lib. 3. cap. 9. num. 12. Ego resol. 28. num. 50.* rem hanc fusè tractaui, *Peyrinus de Prælato q. 3. cap. 2. §. 1. num. 58.*

Obijci hic possunt duo, *Primò* in Bullâ Clem. VIII. agi de casibus reseruandis per Superiores regulares, hoc est, de peccatis mortalibus, non de Excommunicatione, qua afficitur occidens Clericum, neque enim valet arguere ab vno ad alterum, aliud enim est Casus reseruatus aliud Censura, & Excommunicatio, quia hæc est pæna illlius
ex Nauar. cap. 27. num. 259. Vers. Sexto. 330
Secundò sequitur, quòd Superior regularis possit absoluere suum subditum, qui vulnerauit, seu occidit Romipetas Clericos, & Cardinales, atque Episcopos excommunicatus in Bulla Cœnæ Domini excom. 10. & 11. Quod tamen verum non est ex
communiori, & veriori opinione Docto- 331
rum, quos allegaui *Resol. 3. num. 4. Vers. Hunc, & resol. 52. num. 135. latius dixi resol. 128. per totam.* Sunt tamen alij in contrarium, quos refert Diana de Regul. resol. 10. & 72.

℞. Ad primum, & in Bulla casuum re- 332
seruandorum compræhendi casus non solùm quò ad peccata, sed etiam quò ad Excommunicationem illis adnexam. Et ita respondit S. *Congr apud Corbier. & Peyrinum*, quos citaui *Resol. 37. q. 31. num. 44. Secundum* concedo, derogatum fuisse per Bullam Cœnæ quò ad illos ibi expressos, non quò ad Clericos sibi simplices non Episcopos, non Cardinales.

Quæres 125. An Superior possit absoluere non solùm Religiosos professos, & non professos, sed etiam venientes seculares, qui percusserunt, vel occiderunt quoscunque Clericos, & alios ecclesiasticos extra Bullam Cœnæ Domini?

℞. Affirmatiuè, habitu prius legitimè re- 333
cepto, & Nouitios constitutos. Expresse cap. Cum illorum 32. de sent. Excom. ibi. *Quòd de seculo fugientes, qui Religionis habitum in Monasterio receperunt, & inter*

catera

cætere post modum confitentur, se tale commisisse delictum, per quod ipso actu Excommunicationis Sententiam incurrerunt, &c. Eorum Prælatis, quòd etiam talibus absolutionis Beneficium impertiri valeant. Non solum ergo Professis, sed etiam Nouitijs, qui ante ingressum in Excommunicationem ob percussionem, datur absolutio *Diana par. 9. tract. 4. resol. 51.* Et licet ibi adsit illa exceptio enormitatis; nihilominus ex alio capite, nimirùm, ex vi Bullæ Clementis VIII. Superiores absoluere possunt ab ea, etiamsi proueniat ab occisione, vt probatum fuit; & *confirmatur* in specie quò ad Nouitios, qui subduntur casibus reseruatis per Regulares, vt probaui *tom. 5. de Profess. regul. cap. 12. q. 9. à num. 19. vbiq. 10. num. 26.* respondi, Nouitium absolui posse à Superiore regulari ab omnibus, à quibus absolui possunt Professi. *Confirmatur* per Bullam Pij V. incip. *Dum ad Congregationem 129. in B. N.* concedentis Abbatibus Casinensibus facultatem absoluendi Monachos, Commissos, Oblatos, & Nouitios, in ea tamen perseuerantes, à quibuscunq; criminibus, censuris, & pœnis, tam ante, quam post ingressum, de quauis causa, vel ob quemuis excessum, & delictum publicum, vel occultum, casu, vel datâ operâ, quomodolibet ab eis, etiamsi homicidium voluntarium, non tamen commissum post ingressum, & solùm in foro Conscientiæ. Communicatur alijs regularibus ex dictis *de Homic. cap. 1. num. 348. Donatus par. 1. tract. 7. q. 10.* Standum nihilominus cum argumento Reseruationis, quia Pius V. restringit casum homicidij ad Nouitios perseuerantes.

Quæres 126. A quo absoluendus sit Religiosus etiam Nouitius percussor, quando percutiens, & percussus sunt sub diuersis Superioribus? e. g. si Religiosus percuteret aliud Religiosum eiusdem, vel alterius Ordinis, vel Clericum.

334 ℞. Innoc. III. in cap. Cum illorum 32. de sent. Excom. his verbis; *Si verò Claustralis aliquis in religiosam Personam alterius Claustri manus iniecerit violentas per Abbatem proprium, & eius, qui passus est iniuriam absoluatur. Quod si Clericum percusserit secularem, non nisi per Apostolicam Sedem, vt scandalum euitetur, absolutionis gratiam poterit promereri.* Mitigat id Bonifacius VIII. relatus cap. *Religioso 21. in 6. qui manus violentas in Clericum secularem iniecit, ne hoc prætextu habeat materiam euagandi, poterit ab Episcopo eo casu absolutionis Beneficium exhiberi, quo seculari Clerico passo, si alium Clericum percusisset.* Glos. v. eo casu. restringit, si leuiter percussit *ex cap. Peruenit, de quo dixi supra q. 122.* Et in his terminis, ita docent *Suarez disp. 22. sect. 1. num. 74. & 75. Castropal. disp. 3. p. 23. §. 4. num. 10. Diana par. 9. tract. 4. resol. 40. Vers. Notandum. Tamb. tom. 2. disp. 14. q. 10. num. 5. Cespedes de exempt. Regul. dub. 394.* Dicta procedunt de iure communi inserto in corpore iuris.

Loquendo verò ex alio iure extra corpus, 335
siue vt aiunt, iure Priuilegij possunt Prælati regulares suos subditos absoluere ab hac Excommunicatione etiam ob occisionem contractâ contrà quamlibet personam ecclesiasticam, siue eiusdem Ordinis, vt hactenus patet, siue alterius Ordinis, siue Clericum Secularem. *Probatur* hoc postremum. Tum quia id deducitur ex Bulla Clem. VIII. de casibus reseruandis, ibi: *Occisio, seu vulneratio, aut grauis percussio cuiusque personæ.* Quo nomine *Personæ* veniunt ecclesiasticæ, siue regulares, siue seculares, ex probatis supra num. 133. illa enim Bulla habet rationem iuris communis magis, quam Priuilegij. Tum iure Priuilegij Sixti IV. incip. *Regimini 6.* in B. N. §. 5. & in eadem Bulla ibidem sub num. 7. §. 4. pro Prædicatoribus, conceditur eorum Superioribus etiam localibus, & eorum Vicarijs facultas absoluendi suos Fratres, & seipsos ab excessibus, & Censuris, nisi talia forent, propter quæ essent ad Sedem Apostolicam mittendi. Ibidem declaratur pro quibus excessibus sint mittendi, videlicet
Declaramus hæreticos relapsos Schismaticos, 336
& qui literas Apostolicas falsificassent, aut ad Infideles prohibita detulissent. duntaxat esse ad Sedem prædictam meritò destinandos. Quare ad eam non sunt mittendi Occisores Clericorum etiam secularium. Nec dicas, paulò infra excipi homicidium voluntarium, bigamiam, & mutilationem membrorum. Quia hanc exceptionem ponit in 337
ordine ad dispensationem, non ad absolutionem, de qua hic tantùm sermo est: quidquid eum nonnullis *dicat Diana p. 9. tract. 4. resol. 42. Vers. Notandum.*

Dein Bonifacius IX. in sua incip. *Sacræ Religionis*, apud Confectium fol. 26. in terminis nostris Prædicatorum Prioribus, & eorum Vicarijs concedit absolutionem suorum Fratrum ab Excommunicationibus ob manus violentas in confratres, vel alios quoscunque Clericos etiam vsque ad sanguinis effusionem, & enormem læsionem iniecerint, &c. *dummodo læsio huiusmodi adeo enormis non existat, quòd propterea foret meritò Sedes prædicta consulenda, &c.* Ergo etiam in hoc casu talis potest esse læsio, à qua Superior non possit absoluere, ergo non consistit solùm in exceptione supra allata à Sixto IV.

℟. Illam exceptionem referendam esse ad Occisionem tantùm Episcoporum, & Cardinalium, nam Sedes Apostolica in hoc

consulenda est, quia reseruatur in Bulla
Cœnæ Domini, vt dixi supra. Adde quòd
in Marimagno omnium Ordinum consuli-
tur Sedes Apostolica solùm pro illis casibus
supra enumeratis, inter quos non est occisio,
iuxta supra dicta, & cum Priuilegia hæc
sub titulo Marismagni sint posteriora illo
Bonifacij IX. ideo hoc non est attenden-
dum, sed illa Marismagni concessa sine
hac speciali exceptione.

Quæres 127. An omninò excludatur
Episcopus, & Abbas percussi, itaut non
possint percussores, etiamsi velint, absol-
uere, & illis condignam tribuere Pœniten-
tiam?

338 ℞. Excluduntur ambo quò ad absolutio-
nem, non quò ad satisfactionem, ita quòd
proprius percussoris Superior ante absolu-
tionem debeat procurare, vt Superior per-
cussi suum habeat satisfactionem, & inde
absoluatur.

Primum quò ad absolutionem probatur,
quia loquendo respectu Religiosorum non
videtur rationabile, quòd vterque Abbas
absoluat, cum vterque eorum sine altero
possit efficaciter producere effectum Abso-
lutionis, ergo sufficit alter eorum de con-
sensu alterius, & sic quisque absoluit suum
de consensu alterius, cui hoc modo dicitur
satisfieri, nimirum superiori, & eius sub-
dito. Nec obstat allatus textus in præce-
denti quæstione, quod Abbas percussi ab-
soluat Percussorem, quia procedit ex vi Iu-
ris communis, cui censetur derogatum ex
vi Priuilegiorum, & ex Bullà Clementis
VIII. de casibus reseruandis. Quò verò ad
absolutionem Religiosi percussoris Clerici
per Episcopum ex præfato textu Iuris com-
munis olim textus ille obseruabatur, quan-
do Regulares erant sub iurisdictione Episco-
pi tempore Innocentij III. quo nondum e-
rant exempti à iurisdictione Episcoporum,
à quibus postmodum plene exemit Grego-
339 rius IX. relatus *cap. Nimis iniqua 16. cap.*
Nimis graue 17. de excessibus Prælatorum,
vnde huiusmodi exemptio est de iure com-
muni, vt mecum resol. 7. docet *Franciscus*
Cespedes Theatinus de exempt. regular. dub.
340 391. Vnde cum tam illi sit derogatum per
dicta Iura, & per subsequentia Priuilegia,
non potest Episcopus amplius se ingerere
in absolutione, cum in omnibus, & per
omnia sint subiecti suis Superioribus regu-
laribus plenam, & absolutam potestatem in
vtroque forò super suis subditis, etiam ma-
iorem, quam non habent Episcopi in suos
341 Clericos, quos solùm possunt absoluere à
casibus occultis reseruatis Papæ ex cap. 6,
sess. 24. Prælati verò Regulares suos absol-
uere possunt etiam ab ijsdem non occultis,
sed etiam publicis, dum hæc facultas illis
342 competit etiam pro Foro, non solùm Con-
scientiæ, sed etiam externo, vt docent
Sanchez lib. 6. cap. 17. num. 43. Portellus v.
Prælati potestas num. 25. Vecchius de Noui-
tijs disp 9. dub. 8. num. 3. Lezana in Mari-
magno Minorum num. 312. Ego resol. 3.
num. 19.

Secundum quò ad satisfactionem patet, 343
quia fundatur in Iustitia, vnde non obstan-
te iure, quo Prælati regulares possunt suos
absoluere ab hac Excommunicatione con-
tracta etiam ex Homicidio cuiusquo perso-
næ, parti satisfaciendum est accedente iu-
dicio Superioris percussi, cui est satisfacien- 344
dum, Priuilegia enim non tollunt ea, quæ
ad Iustitiam pertinent.

Dices contra prædicta, nam non fuit
Innocentius IX. sed Bonifacius VIII. qui
decreuit, Percussorem Clerici esse absol-
uendum ab Episcopo ex leui percussione eo
cap. 21. de sent. Excom. in. 6. ergo supra-
dicta non faciunt ad rem.

℞. Ea adhuc subsistere, quia vt probaui
potiora sunt iura Prælatorum regularium
pro suis subditis absoluendis, quam Episco-
porum pro eisdem. Vlterius magis ad rem,
esto Bonifacius eam potestatem dederit
Episcopis, quasi tunc Superiores regulares
ea carerent, quod tamen falsum est, cum
ex cit. cap. Nimis iniqua 16. de excessibus
Prælator. aperte dicatur, Regulares quò ad
absolutionem esse exemptos ab Episcopis,
& subiectos suis Superioribus regularibus;
nihilominus Pontifices, qui successerunt
Bonifacio exemerunt à iurisdictione ipsos
Regulares in omnibus, & per omnia ipso-
rum Episcoporum, vt videri potest apud
Rodriq. in eius Bullario, vbi Benedictus
XI. eius successor immediatus Fratres Mi-
norum eximit ab Episcopis *etiam in ratione*
delicti commissi Bulla incip. *Inter cæteros.*

Quæres 128. An volente regulari Supe-
riore, Religiosum excommunicatum ob per-
cussionem Clerici subditi, seu extranei,
possit tunc Episcopus absoluere?

℞. Potest ex concessione sui Superioris, 345
& non aliter, nam quò ad hoc est subiectus
dispositioni sui Superioris, Est communis,
Sil. v. Absolutio 5. num. 2. & 3. Suarez de
Cens. disp. 41. sect. 2. num. 12. Sanchez lib.
4. cap. 39. num. 32. ex his Castropal. disp.
3. de Cens. p. 23. §. 4. num. 11. Modo inu-
tilis, cum ipse Superior maiorem habeat
Episcopo, vt dixi num. 341.

Quæres 129. An Episcopus possit propriâ
auctoritate absoluere laicum, qui percussit
Religiosum?

℞. Immò debet, quia non desinit esse 346
illius subditus, & nullo modo fit subiectus
Superiori regulari percussi, cum potestas re-
gularis Prælati restingatur ad Personas sibi
subiectas ratione communis vitæ. Vocandus
tamen est Superior percussi pro satisfactio-
ne

ne antequam Percussor absoluatur. Ita *Cespedes dub. 305. num. 4. alijs citatis, & me resol. 28. num. 59.* cuius dictum sub num 2. displicet, quòd Episcopus possit absoluere Religiosum ex leui percussione, etiam non obtenta facultate à Superiore regulari, quia per Priuilegium, quod habent Regulares non tollitur facultas, quæ de iure ordinario competit Episcopis, ergo.

347 Contra est, quia hanc facultatem habent Prælati regulares ex officio suo, cum ipsi curam habeant animarum suorum subditorum, sicut Episcopi suorum, & subditi regulares non sint deterioris conditionis, quam seculares subditi Episcopis ex Bulla 132. in B. N. potestas absoluendi par est in vtriq; Episcopis scilicet, & Prælatis regularibus, ergo vnusquisq; suos absoluat, & non mittat suam falcem in messem alienam, quia non vnget, sed emunget.

348 Ad eius rationem dico, eam procedere, quando vterq; Superior ex æquo habet sub se communes subditos, & vnus est Ordinarius, & alter delegatus, tunc superueniens Ordinario Delegatus, is non tollit illius potestatem, vt dicitur *cap. Per hoc 17. de haret. in 6.* vbi non derogatur Ordinarijs, licet causa delegetur alteri, dum ambo procedere possunt in causa. In casu autem nostro subditi non sunt communes, nec Prælatus regularis est delegatus, sed Ordinarius.

Quæres 130. An si Prælati regulares incidant in hanc Excommunicationem eligant Confessarium sui Ordinis, qui eos absoluat?

349 ℞. Affirmatiuè, & colligitur ab ipsis Bullis supra citatis q. 104. Veri. Loquendo, ea ratione, ne sint deterioris conditionis suis subditis. Ita *Barb. Allegat. 41. num. 17. Tambur. tom. 2. disp. 14. q. 11. num. 3. Rodriq. tom. 1. q. 20. art. 12. Miranda tom. 2. q. 35. art. 24. Vers. Aduertendum.*

Quæres 131. Quinam veniant sub nomine Superioris valentis absoluere ab hac Excommunicatione?

350 ℞. Omnes curam animarum habentes in suo Monasterio, & Religione, & sic Generalis, Prouincialis, & Superior localis, & eorum Vicarij, modò non adsit prohibitio, per quam maiores Prælati hanc Excommunicationem sibi reseruent expresse, vel tacitè per casum extensum in Decretali Clem. VIII. *occisio, seu vulneratio, aut grauis percussio cuiusq; personæ.* In meo Ordine in Capitulo Generali Assisij celebrato in Conuentu S. Antonij de Padua anno 1653. vltimo Maij, Ego vbi indignus electus fui Generalis, de consensu totius Capituli feci editionem perpetuam Casuum reseruatorum, & pro hac Excommunicatione casus pro Generali expressus fuit his verbis: *Mutilatio, & occisio cuiusq; personæ.* Prouinciali, *Violentarum manuum in Clericos, Religiosos, & Fratres grauis iniectio.* Priore. *Percussio leuis.*

Quæres 132. Quid dicendum, quando in Conuentu sunt tantùm Superior, & Subditus Sacerdos se inuicem percutientes, numquid se inuicem absoluere possunt, si vrget præceptum celebrandi, & non possint tunc adire Superiorem maiorem?

℞. In hoc casu Superior absoluat tantùm ab Excommunicatione alium Sacerdotem, & non à peccatis ad euitandam irregularitatem, deinde ipse Sacerdos sic absolutus à Censurà tantùm, conterat de peccatis, & absoluat ab vtroq; suum Superiorem, & demùm ipse à suo Superiore iam libero absoluatur à peccatis, vt dignè celebrare possit. Et ita hoc suadet necessitas, quæ nulli est subiecta legi. Ita docui *resol. 23. num. 57. & Diana par. 9. tract. 4. resol. 52.* alijs citatis contra Suarez, & Tamburinum. 351

Quæres 133. An detur casus, in quo Religiosus ab hac Excommunicatione absolutus à suo Superiore, teneatur se præsentare Summo Pontifici recepturus ab eo mandatum?

℞. Nullus datur, quia hæc obligatio comparendi coram Papa, vel Legato à Latere imponitur tantùm Excommunicatis, qui propter imminentem mortis articulum, vel aliud impedimentum legitimum non potentes adire Superiorem, ad quem spectat absolutio, interim ab alio absoluuntur, qui aliàs extra tale impedimentum non poterat absoluere, *cap. Eos 22. de sent. excom. in 6.* vti non se præsentantes ei, qui poterat eos absoluere, recidunt in eandem Excommunicationem. In casu autem nostro Superior ex officio suo semper absoluere potest ab hac Excommunicatione ex quauis percussione etiam ex Occisione Homicidij secuti. 352

Vnicum pono casum præsentationis in religioso, qui occidisset Romipetam, Episcopum, vel Cardinalem, quia horum Excommunicatio à solo Papa absoluitur, ergo si à suo Superiore absolueretur ex periculo mortis, vel alio impedimento, deberet ei iniungere iuramento accepto, vt sublato impedimento se præsentaret Papæ, vel Legato à Latere.

Quæres 134. An Nouitius iuxta dicta sub q. 125. immo & Professus, siue nulliter, siue validè, sed rediens ad seculum, reincidat in Excommunicationem, à qua fuerat per ingressum absolutus?

℞. Non reincidere, quia vt mox dixi, reincidentia datur solùm ex impedimento absoluto ex cap. Eos 22. cit. sed Nouitius hoc modo non absoluitur à non habente potestatem, sed ab habente, vt notum est, 353

vt pa-

vt patet tum ex iure communi cap. Cum
illorum 32. tum ex Priuilegijs. Et hoc pro-
baui *resol. 83. num. 56. & resol.* 111. *num.*
24. *multis alijs allegatis a Lezana in Mari-*
magno Minimorum num. 35. Nec obstat,
quod in aliquibus Priuilegijs exprimatur
reincidentia, quia in alijs non exprimitur,
vnde relinquitur arbitrio aliorum; tene ergo
quod tibi vtile est, & damnosum fuge, quod
tibi imprecatur *Diana par. 9. tract. 4. resol.*
51. *ad finem*. cum alijs suis amicis.

Quæres 135. An hac Excommunicatio-
ne innodati etiam ex causa homicidij sacri-
legi absolui possint per Bullam Cruciatæ?

354 ℞. Affirmatiuè, & quidem quater in
anno, si bis Bullam acceperint præter pri-
mam receptionem, hoc est in vita semel,
& semel in articulo mortis, absolui possunt
ab omnibus peccatis, & censuris etiam in
Bulla Cœnæ Domini reseruatis, excepto
crimine hæresis. Ita ex Bulla Cruciatæ Vr-
bani VIII. Est communis apud Dianam
part. 9. tract. 4. resol. 57. vbi tamen non
citatur dicta Bulla, quam habeo apud me
impressam.

Quæres 136. An Episcopus possit absol-
uere eum, quem declarauit excommunica-
tum e.g. ob percussionem, vel Homicidium
commissum contra Clericum à se processa-
tum?

355 ℞. Affirmatiuè. Probatur. Tum quia in-
choans processum præsertim iure ordinario
nullo iure prohibetur illum perficere vsque
ad Sententiam, & etiam eius executionem,
nisi obstet appellatio, quæ in casu nostro
obstare non potest, cum agatur ad vtilita-
tem Excommunicati absoluendi, ergo ab-
soluere potest, & debet, ponens enim prin-
cipium, & reliqua consumare debet ad illud
pendentia *Glos. v. compellatur, cap. Publi-* 356
cato 58. *de elect.* Sententia autem pertinet
ad processum, sub cuius nomine venit, *ex*
Gemin. in cap. Vt super, de appellat. in 6.
num. 8 *Franch. ibidem num.* 3. *Felin. in cap.*
Quoniam, de probat. num. 7. *ibidem Decis.*
in notab. 15. *in fine* Tum quia per easdem
causas tollitur, quod positum fuit, ex vul-
gatis iuribus, sed declaratio incursæ Ex-
communicationis ponitur per Episcopum,
ergo & tollitur per eundem, quam tamen
non aufert sine absolutione, ergo & tollit
Excommunicationem. Tum quia Superior 357
regularis absoluit suum Religiosum occi-
dentem alterum Religiosum ex q. 124, Tum
quia potest in causis fidei absoluere iudicia-
liter Reum hæreticum à se processatum, vt
de communi probat *Castropal. par. 1. disp.*
4. *p.* 3. §. 1 *num.* 23. Tum quia idem præsta- 358
re potest Inquisitor *ex eodem* §. 2. *num.* 1. *de*
Lug. disp. 23. *de fide num.* 83. *Barb. in cap. Vt*
officium 11. *de haret. num.* 4. Ergo à fortiori
in nostro casu, neque enim est deterioris
conditionis illorum.

Dices in Tridentino sess. 24. cap. 6. Non
licet Episcopo in deductis ad forum con-
tentiosum à Sedi Apostolicæ reseruatis ab- 359
soluere, sed tantùm in occultis. ℞. Ea
verba: *Deductis ad forum contentiosum* re-
ferri ad non deducentem, hæc enim prohi-
bitio refertur ad eum, qui Excommunica-
tum non iudicauit, huic enim non licet mit-
tere manum in alienam segetem, ne faciat
iniuriam Iudici, cuius est causam termina-
re. Quare Episcopus Iudex poterit suum
subditum processatum, & declaratum à se
Excommunicatum absoluere ab Excom-
municatione in foro externo, & sic termi-
nare suum Processum.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

Primus numerus indicat Cap. Secundus marginalem.

Digitized by Google

Papa

P

Quali-

Status

Digitized by Google

FINIS TABVLÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google